MARCI TVLLII CICERONIS

EPISTOLARVM FAMILIARIVM, LIBRI XVI.

CVM COMMENTARIIS IODOCI BADII ASCENSII *Ordinariis, & aliorum doctissimorum Virorum Annotationibus sparsim appositis, quibus difficillima quæque* CICERONIS *loca explicantur & explanantur. Quorum nomina sequens pagina indicabit.*

Adiectis præterea Argumentis ~~CHRISTOPHORI Hegendorphini~~, & Lemmatibus GIBERTI Longolii in frontibus singularum epistolarum.

IN QVIBVS OMNIBVS IMPRIMENDIS QVANTA CVRA ET DILIGENTIA *adhibita est, quantumq; reliquæ omnes editiones hac nostra postrema facile superentur, doctissimus quisque lector facile poterit animaduertere.*

VIRTVTE DVCE



COMITE FORTVNA.

VENETIIS Apud Ioan. Gryphium.

M D L.

VIRI AVTEM ILLI ET INTERPRETES HI SVNT.

Aulus Gellius.
Alexander ab Alexandro.
Philippus Beroaldus.
Cælius Rhodiginus.
Io. Baptiſta Egnatius.
Gulielmus Budeus.
Eraſmus Rhoterodamus.
Ioan. Riuius Atthendorien.
Petrus Victorius.
Paulus Manutius.
Sebaſtianus Corradus.
Bernardinus Rutilius.
Angelus Politianus.
Petrus Crinitus.
Georgius Merula.
Luc. Ioannes Scopa Parthenopæus.
Franciſcus Robortelius Vtinenſis.
Marinus Bechichemus.

QVIA Ad epistolarum primi libri cognitionem non parum conduxerit, uitæ, & casuum authoris cognitio, eam complectar paucissimis. M. Tullius Cicero Arpini natus, Romæ, quo puer perductus fuerat, tantum in discendo profecit, ut in caussis dicendis primum locum consecutus sit, tantumq; ueritatis, & reipub. studio potuit, ut omneis honores suo ordine obtinuerit. In consulatu autem sic sese gessit, ut non minus ueræ gloriæ in toga meruerit, quam alius quispiam in armis: liberauit enim urbem ab incendio, & ciuitatem a cæde cõiuratorum Catilina duce: in quos cum animaduertisset, & Catilina iam in prælio cecidisset, primus in Toga triumphauit, primusq; parens patriæ appellatus est, erectis eius gloriæ perpetuis monimentis. Quæ res illi inuidiæ non parum peperit: præsertim apud Cæsarem: & paulopost apud Clodium uirum apprime nobilem: qui captus amore Pompeiæ uxoris Cæsaris in domo eius, in ueste muliebri, deprehensus est temerasse festa Bonæ (maribus non adeunda) deæ. ob quam rem in ius uocatus, negauit se tunc in urbe fuisse. Citatus autem Cicero in eum testis adserunt Clodium eo die secũ Romæ fuisse: quod idem & alii præclari uiri testati sunt. Clodius tamen iudicibus corruptis pecunia absolutus est. Cæsar autem uxorem repudiauit: quod diceret: Domum Cæsaris non solum crimine, sed etiam suspicione criminis uacare debere. in Clodium, ut Ciceroni incommodet, nihil grauius egit. At Clodius ultionis auiditate a patribus ad plebem per adoptionem transiuit, factusq; Tribunus plebis Ciceroni diẽ dixit: quod nobilissimos ciues necasset indicta causa. Erant autem tunc consules, L. Piso Cæsaris socer, & P. Gabinius, qui prouinciarũ spe Clodii conatibus fauebant. Quod intelligens Cicero: cum neque a Põpeio, neque ab aliis amicis satis tutaretur, aufugit: absensq; damnatus est a Clodio: ut bonis eius publicatis quadringentis millibus passuum ab Italia igni & aqua illi interdiceretur: qui uero hospitio suscepisset, exul esset, & sua amitteret omnia: additumq; rogationi est: nequis de eo reducendo referret, disputaretue, aut pedibus in sententiam iret. Quæ omnia populus sciuit, atque approbauit, maxima (ut semper fuit) animorum mutabilitate. Clodius ita exulis uillas diripuit, & incendit, domum in palatio a fundamentis demolitus est, & in area templum libertatis constituit. Fortunas omneis hastæ subiecit: nec tamen in tota illa auctione sector quispiã repertus est. Cicero in Macedoniam aufugit, ubi a Planco benigne exceptus est. Clodius autem ob uictoriam insolentior factus, etiam Pompeiũ in publica concione contumeliis proscidit, quærens ut populus, quis Pompeius is esset, responderet. Quis uno digito caput scaberet: quis uir uirum quæreret: & similia. Qua contumelia irritatus Pompeius, fretusq; Lentuli authoritate, ad quem proximæ sunt æpistolę, & qui Ciceroni amicissimus fuit, author fuit Tito Annio Tribuno pleb. ut rogationem ad populum ferret de Cicerone reuocando. Quæ res ingentes turbas concitauit. Clodius enim cum factione sua, tribunitiæ obstitit rogationi, eoq; obnitente aliquandiu nihil agi potuit, certatumq; est interim in publico armis, tribunitiaq; potestas uiolata est, multi quoque interfecti, adeo ut Quintus Cicero Marci frater, inter cadauera latitans, sit seruatus. Postremo Pompeius ingenti bonorum manu ad hoc ipsum ex tota Italia collecta. Clodium foro expulit, auxilioq; fuit, ut populus sine aliquo maiore motu rogaretur. Nunquam maior populi Romani de aliqua re consensus fuisse dicitur. neque tam magnum alias totius Italiæ studium, quæ ad hoc ipsum Romam confluxerat: ut non magis eleganter, quam uere Cicero postea gloriatus sit, Italiæ se humeris ab exilio reportatum. Senatus charitate, & beneuolentia cum populo certauit, decreuitq; ut publice laudarentur ciuitates, quæ Ciceronem humaniter accepissent, ut domus, & uillæ eius publico instaurarẽtur sumptu. Rediit sextodecimo mense, postquam urbe eiectus fuerat, in senatuq; aliquantulũ floruit: quo tempore ad Lẽtulum primi libri epistolas scripsit: deinde Ciliciam post Lentulum, & Appium Claudium Pulchrum, prouinciam obtinuit: unde reuersus bella ciuilia inter Cæsarem, & Pompeium offendit orta: quæ res effecit: ut triũphare non potuerit. Diu autem ad concordiam utrunque frustra hortatus, Pompeium tandem secutus est. Quo uicto, & occiso per Dolabellam generum suum Cæsari recõciliatus, cum in foro locus non esset, ad philosophiam se contulit. Tandem Cæsare occiso, cum libertatis publicæ gratia eius percussores tutaretur, & in Marcum Antonium Cæsaris uindicem Philippicas habuisset. postquã Antonius, Lepidus, & Augustus triũuiratum iniissent, ab Antonio aliis conniuentibus proscriptus est: & in fuga deprehẽsus, capite, & manu, qua Philippicas scripserat, truncatus est. Nunc paucis argumentum repetam.

INDEX EPISTOLARVM FAMILIARIVM

M. T. C. quo Epistolarum omnium genera facile cognoscuntur.

LECTORI.

QVANquam erunt fortasſis humaniſsime lector, qui uitio mihi adſcribendum cenſeant, quòd indicē hunc familiarium M.T.C. Epiſtolarum ipſis eum eiuſdem Ciceronis Epiſtolis imperimendum curauerim: attamen, cum ſciam me rem non ingratam facturum iis, qui Ciceronem ipſum ſibi imitandum proponunt, in eoq; ſtudio laborant, ut eidem quam ſimillimi eſſe uideantur, non ab re mihi uiſum fuit, eum ipſum indicem typis excuſum mittere in manus ſtudioſorum, ut unuſquiſque inuenire poſſit ea omnis epiſtolarum genera, quæ deſiderat .ſ. commendatitias, gratulatorias, conſolatorias, hortatorias, facetas, expoſtulatorias, & alia, ut uidere eſt in ipſo indice. Ne autem multis morer, quid utilitatis ex ea re lectores ſint percepturi, ſilentio præteribo: nam hoc ipſum à doctis teſtarum uelim. In imprimendo autem huiuſmodi elencho, hunc ordinem ſeruandum cenſui, ut numerus librorum ponatur in prima linea per columnas, mox deinde numerus epiſtolarum ſequatur, idq; ut facilius inueniri poſſint ea, quæ deſiderantur. eamq; ob rem omnes epiſtolæ quæ ſingulis quibuſque libris habentur, notatæ ſunt arithmeticis numeris: qua tamen in re admonitum lectorem uelim, eam primi libri epiſtolam, quæ incipit: Periucundæ mihi fuerunt literæ tuæ, unam eſſe cum ea, cuius principium eſt in nõnullis codicibus: Quod rogas, ut tibi mea ſcripta mittam &c. ita ut primo ipſo libro decem tantum epiſtolæ habeantur. Vale.

EX EPISTOLIS FAMILIARIBUS M. T. Ciceronis.

COMMENDATITIÆ.

Libri primi, epiſtola tertia.
Secundi, epiſtola quinta, tertiadecima.
Quinti, epiſtola nona.
Sexti, epiſtola nona, decima ſeptima.
Septimi, epiſtola quinta.
Noni, epiſtola tertiadecima.
Vndecimi, epiſtola quarta, ſextadecima, decimaſeptima, decimanona, uigeſima.
Duodecimi, epiſtola uigeſimaprima, uigeſimaquinta, uigeſimaſexta, uigeſimaſeptima.
Tertiidecimi, epiſtolæ uniuerſæ.
Quintidecimi, epiſtola quarta, decima, tertiadecima.

GRATVLATORIÆ.

Libri ſecundi, epiſtola ſexta, octaua, nona.
Tertii, epiſtola undecima, duodecima.
Sexti, epiſtola duodecima.
Noni, epiſtola duodecima, quartadecima.
Decimi, epiſtola duodecima.
Duodecimi, epiſtola tertiadecima.
Quintidecimi, epiſtola ſeptima, octaua, nona, decima, quartadecima.

CONSOLATORIÆ.

Libri quarti, epiſtola tertia, quinta, tertiadecima.
Quinti, epiſtola tertiadecima, quartadecima, ſextadecima, decimaſeptima, decimaoctaua.
Sexti, epiſtola prima, ſecunda, tertia, quarta, tertiadecima, uigeſimatertia.

ACTIONES GRATIARVM

Libri decimi, epiſtola undecima, uigeſima.
Vndecimi, epiſtola ſecunda.
Quintidecimi, epiſtola undecima.

HORTATORIÆ.

Libri primi, epiſtola ſeptima partim in calce.
Secundi, epiſtola prima, nona, quartadecima.
Decimi, epiſtola tertia, quinta, ſextadecima, quartadecima, ſextadecima, decimanona.
Vndecimi, epiſtola quinta, ſeptima, octaua, undecima, duodecima, quintadecima, uigeſima.
Duodecimi, epiſtola ſexta, octaua, nona, decima, uigeſimaquarta.

FACETE.

Libri primi, epiſtola decima.
Secundi, epiſtola decima.
Septimi, epiſtola prima, decima, undecima, duodecima, decimatertia, decimaquarta, decimaſexta, decimaoctaua, uigeſimaprima, uigeſimaſexta, trigeſima, trigeſimatertia.
Octaui, epiſtola octaua, decima, ſextadecima.
Noni, epiſtola quarta, decima, ſextadecima, decimaſeptima, decimaoctaua, decimanona, uigeſimaſecunda, uigeſimaquarta, uigeſimaquinta, uigeſimaſexta

EXPOSTVLATORIÆ, VEL EXCVSATORIÆ

Libri ſecundi, epiſtola prima.
Tertii, epiſtola ſexta, ſeptima, octaua.
Quinti, epiſtola prima, ſecunda, quinta.
Septimi, epiſtola uigeſimaoctaua.
Octaui, epiſtola decimaquarta.
Vndecimi, epiſtola ſecunda, tertia, uigeſimaſeptima, uigeſimaoctaua.

LACHRYMABILES. EPISTOLÆ.

Libri quartidecimi, epiſtola prima, ſecunda, tertia, quarta.

LVCII IOANNIS SCOPAE ASERTIO

DE GENERE M. T. CICERONIS.

MVLTOS & audiuimus, & legimus Lonardum Aretinũ Plutarchi celeberrimum interpretẽ, & uirum magna doctrina sectantes, Ciceronem a Tullo Volscorum rege traxisse genus indubitanter affirmare: & hoc ita esse & illos, & nonnullos, uel omnibus inuitis contendere. Nos uero quãuis iandiu in illorum uestigiis imminorati fuissemus: tamen semper ambigebamus. Proinde hoc accuratius indagare cœpimus. quid uerbis est opus? id ipsum apud Ciceronem nunquã, cui maxima esset adhibenda fides, comperimus. Ideo Ciceronem nostrum eloquentiæ parentem nõ à rege duxisse genus, sed à quodam Arpinate ducimus: & in hoc ita esse ratione primum, deinde priscorum authoritatibus suffulti comprobabimus. Quis unquàm (ut ex ipsius Ciceronis monumentis apertissime colligitur) Ciceronem non solum antequam exularet, sed ne regressum quidem demissum, abiectumq; cõspexit? Vt enim ad Lentulum scribens, ait: In quo ego spem fefelli non modo inuidorum, sed etiam inimicorum meorum, qui de Q. Metello Lucii filio quondam falsam opinionem acceperunt, quem post reditũ dictitant fracto animo, & demisso fuisse, sed quod de illo acceperant, aut etiam suspicabantur: de me idem cogitabant abiectiore animo me futurum: cum res publica maiorem etiam mihi animum, quã unquã habuissem, daret: quæ declarasset sese non potuisse me uno ciue carere, nonne omnes se ipsum, quã crebertime de rebus pro republica gestis iactasse legimus? Quis enim nescius est, Ciceronem cum Catilinæ, cæterorumq; coniuratorum arma, & cõsilia suæ concessissent togæ sic gloriatum fuisse? Cedant arma togæ, cõcedat laurea linguæ. Nonne se ipsum, quod primus artis oratoriæ campos, & delitescentem apud Latinos philosophiam aperuit, atque indicauerit, uulgo ad sidera tollit? Vnum suo culmini, & celsitudini triumphum intelligens, quem ex fugatis, superatisq; hostibus Parthis cõtra quos mortuo Marco Crasso accesserat, merebat, decisse prædicabat. Icoirco si de prædictis intrepide gloriabatur; quanto magis suum à regia stirpe defluxisse genus asseruisset? Qua de re non à rege oriundũ fuisse diuceamus, sed nouum fuisse hominem authoribus grauissimis indicabimus; Sallust. in Inuectiua contra Ciceronem hæc scribit. Verum (ut opinor) homo nouus Arpinas ex Marci Crassi familia illius uirtutem imitatur. & inferius; Oro te Romule Arpinas, qui egregia uirtute omnes Paulos. Quibus Sallustii uerbis Arpinatem, & nouum fuisse hominem, & non à rege deductum esse constat. & Cicero ipse in Sallustium his fatetur uerbis: Si hoc fuit illius initium nominis, & dignitatis: cur nõn æque de nobis existimetur, cuius ueteres gestæ illustres sunt, & uita integerrime acta quasi ueco sis ab illis uiris Sallusti ortus: quod si esses nõnullos iam tuæ turpitudinis pigeret. Ego meis maioribus uirtute mea præluxi. ut si prius nou non fuerint: à me accipiãt initium memoriæ suæ. Idẽ inferius: Satius est me meis rebus gestis florere quã maiorũ opinione niti, & ita uiuere, ut sim posteris meis nobilitatis initium. & uirtutis exemplum. Quis ingenio crassus, & obtusus à rege Ciceronem descendisse audebit asserere? Nam si in accerrimum inimicum Sallustium non se suis maioribus nobilem (ut illi aliquanto præstantior in progenie præponeretur) nominauit: nonne ineptum, & timidum fuisse dubio procul censeremus? Sed quoniam torrente eius imitabatur lingua. hoc ipsi nõ ascribitur: & Iuuenalis in. VIII. Satyra refert. Hic nouus Arpinas ignobilis, & modo Romæ Municipalis eques galeatum ponit ubique, & Basilius: Hic iacet Arpinas manibus tumulatus amici, Qui fuit orator summus, & eximius: Quem nece crudeli mactauit ciuis, & hostis: Nil agis Antoni scripta diserta manent. Vulnere nempe tuo Ciceronem conficis, at te Tullius æternis uulneribus lacerat. & Pompelianus: Doctrinæ Antistes, rerum mirabilis author Tullius existens nobilis ex humili: Cui dedit excellens ars oratoria nomen: Virtute ingenii uenit ad astra sui. Licet non me prætereat fore nonnullos, qui quidem hæc ex oratione Catilinæ citabunt. Nam prædicare aliquando solitus originem se generis habuisse ex Tulli Hostilii familia Volscorũ regis quidẽ Populo Romano inimicissima & inferius: Hic hic nouus Cicero Arpinas ex Tullorum familia: sed illos quæso, nostra ne lancinent prius, quàm cuncta perpenderint. Verum omissis uerbis, Catilinæ mentem aperiamus: si Catilinæ, & non alterius, quod magis comprobarem, illa sit inuectiua. Catilina, cum se iam accusatum, & iam damnatum animaduerteret, orationem (cunctis nanq; licebat tẽporibus illis) habuit in Senatu: & quo se uehementius excusaret, Ciceronem impensius criminaretur, & in odium, atque inuidiam Populi duceret atrocius Romani, retulit à regia Ciceronem oriundum stirpe Populo inimicissima Romano. Quoniam Romani regibus exactis, non reges modo, sed nomen quoq; regium odio uel maximo habebant: ardebatq; uastum Ciceronis animum esse extinguendi nobilitatem: quod non ita esse hoc ducor argumento: quod Cicero in actionibus contra Catilinam criminantem, id est fassus nunquam, neq; meminit. & in Actione V. in Verrem ita respondet: Ne ista præcla nobilitas desinat quæri populum Romanum hominibus nouis, atque industriis libenter honores mandare, semperq; mandasse. Non est quærendum in ea ciuitate, quæ propter uirtutem omnibus nationibus imperat uirtutem plurimum posse. Sit apud alios imago Publii Africani. ornentur filii mortui uirtute, ac nomine. Talis ille uir fuit. ita de P. Romano meritus est, ut non uni familiæ, sed uniuersæ ciuitati commendatus esse debeat. Est aliqua mea pars uirili, quod eius ciuitatis sum, quam ille amplam, illustrem, claramq; reddidit: præcipue quod in his artibus pro mea parte uersor, quarum ille princeps fuit æquitate, industria, temperantia, defensione miserorũ, odio improborum: quæ cognatio studiorum, & artium propemodum non minus est coniuncta, quam ista, qua uos delectamini, generis, & nominis. & in Actione. VI. Videmus quanta sit inuidia, quantoq; in odio apud quosdam homines nobiles nouorum hominum uirtus, & industria. & inferius: Hominum nobilium nõ ferè quisquam nostræ industriæ fauet. Cic. se præterea in epistolis nouum ubiq; hominem appellat. Nouus dicitur homo, cuius maiores nullã habuerunt dignitatem. Leonardus ne tantam fortasse Ciceronis maiestatem dehonestaret, illum regia decorauit stirpe. Qđ autem dixit habere genus a rege, non ipse commentus est. Accepit enim ab Eusebio, Eutropio, & Silio, Italico sic in. VIII. Punicorum scribente; Tullius æratas raptabat in agmina turmas, Regia progenies, & Tullo sanguis ab alto. Sed hunc errorem ex illo Ciceronis in prima Tuscu. manasse loco credimus. Inquit enim Cicero: Regnante meo gentili: ubi, gentili, de mea gente quidam exponunt, cum de meo nomine intelligendum sit. Gentilis nanq; non modo, qui est de eadem gente, sed etiam nomine dicitur, Festo; Cinthio, & Cicerone in Topicis authoribus, qui ab alio uocabulo Cognominis appellatur. Plautus in Bacch. illa mea cognominis est. Cicero quoq; dicitur, non quod habebat faciem quadratam instar ciceris, ut Priscianus: nunquam enim quadratum uidi cicer, sed rotundũ. Idem Leonardus ait, quod habebat carunculam innare instar ciceris: hæc priori est præstantior sententia. Nos autem in hoc Varronem Romanorum omnium facile doctissimum sequimur: inquit enim Cicerones dictos, quorum maiores fuerunt inuentores ciceris serendi, ut Fabii a faba, Lentuli a lente, sic Cicerones a cicere. Varronem Plinius sequitur, quod Euphorbius quoq; hisce confirmat uerbis: Quicunq; in libris nomen Ciceronis adoras: Aspice quo lateat cõditus ille loco, Ille uel orator, uel ciuis maximus, idem Clarus erat facie, clarior eloquio: At nequid Fortuna uiro nocuisse putetur: Viuit, & æternũ docta per ora uolat. Vocabatur Tullius a patre, uel quod eius maiores fuerunt tullorum. i. aqueductuum inuentores. Tulli nanq; (ut Front. de aquæ ductibus) uocantur ductus aquarũ.

EX BECHICHEMI COLLECTANEIS IN PRIMUM PLINII.

SCRIBIT M. Varro, quod extremum dicebatur, eo tempore coeptum dici nouissimum, quod sua memoria seniores saepe tanquam nimis nouum uerbum uitabant, inde Ciceronem eo abstinuisse uocabulo Gellius affirmat, sed fallitur, saepe enim Cicero usus est. In Oratore inquit: Nec in hac modo re, quae ad uulgi sensum spectet, & ad aurium uoluptatem, quae duo sunt ad iudicandum nouissima. Et in epistola ad Octauium: Nam ut ordiar ab initio, & perducam ad extremum, & nouissima conferā primis. Et in oratione pro Roscio Comoedo: Itaque perbreui tēpore, qui in nouissimis quidem erat histrionibus, ad primos peruenit.

Ex eodem.

Appelles tantummodo tribus operibus inscriptionem apposuit, qua significaret illa absoluta, & nihil deesse, quae in suis locis enarrabo. his author significauit se conscium esse suae artis, quam ex omni parte, per omneis & numeros, & gradus in his expleuerit, nec aliquorum morsus liuidos timuerit: & iccirco multi inuidi insurrexerunt, & cōati sunt deterere aliquid ex illis. Apelles Cous in pictura (ut scribit Plinius) omneis prius genitos, futurosq; postea superauit, pluraq; propè contulit picturae solus, q̄ caeteri omnes. Is opera perfecta proponebat in pergula transeuntibus, & post tabulam latebat, ut uulgi iudicium auscularet, uitiaq; emendanda subnotaret, tantae modestiae fuit, ingenuiq; pudoris. Multa de eius laudibus idem Plinius libro. XXXV. narrat, quantiq; Alexan. Macedoni fieret, multis argumentis comprobat, utq; inueterato edicto, ab alio se pingi uetuerit, quod ob comitatem illi gratior esset. Sed M. Cicero in quadam epistola ad Luceium, non gratia id factum his uerbis testatur: Neque enim Alexander ille gratiae causa ab Apelle potissimum pingi, & à Lysippo fingi uolebat, sed quod illorum artem cum ipsis, tum etiā sibi gloriae fore putabat. Huiusce rei Flaccus meminit in ultimo epistolarum.

> Edictum fecit, ne quis se, praeter Apellem,
> Pingeret, aut alius Lysippo duceret aere.

Verum, ut historico maior fides habenda: quàm Ciceroni, ut oratoris huius quae sint nobilissimae picturae, dixit Plinius non esset facile enumerare, memorat tamen tria illa, quae absolute, & perfecte inscripta traduntur, imaginem Veneris è mari exeuntis, Castorem, & Pollucem cum uictoria. & Alexandro Magno, Imaginem belli restrictis post terga manibus, Alexandro in curro triumphante. Inchoauerat & aliam Venerē, eodem Plinio referente, cui superaturo priorē inuidit mors peracta parte, nec qui succederet operi ad praescripta lineamenta inuentus est. De qua puto locutus est Cicero ad Lentulum ita scribens: Nunc ut Appelles Veneris caput, & summa pectoris politissima arte perfecit, reliquam partem corporis inchoatam reliquit. Fabius Quintilianus & Plinius multa, qui ex aere, & ebore signa fecit nobilissima, diligentia, ac decore praestabilia, cui multi palmam dederunt. Iuuenalis.

> Phidiacum uiuebat ebur, nec non Polideti.

Error est in Primo Tusculanarum, ubi de pictoribus agens Cicero scriptum reliquit: An censemus, si Fabio nobilissimo homini laudi datum esset, quod pingeret, non multos etiam apud nos futuros Polygnotos, & Parrhasios? ubi pro dictione, Polygnotos, facile librariorum lapsu scriptum est Polycletos. Neque enim nota Ciceroni inurenda est, ut cum de prioribus loquitur, statuarium Polycletum adducat. Fuit aut Polignotus dictor antiquissimus, Fabio Quintiliano authore, utq; Plinius testatur picturae inuentū illi Theophrastus ascripsit. Falsum id esse in quinto, et trigesimo libro ostendit Plinius, sed omnium primum picturae plurimum contulisse. Verum commendat Plinius modestiam, & uerecundiā Apellis, & Polycleti: ita quodam in loco de Parrhasio contrare fert, neminem insolentius, arrogantius esse usus artis gloria, & cognomina usurpasse. Scribunt alii illum se principem artis dixisse, & ea perfecisse gloriari solitum.

Ex eiusdem uariarum obseruationum Collectaneis.

Praeter notam significationis non modo, siue modo nō duobus modis elegantissime usurpatur, pro nedum, ut Trebonius ad Ciceronem: Non enim nescis quanti te faciam, & quàm pro ueterrimo amore omnibus tuis etiam minimis commodis, non modo tanto bono gaudeam. Et pro ferè, siue (ut uulgo dicunt) quasi. Et in hac significatione posuit Tibullus.

> Iam modo non possum contentus uiuere paruo.

Et quoniam amicus inauditum hoc esse literis Latinis clamitat, audiat Valerium de his, quae nulla arte effici posse uidentur, inquit: Artis pictor equum ab exercitatione uenientem modo non uiuū labore, industria sua comprehendere, modo non: idest ferè uiuum. Et Comicus: Modo non montes auri pollicens, ait per prouerbialem hyperbolen. Est Atticismo Graecorum similis μονονὰ siue secundum Atticos μονονουχὶ.

EPISTOLARVM M.T. CICERONIS AD LENTVLVM ARGVMENTVM PER GEORG. MERVLAM ALEXANDRINVM.

AEGYPTIORVM reges a Ptolemæo Lagi filio, q primus Alexandro successit, Ptolemæi appellati sunt: quorum nomina, atque ex moribus indita cognomina, cum apud scriptores Græcos leguntur, tum ex ordine successionis in ultimo Geographiæ libro a Strabone commemorantur. Auletes uero ultimus Ptolemæorum flagitiosus traditur, ut pote qui choraulam exercuerit, atque in regia certamina celebrarit: ad quæ & ipse cum aliis concertaturus prodibat. Huius frater fuit Ptolemæus alter, cui Cyprus in ditionem cōcesserat: ut idem Strabo refert. Hic cum aduersus Romanos bene de se meritos ingratum se præberet, sublatus & ipse est: insula uero a Romanis occupata fuit. Sed Auletes ad stabiliendum regnum pecunias quibusdam Romanorum proprias, & mutuo acceptas, ut amicus & socius Romanorum appellaretur, impendit: quas postea cum ab Aegyptiis per uim exigeret, molestus ciuibus erat tum propter hoc tum etiam quod a Romanis Cyprum repetere nolebat, quam rem Alexandrini iubebant, uel repudiata Romanorum amicitia, & societate. Ergo cum nec eos, ut quiescerent, persuasisset, nec posset per uim cogere (peregrinum enim exercitum non habebat) Romam ex Aegypto profugit, accusauitq; Aegyptios, quòd eum regno expulissent. Contigit autem, ut de eo reducendo ageretur, Lentulo Spinthere consule, cui Cilicia mandata fuerat. Interea Alexandrini dum ignorarent regem in Italiam uenisse quem mortuum existimabant, Berenicem illius filiam in regno constituerunt, quæ primum Cybiosactem maritum cepit: hunc diebus paucis eiecit, cum eius ignobilitatem, illiberalitatemq; pati nō posset. Pro illo alius uenit, qui & ipse se Archelaum Mithridatis filium simulabat: qui Archelai quidem filius erat, eius qui cōtra Syllam bellum gessit. Rex autem Ptolemæus Romam profectus, a Pompeio suscipitur, & senatui cōmendatur. Hoc cum Alexandrini resciuissent, centum oratores Romam miserunt, qui responderent criminibus, quibus a rege accusarentur, recriminarenturq; illum de ui, & iniuria, quibus eos affecisset. Quo præcognito, quamuis Romæ esset, legatis rex insidiatus est, subsessoribusq; alio, atq; alio dimissis in itinere multos eorum priusquam Romam uenirent, interfecit: quosdam in urbe ipsa tolli curauit: alios perterrefaciens, uel pecuniis eorrumpens persuasit, ut neque conuenirent, & colloquerentur magistratus de iis, pro quibus missi fuerant, neque in totum ullam memoriam de cęde aliorum facerent. quod negotium occultum fuit. Senatus autem grauiter rem tulit, causam eorum acerrime Marco Fauonio alio agente modo. Nam multi legati sociorum Romam missi, per uim perditi fuerant: præterea nō pauci Romanorum dona acceperant, qui non permitterent Dionem (qui unus erat legatorum) in senatum ingredi, neque mentionem ullam de cæde legatorum quousque is adesset, facere. Cæso uero per dolum Dione, neque de eo pœnam Rex dedit. At cum Pompeius (ut supra diximus) regem domi suscepisset, illum hoc facto admodum subleuauit. cum plurimi autem inde accusarentur, pauci admodum conuicti fuere. tantum acceptio munerum poterat, ut se inuicem ob proprium quisque periculum iuuarent. & hæc quidem pecuniarum gratia mortales faciebant. Sed principio insequentis anni Iouis simulacro, quod in Albano erectum erat, fulmine icto, per aliquod tempus reductio Ptolemæi repressa est, simul etiā, quòd Sibyllinos uersus adeuntes, hoc ascriptū inuenere: Si Aegypti rex auxilio quōdam indigens uenerit, eius amicitiā ne abnueritis, sed illum quidem cum multitudine ne iuueritis: quod si aliter factum fuerit, labores & pericula habebitis. Ex hoc conuenientiam uersuum ad ea quæ tunc gererentur admirantes, quæcunque prius decreuissent, rescidere, C. Catoni tribu. pleb. in primis obtemperantes, per quem Sibyllinorū uersuum sententia in publicum uenerat. Nam cum non liceret quicquam Sibyllinorum uersuū, nisi prius Senatus decreuisset, in uulgus enuntiare, Cato ueritus ne Sibyllæ sors occultaretur, sacerdotes coegit, priusquam responsum a Senatu acciperent, oraculū Sibyllæ aperire. Post hæc uero cum sententiæ in senatu dicerentur, censerentq; quidam reditum regis Lentulo Spintheri, sed sine exercitu: alii uero rem deferrent Pompeio, ut eum cū duobus lictoribus reduceret: Ptolemæus cognita Sibyllæ sententia, rogauit ut per Pōpeium reduceretur. Plutarchus uero Canidium tradit rogationem ad tribunos plebis tulisse, ut Pōpeius sine exercitu cum gemino lictore ad Ptolemęum cū Alexandrinis conciliandum destinaretur: cui rei non grauiter hæsisse uisus est Pompeius: sed senatus id omisit, causa honeste reddita, quòd uiro timeret: simul etiam, quòd eo ad rem frumentariam uti uellet. quanquā (ut iidē historici, hoc est Dion, & Plutar. tradunt) Lentul. Spinther etiam consul maxime laborasset, ut præfectura annonæ Pompeio mandaretur, tradita illi omni potestate terrarum, & maris, quæ Ro. populo parerent. Hoc autem fecit Spinther, ut ad maiorem magistratum Pompeio promoto, ipse ad regem Ptolemæū auxilio mitteretur. A. Plancius in collegio Tribunorum recitauit literas, quibus notabatur, Ptolemæum orare, ut pro Spinthere Pompeius mitteretur. Cum uarias autem, & dissidentes senatorum sententias Ptolemæus cognouisset, desperato reditu, Ephesum concessit, apud deam uicturus. Postea uero, quanquam Romani auxilium abnegassent, & grauiter eius largitiones ferrent, reductus est, & regnum recuperauit. Hoc autem fecerunt Pompeius, atque Gabinius. Tantum enim potētia, & pecuniæ tunc ualuerunt, ut præter populi uoluntatem, & Senatus decreta, Pompeius Gabinio scripserit, quem Syriæ cum exercitu præfecerat, ut Regem reduceret. nihil enim curarunt, alter muneribus, alter uero gratia, de Sibyllinis uersibus. Reus deinde Gabinius factus est, sed conuinci non potuit, tum Pompeii, tū pecuniarum gratia. Sed cum legamus, Catonem Rhodi cum esset atq; responsum Ptolemæi Cyprii expectaret, altero Ptolemæo a ciuibus tunc pulso, & relicta Alexandria Romam nauigāti, easpe ut Pōpeii, & Cæsa. armis in regnum reduceretur, cōsiliū optimū dedisse: ut domū rediret, & cum suis ciuibus pacaretur. dubitabit aliquis, cur Dion tradidit Alexādrinos ægre tulisse, Ptolemæū pati Cypri occupari a Romanis, cum Rex ipse uiueret, & insulā in potestate haberet. Illud addimus, quātū tempora supputare potuimus, cū Alexandrini de rege eiiciendo consilia inirent, tunc P. Claudium Pulchrū, qui authoc fuit tollendi Ptolemæi, in piratas incidisse, regemq; rogasse, ut se redimeret. Sed pretium perexiguum Rex misit. adeo ut piratæ id excipere erubescerent. Remissa igitur Regi pecunia, & dimisso Claudio sine pretio: tribu. deinde plebis creatus Claudius euicit, ut M. Cato in Cyprum mitteretur eā ab Rege ablaturus. Sed Ptolemæus re intellecta, priusquam ille aduētasset, seipsum interemit. Cato insulam accepit, & regis opes uenundedit, pecunia omni in publicum ærarium relata. quod Lucanus significat, cum dicit:

Quod Cato longinqua uexit super æquora Cypro.

Ergo cum iussu populi mitteretur Cato ad pecuniam accipiendam, satis Cyprus Romanorum imperio parebat, cū indignitate regni Aegyptiorum: ureq; Alexandrini iniquo animo ferebant, iam insulam, cui per multos annos Ptolemæi imperauerant, in Romanorum iura cedere. Suetonius quoque significat, post initam cum Po. Ro. societatem, Ptolemæum Alexandria pulsum. nam Cæsar laborabat, ut sibi Aegyptus pro

uincia plebiscito daretur: nactus extraordinarii imperii occasionem, quod Alexandrini regem suum socium, atque amicū a senatu appellatum expulerant. Igitur ut socius, atque amicus Roma populi Ptolemæus a senatu reduci postulabat. Nec sine causa, atque iniuste senatus de eo reducendo tractauit. Quæ autem foret uersuum Sibyllinorum sententia, satis supra demonstrauimus. Restat ut exponamus, atq; comprobemus, Creditores legendum esse non cōpetitores. Sed hoc subiecta Ciceronis uerba ad Q. Fratrem confirmabunt: Creditores uero Regis aperte pecunias suppeditant contra Lentulum: sine dubio res a Lentulo remota uidetur esse cū magno meo dolore: quāquam multa feci. Sed ualde miror, cur Domitius exponens illud Iuuenalis:

Ipsi magna sonant, sed tunc cum creditor audit.

Præcipue. inquit enim: Creditor, qui pecuniam credit debitori: Creditor item, cuius pecunia aliquid aliud agit, ut hoc loci, & apud Ciceronem: Res agitur per eosdem creditores. Nugatoris plane hominis uerba, quæ nec coarguenda sunt. Nam quid aliud aliquid creditorum pecunia aduersus Lentulū ageret, nop intelligo. Sed qui pecuniā Regi crediderint, nihil equidem quod ex historia habeatur inueni, præter quàm ea quæ de Rabirio Posthumo Cicero scribit. Is enim grandem pecuniam regibus Alexandrinis crediderat: pulsus interea regno Ptolemæus, dolosis consiliis, ut dixit Sibylla. Postquam sensit Posthumus, Romam uenit. Huic egenti, & roganti, hic infelix pecuniam credidit. nec tamen primum, nam regnanti crediderat absens. Nec temere se credere putabat, quod erat nemini dubium, quin is in regnum restitueretur a senatu, populoq; Romano. In dando autem, & credendo processit lōgius: nec suam solum pecuniam credidit, sed etiam amicorum stulte, quis negat? aut quis non admonet, quod male cecidit, bene cōsultum putaret? idest difficile, quod cum spe magna sis ingressus, id non exequi usq; ad extremum. Supplex erat Rex, multa rogabat, omnia pollicebatur: ut iam metuere Posthumus cogeretur, ne quod crediderat, perderet si credere constituisset modum. Nihil autem erat Rege illo blandius, nihil hoc benignius: ut magis pœniteret cœpisse, q̄ desistere liceret. Per hæc Ciceronis uerba constat, Rabirium suam, & amicorū pecuniam regi, & in Aegypto, & postquam pulsus regno fuit, credidisse. quod conuenit cum eo quod Dion scribit, Regem dū regnaret, Romanis quibusdam pecunias stabiliendi regni gratia mutuo acceptas impendisse. Quod autem largitione regia multi corrupti fuissent, & supra ex Dione demonstrauimus, & Cicero idem significat, hæc subiungens: Hinc primum exoritur crimen illud, Senatum corruptum esse dicunt. docetq; Cicero, ad sumptum itineris, ad magnificentiam apparatus, comitatumq; regium, suppeditatam pecuniam a Posthumo fuisse. Ergo ausim ego affirmare, creditores regios qui Lentulum pecunia oppugnarent, non alios fuisse, quàm Rabirium, & eius amicos, qui pecunias regi crediderant. Hic suboritur alia dubitatio: Si rex Romam uenerat, cur scribit Cicero, Ammoniū regis legatum aperte Lentuli partes pecunia oppugnare? Respondemus, Regem (ut supra demonstratum est) in consulatu Lentuli Spintheris, & Quinti Metelli nepotis Romam uenisse, illiq; nō inimico Po. Romano senatum datum: post uero, cum uaria decernerentur, Ephesum concessisse, & aut Romæ legatum Ammonium reliquisse, aut ex Asia misisse, ad procurandam in regnum restitutionem. Scribit in eadem Oratione idem Cicero, Rabirium, posteaquam rex a Gabinio reductus fuit, in Aegypto mansisse, ut pecuniam exigeret, etiam infra dignitatem Romani nominis. Lentulus uero consulatu functus, in prouinciam Ciliciam, quæ ei mandata fuerat, concessit: ex qua facilis erat in Aegyptum transitus. Et commode potuisset, siue cum exercitu, siue sine exercitu Regē deducere. quare in rege per se reducendo multum per amicos laborabat. Et de creditoribus quidem regiis abunde (ut arbitror) dictum est.

MARCI TVLLII CICERONIS

EPISTOLARVM FAMILIARIVM

LIBER PRIMVS.

ARGVMENTVM.

Ptolemaeus Auletes, rex Aegypti flagitiosus, cũ ob tyrannidem ab Alexandrinis esset exactus, confugit ad Romanos, quos ante multa largitione amicos, pro regno firmando sibi, deuinxerat. Eum Pompeius exceptum hospitio Senatui commendauit. Cumq; is se restitui in regnum curaret, idq; maxime Lentulus, qui in Cilicia proconsulatum gerebat, facere cuperet, negocium suum, cum ipse abesset, Ciceroni mandauerat, cui pauloante ab exilio reuocando plurimum operae, & studij praestiterat. Dabat igitur operam Cicero, ut per Lentulum reduceretur, sicut Lentulus etiam ante suum discessum in senatu egerat. Verum rex, ut erat ambitiosus, per Pompeium, quam per Lentulum reduci malebat, idque corruptis nonnullis Senatoribus assequi contendebat. Erãt tamen qui aduersarentur: tanta erat in senatu sententiarum uarietas. Quamobrem cum haec ita agerentur, admonet Cicero Lentulum de rebus omnibus, & praecipue de sua erga Lentulum uoluntate, & animo, & quam sint uariae de hoc negocio Alexandrino senatorum sententiae: latenter innuens, non posse sic rem obtineri, cum ostendit rem corruptam esse, & non esse in his fidem, in quibus summa debebat esse. Huic autem reductioni regiae difficultatem afferebant Sibyllina quoque carmina, quibus monebatur Popu. Roma. regem Aegypti, siquando auxilio indigens ueniret ad Roma. exercitu nullo pacto esse iuuandum. Quam diuersa autem de hisce carminibus in senatu sententia fuerit, aperit quoque hac Epistola.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Nunciat Lentulo, quid in causa illius in senatu actum sit.

M. T. C. PVBLIO LENTVLO PROCONSVLI S. P. D. 1

EGO omni officio, ac potius pietate erga te, caeteris satisfacio omnibus: mihi ipse nunquam satisfacio. Tanta enim magnitudo est tuorum erga me meritorum, ut quoniam tu, nisi perfecta re, de me non conquiesti: ego, quia non idem in tua causa efficio, uitam mihi esse acerbam putem. In causa haec sunt. Hammonius regis legatus aperte pecunia nos oppugnat. Res agitur per eosdem creditores, per quos, cum tu aderas, agebatur. Regis causa, si qui sunt, qui uelint, qui pauci sunt, omnes rem ad Pompeium deferri uolunt. Senatus religionis calumniam, non religione, sed maleuolentia, & illius regiae largitionis inuidia comprobat. Pompeium & hortari, & orare, & iam liberius accusare, & monere, ut magnam infamiam fugiat, non desistimus. Sed plane nec precibus nostris, nec admonitionibus reliquit locum. Nam cum in sermone quotidiano, tum in Senatu palam sic egit causam tuam, ut neque eloquentia maiore quisquam, neque grauitate, nec studio, nec contentione agere potuerit, cum summa testificatione tuorum in se officiorum, & amoris erga te sui. Marcellinum tibi esse iratum scis. Is, hac regia causa excepta, caeteris in rebus se acerrimum tui defensorem fore ostendit. Quod dat, accipimus: quod instituit referre de religione, & saepe iam retulit, ab eo deduci non potest. Res ante idus acta sic est: nam haec idibus mane scripsi, Hortensii, & mea, & Luculli sententia cedit religioni de exercitu (teneri enim res aliter non potest) sed ex illo senatusconsulto, quod te referente factum est, tibi decernit, ut regem* deducas: quod commode facere possis, ut exercitum religio tollat, te autorem Senatus retineat. Crassus treis legatos decernit, nec excludit Pompeium: censet enim etiam ex ijs, qui cum imperio sunt. Bibulus treis legatos ex ijs, qui priuati sunt. Huic assentiuntur reliqui Consulares, praeter Seruilium, qui omnino reduci negat oportere: & Volcatium, qui Lupo referente, Pompeio decernit: & Afranium, qui assentitur Volcatio: quae res auget suspicionem Pompeii uoluntatis: nam aduertebatur Pompeii familiareis assentire Volcatio. Laboratur uehementer: inclinata res est. Libonis, & Hypsei non obscura concursatio, & contentio, omniumq; Pompeii familiarium studium, in eam opinionem rem adduxerunt, ut Pompeius cupere uideatur: cui qui nolunt, iidem tibi, quod eum ornasti, non sunt amici. Nos in causa autoritatem eo minorem habemus, quod tibi debemus. Gratiam autem nostram extinguit hominum suspicio, quod Pompeio se gratificari putant. Vt in rebus multo ante, quam profectus es, ab ipso rege, & ab intimis, & domesticis Pompeii clam exulceratis, deinde palam a consularibus exagitatis, & in summam inuidiam adductis, ita uersamur. Nostram fidem omnes, & amorem tui absentis praesentes tui cognoscent. Si esset in iis fides, in quibus summa esse debebat, non laboraremus.

*alias reducas: quod tu Reipub. commodo facere poss.

ASCEN.

EGO omni.] Quoniam argumentum huius epistolae, & fere totius primi libri iam explicauimus, satis fuerit pro more, quem hic seruare constitui, primo elegantem dictionum quarundam usum exponere: deinde ordinem cum explanatione subtexere. Ego pronomen non nisi ad emphasim exprimi solitum, in principio sermonis magnam uim obtinet, ad quam depingendam posuit multas uocales continuas: quae eum mora, & grauitate pronunciari uolunt, impediunt enim fluxum orationis: ut Ego omni officio &c. Officium est suum cuiusque munus, ob quod faciendum ipse factus, aut institutus sit: ut officium praeceptoris est praecipere, discipuli discere, boni uiri gratiam referre, bonae ciuitatis caduceatoribus, & summis magistratibus obuiam prodire, Ob, enim praepositio duo notat: propter, & contra: unde officio .i. noceo, quasi contra id, quod utile sit, facio Pietas addit officio obseruantiam quandam, & uenerationem: & ita fere est in maiores: ut in deum, patriam, parentes: quos amanter colere debemus: dico fere, quia Verg. pietatem pro pia custodia acceptam coelo .i. coelestibus in inferiores dedit, dicens: Dii, si qua est coelo pietas, quae talia curet. Quia ergo Cicero Lentulo nõ solum officium: sed etiam pietatem, tanquam parenti impendit, per ἐπανόρθωσιν .i. correctionem addit: Ac potius pietate. Erga, semper beneuolentiam significat: contra, fere hostilitatem: in utranq; affectionem. Mihi ipse: ita Cicero, rarissime enim ipse ab eo componitur. Efficere est cum effectu, & consumatione rei, & ita plus est, quam facere. Vitam acerbam: pulchra coniunctio cum uita nihil sit iucundius Oppugnat, qui uim infert: expugnat, qui capit, & uincit Creditores sunt, qui sua aliis credunt, hoc est quibus aliquid debetur. Ordo est. O Lentule, Ego, inquit Cicero, satisfacio omni officio .i. debito munere, ac studio erga te: ac potius .i. quod potius dicam: omni pietate .i. ueneratione, & obseruantia erga te: caeteris omnibus .i. in oculis caeterorum omnium: aut quantum caeteris uideri potest Ipse .i. egomet: nunquã satisfacio mihi .i. in oculis meis, aut iudicio meo Pulchre, quia reperit uerbum satisfacio, omittitur particula ait, sed, uero, autem, caeterum. &c. Affert causam dicti, & est optimus modus orationis: dum quod sequitur, praemissi causam affert. Enim .i. quia. magnitudo tuorum meritorum erga me est tanta, ut quoniam tu non conquieuisti de me: scilicet restituendo ab exilio in urbem: nisi re perfecta: idest donec me restitutum uideres: quia non efficio in causa

tua: idest, quia non efficio te uoti compotem: putem uitam esse acerbam mihi, quod non idem efficio. Hæc: scilicet, quæ dicam, sunt in causa. Hammonius proprium est nomen, legatus regis: scilicet Ptolemæi: idest, quem Rex Romam misit ad solicitandam reductionem sui per Pompe. oppugnat nos: idest contra nos pugnat: aperte pecunia: idest largitione pecuniaria, qua senatus corrumpebatur. Res: id est lis, & controuersia. Significat cum sine adiuncto litem, uenerem, & diuitias. litem, ut hoc loco. uenerem, ut rem habuit cum uxore. diuitias, ut re sine nullus eris. Cum adiuncto autem uaria notat, ut res literaria, Respub. res militaris. &c. Inepte autem genitiuum rerum pro imperio poni censet Valla: ut Lacedæmonii diu rerum potiti sunt. Ego potius subaudiam ablatiuum imperio. Nec mirandum si tam uarie accipiatur: cum autore eodem Valla ipsum nomen res sit unum, ac uerum transcendens de omni ente dicibile, agitur per eosdem creditores: scilicet regis: idest qui regi pecuniam crediderant: & in Aegypto: & in urbe, quam, ut reciperet, summopere curabant regem potenter restitui: sunt tamen, qui creditores dicunt commissarios esse, quibus litis decidendæ negocium commissum fuerat: per quos agebatur, cum tu aderas. Si qui sunt, qui uelint supple litem diuimi: causa: idest ea utilitate. & uoto regis. qui: scilicet id uolentes sunt pauci. hoc dicit ad consolationem Lentuli: omnes nolunt rem: scilicet de qua lis est. hoc est reductionem Regis Aegypti: defert ad Pompeium: idest, honorifice committi Pompeio. I. Cneo, cognomento Magno. Senatus: idest consilium senatorum, seu patrum conscriptorum: comprobat calumniam: idest callidam interpretationem religionis: hoc est impedimentum tibi illatum per libros Sibyllinos uetantes regem cum exercitu reduci: contra quos facere religiosum: idest metuendum erat. Comprobat dicit non religione: idest uero metu faciendi contra monita diuina: sed maleuolentia, quia tibi male uult, & inuidia illius: scilicet famosæ, & apertæ largitionis: idest profusionis pecuniæ ad capiandum, aut corrumpendum senatum factæ: regiæ: idest nomine regis, & per solicitatores eius: hoc est odio in te sumpto, quia per largitionem omnes corrupti sunt. Pompeium &c. Prosequitur, quæ pro Lentulo egit reliqua, dicens. Liberius idest aliquanto magis libere, quam nos deceat: aut in nostra causa faciamus, & monere: ut illi bene consulentes: ut fugiat magnam infamiam: quam incurrat, si contra te, cui tantum debet, faciat. Sed: sup. Pompeius nec reliquit plane: idest manifeste, aut omnino locum precibus nostris: nec admonitionibus nostris idest sic egit, ut non opus fuerit eum amplius precari, aut monere. Nos nõ desistemus in quo uerbo summa notatur diligentia: & idest simul hortari Pompeium tãquam amicum, & orare tanquam principem: & accusare etiam. Nam ipse egit causam tuam idest secundum te stetit: cum scilicet ita fit, quod in sermone quotidiano idest familiari cum amicis confabulatione: tum scilicet multo manifestius egit causam tuam palam in senatu idest concilio patrum conscriptorum sicut quisquam neq; potuerit agere scilicet causam tuam maiore nec eloquentia: nec grauitate. quæ in gestu erat: nec studio: quod in affectione: nec contentione: idest certamine. cum testificatione idest protestatione summa idest maxima tuorum officiorum idest decenter, & benefactorum in se, & amoris sui erga te idest quem habet in te. Tu scis: quasi dicat, non opus est dicto Marcellinum: alii Marcellum legunt: esse iratum tibi: quia cum sit unus ex. xv. uiris: & ita Sibyllinorum librorum uaticinia maximi faciens: tu contra ea facere paras. Sunt qui iratum legant: ut sit, tuis rebus etiam sacro addictum. sed uulgatiorem sequimur lectionem. Is: scilicet Marcellinus, aut Marcellus: ostendit: idest præ se fert: se fore: idest futurum esse acerrimum defensorem tui: hac causa regia idest de rege reducendo excepta: quia contra Sibyllinos libros nihil dicere ausit. Nos accipi idest gratum, & ratum habemus: quod dat idest tibi concedit idest quicquid in fauorem tui dicit, gratum est. Ipse non potest deduci idest amoueri, & in contrarium adduci: ab eo, quod instituit idest proposuit referre scilicet in consultationem senatus, aut Popu. Roma. adducere: & iam retuli sæpe. De religione: idest religiosa obseruatione uaticiniorum Sibyllinorum. Res. idest contentio acta est sic: idest in modum sequentem: ante Idus: scilicet Ianuarias, ut proxima epistola patebit: idest ante. xiiij. diem. nam ego scripsi hæc Idibus idest ipso die. xiiij. mane. In hunc autem modum res acta est. Sententia Hortensii, & mea, & Luculli cedit religioni: idest concors est religioni de exercitu idest uetanti regem deduci cum exercitu, Ro. n. idest quia res non potest teneri idest obtineri aliter quasi dicat si aliter possemus, aliter sentiremus: sed sententia sup Hortensii, mea, & Luculli, decernit: idest adiudicat tibi ex senatuscon. quod factum est te referente: idest in consultationem senatus adducente, an per te reduci debeat: decretum autem erat quod sic, sed postea incidit calumnia ex libris Sibyllinis negantibus cum exercitu reducendum, ut autem senatuscon. seruetur: & contra religionem nihil fiat, decreuit sententia nostra, ut tu deducas: idest honorifice in patriam reducas regem: quod possis facere commode idest sine obstaculo: sic sup. ut religio idest autoritas librorum Sibyllinorum: tollat idest demat tibi exercitum: idest ne deducas cum exercitu, & senatus qui decreuit per te reducendum: retineat te autorem scilicet reductionis: & ita utrunq; seruetur decretum, & senatus, & religionis: non enim uetuit religio deduci: sed cũ exercitu. Crassus unus e patribus conscriptis: decernit idest pro sententia sua cõstituit treis legatos scilicet cũ rege mittendos in Aegyptum: nec excludit Pompe. Enim pro quia censet idest iudicat legatos sumendos: etiam ex iis, qui sunt cum imperio: idest qui sunt in magistratu aliquo præcipuo. Bibu sup. censet sumendos treis legatos. etiam ex iis, qui sunt priuati idest nullo magistratu fungentes. Reliqui sup. uiri consulares idest qui aliquando consulatũ gesserunt, & ita primores patrum, assentiuntur huic scilicet Bibulo: præter Seruilium: qui negat oportere idest expedire omnino sup. regem reduci, & sup. præter Volcatium: qui decreuit idest adiudicauit Pompeio reductionem, Lupo: scilicet senatore, referente: idest adducente in consultationem: & ita eiusdem sententiæ existente: & sup. præter Afranium qui assentitur Volcatio: quæ res scilicet quod assentitur Volcatio: auget suspicionem uoluntatis Pompe. idest quæ habetur de Pomp. quod uelit regem reducere: licet propter Lentulum dissimulet. Nam aduertebatur: idest comperiebatur a plerisque familiares Pomp. assentire. (Ergo utrunq; dicitur, & assentior deponentaliter, & assentio actiue) Volcat. Laboratur: idest cõtẽditur uehemẽter. Sunt aũt impersonalia aduertabatur, & laboratur: aut laboratur a familiaribus Pompeii, qui eius uoluntatẽ amplius celare non possunt, quia res est inclinata. i. incipit tendere ad ruinam, hoc est consilium eorum incipit detegi, quia concursatio, & contentio non obscura. idest manifestata Libonis, & Hypsei, & studium: idest diligens solicitatio omnium familiarium Pomp. adduxerunt rem in opinionem, ut Pomp. uideatur cupere: scilicet reducere regem. Cui scilicet Pompeio. qui nolunt idest non bene uolunt, nec fauent, aut, qui nolunt reductionem decerni: iidem non sunt amici tibi. Quod idest ornasti idest honore affecisti, & sublimasti eum scilicet Pomp. Nos habemus in causa idest in hac controuersia: eo idest propterea: autoritatem idest uim persuadendi, aut perorãdi, minorem: quod debemus idest obnoxii, & deuincti sumus tibi, scilicet quia per te in urbem restituti. Sententiose hoc dictum, nam facilius creditur alienis, quam necessariis, aut debitoribus aliquem commendantibus. illi enim quod expedit. hi, quod optant, suadere uidentur. Autem, pro sed: suspicio idest latens opinio hominum: extinguit idest deprimit, & adnihilat: gratiam nostrã idest qua apud eos alioqui ualeremus. est enim gratia potestas ea, qua quippiam ualemus, eo quod grati, & accepti sumus. quod idest quia homines sup. putant se gratificari idest rem gratam facere Pomp. s. decernendo illi reductionem, & ita maior gratia Pomp. extinguit minorẽ Ci. Nos itaq; uersamur ut sup. uersabamur multo ante quã profectus es. s. in prouinciã: in rebus. i. causis exulceratis: corruptis, clã idest dissimulanter: ab ipso rege idest Ptolemæo: qui summis uiribus annixus est a Pomp. reduci: & ab intimis ac domesticis Pompeii, deinde sup. in rebus exagitatis idest electis uiolenter & ignominiose: palam a consularibus sup. uiris. & adductis in summam inuidiam idest odium, aut æmulationem: hoc est sicut ante profectionem tuam prius occulte: deinde palam plurimi erant in hac causa corrupti, ita adhuc sunt. Omnes tui scilicet amici præsentes idest qui in urbe sunt: cognoscent fidem nostram, & amorem sup. nostrũ tui absentis idest quem habemus in te absentem. Alii leguot præsentisq;, ut sit, omnes tui cognoscent fidem nostram & amorem supple nostrum: ut tui absentis idest qui nunc abes: & præsentis: quando aderis. Si fides idest fidelitas esset in iis, quibus summa fides debebat esse: ut pote in Pomp. de quo optime meritus es: non laboraremus idest sine labore te uoti compotem faceremus. Vale Particula uulgata: quam in huius epistolæ fine omnes textus habent.

PHIL MEI.

REx Aegypti erat pulsus regno a sorore: hunc uolebant per se restitui Lentulus, & Pompeius: sed er[illegible], qui impediebat utrunq;, ita ut tandem Rabiri[illegible] uerit, ex qua re causa Rabirii orta est. Fuit autem oraculu[illegible], futuram [illegible] mutationem, quando ingrederentur [illegible]omani in Aegyptũ, [illegible]tur quando occupauit Aegyptum, absterritus isto oracu[illegible] ut Aegyptum in prouinciam redigere. Cicero autem nun[illegible] Lẽtulo absenti, quid de causa illius in senatu actum sit. {Ego om[illegible] offi.} Exordiũ ab extenuatione sui officii, seu relatæ gratiæ. {Religionis calumniam} idest calumniosam interpretationem oraculi. {Infamiam fugiat} scilicet, ne uideatur corruptus pecunia. {Cedit religioni} Hoc est: Nostra sententia est, quod tu Lentule debes eum reducere sine exercitu. {Et Afranium} Afranius fuit unus ex ducibus Pompeii. {Quod eum ornasti} scilicet procuratione rei frumentariæ.

IOAN. BAPTI. EGNA.

LEntulo primum Cicero hac epistola quantum debeat, tũ quid de regis re, uel ab eius actum legatis, uel a ciuitatis principibus, & præsertim a Pompeio tentatum, Senatusq; totius deinde sententiam, suumq; hac in re studium, & curam, uel dehortandi Pompeii, uel aliorũ excitandi, postremo Senatorum diuersas sententias, simulq; maleuolorum quorundam in eum animum, & imminutam suam gratiam, quod illi plurimum deberet, quodq; complures gratificari se Pompeio putarent, explicat. Nulla tamen in re, quod & absens ipse, & præsentes eius amici cognoscere poterũt, de

futurum

futurum sese pollicetur {Lentulo Procons} Is est Lentulus, cui cõ
sulatum cum Metello Nepote gerenti, similis illi admodum hi-
strio Secundanus Spinther nomine, Spintheris cognomẽtũ dedit:
ut Metello Terentianus ille Pamphilus, Pamphili: quiq; ædilis,
Apollinaribus ludis primus carbasinis uelis theatrum totum indu-
xisse dicitur. Plyn. & Fab. vj. autores, & Vale. ix. Illud obiter adno-
tarim, Spintheri nomẽ ueteribus Græciæ comicis peculiare fuisse,
de homine scilicet barbaro & Phryge. Quin & tragœdiæ autor
hoc nomine celebris ab Heraclea, cuius fabulæ duæ, Combustus
Hercules, & afflata fulmine Semele, legebantur. Is igitur Lentulus,
& in prætura, ne Cicero in exilium pelleretur, summo studio con-
tenderat: ut Cice in episto. ad Q. fratrem & non multo post in Con
sulatu, ut de exilio restitueretur, enixissime curarat. Quare Cicero
illum in orationibus parentem, & salutis suæ deum non ueretur di-
cere, qui post consulatum proconsul in Ciliciam profectus, restitu
tionem hanc regiam sibi potissimum demandari optabat. cuius cau
sa Cice. solicitus erat admodum, quod omnibus ferme huiusce libri
testatur epistolis. Belli ciuilis inter Cæsarem & Pompeium gesti ini
tio, secutus Pompeianas partes, dum Asculo præest decem cohorti
bus, aduentu Cæsaris deterritus, inde profugit. mox Corphinii cum
Domitio inclusis, beneficio Cæsaris impetrata non sibi solum, sed
aliis quoq; Romanis ciuibus uenia, uixit: qua tamen sic abusus est,
ut in acie quoq; Pharsalica contra Cæsarem steterit Hirtius. Et quo
niam hunc Cicero proconsulem appellat, illud primo dixerim, non
paruum esse eorum lapsum, qui rectum huiusce nominis casum, &
huic similium uitiant. siquidem hæc omnia, proconsule, proprætore,
proquæstore, recto casu dicenda sunt: quod ex Sallustii lectione
ubi corrupti non sint codices, aduertas. Sed D. August. in libello,
quem de Grammatica scripsit, citabitur autoritas in hæc uerba. sic
enim ibi: Ab e litera uocali nullum Latinum, nisi iuncta præposi-
tione, masculinum inuenitur: ut proconsule, proprætore. Ergo iun-
cta præpositione fiunt Latina, ut dixi, proprætore, proquæstore. aã
ueteres nominatiuo casu proconsul dicebant, attendentes nullum
nomen apud Latinos uirilis generis in e exire. Hæc August. Procon
sules autem primum Albo & Sp. Fusio Coss. creari cœpti, cum infe
liciter re gesta in Aequis, dum alter Coss. Romæ delectum habet,
Quintum primum proconsulem suppetias laturum collegæ decer
nit. Inde uero hoc nomen ductum, quia uice consulum sese gererent.
Et sane insignia proconsulib. prope eadem, quæ & consulib. præter
quam quod sex tantum lictoribus uti concessum iis est. Is si proin
ciæ pacatæ præsit, quid agat, quod sit eius officium: late apud Iu-
risconsul. primo de eius officio legas Illud quod ad exenia atti-
net, scitu non indignum, Antonini, & Seueri Imperatorum cauen-
tium, & ne omnino, & ne semper, neue ab omnibus accipiant. Mit-
tebantur uero proconsules priscis temporibus qui rebus militarib.
præessent. qualis Scipio Maior in Hispaniam, & Marcellus in Sici
liam. quibus quoniam sine magistratu esse uiderentur, & q procon-
sule nemo ad eam diem triumpharet, & q amissa tantum recupera-
rant, negari triumphum placuit, cũ alioqui maximas res gessissent:
Plut. in Scipione, & Maximus secundo. Qui uero prouinciis præ-
erant, quales erant Hispaniæ, Asia, Sicilia, hi omnes post gestum
consulatum, sorte deligebantur, adeo ut Cicero multo post gestum
consulatum in Ciliciam proconsule ierit. Fuitq; sequentibus tem-
poribus hæc dignitas omnium maxima, adeo ut Imperatores quo-
que ipsi nec aliis maiorem dare possent, & sibi quemadmodũ Tri-
bunitiam potestatem, sic proconsulare imperium, & ius quintæ re-
lationis arrogarent. {Per eosdem creditores.} Hosce Rabitiũ Post-
humum, & reliquos eius socios intelligi uult, qui regi & priusquã
regno pelleretur, ut regnum stabiliret, & post expulso, ne datæ de
perirent pecuniæ: magnam pecuniæ uim crediderant, qua magna
Senatus pars corrupta languebat. Cicero pro Posthumo: Pulsus in-
terea e regno Ptolemæus dolosis consiliis, ut dixit Sibylla, id post-
quam sensit Posthumus, Romam uenit: huic egenti & roganti, hic
infelix pecuniam credidit. nec tum primum, nam roganti credide-
rat absens: quæq; sequuntur alia. quem Posthumum a Memmio ac
cersitum, Cicero luculenta defendit oratione, docens nec culpam
corrupti Senatus Posthumianam esse: nec quod ille necessitate cõ
pulsus dioecetes fuerat regis palliatus, dandum homini uitio. quod
ex Cicer. epistola quoq; ad Q. fratrem manifeste colligitur. {Ca-
lumniam} Græci hanc διαβολὴν dicunt. Iurisconsultus de uerborũ
significatu. {Marcellinum} Hunc puto C. Lentulum Marcellinũ
fuisse consularem, qui Pompeium in concionibus sæpe lacerarit:
quiq; cum in concione de Pompeii potentia grauiter conquerere-
tur, assensusq; illi clara uoce esset populus, Acclamate, inquit, Qui
rites, acclamate dum licet: iam enim uobis hoc facere impune non
licebit. hæc Maximus. sed Plutarchus in Pompeio, tanquam infen
sissimi meminit. Illud Asconius adnotat, Marcellos Marcelli-
nosq; inter se gentiles fuisse. {Hortensii, & Luculli.} Is est Hor-
tensius, qui multum eloquentia, sed tamen infra Ciceronem ua-
luit: adeo ut unũ & uiginti natus annum, L. Crasso & Scæuola Cos.
prima sua forensi causa, cum ipsorum Coss. iudicio, tum eorum, qui
interfuere, omnium probatus discesserit. uir & ipse consularis, qui
sub initia belli ciuilis inter Cæsarem & Pompeium gesti, dum

Cicero e Cilicia reuerteretur, obiit. quod ipse Cicero in princi-
pio de claris oratoribus docet, & in calce sic addidit: Sic Q. Hor-
tensii uox extincta est fato suo, nostra publico. Et paulo post: Nos
autem Brute, quoniam post Hortensii clarissimi oratoris uocem or
bæ eloquentiæ quasi tutores relicti sumus, domi teneamus eam se-
ptam liberali custodia. Sed Cœlius ad Cicer. Hortensius, cum hæc
scriberem, agebat animam Huic probro data est nimia mollities &
in toto uestitu supra quam credas, anxia quædam elegantia: ut col
legæ diem dixerit, quod in angustiorem locum obuiam sibi factus,
togæ structuram fortuito deturbasset occursu. adeo capitale in col
lega crimen duxit qua de re Torquatus illum, & gesticulatricem,
& Dionysiæ notissimæ saltatricis nomine non potuit non appel-
lare. Sed quantum Lucullus eloquentia inferior, tanto rei milita-
ris sciẽtia & rerum gestarum magnitudine clarior, ut qui bello Mi
thridatico prius Syllæ auspiciis, mox suis, clarissimas res gesserit,
quiq; longe omnium clarissimam de Tigrane & Mithridate uicto
riam exiguis admodum copiis contra infinitas reportarit. In qua
pugna, ut autor Plutarchus est, cum magna pars militum obseruã-
dum diem illum diceret, qui pridie nonas Octobris esset, tanquam
nefastum, quippe quo Cymbri Romanas delessent Cæpione duce
copias: Confidite, inquit, ego illum uobis e nefasto felicissimum
reddam. Tandem cum illum contentionum ciuilium pœnituisset,
otio se emancipauit, nunc literis, nunc uoluptatibus aliis honestis
uacans, ut & in illis plurimum profecerit, & ex hisce Xerxis togati
cognomentum sibi pepererit. Illud non possum non mirari, eminen-
tissimos autores, Latinum unum, Græcum alterum, Ciceronẽ dico,
& Plutarchum (quem haud satis dignoscas, fuerit ne grauior an
doctior) inter se dissidentes: cum Cicero in eo libro cui titulus est,
Lucullus (quem alii secundum Academicarum quæst.) faciat ru-
dem prorsus militaris disciplinæ Lucullum, sed ingenii incredibili
quadam magnitudine, & diuina rerum memoria, nunc peritiores
disciplinæ militaris percontando, nunc res a maioribus gestas le-
gendo effecerit, ut quæ laus Imperatoria omnium prope opinione
in illo desiderabatur, eam cumulatissimam & absolutissimam ma-
ximis rebus felicissime a se gestis præstiterit. Plutarchus contra cla
rum illum & peritum admodum sub Sylla scribit. bello Marsico,
& paulopost contra Archelaum Mithridatemq; strenuam nauasse
operam {Qui cum imperio sunt.} Differt sane plurimum, cum im-
perio esse, & cum potestate. ille enim cum Imperio ad urbem esse
dicebatur, cui nominatim a populo demandabatur Imperium: cum
potestate, qui a populo alicui præficeretur negotio. {Bibulus} Is
est Marcus Bibulus, qui C. Cæsari in consulatu datus collega,
nulla pene in re se cõsulẽ gessit, adeo ut illũ Cæsar obnuntiantẽ
foro repulerit unde carmina in illũ statim edita, Suetonius autor;

Non Bibulo quicquam nuper, sed Cæsare gestum est,
Nam Bibulo fieri consule nil memini.

Huic proconsuli Syriam administranti, Cleopatra milites Gabinia
nos, a quibus constabat liberos suos duos indolis egregiæ necatos
uinctos misit, ut grauissimæ cladis ultionem arbitrio suo exigeret.
Sed ea moderatione animi fuit, ut quo maius offerri beneficium al-
teri non potuisset, ultro contempserit: non suam esse uindictæ po-
testatem, sed senatus dictitans. Secuto paulopost ciuili bello, Pom-
peianas, quas semper secutus partes fuerat, fouens, uniuersæ classi
præficitur. In hac præfectura dum nimis solerter nimisq; pertina-
citer se gerit, seu in patriam amore, seu in Cæsarem odio, in ualetu-
dinem incidens, Corcyræ paulopost naturæ concessit. Hic compla
ra & accurate scriptitauit, quãuis orator non esset, & egit multa cõ
stanter: relicto post se tertio filio ex Catonis Portia suscepto, qui
de rebus gestis a Bruto libellum non inelegantem scripserit, Tran-
quil. Cicc. Maxi. Plyn. {Præter Seruilium.} Intellige Isauricum, ab
Isauris debellatis Ciliciæ populis dictum. quique Coryco, Olym-
po, Phaselide, oppidis expugnatis, triumphum ex iis duxerit. Ouid.
Africa uictorem de se uocat, alter Isaurum. Illud est, quod Valerius
memoriæ prodidit animaduersione dignum, quod testimonio suo
reum afflixerit, qui cum illi in Laurentina uia occurrisset, loco ad
modum angusto, descendere de equo noluerit. Hic postea uita fun-
ctus, publico funere Romæ elatus est. autor Eusebius. Fuit uero al-
ter Pompeius Isauricus collega Cæsaris in consulatu initio belli ci-
uilis creatus: autor Appianus. {Volcatium, & Afranium} Familia-
res hi Pompeii. uerum Afranius historiarum monumentis notior,
& familiaritate Pompeii clarior. Hic consul cum Metello fuit, quẽ
in epistolis ad Atticum Auli sæpe filium nuncupet. Pompeianos
præterea exercitus ductauit in Hispania, & cum Pompeio uariis
bellis militauit: postea dimissus a Cæsare liberaliter, cum iterum
bellorum tumultibus se inseruisset, ac profligato in acie Pharsalica
Pompeio, in Africam ad Iubam se contulisset, captus a Cæsare, ob
perfidiã occiditur. {Inclinata res.} Translatio sumpta a parietibus.
{Libonis, & Hypsei.} Familiares hi Põpeio, sed Hypseus cõsularis,
quiq; in cõsulatus petitione Milonis cõpetitor fuerit Huic Põpe-
ius genibus affixo, supplicãtiq;, ut se ab imminentis iudicii pericu-
lo eriperet: Facesse hinc, inquit, nec cœnæ mihi tempus eximas.
Nostram fidẽ.} Corrigenda in hunc modum uerba, Nostram fidem
omnes, & amorem tui absentis, præsentes tui cognoscent.

DOCTISSIMORVM ALIQVOT VIrorum annotationes, in M. T. Ciceronis Epistolarum, quas familiares uocant, Librum Primum.

PETRVS VICTORIVS.

EXPONENDA Primum a nobis causa est, cur titulum XVI. priorum librorum mutauerimus, qui uulgo ab omnibus Familiarium Epistolarum appellabantur: ne forte aliquis nos id temere fecisse suspicetur, ob idque malit usitatum, & receptum iam errorem sequi, quam uerum & legitimum nomen harum epistolarum comprobare. Nam cum nihil sit in his libris immutatum, cuius non possimus, si non ueram, probabilem tamen aliquam caosam reddere: uidemur quoque nobis huius rei argumenta & rationes non contemnendas posse adducere, quæ falso nomine has diu appellatas esse ostendant, & consilium nostrum non reprehendi sinant, qui id induxerimus: non autem id nouandi cupiditate capti fecimus, sed potius syncerae, & incorruptæ uetustatis desiderio moti, quam cotidie magis a nouis quibusdam inquinari, & ludibrio haberi, pati non possumus. Existimo autem hos, ut hæc uolumina ab aliis Ciceronis, & maxime ab his, quæ ad Atticum scripta sunt, distinguerent, nomen illud excogitasse: quod quam sapienter fecerint, alii maioris autoritatis uiri iudicabunt. Scimus sane quoddam epistolarum genus familiare recte appellari & dici, cuius etiam generis nonnullæ hoc uolumine epistolæ continentur: non tamen ob id omnes ita appellandæ, cum plurimæ sint de grauibus & magnis rebus summo artificio scriptæ. Quod si ullis epistolarum uoluminibus hic titulus conueniret, uerius hoc nomine appellari possent illæ, quæ ad Atticum familiariter scriptæ sunt: quæ licet & ipsæ sæpe de publicis rebus agant, remissiore tamen & solutiore genere dicendi utuntur, & minore arte & studio scriptæ sunt, quomodo familiares inter se homines scribere consueuerunt. Hoc autem ab aliis disertis & elegantibus uiris animaduersum esse (quibus merito semper hoc nomen suspectum fuit) compertum habemus. Mouit autem nos maxime ut id repudiaremus, quod in nullis manu scriptis paulo antiquioribus codicibus illud inuenimus, ut omnino nouum esse & nuper ortum confiteri necesse sit. Nam in egregiæ & probatæ uetustatis exemplari, quod merito semper summæ autoritatis apud nos fuit, nullum est huius uocis uestigium. Animaduertimus etiam, quod rem penitus confirmare uidetur, a nullo unquam ueterum autorum, & non ignobilium Grammaticorum, qui crebro testimonium harum epistolarum adducunt, illas familiares appellari, sed eo quem nos restituimus titulo & nomine, hi sunt A. Gellius, Nonius Marcellus, Priscianus, qui non has solum, uerum etiam multos alios libros epistolarum a M. Tullio scriptarum citant, qui ab eo semper ad quem missæ sunt, cognomen accipiunt. Hoc autem tam notum unicuique esse potest, & tam facile ab illis, qui non obseruarint, potest perspici, ut exemplis adducendis, id comprobari necesse esse non putem. Vnum tamen notandum fuit, cum liber ab eo ad quem primæ epistolæ scriptæ sint, appelletur, contineatque fere semper ad alios etiam missas literas quomodo illæ posteriores citandæ sint: quod etiam ab illis diligenter obseruatum est. quod maxime eo loco declaratur, qui a Nonio Marcello adducitur e libro, qui ante nonus appellabatur, Sed cura ut ualeas, ne ego te iacente bona tua comedam. sic enim inquit Nonius, Cicero ad Varronem epistola Pæti: sunt enim hæc uerba in epistola Pæti idest quæ ad Pætum missa est. Epistolæ autem ad Pætum missæ continentur in uolumine ad Varronem sic appellato, quia primæ eius libri epistolæ ad M. Varronem scriptæ sunt: ut hoc præcipue loco, & multis etiam aliis (quæ nunc, ne longiores nulla necessitate simus, omittemus) scrupulum hunc quem admodum ueteres uitare soliti essent, appareat, & legitimum hunc esse titulum horum librorum amplius dubitari non debeat, cum ab optimis autoribus ita citentur. nec debent nomine in quo omnes comprehenduntur, sublato, numero notari librorum: tunc enim necessarii sunt, cum ad eundem plures libri mittuntur, ut in multis ex his, qui uetustate amissi sunt, accidit. nam non pauci fuere ad quos multa epistolarum uolumina scripserit, ut ad Cn. Pompeium, Cæsarem Dictatorem, Cæsarem Iuniorem: siquidem ex lib. IX. epistolarum ad A. Hirtium a Nonio Marcello Ciceronis testimonium adducitur, & ex his qui restant III. ad Q. fratrem XVI. ad T. Pomponium Atticum. in hoc etiam fidem priscorum codicum nobiscum habemus. Iis igitur ego & rationibus, & autoritatibus motus, inueteratum & receptum iam errorem tollere non dubitaui. {Quod cōmode facere possis:} Sic olim in prima ad Lentulum epistola locus hic legebatur: emendarunt postea nonnulli, (Commodo Reipu.) non omnino inepte, aut longe a uetere lectione, nec tamen penitus cum ea concordantes: partem enim uetustæ lectionis receperunt, partem reprobarunt. siquidem, (Quod commodo rem facere possis,) uetustiores habent. Quod si (commodo) apte & opportune significaret, nos hanc ualde probaremus, ut diceret, ideo quosdam ipsi Lentulo decernere ut regem deduceret, quod id ille maxime propter loci uicinitatem & opportunitatem commode & apte facere posset. nam Lentulus in iis locis erat, ut ipsi prope in conspectu Aegyptus esset. Arbitramur enim in hac re spectasse potius quosdam, ut id negocium alicui committeretur qui id commode conficere posset, quam ullum Reipub. commodum, aut utilitatem. Non tamen negauerimus, posse etiam locum esse restitutæ ab aliis lectioni, quamuis ueterem magis ueram existimemus, si modo paruo illo mendo purgetur. nam (commode) potius, quam (commodo scribendum esse puto.) Paulo etiā post initium huius epistolæ, (Qui) pro (quoniam) scriptum est in cunctis ueteribus exemplaribus, quod a nobis præteritum (quamuis tenuis animaduersio sit) hic tamen adnotare uisum est. Qui tritas habent aures notandis huius autoris uerbis, diiudicare poterunt utra syncerior sit, & magis huius loci propria lectio.

EX POSTER. EIVSDEM.

QVod commodo Reipub.} Accurate olim, si non docte, de hoc loco disseruimus, ueterem scripturam notam fecimus, quomodo ab aliis restitutus esset, ostendimus, quid nostræ sententiæ foret, libere pronunciauimus, & in omni re cum fide nos gessimus. Quod ueterum codicum autoritati ualde tribuimus, iuste reprehendi non possumus, si nimis illis credentes, quandoque decipimur: malumus in hanc partem peccare, quam contra illorum fidem de aliqua re pro arbitrio nostro statuentes in culpam incidere. De uerborum integritate quæstio esse potuit: De sententia, (Si commodo Reipub.) legi debet (quod facile credimus, & tunc etiam secuti sumus) nihil ambigi potest. Sunt tamen docti uiri, qui ueriorem alteram esse putent, quod & sententia illius magis delectentur, & quum studiose plurimos inspexerint, nullum manu scriptum codicem habere (Reip.) inuenerint.

BERN. RVTIL.

MArcellum quidem tibi esse iratum scis.} Marcellinum quidem, manuscripti quidam habent codices, itaque & interpres legit: quem tamen sunt, qui arguant, Marcellum omnino ex Plutarcho asserentes, quod is fuerit Pompeio infensior. Id alii Valerij Maximi, ubi de libere dictis ac factis agit, testimonio confirmant. Cn. eiusdem Lentuli Marcellini meminit in Diuinatione Cicero. Sequenti uero epistola Lentulum alterum ab hoc, ad quem scribit, Spinthere, consulem fuisse hoc tempore ostendit. Propterea quod dies, inquit, magna ex parte consumptus est altercatione Lentuli Consulis, & Caninii Tribuni plebis. In quo lapsus est bellissime interpres, nisi ego fallor, qui putet Lentulum Caninii aduersarium Spintherem fuisse: cum Spinther dictus sit is, ad quem scribit has epistolas Cicero, ut de Consule hic quoque intelligi forte possit. nam & hoc libro ad eundem hunc scribens Cicero de his rebus, quas post restitutionem ab exilio in Rep. gessisset: Quin etiam Marcellino, inquit, & Philippo Consulibus Nonis Aprilibus mihi est senatus assensus, ut de agro Campano frequenti senatu Idib. Maiis referretur. Alioqui Plutar. quoque scribens a Marcellino interrogatos Pompeium Crassumque, num consulatum essent in proximum annum petituri, ostendere uidetur consulem eo tempore fuisse. Hinc illud est, quod ait Cicero: Quod instituit referre de religione, & sæpe iam retulit, ab eo deduci non potest sequentique epistola: Multi rogabantur, atque idipsum Consulibus inuitis, nam hi Bibuli sententiam ualere cupierunt. Idem Plutarchus in Catonis uita, Lentulum, Philippumque circa hæc tempora in consulatu collegas nominat. Sane non putarim, ut illi nugantur, Marcellinum iratum fuisse Lentulo ea causa, quod Pompeium ornasset, cuius Pompeii Marcellinus nondum erat inimicus, responsi certe illius Pompeiani nomine, quo se petiturum consulatum, si uideretur, interroganti Marcellino dixerat, ut ex Plutarchi uerbis uidetur colligi: nec cum est ab eo ornatus Pompeius, nec cum hæc scriberentur, Idibus. s. Ian. (Cæsarem enim in Cisalpinam Galliam hybernatum uenisse constat) eo profectos Crassum Pompeiumque, cum reuersi essent, suspectos ob colloquium cum Cæsare arctius de coniuratione in Remp. interrogatos a Marcellino. ut post hæc scripta factum esse omnino oporteat, itemque, si ex ea tantum intercedebat causa, post scriptam hanc epistolam inter Pompeium Marcellinumque ortam. Aut igitur & ante id responsum erant inimici Pompeius Marcellinusque, aut aliunde iratus Lentulo Marcellinus. Ac, ut libere dicam quod sentio, Tibi, corruptum aliquando sum ratus, Regique potius scribendum: quod sequentia confirmare uidentur. Adeo his nō assentimur, qui errorem errore tollant. In medium tamen omnia cōsulimus, non decernimus. Idem Cicero in oratione pro C. Rabirio Posthumo, multa & ad Sibyllina carmina & totum hoc negocium spectantia scribit. {Cui qui nolunt, iidem tibi quod eum ornasti, non sunt amici.} Iidem longe aliam, quam expositoris istius, sententiam horum uerborum afferunt, quam magis est, ut non improbemus. {Crassus treis legatos decernit, nec excludit Pompeium.} Non ita hæc accipio, quasi de Pompeio nominatim referret, ut male credidit interpres: sed uniuersam sententiam ita laxam proposuisse, ut etiam Pompeio in ea locus esse posset, quod in Bibuli nō erat, qui a priuatis tantum censebat deduci regem oportere. {Hortensii, & mea, & Luculli sentētia cedit religioni de exercitu.} Vereor, ne M.

potius

potius, Lucullum, quam L. intelligat: illum qui cum Mithridate bellum acerrimum gessit, Marci istius fratrem, quod scilicet mortuus fuerit his temporibus Lucius. Cicero in oratione de Prouincijs Cons. quæ haud ita multo post habita sit, quam hæc scripta epistola. Multa prætereo, inquit, quod intueor coram hæc lumina atque ornamenta Reipu. P. Seruilium & M. Lucullum. utinam etiam L. Lucullus ille uiueret, De L. & M. Lucullis, abunde multa Plutar. {Sed ex illo senatusconsulto, quod te referente factum est, tibi decernitur, ut regem deducas.} Frustra uulgata in alijs lectio decernit mutata est. hoc enim dicit, Hortensij, & mea, & Luculli sententia tibi decernit. In quo etiam interpres errasse uidetur. Senatusconsulti huius meminit pluribus locis in sequentibus epistolis. Erat id decretum antequam mentio Sibyllini carminis exoriretur: qua interposita, sopitum quodammodo iacuit. Cicero in Pisonem de Gabinio inquit: Ille, si non acerrime fureret, auderet, quam prouinciá P. Lentulus amicissimus huic ordini quum & autoritate senatus & sorte haberet, interposita religione sine ulla dubitatione deposuisset, eam sibi tum asciscere, quum etiam si religio non impediret, mos maiorum tamen, & exempla, & grauissimæ legum pœnæ uetarent. Quidam frustra de eo uerbo ad Marcellinum referendo delirarant.

EX POSTERIORIBVS EIVSDEM.

Marcellinum tibi esse iratum scis.} Confirmat nostram sententiam ipse ad Atticum lib. iiij. Adhibentur, inquit, omnes Pontifices, qui erant senatores, a quibus Marcellinus, qui erat cupidissimus mei, sententiam primus rogatus. quasi iam tu esset designatus Marcellinus. Et lib. v. At ille profert S. C. Lentulo Philippoque Coss. Et ad Q. fratrem: Marcellinum quidem primum rogauit.

SEBASTIANI CORRADI.

Pietate.} Pietas erga deos, & parentes proprie dicitur: Lentulum uero Cicero sæpe deum, & parentem uocat. {Meritorum} restitutionis. {Quoniam.} Modo qui, modo quum in ueteribus libris legimus. {Regis.} Ptolemæi Auletæ, de quo Strabo lib. xvij & Dion lib. xxxix. plura scribunt. {Creditores.} C. Rabirium Posthumium, & eius amicos. {Religionis.} statuæ Iouis, & Sibyllini carminis. lege Dionem. {Calumniam.} interpretationẽ quandam per sacerdotes, autore C. Catone dolose factam. {Largitionis} qua Ptolemæus rex senatores multos Romæ, & quosdam ex centum oratoribus Aegyptiis corruperat. {Comprobat} facto S C. cum multitudine Regem reduci Reipublicæ periculosum uideri. {Infamiam} In quam incurrat necesse est, si Ptolemæum, qui legatos non modo Aegyptios, sed aliarum etiam gentium interficiendos curauit, quique largitiones tantas fecerit, hospitio acceptum ita, uti facit, defendat: si eius restitutionem dolose & ambitiose tibi, qui illum ornasti, eripiat. {Reliquit} Aliter relinquit. {Officiorum.} P. enim Lentulus, & Quin. Metellus Nepos Coss. legem conscripserunt, qua Pompeio per quinquennium omnis potestas rei frumentariæ toto orbe terrarum data est. {Marcellinum.} Is est Cn. Lentulus Marcellinus, qui cum L. Martio Philippo Consul. P. Lentulo & Quin. Metello Nepoti successit. {Tibi esse iratum scis.} Si, regi esse iratum scis, legas, ut quidam nolunt, non erit quærendum, an qui una in re sit alicui iratus, induci possit, ut in cæteris se eiusdem defensorem fore ostendat. Erat præterea Consulis, illi Regi irasci maxime, quem propter homicidia & largitiones optimi quique odissent. Vel tibi iratum, quoniam Pompeium, qui cum ille inimicitias gerit, ornasti. {L. Luculli.} M. Luculli. nam L. Lucullus his tẽporibus, autore Plutarcho in Pompeii uita, se a negocijs publicis remouerat, ad otiumque perfugerat: uel, ut quidam scribunt, mortem obierat. {Illo S.C.} quod factum est in Ciceronis sententiam, ut Pompeius annonæ procurationem susciperet, & P. Lentulus, cui prouincia Cilicia obuenerat, Regem reduceret. {Reducas.} Al deducas. {Quod commode rem facere possis.} Alibi leges, quia tu rẽ commodo R. P. facere possis. Alibi, quod commodo R. P. facere possis. Alibi etiam, quod commodo rem facere possis, ignoro. {Possis.} Quippe cui propeta conspectu sit Aegyptus. {Autorem.} Senatusconsulti. {Retineat.} Quem semel decreuit. {Qui cum imperio sunt.} Atqui Pompeius cum imperio rei frumentariæ erat. {Seruilium.} P Seruilium Vaciam Isauricum, qui cum App. Claudio Pulchro Coss. fuit. {Volcatium.} L. Volcatium Tullium, qui cum M. Aemylio Lepido Coss. fuit. {Lupo.} P. Rutilio Lupo. {Afranium.} L. Afranium, qui cum Qu. Cæcilio Metello Celere Coss fuit. {Libonis,} L. Scribonii Libonis, cuius filiam Sex Pompeius Pompeii Magni F. uxorem habebat. {Hipsei} P. Plautii Hipsei, qui Pompei Magni quæstor, & postea Milonis competitor fuit. {Ornasti.} frumentariæ rei lege præfecisti. {Suspicio.} Pompeium seducendi Regis desiderio teneri. {Debebat.} Pompeium, & eius familiares uidetur Cicero mordere.

DOCTI CVIVSDAM.

Ego omni officio.} Elegans exordium ab officio, quo sua officia & quandam ueluti infinnitatem Lentulo homini amico commendat. Simile est exordium pro Archia poeta: Siquid est in me ingenii iudices, &c. {Senatus religionis.} Variam senatus sententiam tulit de Aegypti rege reducendo & Sibyllino carmine, quod Catone autore recitatum est, cauebatur, ne cum exercitu Aegypti rex reduceretur. Carmen hoc Georgius Valla ad istum modum refert: si Aegypti rex auxilio quodam indigens uenerit, eius amicitiá ne abnueritis, sed illum quidem cum multitudine ne iuueritis: quod si aliter factum fuerit, labores & pericula habebitis. Significat autem Cicero, ex senatu quosdam decreuisse, ut Lentulus Aegypti regem citra exercitum reduceret, idque non magis metu religionis, quam nefas erat negligere, quam ut Lentuli reluctarentur uoluntati. {Sed plane.} Elegans locutio, qua dicit in rogando Pompeio adhortandoque nihil sibi fecisse reliqui: hoc est, illum sedulo facturum omnia, nec opus habere admonitionibus. Terent. in Andria: Nihil est preci loci relictum, &c. {Egit causam tuam.} Causam agere docto sermone dicimus, fortunas & honores alicuius defendere, quod Terentius dixit, Ille ad defendendam causam adest. {Marcellinum tibi.} Marcellum alii legunt. Hic fuit e s xv. uiris & sacerdotibus unus, quibus Cato libros Sibyllinos inspiciendos dedit: non alio nomine Lentulo offensus, quam quod iis uideretur religionem illam, hoc est, uaticinia eleuare.

PAVLVS MANVTIVS.

Quod commodo Reipub. facere possis.} Olim ita castigauimus, cum aliter in omnibus impressis legeretur, sunt autem uerba, quibus ueteres utebantur, ut id, quod faciendum decernerent, ita demum fieri uelle ostenderent, si modo Reipub commodo fieri posset. Cæsar libro I. Comment. pagina XII. Quoniam M. Messala, M. Pisone Coss. senatus censuit, uti quicunque Galliam prouinciam obtineret, quod commodo Reipub facere posset, Heduos cæterosque amicos populi Romani defenderet, se Heduorum iniurias non neglecturum. & lib. V. pagina lx. scribit Labieno, si Reipub. commodo facere posset, cum legione ad fines Neruiorum ueniat. item libro VI. pagina xxxvij Labienum, Treboniumque si Reipub. commodo facere possint, ad eam diem reuertantur. Cicero item ad Brutum Epistola V. Decreui hoc amplius, ut tu, si arbitrarere utile fore, & e Repub. esse, persequerere Dolabellam bello: si minus id commodo Reipub. facere posses, in iisdem locis exercitum contineres. Ad Appium autem epistola VII. lib. III. Quod, inquit, tuo commodo fieri possit, utriusque nostrum magni interest, prius ut te conueniam, quam decedas & libro XIII. ccx. simili sententia dixit, quod sine molestia tua facere possis. ad Atticum autem epistola III. libro I. quod commodo tuo facere poteris, uenias ad id tempus. Itemque alibi sæpius, quod tuo commodo fiat, quod sine peccato meo fiat quibus ex locis, ueterem hanc, atque usitatam fuisse locutionem, cognoscere quiuis potest. tot autẽ exemplis, manifesta præsertim in re, non essem usus, nisi fuisse uiderem, qui nostram lectionem parum ueram existimantes, legi mallent, quod commode rem facere possis.

IOHANNES SCOPPA.

Solent mediusfidius non minimam in adulescentulorum animos ambiguitatem aliquando inferere commentarii. Nihil enim pensi habent, quibus maxime scribunt: ut se dum alios carpant, ostentent. Sic namque sibi famam, & decus comparare credunt: hoc nos non alia de causa dicimus: quod alter interpretum in prima Ciceronis epistola ad Lentulum in illo loco, Senatus religionis calumniam, ait: calumniam quidam exponunt falsam interpretationem: quod mihi non placet, sed potius cauillationem id est frustratoriam contentionem. Nam Senatores non uno modo Sibyllina carmina interpretabantur. Alter ait, quia re uera de reducendo rege non loquebantur scripta Sibyllæ, & calumniam pro falsa interpretatione sumit. Hæc quum miselli legunt adulescentuli, obstupescunt. & cuius dictis insistant, prorsus ignorant. Nos uero neutri assentientes, calumniam cauillationem interpretamur. Libri namque Sibyllini præcipiebant: si Aegypti rex auxilio quodam indigens uenerit, eius amicitiam ne abnueritis, sed illum multitudine ne iuueritis: quod si aliter factum fuerit, labores, & pericula habebitis. Quæ Sibyllæ uerba. Cato tribunus plebis populo primus promulgauit. Calumniam ergo, non quod religionis esset aliqua calumnia, sed calumniose: id est cauillose Senatus attestabatur, ut exercitum prohiberet Romanum Aegyptum petere. Senatores enim irati, & odio regem habentes, quum Ptolemæum pecuniam per Ammoniũ regis legatum ex Epheso Romam missum largientem, & multos magistratus, ipsumque Senatum oppugnantem, ut a Pompeio cum exercitu reduceretur, deprehendissent, aiebant: quum non omnes essent oppugnati, libros Sibyllinos præcipere, ne rex reuocaretur, & hæc erat calumnia: idest cauillatio quædam non religionis: idest librorum Sibyllinorum, sed ipsius, ut nequis propter exercitus cupiditatem Alexandriam iret, ut inferius indicat, aperte sic dicens: Inuidis, atque obtrectatoribus nomen inductum fictæ religionis, non tam ut te impedirent, quam ut ne quis propter exercitus cupiditatem Alexandriam uellet ire: & hoc ob Pompeium, qui tunc non Romani exercitus (ut unus interpretum ait) erat Imperator, sed rei frumentariæ totius Italiæ præerat, ut Plutarchus

in uita Pompeii: & hoc Pompeius ipse cõsecutus fuerat Lentuli fauore, ut ex eodem Plutarcho colligitur: & ipse Cicero in hac epistola innuit, dicens, q cum ornasu, quem locum exponunt interpretes, q eum o Lentule laudasti, antequam Roma in Ciliciam profectus esses, non ad hoc, sed ad rei frumentariæ dignitatem (ut diximus) omnino est referendum. Quod libri Sibyllini prohibebant exercitum Romanum Aegyptum petere, Lucanus ad Pompeium, qui non ab hoc Ptolemæo (ut quidam asserunt) sed ab huius filii seruis iussu regis fuit obtruncatus, ut Plutarchus, Cæsar in Commentariis, & Appianus indicant: alludens ait. Noxia ciuili tellus Aegyptia fato, Haud equidem immerito Cumanæ carmine uatis Cautum, ne Nili Pelusia tãgeret ora Hesperius miles, ripasq; æstate tumentes. Cæterum ut iuuenibus nimio studio, & auiditate non parua flagitantibus quot libri fuerunt Sibyllini, & quot Sibyllæ, profiteamus: hic quæ apud multos, uariosq; autores omni nostra adhibita sedulitate legimus, contexemus. Sibyllinos libros non fuisse unius Sibyllæ, sed appellatos uno nomine Sibyllinos: q omnes fœminæ uates Sibyllæ sunt a ueteribus nuncupatæ, uel ab unius Delphidis nomine, uel a consiliis deorum denunciandis, σιὸς enim deos, & non θεὸς, consilium non βουλὴν, sed βουλὰν appellant Aeolico genere sermonis. Itaq; Sibyllam dictam esse quasi σιοῦ βουλὰν: idest dei consilium, seu scientiam: Licet apud Lactantium, sed mendose nimis, θεοῦ βουλὴν legatur. Cæterum Sibyllas decem numero fuisse, ut Hieronymus contra Iouinianũ, constat. Prima fuit de Persis, cuius mẽtionem fecit Nicanor, nominata Sambate hanc Chalcidicam ueteres perhibent, alii Hebræam. Secunda Libyca, cuius meminit Euripides. Tertia Delphica, de qua Chrysippus loquitur. Quarta Cumæa, quam Italicam, eo q in Italiæ solitudinibus uixit, appellant, cuius meminit Neuius de bello Punico, & Piso in Annalibus. Quinta Erithræa Ery filia, quam Apollonius Erythræus affirmat suam fuisse ciuem, eamq; Graiis Ilium petentibus uaticinatam, & perituram esse Troiam, & Homerum mendacia scripturum. Altera quoque fuit ex eadem urbe diuinatrix, quæ Athenais uocata dicitur. Sexta Samia a Samo insula nuncupata, quam Pitho nominatam ferunt, de qua scripsit Eratosthenes in antiquis annalibus Samiorum reperisse se scriptum. Septima Cumana, siue Cumæa nomine Amalthæa, quæ ab aliis Demophile, uel Hierophile ob sacrarum rerum amorem dicitur, licet Erophile in multis legatur authoribus, sed mendose. sunt qui Tarasandram uocant, nonnulli Alianam Lithram: Vergilius autem in vj. Deiphoben Glauci dei marini filiam, Phœbi Triuiæque sacerdotem nominat. hinc Ausonius: Vincas Cumæam tu quoque Deiphoben. & hæc Romanorum fata heroico scripsit carmine. Tibullus in ij. Te duce Romanos nunquam frustrata Sibylla, Abdita quæ senis fata canit pedibus. huius sacellum (ut Solinus) prope Auernum est situm, & sepulchrum in Sicilia in oppido, cui nomen est Lilybæum, seculaq; per metalla diuisit, definiuitq; quis quo seculo imperaret: & Solem ultimum, idest decimum esse uoluit, mosq; omnibus finitis omnia debere renouari: quæ Platonis quoque fuit opinio: quæ nouem libros attulit ad regem Tarquinium Priscum, ac pro eis trecentos Philippeos postulauit, rexq; aspernatus precii magnitudinem, ac mulieris insaniam derisit. illa in conspectu regis tres combussit, ac pro reliquis idem precium postulauit: quæ denuo tribus aliis combustis, quum in eodem precio perseueraret, motum esse regem, ac residuos trecentis aureis emisse. Sed eam mulierem tunc a Tarquinio digressam postea nusquam loci uisam constat. Libri tres in sacrarium conditi Sibyllini appellati, ad eos quasi ad oraculum quindecim uiri adeunt: quum dii immortales publice consulendi sunt: uel ut Cicero in j de diuinatio. quoties Senatus decem uiros ad libros ire iussit. Octaua Hellespontica in agro Troiano nata uico non Marinesso, ut mendose legitur in j. Lactantij cap. vj. sed Marpesso, ut Pausanias in Troade ita uocans Sibyllæ domicilium, uel Mermasso, ut Stephanus iuxta Gergithium, & Polichnen, urbes Troadi finitimas, quã scribit Heraclides Ponticus Solonis, & Cyri fuisse temporibus. Nona Phrygia, quæ uaticinata fuit Anticyræ. Decimam fuisse Tyburtem nomine Albuinæam, quæ Tyburi colitur ut dea. Quæ omnia ex Lactantio in j. cap. vj. Gellio in j. ca. xix. & diuo August. ex libris de ciuitate Dei, & reliquis de Sibyllis scribentibus accepimus. Martianus uero Capella non decem, sed duas fuisse Sibyllas sic in fine secundi scribens ait: Sibylla, uel Erythræa quæq; Cumæa est, uel Phrygia, quas non decem (ut asserunt) sed duas fuisse non nescis: idest Hierophilem: licet in Martiano Erophilam, sed mendose legatur: Troianam Mermessi filiã, & Symmachiam Hippotensis filiam, quæ Erythræ progenita etiam Cumis est uaticinata. Aelianus autem in undecimo Sibyllas quatuor asserit fuisse, Erythræam, Samiam, Aegyptiam, Sardianam. Sunt qui sex item aducunt: inter quas Cumæam, Iudæamq;. Plynius uero, & Solinus tres tantum, & non nouem, ut Gellius, Dionysius in quarto, & Lactantius fuisse libros Sibyllinos tradunt: quorum duobus combustis tertius a Romanis occultabatur. Religio, ut ne quid scitu dignũ relinquatur, est deorũ cultura dicta non a relegendo, tanquam relegerent, & diligenter retractarent omnia, quæ ad cultum deorũ pertinent, ut Cice. de natura deorum lib. ij. circa finem ait, sed a religando, ut Lactantius lib. iiij. cap. xxviij. quia hoc uinculo pietatis obstricti deo, & religati sumus, uel a re. i. effectu, & eligo: ut August. in decimo de ciuitate Dei, uel a relinquendo, ut Massurius iurisconsultus, quia cuncta, quum ad religionem accedimus, omittere debemus. Hoc etiam, ut ne quid amplius in hac Epistola desideretur: omissa interpretum sententia addimus, q ille locus, ex illo Senatus consulto, sic est intelligendus: ut Senatus sit rectus casus, & ordo, Senatus ex illo consulto tibi decernit, ut regem deducas, quod commode facere possis: & commode ad Lentuli commoditatem, quum sit in Aegypto uicinus (licet alter interpretum neget) referendum censemus: quod Cice. Epistola. vij. primi libri Epistolarum his uerbis apertissime demonstrat, quoniam Senatusconsultum nullum extat, quo reductio regis Alexandrini tibi adempta sit ea, quæ de ea re scripta est autoritas, cui scis intercessum esse, ut nequis omnino regem reduceret, tantam uim habet, ut magis iratorum hominum studium, quam constantis Senatus consilium esse uideatur, te posse prospicere, qui Ciliciam, Cyprumq; teneas, quid efficere, quid consequi possis: uel commode idest utiliter, & conuenienter tam populo Romano, quã Ptolemæo si sine exercitu ibis in Aegyptum. sunt qui, quomodo, interrogatiue legunt: & tunc sensus erit. quod scilicet reuocare regem quomodo possis facere? ut idest postquam religio tollat idest tollere uelit exercitum: quasi dicat, q non possis reuocare.

ARGVMENTVM.

Hac epistola recitat quæ acta sint in senatu postridie idus Ianua. & controuersias actorum, & suum officium modeste commemorat, & Lentulum de rebus certiorem se facturum pollicetur.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Nunciatoria & hæc est. Continet autem causas frustra habiti senatus: & quid sperandum deinceps Lentulo sit ex secunda conuocatione ostendit.

M.T.C. PVBLIO LENTVLO S. P. D. 2

*IDibus Ianuariis in senatu nihil est confectum, propterea quod dies magna ex parte consumptus est altercatione * Lentuli consulis, & Caninij Tribuni pleb. eo die nos quoque multa uerba fecimus: maximeq; uisi sumus Senatum commemoratione tuæ erga illum ordinem uoluntatis commouere. Itaque postridie placuit, ut breuiter sententias diceremus: uidebatur enim reconciliata nobis uoluntas senatus esse: quod tum dicendo, tum singulis appellandis, rogandisq; perspexeram. Itaque cum sententia prima Bibuli pronunciata esset, ut tres legati regem reducerent: Secunda Hortensii, ut tu sine exercitu reduceres: Tertia Volcatij, ut Pompeius reduceret: postulatum est, ut Bibuli sententia diuideretur. Quatenus de religione dicebatur (eiq; rei iam obsisti non poterat) Bibulo assensum est. de tribus legatis, frequentes ierunt in alia omnia. Proxima erat Hortensii sententia, cum Lupus Tribunus plebis, quod ipse de Pompeio retulisset, intendere cœpit, ante se oportere discessionem facere, quam Consules. Eius orationi uehementer ab omnibus reclamatum est: erat enim & iniqua, & noua. Consules neque concedebant, neq; ualde repugnabant: diem consumi uolebant: id quod est factum: perspiciebant enim in Hortensii sententiam multis partibus plureis ituros: quanquam aperte Volcatio assentirentur. multi rogabantur, atq; id ipsum consulibus inuitis: nam ii Bibuli sententiam ualere cupierunt. Hac controuersia usq; ad noctem ducta, senatus est dimissus: & ego eo die casu apud Pompeium cœnaui: nactusq; tempus hoc magis idoneum, quam unquam antea, quod post tuum discessum, is dies primus honestissimus nobis fuerat in senatu: ita sum cum illo locutus, ut mihi uiderer animum hominis ab omni alia cogitatione ad tuam dignitatem tuendam traducere. quem ego ipsum cum audio, prorsus eum libero omni suspicione cupiditatis: cum autem eius familiaris*

*alias Lucij.

miliares omnium ordinum uideo, perspicio id, quod iam omnibus est apertum, totam rem istam iampridem a certis hominibus non inuito rege ipso, consiliarijsq; eius, esse corruptam. Hæc scripsi ad XVI. Calendas Februarij ante lucem. Eo die senatus erat futurus. Nos in senatu, quemadmodum spero, dignitatem nostram ut potest in tanta hominum perfidia, & iniquitate, retinebimus. Quod ad popularem rationem attinet, hoc uidemur esse consecuti, ut nequid agi cum populo aut saluis auspicijs, aut saluis legibus, aut denique sine ui possit. De his rebus pridie, quam hæc scripsi senatus autoritas grauissima intercesserat: cui cum Cato, & Caninius intercessissent, tamen est perscripta: eam ad te missam esse arbitror. De cæteris rebus quicquid erit actum, scribam ad te: & ut quàm rectissime agantur, omni mea cura, opera, diligentia, gratia, prouidebo. Vale.

ASCEN. IDibus Ia.} Superiorem epistolam scripserat idibus Ia. mane: hac autem indicat nihil idibus in senatu confectum: recitatq;, quæ postridie acta sint: cum modesta officij sui commendatione: demum pollicetur se Len. de omnibus rebus certiorem facturum. Idus in singulis mensibus dicuntur octo: ego potius credam singulos esse, sed idus. viij. esse diem post nonas. Dictæ enim sunt idus ab iduo idest [illegible]no, & diuido: eo quod is dies fere mensem per medium diuidit: est enim in Ia. xiij. Cætera cum ordine explanabo. Ordo autem est. Nil est confectum idest conclusum, & diffinitum in senatu idest in curia senatoria: idibus Janua. propterea, quod dies est consumptus ea magna parte: altercatione idest contentione Len. consulis: quod dicit ad differentiam Len. ad quem scri. qui erat procon. idest consulari potestate in prouincia fungens, & Caninij Trib. ple. qui aut de hoc aut potius de altero negotio contendebant: nam si eorum contentio ad rem Len. procon. spectasset, Cice. eam expressisset. Nos quoque idest etiam nos fecimus eo die multa uerba. i. multa locuti sumus. Et uisi sumus. s. nobis: commouere. i. afficere beneuolétia in te: senatum, maxime. i. præcipue: commemoratione uoluntatis tuæ. i. eo, quod indicamus optimam uoluntatem tuam: erga illum ordinem. s. senatorium. itaq; placuit, ut diceremus sententias breuiter. i. sine longa disceptatione: postridie. i. die sequente idus: ideo autem placuit. enim pro quia: uoluntas senatus uidebatur esse reconciliata nobis. i. in gratiam redisse, ac iterum fauere nobis: hoc est causæ nostræ: quod. i. quam rem: ego perspexeram. i. deprehenderam clare tum. i. pariter dicendo. i. cum causam tuam dicerem, nam assentiri uidebantur: tum. i. pariter appellandis, & rogandis singulis. i. cum singulos alloquerer, & arrogarem, quid sentirent. Itaque cum sententia Bibuli, ut tres legati reducerent regem. s. Ptolemæum: esset pronunciata prima: & sententia Hortensij. s. ut tu reduceres sup. cũ sine exercitu: esset pronunciata secunda: & sententia Volcatij. s. ut Pomp. reduceret, esset pronunciata tertia, postulatum est. s. a iudicibus, ut sententia Bibuli diuideretur: quatenus, idest, inquantum dicebat de religione: diuideretur inquam in duo membra: quorum unum esset non oportere contra religionem cum exercitu reduci: alterum, ut per tres legatos sine exercitu duceretur. Cui rei, scilicet quatenus dicebat de religione: quia nõ poterat obsisti. i. cõtrastari (est autem impersonaliter dictum:) hoc est, quia nemo audebat cõtradicere, assensum est Bibulo: quia omnes approbauerunt non esse deducendum cum exercitu. De tribus legatis. i. quantum erat quod per tres legatos deducendum censebat: frequentes. i. plurimi iudicum: ierunt. i. eundo sententiam, & uoluntatem suam declarauerũt, in alia omnia. i. in alias sententias potius, quam in Bibuli. Proxima. i. secunda sententia erat Hortensij. s. ut tu sine exercitu reduceres. Cui. s. sententiæ Lupus Tribunus plebis cœpit intendere. s. impedimentum, ne approbaretur, eo quod ipse retulisset. i. in consultationem adduxisset de Pompeio: idest, an ne potius per Pompeiũ aeduci deberet. Intendit autem, idest, obstitit, & impedimentũ iniecit: eo quod diceret, se oportere facere discessionem: idest, adeundo ad cuiusque sententiæ autoritatem uellet eius sententiam approbare: propositis enim sententiis, ne longum esset percunctari, iudices de singulis quid sentirent, iubebantur, autores sententiarum ab alijs discedere: & iudices ad eum, cuius sententiarum approbarent, accedere, & ita eundo ferebant sententiam, antequam Consules. Reclamatum est uehementer ab omnibus: orationi. i. assumpto eius. Enim pro quia, oratio eius erat iniqua: & noua. i. inaudita. Inferendis enim sententijs prior locus erat Consulibus, quam Trib. ple. Consules neq; concedebant, scilicet, assertionem Lupi: neque repugnabant ualde, idest, uehementer, quia ipsi uolebant diem consumi, idest, sine approbatione sententiæ transigi, id quod factum est uolebant autem diem consumi. Enim pro quia: ipsi prospiciebant, idest perspicaciter uidebãt. aut prospiciebant, idest, præuidebant: plures ituros in sententiam Hortensij: sup. a multis partib^us: plures inquam, quam in aliorum sententiam, quanquam ipsi, qui irent in sententiam Hortensij: assentirentur aperte Volcatio: qui Pomp. honorem addixerat. Multi. s. iudicum rogabantur. s. sententiam: atq; id ipsum. s. fiebat co[illegible]libus inuitis Nam ij consules uolebant sententiam Bibuli ualere. i. approbari Hac cõtrouersia. s. de tribus sententijs, ducta. i. agitata, & de industria prolongata usq; ad noctem, idest, postquam sic ducta est, senatus est dimissus. s. domum: & ego cœnaui ea die: aut eo die. i. in eius diei uespera, apud Pompeium casu. i. euentu fortuito, aut quia illi obuiam factus ad cœnam inuitatus est, aut ab amico illuc adductus: & nactus, idest, assecutus hoc tempus magis idoneum, scilicet, ad agenda cum Pompeio quæ uellem, quam unquam antea: quod, idest, eo quod is dies fuerat nobis in senatu, honestissimus. i. honorificentissimus post tuum discessum. i. omnium dierum, quos habueram post tuum discessum: aut quia primus sententiam rogatus: aut potius, quia senatum maxime permouere uisus, & beneuole auditus fuerat. {Sum locutus cum illo} s. Pompeio, ita: ut uiderer mihi traducere animum hominis. s. Pompeij, ab omni alia cogitatione ad tuendam dignitatem tuam: quæ uideretur lædi, etsi a petitione, excidens. Quem ipsum. i. ut dicit in propria persona, cum ego audio. s. de te loquentem: libero eum prorsus. i. omnino, omni suspitione cupiditatis. s. reducendi regis: cum autem uideo familiares eius omnium ordinum. i. in quocunq; statu: & gradu dignitatis sint ego perspicio. i. animaduerto id, quod est iam apertum. i. manifestum omnibus, uidelicet totam rem istam. s. de reductione regis per te, esse iampridem corruptam a certis hominibus non inuito. i. annuente rege, & consiliaris eius: qui. s. malint eum per Pom. reduci. Ego scripsi hæc ad decimumsextum sup. diem calen. s. qui est ante calen. connumerato tamen die calendarum, qui primus cuiusq; mensis est Februarij, ante lucem, hoc est summo mane. Senatus. i. congregatio, & concilium senatorum erat futurus. i. habẽdus eo die. Non igitur quotidie fiebat senatus. Nos, quemadmodum spero: retinebimus dignitatem nostram. i. honeste stabimus & audiemur pro te loquentes in senatu ut. i. quantũ potest sup. fieri, aut retineri in tanta perfidia hominum. Quod. i. quantum attinet ad rationem popularem. i. uulgarem, hoc est quantum pertinet ad iudicium populi, nam dum lis a senatu discindi nõ poterat, facta concione referebatur ad populum: nos uidemur consecuti. i. obtinuisse hoc: ne nequid. i. ut nihil possit agi cum populo. i. referri ad populum: aut rogari populum, aut transigi a populo: aut saluis auspicijs: quia populus rogari non poterat (auspicijs renuentibus) tunc autem Cl. ostenderat, aut ostendere paratus erat auspicia abnuere, aut saluis legibus: quia leges uetabant tunc populum rogari: aut denique sine ui. i. uiolentia, quæ quia non facile fit, censet iudicium populi, qui Pompeio faueret, nõ magnopere timendum. Autoritas senatus grauissima. i. maximi ponderis, & uigoris, quia sanctissima: intercessit. i. interposita est, & addita: ijs rebus. s. ne qd cum populo agatur, pridie. i. die ante, quã scripsi hæc: cui. s. autoritati, & approbationi senatus, cum Cato, & Cani. intercessissent. i. suam authoritatem ad impediendum interposuissent: & ita obstitissent: tamen. i. nihilominus: ipsa est præscripta. i. in rem iudicatam & (ut Galli dicunt) in arrestam traslata, hoc est irrefragabiliter ratificata. Videri possit mirum, quod Cice. uno uerbo in eadem fere clausula tam diuerse utatur, nam senatus intercessit. i. approbauit: & Cato intercessit. i. impedire uoluit: uerum intercedere unum significat. id uidelicet, quod partes componentes, sed animus intercedentium diuersitatem facit, nam autoritas senatus intercessit promulgationi legis, ut ratificaret. Catonis, ut refelleret: non ergo dicam intercessit. i. approbauit, sed intercedendo approbauit &c. Ego arbitror eam. s. autoritatem senatus: aut, legem; perscriptam esse missam ad te. Ego scribam ad te de cæteris rebus quicquid erit actum: & prouidebo, idest, prospiciam omni cura mea: opera. i. labore, diligentia, & gratia: ut. s. cæteræ res agantur quamrectissime. i. ualde decenter. Pulchra est auxesis in ijs uocabulis: cura, opera, diligentia, gratia. nam multi curant per alios, nec quisquam fere operam sine cura adhibet: nec diligentiam sine opera, nec gratiam impartit sine diligentia, qui enim gratia sua aliquid facit, quicquid per se, aut per alios potest, facit. Sane licet inepte dixeris, puer erit percussus, pro percutietur: nõ tamen inepte dixit, quicquid actum erit pro quicquid agetur: non enim dum agentur, sed dum acta erunt, scribenda censet.

LEntuli Consulis.} Codex Mediceus LENTVLI habet. Iam diu audiui fuisse nonnullos, qui LVCII mallent. Nihil sane certe statui potest: receptam tamen lectionem ueriorem puto. Peccabant autem sæpe antiqui librarii, quemadmodum alias docui, in huiuscemodi rebus. Cum enim notas illas non intelligerent, quod imperitis hominibus in mentẽ ueniebat, scribebant. Hæc autem omnia in senatu agitata sunt. L. Philippo, & Cn. Lentulo Marcellino Coss. ut Dion etiam narrat, qui cum de reductione Ptolemæi regis egisset, adiungit, ταῦτα μὲν ἐπί τε λεντύλου φιλίππου, καὶ ἐπὶ γναίου μαρκελλίνου ὑπάτων ἐγένετο. {Frequẽtes ierant in alia omnia.} Vbaldinus Bandinellus, cum ab hinc xxx. menses Romam proficiscens, Florentia iter faceret, diuertissetq; apud Carnesecam optimum, & maximis in rebus spectatum iuuenẽ, a me con-

EXVICTORII posterioribus.

uentus est: cupiebam.n. eum uidere, quem multis de causis plurimũ amabam. Cumque omni illo tempore (exiguum autẽ fuit) quod Florentiæ mansit, sæpe una fuissemus, multumque sermonem de studiis literarum habuissemus, narrauit mihi omnia, quæ a Manutio pro huius loci declaratione traduntur: dixitque, arbitrari se maculam occupasse locum illum Sex. Pompeii, quæ tamen nullo negocio deleri posset, legique debere, iis uerbis præit: omnis uidelicet causa, quod nos ualde probauimus. Vtinam quẽadmodum in eadem patria nati sumus, & iisdem studiis tenemur, ita iisdem quoque in locis uiuere potuissemus. ex illius enim ingenio, & eruditione non paruos fructus cepissem, & ille fortasse multis in rebus, & studiis, & officiis meis delectatus esset. Sed quoniam id nõ accidit, propter diuersam uitæ rationem, nactus hanc occasionem, notum, ei & omnibus aliis facere uolui amorem, quo illum prosequerer: & ne facile extingueretur, his etiam monimentis testatum relinquere, optimum esse iudicaui.

PAVL. MAN.

LEntuli Cos.} In libris quibusdam manuscriptis legitur, Lucil Cos. non omnino absurde, potest enim intelligi de L. Philippo Lentuli Marcellini, in Consulatu collega. {Quatenus de religione dicebat.} Sensus hic est, cum Bibulus sententia sua duas res complexus esset, de religione, & de tribus legatis: postulatum est, ut eius sententia diuideretur. i. ut singulis de rebus separatim referretur. ac de religione quatenus dixit, ut. s. ne contra Sibyllinos libros decerneretur, qui Regem Aegyptium cum exercitu reduci uetarent: assensum (inquit) est. Caput illud, de tribus legatis, qui regem reducerent, improbatum. dixit autem, frequẽtes ierunt in alia omnia, pro frequentes dissenserunt. neque solum, ire in alia omnia sed, & discedere, & transire, eodem sensu ueteres dicebant. libro X. ad Plancũ, pagina clj. Cum (inquit) senatus reliquit, & in alia omnia discessit. Hirtius autem prope finem VIII. de bello Gallico libri, Discessionem (ait) faciente Marcello, senatus frequẽs in alia omnia transiit. sunt autem uerba, quibus, cum discessio facienda esset, minister publicus præibat, cum ita diceret. Qui hæc sentitis, ite in hanc partem: qui alia omnia, in illam. & in alia omnia potius, quam in contraria, dicebat ominis causa. Festus Pomp. in dictione Quæs. inde factum, ut, ire in alia omnia, idem significat quod contra sentire. {Multis partibus plures.} Sunt qui ita exponat, uidisse Consules in Hortensii sententiam plures ituros a multis partibus. i. hinc, & illinc, parum. s. agnoscentes purissimam, & ornatissimam locutionem, qua eloquentissimi eius ætatis uiri suis in scriptis elegãter usi sunt. M. Cœlius libro harum Epistolarũ VIII. pag. cxix. Turpe tibi erit, Patischum Curioni decem Pantheras misisse, te nõ multis partibus plures. item Cæsar. clxxxv. quoniã numero multis partibus esset inferior. multis partibus plures, & multis partibus inferior, dixerunt, pro eo, quod est, multo plures: & multo inferior. Cicero item libro III. de finibus xcviij. multis partibus malit, pro multo malit. Suetoni. quoque non malus latinitatis autor, in Iulii uita eodem loquendi modo usus est.

DOCTI CVIVSDAM.

ALtercatione Lentuli.} Quæ postridie in senatu acta sint, narrat. Quid autem proprie sit altercari & altercatio, uide Budæi annot. in Pandect. {Bibuli sententia diuideretur.} Pædianus in Ciceronis locum pro Milone, Diuisa sententia est, postulante nescio quo: Cum aliquis, inquit, in dicenda sententia duas pluresve res complectitur, & si non omnes eæ res probantur, postulat ut diuidantur, ut de rebus singulis referatur. Ita hoc loco intellige sententiam diuisam: hoc est, de his relatum esse, non oportere regem contra religionem cum exercitu reduci: &, an satius fuerit, regem per tres legatos sine exercitu reduci. {Quod ad popularem.} Rationem popularem uocat, populi iudicium, quod tumultuosum frequenter esse solet, & rixarum plenũ. Allusum est ad morem Romanum de lite dirimenda, ut quum a senatu lis omnino decidi non poterat, referretur ad populum. Idem libro primo de Legibus popularem orationem dixit.

IO. BA. EGNA.

NIhil Idibus Ianua.} quo die Senatus est habitus, actum esse, Consulis Lentuli, & Caninii Trib. pleb. contentionibus, tũ quantum ipse senatum sibi in causa conciliasset, admonet. Postridie dictis omnium sententiis postulatum fuisse, uti de singulis referretur. In hac sententiarum uarietate, uarie senatum agitatũ tanto utrioque studio, ut nihil eo die agi potuerit. Pompeium quidẽ sibi ab hac restitutione regia alienum uideri: familiares uero eius nihil magis contendere. Se tamen nulla in re defuturum pollicetur non in senatu modo, sed ad populum, quorum, scilicet, saluis legibus consequi poterit. {Altercatione Lentuli consulis.} Hunc Lentulum Marcellinum puto, de quo supra. {Caninii.} Is est, qui (autore Plutarcho in Pompeii uita) rogationem tulit, ut Pompeius regem gemino lictore restitueret. Sed senatus rem eam cũ inique ferret, causam prætexuit, ideo se id nolle, quod uiro timeret. {Sententia diuideretur.} Sic Cicero in oratione pro Milone: Decernebat enim, ut ueteribus legibus tãtummodo extra ordinem quæreretur: diuisa sententia est. Hæc Cicero. Sed Asconius: Diuidere, inquit, sententiam est, cum aliquis in dicenda sententia duas pluresve res complectitur. & si non omnes eæ probantur, postulat ut diuidantur, idest, ut de singulis rebus referatur. Fieri autem poterat huiusce diuisionis postulatio ab unoquoque Senatorum, qui uel sedendo hoc postulasset, ut tamen integrum esset illi, qui orationem habebat, an diuidere uellet. Cum igitur tres hæ simul sententiæ quasi coaceruatim dictæ essent, postulatum est, ut de singulis referretur. {Intendere.} Translatio sumpta ab arcubus, qui proprie dicuntur intendi. {Erat enim iniqua, & noua.} Quid enim iniquius, quam Tribunorum pleb. priorem sententiam in senatu referri, cum consularis suprema eẽt dignitas? {Traducere.} Remouere. sed alibi infamare, quale illud in sacris literis, Cum nollet eam traducere. Græci hoc παραδειγματίζειν. Vnde Epigrãmatarius poeta. Rideris multoque magis traduceris Afer. Et Satyricus.

Altera quos nudo traducit Gallia talo.

{Totam hanc rem iampridem esse corruptam.} Videtur hoc in loco Theophanis actum, & literas, quæ diuulgabantur, innuere: quemadmodum Plutarch. & Pomp. est autor. {Senatus autoritas grauiss.} Ea erat, ut paulopost Cic. ostendit, ne Rex omnino restitueretur. {Cato, & Cani.} Duo trib. ple. Pompeii studiosissimi neque. n. est ille Cato Vtic. secundus, sed ab hoc longe diuersus.

SEBA. COR.

IDibus Ian.} Die. xiij. Ian. {Lentuli Cos.} Cn. Lentuli Marcellini Cos. {Caninii.} qui rogationem tulit, ut Pompeius cum duobus lictoribus Regem reduceret. {Diuideretur.} Vt separatim de religione, & de legatis referri posset. nam Bibuli sententia utramque complectabatur, quare illi de religione assensum est, de legatis uero frequentes iuerunt in alia omnia, idest, contra atque ille uolebat, censuerunt. {Discessionem.} per quam S. C. fiebat, senatoribus in duas partes diuisis. {Quam Coss.} quoniam id erat proprium muneris. {Assentirentur.} qui in Hortensii sententiam erant ituri. {Certis hominibus.} creditoribus Regis, qui pecunias aperte contra Lentulum suppeditabant. {Ad XV. Cal. Feb.} die. xv. Ian. {Agi cũ populo.} rogari quid populus, quod suffragiis suis aut iubeat, aut uetet. {Saluis auspiciis.} Ex augurum libris, qui negant fas esse agi cũ populo quum de cœlo seruatum sit. {Legibus.} Helia, & Fusia. {Intercesserat.} ne quid agi posset. {Cato,} C. Cato Trib. pleb.

BERN. RVTI.

QVanquam Volcatio aperte assentirentur.} Non consules ipsi, ut Clericus somniat: nam ii quidem & diem consumi, & ualere Bibuli sententiam ualde cupierunt, qui nihil minus quam Pompeio decernebat, cui erat inimicus: sed ii, qui in sententiam Hortensii ituri uidebantur. {Quum autem eius familiares omnium ordinum uideo.} Dii boni, quid garrit interpres. Ordines, quis est, qui nesciat tris fuisse, senatoriũ, equestrẽ, plebeium? Quod si id nõ placeat, ordinum erit, siue cõsulares, siue prætorios, siue tribunos, siue (quod uulgo aiunt) omnium graduũ. nam senatus quoque ipse in suos ordines scindebatur, ut alius alio prior rogaretur, ac sentẽtiam diceret. Crassum supra nonu nauit cõsularem, qui Pompeio faueret: Lupum tribunum, alios prætorios, dicimus & publicanorum ordinem. {Senatus autoritas grauissima intercesserat.} Non, ne rex omnino reduceretur, ut fallitur Egnatius. sed ne de ea re ad populũ referretur. Id scilicet est: quod scribit Plutarchus in Magni uita: Caninius (inqt) rogationẽ ad Trib. pleb. tulit, ut Pompeius sine exercitu cum gemino Lictore ad Ptolemæum cum Alexandrinis cõciliandum destinaretur. cui rei Põpeius non grauiter hæsisse uisus: sed senatus id omisit, causa honeste reddita, quod uiro timeret. Itaque hoc est, quod ait ad popularẽ rationem attinere: timebat enim Lentulus, ne si in senatu parum Pompeio succederet, rem ad populum corruptum, & sibi fauentem declinaret: quod & subiecta Epistola ostenditur. EPISTOLA Secunda ad Lentulum, hæc uerba habent uulgo ita scripta, distinctaque. {Postulatum est, ut Bibuli sententia diuideretur, quatenus de religione dicebat. Cui rei. quia tã obsisti non poterat, Bibulo assensum est de tribus legatis. frequentes ierunt in alia omnia.} Hæc nos dubio procul perperam distincta contendimus. Ita enim oportuit: Postulatum est, ut Bibuli sententia diuideretur, quatenus de religione dicebat, cui rei, quia iam obsisti non poterat, Bibulo assensum est. De tribus legatis frequentes ierunt in alia omnia. Hoc sensu: Quod ad religionem attinebat, ut scilicet Rex sine exercitu reduceretur, Bibulo assensum est, de tribus legatis, minime: cũ. n. quasi biceps esset Bibuli sentẽtia, quod scilicet una uerborum conceptione duo proponeret: unum, ut propter religionem & Sibyllina carmina rex sine exercitu in regnum deduceretur: alterum, ut a tribus legatis, postulatum est, ut sigillatim de utroque sententiæ capite referretur. non autem (ut accepisse uidetur Egnatius, quem uirum semper honoris causa nomino) diuideretur, idest, separatim a sententiis Hortensii, & Volcatii referretur. Quid sit diuidere sententiã quid iri in alia omnia, quibus uerbis Cicero, Cælius, Hirtius, alii utuntur, quamuis in ea re Gellii, Asconiique autoritas præferatur, ego tamen appositissima Plynii iunioris uerba subnectam, quibus singulare exemplum continetur in hoc genere. Referebatur in senatu, inquit, de libertis Afranii Dextri consulis, incertum sua an suorum manu, scelere an obsequio perempti. Hoc aliquis: Ego (sed nihil refert) post quæstionem supplicio liberandos, alius in insulam relegandos, alius morte puniendos arbitrabatur. quarum sententiarum tanta diuersitas erat, ut non possent esse nisi singulæ, qd enim commune habet occidere & relegare? non hercle magis, quam relegare

legare & absoluere. quanquam propior est aliquanto sententiæ relegantis, quæ soluit, quam quæ occidit. utraq; enim ex illis uitam relinquit, hæc adimit. Cũ interim & qui morte puniebant, & qui relegabant, una sedebant, & temporaria simulatione concordiæ discordiam differebãt: ego postulabam, ut tribus sententiis constaret suus numerus, nec se breuibus induciis duæ iungerent. Et infra paulo: Fingamus tris omnino iudices in hanc causam datos esse: horum uni placuisse perire libertos, alteri relegari, tertio absolui. utrũne sententiæ duæ collatis uiribus nouissimam perimerent, an separatim unaquæq; tãtundem, quantum altera, ualebit? nec magis poterit cum secunda prima connecti, quam secunda cum tertia. Igitur in senatu quoque numerari tanquam contrariæ debent, quæ tanquam diuersæ dicuntur. Quod si unus atque idem, & perdendos censeret, & relegandos, num ex sententia unius, & perire possent, & relegari? num denique una omnino sententia, quæ tam diuersa coniungeret? quemadmodum igitur, quum alter puniendos, alter censeret relegandos, uideri potest una sententia, quæ dicitur a duobus, quæ non uideretur una, si ab uno diceretur? Quid lex? nõ aperte docet, diuidi debere sententias occidentis, & relegantis: cum ita discessionem fieri iubet. Qui hæc sentitis, in hanc partem: qui alia omnia, in illam partem ite, qua sentitis. Et paulo post: Atenim futurum est, ut si diuidantur sententiæ interficientis, & relegãtis, præualeret illa, quæ absoluit. Quid istud ad censentes? Quos certe nõ decet omnibus artibus, omni ratione pugnare, ne fiat quod est mitius, oportet tamen eos, qui morte puniunt, & qui relegant, absoluentibus primum, mox inter se comparari scilicet, ut in spectaculis quibusdam sors aliquem seponit ac seruat, qui cum uictore contendat: sic in senatu sunt aliqua prima, sunt secunda certamina: & ex duabus sententiis eã, quæ superior exierit, tertia expectat. Et mox: Optimum quidem, quod postulabam nihilominus tamen quæro, an postulare debuerim? quemadmodum abstinuit is: qui ultimum supplicium sumendum esse censebat. nescio an iure, certe æquitate postulationis meæ uictus, omissa sententia sua, accessit releganti: ueritus scilicet, ne, si diuiderentur sententiæ, (quod alioqui fore uidebatur) ea quæ absoluendos esse censebat, numero præualeret: etenim longe plures in hac una, quã in duabus singulis erant. Tũ illi quoq;, qui autoritate eius trahebantur, transeunte illo destituti reliquerunt sententiam ab ipso autore desertam: secutiq; sunt quasi transfugam, quem ducem sequebantur. Sic ex tribus sententiis duæ factæ. tenuitq; ex duabus altera, tertia expulsa, quæ cum ambas superare non posset, elegit, ab utra uinceretur. Hæc Plynius: quibus, & uerbis ipsis legis ostẽdit, quid sit, in alia omnia ire, & diuidere sententiam. Fuit autem, nequid omnino cogitationum nostrarũ abscondamus, quum ea istimarem, hoc loco accipi debere. Diuideretur: idest in eam discessio fieret, quatenus de religione dicebat, diuidebantur enim senatores, ut qui assentirentur, in unam partem qui dissentirent, in alteram irent: quod ne omnino quidem adhuc improbo, alia: scilicet diuisione, quam illa, de qua Asconius, nosq; supra, ut utraq; tamen in Bibuli sententia locum habuerit. siquidẽ & in duo capita partita est, & prius caput diuisum: idest diiudicatum pedum sententiis. Distinctionem autem nostram præclare uerba illa insequentium literarum confirmant: Quod iam, inquit, illã sententiam Bibuli de tribus legatis fregeramus. Diuidere sententiam Cicero in Pisonem quoq;, Diuisa, inquit, sententia est, postulante nescio quo. In alia uero omnia ire aut transire, aut discedere, est ipsum quoque apud multos. Cicero ad Plancum: Qui quum, inquit, gratia effecisset, ut sua sententia prima pronunciaretur, frequens eum senatus reliquit, & in alia omnia discessit. Cœlius: Nã, quum de intercessione referretur, quæ relatio fiebat ex senatus consulto, primaq; M. Marcelli sententia pronuntiata esset, qui agendum cum Trib. pleb. censebat, frequens senatus in alia. omnia iit. A. Hirtius in suo Commentario: Nã Marcellus, inquit, proximo anno quum impugnaret Cæsaris dignitatem, contra legem Pompeii, & Crassi, retulerat ante tempus ad senatũ de Cæsaris prouinciis, sententiisq; dictis, discessionem faciente Marcello, qui sibi omnem dignitatem ex Cæsaris inuidia quærebat, senatus frequens in alia omnia transiit. Addemus & illud ea eadem Epistola, tanquam coronidis uice, quod in ea est. {Proxima erat Hortensii sententia, cui Lupus Trib. pleb. quod ipse de Pompeio retulisset, intendere cœpit, ante se discessionem oportere facere, quam consules.} Obscurus enim locus, cum quod ineptum id uidetur contra Hortensium dici, qui consul eo anno non esset: tum uero, quia ex Gellio patet, dictatori primo, inde consulib. tum prætori, mox tribunis pleb. consulendi ius fuisse: idq; ex Terentii Varronis autoritate. Inde subiicit Cicero: Eius orationi uehementer ab omnibus reclamatum est, erat enim iniqua & noua. Cæterum ita accipi potest, ut dicat, non modo præferri debere Hortensio, sed consulibus quoq; ipsis Tribunũ. Namq; id non probo, quod quibusdam uiris eruditissimis placet, ea se ratione anteferri Lupum uoluisse, quod de Pompeio .i. de Rei pub. principe retulisset. quanquam ne ipsi quidem ineptam eam rationem fuisse inficiantur, ueruntamen a Lupo propositam: quod mihi non uidetur. sed iure potius sui magistratus putasse, se prius discessionem facere oportere, quanquam id omnibus iniquum, neq; ab ullo unquam ante postulatum iudicabatur. tametsi ea erat tribunatus autoritas. ut constet dictatore constituto hunc unum magistratum suam in Repub. potestatem retinuisse: autor pluribus locis Plutarchus, aliiq;.

EXPOSTER. EIVSDEM.

SEnatus autoritas grauissima intercesserat.} Decreti uerba sunt ad Q. fratrem. Quid futurum sit latrocinio tribunorum, non diuino, sed tamen suspicor, per uim rogationem Caniniũ perlaturum in ea re Pompeius quid uelit, non dispicio. familiares eius quid cupiant, omnes uident. creditores uero regis aperte pecunias suppeditant contra Lentulum. Et alia epistola: Quod de Pompeio Caninius agit sane quam refrixit. neq; enim res probatur, & Pompeius noster in amicitia P. Lentuli uituperatur, & Hercule non est idem. nam apud illam perditissimam atq; infimam fæcem populi, propter Milonem suboffendit.

PHIL. MELÃ.

BIbuli sententia diuideretur.} Diuidere sententiam, est obscurã sententiam iterum referre, ut explicetur. {Frequentes ierunt.} Erant eo tempore quadringenti senatores, postea mille fuerunt. ideo cum non omnes possent interrogari, illi dicebantur ire in sententiam, qui reliquis interrogatis assurgebant, & assentiebantur. {Intendere cœpit.} hoc est, aduersari. Græci dicunt ἐντείνειν sicut dicitur intendere litem. & apud rhetores intentio est illud ipsum, quod obiicitur. Discessionem facere}.i. pronunciare, ut surgant senatores, & significent, qui nam sint ituri in cuiusq; sententiam. {Nos in senatu, &c} Officium suum illi pollicetur. {Intercessissent.} Intercedere est obsistere, ne referatur ad populum.

ARGVMENTVM.

Commendat lepide Aulum Trebonium Lentulo: ita ut hæc epistola sit pueris, ut exemplar honestæ commendationis, inspicienda.

M.T.C. PVBLIO LENTVLO S. P. D. 3

*AVlo Trebonio, qui in tua prouincia magna negotia & ampla & expedita habet, multos annos utor ualde familiariter. Is cum antea semper & suo splendore, & nostra, cæterorumq; amicorum commendatione gratissimus in prouincia fuit: tum hoc tempore propter tuum in me amorem, nostramq; necessitudinem uehementer confidit, his meis literis se apud te gratiosum fore, quæ ne spes eum fallat uehementer te rogo: commendoq; tibi eius omnia negotia, libertos, procuratores, familiam. In primisq;, ut quæ * Appius de eius re decreuit, ea comprobes: omnibusq; rebus eum ita tractes, ut intelligat nostram commendationem non uulgarem fuisse. Vale.*

*alias. T. Ampius.

ASCEN.

AVlo Trebonio &c.} Hæc epistola commendatitia in quibusdam exemplaribus ad finem præcedentis adscripta est, in aliis seorsum posita: quæ sequi malui: eo quod uerisimilius est eam Trebonio ad perferendam eam, quando uelit, traditam. Miro studio, & aptissimis uerbis licet paucis hominem commendat: ita, ut pueris sit penitus ediscenda hæc epistola: & pro exemplari habenda. In cuius principio animaduertant, non ridiculum esse, quod Seruius dixit, per accusatiuum temporis continui præsertim honestiorem esse locutionem: nã Cicero ita fere locutus est: ut multos annos, tot & cætera: quod nunc quasi necessarium erat: eo quod alter ablatiuus adest. Ordo est Ego utor ualde familiariter multos, annos, quasi dicat & sum usus iam multos annos Aulo Trebonio: qui habet in tua prouincia scilicet Cilicia: quæ tibi procõsuli decreta est: negotia, ut sunt mercaturæ, magna: idest magnæ impensæ: & ampla: idest honorifica: & expedita: idest non implicita litibus aut obnoxia publicanis. Is: scilicet Aulus Trebonius: cum. s. ita: quod fuit semper antea gratissimus in prouincia. s. ista: &. i. simul suo splendore i. honestate summa uitæ, & commendatione nostra, & cæterorum amicorum, ubi notet puer coniunctionem posse diuersos casus copulare. dummodo dictio regens eos exigat, ut hoc loco: nam commendatione nostrum non est in usu: quod etiam notet: & commendatione nostri non patitur significatio: tum. i. multo euidentius confidit hoc tẽpore propter tuum amorem in me. i. quia scit: quod abs te amor, & propter nostram necessitudinem. i. uinculum amicitiæ: se forte gratiosum: idest plenum gratiæ, & commendationis apud te, iis literis meis: quæ spes ne fallat: idest, decipiat eum: rogo uehementer

te.& commendo tibi omnia negotia eius:liberos.i prolem legitimam:quia propter multa dispendia in Gallia sub Cæsare accepta in Ciliciam cum tota familia migrauerat: procuratores.s.negociũ & causarũ eius:quos factores uocant:familiam.s.omnem.& in primis,ut comprobes ea,quæ Titus Appius:qui ante te prouinciam texit,decreuit de eius re ut.s.merx eius libera sit a uectigalibus & portoriis,& ut tractes cum sup.in omnibus rebus:ita ut intelligat cõmendationem nostram fuisse non uulgarem: sed egregiam, & ualentem.

PETR. VICTO. T. Ampius.}Multis locis in his epistolis, ubi erat Appius, (Ampius)reposuimus,ut penultima nostra in librum ad C.Memmium castigatione docuimus.Secuti autem sumus ueterum codicum fidem.Manutius postea Argumento non insulse excogitato,antiquam scripturam confirmauit.Delector autẽ plurimum,cum uideo aliquos nouis rationibus ueteres animaduersiones meas comprobare.

PAVL. MAN. T. Ampius.}Antea, T. Appius, corrupte legebatur; duo.n. prænomina simul esse non possunt,ut si dicas, Marcus Caius,aut Cneus Lucius.Ampiorum autem familiam Romæ fuisse,notissimum est.

DOCTI CVIVSDAM. A Vlo Trebonio,qui in tua prouincia.}Hic alii tertiam epistolam incipiunt.Commendat autem Lentulo Trebonium, ut illi in rebus necessariis adminiculo sit.Habent porro epistolæ commendatoriæ tacitam hortationem, quemadmodum hic etiam uidere est.Non enim cuiquam fauemus,nisi dignus sit, propter quod illi bona fieri debeant.

IO. BAEGNA. A Vlo Trebonio,&c.}In epistolis commendatitiis hæc ferme sunt,quæ obserues: uti prius commendationis alleges iustissimas causas:tum quid nam id sit, quod petas, breui & dilucide explices.Postremo uel illum beneficii semper memorem, uel te perpetuo debiturum pollicearе.Sunt autem epistolæ in hoc genere uulgaris cuiusdam notæ.sunt aliæ rursus optimæ: prout uel beneuolentia maior,uel commendationis honestior causa uideatur.Ducuntur autem illæ causæ, uel a maiorum uetustissimo necessitudinis uinculo,uel ab ea,quam cum illo contraxeris pridẽ beneuolentia,uel ab ipsius,quem commendes, personæ dignitate, & probitate:uel ab alterius tibi amicissimi,qui rem abs te pro amico,cui negare nequaquam potueris,exposcerit.Sed & ad rei ipsius explicationem ualet non parum honestas causæ,magnitudo,periculum in re magnum,summa utilitas,quam se consecuturum speret.Sed & si,qui ante in re illa idem senserint,quod petas non parum proderit.neq; non ualet,& id plurimum, ad emerendum causæ tuæ fauorem,quod in calce addas,uirum optimum gratissimũq; esse,semper beneficii memorem,semper illum cum tota familia debiturum:te uero nunquam beneficii obliuisci posse.{Trebonio.}Is uero Trebonius est,qui in Galliis sub Cæsare militans,cum eo semper usq; ad belli ciuilis exitum fuit quiq; inter huius belli initia a Cæsare ad oppugnationem Massiliæ præfectus est.Tandem in Cæsarem conspirans,inter Cæsaris conspiratores unus,cum Asiæ præesset,post Cæsaris necem primus omnium coniuratorum a Dolabella consule interficitur,capta insidijs Smyrna,ipsoq; adhuc dormiente capto.Sed & eius caput in modum pilæ affiaum, a militibus Cæsarianis iactatũ est,quoad contusum contritũq; fuit.{Titus Ap.}De hoc,lib.III.plenius.

SEBA. COR. A Vlo Trebonio.}non C.Trebonio,qui Cæsari in Gallia legatus fuit, sed altero.{Familiã.}seruos.{T.Ampius.}T.Ampius Balbus,qui Gabinio & Pisone Coss.in Cilicia Prætor fuit,nisi plane fallimur.

PHIL. MELÃ. A Vlo Trebonio,&c.} Epistola est commendatoria, generis suasorii.Commendatoriæ Epistolæ autem tacitam laudationem habent.Non enim cuiquam fauemus,nisi dignus sit cui bene fieri debeat.Ita A.Trebonium commendat Lentulo, ut illi in rebus necessariis adminiculo sit.Caret autem exordio hæc epistola.{Qui in tua prouincia &c.}Narratio est, continens causam petitionis,& commendationem personæ.{Is cum antea.}Cum hic non est coniunctio rationalis,sed copulatiua: ideo habet indicatiuum.{Titus Appius.}ille Appius fuit, cui successit Lentulus in prouincia.

ARGVMENTVM.

Profitetur se uiriliter pro Lentuli dignitate stetisse, hicq; solum obtinuisse ut nihil innouetur nisi saluis auspicijs, & legibus.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Quo minus ex uoluntate Lentuli & Ciceronis res confecta sit, conijcit culpam in senatus dissensionem. Subiungitur commendatio officij sui, a cura & prouidentia, qua in confirmatione causæ usus est.

M. T. C. PVBLIO LENTVLO S.P.D. 4

AD XVI.Calend.Februa. cum in senatu pulcherrime staremus, quod iam illam sententiam Bibuli de tribus legatis pridie eius diei fregeramus: unumq; certamen esset relictum, sententia Volcatij: res ab aduersarijs nostris extracta est uarijs calumnijs: causam enim frequenti senatu, * in magna uarietate, magnaq; inuidia eorum, qui à te causam regiam alio transferebant, obtinebamus. Eo die acerbum habuimus Curionem: Bibulum multo iustiorem, pene etiam amicum. Caninius, & Cato negarunt se legem ullam ante comitia esse laturos. Senatus haberi ante Calend. Februa. per legem Pupiam, id quod scis, non potest: neque mense Februa. toto, nisi perfectis, aut reiectis legationibus. Hæc tamen opinio est populi Romani, à tuis inuidis, atque obtrectatoribus nomen inductum fictæ religionis, non tam ut te impedirent, quam ut nequis propter exercitus cupiditatem Alexandriam uellet ire. Dignitatis autem tuæ nemo est, quin existimet habitam esse rationem ab senatu: nemo est enim, qui nesciat, quo minus discessio fieret, per aduersarios tuos esse factum: qui nunc Po.Ro. nomine, re autem uera sceleratissimo latrocinio, siqua conabuntur agere, satis prouisum est, ut nequid saluis auspicijs, aut legibus, aut iam sine ui agere possint. Ego neque de meo studio, neque de nonnullorum iniuria scribendum mihi esse arbitror. Quid enim aut me ostentem, qui si uitam pro tua dignitate profundam, nullam partem uidear tuorum meritorum assecutus? aut de aliorum iniurijs querar, quod sine summo dolore facere non possum? Ego tibi, in hac præsertim imbecillitate magistratuum, præstare nihil possum: at ea excepta, possum confirmare, te & Senatus, & Po.Ro. summo studio, amplitudinem tuam retenturum. Vale.

*alias, magna uarietate: uel, nõ magna uarietate.

ASCEN. AD.xvj.calen.&c.}Protestatur se uiriliter pro Lent.dignitate certasse,parum tamen obtinuisse ob quorundã iniuriam.Stare dicitur orator,& actor:dũ ea, quæ orat aut agit,placent.Comitia sunt dies,& loca, quibus, & ad quæ coit populus ad creandos nouos magistratus, aut res graues decernendas.Ordo est.Cum nos staremus pulcherrime.i.cum actio nostra placeret,& prospera esset in Senatu: ad.i. circiter.xvj.cal.i.ante cal.Feb.quod.i.quia nos fregeramus.i.abrogaueramus pridie.s.eius diei.i.die eum diem præcedente,illam.s.notam,& sæpe dictam sententiam Bib.de tribus legatis.s.pro rege sine exercitu mittendis:& unum certamen esset relictum uidelicet sententia Volcatii:res est extracta.s.e manibus nostris ab aduersariis,uariis calũniis.i.iniquis cauillationibus.Enim.i.quia nos obtinebamus causam.s.etiam sup.in frequenti Senatu,& magna uarietate.s.sententiarum a diuersis latarum:& magna inuidia.i.odio eorum.Qui transferebant causam regiam a te alio.i.ad alium: uepote ad Pompeium.Nos habuimus Curionem.s.causidicum, qui postea Cæsari adhæsit:acerbum.i.acrem aduersarium:& habuimus Bibulum iustiorem.i.æquiorem multo,& pene etiam amicum.Caninius & Cato,qui intercesserant,ne lex ferretur:ne ad populum res referretur:negarunt se esse laturos ullam legem ante comitia.i.priusquã populus conueniret ad magistratus eligendos.Senatus.i.ut dicunt consistorium,& curia senatorum, non potest haberi ante cal.Feb. per legem Pupiam,quæ cauet,ut tantisper dum Comitia fierent,senatus non haberetur:id quod.i.quam rem tu scis,non enim recens erat ea lex.{Neque}senatus potest haberi toto mense Feb.nisi legationibus perfectis.i.determinatis,aut reiectis.i.posthabitis, ut non placeret de eis quicquam agi:tamen.i.nihilominus, hæc est opinio Po.Ro.nomen.i.mentionem religionis fictæ.i.simulatæ, cum tamẽ uerum esset ita carmine Sibyllino cauere,sed potuit populus falso opinari id ab æmulis fictum:inductum sup.esse ab inuidis,& obtrectatoribus tuis,hoc est quos tu inuidos,& detractores habes, ac pateris,sed sic Valla tui dicendum præciperet,non tam.i.non tantopere ea causa,ut impedirent te.quam.i.quantopere, ut nequis uellet ire Alexandriam.i.ad regiam urbem Aegypti: propter cupiditatem exercitus.i.quia uidebant exercitum tam cupidum eius profectionis,aut quia cupiebãt exercitum. Autem.i.sed,nemo est, quin existimet rationem.i.respectum honorificum tuæ dignitatis esse habitã ab senatu enim,quia nemo est,qui nesciat factum esse per aduersarios

uersarios

uersarios tuos: quo minus .i. ut non fieret discessio .i. latio sententiæ cognitis iudicijs senatus per discessionem ad suæ cuiusq; opinionis autorē factam. Nunc .i. deinceps, si .s. æmuli tui conabuntur agere qua .i. aliqua nomine P. R. .i. sub prætextu referendi ad populum, eo quod senatum tibi fauentem uident. Autem .i. sed : re uera .i. non simulata latrocinio sceleratissimo, quia per largitionē corrupti fas, & nefas uenale habent, satis est prouisum. s. per autoritatem senatus, ut nequid possint agere. Vacat ut quid sæpe apud Cic. sic tepenes. s. cum populo auspicijs saluis .i. auspicatu: aut legibus saluis: aut iam postquam auspicia, & leges refragantur: sine ui : idest uiolentia: quæ actio nulla foret. Ego neque arbitror scribendum esse mihi: neq; de studio meo. s. in te. ueque de iniuria nonnullorum .i. quorundam. Enim .i. quia: quid .i. ad quid, aut ostentem me .i. iactem officium meum in te? qui si profundam .i. abunde exponam : uitam. s. meam pro dignitate tua: nullam .i. non ullam. non uidear assecutus .i. æquiparasse ullam partem meritorum tuorum. s. in me. Aut quid querar .i. conquerar de iniurijs aliorum, quod .i. quam rem non possum facere sine summo dolore? q. d. frustra. Ego nihil possum præstare .i. exhibere, & efficere tibi in hac imbecillitate magistratuum: idest in qua magistratus fere corrupti sunt: ea .i. sed, ea .i. imbecillitate magistratuum excepta: possum confirmare .i. certificare: te retenturum tuam dignitatem summo studio, & Senatus, & Po. Ro. .i. tam senatus, quam Po. Ro.

VICTO. IN POSTER.

EGo tibi a ui.} Ipsi ut nūc legitur, emendauimus: præter enim antiquorum codicum fidem, uerba, quæ sequuntur, ita legi debere ostendunt, (ui excepta.) Vis autem non tantum a Trib. ple. fieri poterat, sed etiam a priuatis hominibus. Id autē per se planum est, & a Cicerone declaratur, cum inquit, ad Q. Fratrem de Clodio, Qui etiam priuatus eadem manu poterit conciones cōcitare. Veriusq; uis appellari potest, quæ a priuatis fit, quam quæ a magistratu. Qui enim publicam personam gerunt, quamuis contra leges faciant, recte tamen atq; ordine se illa facere multis persuadent, quod Cicero etiam paulo supra declarat, cū inquit, Qui nūc Po. Ro. nomine, re autem uera, sceleratissimo latrocinio.

PAVL. MAN.

PRidie eius diei. s. d. e. l. f.} Dicit quod supra in epistola. II. in qua ita scripsit: De tribus legatis, frequentes ierunt in alia omnia. Sed cum ibi factum id esse dicat die, qui consecutus est Idus Ian. hic autem die, qui XVI. Cal. Febr. præcessit: fuere, qui dum arbitrantur Ianuario mēsi, ut nunc, ita tum alterum & XXX. fuisse dies, corruptum esse locum crederent, uidentes hanc diem, ut quidem ipsi numerabant, aliam esse ab ea, quæ est in epistola. II. cum tamen eandem esse oporteat, quod absque dubio locus hic aliter de tribus legatis repetitio prioris esset. quod si ad rationem eius anni, quo scripta est epistola, supputassent, & locum carere mendo, & eandem quam in. II. epistola diem significari, cognouissent: fuit enim tunc Ianuarius mensis tantummodo XXIX dierum. postea Iulius Cæsar annum corrigens binos addidit, & ut tricenos singulos haberet, qui antea tantummodo XXIX. habuerat, efficit. autor Macrobius. {Ego tibi a ui.} Timebat, ne tribunus aliquis per uim legem ferret, qua Ptolemæi Regis restitutionem Lentulo eriperet. epistola. II. libri. II. ad Q. fratrem eadem de re scribens, Quid futurum sit, inquit, latrocinio Tribunorum, non diuino: sed tamen suspicor per uim rogationem Caninium perlaturum.

IO. BAEGNA.

AD. XVI. Calen. Feb.} Quæ sextodecimo Calen. Februarias in senatu sint acta docet. nam post Bibuli sententiam pridie a se infractam, cum optime de re speraret, nihil per Volcatium tandem potuisse confici. hic Curionis acerbitatem, Bibuli quandam pene æquitatem Caninij Catonisq; iniquitatem fuisse: comitiales postea dies secutos, qui lege Pupia definiti erant, ab inuidis mentionem religionis ea tamen de causa inductam, ne cui restitutionis regiæ prætextu exercitus decerneretur: ipsis dignitatem hactenus inoffensam. quod siqui aduersarij fuerint, se enixissime curaturum, nequid saluis legibus illi audeant. ut tamen interim nihil aut de summo suo studio, aut industria remittat. neque enim se diffidere, dummodo uis absit, facile sibi omnia ex animi sententia cessura. {Varietate.} Hæc de coloribus proprie dicitur. { Acerbum Curionem } a pomis immaturis sumpta translatio, quæ minime grati saporis sunt, Hunc ego filium puto, qui multum eloquentiæ per ea tempora ualuit & cum in tribunatu primum Cæsari aduersaretur, mox auro Cæsaris, & Gallicis captus spolijs, in Cæsarianas partes transijt: uir audax & acer, præcipuaq; ciuilis belli fax. quippe qui si mulato metu cum Roma profugisset, ad Cæsarem sedentem tunc ad Rubiconem in castra uenerit, illumq; ad bellum quamprimum patriæ inferendum adhortatus sit. Missus postmodum a Cæsare in Africam, dum audacius quam cautius bellum gerit, in insidias a Sabura præcipitatus, cum toto pene exercitu internecione occiditur. Ad hunc sunt Ciceronis epistolæ lib. ij. De eo Lucanus sic libro. iij. cecinit: Haud alium tanta ciuem tulit indole Roma, Aut cui plus leges deberent recta sequenti. Sed & Cicero in libro de Claris oratoribus hæc de Curione: Curio si diutius uixisset, magnā esset eloquentiæ laudem consecutus: huius enim dicto in eo quod uerisimile uisum esset, facilis, soluta, acutæ & crebræ sententiæ, ut nihil ornatius, nihil expeditius esse posset. is sime audire noluisset, honores quam opes consequi maluisset. Et paulopost : Huic inerat sine arrogantia grauitas, sine segnitie uerecundia. sed illum æstus quidam insolitæ adolescentibus gloriæ absorbuit : qui quia miles imperatori nauarat operā, imperatorem se statim esse cupiebat. Hæc Cicero. Hic ille est, qui duplicia illa theatra, quæ in amphitheatri formam duceret, portentuosum plane opus, lignea construxit, quibus Romanum Po. ueluti autoratum circumduceret: ut uideri posset uniuersum Roma po. funebri patris munere ad eius tumulum depugnasse. Plynius septimo, tres perpetua serie Curiones oratores facit, auum scilicet, patrem, & filium Sed pater nullis literis, nulla memoria, nulla liberalium artium cognitione, domestico tantū quodam loquendi usu, tertius post Crassum & Antonium orator numerabatur. Sed & Curiones dicti ministri theatrales, quorū uoce aliquid populo uulgaretur. unde Rufinus in Eusebij interpretatione: Polycarpum per curionem pronunciari placuit Christianum esse. Et Martialis, Scripta nostra curione non egent. Plautus præterea in fabula Aulularia, Curionem nunc pro curioso, nunc pro macro, quasi curis confecto accipit. autor Nonius, & Festus. Varro quoque principes curiarum Curiones dictos scribit. {Neque mense Febr.} Erat enim hic mēsis legationibus audiendis attributus. {Studio.} Vehemens est animi applicatio ad aliquid peragendum Fabius. {Præstare.} Verbum iurisconsultorum. Hic autem epistolæ finis totus moratus est hac enim parte Cicero gratissimum suum erga Lentulum probat animum, qui si uitam ipsam profunderet, nullam meritorum Lentuli erga se partē sibi consecutus esse uideatur.

SEBA. COR.

AD. XVI. Calen. Feb.} die XV. Ian. {Pridie eius diei.} die. XIIII. Ian. {Eorum } Volcatij, Catonis, & Lupi. {Curionem,} patrem. {Legem Pupiam.} qua per dies comitiales senatus haberi non poterat. {Reiectis legationibus.} quoniam lege Gabinia sanctum erat, cogi ex Calen. Feb. usq; ad Calen. Martias legatis senatum quotidie dari. {Inuidis } C. Catone præsertim {Factum.} Lupo contendente, ante se oportere discessionem facere, quam Coss. {Latrocinio.} Tribunorum pleb. quorum unus C. Cato etiam postea concionatus est, comitia haberi non siturum, si sibi cū populo dies agendi essent exempti. {Prouisum est } Præter alia, Cn. Lentulo Cos. quasi promittente dies comitiales eximere, hoc est, per eos de cœlo seruare, latinas instaurare, & supplicationes, ut legibus perniciosissimis maxime Catonis obsisteret. {Et ea excepta.} Al. ui excepta.

BERN. RVT.

AD. XVI. Calend Feb. cum in senatu pulcherrime staremus, quod iam illam sententiam Bibuli de tribus legatis fregeramus } Aut triginta tantum dies Ianuario attributos, aut in connumeratione calendarum ipsam diem exclusam, aut corruptos codices dici necesse est, neque hic modo, sed superioribus quoque literis. Cum enim postridie iduum fracta sit illa Bibuli sentētia de tribus legatis, quod supra ostendit, dies ille. XVIII. Calen. Feb. fuerit, oportet, hoc scilicet dierū numero, hic uero XVII. {Eo die acerbum habuimus Curionem.} In temporum supputatione ualde errat Egnatius. qui de filio Curione, quem Tribunum hoc tempore fuisse dicit, scribi uelit. nam hoc tempore nondum in prouinciam Ciliciam missus erat Cicero, uixq; ab exilio reuocatus. Tribunatum autē Curio accepit gessitq;, Cicerone in Cilicia absente. inde enim gratulatio, quæ est in sequenti libro, ad eum missa. At ne tum quidem Romæ erat filius Curio, quod ex libri secundi epistolis ad eū uenusse colligas, eaq; præsertim, cuius initiam, Nondum erat auditum: Plutarchoq; etiam. {Nemo est enim, qui nesciat, quo minus discessio fieret, per aduersarios tuos, esse factum } Male ita distingui puto, sensumq; alium effici. hoc enim dicit Cicero: Ni fallimur, cū senatus tibi decreturus esset, inuidia operaq; aduersariorum tuorū eo die effectum, ne discessio fieret, non autem id, quod ista distinctio præfert: Omnes sciunt, eo die senatum noluisse decerni, ne discessio per aduersarios tuos potissimum fieret. Quin existimet, dubio procul & nos probamus, non Qui.

EX PO. EIVS.

NEmo est enim, qui nesciat, quo minus discessio fieret per aduersarios tuos, esse factum.} Distinctionem nostram adiuuat ad Q. fratrē Cicero: Reliqua, inquit, cum esset in senatu cōtentio, Lentulus ne, an Pompeius reduceret, obtinere causam Lentulus uidebatur. in ea re nos & officio erga Lentulum mirifice, & uoluntati Pompeij præclare satisfecimus, sed per obtrectatores Lētuli res calumnia extracta est. consecuti sunt dies comitiales, per quos senatus haberi non poterat. Idest, quod ait supra: Res ab aduersarijs nostris extracta est uarijs calumnijs, &c.

PHIL. MELA.

AD. XVII. Calen. Febr } Narratio perpetua. {Dignitatis rationem.} Quando senatus decreuit, ut Lentulus reduceret cum exercitu. {Ego neq; de meo studio, &c.} Conclusio, quæ habet figuratam commendationem officiorum suorum.

ARGVMENTVM.

Lentulus egerat Ciceroni gratias ob gratum officium in tuenda causa a Cicerone ostensum: cui Cicero respondens, significat sibi dolere, ea tempora incidisse, ut Lentulus cogatur experiri fidem & beneuolentiam suorum, & præsertim Ciceronis erga se: hoc est, tempora aduersa. Dolet etiam, quod

Cato legem tulerit de prouincia abroganda Lentulo, quam rem Lent. uerebatur euenturam. De rege autem reducendo per Lentulum, dicit se bene sperare, cum uideatur rex ipse id uelle. Aduerte autem quod Catonem, uirum alioqui grauissimum, leuissimum uoces.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Quis fuerit affectus Ciceronis in amicis iuuandis, hac epistola exprimitur. Habentur & nouæ causæ, cur negocium minus confectum sit.

M. T. C. PVBLIO LENTVLO S.P.D. 5

Ametsi mihi nihil fuit optatius, quã ut primum abs te ipso deinde à cæteris omnibus, quam gratissimus erga te esse cognoscerer: tamen afficior summo dolore, eiusmodi tempora post tuam profectionem consecuta esse, ut & meam, & cæterorum erga te fidem, & beneuolentiam absens experirere. Te autem & uidere, & sentire eandem fidem hominum in tua dignitate, quam ego in mea salute sum expertus, ex tuis literis intellexi. Nos cum maxime consilio, studio, labore, gratia, de causa regia niteremur: subito exorta est nefaria Catonis promulgatio, quæ studia nostra impediret, & animos a minore cura ad summum timorem traduceret. Sed tamen in eiusmodi rerum perturbatione quanquam omnia sunt metuenda, nihil magis quam perfidiam timemus: & Catoni quidem, quoquo modo sese res habeat, profecto resistimus. De Alexandrina re, causáq; regia tantum habeo polliceri, me tibi absenti, tuisq; præsentibus cumulate satisfacturum. Sed uereor, ne aut eripiatur à nobis regia causa, aut deseratur: quorum utrum minus uelim, non facile possum existimare. Sed si res coget, est quiddam tertium, quod neque Selicio, nec mihi displicebat: ut neque iacere regem pateremur, nec nobis repugnantibus ad eum deferri, ad quem prope iam delatum esse existimatur. A nobis agentur omnia diligenter: ut neque, siquid obtineri poterit, non contendamus: neque, siquid non obtinuerimus repulsi esse uideamur. Tuæ sapientiæ, magnitudinisq; animi est, omnem amplitudinem, & dignitatem tua in uirtute, atque in rebus gestis tuis, atque in tua grauitate positam existimare. Siquid ex ijs rebus, quas tibi fortuna elargita est, nonnullorum hominum perfidia detraxerit, id maiori illis fraudi, quam tibi futurum. A me nullum tempus prætermittitur de tuis rebus & agendi, & cogitandi: utorq; ad omnia Q. Selicio, quo neque prudentiorem quenquam ex tuis, neq; fide maiore esse iudico, neque amantiorem tui. Hic quæ agantur, quæq; acta sint, ea te & literis multorum, & nuntijs cognoscere arbitror: quæ autem posita sunt in coniectura, quæq; mihi uidentur fore, ea puto tibi à me scribi oportere. Posteaquam Pompeius apud populum ad. VIII. Idus Februarias, cum pro Milone diceret, clamore, conuitioq; iactatus est, in senatuq; à Catone aspere, & acerbe, omnium magno silentio, est accusatus: uisus est mihi uehementer esse perturbatus. Itaq; Alexandrina causa, quæ nobis adhuc integra est (nihil enim tibi detraxit Senatus, nisi id, quod per eandem religionem dari alteri non potest) uidetur ab illo plane esse deposita. Nunc id speramus, idq; molimur: ut rex, cum intelligat sese, id quod cogitabat, ut à Pompeio reducatur, assequi non posse: & nisi per te sit restitutus, desertum se, atq; abiectum fore: proficiscatur ad te. Quod sine ulla dubitatione, si Pompeius paulum modo ostenderit sibi placere, faciet. Sed nosti hominis tarditatem, & taciturnitatem. Nos tamen nihil, quod ad eam rem pertineat, prætermittimus. Cæteris iniurijs, quæ propositæ sunt à Catone, facile, ut spero resistemus. Amicum ex consularibus neminem tibi esse uideo, præter Hortensium, & Lucullum: cæteri sunt partim obscurius iniqui, partim nos dissimulanter irati. Tu fac animo forti, magnoq; sis: speresq; fore, ut fracto impetu leuissimi hominis, tuam pristinam dignitatem & gloriam consequare.

ASCEN.

Ametsi &c. Lentulus egerat Ciceroni gratias ob gratũ officium, in tuenda causa sua. Cui Cicero nunc rescribẽs dicit sibi dolere ea tempora incidisse: ut Lentulus cogatur experiri fidem, & beneuolentiam suorum, & præsertim ipsius Ciceronis erga se. docet etiam, q Cato legem tulerit de prouincia abroganda Lentulo: quam rem Lentulus uerebatur euenturam. De rege autem reducendo per Lentulum dicit se bene sperare, cum uideatur rex ipse id uelle. Ordo est. Tametsi: idest quanquam nihil fuit mihi optatius, quam ut cognoscerer esse, quã gratissimus: idest ualde gratus: erga te: primum abs te ipso deinde a cæteris omnibus. Tamen ego afficior summo dolore, idest summe doleo: ea tempora consecuta esse post tuam profectionem, idest abitum ab urbe, ut tu absens experire, idest cogereris experiri: &, idest simul meam: &, idest simul cæterorum fidem, idest fidelitatem, & beneuolentiam erga te. Autem, idest sed: ego intellexi ex tuis literis te uidere, & sentire eandem fidem: idest fidelitatem: hominum in tua dignitate: scilicet seruanda, hoc est fictam. & simulatam: quã ego sum expertus in mea salute: cum. s. in exilio essem. Nos cum niteremur maxime de causa regia: idest reductione regis, consilio, studio, labore: gratia. idest omnibus uiribus: nefaria promulgatio Catonis. s. ut tibi prouincia abrogaretur: est exorta subito: quæ. s. promulgatio impediret studia nostra. s. quibus nitebamur tibi reductionem decerni: & traduceret animos nostros a minore cura. s. reductionis obtinendæ. Ad summum timorem. s. prouinciæ tibi amittendæ. Sed quanquam omnia sunt metuenda in eiusmodi perturbatione rerum: tamen nihil timemus magis, quam perfidiam: scilicet eorum, qui se amicos simulant: & resistemus Catoni quoquo modo: idest quomodocunque res habeat sese. Ego habeo: idest possum tantum polliceri de re Alexãdrina & pro: idest causa regia: idest de reductione regis Alexandriam, me satisfacturum cumulate: idest abunde: tibi absenti, & tuis præsentibus. scilicet quantum tu audies, & illi uidebunt. Sed uereor ne aut causa regia eripiatur a nobis, aut deseratur: scilicet ab senatu, & Populo Romano, hoc est ne rex aut per alium, aut per nullum reducatur: quorum: scilicet duorum: utrum ego uelim minus, non possum existimare: idest iudicare facile. Sed si res coget: scilicet ad hoc deuenire, est quiddam perfugium tertium: quod neque displicebat Selicio: scilicet amico tuo. neq; mihi: ut neq; pateremur regem iacere, id est neglectum esse: nec nobis repugnantibus: idest quia nos repugnaremus: pateremur supple negocium deferri ad eum: scilicet Pompeium: ad quem existimatur iam esse prope: idest quasi delatum. Omnia agentur diligenter a nobis: ut neque non contendamus. siquid poterit obtineri: nec siquid obtinuerimus: uideamur esse repulsi. Est: scilicet officium: tuæ sapientiæ, & magnitudinis animi: scilicet tui: existimare: idest iudicare, omnem amplitudinem, & dignitatem tuam esse positam: idest contineri: in uirtute: scilicet tua atq; in rebus tuis gestis: atq; in grauitate tua. Si nonnullorum: scilicet quorundam hominum: ut Catonis: & Pompeii: perfidia: detraxit tibi quid: idest aliquid ex iis rebus: quas fortuna est largita tibi: idest ex honoribus & dignitatibus externis: aut prudẽtiæ tuæ est existimare: id futurum supple esse maiori fraudi: idest detrimento illis: scilicet perfidis, quam tibi. Nullum tempus, & agendi, & cogitandi de tuis rebus, prætermittitur a me: & utor ad omnia Quinto Selicio. Neque enim iudico quenquam ex tuis prudentiorem supple eo, nec maiore: idest præstantiorem fide: idest fidelitate, neque amantiorem tui: idest qui te magis amet. Hic &c. In multis exemplaribus principium est alterius Epistolæ, & ita potius: quam cum superiore legatur. Ego arbitror te cognoscere literis multorum, & nuntiis, quæ agãtur, quæq;: idest quæ & acta sint: hic idest: Romæ: autem idest sed, ego puto oportere ea scribi a me tibi. quæ posita sunt in coniectura: quæq; i. & quæ uidentur mihi fore: idest futura esse. Posteaquam Pompeius cum diceret: scilicet causam: pro Milone: scilicet homicida: apud populum ad octauum Idus Februarias: iactatus: est idest fere exagitatus est clamore & conuitio: scilicet populi: scilicet non admittentis eius orationem: accusatus est quoque: idest etiam in senatu: a Catone acerbe: & silentio nimium magno: quod signum erat Catonem accusando Pompeio senatui placere. Pompeius supple uisus est mihi esse perturbatus uehementer. Itaque causa Alexandrina: quæ est nobis adhuc integra, Enim: idest quia: senatus nihil detraxit tibi: nisi id quod non potest dari: idest concedi alteri. Per eandem religionem: scilicet librorum Sibyllinorum: hoc est ne cũ exercitu reducas: uidetur esse deposita plane: idest omnino: aut manifeste: ut res tota uidetur in plano sita, nos speramus nunc id, & molimur id, ut cum rex: scilicet Ptolemæus intelligat sese non posse assequi id, quod cogitabat: scilicet ut a Pompeio reducatur: & se

fore

fore desertum, atque abiectum, nisi sit restitutus per te: Ipse supple proficiscatur: idest ueniat ad te: quod supple rex faciet sine ulla dubitatione, si Pompeius ostenderit modo: idest solummodo: paulum: idest modico iudicio, aut signo placere tibi: scilicet ut ad te proficiscatur Sed tu nosti tarditatem hominis: scilicet Pompeii, & taciturnitatem: quia nec dicto, nec facto uoluntatem suam indicare solebat: tamen nos nihis prætermittimus, quod pertinet ad eam rē: scilicet ut inducam Pompeium ad significandum se uelle regem per te reduci. Nos resistemus facile: ut spero: cæteris iniuriis, quæ propositæ sunt a Catone, qui scilicet uolebat legem de abroganda Lentulo prouincia promulgare. Ego neminem ex consularibus: id est ex iis, qui consules fuerunt, aut consulatum gesserunt. Alibi etiā ii consulares dicuntur, qui consolatu digni cēsentur: uideo: idest cō sidero: refertur enim ad iudicium animi: amicum tibi præter Hortensium & Lucullum Cæteri sunt iniqui: idest infensi in te: partim obscurius: idest occultius: partim sunt irati tibi non dissimulantes idest aperte. Tu fac. sup. ut: sed uenusse subauditur particula ut: sis animo forti, & magno, & speres fore: idest futurum esse & euenturum, ut consequare: idest nanciscare, & obtineas: tuam dignitatem: & gloriam pristinam: idest prioris status tui: hoc est quam prius habuisti Est enim pristinum, quod ab aliquo prius est habitum. Priscū quod in prioribus fuit seculis in aliis nimirum hominibus: ut prisca frugalitas Romanorum. & hoc impetu hominis leuissimi: scilicet Catonis, qui sine legitima causa te oppugnat: fracto idest repercusso. Mirum autem est, q Catonem, cui grauitas propria erat, leuissimum dicat.

VICTO. IN PO. Clamore conuicioque iactatus est.} Mendose, ut opinor, in Mediceo codice legitur (Iactus,) pro (iactatus;) contra ac eodem hoc in libro (iactata) pro (iacta,) in illo loco: Ea fundamenta iactata esse. Has autem maculas in optimis etiam exemplaribus indicasse utile esse existimo, ne omnibus in rebus illis fides habeatur. Quam male autem his diebus & in senatu, & ad populum, acceptus sit Pompeius, uberius a Cicerone exponitur in Epistola ad Q. Fratrem, cuius initium est Scripsi ad te antea, ex qua etiam facile perspicitur exitium illius Reip. nō potuisse longe abesse, quæ permitteret optimum & fortissimum ciuem a petulantissimis, & flagitiosissimis hominibus tantopere uexari. & in qua turbide, ac tumultuose maximæ res agerentur.

IO. BA. EGNA. Tametsi nihil mihi, &c.} Quanto ipse afficiatur dolore, quā taque molestia, q absens ille suam cæterorumque amicorum experiri cogatur fidem, quod & in restitutione sua euenisse sibi ille uiderit, scribit. tum C. Catonis audaciam, nefariamque promulgationem exortam admonet: quidque aut ab eo timendum, aut regis restitutione sperandum sit, certiorem facit. adhortaturque, ut quamcūque sortem fortuna dederit, magno eam animo erectoque ferat, atque a uirtutibus suis præsidium petat: cum interim & ipse, & Q. Selicius, nihil non tentaturi pro rei confectione sint Nunc id superesse spei, ut quando Pompeius populo senatuque libentibus iactatus sit, & perpetua pene Catonis oratione laceratus, deposita plane ab illo causa, ad ipsum integra deferatur: quod facile consecutum se speret, dummodo Pompeius, cuius tarditatem timeat, placere id sibi annuerit. Nec uero a Catone interim plane timendum quicquam, aut a consularibus boni sperandum, Hortensio Lucullo que exceptis: cum alii aut occulte oderint, aut aperte irati sint. Sed tamen facile, fracta Catonis leuitate, pristinum honorem dignitatemque consecuturum, nō diffidit. {Tametsi.} Epistolæ principium moratum. {Nefaria Catonis promulgatio.} quam de abrogando Lentuli Imperio Trib. pleb. tulerat Cicero ad Q. fratrem: C. Cato legem promulgauit de imperio Lentuli abrogando, uestitum filius mutauit. Illud lectorem admonitum uelim, hunc esse Catonem alium ab Vticensi: siquidē hic C. prænomine, ille Marci quod Cicero in Epistolis ad Q. fratrem ostendit. Nec uero Vticensis Tribunus hoc esse potuit tempore, cū aliquot ante annis cum Metello Trib. pleb. fuisset, & in eo magistratu constantissimum uirum egisset, Ciceronis & C. Antonii consulatu. {Neque enim prudentiorem.} Tria tangit, quæ amico consilium danti necessaria sint: ut uidelicet prudenter res expendat, summa fide commissam sibi rem exequatur, sed & beneuolentiam non exiguam præ se ferat. Quid enim uel illius prudentiæ, uel fidei credas, cuius beneuolentiæ diffidas? {Elargita} Mire admodum hoc uerbo rem expressit {Coniectura.} στοχασμὸν Græci appellant {Postquam Pompeius} Locus totus hic ex actis eorum temporum ab historia petendus. Plutarchus igitur in Pompeio est autor q cum Pompeius causam pro quodam diceret, Milonem (ut arbitror) intelligēs, Clodius sui similibus stipatus, altiorem se locum receperit: ibique adunata populi concione, sic rogasse ait: Quis Imperator impudicitia laborat? Quis uir uirum, quis uno digito scalpit caput? Succlamatum uero ad singula, Pompeium illum esse Et paulopost: Tristabatur uero magis ille, q senatus Clodii facto mirifice delectari uisus est, dum desertum Cicero illi exprobrare studet. Cicero quoque ad Q. fratrem lib. iij. scribens, hunc Epistolæ locum subobscurum alioqui, iis uerbis apertiorem facit: Pompeium a Clodianis in concione conuiciis & maledictis laceratum: Clodium a Pompeianis, quo illi parem referrent gratiam, magnis clamoribus exceptum, uersusque obscœnissimos in Clodium Clodianosque dictos. Addit præterea, quod ex Plutarcho paulo ante recitauimus, ab operis Clodianis factum: sed paulopost habito senatu ad Apollinis, decretum esse factum ut quæ ad VI. Idus Feb. facta essent, contra Remp. facta essent. Eo quoque C. Catonem uehementer in Pompeium inuectum, Pompeiumque ab illo tāquam reum perpetua oratione accusatum, ubi multa de Ciceronis laudibus dixerit, cum perfidiam Pompeio exprobraret, magno audientium assensu & silentio. Quare aut hic quoque VII. dus aut ibi ad VIII. legendum puto. Asconius in Miloniana, in hæc uerba: Pompeius tamen cum defenderet Milonem apud populum, de ui accusante Clodio, obstitit & ut legimus apud Tyronem Ciceronis libertum, quarto de uita eius, oppressum a Clodio L. Cæciliū prætorem constat. {Nisi id quod per eandem religionem dari alteri non potest.} Hoc uidelicet est, ne quis cum multitudine aut exercitu regem reduceret. Cicero ad Q. Factum est senatusconsultum, cū multitudine eum reduci periculosum Reip. uideri. {Nosti hominis tarditatem, & taciturnitatem.} Vitia hæc duo a Pompeii obtrectatoribus sæpe illi obiecta, (quod & in Tiberio Imperatore, & in P. quodam Vicinio, probro datum est) qui. s. ut autor est Gellius, tractim diceret, tanquam singula uerba uelleret, dictaretque, non scriberet. Vnde quidam non infestiue, Ter die aut nunquam ait Cicero ad Q. fratrem Messalam tui studiosum esse arbitror, Pompeium etiam simulatorem puto. & ad Atticum lib. iiij. Pompeius fremit, queritur, Scauro studet. sed utrum fronte, an mente, dubitatur. {Leuissimi hominis.} C. Catonem non Vticensem, ut dixi, sed diuersum notat. Quid enim aut ineptius dici, aut minus credibile scribi de Catone potuit, quam leuitatem uiro omnium constantissimo obiectare? Atque hic mihi C. Cato uidetur, pro quo causam Scaurus, M. Scauri filius dixit, quem absolutum constat. Asconius.

DOCTI CVIVS. Catonis.} Huius promulgationis Cice. meminit ad Q. fratrem: Cato, inquit, legem tulit de Imperio Lentuli abrogando, cum Lentulus in Cilicia esset, Legem tulit Cato, ut illi prouincia abrogaretur, quæ res & Ciceronis studia, multorumque fauores impediuit.} De Alexandrina re.} Regis causam puta: de qua propter uarias multorum opiniones, & carmina Sibyllina, nihil erat certi constitutum.

ARGVMENTVM.

Quia Pollio in Ciliciam ad Lentulum proficiscebatur, dicit Lentulum ex eo omnia cogniturum: quæ quia bona non sunt, cohortatur ad fortitudinem: & operam suam, cum aliud non possit, pollicetur strenuam.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Excusatio est per ἀποδείξιν, siue relectionem: Breuius scribo, quia utrius que nostrum amicus Pollio rem tibi omnem enarrabit. Recitat ipse causas consolationis doloris sui, ne omnino spem de causa deposuisse credatur.

M. T. C. PVBLIO LENTVLO S.P.D. 6

Quæ gerantur accipies ex Pollione, qui omnibus negocijs non interfuit solum, sed præfuit. Me in summo dolore, quem in tuis rebus capio, maxime scilicet consolatur spes, quod ualde suspicor fore, ut infringatur hominum improbitas & consilijs tuorum amicorum, & ipsa die, qua debilitantur cogitationes & inimicorum, & proditorum. Facile secundo loco me consolatur recordatio meorum temporum, quorum imaginem uideo in tuis rebus. Nam etsi minore in re uiolatur tua dignitas, quam mea salus afflicta sit: tamen est tanta similitudo, ut sperem te mihi ignoscere, si ea non timuerim, quæ ne tu quidem unquam timenda duxisti. Sed præsta te eum, qui mihi à teneris (ut Græci dicunt) unguiculis es cognitus. Illustrabit (mihi crede) tuam amplitudinem hominum iniuria. A me autem omnia summa in te studia, officiaque; expecta: non fallam opinionem tuam. Vale.

ASCEN. Quæ gerantur &c. Quia Pollio in Ciliciam ad Lentulum proficiscebatur: dicit eum omnia ex eo cogniturū, quæ quia plausibilia, & grata non sunt, hortatur Lentulum ad fortitudinem, & operam suam, cum aliud nō possit, pollicetur illi strenuam. Ordo est. Tu accipies:

idest Intelliges ex Pollione supple ea quæ geruntur supple Romæ, qui: scilicet Pollio non solum interfuit: idest præsens fuit omnibus negociis: sed supple etiam præfuit scilicet tanquam præses. Spes cō solatur maxime in summo dolore, quem capio in rebus tuis: scilicet tam aduersis, quod: idest quia: scilicet suspicor ualde fore: idest futurum esse: ut improbitas hominum infringatur, &: idest simul, consilus tuorum amicorum: & ipsa die: idest tempore longo. quæ scilicet dies, aut mora: debilitat cogitationes, & inimicorum, & proditorum Recordatio meorum temporum: scilicet tam contrariorū ut in exilium abeundum fuerit: consolatur me facile secundo loco: quorum: scilicet temporum meorum: imaginem: idest imitationem & similitudinem ego uideo in rebus tuis. Nam etsi: idest quanquam: tua dignitas uiolatur in minore re, quia repulsa modica: quam mea sit afflicta, quia ut dixi exilia: tanta similitudo est, ut sperem te ignoscere mihi, si ego ea non timuerim, quæ ne tu quidem duxisti: idest existimasti unq̄ timēda supple. Sed præsta .i. exhibe te eū scilicet forti animo, hominem: qui cognitus es mihi: ut Græci dicunt .i. ut in prouerbio Græcorum est: græcis tamen uerbis: a teneris unguiculis: idest ab ineunte ætate, apta tamen est translatio: nam ab uno ungue totius cognoscitur leonis animus futurus. Crede mihi, iniuria hominum illustrabit: idest clariorem faciet tuam dignitatem: sicut Iuno, & Eurystheus Herculis auxerūt famam, & tyranni martyrum Christi gloriam. Expecta a me: idest polliceor tibi omnia, summa studia, & officia in te Ego non fallam opinionem tuam: scilicet de me. Vale.

SEBA. CORR.

HOminum improbitas.} C. Catonis, & aliorum {Qua debilitantur.} Aliter, quæ debilitat. {Meorum temporum.} exilii. {Minore.} Multo enim minus est, de aliqua existimationis parte laborare, quam in totius existimationis, & salutis periculum uenire. {Mea salus afflicta.} Al. mea afflicta. {Ea.} fore, ut nos dicti perpetuo iaceremus.

DOCTI CVIVS.

QVorum Imaginem.} Exilii sui calamitatem dicit, in quam coniectus fuit, Clodii impunita uitæ improbitate, eo tempore quum uniuersi nobiles Rom. Ciceronis Arpinatis scilicet hominis, gloria & consulari dignitate contabescerent, & Pompeius facile sustineret, in exilium detrudi Ciceronē, a quo tamen postea mutato consilio reuocatus est. Idem hoc loco futurum autumat, ut Pompeius, qui offensus credebatur esse Lentulo, post statim de eo facturus sit idem, quod de se Cicerone antea fecerit.

PHIL. MELĀ.

ME In summo dolore, &c.} Consolatio. Propositionem hanc in se transtulit: Me consolatur spes. {Facile secundo.} Secundum argumentum, ab exemplo Ciceroniani casus. {Recordatio meorum temporum.} Nam exempla consolantur nos; quin nemo æquo animo perferret id, quod sciret nemini alii accidisse. Exempla ergo prosunt cogitatione debiti, & euentus ad consolandum. {Sed præstate eum.} Conclusio, qua transfert suam consolationem ad Lentulum.

ARGVMENTVM.

Respondet Epistolæ Lentuli, dicens se merito & libenter de rebus Lentuli ad eum scribere: pollicetur que se nullum certum nuntium prætermissurum, nam incerto literas tales credere non ausit, quin ei ad Lentulum literas det. Reiicit autem culpam, qua Lentuli uota immorata sunt, in perfidiam quorundam: deinde laudat quod ad Pompeium humane scripserat: eum de rege reducendo consilium suum aperit: eum perfidiam quorundam detestatur: & tandem Lentulum ad uirtutem accendit.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Respondet uariis Lentuli literis. Primum causas dicit, cur non tam frequēter, quam cupiat, scribat. Addit numerum eorum, qui Lentulo aut male, aut bene cupiunt. De Pompeio quoque conciliato gaudere se dicit. Postremo consilium suum aperit, quo Lentulus ab aduersariorum iniuria tutus esse possit.

M. T. C. PVBLIO LENTVLO S. P. 7

*LEgi tuas literas, quibus ad me scribis, gratum tibi esse, quod crebro certior per me fias de omnibus rebus, & meam erga te beneuolentiam facile perspicias: quorum alterum mihi, ut te plurimum diligam, facere necesse est, si uolo is esse, quem tu me esse uoluisti: alterum facio libenter, ut quoniam interuallo locorum, & temporum disiuncti sumus, per literas tecum quam sæpissime colloquar, Quod si rarius fiet, quam tu expectabis, id erit causæ, quod non eius generis meæ literæ sunt, ut eas audeam temere committere. Quoties mihi certorum hominum * facultas erit, quibus recte dem, non prætermittam. Quod scire uis, qua quisque in te fide sit, & uoluntate: difficile dictu est de singulis. Vnum illud audeo, quod antea tibi sæpe significaui, nunc quoque re perspecta, & cognita scribere: uehementer quosdam homines, & eos maxime, qui & te maxime debuerunt, & plurimum iuuare potuerunt, inuidisse dignitati tuæ, simillimamq́; in re dissimili, tui temporis nunc, & nostri quondam fuisse rationem: ut quos tu Reipublicæ causa læseras, palam te oppugnarent, quorum autoritatem, dignitatem, uoluntatemq́; defenderas, non memores essent uirtutis tuæ, quam laudis inimici. Quo quidem tempore, ut perscripsi ad te antea, cognoui Hortensium percupidum tui, studiosum Lucullum: ex magistratibus autem L. Rutilium & fide, & animo, in te singulari. Nam nostra propugnatio, ac defensio dignitatis tuæ, propter magnitudinem beneficij tui, fortasse plerisque officij maiorem autoritatem habere uideatur, quam sententiæ. Præterea quidem de consularibus nemini possum aut studij erga te, aut officij, aut amici animi esse testis. Et enim Pompeium, qui mecum sæpissime non solum à me prouocatus, sed etiam sua sponte de te communicare solet, scis temporibus illis non sæpe in senatu fuisse. Cui quidem literæ tuæ, quas proxime miseras, quod facile intellexerim, periucundæ fuerunt. Mihi quidem humanitas tua, uel summa potius sapientia, non iucunda solum, sed etiam admirabilis uisa est. Virum enim excellentem, & tibi tua præstanti in eum liberalitate deuinctum, non nihil suspicantem propter aliquorum opinionem cupiditatis suæ, te ab se abalienatum, uel illa Epistola retinuisti. Qui mihi cum semper tuæ laudi fauere uisus est, etiam ipso suspiciosissimo tempore * Caniniano: tum uero lectis tuis literis perspectus est à me toto animo de te, ac de tuis ornamentis, & commodis cogitare. Quare ea, quæ scribam, sic habeto: me, cum illo re sæpe communicata, de illius ad te sententia, atque autoritate scribere: Quoniam senatusconsultum nullum extat, quo reductio regis Alexandrini tibi adempta sit: eaq́;, quæ de ea causa scripta est autoritas, cui scis intercessum esse, ut nequis omnino regem reduceret tantam uim habet ut magis iratorum hominum studium, quam constantis senatus consilium esse uideatur: te posse perspicere, qui Ciliciam Cyprumq́; teneas, quid efficere, & quid consequi possis: & si res facultatem habitura uideatur, ut Alexandriam, atque Ægyptum tenere possis: esse & tuæ, & nostri Imperij dignitatis, Ptolemaide, aut aliquo propinquo loco rege collocato, & te cum classe, atque exercitu proficisci Alexandriam, ut cum eam pace, præsidiisq́; firmaris, Ptolemæus redeat in regnum. ita fore, ut per te restituatur, quemadmodum senatus initio censuit: & sine multitudine reducatur, quemadmodum homines religiosi Sibyllæ placere dixerunt. Sed hæc sententia sic & illi, & nobis probabatur, ut ex euentu homines de tuo consilio existimaturos uideremus: si cecidisset ut uolumus & optamus, omneis te & sapienter, & fortiter: sin aliquid esset offensum, eosdem illos & cupide, & temere fecisse dicturos. Quare quid assequi possis, non tam facile est nobis, quam tibi, cui prope in conspectu Ægyptus est iudicare. Nos quidem hoc sentimus: si exploratum tibi sit, posse te illius regni potiri, non esse cunctandum: sin dubium, non esse conandum. Illud tibi affirmo, si rem istam ex sententia gesseris, fore, ut absens à multis: cum redieris ab omnibus, collaudere: offensionem esse periculosam propter interpositam autoritatem, religionemq́; uideo. Sed ego te ut ad certam laudem adhortor, sic à dimicatione deterreo:*

*lias potestas.

*alias Catoniano.

eo: redeoq; ad illud, quod initio scripsi, totius facti tui iudicium non tam ex consilio tuo, quam ex euentu homines esse facturos. Quod si hæc ratio rei gerendæ periculosa tibi uidebitur, placebat illud, ut si rex amicis tuis, qui per prouinciam Imperij tui pecunias ei credidissent, fidem suam præstitisset, & auxilijs eum tuis, & copijs adiuuares: eam esse naturam & rationem prouinciæ tuæ ut illius reditum uel adiuuando confirmares, uel negligendo impedires. In hac ratione quid res, quid causa, quid tempus ferat tu facillime, optimeq; perspicies: quid nobis placuisset, ex me potissimum putaui te scire oportere. Quod mihi de nostro statu, de Milonis familiaritate, de leuitate & imbecillitate Clodij gratularis: minime miramur te tuis, ut egregium artificem, præclaris operibus lætari: quanquam inest incredibilis hominum peruersitas (grauiori enim uerbo uti non libet) qui nos quos fauendo in communi causa retinere potuerunt, inuidendo abalienauerunt: quorum maleuolentissimis obtrectationibus nos scito de uetere illa nostra, diuturnaq; sententia prope iam esse depulsos: non nos quidem ut nostræ dignitatis simus obliti: sed ut habeamus rationem aliquando etiam salutis. Poterat utrunq; præclare si esset fides, si grauitas in hominibus consularibus: sed tanta est in plerisque leuitas, ut eos non tam constantia in Repub. nostra delectet, quàm splendor offendat. Quod eo libentius ad te scribo, quòd non solum temporibus iis, quæ per te sum adeptus, sed & olim nascenti prope nostræ laudi, dignitati, uirtutiq; præfuisti: simul quòd uideo, non, ut ante hac putabam, nouitati esse inuisum meæ: in te enim homine omnium nobilissimo similia inuidorum uitia perspexi, quem tamen illi esse in principibus facile sunt passi, euolare certe altius noluerunt. Gaudeo tuam dissimilem fuisse fortunam: multum enim interest, utrum laus imminuatur, an salus deseratur. Me meæ tamen ne nimis poeniteret, tua uirtute perfectum est. Curasti enim, ut plus additum ad memoriam nominis nostri, quàm ademptum de fortuna uideretur. Te uero moneo cum beneficijs tuis, tum amore incitatus meo, ut omnem gloriam, ad quam à pueritia inflammatus fuisti, omni cura, atq; industria consequare: magnitudinemq; animi tui, quam ego semper sum admiratus, semperq; amaui, ne unquam inflectas cuiusquam iniuria. Magna est hominum opinio de te, magna commendatio liberalitatis, magna memoria consulatus tui. Hæc profectò uides quanto expressiora, quantoq; illustriora futura sint, cum aliquantum ex prouincia, atq; ex Imperio laudis accesserit. Quanquam te ita gerere uolo, quæ per exercitum, atq; Imperium gerenda sunt, ut hæc multo ante meditere, huc te pares, hæc cogites, ad hæc te exerceas: sentiasq; id, quod quia semper sperasti, non dubito, quin* adeptus, intelligas te facillime posse obtinere summum, atque altissimum gradum ciuitatis. Quæ quidem mea cohortatio, ne tibi inanis, aut sine causa suscepta uideatur, illa me ratio mouet, ut te ex nostris euentis communibus admonendum putarem, ut considerares in omni reliqua tua uita, quibus crederes, quos caueres. Quod scribis te uelle scire, qui sit reipublicæ status: summa dissensio est, sed contentio dispar. Nam qui plus opibus, armis, potentia ualent, perfecisse tantum mihi uidentur stultitia, & inconstantia aduersariorum, ut etiam autoritate iam plus ualerent. Itaq; per paucis aduersantibus, omnia, quæ ne per populum quidem sine seditione se assequi arbitrabantur, per senatum consecuti sunt. Nam & stipendium Cæsari decretum est, & decem legati, & ne lege *Sempronia succederetur, facile perfectum est. Quod ego ad te breuius scribo, quia me status hic Reipublicæ non delectat: scribo tamen, ut te admoneam, quod ipse literis omnibus à pueritia deditus, experiendo tamen magis, quam discendo cognoui: id ut tu rebus tuis integris discas, neque salutis nostræ rationem nobis habendam esse sine dignitate, neque dignitatis sine salute. Quod mihi de filia & de Crassipede gratularis, agnosco humanitatē tuam: speroque & opto, nobis hanc coniunctionem uoluptati fore. Lentulum nostrum eximia spe, summæ uirtutis adolescentem, cum cæteris artibus, quibus studuisti semper ipse, tum in primis imitatione tui fac erudias: nulla enim erit hac præstantior disciplina: quem nos, & quia tuus, & quia te dignus est filius, & quia nos diligit semperq; dilexit, in primis amamus, charumq; habemus.

*alias apertius.

*Qua nõ licebat ultra tẽpus cõstitutum in prouincia manere Cesar uero ultra q̃ cõuenerat annum ad huc alterũ in Gallia manere uolebat.

ASCEN.

Legi tuas literas &c. Respondens Epistolæ Lentu. dicit se merito, & lubenter de rebus Lentu. ad eum scribere polliceturq; se nullum certum nuncium prætermissurum, nam incerto credere talis literas non sit tutum; quin et ad Len. literas det. Reiicit deinde culpam, qua Len. uota dilata, ac impedita sunt, in quorundam perfidiam: tum laudat, quod ad Pomp. humane scripserat. Tum de rege reducendo consilium suum aperit. Tum perfidiam quorundam detestatur, & tandem Len. ad uirtutem accendit. Est autem longa: & ita accurate scripta Epistola. Ordo est. Ego o Len. legi literas tuas: quibus scribis ad me, gratũ esse tibi, quod certior has crebro per me de omnibus rebus, & sup. quod perspicias: idest agnoscas facile: beneuolentiam meam erga te. Quorum alterum: scilicet ut diligam plurimum te: necesse est mihi facere, si uolo esse is. i. talis: quem idest qualem: tu uoluisti me esse: alterum: scilicet, ut certiorem faciam: facio libenter, ut quoniam nos sumus disiuncti internallo: idest interstitio, & distantia locorum, & temporum: non quod sint diuersis temporibus: sed quod non uno tempore eadem audire, & uidere possunt: ego colloquar quamsæpissime tecum per literas. Quod scilicet me colloqui tecum per literas si fiet rarius, quam expectabis: id erit causæ: quod meæ literæ non sunt eius generis, ut audeam committere idest credere, & dare tabellarijs eas temere idest inconsiderate. Quoties potestas idest facultas certorum hominum erit mihi, quibus dem idest committam: recte idest sine periculo, nõ prætermittam sup. ad te dare. Quod tu uis scire, qua fide idest fidelitate, & uoluntate sit quisq; in idest erga, & aduersum te: est difficile dictu idest ut dicatur de singulis. Ego audeo scribere ad te illud unum, quod significaui antea sæpe tibi: nunc quoq; idest etiam nũc respecta, & cognita: quosdam homines, & maxime eos, qui & debuerunt maxime, & potuerunt plurimum iuuare te: inuidisse uehementer dignitati tuæ: & simillimam rationem tui temporis nunc. i. quod nunc est: & nostri temporis quondam fuisse in re dissimili: quia in dignitate tua, & in salute mea, ut sup. ii, quos tu læseras causa reip. oppugnarent te palam: & alii, quorum defenderas autoritatem: dignitatem, & uoluntatem: non essent tam idest tantum memores uirtutis tuæ: quam idest quantum essent inimici laudis scilicet tuæ. Quo quidem tempore: ut perscripsi: aut scripsi antea ad te: ego cognoui Hortensium percupidum tui scilicet iuuandi: & Lucullum studiosum tui. Autem idest sed ego cognoui ex magistratibus idest qui tunc magistratu fungebantur, Lucium Rutiliũ, & fide, & animo singulari sup. in te. Et siquis dicat, quid de tua fide, & animo in Lentulum senseris Cicero? nunquid minus singulari fide, aut animo in eum es, aut fuisti: quam Rutilius? Respondet quasi tacite obiectioni, ac si dicat. dixi Rutilium singulari fide. Nam nostra propugnatio: idest concertatio pro te, ac defensio idest protectio dignitatis tuæ: uideatur fortasse plerisq; habere maiorem autoritatem officij scilicet debiti persoluti: quam sententiæ scilicet uero iudicio ad te latæ propter magnitudinem beneficij tui. Hoc est quia omnes nouerunt me tibi plurimum debere, eo quod te referente ab exilio reuocatus sum: minus creditum est mihi de te præclara prædicanti, & pollicenti: putatum est enim a plerisq; me id facere: non quia de te ita sentirem: sed quia tibi plurimum deberē, quam sententiam etiam supra insinuit. Præterea quidem. Ordo est. quidem idest certe: præterea: idest insuper, ac præter iam dictos ego neminem idest non alicui: non possum esse testis alicui: aut studij: aut officij: aut animi amici erga te. Etenim idest quia certe tu scis Pomp. qui solet communicare idest familiariter loqui mecum de te sæpissime: non solum prouocatus idest excitatus prius ad hoc a me: sed etiam sua sponte idest a nullo prouocatus. scis inquã: Pom. non sæpe fuisse in senatu illis temporibus scilicet quibus de tua causa agitatum est: & ita tacite Pompeium purgat. Cui scilicet Pompeio: quidem idest certe literæ tuæ, quas miseras proxime: quod dicunt ultimate. fuerunt periucundæ: quod idest quam rem ego intellexerim facile. Quidem idest certe: ut de Pomp. taceam: humanitas, uel potius summa sapientia tua uisa est mihi non solum iucunda, sed etiam admirabilis idest digna admiratione. Enim idest quia tu retinuisti scilicet in amicitia: illa Epistola scilicet quã proxime ad eum dedisti uirum excellente: & deuinctum idest obligatum tibi tua præstanti liberalitate in eum, suspicantem non nihil, immò multum, inalienatum idest alienum factum, & auersum ab se, propter opinionem aliquorum: cupiditatis suæ idest quam quidam habuerunt de cupiditate sua reducendi regis. Qui: scilicet Pompeius. cum. scita sit, quod uisus est mihi semper fauere laudi tuæ, etiam ipso suspiciosissimo tempore Caniniano. i. cum Caninius, & Cato rem ad populum referri uolebant, ro. q; patres conscripti tibi fauere uidebantur: tum uero. i. tunc præcipue, & quasi ad

uerum : lectis literis tuis : idest postquam legeras literas tuas , ipse
Pompeius perspectus est a me cogitare toto animo de te, ac de orna
mentis,ac commodis tuis.i quomodo te aut ornare,aut cõmodo ali
quo afficere possit.Quare habeto.i.tenero sic ea quæ scribam q.d.
ex consilio utriusq;:utpote me scribere ad te de sententia illius scili
cet Pomp.atq; autoritate.te sæpe communicata cum illo.Q noniam
nullum senatuscon.extat,quo reductio regis Alexandrini sit adem
pta tibi,& ea autoritas,quæ scripta est de ea.s.reductione, ut nequis
omnino reduceret:cui.s.autoritati scis, intercessum esse.i.quosdã se
opposuisse:& ita non est præscripta,nec ratificata. habet tantã uim
q.d.fere nullam,utpote tãtummodo eam:ut uideatur magis esse stu
dium hominum iratorum,qui recte consulere nequeunt (quia impe
dit ita animum,ne possit cernere uerum:)quam consilium sena.con
stantis.i.firmi,& ratione consultantis.Et habeto te, qui teneas Cili-
ciam,& Cyprum prouincia ,posse perspicere, quid possis efficere.s.
in reducendo regem,& quid s emolumenti possis consequi.i.obtine
re.Et perspicere posse si res.i.negocium hoc uideatur habere faculta
tem,ut possis tenere.i.possidere,tanquam prouincias , aut prouin-
ciæ partes: Alexandriam,regiam regum Aegypti . Atq; Aegyptum
.s.reliquam:id sop.esse dignitatis,&.i.simul.tuæ : &.i.simul imperii
nostri i.Romani,hoc est pertinere ad dignitatem tuam, & totius im
perii,te proficisci.i.ut proficiscaris Alexandriam:cum classe, atque
exercitu,& hoc rege collocato Ptolemaide.i. in ea urbe Pentapo-
leos inter Aegyptum,& Africam olim Barce dicta:aut aliquo.s alio
loco propinquo:ut cum i postquam firmaueris eam.s.Alexandriam
pace.i.concordia cum rege:& præsidiis.i.militibus tuis ad tutelam
urbis:& ut in fide seruetur.(Est enim præsidium,quod gallice dici-
tur guarnison:)Ptolemæus redeat in regnum: ita fore.i futurum es
se:repete,te perspiceret:ut .s Ptolemæus restituatur per te, quemad
modum senatus ex sententia Hortensii censuit initio ,& reducatur
siue multitudine.i.sine exercitu,saltem tunc,cum restitueretur præ
sente:unde callida perspicitur religionis interpretatio : quemadmo
dum homines religiosi: Archaismos est.i.amara irrisio.i.qui se fin-
gunt religione uictos ita sentire:dixerant placere Sibyllæ.i.consi-
lio Sibyllino:quod in prænotamentis recitauimus. Sed hæc senten
tia.i.hoc consilium probabatur sic.i.eatenus illi.s.Pompeio : & no-
bis.i.mihi:ut uideremus homines existimaturos i.iudicaturos de tuo
consilio ex euentu.i.secundum quod euenerit , & exitum habuerit
inceptum tuum.Si.s.inceptum tuum,cecidisset.i.euenisset: ut uolu-
mus.s.euenire,& optamus:uideremus omnes dicturos te fecisse , &
fortiter & sapienter.sin aliquid esset offensum.i.peccatum per te in
eo conatu,eosdem illos dicturos esse te fecisse & cupide.i.ambitiose
& temere.i.insipienter,ac imprudenter.{Quare.i.quamobrem:non
tam facile est iudicare nobis.i.Pompeio,& mihi,quam tibi, in cuius
prope.i.quasi:conspectu est Aegyptus: quid possis assequi.s.an lau
dem,an uituperationem populi.Id quidem &c. hoc alii sic distin-
guũt,ut particula id adhæreat superiori:& legatur . Nos qui idem:
alii coniungunt sic.Nos quidem sentimus id hoc.s.modo aut loco:
si sit tibi exploratum.i.compertum,& certũ teneas: tracta metapho-
ra ab exploratoribus uiarum tempore belli:te posse potiri illius re-
gni.sup.imperio:sed sicut non addimus ablatiuum cum dicimus po
tior rerum.ita nec additur nunc genitiuo regni : quod Vallæ anno-
tandum erat:qui de rerum tantum mentionem facit : non esse cun-
ctandum.i immorandum tibi,si sit dubium.s.utrum possis potiri re-
gni,non esse conandum.i.frustra annitendum.Nam conamur fere in
uanum,ac frustra.Ergo affirmo tibi illud :si gesseris rem istam ex sen
tentia.i.ut senties,hoc est ex uoluntate tua cum prospero euentu.fo-
re.i.futurum esse:ut tu absens.i.tantisper dum aberis : collaudere.i.
collaoderis a multis:cõ rediens sup.collaudere ab omnibus.Offen-
sionem &c.Ordo est Ego uideo offensionem.i.errorem & peccatum
in tali causa,de qua iam locutus est :esse periculosam:propter autori
tatem.s.senatus interpositam.i. quæ intercessit,cauens nequid teme
re agatur : & propter religionem.i.metum,quem incusserunt libri Si
byllini.Sed ut ego adhortor te ad certam laudem.s.si sine offensio-
ne rem peregeris:sic deterreo supple te a dimicatione.i.concertatio
ne dubia:hoc est a dubiæ laudis conamine quasi dicat nõ ausim pe
nitus consulere:cum sit res periculosa : sed tantum indicare , quid
fructus consequare,si rem prospere gesseris,monere uolui . Et redeo
ad id.i.ad narrationem illius,quod scripsi initio: homines esse factu
ros iudicium totius facti tui.i.de toto facto tuo: non tam ex consilio
tuo,quam ex euentu.Quale iudicium ægre ferens Phyllis Ouidia-
na dicit.Exitus acta probat.i.dicis mihi,quod exitus acta probat.i.
quod ex euentu res prudenter,aut imprudenter suscepta censebi-
tur:Careat successibus opto,Quisquis ab euentu facta notanda pu-
tat.quasi dicat nunquam felicem habeat exitum rei , qui ab euentu
prudentem insipientem iudicat.Nam sæpe per infortunium res pru
denter incepta infelicem habet exitum: & contra per fortunæ ap-
plausum res temere incepta feliciter finitur.Sed,ut hic Cice.innuit,
populus fere fortunam sequitur: & id prudenter inceptum putat,
quod feliciter euenit:q; si hæc ratio.i.forma rei gerendæ.s.quã mo-
do adduxit,uidebatur tibi periculosa: Illud placebat.s.mihi hæc mo
nenti:ut si rex præstitisset fidem suam.i. exhibuisset promissionem
de restituendis sibi creditis amicis tuis,qui credidissent ei pecunias
per prouinciam imperii tui,& adiuuares eum auxiliis tuis , & co-
piis,placebat autem dico:eam esse naturam, & rationem prouinciæ
tuæ,ut uel confirmares reditum illius, adiuuando.s.eum:uel impe-
dires negligendo:hoc est si senseris,quod per pecuniam a prouincia
libus tuis mutuo datam restituendus sit tuo consilio, quod prouin-
ciales nutum sequantur:aut reducetur,aut negligetur rex , penes
te ergo est eius reductio Tu perspicies facillime,& optime in hac ra
tione:quid res ferat.i afferat.s.momenti:quid causa ferat:quid tem-
pus ferat.Ego putaui oportere te scire potissimum ex me, quid pla-
ceat nobis.Vbi notet puer in prima persona licere modo singulari-
ter,modo pluraliter,modo mistim de uno loqui,ut hoc loco, ex me
& nobis,& in sequenti particula . Quod mihi de nostro statu &c.
Nos minime.i.nequaquam miramur:quod tu gratularis mihi de sta
tu nostro.s.prospero:utpote de familiaritate Milonis. quem contra
Clodii amicos Cicero postea defendit:de leuitate.i.inconstantia, &
ymbecillitate.i.impotentia animi,præsertim Clodii,minime inquam
miramur te,ut egregium artificem lætari tuis præclaris operibus,q.
d.Per te enim Miloni conciliatus sum,& per te cum sim urbi resti-
tutus,& Miloni carus,Clodio sum Inuisus . Quanquam.i. tametsi
peruersitas hominum.s.quorundam,ut Clodii,& Cæsaris est incre-
dibilis.i.tam magna,ut uix credi possit,dicit peruersitas. enim idest
quia,non libet uti uerbo grauiore.i.molestiore,& acerbiore, quale es
set si dixisset,perfidia,immanitas,pernicies &c.nam peruersus dici-
tur,qui a bono in malum est uersus,& inclinatus , etiam si mali ad-
huc nihil egerit,qui.s.homines peruersi,abalienauerunt.s a se inui-
dendo.i.per inuidiam,sup.eos,quos potuerunt retinere.s in amici-
tia,fauendo.s.eis,in causa communi.i.Reipub.utilitate,ut in depres
sione coniuratorum in patriam.Quorum.s.hominum obtrectationi
bus.i.prauis,utpote a recta uia retractionibus,& obstaculis , maleuo
lentissimis.i.ex summa maleuolentia ortis,scito nos esse prope.i.qua
si depulsos,iam a uetere illa diuturna sententia nostra.s.qua decre-
uimus contra omnium maleuolentiam,Rempub. quacunq; ratione
possemus semper iuuare.Loquitur autem de se uno licet dicat nos.
Nos quidem scito non ub ea sententia depulsos esse , ut.i.ueluti si-
mus obliti nostræ dignitatis,sed ut habeamus aliquando.i.tandem
rationem salutis i.ut consulamus saluti nostræ , nam cum prius ob
studium in Rempu.sit in exilium actus,ueretur,si pergat, capite pu
niri.Vtrunq; s.habere rationem,& dignitatis,& salutis, aut utrunq;
.i.& nuper,& nunc Rempub.iuuare contra maleuolos,poterat, sup.
fieri præclare,si fides,si grauitas.i.constantia matura esset in homini
bus consularibus.i.qui consules fuerant,sed tanta leuitas.i.inconstã
tia,& ad perfidiam facilitas,est in plerisq; , ut constantia nostra in
Remp.non delectet eos tam i.tantopere,quam.s.quantum splendor
.s.noster offendat.i.lædat,& eiiciet eos,quod ego scribo eo liberius
ad te,qui aut,q; præfuisti non solum iis temporibus.s.felicibus, quæ
sum adeptus per te,sed etiam præfuisti olim nostræ laudi,dignitati,
& uirtuti,prope.i.quasi nascenti.Simul.i.similiter eo, quod uideo.i.
considero non esse inuisum nouitati.i.ignobilitati meæ.Est enim no
uus homo,qui primus in domo sua magistratum gerit,ut Cice.con-
sularum,ut putabam antehac .Enim.i.quia ego perspexi similia uitia
Inuidorum in te homine nobilissimo omnium,quem tamen .s.te , illi
.s.inuidi passi sunt facile esse in principibus.i.numero principum ur
bis,noluerunt certe euolare.i.celeriter prouehi altius.Gaudeo fortu
nam tuam,licet aduersam,fuisse dissimilem.s.meæ,multum enim in
terest idest differt utrum laus imminuatur ut tua,an salus deferatur,ut
olim mea,ne tamen pœniteret nimis meæ.s fortunæ , perfectum est
uirtute tua.Enim idest quia,tu curasti,ut plus esset additum.i.adie-
ctum ad memoriam nominis nostri,quam uideretur ademptum idest
ablatum de fortuna:quia quasi totius Italiæ humeris in urbem re-
ductus est,Lentulo de eius reductione referente.Vero.i.sed, ego inci
tatus tum,idest pariter beneficiis tuis,tum idest pariter amore meo,
ut consequare,idest consequaris omni cura , atq; industria omnem
gloriam,ad quam fuisti inflammatus a pueritia,& ne flectas unquam
iniuria idest propter iniuriam cuiusquam magnitudinem animi tui,
quam ego admiratus sum semper,& amaui semper . Magna opinio,
idest æstimatio hominum est de te,magna commendatio, idest col-
laudatio liberalitatis scilicet tuæ,& supple magna memoria consu-
latus tui,scilicet quem tam splendide gessisti,tu profecto uides quã
to expressiora idest euidentiora,& quanto illustriora idest clariora
sint hæc futura cum idest postquam aliquantulum laudis accesse-
rit idest additum sit , aut aduenerit : ex prouincia,atque ex impe-
rio scilicet quod in prouincia geris.Quanquam ego uolo te gerere
ea,quæ gerenda sunt per exercitum atq; imperium , ita ut meditere
idest animo exerceas,& geras:hæc multo ante scilicet quam geras
opere ipso ut pares te huc idest ad hæc gerenda:ut cogites hæc, ut
exerceat te ad hæc: & sentias id quod quia sperasti semper:non du-
bito quin intelligas adeptus idest cum sis adeptus:utpote , te posse
facillime obtinere summũ,atq; altissimũ gradũ ciuitatis.s.Romanæ.
Quæ quidẽ cohortatio mea ne uideret tibi inanis: aut suscepta.s.a
me:sine causa:illa ratio mouet me,ut putem te admonendũ ex com
munibus euentis nostris idest quæ utriq; nostrum euenerunt. ut con
siderares in omni uita reliqua :quibus scilicet hominibus crederes:
idest credere deberes,& quos caueres idest cauere deberes . Summa

dissensio

dissensio est scilicet inter consulares uiros: sed contentio idest certamen est dispar idest disparium uirium. Nam sup. ii qui plus ualent opibus .i. diuitijs, armis, & potentia .s. clientum, & fauore uidentur mihi perfecisse tantum stultitia & inconstantia .i. propter stultitiam, & inconstantiam aduersariorum: ut etiam ualerent iam plus autoritate. Itaq; .i. & ita paucis aduersantibus .i. cum pauci obstent: ipsi cõsecuti sunt per senatum .i. senatu approbante: omnia: quæ ne quidẽ .i. nõ iam, aut nõ saltẽ arbitrabantur assequi per populũ sine seditione. Nã & stipendiũ decretũ est Cæsari .i. pro exercitu eius: & decem legati .s. qui cum eo proficiscantur in Galliam: & perfectum est .i. impetratum per decretum: ne succederetur .s. Cæsari antequã bellũ confecerit: lege Sempronia: quæ erat lata ne ultra certum tempus quis in prouincia imperium haberet. sed eo finito illi successor mitteretur: hæc nunc sibi displicere innuit Cice. quia sic Lentulo placere putat, in oratione tamen de prouincijs cõsularibus aliter sentit hæc eadem probans cum e Repub. tunc esse putaret. Quod .i. quam rem, ego scribo ad te breuius .s. quam facerem, quia hic status reip. non delectat me. Scribo tamen ut admoneam te id, quod ego deditus .i. penitus addictus pueritia omnibus literis .i. disciplinis: cognoui tamen magis experiendo, quam discendo .s. e libris rerum gestarum, aut disciplinæ militaris, ut discas rebus tuis integris .i. tantisper dum integræ sunt, & saluæ: neq; rationem .i. curam, & respectum salutis nostræ habendam esse .i. haberi debere: sine dignitate: neq; dignitatis sine salute: hoc est ne tantum nitamur dignitatem nostram tueri, ut uitam amittamus: nec uitam, ut dignitate careamus: nam melius est mori, quam cũ dedecore amissa dignitate uiuere. Vnde Iuue. Summum crede nefas animam præferre pudori, Et propter uitam uiuendi perdere causas. quod tu gratularis mihi .i. mihi rem lætam euenisse: tibi iucundum esse contendis: de filia .s. Tullia, & Crassipede .s. Pisone: eius marito & Ci. genero, duobus enim nupsit Tullia Cice. prius Pisoni Crassipedi, qui cum parum uixit, deinde Dolabellæ: eum Cic. (quã Lentulus nunc regit Ciliciam) regeret prouinciam: agnosco .s. in ea gratulatione: humanitatem .i. clementiam, & beneuolentiam tuam. Et spero, & opto, quod in plus se extendit. Speramus enim tãtum: quæ meritis nostris, aut certis rationibus assequi possumus, Optamus quæcunq; nobis commodo forent. Vnde Aen. vij. Turne quod optãti diuum promittere nemo Auderet &c. & ita sperare non posset, licet optaret, unde hoc loco dicendum uidetur, & opto & spero Nam plus est sperare, quam optare: licet plures optent, quam sperent, & plura optemus, quam speremus. Hanc coniunctionem .s. coniugalem fore .i. futuram esse nobis uoluptati. Et quia de filia gratulatus erat Lentulus, memor filij eius nomine paterno uocati, dicit, O Lentule fac erudias Lentulum nostrum .i. filium tuum: etiam mihi quasi paterna charitate dilectum, adolescentem eximia spe summæ uirtutẽ .s. futura hæc est uera lectio, quã etiam Valla non diffitetur, sed ordinem non intellexit: nam non probauit diuersos casus ad unum referri: quapropter multi legunt summa uirtute: quod multis non placet: non enim uero simile sit in adolescente summam esse uirtutem, ideo genitiuus summæ uirtutis non constituitur cum nomine adolescentem: sed cum nomine spe, fac inquam erudias eum, cum sita sit, quod cæteris artibus, quibus ipse .i. tu studuisti semper, tum idest tunc, in primis .i. præcipue, imitatione tui .i. ut talem patrem imitetur. Nulla enim disciplina erit præstantior hoc .s. facto, & ita potius legam, quam, ut alij dicunt hac. Non enim in imitatione paterna uidetur disciplina, sed factum, ac opus. Præterea si maxime censeret disciplinam esse in imitatione patris, uideretur Ci. dicturus fuisse istac .s. tua disciplina, qua te imitari eum docebis: potuisset tamen hac dixisse .s. quam tibi significo, cæterũ hoc quiddam urgentius habet. Quẽ .s. Lentulum filium tuum: nos amamus in primis .i. inter primos: & habemus charum, & .i. simul quia tuus est filius, & .i. simul quia filius est dignus te .i. tali, ac tam præstanti patre, & .i. simul, quia diligit nos, & dilexit nos semper .s. dum per ætatem potuit. Pulchre obseruat elegãtiam: ut quod minus est, uidelicet diligere, puero det, quod maius, sibi, unde non congruit summa uirtute eum dixisse.

PETR. VICTO.

SEptima ad Lentulum Epistola, reddenda a nobis ratio est eius locum, qui antea in omnibus impressis codicibus nulla mendi suspicione legebatur, ut mutilum notauerimus, duabus subtractis dictionibus. Nostrum consilium fuit optime lector (quod omnibus probari cupio) ut quantum per nos fieri posset, synceram Cice. scripturam restitueremus: quod sicubi in locos mancos incidimus, tutius nobis uisum est, eos ut in antiquis, & probatis exemplaribus inuenimus, scribere, quam ut a quibusdam (mea quidem sententia, parum in alienis scriptis modesti) suppleti sunt, qui operam dabant ut nullus locus esset e quo non aliquis sensus eliceretur: putabantq; hoc esse officium correctoris, nihil iacere pati. a quorum opinione, iampridem a doctis uiris damnata, & eiecta, nos longe dissentisimus, diuersumq; penitus institutum secuti sumus: omnes enim locos, qui contra ueterum codicum fidem a recentioribus Grammaticis suppleti sunt, quos nos ueteribus uestigijs hærentes corrigere non potuimus: in antiquam lectionem retrasimus, nequis uerba illa pro legitimis Ciceronis accipiens fallatur, & ut industria studiosorum habeat in quo se exerceat, quærantur q; antiquiora, & integriora exemplaria, si ulla fortasse adhuc latent, quæ ueram lectionem retineant Hic autem locus de quo nunc loquimur, ut uides, legitur in melioribus codicibus: desideretur ne aliud præter uerbum quo superiores dictiones necti debent, doctiores diligentius animaduertent. scimus autem nonnullos pro (præfuisti) legere (fauisti) quod res auget etiam suspicionem, uel potius me in hac opinione confirmat, ut ea quæ nos deleuimus uerba, noua sint, & ab aliquo suppleta. cum enim non satis bene firma scriptura est, aliquid fere semper uitii subest. Eadem epistola. {Te uero moneo cũ beneficijs tuis} Nos receptam lectionem hoc loco conseruauimus: ueterem autem (quamuis eam non probemus) uolumus tamen testatam relinquere: in antiquioribus enim & melioribus libris, beneficentiis pro beneficijs legimus. Est autem apud hunc autorem hoc nomen: uerum Beneficentia potius illi est (nisi fallimur) animi uirtus & quædam bonitas naturæ, quæ opibus suis alios iuuare, & beneficia in homines conferre delectatur. Benificentias ab eo beneficia collata appellari, non memini me legisse.

EX PO. EIVS.

QVi Per prouinciam Imperii tui, pecunias ei cred.} Sic in omnibus excusis libris, nulla uarietate legitur: in Mediceo ita scriptum est. {Quia per prouinciam, atque Imperii tui prouincias ei credidissent.} Mendose prorsus & negligenter. Est tamen accurate uidendum, ex hac tam inquinata scriptura, an aliquid boni erui possit: si enim locus coniecturæ detur, ita libenter legerem, Qui per prouinciam, atq; Imperium tuum pecunias ei credidissent. nam sæpe sic loquitur, ut etiam in hac Epistola, cum aliquantulum ex prouincia, atque ex Imperio laudis accessent.

IO. BA. EGNA.

LEgi Tuas literas} Lentuli literis responsurus Cicero, ostendit in eo, quod & crebriores literas miserit, & magnæ semper beneuolentiæ argumenta dederit, iure id a se amoris, gratiq; erga illum animi testificatione factum. Tum quæ hominum uoluntas, quæ fides sit, quantum inuidorum, quantum dissimulatorum, apertissime docet. Quo Hortensius, & Lucullus ex consularibus animo, quo cæteri. Quo ex magistratibus Racilius, quo denique Pompeius: quem fautorem, adiutoremq; ad omnia fore pollicetur. Sed & quid de regia restitutione, ex sua Pompeiiq; sententia tentandum existimet, consilium dant, ita admonet, ut ex euentu restitutionem illam, aut multum infamiæ, aut multum laudis allaturam putet. In eo uero quod de familiaritate Milonis, de Clodii imbecillitate sibi gratuletur, nihil sese admirari, si ipse, ut optimus artifex, suis potissimum operibus delectetur. utcunq; tamen sit, incredibilem esse quorundam improbitatem, qui de se pristina sua uoluntate, nõ tam ut dignitatis oblitus uideatur, quã ut & salutis rationẽ aliquãdo habeat, depulerint, qui sane eundem animum in ipsius oppugnanda dignitate, quem in salute sua, dissimili tamen in re, declararint. Hortatur demum illum ad hæc forti animo & erecto despicienda: contra, ad omnem gloriam consequendam, qualis Reip. status sit, edocet: simulq; in eo quod de filiæ nuptiis sibi gratuletur, humanitatem laudans, ut filium suũ tum alijs bonis artibus, tum præcipue sui imitatione erudiat, rogat, quẽ a se mirabiliter amari fateatur. {Propugnatio & def.} Nomina huiusce modi notæ maxime a Cice. in Episto. usurpari solent. {Scis nõ sæpe fuis. in Sen.} Videtur tempus id innuere, quo Pomp. ducta Cornelia, quæ P. Cras. Marci filio a Parthis interempto desponsata fuerat, in otio degeret procul ab urbis molestiis, in hortis, & amœnioribus Italiæ locis frequens, non sine aliqua sua infamia: quod cum Respub. seditionib. agitaretur, ipse uxori uacans, Reipu. curam abiecisset. {Ciliciã.} Asiatica hæc regio duplex, una Thebaica, altera Lycnesia. quæ iterum sic diuiditur, ut quædam Trachea, quædã Campestris dicatur. Trachea maritima tota, & Tauro ferme monte circũuallata. Campestris a Pompeiopoli & Tarso fœcunda admodum est, & plana. {Cyprum.} maris Pamphylii insula, Cerastis quãdoq; a promontoriorum copia dicta, nouem olim regnorum sedes: & Acamantis, & Amathusia, & Macaria, & Sphecia, Stephano: Plinio, Aspelia, & Meinnis. quam Asty nomus Crypton, ἀπὸ τοῦ κρύπτειν, quod .s. frequenter aquis inundaretur, putat prius dictam: quamuis, alii a Cypro Cyniræ filio malint. Hæc primo tyrannis subiecta mox Persis, inde ad Ptolemaicos reges Imperium transiit, adempta mox Ptolemæo Cleopatræ patruo, P. Claudii Pulchri Trib. pleb. rogatione, qui iniquo tulerat animo, exiguum admodum pretium pro sui redemptione a rege missum, cum prius rex sibi uiolentas manus intulisset, prætoria prouincia Marci Catonis opera facta est, qui ex regia gaza maximam pecuniæ uim Romam transuexit. Plin. Strabo, Steph. Eustathius {Alexandriam.} ciuitas longe clarissima ab Alexandro conditore nomen sortita, ac per excellentiam ciuitas dicta. Duodeuiginti hoc nomine censentur urbes: autor Stephanus. {Ptolemaide.} Phœniciæ oppidum satis celebre Ace prius nuncupata, quoniam Græci ἄκος medicamentum dicunt. Aceũ autẽ Claudius Iulus, qui Phœnicia cõscripsit, hinc dictã putat, quod cũ Hercules laboraret ulceribus, quæ ex hydræ ueneno cõtraxerat oraculo Delphico cõsulto responsum tulit, post longam illũ peregrinationẽ conualiturũ, cũ primũ ad flumen peruenisset, in cuius ripis hydræ per quam similis herba nasceretur. Tandem cũ in Phœniciã peruenisset, & fluuium inuenisset, animaduertit herbã hydræ

persimilem esse a capitum multiplicitate. quotcunq; enim cæderet, totidem enascebantur. Colasaion autem herbæ nomen, cuius succo (qui candidus emittitur) senatus, nomen urbi dedit. Sed & altera Pamphyliæ est, & altera Aegypti Thebaicæ regionis Græco titu utens. De Phœnice autem Cicero omnino sensit {Si res.} Locus mendosus, atq; ita restituendus: Si re a amicis tuis, qui per prouinciam Imperii tui pecunias ei credidissent, fidem suam præstitisset, & auxilius eũ &c. {Leuitate & imbecillitate Clodii.} Leuitas hæc & imbecillitas Clodiana ea est, de qua Cice. ad Atti. I I I I. Quod cum Catuli porticum, quæ iam ad tectum locatione Cons. peruenerat, disturbasset, cum Q. fratris primo lapidum coniectu fracta, deinde coniectus ignibus inflammata fuisset domus, uisa est ea res bonis omnibus per iniqua, & noua. Quare post hunc furorem, cum iam omnibus se odio esse animaduerteret, seq; ad supplicium cunctorum uocibus exposci, desertus ab omnibus, seruos ad libertatem uocauit. Cic. pene in sacra uia confecit: domum Ciceronis, Milonisq; postea expugnare, & incendere conatus est. tandem a Flacco e Milonis domo eductis uiris fortibus repulsus, interfectis e Clodiano latrocinio notissimis quibusq;, ipsoq; pene Clodio, nisi in interiorem partem ædium se recepisset, necato: qui aduersante præcipue Marcellino, nec illud impetrare potuit, ut comitia sua fierent. præturam enim ille, quo Miloni consulatum petenti resistere posset, petebat, & Miloni in consulatus petitione mirum in modum aduersabatur. {Perpaucis aduersantibus.} Catonem intelligit, Catonisq; æmulũ Fauonium. Sane constat, Catonem dum diem dicendo cupit eximere, a Trebonio Trib. pleb. qui rogationem ferebat, in carcerem duci iussum. Sed tandem cum uictus uerecundia Trebonius esset, Catonem missum fieri iussit Sequenti mox die pulso pet uim Aquilio Trib. pleb. fugatisq; optimatibus rogatio lata, prorogatumq; Cæsari in Gallias ad alterum quinquennium imperium, decemq; legiones ad id bellum gerendum decretæ. Quo facto, nil amplius sibi cum plebe agendum censens Cato, ad Pompeium conuersus, admonuit cauendum sibi a Cæsaria potentia. quã cum uellet, deponere minime posset. Verum hæc omnino Pompeius cõtempsit. Plut. {Lege Sempronia.} quam Sempronius tulit, ne successor Cæsari daretur: quiq; contra de dandis Gabinio Pisoniq;, quorum unus Syriam, alter Macedoniam imperio obtinebat, successoribus lege censuit. Cicero in oratione de prouinciis consularibus: Decernendæ sunt nobis lege Sempronia duæ. Verum, ut ingenue quod sentio dicam, corrupta mihi uidetur hæc lectio: nec Sempronia, sed Trebonia legendum, ea Plut. & Floro: quorum alter & in catonis Vticensis, & in Põpeii uita, a Trebonio Trib. pleb. rogationem latam memoriæ prodidit, & ipsum Catonem rogationi aduersantem in carcerem duci a Trebonio iussum, neq; non interim statim dimissum. Florus uero in hæc uerba: Is cum legem impediret, qua prouinciæ consulares in quinquennium, Pompeio Hispaniæ, Crasso Syria Parthicumq; bellum, Cæsari Galliæ & Germania dabantur, a C. Trebonio Trib. pleb. legis autore in uincula ductus est. Vt & illud in oratione de prouinciis consularibus lege Trebonia, non Sempronia legam. {Decem Legati.} quorum singuli singulis legionibus præessent: e quibus Q. Ciceronis frater unus fuerit. {Quod mihi de filia & de Crassipede gratularis.} Tulliolã filiam & Pisonem cognomento Crassipedem, a pedum scilicet crassitudine dictum intellige, cui primo Tulliola nupserit. post cuius mortem de amicorum sententia cum Cicero Ciliciam proconsule administraret, Cornelio Dolabellæ nupsit, ægre id ferente Cicerone, nec satis probante, quæ cum ex partu obiisset, quo tempore Cæsar contra Pompeii liberos bellum gereret, molestissime tulit. Cũq; alia, ut inquit Lactant. satis æquo tulisset animo, filiæ morte adeo consternatus est, ut tunc se a fortuna superatum plane fateretur. Illud non possum non mirari, Pædianum scribere, post Pisonis mortem P. Lentulo nuptam Tulliolam, apud illum ex partu decessisse. Nisi ita dicas, P. Cornelium Dolabellam Lentulum dictum, quod a Lentulo adoptatus, Lentuli quoq; nomen assumpserit: qua de re plura in Epistolis Cœlianis dicemus.

SEBA. COR.

L. Racilium.} Hunc alibi Trib. pleb. longe optimum uocat, etsi quidam hic L. Rutilium legunt. {In senatu fuisse.} Postquam accusatus est a Catone, & suspicatus est insidias uitæ suæ fieri. Catonem a Crasso sustentari, & Clodio pecuniam suppeditari. {Cupiditatis suæ.} reducendi regis. {Tempore Caniniano.} Cum Caninius rogationem ferret, ut Pompeius cum duobus lictoribus regem reduceret. Quare tempus suspiciosissimum uocat: quod de tempore (sic enim quidam legunt) Catoniano non ita apte dici potest. {Perpaucis aduersantibus.} in his M. Catone, M. Fauonio, C. Atteio Capitone, & P. Aquilio Gallo. {Stipendium.} Senatus, inquit in oratione pro Cornelio Balbo, in angustiis ærarii uictorem exercitum stipẽdio affecit, Imperatori decem Legatos decreuit, lege Sempronia succedendũ non censuit. {Lege Sempronia.} C. Sempronius Gracchus prouincias consulares non modo non abstulit ab senatu, sed etiam, ut necesse esset, quotannis constitui per Senatum, decreta lege sanxit. {Succederetur} Cum lege Sempronia succedi oporteret {Crassipede} Cui Tulliam post reditum ab exilio pridie nonas Aprilis despondit, mortuo iam, ut in Quæstura ostendimus, C. Pisone. {Eximia spe summæ uirtutis} Spes enim summæ uirtutis, non summa uirtus in adolescente commendari solet.

BERN. RVTI.

Quare, Ea quæ scribam, sic habeto, me cum illo re sæpe communicata, de illius ad te sententia, atque autoritate scribere, quoniam senatusconsultum nullum extat, quo reductio regis Alexandrini tibi adempta sit, eaq; quæ de eo scripta est autoritas, cui scis intercessum esse, ut ne quis omnino regem reduceret, tantam uim habet, ut magis iratorum hominũ studium, quam constantis senatus consilium esse uideatur, te perspicere posse, &c.} Non est omnino, ubi consistas, nisi uerbum addideris. idest in ueteribus sic: Arbitror te perspicere posse. Sumet igitur inde quoque principium hæc clausula: Quoniam senatusconsultum, & reliqua, A quibus porro intercessum sit, Catone ne, ac Caninio, an aliis, parum constat. nam senatusconsultum id, cui supra ab his intercessum dixit, aliud fuisse puto (quicquid interpretes, Egnatiusq; autument) scilicet, ne cum populo de reductione regis ageretur, non, ne omnino reduceretur rex. de eo nullam dum mentionem fecit, præterquam in prima Epistola: Præter Seruilium, inquit, qui omnino reduci negat oportere. Igitur senatusconsultum postea in Seruilij sententiam factum est, ea iguæ tamen autoritatia. quod & alioqui factum indicat ante, cum subdubitare se scribit, ne causa regia deseratur. {Etenim Pompeium, qui mecum sæpissime, non solum a me prouocatus, sed etiam sua sponte de te communicate solet, scis temporibus illis non sæpe in senatu fuisse.} Eodem illo temporum errore labitur Egnatius. eam enim uagationem, quasiq; sponsalitiam lasciuiam in tertio suo consulatu admisit Pompeius, ut idem Plutarchus tradit. At hæc circa tempora nondum secundum ei fuisse delatum arbitror, sed Coss adhuc Marcellinum Philippumq;. Rei igitur frumentariæ causa, in Siciliam, Sardiniam, atq; Africam profectus, aut certe Catoniano illo conuicio deterritus, senatu abstinuerat. {Offensionem esse periculosam propter interpositam autoritatem, religionemq; uideo} Autoritatem accipe senatus: idest ipsum senatusconsultum, uel quod in sententiam Bibuli factum erat, ut rex sine exercitu reduceretur, ut in secunda Epistola constat. Vel id, de quo proxime est loquutus, Seruilianum, ne omnino rex reduceretur. nam interpres quidem egregie desipit. autoritatem enim interpositam sine dubio a Senatu significat. De utroque tamen etiam sine piaculo sentiemus. {Quod mihi de nostro statu, de Milonis familiaritate, de leuitate, & imbecillitate Clodii gratularis.} Quod de Milone, & Clodio ait, puto potius ad id iudicium pertinere, quod deni Miloni, Sextioq; intentatum est, Clodii nimirum opera, qui uictus leuis, imbecillisq; apparuerit: quam ad illam interpretis nescio quam simulatam reconciliationem. {Nam & stipendium Cæsari decretum est, & decem Legati, & ne lege Sempronia succederetur, facile perfectum est} Legem Semproniã, quæ fuerit, non intelligit interpres. neque enim lex erat ad omnes prouincias pertinens, ueransve ne finito tempore prorogaretur: sed singularis, qua latum erat, ut duæ prouinciæ Coss. illius anni decernerentur. Significat id Cicero in Oratione de prouinciis consularibus: Decernendæ, inquit, nobis sunt lege Sempronia duæ prouinciæ. & supra: Quatuor sunt prouinciæ P.C. de quibus adhuc intelligo sententias esse dictas: Galliæ duæ, quas hoc tempore uno imperio uidemus esse coniunctas, & Syria, & Macedonia, & reliqua. De decreto stipendio ac decem legatis, in eadem copiose Cicero.

EX PO. EIVS.

Quod mihi de filia, & Crassipede gratularis} Ipse ad Atticũ significat libro primo, Epistola prima, desponsam esse Pisoni Tulliam, L. Iulio Cæsare, C. Martio Figulo Coss. ante se consulem. Sed tamẽ Asconius quoq; apud secundum uirum mortuam esse ex partu, affirmare uidetur. Errore autem librarii in priore illo opere hæc in octauam Epistolam collata sunt, alioqui, si, quæ notauimus, confirmanda, Cicero ad Atticum: Addidit ad extremum (inquit de Vectio) cum iam dimissa concione reuocatus a Vatinio fuisset, se audisse ea Curione, his de rebus conscium esse Pisonem generum meum, & M. Laterensem Sed, ne me omnino sententiæ illius, uel aduersario Plutarcho, pœniteat, facit idem ipse Cicero qui ad Q. fratrem ita scribit: Iam menses aliquot ab exilio reuersus idest circa idem hoc tempus. De nostra Tullia tui me Hercule amantissima, spero cum Crassipede nos confecisse. Et infra: Ad VIII. Idus Aprilis sponsalia Crassipedi præbui. Et tertia post Epistola: Dederam ad te literas antea, quibus erat scriptum, Tulliam nostram Crassipedi pridie nonas Aprilis esse desponsatam. Nominat & Crassipedem, alterum puto, libro IX. ad Atticum Epistola, ut nunc est XIII.

DOCTI CVIVSDAM.

Tempore Caniniano.} Lectionis huius argumentum fusius Cicero exposuit Epistola secunda, ubi ait: Senatus autoritas grauissima intercesserat: cui tamen Cato, & Caninius intercesserant. {Interpositam autoritatem.} Senatus autoritas uetuit cum exercitu regem Aegypti reduci, id quod Lentulo probabatur. Eum igitur Cicero monet, ne contentionem sequatur in eo, quod nec obtineri nec fieri citra neglectæ religionis crimen potest. {Nouitate mea.} Passim queritur Cicero suam dignitatem & gloriam a maleuolis hominibus, adeoque ignauis nobilibus conuulsam, & suppressam fuisse. Et quemadmodum nouitatem hic suam, ita alibi nouum

bi nouum se appellat hominem: quod animi sui uirtute, nullis maiorum imaginibus, dignitates consecutus sit. Et noui homines, Seruio autore, proprie dicuntur, quorum nulli maiores clari sunt, qui per seipsos primum magistratum in Republi. adepti sunt. {Lege Sempronia.} qua cauebatur, ne quis in prouincia maneret ultra constitutum tempus. Cæsar cum quinquennium in Gallia fuisset, quod tempus illi fuerat constitutum, alterum adhuc annum manere uoluit, & perfecit amicorum studiis, & beneuolentia, ne alius succederet. Hoc ipsum Cicero non probat, etiam si in oratione de prouinciis proconsularibus se censuisse fateatur, ut Gallia prouincia iterum cum decem legatis decerneretur Cæsari. {Crassipede.} Dederat enim Cicero filiam suam Tulliam in matrimonium Pisoni Crassipedi primum, & post huius mortem Dolabellæ. Hinc est quod dixerit, & de filia, & de Crassipede.

PHIL. MELA.

LEgi Tuas literas, &c.} Ista epistola habet quandam uarietatem. Principio est exordium, in quo est quædam commemoratio: postea sequitur narratio de regia causa, & de perfidia illorum, qui debebant ornare Lentulum. postremo sequitur consilium, qua ratione existimet regem reduci posse. Deinde sequitur quasi alia quædam Epistola, & primo est quædam narratio consiliorum Ciceronis, quare uidelicet hoc tempore minus pugnet in Rempub. quam antea solitus sit facere, quia piscis semel læsus postea fugit hamum. Postremus locus est adhortatio quædam, ut Lentulus se conferat & applicet ad gubernationem Reipub & aliquid laudis ex prouincia acquirat. Et illa quasi altera epistola plus habet difficultatis, estq; magis rhetorica. {Legi tuas literas.} Exordiũ, captat beneuolentiam ex officio suo, de quo ad illius literas respondet. {Quorum alterum.} Est bona distributio, in qua primum ponit gratitudinem, quæ est necessaria: deinde reliqua officia sunt benigni animi indicia. {Quod si rarius.} Excusat raritatem literarum. {Quod scire uis.} Narratio de uoluntatib. æmulorum, & de negotio Alexandrino. {Etenim Pom.} Pompeius, quamuis clanculum aduersabatur Lentulo, tamen uolebat uideri fauere causæ Lentuli. Vult autem ita dicere Cicero. Tu Pompeium literis tuis retinuisti in officio, qui alioqui uidebatur tacito aduersari tibi. {Tempore Caniniano.} idest quando Caninius noluit referre ad populum ne rex reduceretur. {Quare ea, quæ scribam.} Consilium, & est quasi principalis pars huius prioris Epistolæ. Te posse perspicere. Hoc est, si per illas copias, quas habes, poteris regem reducere, licet tibi rem tentare. Reductio regis tibi non est adempta; sed exercitus nouus non est concessus. {Si cecidisset.} Correctio istius consilii: Vereor ne sit nimis periculosum, ut tam paruis copiis tentes reducere Regem. {Quod si hæc ratio.} Alia forma, qua possit Regem reducere. {Quod mihi de nostro.} Alia narratio, estq; hoc quasi alterius epistolæ initium. Fuerunt autem illo tempore contentiones inter Milonem, & Clodium, anno ante hunc interfectum. unde incipit narrationem suorum consiliorũ, quod non usq; adeo contendat in Republica sicut antea. {Quanquam inest incredibilis.} Expositio perfidiæ amicorum, quam sequitur excusatio quædam, cur minus in Republica contendat, quam antea. {Quos fauendo in communi.} Et poteram Reipublicæ prodesse, & dicere liberas sententias, nisi cogerer habere rationem mei periculi, cum intelligam ipsos etiam amicos meos ualde mihi inuidere: a quibus si desertus fuero, iterum mihi cauendum esse intelligo. {Vetera illa nostra, diuturnaq; sententia.} Liberiore scilicet. Quia Cicero decreuerat esse addendum stipendium Cæsari, idq; tantum fecit in gratiam Cæsaris. {Poterat utrunq;} Hoc est. Ego possem & dignitatis, & salutis pariter habere rationem, possem dicere liberas sententias sine periculo. {Illi.} Pompeium intelligit, qui est imbecilli animo præditus, neq; potest ferre in alio parem dignitatem. {Gaudeo tuam dissimilem.} Pathos a dissimili. {Te uero moneo.} Adhortatio, recte significans ne nimium concupiscat ambitiosam reductionem Regis, sed aliquid laudis afferat ex prouincia, redeatq; instructior ad regendam domi Rempub. {Vt hæc multo ante.} idest, ut cogites potius qualis redeas ad urbem, quid autoritatis huc adferas, quam ut aliquam militarem laudem augeas in prouincia. {Quod scribis.} Ad aliam partem transit. {Stultitia, &c.} Aliæ causæ. Pompeium autem & Cæsarem intelligit. {Vetus rebus integris.} Gnome.

ARGVMENTVM.

Scribit Emplatorium ad Lentulum proficiscentem, ubi aduenerit omnia quæ ad res ipsius Lentuli pertinerent, nunciaturum, quocirca Emplatorium ipsum, ut illi fides adhibeatur, non parum commendat.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Principium Epistolæ idem est, quod in superiore, cuius initium. Quæ geruntur. Et hic Cicero propemodum animum in causa Lentuli dimittit, quod senatus nullo neque ordine, neque iudicio negocia transigat.

M. T. C. PVBLIO LENTVLO S. P.D. 8

*DE omnibus rebus, quæ ad te pertinent, quid actum, quid constitutum sit, quid Pompeius susceperit, optime ex Emplatorio cognosces: qui non solum interfuit his rebus, sed etiam præfuit, neque ullum officium erga te hominis amantißimi, prudentißimi, diligentißimi prætermisit. Ex eodem de toto statu rerum communium cognosces: quæ quales sint, non facile est scribere. Sunt quidem certe in amicorum nostrorum potestate, atque ita, ut nullam mutationem unquam hac hominum ætate habitura res esse uideatur. Ego quidem, ut debeo, & ut tute mihi præcepisti, & ut me dignitas, utilitasq; cogit, me ad eius rationes adiungo, quem tu in meis rationibus tibi esse adiungendum putasti. Sed te nõ præterit, quam sit difficile, sensum in republica, præsertim rectum, & confirmatum deponere. Veruntamen ipse me confirmo ad eius uoluntatem, à quo honeste dissentire non possum: neque id facio, ut forsitan quibusdam uideor, simulatione: tantum enim animi inductio, & mehercule amor erga Pompeium apud me ualet, ut quæ illi utilia sunt, & quæ ille uult, ea mihi omnia tam & recta, & uera uideantur. Neque (ut ego arbitror) errarent, ne aduersarij quidem eius, si cum pares esse non possent, pugnare desisterent. Me quidem & illa res consolatur, quod ego is sum, cui uel maxime concedant omnes, ut uel ea defendam, quæ Pompeius uelit, uel taceam: uel etiam id quod mihi maxime lubet, ad nostra studia me referam literarum: quod profecto faciam, si mihi per eiusdem amicitiam licebit. Quæ enim proposita fuerant nobis cum & honoribus amplißimis, laboribus maximis perfuncti essemus, dignitas in sententijs dicendis, libertas in republica capessenda: ea sublata tota. sed nec mihi magis, quàm omnibus. Nam aut assentiendum est nulla cum grauitate paucis, aut frustra dissentiendum. Hæc ego ad te ob eam causam maxime scribo, ut iam de tua quoque ratione meditere. Commutata tota ratio est senatus, iudiciorum, rei totius publicæ: otium nobis exoptandum est, quod ii qui potiuntur rerum, præstaturi uidentur, *si quidam homines patientius eorum potentiam ferre potuerint. Dignitatem quidem illam consularem fortis, & constantis senatoris nihil est, quod cogitemus: amissa est culpa eorum, qui à senatu & ordinem coniunctissimum, & hominem clarißimum abalienauerunt. Sed ut ad ea, quæ coniunctiora rebus tuis sunt, reuertar: Pompeium tibi ualde amicum esse cognoui: & eo tu consule, quantum ego perspicio, omnia quæ uoles, obtinebis: quibus in rebus me ille sibi affixum habebit: neque à me ulla res, quæ ad te pertineat, negligetur. Neq; enim uerebor: ne sim ei molestus: cui iucundum erit etiam propter idipsum, quòd me esse gratum uidebit. Tu uelim tibi ita persuadeas, nullam rem esse minimam, quæ ad te pertineat, quæ mihi charior non sit quàm meæ res omnes. Idq; cum sentiam, sedulitate mihimet ipse satisfacere possum: re quidem ipsa ideo mihi non satisfacio, quòd nullam partem tuorum meritorum non modo referenda, sed ne cogitanda quidem gratia consequi possum. Rem te ualde bene geßisse rumor erat. Expectabantur literæ tuæ, de quibus eramus tam cũ Pompeio locuti: quæ si erunt allatæ nostrum studium extabit in conueniendis magistratibus & senatoribus. Cætera, quæ ad te pertinebunt, cum etiam plus contenderimus, quàm poßumus, minus tamen faciemus, quàm debemus.*

*alias si quidem.

ASCEN.

DE omnibus, &c. Dicit Emplatorium ad Lentulum proficiscentem, ubi aduenerit, omnia, quæ ad rem Lentuli pertinerent nunciaturum. Quapropter Emplatorium ipsum ut illi fides habeatur, non parum commendat. Ordo est. Tu o Lentule cognoscens optime: idest, commodissime de omnib. rebus, quæ pertinent ad te, quid sit actum, & quid sit constitutum: & quid Pompe. susceperit. s. faciendum: cognosces inquam ex Emplatorio uiro illo præstanti, qui non solum

interfuit his rebus, sed & præfuit. s. tāquā præcipuus actor, aut curator, neque prætermisit erga te ullū officium hominis amātissimi, prudētissimi, diligētissimi. Tu cognosces ex eodē de toto statu rerū cōiun. i. Reip. quæ quales sint non est facile scribere. Sunt quidem certe in potestate amicorū nostrorum scilicet M. Crassi. C. Cæ. Cn. Pompe. Atque ita. i. taliter sunt in eorum potestate: ut res nullam. i. non ullam: non uideatur habitura esse unquam ullam mutationem hac ætate. i. durante hac ætate hominum. Ego quidem, ut debeo, & ut tute. i. tuipse: in nominatiuo propter tertiam personam uerbi tumeo non dicimus tumet, sed tute, aut tutemet, præcepisti. i. mandasti mihi: & ut dignitas cogit: quia indecorum est habere simultatē cum summis uiris Et utilitas cogit: quia durum est potentissimis resistere. Adiungo me ad rationes. i. consilia, & negocia eius. s. Pomp. quem tu putasti adiungendum esse tibi idest ad utilitatem tuam in rationibus idest consiliis & factis meis Sed te non præterit idest tu bene nosti: quam idest quantum difficile sit deponere sensum. i. sententiam, & iudiciū in repu. i. in gubernatione, & iuuamine reip. præsertim rectum idest non erroneum, & confirmatum. Sentiebat autem Ci. non utile reip. fore gubernacula ad paucos deuolui: & quēuis unum, aut paucos contra legem in magistratu stabiliri, & ita licet fauere Cæsari & Pomp. ut summis uiris, uerebatur tamen eorum potentiam reip. offuturam. Veruntamen ipse conformo idest accommodo me (alii legunt confirmo idest stabilio me) ad uoluntatē eius scilicet Pomp. a quo non possum honeste dissentire. Neque facio id, ut uidetur forsitan quibusdam simulatione. i. per simulationem, aut simulanter: enim. i. quia inductio animi. i. persuasio, quā induxi in animum meum Pomp bene de repu sentire, & Hercule me. s. ita iudicante, uel uindicante ut uerum, aut falsum dico, amor Pom. i. in Pomp tantum ualet apud me, ut ea omnia, quæ sunt utilia illi, & quæ ille uult: uideantur mihi iam & recta, & uera. i. iusta. Neque, ut arbitror, errarent ne quidem. i. non etiam aduersarii eius. s. Pom. si desisterent pugnare. i. repugnare, aut contendere scilicet cū Pomp cum non possent esse pares. Quidem. i. certe: & . i. etiam, illa res consolatur me, quod Ego sum. i. talis, cui omnes concedant. i. permittant, uel. i. etiam maxime: ut uel idest aut defendam ea, quæ Pompeius uelit, uel taceam idest nihil de eis dicam, uel etiam id, quod. i. quæ res libet maxime mihi: referam. i. iterum applicem me ad studia nostra literarum: quod ego faciam profecto. i. re uera, si licebit mihi per amicitiam eiusdem scilicet Pomp. Enim pro quia, ea dignitas in sententiis dicendis. i. in iudicio ferendo. Et ea libertas in repu. capessenda, idest gerenda, & administranda, quæ fuerat proposita nobis, cum essemus perfuncti: idest ad finem usque functi, honoribus: idest magistratibus amplissimis. ut sunt consulares, & laboribus maximis in detegenda, & uindicanda coniuratione Catiline, & cōiuratorum, est supple sublata: idest subtracta nobis tota, sed nec magis mihi, quam omnibus: scilicet aliis. Nam aut assentiendum est paucis cum nulla grauitate, aut dissentiendum frustra: quia nimis potentes sunt. Ego scribo hæc ad te maxime ob eam causam, ut tu meditere: idest cogites quoque iam de ratione tua. Tota ratio senatus iudiciorum totius reipublicæ est commutata, & ita otium est exoptandum nobis, quod, scilicet otium. id est uacationem a republi. ii qui potiuntur rerum: scilicet imperio: idest qui dominantur, ut tres supradicti, uidentur præstaturi. Ergo præsto etiā præstatum facit: si quidā homines potuerint ferre patientius: idest æquiore animo, potētiam. Nihil est quod cogitemus quidem illam dignitatem consularem, senatoris fortis, & constantis: scilicet quam nos gessimus. & quales fuimus, & ideo non reprobo, qui legunt dignitatem quondam illam &c. Supple ea dignitas est amissa culpa eorum, qui abalienauerunt a senatu ordinem coniunctissimum: scilicet senatui: utpote equestrē, ut uero simile est: & hominem clarissimum. scilicet Cæsarem, cum uellem illi abrogare prouinciam, quam equites illi prorogatam uolebant Sed ut ego reuertar ad ea, quæ sunt coniunctiora rebus tuis: ego cognoui Pompeium esse ualde amicū tibi: & tu obtinebis omnia, quæ uoles, quantum ego perspicio: eo consule: idest dum consul erit. In quibus rebus: scilicet habebit me affixum sibi Neque ulla res, quæ pertineat ad te, negligetur a me. Neque enim uerebor, ne sim molestus illi scilicet Pompeio: cui erit iucundum etiam propter idipsum, quod uidebit me esse gratum scilicet erga te. Tu uelim &c. Ordo est uelim: ut supple tu persuadeas tibi nullam rem minimam esse quæ pertineat ad te. quæ mihi non sit charior quam meæ res omnes. Cum sentiam id. scilicet quod dictum est, non possum satisfacere mihi metipsi sedulitate. i. diligenti opera, & seorsum a dolo facta: quidē: idest certe, ego ideo non satisfacio mihi: idest iudicio meo: aut pietati meæ, re ipsa. i. effectu ipso: quod nullam. i. non ullam: non possum. i. obtinere aut æquiparare: ullam partem meritorum tuorum scilicet in me, aut de me, non modo gratia referenda. i. æquali beneficio reddendo, sed ne quidem. i. non saltem cogitanda: scilicet gratia, idest in animo habenda. Rumor erat te gessisse rem idest imperium tuum in prouincia ualde bene, literæ tuæ: scilicet ad senatum mittendæ, de quibus eramus locuti cum Pomp. expectabantur: scilicet a senatu: quæ si erunt allatæ: nostrum studium idest diligens opera extabit idest reliqua erit in magistratibus, & senatoribus conueniendis idest uiendis loquendi de te gratia, cætera quæ ad te pertinebunt. sup extabunt nobis procuranda, cum & . i. etiam contenderimus plus, quā possumus. tamen faciemus minus, quam debemus. Vrbane dictum, & pueri adnotabunt, cū illa particula etiam honesta. Tu uelim ita tibi persuadeas &c.

VICTO. IN POSTER.

ET ut me dignitas, utilitasque cogit.} Emendauimus olim, (ut me pietas:) neque tamē causas attulimus huius castigationis, neque priscæ scripturæ ullam mentionem fecimus: quare rectum uisum est, id nunc diligenter facere maxime, cum interpretes etiam nonnulli horum librorum, ut quondam memini me legisse, de hac uoce (dignitas,) ambigant, & de diæta, nescio quæ, loquantur, ut qui & ipsi ueterem lectionem odorati fuerant. Mediceus codex (iam enim de illo dicendum est, ut minus deprauato, uel potius ut omnium optimo) (ut medietas,) habet: quare paruo, & satis usitato errore sublato, legendum existimaui, (me pietas:) has enim literas ueteres librarii sæpe inter se commutabant, ut in eodem exemplari in Epistola ad Memmium, An (dotius) libenter te Athenis: pro, (potius.) & ad Tyronem, A portu Corcyræorum ad Cassiodeo: pro, Cassiopen, sicque multis aliis locis. Reliqua, ut puto perspicua sunt: sæpe enim utitur hac uoce, cum loquitur de Lentulo hoc, ad quem nunc scribit, & Cn. Magno autoribus suæ salutis & quibus pene debebat quæ filii parentibus, cūctique homines Diis immortalibus debent. Vulgata lectio probari nullo pacto potest: nedum enim, hoc, quod Cicero narrat se facere, quod adiungat se ad rationes Pompeii, augeat dignitatem illius, uehementer eam minuit, nisi dignitas est, rectum sensum in Republica deponere, & ad uoluntatem alterius se accommodare, quod prorsus nemo unquam dicet. Sed id aperte ostendit, cum infra inquit, Dignitatem quidem illam consulatem fortis, & cōstantis Senatoris, nihil est quod cogitemus.

BAPTI. EGNA.

DE omnibus rebus.} Nihil sibi de Reip. rebus scribendum, cum Platorius ad eum ueniret, affirmat: cuius prudentiam & fidem in Lentuli negocio mirifice laudat, ex quo facile de uniuerso Reipub statu cognoscat, sese in omnibus ad Pompeii uoluntatem sentetias suas accommodare, a quo honeste dissentire nequeat. Quod cum faciat, magnis illius erga se meritis, & animi propensissima semper in illum inductione id a se fieri probat: ita tamen, ut si per amicitiam illius sibi liceat, nihil antiquius otio literario sibi futurum non dissimulet, quando dignitas iam illa senatoria tota conciderit. Pompeium autē sibi uideri amicissimum, a quo tamen uestigium nullum discessurus, nisi perfecta re, sit, quando nō minori sibi curæ Lentuli dignitas, quam sua sit, quod facile, cum literæ de rebus in prouincia bene gestis ab eo uenerint (nam rumor erat bene rem gestam) extabit {Diæta.} Etsi quid ipsa sit diæta nō nesciam, magis tamen illa mihi probatur lectio, ut dignitas utilitasque scribendum putem, quod & uetustiores codices præ se ferunt. neque enim adduci possem hoc uerbo nunc Ciceronem uti uoluisse, quo aut nunquam, aut quam parcissime hoc significato usus est, sed & uix in ipsa Græcia tale quid inuenias. Nam aut ita definitur Galeno in eo libello cui titulus est ἰατρὸς, ut nihil ad hunc locum faciat: aut pro ratione uictus quotidiani usurpatur a doctis: aut pro loco in quo assidue uiuamus, & mutuo conuersemur: aut pro sententia, quam arbiter dixerit. {Vt quibusdam uidetur simulatione.} Nam Ciceronem plerique inconstātiæ, instabilisque animi notarunt. unde exiit illud: Nil mirum si angustæ sederet, quia duabus sellis uteretur. Vtcunque tamen sit, propensior semper in Pompeii beneuolentiam fuit, ut quāuis magnis Cæsaris beneficiis obstrictus, quāuis genero suo Dolabella, & Cælio, & aliis amicis obstantibus, ut aliquem in locum potius secederet, quam bellis ciuilibus se immisceret, summo tamen suo cum discrimine, nec satis Pompeianis copiis fidens, ad Pompeium nauigārit. {Vt quæ illi utilia sunt.} Hoc dicit, quoniam cum ab exilio reuersus esset, in Pompeii gratiam & dixit & fecit multa multorum inimicitias susceepit, & simultates sustinuit, & Vatinium hominem unum omnium sibi infestissimum adhortationibus Pompeii defendit, & cum Gabinio in gratiam redit: ut sequenti, Epistola latius. {Ne aduersarii quidem eius.} Crassum & Catonem, Catonisque æmulos, & Clodianorum quosdam intelligit, qui omnino Pompeio infestissimi erant. {Perfuncti essemus.} Sic & hac Epistola sequenti. Alias (ut in Epistola ad Brutum) defuncti uocabulo libentius est usus. {Ordinem coniunctissimum} Equestrem scilicet intelligi uoluit Cicero, sæpe a senatu alienatum, sæpe conciliatum, prout iudicandi ratio, uel senatoribus deferebatur, uel a senatu translata, ad equites delata est, donec ex utroque ordine iudices eligerentur: qua de re locis suis copiosius. {Et hominem clarissimum.} Intelligit Pompeium, non Cæsarem: quem Cicero cum primum rediit ab exilio, senatui in primis conciliauit, quod ex Epistolis Cice. ad Q. fratrem præcipue, cognoscas. {Rumor erat hic.} scilicet quod in prouincia Imperator a militibus appellatus esset, quodque summam fortitudinis & prudentiæ laude se gesserat: quod sequenti epistola Cicero ostendit.

SEBAS. CORR.

AMicorum nostrorum.} Cn. Pompeii, M Crassi, & C Cæsaris. {Eius} Pompeii. {Putasti.} Cum de me reuocando ageres. {Aduersarii.} Cn. Lentulus Marcellinus, M. Cato, L.

Domitius,

Domitius, M. Bibulus, M. Fauonius, C. Cato, C. Curio, Seruilius, & alii, a quibus Pompeius his temporibus carpebatur. {Paucis.} Cn. Pompeio, M. Crasso, & Cæsaris amicis. {Ii.} Pompeius, Crassus, & Cæsar. {Præstaturi} Illi enim sine opera nostra curabunt omnia. {Quidam homines.} M. Cato, & reliqui aduersarii. {Eorum.} Catonis præcipue. {Ordinem} equestrem. {Hominem clarissimum.} Pompeium. {Cætera} in cæteris.

BERNARDINVS RVTILIVS.

QVi a senatu ordinem coniunctissimum, & hominem clarissimum abalienauerunt.} Clarissimum hominem Pompeiũ potius dicit, quam Cæsarem: eos autem, quorum culpa amissa sit, intelligit, ni fallor, Catonem, Domitium, Marcellinum, qui Pompeio in secundo consulatu aduersati sunt, ut constet Domitium Catonemq; pulsatos, ex Plutarcho Appianoq; Neq; hic modo, sed & supra, cum de aduersariis Pompeii inquit, Plutarchi uerba in uita Magni Pompeii Catonisq; iure ad hunc locum faciunt. {Quod mihi de filia, & de Crassipede gratularis, agnosco humanitatem tuam, speroq; & opto hanc coniunctionem nobis uoluptati fore.} Crassipedem alium esse a Pisone existimarim, ea ratione quod uiderem etiam ante Ciceronis exilium nuptam Pisoni Tulliolam. In oratione pro Sestio gener inquit: Et Piso gener a Pisonis Cos. pedibus supplex reiiciebatur. & in eadem pauloante: Mihi deniq; homines præcipue cõgratulabantur, quod habiturus essem contra Trib. pleb. furiosum & audacem, cum & amicum, & affinem, tum etiam fortem, & grauem consulem. item in Vatinium: Inculcans ne etiam, ut Pisonem generum meum nominaret? sed & in Pisonem: Mihi uero ipsi coram genero meo propinquo tuo quæ dicere ausus es? & infra: Cum ad te quinta fere hora cum Caio Pisone uenissem: alibique, Vt hæc nimis sera gratulatio importunaq; uideri possit, cum & ante exilium, & post reditũ, ante hæc tempora contracto multis iam mensibus (ne dicam annis) eo matrimonio, Romæ officium hoc a Lentulo perfici quiuerit. Sed cum Plutarchum uideam quos generos tantum Ciceronis, Crassipedem Pisonem, Dolabellamq; asserere, adducor ut putem non de matrimonio, ut uoluit interpres, sed aliquapiam re alia, quæ tamen ad id matrimonium pertineret, gratulari Lentulum, nisi quid forte diuortii dissidiive intercesserit. Nam alioqui in oratione pro Sestio significat iam tum mortuum, cum ait: Piso ille gener meus, cui fructum pietatis suæ, neque ex me, neque a populo Romano ferre licuit, a propinquo suo socerum suum flagitabat. Eam puto habitam antequam sit hæc scripta Epistola: aut Plutarchus forte in hoc ipso sit hallucinatus. {Cætera, quæ ad te pertinebunt, cum & plus, quam possimus, minus tamen faciemus, quam debemus.} Non inelegantior in scripto lectio, pertinebant, pro pertinebunt: & fecimus, pro faciemus quod scilicet si recipimus, sine dubio & de negocio Alexandrino, quod iam derelictum erat, & alio translatum, intelligimus: & pro possimus: possemus: & pro debemus, deberemus, erit substituendum. Id quia perscriptum Lentulo a familiaribus putabat Cicero, in transcursu doloris magis sui significandi, quam purgandi sui gratia attigit.

IDEM IN POSTERIORIBVS.

QVi a senatu ordinem coniunctissimum, & hominem clarissimum abalienauerunt.} Ordinem, equestrem accipe. quod ipso ostendit ad Atticum libro primo: Nos hic in republica infirma, misera, commutabiliq; uersamur: credo enim te audisse nostros equites pene a senatu esse disiunctos: qui primum illud ualde grauiter tulerunt, promulgatum ex senatusconsulto fuisse, ut de his, qui ob iudicandum pecuniã accepissent, quæreretur. qua in re decernenda cum ego casu non affuissem, sensissemq; id equestrem ordinem ferre moleste, neque aperte dicere, obiurgaui Senatum, ut mihi uisus sum, summa cum autoritate, & in causa non uerecunda, admodum grauis, & copiosus fui. Ecce aliæ deliciæ equitum uix ferendæ, quas ego non solum tuli, sed etiam ornaui. Asiani, qui de censoribus conduxerunt, questi sunt in Senatu, se cupiditate prolapsos, nimium magno conduxisse, ut induceretur locatio, postulauerunt Ego princeps in adiutoribus, atque adeo secundus. nam ut illi auderent hoc postulare, Crassus eos impulit. Inuidiosa res, turpis postulatio, & confessio temeritatis: summum erat periculum, ne si nihil impetrassent, plane alienarentur a Senatu. Huic quoque rei subuentum est maxime a nobis, perfectumq; ut frequentissimo Senatu, & libentissimo uterentur: multaq; a me de ordinum dignitate, & concordia dicta sunt Cal. Decemb & postridie, neque adhuc res confecta est, sed uoluntas Senatus perspecta Vnus enim contradixerat Metellus Cos designatus, qui erat dicturus ad quem propter diei breuitatem peruentum non est. Heros ille noster Cato. sic ego conseruans rationem, institutionemq; nostram, tueor. (ut possum) illam a me conglutinatam concordiam. Et Epist. seq. Alienati equites Ro. quod erat quidem ob rem iudicandam, sic ille annus duo firmamenta Reipu. per me unum constituta euertit. nam & Senatus autoritatem abiecit, & ordinum concordiam disiunxit. Et lib. ij. Nunc uero, cum equitatus ille, quem ego in cliuo Capitolino te signifero ac principe collocaram, Senatum deseruerit, nostri autem Principes digito se coelum putent attingere, si mulli barbati in piscinis sint, qui ad manum accedant, alii autẽ negligant, non ne tibi satis prodesse uideor si perficio, ut nolint obesse qui possunt? Nam Catonem nostrum non tu amas plus, quam ego. sed tamen ille animo optimo utens, & summa fide, nocet interdum Reip. Dicit enim tanquam in Platonis πολιτείᾳ, non tanquã in Romuli fæce sententiam. Quid uerius, quam in iudicium uenire, qui ob rem iudicandam pecuniã acceperit? Censuit hoc Cato, assensit Senatus equiti. Curiæ bellum, non mihi: nam ego dissensi. Quid impudentius Publicanis renunciantibus? Fuit tamen retinendi ordinis causa faciẽda iactura. restitit, & peruicit Cato. Itaq; nunc consule in carcere incluso, sæpe item seditione cõmota aspirauit nemo eorum, quorum ego concursu, itemq; Coss. qui post me fuerunt, Remp. defendere solebant. Quid? ergo istos, inquies, mercede conductos habebimus? quid faciemus, si aliter nõ possumus? an libertinis, atq; etiam seruis seruiamus? Culpam intelligit Catonis. Orbis hic (inquit ad Atticum) in Repub est conuersus, citius omnino quam potuit. Id culpa Catonis. Hominem clarissimum dicit Pompeium. Appianus: Cæsar, inquit spreto triumpho ad comitia descendit, & creationem eius dignitatis opperiri cœpit. Interea Pompeius, ob Mithridaticum bellum ad summum gloriæ & dignitatis euectus, Senatum rogare pergit, ut multa, quæ regibus, dynastis, ac ciuitatibus idem concessisset, Senatus ex decreto confirmare uellet. Contra plurimi, inuidia accensi in illum repugnabãt. Inter hos uel in primis L. Lucullus fuit, qui ante Pompeium ad id bellum delegatus, debiliorem ad resistendum Pompeio Mithridatem reliquisse se aiebat, eius belli gloriam sibi soli spectare prædicabat. Lucullo Crassus parimodo assistebat. Indignatus itaq; Pompeius, affinitatem cum Cæsare mire studuit, seq; in petitione consulatus illi affuturum iureiurando pollicetur. Et mox: Senatus, quũ de illis suspicaretur, L. Bibulum Cæsari aduersum cum eo consulatum administrare iubet & infra: Alias (inquit de legibus Cæsaris) porro addidit, quæ a Pompeio gesta, ut pollicitus fuerat illi, comprobarent, & reliqua, quæ de discordiarum inter Senatum, & Equites causis exquirit. Eademq; omnia latius in Pompeio Plutarchus.

PHILIPPVS MELANCHTHON.

DE Omnibus rebus.} Hæc Epistola est narratio, in qua commemorat nonnihil mutatum esse statum Reipub & effici ex aristocratia oligarchiam. {Animi inductio} idest oratio ad conciliandos animos populi {Sed ut ad ea} Redit ad priorem Epistolæ partem, de Pompeio. {Et eo consule} Fuit enim consul Pompeius sub id tempus, quando Milo coactus est causam dicere.

ARGVMENTVM.

Primum Lentulo respondens, qui scripserat studia Ciceronis in se esse quam gratissima, docet id ex abundantia amoris potius, quam ex merito suo profectum. Deinde gratulatur Lentulo, quod prouinciam cum summa laude administret, & geras. Tum criminatur Clodium. Tum Lentulo id gaudendum censet, quod non in salutis, ut ipse Cicero olim, sed in dignitatis duntaxat periculo uersetur, unde leui iactura possit fidem suorum experiri. Tum quia Lentulus se non reprehendere scripserat, quod Cicero, ut acceperat, cum Cæsare & cum Appio Pulchro in gratiam redierat. Velle tamen scire, qua inductus gratia, Vatinium defenderit, longe repetens omnium causas affert, significans se salutis rationem habere, unde & rationem reddit, quare cum Crasso reconciliatus sit. Quorum rationem occasione multa quæ dixerit & egerit, præsertim in senatu, recitat. Et ut sibi doluerit, quod aduersarii Clodium fouerent. Sæpe autem Pompeii mentionem faciens, eius potentiam commemorat. Quintum autem fratrem Cæsari multum debentem, docet magnum monumentum fuisse, cur Cæsari multum fauerit. Tum Respub. causa se multa fecisse commemorat, ne uidelicet ex summorum uirorum dissensione periclitaretur. Tum, ut sæpe alias, merita sua in Rempub. a coniuratione liberatam, & culpam eorum, a quibus aut accusatus, aut defensus non est, recenset, damnãs uidelicet eorum ignauiam. per quam Resp. in discrimen uenit. Tum commemorat laudem Lentuli, quam in consulatu meruerat. Tum quæ secuta sunt mala, & Clodii in sacris Bonæ deæ turpes ausus impunitos fuisse conqueritur, & dignitatis suæ iniustam imminutionem detestatur. Tum Quinti Metelli honorificam mentionem facit, & factum eius purgat. Tum ad facti sui purgationem rediens, innuit se pro rei necessitate propositum mutare, & in ea re Platonis autoritatem sequi, differentem tamen esse suam a Platonis ratione in Repub. deferenda, aut administranda. Tum Cæsaris in fratrem suum mirificam liberalitatem ac iustam conciliationem affert. Tum causam reditus in gratiam cum Vatinio scribit. Tum reconciliationis cum Crasso. Tum instituti sui, ac propositi nouas affert rationes. Ac demum ab Lentulo beneuolentiam, & fauorem captat.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Hæc Epistola partim Lentuli, partim Ciceronis in negociis consumitur. Lentuli quidem, quod de rebus ad illum pertinentibus a Cicerone certior fiat, & officij erga se amplissimam memoriam sentiat renouari. Ciceronis uero, quando ille se purgat & leuitatis & inconstantiæ, quod cum iis redierit in gratiam, quos antea ut inimicissimos oppugnauit, & uexauit. Reiicit autem in temporum constitutionem culpam, & a sapientissimorum iudicio, & autoritate, inculpabilem se præstare nititur.

M. T. C. PVBLIO LENTVLO S. P. D. 9

PEriucundæ mihi fuerunt literæ tuæ, quibus intellexi te perspicere meam in te pietatem: quid enim dicam beneuolentiam, cum illud ipsum grauissimum & sanctissimum nomen pietatis, leuius mihi meritis erga me tuis esse uideatur? Quod autem grata tibi mea erga te studia scribis esse, facis tu quidem abundantia quadam amoris, ut etiam grata sint ea, quæ prætermitti sine nefario scelere non possunt. Tibi autem multo notior, atque illustrior meus in te animus esset, si hoc tempore omni, quo *seiuncti fuimus, & una, & Romæ fuissemus. Nam in eo ipso, quod te ostendis esse facturum, quodq; & in primis potes, & ego à te uehementer expecto: in sententijs senatorijs, & in omni actione, atque administratione Reipub. floruissemus. De qua ostendam equidem paulo post, qui sit meus sensus, & status: & rescribam tibi ad ea, quæ quæris: sed certe & ego te autore amicissimo, ac sapientissimo, & tu me consiliario fortasse non imperitissimo, fideli quidem, & beneuolo certe, usus esses: quanquam tua quidem causa te esse Imperatorem, prouinciamq; bene gestis rebus cum exercitu uictore obtinere, ut debeo, lætor. Sed certe qui tibi ex me fructus debentur, eos uberiores, & *præstantiores præsens capere potuisses. In eis uero ulciscendis, quos tibi partim inimicos esse intelligis propter tuam propugnationem salutis meæ, partim inuidere propter illius actionis amplitudinem & gloriam, mirificum me tibi comitem præbuissem: quanquam ille perennis inimicus amicorum suorum, qui tuis maximis beneficijs ornatus in te potissimum fractam illam, & debilitatam uim suam contulit, nostram uicem ultus est ipse per sese: *ea est enim conatus, quibus patefactis, nullam sibi in posterum, non modo dignitatis, sed ne libertatis quidem partem reliquit. Te autem, etsi mallem in meis rebus expertum, quam etiam in tuis, tamen in molestia gaudeo eandem fidem cognoscere hominum, non ita magna mercede quam ego maximo dolore cognoram. De qua ratione tota iam uidetur mihi exponendi tempus dari, ut tibi rescribam ad ea, quæ quæris. Certiorem te per literas scribis esse factum, me cum Cæsare & cum Appio esse in gratia: teq; id non reprehendere adscribis. Vatinium autem scire te uelle ostendis quibus rebus adductus defenderim, & laudarim. Quod tibi ut planius exponam, altius paulo rationem meorum consiliorum repetam necesse est. Ego me Lentule initio rerum, atque actionum tuarum, non solum meis, sed etiam Reipub. restitutum putabam: & quoniam tibi incredibilem quendam amorem, & omnia in te ipsum summa, ac singularia studia deberem, respub. quæ te in me restituendo multum adiuuisset, eius certe me animum merito ipsius debere arbitrabar, quem antea tantummodo communi officio ciuium, non aliquo erga me singulari beneficio debitum præstitissem. Hac me mente fuisse & senatus ex me te consule audiuit: & tu in nostris sermonibus, collocutionibusq; ipse uidisti, etsi iam primis temporibus illis, multis rebus meus offendebatur animus: cum te agente de reliqua nostra dignitate aut occulta nonnullorum odia, aut obscura in me studia cernebam. Nam neque de monimentis meis ab iis adiutus es, à quibus debuisti: neque de ui nefaria, quà cum fratre eram domo expulsus: neque Hercule in iis ipsis rebus, quæ quanquam erant mihi propter rei familiaris naufragia necessariæ, tamen à me minima putabantur in meis damnis ex autoritate senatus resarciendis, eam uoluntatem, quam expectaram, præstiterunt. Quæ cum uiderem (neque enim erant obscura) non tamen tam acerba mihi hæc accidebant, quàm erant, illa grata, quæ fecerant. Itaque quanquam & Pompeio plurimum, te quidem ipso prædicatore, ac teste debebam: & eum non solum beneficio, sed *amore etiam, & perpetuo quodam iudicio meo diligebam: tamen non reputans quid ille uellet, in omnibus meis sententijs de Repub. pristinis permanebam. Ego sedente Cn. Pompeio, cum ut laudaret Pompeium P. Sextius introiisset in urbem, dixissetq; testis Vatinius, me fortuna, & felicitate C. Cæsaris commotum, illi amicum esse cœpisse: dixi me eam Bibuli fortunam, quam ille afflictam putaret, omnium triumphis, uictorijsq; anteferre: dixiq; eodem teste alio loco, eosdem esse, qui Bibulum exire domo prohibuissent, & qui me coegissent. Tota uero interrogatio mea nihil habuit aliud, nisi reprehensionem illius tribunatus: in *quo omnia dicta sunt libertate, animoq; maximo, de ui, de auspicijs, de donatione regnorum. Neque uero hac in causa modo, sed constanter sæpe in senatu: quinetiam Marcellino, & Philippo consulibus, Nonis Aprilibus, mihi est senatus assensus, ut de agro Campano frequenti senatu Idibus Maiis referretur. *Non potui magis in arcem illius causæ inuadere, aut magis obliuisci temporum meorum, & meminisse actionum. Hac à me sententia dicta, magnus animorum motus est factus, *cum eorum, quorum oportuit, tum illorum etiam, quorum nunquam putaram. Nam hoc senatusconsulto in meam sententiam facto, Pompeius cum nihil mihi ostendisset se esse offensum, in Sardiniam, & in Africam profectus est, eoq; itinere Lucam ad Cæsarem uenit: ibi multa de mea sententia questus est Cæsar, quippe qui etiam Rauennæ Crassum ante uidisset, ab eoq; in me esset incensus. Sane moleste Pompeium id ferre constabat, quod ego cum audissem ex alijs maxime ex meo fratre cognoui: quem cum in Sardinia Pompeius paucis post diebus, quam Luca discesserat, cõuenisset: Te, inquit, ipsum cupio: nihil opportunius potuit accidere: nisi cum Marco fratre diligenter egeris, dependendum tibi est, quod mihi pro illo spopondisti. Quid multa? questus est grauiter: sua merita commemorauit: quid egisset sæpissime de actis Cæsaris cum ipso meo fratre, quidq; sibi is de me recepisset, in memoriam redegit: seq;, quæ de mea salute egisset, uoluntate Cæsaris egisse, ipsum meũ fratrem testatus est: cuius causam, dignitatemq; mihi ut commendaret, rogauit: ut eam *ne oppugnarem, si nollem, aut non possem tueri. Hæc cum ad me frater pertulisset, & cum ante tamen Pompeius ad me cum mandatis Vibullium misisset, ut integrum mihi de causa Campana ad suum reditum reseruarem: collegi ipse me, & cum ipsa quasi Repu. collocutus sum: ut mihi tam multa pro se perpesso, atque perfuncto concederet, ut officium meum memoremq; in bene meritos animum fidemq; fratris mei præstarem: eumq;, quem bonum ciuem semper habuisset, bonum uirum esse pateretur. In illis autem meis actionibus, sententijsq; omnibus, quæ Pompeium uidebantur offendere, certorum hominum, quos iam debes suspicari, sermones referebantur ad me: qui cum illa sentirent in Repub. quæ ego agebam semperq; sensissent: me tamen non satisfacere Pompeio, Cæsaremq; inimicissimum mihi futurum gaudere se aiebant. Erat hoc mihi dolendum: sed multo magis illud, quod inimicum meum (meum autem? imo uero legum, iudiciorum, otii, patriæ, bonorum omnium) sic amplexabantur, sic in manibus habebant, sic fouebant, sic me præsente osculabantur: non illi quidem, ut mihi stomachum facerent, quem ego funditus perdidi: sed certe ut facere se *arbitrarentur. Hic ego quantum humano consilio efficere potui, circunspectis rebus meis omnibus, rationibusq; subductis, summam feci cogitationum mearum omnium: quam tibi, si potero, breuiter exponam. Ego si ab improbis & perditis ciuibus rempublicam teneri uiderem, sicut & meis temporibus scimus, & nonnullis alijs accidisse accepimus: *non modo non præmijs, quæ apud me minimum ualent, sed ne periculis quidem compulsus ullis, quibus tamen mouentur etiam fortissimi uiri, ad eorum causam me adiungerem: ne si summa quidem eorum in me merita constarent. Cum autem in Repub. Cn. Pompeius princeps esset, uir is, qui hanc potentiam & gloriam maximis in Rempub. meritis, præstantissimisq; rebus gestis esset consecutus: cuiusq; ego dignitatis ab adolescentia fautor, in prætura autem, & in consulatu adiutor etiã extitissem: cumque idem autoritate, & sententia per se, consilijs & studijs tecum me adiuuisset, meumq; inimicum, unum in ciuitate haberet

*alias disiuncti.

*alias præsentiores.

*alias est enim ea conatus.

*alias more.

*alias qua

*alias Nũ

*alias tum eorum.

*alias non oppugnarem.

*alias arbitrabantur.

*alias non modo præmijs.

beret inimicum: non putaui famam inconstantiæ mihi pertimescendam, si quibusdam in sententijs paulum me immutassem, meamq; uoluntatem ad summi uiri, de meq; optime meriti, dignitatem aggregassem. In hac sententia complectendus erat mihi Cæsar, ut uides, in coniuncta & causa, & dignitate. Hic multum ualuit tum metus amicitia, quam tu non ignoras mihi, & Q. fratri cum Cæsare fuisse, tum humanitas eius, ac liberalitas breui tempore, & literis & officijs perspecta nobis, & *cognita. Vehementer etiam res ipsa publica me mouit: quæ mihi uidebatur contentionem, præsertim maximis rebus a Cæsare gestis, cum illis uiris nolle fieri: &, ne fieret, uehementer recusare. Grauissime autem me in hanc mentem impulit, & Pompeij fides, quam de me Cæsari dederat, & fratris mei, quam Pompeio. Erant præterea hæc animaduertenda in ciuitate, quæ sunt apud Platonem nostrum scripta diuinitus, QVALES IN REPVBLICA PRINCIPES essent, tales reliquos solere esse ciueis. Tenebam memoria nobis consulibus, ea fundamenta iacta ex * Calendis Ianuarijs confirmandi senatus, ut neminem mirari oporteret * Nonis Decembris tantum uel animi fuisse in ordine illo, uel autoritatis. Idéq; memineram, nobis priuatis usque ad Cæsarem, & Bibulum consules cum sententiæ nostræ magnum in senatu pondus haberent, unum fere sensum fuisse bonorum omnium. Postea cum tu Hispaniam citeriorem, cum Imperio obtineres, neque respub. consules haberet, sed mercatores prouinciarum, & seditionum seruos, ac ministros, iecit quidam casus caput meum, quasi certaminis causa, in mediam contentionem dissensionemq; ciuilem. Quo in discrimine, cum mirifica senatus, incredibilis Italiæ totius, singularis bonorum omnium consensio in me tuendo extitisset: non dicam quid acciderit (multorum enim est, & uaria culpa) tantum dicam breui, non mihi exercitum, sed duces defuisse. In quo ut iam sit in ijs culpa, qui me non defenderunt, non minor est in ijs, qui reliquerunt. etsi accusandi sunt, qui pertimuerunt, magis etiam reprehendendi, qui se timere simularunt. Illud quidem certe nostrum consilium iure laudandum est, quod meos ciueis, & à me conseruatos, & me seruare cupienteis, spoliatos ducibus, seruis armatis obijci noluerim: declararéq; maluerim, quanta uis esse potuisset in consensu bonorum, * si ii pro me stante, pugna non destitissent, cum afflictum excitare potuissent. Quorum quidem animum tu non perspexisti solum, cum de me ageres, sed etiam confirmasti, atque tenuisti. Qua in causa, non modo non negabo, sed etiam semper & meminero, & prædicabo libenter, usus es quibusdam nobilissimis hominibus fortioribus in me restituendo, quam fuerãt iidem in tuendo: qua in sententia si constare uoluissent, suã autoritatem simul cum salute mea recuperassent. Recreatis enim bonis uiris consulatu tuo, & constantissimis, atque optimis actionibus tuis excitatis, Cn. Pompeio præsertim ad causam adiuncto, cum etiam Cæsar rebus maximis gestis, singularibus ornatus, & nouis honoribus, ac iudicijs senatus ad autoritatem eius ordinis adiungeretur: nulli improbo ciui locus ad rẽpublicam uiolandam esse potuisset. Sed attende quæso, quæ sint consecuta. Primum * illa furta muliebrium religionum: qui non pluris fecerat Bonam deam, quam treis sorores: impunitatem scelerum, eorum sententijs est assecutus: qui cum Tribunus ple. pœnas à seditioso ciue per bonos uiros in iudicio persequi uellet, exemplum præclarissimum in posterum uindicandæ seditionis de Rep. sustulerunt: iidemq; postea non meum monimentum (non enim illæ manubiæ meæ, sed operis locatio mea fuerat) monimentum uero senatus, hostili nomine, & cruentis inustum literis esse passi sunt. Qui me homines quod saluum esse uoluerunt, est mihi gratissimum: sed uellem non solum salutis meæ, quemadmodum medici: sed etiam ut aliptæ, uirium, & coloris rationem habere uoluissent. Nunc ut Apelles Veneris caput, & summa pectoris politissima arte perfecit, reliquam partem corporis inchoatum reliquit: sic quidam homines in capite meo solum elaborarunt, reliquum corpus imperfectum ac rude reliquerunt. In quo ego spem fefelli non modo inuidorum, sed etiam inimicorum meorum: qui de uno acerrimo, & fortissimo uiro, meoq; iudicio, omnium magnitudine animi, & constantia præstantissimo * Q. Metello Lucij filio, quondam falsam opinionem acceperunt: quem post reditum dictitant fracto animo, & demisso fuisse. Est uero probandum, qui & summa uoluntate cesserit, & egregia animi alacritate abfuerit, neque sane redire curarit, eum ob id ipsum fractum fuisse, in quo cum omnes homines, tum M. illum Scaurum singularem uirum constantia, & grauitate superasset? Sed quod de illo acceperant, aut etiam suspicabantur, de me idem cogitabant, abiectiore animo me futurum: Cum Respublica maiorem etiam mihi animum, quam unquam habuissem, daret: quæ iam declarasset sese non potuisse me uno ciue carere: Cumq; Q. Metellum unius Tribuni plebis rogatio, me uniuersa Respublica duce senatu, comitante Italia, promulgantibus omnibus, referente consule, comitijs centuriatis, cunctis ordinibus, hominibusq; incumbentibus, omnibus denique uiribus suis recuperasset. Neque uero ego mihi postea quicquam assumpsi, neq; hodie assumo, quod quenquam maleuolentissimum iure possit offendere: tantum enitor, ut neque amicis, neque etiam alienioribus, opera, consilio, labore desim. Hic meæ uitæ cursus offendit eos fortasse, qui splendorem, & speciem huius uitæ intuentur, solicitudinem autem & laborem perspicere non possunt. Illud uero non obscure queruntur * in meis sententijs, quibus ornem Cæsarem, quasi destiterim à pristina causa. Ego autem cum illa sequor, quæ paulo ante proposui, tum hoc non in postremis, de quo cœperam exponere. Non offendes eundem bonorum sensum Lentule, quem reliquisti: qui confirmatus consulatu nostro, nonnunquam postea interruptus, afflictus ante te consulem, recreatus abs te totus est: nunc ab iis, à quibus tuendus fuerat, derelictus: idq; non solum fronte, atque uultu, quibus simulatio facillime sustinetur, declarant ii, qui tum nostro illo statu optimates nominabantur: sed etiam * sensu sæpe iam, tabellaq; docuerunt. Itaque tota iam sapientium ciuium, qualem me & esse, & numerari uolo, & sententia, & uoluntas mutata esse debet. Id enim iubet idem ille Plato, quem ego autorem uehementer sequor, TANTVM contendere in Republica, quantum probare tuis ciuibus possis. Vim neque parenti, neque patriæ afferre oportere. Atque hanc quidem ille causam sibi ait non attingendæ Reipublicæ fuisse, quod cum offendisset populum Athenensem prope iam desipientem senectute, cumq; eum nec persuadendo, nec cogendo regi posse uidisset, cum persuaderi posse diffideret, cogi fas esso non arbitraretur. Mea ratio fuit alia, quod neque desipiente populo, neque integra re mihi ad consulendum capesserem'ne Rempublicam, implicatus tenebar. Sed lætatus tamen sum, quod mihi liceret, in eadem causa & mihi utilia, & cuiuis bono recta defendere. Huc accessit commemoranda quædam, & diuina Cæsaris in me, fratremq; meum liberalitas: qui mihi quascunq; res gereret, tuendus esset. Nunc in tanta felicitate, tantisq; uictoriis, etiam si non in nos is esset, qui est, tamen ornandus uideretur. Sic enim te existimare uelim: cum à uobis meæ salutis autoribus discesserim, neminem esse, cuius officijs me tam esse deuinctum non solum confitear, sed & gaudeam. Quod quoniam tibi exposui, facilia sunt ea, quæ à me de Vatinio, & de Crasso requiris. Nam de Appio quod scribis, sicut de Cæsare, te non reprehendere: gaudeo consilium tibi probari meum. De Vatinio autem, primum reditus intercesserat in gratiam per Pompeium, statim ut ille prætor factus est, cum quidem ego eius petitionem grauissimis in senatu sententijs oppugnassem, neque tam illius lædendi causa, quam defendendi, atque ornandi Catonis. Post autem

*die primo Ianua.
*die. 5. Decembris.
*alias si iis pro me stante, pugnare licuisset, aut libuisset.
*alias ille furia.
*alias L. F. quandam.
*alias in meas sentẽtias quibus ornem Cæsarem, quasi desciuerim à pristina causa.
*alias sententia.

Cæsaris ut illum defenderem, mira contentio est consecuta. Cur autem laudàrim, peto à te, ut id à me ne'ue in hoc reo, ne ue in alijs quæras: ne tibi ego idem reponam, cum ueneris: tametsi poßum uel absenti. Recordare enim, quibus laudationem ex ultimis terris miseris, nec hoc pertimueris: nam à meipso laudantur, & laudabuntur iidem. Sed tamen defendendi Vatinij fuit etiam ille stimulus: de quo in iudicio, cum illum defenderem, dixi me facere quiddam, quod in Eunucho parasitus suaderet militi,*

*Act. 3. Sce. 1.

> Vbi nominabit Phædriam, tu Pamphilam
> Continuo: si quando illa dicet, Phædriam
> Intromittamus comessatum: tu Pamphilam
> Cantatum prouocemus: si laudabit hæc
> Illius formam: tu huius contra. denique
> Par referto, pari eam quod mordeat.

Sic petiui à iudicibus, ut quoniam quidam nobiles homines, & de me optime meriti, nimis amarent inimicum meum: meque inspectante sæpe eum in senatu modo seuere seducerent, modo familiariter atque hilare amplexarentur: quoniamque illi haberent suum Publium, darent mihi ipsi alium Publium, in quo possem eorum animos mediocriter laceßitus leuiter repungere. Neque solum dixi: sed etiam sæpe facio, dijs hominibusque approbantibus. Habes de Vatinio, cognosce de Crasso. Ego, cum mihi cum illo magna iam gratia eßet, quod eius omneis grauißimas iniurias communis concordiæ causa uoluntaria quadam obliuione contriueram, eius repentinam defensionem Gabinij, quem proximis superioribus diebus acerrime oppugnasset, tametsi sine ulla mea contumelia suscepisset, tulissem: sed cum me disputantem, non lacessentem læsisset, exarsi non solum præsenti credo, iracundia (nam ea tam uehemens fortasse non fuisset) sed cum inclusum illud odium multarum eius in me iniuriarum, quod ego effudisse me omne arbitrabar, residuum tamen * insciente me fuißet, omne repente apparuit. Quo quidem tempore ipso, quidam homines, & iidem illi quos sæpe nutu, significationeque appello, cum se maximum fructum cepisse dicerent ex libertate mea, meque tum denique sibi esse uisum Reipublicæ, qualis fuissem, restitutum: cumque ea contentio mihi magnum etiam foris fructum tulisset: gaudere se dicebant mihi & illum inimicum, & eos, qui in eadem causa essent, nunquam amicos futuros. Quorum iniqui sermones cum ad me per honestißimos homines perferrentur: cumque Pompeius ita contendisset, ut nihil unquam magis, ut cum Crasso redirem in gratiam: Cæsarque per literas maxima se molestia ex illa contentione affectum ostenderet: habui non temporum solum rationem eorum, sed naturæ etiam meæ: Crassusque, ut quasi testata pop. Ro. eßet nostra gratia, pene à meis laribus in prouinciam est profectus. Nam cum mihi condixisset, cœnauit apud me in mei generi Craßipedis hortis. Quamobrem eius causam, quod te scribis audiße, magna illius commendatione susceptam, * defendi in senatu, sicut mea fides postulabat. Accepisti quibus rebus adductus, quamque rem, causamque defenderim: quique meus in Republica sit pro mea parte capeßendæ status. De quo sic uelim statuas, me hæc eadem sensurum fuiße, si mihi integra omnia, ac libera fuißent. Nam neque pugnandum arbitraretur contra tantas opes: neque delendum, etiam si id fieri posset, summorum ciuium principatum: neque permanendum in una sententia conuersis rebus, ac bonorum uoluntatibus inmutatis, sed temporibus aßentiendum: NVNQVAM ENIM PRÆSTANTIBVS IN Repub. gubernanda uiris laudata est in una sententia perpetua permansio: sed ut in nauigando tempestati obsequi artis est, etiam si portum tenere nequeas: cum uero id poßis mutata uelificatione aßequi, stultum est eum tenere cum periculo cursum, quem cœperis, potius quam eo commutato, quo uelis, tandem peruenire; sic cum omnibus nobis in administranda Rep. propositum esse debeat, id quod à me sæpißime dictum est, cum dignitate otium, NON idem semper dicere, sed idem semper * spectare debemus. Quamobrem, ut paulo ante posui, si eßent omnia mihi solutißima, tamen in Rep. non alius essem, atque nunc sum. Cum uero in hunc sensum & alliciar beneficijs hominum, & compellar iniurijs, facile patior ea me de Republica sentire ac dicere, quæ maxime cum mihi, tum etiam Reipublicæ rationibus putem conducere. Apertius autem hæc ago, ac sæpius, quod & Q. frater meus legatus est Cæsaris, & nullum meum minimum dictum, non modo factum, pro Cæsare interceßit, quod ille non ita illustri gratia exceperit, ut ego eum mihi deuinctum putarem. Itaque eius omni & gratia, quæ summa est, & opibus, quas intelligis esse maximas, sic fruor, ut meis. Nec mihi aliter potuisse uideor hominum perditorum de me consilia frangere, nisi cum præsidijs iis, quæ semper habui, * nunc etiam potentium beneuolentiam coniunxissem. His ego consilijs si te præsentem habuissem, ut opinio mea fert: essem usus eisdem: noui enim temperantiam, & moderationem naturæ tuæ: noui animum, * tum mihi amicißimum, tum nulla in cæteros maleuolentia suffusum: contraque cum magnum, & excelsum, tum etiam apertum, & simplicem. Vidi ego quosdam in te taleis, qualeis tu eosdem in me uidere potuisti. Quæ me mouerunt, mouissent eadem te profecto. Sed quocunque tempore mihi potestas præsentis tui fuerit, tu eris omnium moderator consiliorum meorum tibi erit eidem, cui salus mea fuit, etiam dignitas curæ. Me quidem certe tuarum actionum, sententiarum, uoluntatum, rerum denique omnium socium, comitemque habebis neque mihi in omni uita res tam erit ulla proposita, quam ut quotidie uehementius te de me optime meritum esse lætere. Vale.

*alias insciente me fugisset.

*uide epi. lib. 5.

*alias præstare.

*alias hæc etiam.

*alias cum mihi.

ASCEN.

PEr iucundæ. Epistola hæc sane longa, multa graphice scripta: gratiam captat a Lent. eique gratulatur. Clo. criminatur. Se inconstantiæ purgat quod cum Cæ. Appio Pulchro, Vatinio Crassoque in gratiam redierit, factorum rationes afferendo, ac demum se Len. rursus commendatum facit: ut cum ordine patebit. Ordo autem est. Literæ tuæ fuerunt mihi periucundæ: quibus intellexi te perspicere, id est clare uidere meam pietatem, id est obseruantiam, & uenerationem: in. i. erga te. Et quia dixit pietatē, quæ in superiores est, ut in principio scripsi, addit quasi dicat dixi pietatem. Enim pro quia: quid idest ad quid dicam beneuolentiam? Cum illud grauissimum: & sanctissimum nomen pietatis uideatur mihi esse leuius idest minoris momenti: meritis tuis erga me: quod autem scribis. mea studia erga te esse grata tibi, tu quidem idest certe. Non tamen significat proprie certe: sed cum sit expletiua coniunctio, ad ornatum ponitur, uimque quandam habet per aliam uocem non explicabilem: facis sup. id: quadam abundantia amoris: ut etiam ea, quæ prætermitti non possunt sine nefario scelere: sint grata scilicet tibi. Autem idest sed animus in te esset tibi multo notior, atque illustrior idest clarior, & perspectior si fuissemus omni idest toto hoc tempore quo fuimus seiuncti idest separati: & idest simul, una idest in uno loco, & Romæ: ubi de rebus tuis actum est. Nam nos floruissemus in eo tempore: quod idest quam rem &c. alii legunt in eo ipso: quod tu ostendis facturum te esse scilicet cum aderis: & quod tu potes in primis: & sup. quod ego expecto uehementer a te. Floruissemus, inquit, in sententiis senatoriis idest in senatu dandis, aut datis: & in omni actione: atque administratione Reipu. de qua scilicet Rep. equidem: ego quidem ostendam paulopost: qui sit sensus meus idest quid sentiam. & qui status sup. eius, aut meus in ea, & rescribam scilicet paulopost tibi ea, quæ quæris. Sed certe idest indubitate: & ego sup. usus essem te autore amicissimo ac sapientissimo: & tu usus esses me consiliario non imperitissimo fortasse: quod per modestiam addit, quidem. i. quod dicere licet, usus esses consiliario fideli, & certe idest omnino indubitanter: beneuolo. scilicet si Romæ fuisses. Quanquam ego lætor, ut debeo tua quidem causa. id est propter bonum tuum non meum: te esse Imperatorem, scilicet in Cilicia: & obtinere prouinciam rebus bene idest feliciter gestis: cum exercitu uictore. sed. i. attamen: certe tu præsens, & si præsens fuisses: potuisses capere ex me eos fructus, qui debentur tibi ex me, uberiores: id est fœcundiores, seu ampliores & præstantiores. Vero: idest sed ego præbuissem: idest exhibuissem me comitem: qui minor est, quam socius: mirificum: idest mira facientem: in ulciscendis eis, quos intelligis tibi esse partim inimicos, propter tuam propugnationem salutis meæ. i. quia pugnasti pro salute mea: & intelligis partim inuidere tibi pro

pter

pter amplitudinem, & gloriam illius actionis scilicet qua reductionem Ciceronis obtinuit: nullo enim modo de rebus gestis in prouincia loquitur: cum antea, quam in prouinciam abiret, hanc inuidiam contraxerit: neque de rebus gestis in consulatu: cum consulis non sit agere causas, sed dicere sententias. Quanquam: idest nihilominus: Ille perennis inimicus amicorum suorum: idest a quibus beneficium accepit: uidelicet Clodius: qui ornatus idest honorifice adiutus tuis maximis beneficiis: contulit potissimum in te suam uim: illam fractam, & debilitatam: ita, ut non posset nocere: ipse ultus est sese idest in seipso uice nostra: aut sit accusatiui casus sese sic, ultus est uicem nostram idest quem nos ulcisci debebamus: uidelicet sese docet quum sit ultus sit. Enim idest quia ipse conatus est ea, uidelicet sacrilegium, adulterium, & incestum cum Pompeia uxore Cæsa. noctu in ueste muliebri, dum agerentur sacra Bonæ deæ non adeunda uiris. A quo tamen scelere per corruptionem iudicum liberatus est: Cæsare potius dissimulante, quam persequente ultionem criminis repudium tamen uxori misit: quod diceret domum amplissimi uiri non solum culpa, sed etiam suspitione culpæ debere uacare. Ne tamen Cæsarem lædat Cicero. non dicit sacrilegium perpetrasse, quod etiam non constat, sed conatum esse, deprehensus enim, & agnitus fuerat. Quibus idest sceleribus eius patefactis, nam in ius uocatus est ob ea: sed, ut dixi, absolutus, nullam idest non ullam: reliquit sibi in posterum: idest in tempus post illa futurum: ullam partem: non modo dignitatis, sed ne quidem: idest non saltem: aut non etiam libertatis. Non enim liber est censendus tali scelere obnoxius. Te autem &c. Etsi: idest quanquam ego mallem te expertum esse in rebus meis: quam etiam in tuis, idest licet mallem in meo malo: quam in tuo te quorundam perfidiam deprehendisse: tamen ego gaudeo etiam in molestia: idest in te molesta te cognoscere eam fidem quæ nulla est: hoc est perfidiam temporum non ita magna mercede: quia non in periculo uitæ ut ego: sed duntaxat dignitatis: quam: scilicet fidem hominum: idest perfidiam: ego cognoram maximo dolore. De qua ratione: idest consideratione, aut re tota: uidetur tempus exponendi: idest ut exponatur: iam dari: ut ego perscribam: idest respondeam tibi ad ea, quæ quæris. Tu scribis te factum esse certiorem: idest certificatum esse per literas, me esse cum Cæsare, & cum Appio: in gratia, idest reconciliatione, & scribis te non reprehendere id autem, idest sed: tu ostendis te uelle scire: quibus rebus ego adductus, idest prouocatus, defenderim, & laudarim Vatinium manifestum nuper inimicum. Quod: idest quam causam, ut ego exponam tibi plenius, idest satis plene, necesse est, supple ut repetam paulo altius rationem consiliorum meorum. Ego o Lentule putabam me, initio, idest ab initio rerum, & actionum tuarum: scilicet pro me, esse restitutum non solum meis, scilicet amicis, & necessariis, sed etiam reipub. ut in ea florerem, sicut ante exilium. Et quoniam ego deberem tibi incredibilem quendam amorem, & omnia summa, ac singularia in te ipsum: arbitrabar me debere reipublicæ quæ in me restituendo, idest in restitutione mei: adiuuisset te multum. Hoc enim nomine Lentulus Ciceronis restitutionem impetrauit: quod ostenderet reipub maxime utilem fuisse, ac fore debere, inquam certe, idest saltem eum animum, idest eum affectum. merito idest propter meritum ipsius. quem ego præstitissem debitum antea, tantummodo, idest duntaxat communi officio ciuium, idest quod omnes boni ciues Reipublicæ debent non aliquo singulari beneficio erga me Et idest simul, senatus audiuit ex me te consule: idest cum dicerem coram te consule, & idest simul ipse, idest tu uidisti, idest agnouisti, est enim uidere teste Augustino, commune ad omnes sensus. in nostris sermonibus, & collocutionibus scilicet priuatis, me fuisse hac, idest huiusmodi mente, idest hoc animo in rem publicam. Etsi idest quanquam animus meus offendebatur multis rebus iam primis illis temporibus, cum te agente de reliqua nostra dignitate, idest de restitutione in pristinæ locum dignitatis, cernebam aut occulta nonnullorum odia, aut obscura studia in me, idest fauores dubios, ut ab iis, qui non auderent aut nollent adhuc iudicare, quod mihi studerent. Nam neque adiutus es ab iis, a quibus debuisti, scilicet adiuuari, de monumentis meis, idest de domo mea, quam Clodius, ut etiam æternum rei monimentum libertati dicauerat, mihi restituenda, neq; adiutus es de ui nefaria, qua eram expulsus domo cum fratre. Neq; hercle præstiterunt eam uoluntatem, quam expectarem, in iis ipsis rebus, idest fortunæ bonis, quæ quanquam erant mihi necessaria propter naufragia, idest plenariam perditionem, nedum iacturam rei familiaris, quia in naufragio omnia pereunt, in iactura tantum, quæ ad deonerandam nauim eiiciuntur, tamen putabantur, idest æstimabantur a me minimi, scilicet ualoris, in damnis meis resarciendis. i. recuperandis ex autoritate senatus. Quæ scilicet eorum neglecta studia, aut odia in me, cum uiderem, idest perspicerem, neq; enim erant obscura, tamen hæc non accidebant mihi tam, idest tantum acerba, quam idest quantum illa, quæ fecerant scilicet restituendo me urbi. Vide tamen an ne potius legendum sit quæ feceram, ut sit licet ingrati essent in me, gratum tamen erat, quod bene de illis meritus eram, erant grata scilicet mihi. Itaque quanquam ego &, idest simul, debebam plurimum Pompeio, te quidem ipso prædicatore, idest publico assertore, ac teste, &: idest simul diligebam eum, non solum beneficio scilicet suo in me, sed etiam amore, & quodam iudicio meo perpetuo, tamen ego non reputans, idest agitans animo, quid ille uellet, permanebam in omnibus sententiis meis pristinis de repub. idest quas ante exilium habueram de repub ut, scilicet libertas Romana cum legibus uigeret. Ego enim sedente Cneo Pompeio, scilicet in sede iudiciali, Sextius introisset in urbem, ut laudaret Pompeium, & Vatinius testis, scilicet eorum, quæ a Sextio in laudem Pompeii dicebantur, Dixisset me commotum, idest prouocatum fortuna, & felicitate Cæsaris cœpisse esse amicum illi, dixi me anteferre omnibus triumphis, uictoriisq;, scilicet Cæsaris, eam fortunam Bibuli, qui fuerat collega Cæsaris in consulatu, quam, scilicet fortunam Bibuli, scilicet Vatinius putaret afflictam. Dixiq; eodem, scilicet Pompeio teste, alio loco. eosdem esse, qui prohibuissent Bibulum exire domo, nihil enim agere audebat in consulatu, tanquam domum pro exilio haberet, & qui coegisset me, scilicet exire domo, dicitur & domum, sed frequentius domo Vero pro sed tota interrogatio mea nihil habuit, nisi reprehensionem tribunatus illius Vatinii, cum Clodio, in quo, dicerem in qua, scilicet interrogatione, aut reprehensione mea, omnia dicta sunt libertate supple maxima, & animo, de ui, idest uiolentia ipsorum, de auspiciis, scilicet contemptis, de donatione regnorum, idest de traditione rerum in manus Crassi, Pompeii, & Cæsaris. de quibus omnibus extant testimonia in oratione Cice. in Vatinium. Quæ quia in est manibus, & ab aliis Commentariis citata, non fuit nobis afferenda. Nec uero supple dixi in Vatinium, & eos quos ille reipub. dominos imposuit. modo idest solummodo in hac causa scilicet quam agebam contra Vatinium, aut qua Vatinius testis me taxarat, sed supple dixi sæpe constanter in senatu. Q. etiam Marcello, & Philip. consulibus senatus est assensus mihi Nonis Aprilibus, ut referretur in frequenti senatu Idibus Maiis de agro Campano, quem Cæsar uolebat militibus suis diuidi. Cice intercessit, obtinuitq; in senatu, ut Idibus Maiis frequenti senatu de ea re referretur. atq; ita impedita est cupiditas Cæsaris. Ego potui non inuadere magis in arcem, idest expugnationem illius causæ, quia qui arcem cepit, urbe fere potitur, aut obliuisci magis temporum meorum quam scilicet ea libertate utendo in Cæsarem, & meminisse, repete magis, actionum scilicet pristinarum Hac sententia dicta idest hoc iudicio lato a me, magnus motus animorum est factus, cum idest cum ita sit, quod eorum scilicet motus animorum sit factus, quorum oportuit scilicet eum fieri. hoc est quorum interfuit, tum idest multo magis etiam eorum, quorum nunquam putaram scilicet motum fieri propter ea. Nam hoc senatusconsulto facto in meam sententiam, idest ut uolebam. Pompeius cum nihil ostendisset se esse offensum profectus est in Sardiniam, & in Africam, & uenit eo itinere, quod in Sardiniam faciebat, Lucam idest ad eam urbem Italiæ, ad Cæsarem. Ibi uel ubi Cæsar questus est multa de mea sola sententia, quippe qui etiam ante uidisset Rauennæ Crassum, & esset incensus ira, ab eo scilicet Crasso in me, constabat Pompeium ferre, idest pati, id scilicet quod Cæsarem offendisset, sane, idest multum moleste. Quod cum ego audissem ex aliis, cognoui ex fratre meo, idest Quinto Cicerone. Quem scilicet fratrem meum cum Pompeius conuenisset, idest accessisset colloquendi gratia, in Sardinia paucis diebus postquam discesserat Luca. Inquit, scilicet cum primum uidi fratrem, cupio teipsum. nihil potuit accidere opportunius, idest quam ut te conuenirem. Nisi tu egeris diligenter cum Marco fratre, scilicet Cicerone, non tamen ponitur Cicerone, quia iratorum est breuiter loqui, dependendum, idest persoluendum est tibi, quod spopondisti mihi pro illo, quasi dicat longe aliter facit, quam tu de illo pollicitus es. Quid multa supple dicam? ipse conquestus est grauiter. Commemorauit sua merita in me, inquit Cicero. Et redegit in memoriam, quid egisset sæpissime de actis Cæsaris cum ipso fratre meo, hoc est quomodo acta Cæsaris, quæ Ciceroni oberant, antiquauit, & quod is, scilicet frater meus recepisset, idest pollicitus esset de me. Et testatus est idest in testem sibi assumpsit ipsum fratrem meum, se, scilicet Pompeium egisse de uoluntate Cæsaris supple ea, quæ egisset de salute mea. Cuius, scilicet Cæsaris causam, & dignitatem rogauit Pompeius fratrem, ut commendaret mihi, ut si nollem, aut non possem tueri, idest protegere eam, non oppugnarem eam. Cum frater scilicet Quintus pertulisset hæc ad me. & cum tamen, idest nihilominus Pompeius misisset ad me Vibullium cum mandatis idest præceptis, ut reseruarem mihi integrum, idest intactum totum negotium de causa Campana, idest de agro Campano non diuidendo supple usque ad reditum suum. Ipse, idest ego, collegi me idest uires rationis meæ, & collocutus sum quasi cum ipsa repub. ut ipsa concederet mihi perpesso, atque perfuncto tam multa pro se, ut præstarem, idest exhiberem officium meum, & animum memorem, idest gratum in benemeritos scilicet Pompeium, & Cæsarem Et præstarem fidē. i. sanctā promis-

sionem de me fratris mei,& pateretur eum me scilicet aut fratrem meum,quem habuisset semper bonum ciuem,quia Respub.studiosum,esse bonum uirum,quia amicis fidelem. Autem.i.sed,sermones certorum hominum,forte Catonis,& Canini,quos tu debes iam suspicari.s.qui fuerint,referebantur ad me,illis actionibus meis,& sententiis omnibus,quæ uidebantur offendere.i.lædere Pompeium,qui.s.homines cum sentirent in Repub.illa,quæ ego agebam.i.sentirent me recte agere:& sensissent semper,tamen aiebant se gaudere me non satisfacere Pompeio.i.contra Pompeium. Pompeium autem sugendum,& Cæsarem futurum mihi inimicissimum. hoc erat dolendum mihi,sed illud multo magis quod sic amplexabantur,sic habebant in manibus,tanquam rem charissimam,sic fouebant, sic osculabantur me præsente Clodium inimicum meum, meum autem.i.dixi meum,immo inimicum legum,iudiciorum,ocii.i.tranquillitatis,patriæ & bonorum omnium,non quidem sup.faciebant illi hoc, ut facerent mihi stomachum.i.concitarent bilem, aut prouocarent ad iram,quem.s.stomachum ego perdidi funditus,sed certe,ut ipsi arbitrarentur se facere.s.mihi stomachum.hic.i.in hac re, ego quantum potui efficere consilio humano omnibus rebus circunspectis,& omnibus rationibus subductis.i.redactis in summam omnium cogitationum mearum,quam exponam tibi breuiter,si potero. Ego, ut dixi, graues orationes sic Cicero auspicari solet. Ordo est Si uero uiderem rempub.teneri ab improbis,& perditis ciuibus,sicut scimus accidisse & meis temporibus.i in consulatu meo,& nonnullis aliis,ego nunc modo nõ compulsus illis præmiis quæ.s.præmia minime.i.nequaquam ualent apud me,alii legunt minimum,alii minimi, sed ne quidem periculis,quibus tamen etiam fortissimi uiri mouentur, adiungerem me ad causam eorum,ne quidem.i.non etiam si summa merita eorum in me constarent.i.certa essent. Autem.i.sed cũ Cn.Pompeius esset princeps in repu.is uir,qui consecutus esset.i.obtinuisset hanc potentiam,& gloriam maximis meritis.s.suis in remp. & præstantissimis rebus gestis,& cuius dignitatis ego extitissem fautor in adolescentia.i.cum esset adhuc adolescens. Autem.i.sed,extitissem.i.fuissem etiam adiutor.s.dignitatis eius in prætura & consulatu,& quum idem.s.Pompeius adiuuisset me per se.i.sine socio, autoritate,& sententia,& tecum consiliis,& studiis.i.fauoribus, & haberet inimicum meum unum.i.unicum in ciuitate.i.quem solum habebam inimicum,uidelicet Clodium, non putaui famam.i.infamiam inconstantiæ,pert mei eundam mihi,si ego immutassem me paululum in quibusdam sententiis,& aggregassem meam uoluntatem ad dignitatem uiri summi,& meriti optime de me.Cæsar,ut uides,complectendus erat mihi in hac sententia.s.quam de Pompeio habebam,in causa,& dignitate coniuncta,quia dixerat Pompeius se Cæsare fautore Ciceronem iuuisse,& tunc temporis maxime concordes erant Pompeius & Cæsar, hic.i.in hac re, & reconciliatione multum ualuit,tum.i.pariter,uetus amicitia, quam tu non ignoras fuisse mihi,& Q.fratri cum Cæsare:tum.i.pariter humanitas,& liberalitas eius.s.Cæsaris,perspecta,& cognita nobis breui tempore,& literis,& officiis.i.beneficiis eius Etiam respu.mouit me uehementer,quæ uidebatur mihi nolle contentionem fieri.s.a me,cum illis uiris.s.tam excellentibus.Præsertim maximis rebus gestis.i.postquam maximæ res essent gestæ a Cæsare.Et resp uidebatur recusare.i.renuere uehementer,ne s.contentio fieret. Autem.i sed,& .i.simul,fides.i.sancta promissio Pompeii,quam dederat Cæsari,de me,& .i.simul fides fratris mei,quam dederat Pompeio de me,impulit grauissime.i.potentissime in hanc mentem.i.in hoc propositũ,& in hanc uoluntatem.Præterea.i.insuper,hæc erant,animaduertenda sup.mihi in ciuitate,quæ sunt scripta apud Platonem nostrum.i.cuius sectæ nos sumus,diuinitus.i.quasi a deo missa. Quales principes essent in repu.tales reliquos ciues solere esse. Ego tenebam memoria fundamenta senatus confirmandi iacta.i.constituta esse calendis Ianuariis nobis consulibus.i.cum essemus consules, ut neminem.i.non aliquem,non oporteret mirari tantum.i.tam multum, uel animi.i.animositatis,uel autoritatis fuisse in illo ordine.s.senatorio Nonis Decembribus.Idemq;.i.& ego idem meminerain nobis priuatis.i.cum nullo fungeremur magistratu usq; ad Cæsarem, & Bibulum consules,cum sententiæ nostræ haberent magnum pondus.i.magnam autoritatem in senatu,unum fere sensum bonorum omnium fuisse.i.omnes fere bonos fuisse concordes in administratione reip. Postea.i.deinde,cum tu o Lentu.obtineres cum imperio.i.exercitu,quia Imperator Hispaniam citeriorẽ.i.quæ uicinior est Italiæ,neq; resp.haberet consules.s.sibi fauentes & ita ueros,quia consules creãtur,ut reip.potissimum consulant,sed haberet mercatores prouinciarum.i.qui prouincias uenderent,ut mercatores merces suas, & seruos,ac ministros seditionum, quidam casus.i.fortuitus euentus non dedita opera iecit.i.immisit caput meum, quasi causa certaminis,in mediam contentionem,& dissensionem ciuilem. In quo discrimine.i.in quo periculo,cum consensio senatus extitisset.i.fuisset,aut cnasisset mirifica,& consensio totius Italiæ extitisset incredibilis,& omnium bonorum singularis in tuendo.i.defendendo me, non dicam quid acciderit, quia notum est cum,a quibus protegi debueram,& potueram, desertum, in exilium eiectum, est enim culpa multorum,& uaria,tantum.i.duntaxat,dicam breui.i.paucis uerbis

exercitum.i.multitudinem populi,quæ me defenderet,non defuisse supple mihi,sed duces idest principes uiros, qui defensionem susciperent. In quo scilicet facto,ut iam culpa sit in iis,qui non defenderunt me,non minor scilicet culpa est in iis,qui reliquerunt me. Etsi accusandi sunt,qui pertimuerunt scilicet defendere me,reprehendendi sunt etiam magis,qui simulauerunt se timere. Illud quidem consilium nostrum,quod dicturus est, fuit laudandum iure.i.merito,consilium inquam nostrum idest meum,qui noluerim ciues meos,& conseruatos a me scilicet in coniuratione Catilinæ, & cupientes seruare idest saluum facere me (Saluo enim uerbum in antiquorum usu non erat,sed seruo,)obiici seruis scilicet Clodianis,armatis scilicet in me,& meos spoliatos ducibus,quia Cic.illis dux esse nolebat,cum tamen Lucullus,& quidam alii eum ad resistendum adhortarentur. Propterea dicit sibi duces,non exercitũ defuisse,& qui maluerim declarare quanta uis potuisset esse in consensu bonorum,si ii,uidelicet boni restitissent,idest mansissent,pugnare idest in concertatione,pro me stante,idest non expulso, qui potuissent excitare quasi de morte ad uitam,supple me afflictũ, idest summa calamitate affectum.Et fere similis sententia illa saluatoris nostri,an nescitis,quod possum rogare patrem meũ,& mittet mihi &c. Nam uult dicere,cum posset maxime ui resistere,noluit,contentus ostendisse se posse. Quorum scilicet bonorum,animum idest uoluntatem,tu non solum perspexisti,cum ageres de me,sed etiam confirmasti,atq; tenuisti idest perseuerare fecisti, in qua causa ego nõ modo idest non solum non negabo,sed etiam & meminero,& prædicabo semper libenter,ut usus es quibusdam hominibus nobilissimis,fortioribus idest eum essent fortiores in restituendo me, quam iidẽ fuerant in tenendo sup.me in urbe. Loquitur de Pomp & Cæsa. in qua sententia idest proposito,si uoluissent constare idest perseuerare, Ipsi recuperassent suam autoritatem simul cũ salute mea. Enim pro quia,bonis uiris recreatis idest quod dicunt refectis, & ad pristinam animositatem restitutis tuo consulatu, & excitatis scilicet ad adiuuandum,actionibus tuis optimis,& constantissimis, præsertim Cn.Pomp.adiuncto ad causam,cum etiã Cæ.rebus maximis gestis idest postquam res maximas gesserat, ornatus singularibus, & nouis honoribus,ac iudiciis senatus adiungeretur ad autoritatem eius ordinis scilicet bonorum senatorum,nulli,idest non ulli locus fuisset ciui improbo ad uiolandam rempub.Sed attende idest animaduerte diligenter quæso,quæ sint cõsecuta. Primum secuta sunt illa furta religionum muliebrium, supple eius scilicet Clodii, qui non fecerat idest non æstimarat,pluris Bonam deam, quam treis sorores,quia sicut treis sorores per incestum polluerat, ita per sacrilegium sacra Bonæ deæ uiolare parauerat,assecutus sententiis scilicet corruptorum iudicum impunitatem scelerũ,aut potius sic,assecutus impunitatem scilicet incesti,& sacrilegii sui,sententiis scelerum,idest sceleratissimorum hominum.Sicut in Teren. Vbi est ille scelus,qui me perdidit?Qui scilicet scelesti homines,cũ Trib.plebis uellet persequi pœnas a seditioso ciue,iudicio scilicet cõstituto per bonos uiros,sustulerunt in posterum idest omne tempus futurum, præclarissimum exemplum seditionis de repu.uindicandi idest puniendi. Iidem.s.corrupti iudices,passi sunt postea. Monumentum.i.ædificium perpetuæ memoriæ eorum a me gestatum,cum titulo patris patriæ,non pecunia mea erectum,non enim illæ manubiæ meæ idest precia rerũ quæ duci ex præda competunt,sup.erant q.d.nulla spolia inhonestissima detraxi,ut ex manubiis arcus triumphales, aut templa,aut alia monumenta exigerem. Sed locatio operis fuerat mea.i.ære meo facta,monimentũ uero sup.fuerat senatus, qui publico impendio id curauit,esse inustum.i.cauterio inscriptum nomine hostili,& cruentis literis. Qui homines,q uoluerunt me esse saluũ, est gratissimũ mihi,sed uellem sup.ut uoluissent habere rationẽ.i.respectũ,& curã,non solũ salutis meæ.i.uitæ quẽadmodũ medici.i.curatores ægritudinũ sup.faciunt,sed uoluissent habere etiã rationem uiriũ,& coloris.i stabilimenti,& dignitatis in senatu, ut aliptæ.i.curatores membrorũ morbidorũ,& uulnerũ,ac ulcerũ. Nunc ut.i.quẽadmodũ. Apelles pictor nobilissimus,perfecit caput Veneris,& summas partes pectoris,sup.eius,arte politissima,& reliquit reliquã partẽ corporis.i.Veneris,inchoatam.i.ut dicunt,tantũ protractam, sic quidã homines elaborauerunt solũ in capite meo.i.in uita mihi seruanda,& reliquerunt reliquũ corpus.i. quæ pertinẽt ad ornatũ & ad dignitatẽ meã,imperfectũ,ac rude.i.non politũ,hoc est de dignitate & ornatu meo nullã curã habuerunt. In quo.i.in qua re,ego fefelli spem non modo inuidorũ,qui occulti sunt, sed etiã inimicorũ meorũ,qui manifesti sunt. Qui scilicet inuidi,& inimici acceperunt quidẽ falsam opinionẽ de uno uiro acerrimo, & fortissimo, & meo iudicio præstantissimo omniũ magnitudine & constantia animi,uidelicet Qu.Metel.filio Lucii,qui de Iugurtha triumphauit, licet summã uictoriã illi Marius præripuerit,quẽ scilicet huiusmodi maleuoli dictitant idest frequenter dicunt fuisse post reditum scilicet ab exilio,quia noluit regi male assentiri, animo fracto, & demisso, idest abiecto. Est uero probandũ,non solum dictitandum,eum, qui cesserit scilicet furori ciuium,summa uoluntate & abfuerit idest in exilio fuerit egregia alacritate animi, neque sane curarit redire, fuisse ob id ipsum fractum idest uictum animo. In quo.s.facto, cum

superasset

superasset omnes homines, tum Marcum illum Scaurum uirum singularem constantia, & grauitate. Sed quod. s. inuidi: & inimici acceperant: aut etiam suspicabantur de illis. s. Q. Metellu: idem cogitabant de me scilicet me futurum animo abiectiore scilicet post reditum, cum respu. daret mihi maiorem animum: quam unquam habuissem: quæ s. respu. declarasset sese non potuisse carere me uno ciue. Cumq; rogatio. s. de uoluntate senatus Populiq; Romani: an placeret Metellum reuocare, ab cailio: unius Tribuni plebis. s. Claudii recuperasset Metellum: uniuersa respublica recuperasset, me: senatu duce. Italia comitante omnibus. s. iudicibus, promulgantibus. s. legem de me reducendo. consule: qui maior est: quam Trib. ple. referente. i. rogante de me: comitiis centuriatis, idest per centurias conuocatis: cunctis ordinibus: omnibus incumbentibus, idest proclinibus ad me reducendum: & denique omnibus uiribus fuit. Neq; uero ego assumpsi postea: neq; assumo hodie quicquam, quod possit offendere idest iusta ratione quenquam maleuolentissimum. i. quamuis sit maleuolentissimus. Ego enitor. i. manifeste laboro, tantum. i. tantũ modo: ut neq; desim amicis: neq; etiam alienioribus s. a me, opera, consilio, labore. Hic cursus uitæ meæ offendit fortasse eos, qui intuẽtur splendorem, & speciem. i. decentiam huius. i. huiusmodi uitæ: autẽ, idest sed: non possunt perspicere solicitudinem, & laborem. Vero. i. sed ipsi queruntur. i. conqueruntur non obscure: idest manifeste: illud in meis sententiis, quibus ornem Cæsarem, quasi desciuerim. i. discesserim, a causa pristina, idest defensione reipu. Ego autem cum sequor illa quæ proposui pauloante: tamẽ supple sequor hoc, de quo cœperam exponere: non in postremis, idest non inter minimum curanda. O Lentule tu non offendes, idest non inuenies cum redieris: eundem sensum, idest eandem sententiam bonorum. s. quem reliquisti: cum in prouinciam abisti: qui. s. sensus, aut consensus bonorum: confirmatus consulatu nostro, nonnunquam postea interruptus, & afflictus ante te consulem, idest antequam esses consul: est totus recreatus, idest reformatus & refectus a te. Derelictus nunc ab iis, a quibus fuerat defendendus. Et ii, qui nominabantur, tum, idest tunc illo nostro statu. i. cum esset status noster, hoc est cum nos staremus, & placeremus in senatu: optimates. i. optimi in ciuitate: declarant id. i. sensum bonorum esse derelictum, non solum fronte: qua perspicitur animi iudicium, & uultu: quo agnoscitur uoluntas: quibus. s. duobus membris fronte, & uultu: simulatio sustinetur, idest conseruatur, sed docuerunt, idest ostenderunt, etiam sæpe, sensu, idest sententia, & tabella. i. publico scripto. Itaq;, idest & ita tota sententia, & uoluntas ciuium sapientium: qualem. s. ciuem sapientem ego uolo me, & i. simul esse: & i. simul numerari: idest reputari (Ab eo qd sequitur: id quod præcedit: quia quos numeramus cum sapiẽtibus, aut inter sapientes, reputamus sapientes) debet iam. i. deinceps esse mutata. Enim idest quia ille idem Plato. s. diuinus philosophus, quẽ autorem ego uehementer sequor: iubet id. s. contendere. i. ut contendas tantum in repub. quantum possis probare, idest persuadere: & ostendere beneficium esse ciuibus tuis. Et iubet neq; oportere afferre uim idest uiolentiam parenti neq; patriæ. Atq; ille quidem ait hanc causam: non attingendæ reipu. fuisse sibi: quod cum offendisset. i. comperisset Populum Athenien. iam prope desipientem senectute: Cumq; uidisset eum nec persuadendo, nec cogendo regi posse, cum diffideret posse persuaderi: quia ut senex decrepitus in errore persisteret, & non arbitraretur fas sup eum cogi Commentarii intelligunt desipientem senectute, eo quod in Areopago. i. Martis uico: fere seniores sententiam dicebant, ac iudices erant: quod mihi minime uidetur. non enim tales præficiebantur iudiciis: ut delirare præter cæteros putarentur, sed de toto populo Athenien. sentire uidetur Plato, quod iam senectute desiperet. i. inueteratus praua consuetudine fere incorrigibilis esset: dum enim noua instituitur respu. omnes suo funguntur cum sedulitate officio: ut de religionũ sectis uidere licet: at ubi consenuerit institutio, labascunt animi. Mea ratio. i. ut uulgo dicunt, conditio, aut consideratio gubernandæ reip. fuit alia. s. a Platonis ratione: quod tenerer implicatus. i. perplexus, & incertus: ne. i. an: caperem. i. susciperem regendam remp. neq; populo. s. Romano desipiente. i. cum Popu. Roma. nondum desiperet: amauit enim adhuc libertatem reipu. neq; re. i. conditione aut statu reipu. integra ad consulendum, quia resp a paucis tota occupatur. Sed tamen. i. licet: res non esset penitus integra: lætatus sum quod liceret mihi in eadem causa. i. in eodem statu reipu defendere: & i. simul: utilia mihi, & recta. i. iusta, & honesta cuiuis bono, quia licet illi tres principes soli rerum potiri uellent: non tamen iniqua iudicia reciperent huc idest ad has rationes accessit quædam commemoranda, idest digna commemoratione: & diuina liberalitas Cæsa. in me: & fratrem meum. s. Q uintum. Scio grammaticorum ordinẽ exigere, ut sic construam. Q uædam liberalitas Cæsa. commemoranda, & diuina accessit, idest addita est adhuc: sed non tam constructionem illam, quã continuationem sermonis, & explanationem modo sector: qui. s. Cæsar: quia optime de nobis meritus: esset tuendus. i. defendendus: mihi. i. a me: quascunq; res gereret. i. etiam si minimũ laudabiles: Nunc etiam si non esset is. i. talis in nos: qui. i. qualis est, tamen uideretur ornandus. s. a nobis oratione, & obseruantia: in tanta felicitate, & tantis uictoriis. Sic enim uelim te existimare. i. iudicare de causa mea. Cum ego discesserim a uobis. s. te & Pompeio: autoribus salutis meæ, idest cum non respexerim ad uos. hoc est uobis exceptis, neminem esse, cuius officiis, idest beneficiis: ego non solum confitear: Sed & gaudeam me esse deuinctum, idest obligatum: tam idest tantopere ut cum Cæsare. Q uod idest cuius rationem: quoniam exposui, idest declaraui tibi: ea, quæ requiris a me de Vatinio, & de Crasso sunt facilia scilicet ad purgandum, aut, stabiliendum rationibus Nam quod scribis te non reprehendere de Appio: idest quod audisti me reconciliatum Appio: sicut non reprehendis de Cæsare, idest quod audisti cum Cæsare in gratiam rediisse, gaudeo meum consilium probari tibi. Autem, idest sed, de Vatinio, idest quãtum est de Vatinii reconciliatione, reditus in gratiam, idest reconciliatio eius, intercesserat per Pompeium statim. Vt. idest postquam, ille, scilicet Vatinius est factus prætor, cum quidem oppugnassem, idest pugnando, & resistendo molestassem in Senatu, petitionem, scilicet præturæ eius, scilicet Vatinii, sententiis grauissimis, idest maximi ponderis. neq; supple oppugnassem petitionem eius, tam, idest tantum, causa eius, scilicet Vatinii lædendi, quam, idest quantum, supple causa Catonis defendendi, atq; ornandi. Autem, idest sed, mira contentio, idest instantia Cæsaris, ut defenderem illum scilicet Vatinium reum factum, est consecuta post scilicet illam oppugnationem meam. Autem, idest sed, supple cur laudarim, idest laudauerim. Vatinium: quasi dicat si rogas, cur etiam laudauerim eum, nedum defenderim, peto a te, ut non requiras scilicet eius rei causam a me, ne ve in hoc reo, scilicet Vatinio, ne ve in aliis supple reis. Est autem reus omnis, cui causa dicenda est, idest qui se purgare debet, & qui accusatur, aut postulatur, etiam si innocentissimus fuerit: ne ego reponam, idest iterum accumulatius dicam, cum ueneris scilicet e Cilicia Romam. Et ita uidetur accipi, ut in primo uersu Iuuenalis nunquam ne reponam? Est autem reponere iterum ponere, ponimus autem, cum aliquid primum scribimus. ut in Poetica, Q uia ponere totum nescit: aut cum asserimus, unde positio dialecticis, aut cum mutuo, aut accommodato damus quasi, apponentes, unde reponere est aut iterum, & ita emendatius scribere, ut in arte poetica. Scriptor honoratum si forte reponis Achillem: aut restituere, quæ nobis posita sunt, idest credita, aut aliquid pro illis. unde Iuturna Virgiliana ad Iouem. Hæc rapta pro uirginitate reponis? Tametsi, idest quanquam, ego possum scilicet ostendere cur Vatinium laudarim, uel idest etiam absenti scilicet Lentulo. Enim pro quia o Lentule recordare, idest reduc ad memoriam, aut tu recordaria, quibus scilicet hominibus tu miseris laudationem, idest orationem commendatoriam e ultimis terris, idest aut e a Hispania, aut potius ex Cilicia, quod potius dixero. Nam citeriorem Hispaniam tenuerat Lentu. quasi dicat nimirum, Cæsari, Pompeio, Crasso, & similibus, nec pertimueris, idest nolim pertimescas, hoc scilicet fecisse, idest eis laudationem misisse nam iidem scilicet homines laudantur, & laudabuntur a meipso. Sed tamen etiam ille stimulus, idest illa occasio me urgens, & pungens, fuit laudandi Vatinii, de quo dixi in iudicio, cum defenderem illum scilicet Vatinium, dixi inquam me facere quiddam, quod parasitus scilicet Gnato, suaderet militi scilicet Thrasoni, qui erat miles gloriosus, in Eunucho, idest comœdia illa Terentiana Suadet autem his uerbis. Vbi scilicet Thais meretricula nominabit Phædriam scilicet riualem Thrasonis, tu continuo supple nominato Pamphilam scilicet puellam egregiam, ad quam Thais suspicabatur militem adiecisse animum. Si illa scilicet Thais dicet, quando idest quandoq;, intromittamus o Thraso, Phædriam comessatum, idest ut comedat nobiscum, tu supple dicito prouocemus Pamphilam ad cantandum. Si hæc scilicet meretricula Thais, laudabit formam illius scilicet amatoris sui Phædriæ; tu contra, idest econtrario, laudato, supple formam, huius scilicet puellæ nostræ Pamphilæ. Denique referto par pari, idest pro quouis uerbo tibi molesto, alterum æque molestum illi. Q uod mordeat, idest acriter pungat eam scilicet meretriculam, quam ut inuisi nominis propter iniuriam illatam non nominat Parasitus. Est autem Parasitus cibi captator, cuius gratia aut adulatur, aut plausibilia dicit, & facit diuitibus prodigis. Sic idest eo modo, petiui a iudicibus, ut quoniam quidam homines nobiles, & optime meriti de me, ut Cæsar, & Pompeius, amarent nimis inimicum meum, uidelicet Clo. & seducerent, idest seorsum ab aliis ducerent, tanquam arcana cum illo consultaturi, aut communicaturi cum illo, modo idest interdũ illum in senatu, me spectante sæpe eum, & amplexarentur, modo. i. interdum eum familiariter, atq; hilare. i. hilariter, & quoniam illi. s. nobiles, uolentes mihi facere quod doleret, haberent suum. i. sibi charum, ut simulabant saltem. Publium scilicet Clodium, ipsi darẽt mihi alium Publium scilicet Vatinium: in quo scilicet Publio, ego lacessitus, idest prouocatus ad iram possem repungere, idest contrario, aut uicissim repungere leuiter idest modica offensa, animos eorum scilicet nobilium hominum. Neq; dixi sup. illud solum. i. sine effectu, sed facio etiam sæpe. i. repungo animos eorum, diis, & hominibus approbantibus, aut quia omnibus iustum uideretur, aut quia prospere succederet. Habes scilicet rationem reconciliationis de Vatinio, cognoscere supple rationem de Crasso. Ego cum magna gratia. i. gratia cõmunicatio, & beneuolẽtia mutua esset mihi iã cũ illo. s.

Crasso, quod contriuetam omnes iniurias eius grauissimas, hoc modo non inepte ponitur omnis cū superlatiuo, ut omnes optimates, quod est ac si dicas, omnes optimi uiri, contriueram inquam id est aboleueram, quadam obliuione uoluntaria, causa concordiæ cōmunis, tulissem idest tolerauissem. Repentinam idest subitam defensionem eius Gabinii idest quia ipse defendit Gabinium, & ita genitiuus eius actiue significat, Gabinii passiue, quem scilicet Gabiniū ipse Crassus oppugnasset, superioribus diebus proximis idest tunc proxime transactis, tametsi suscepisset scilicet defensionem Gabinii sine ulla contumelia mea. Sed cum Crassus lacessisset idest iniuria prouocasset, me disputantem, non lacessentem, exarsi idest incensus sum non solum præsenti idest quæ tunc inferebatur iniuria, credo idest ut credo, nam ea scilicet præsens iniuria non fuisset fortasse tam uehemens, sed cum illud odium multarum iniuriarum eius scilicet Crasii in me, inclusum scilicet adhuc in pectore, quod ego arbitrabar effudisse omne idest simul totum, tamen idest nihilominus fuisset residuum idest residens adhuc in pectore, me insciente, supple ipsum apparuit repente omne idest totum simul. Quo quidem tempore ipso scilicet quo Crasso aduersarer, quidam homines, & iidem illi, quos appello idest uoco, sæpe nutu idest indicio, & significatione scilicet quadam per facta, & mores eorum non per propria nomina. intelligere autem uidetur Catonem, & Bibulum, similesq; Reipub. amatores, cum dicerent se cepisse maximum fructum ex libertate mea scilicet dicendi in Crassum summum uirum, & dicerent me denique tum idest tunc tandem, uisum esse sibi, restitutum reipub. qualis essem idest ex integro cum pristina libertate dicendi, & cum ea contentio scilicet cum Crasso, tulisset, idest attulisset mihi etiam foris idest extra senatum, magnum fructum, ipsi dicebant se gaudere, & illum inimicum scilicet tam nobilem, & eos qui essent in eadem causa, ut Pom. Cæs. & Gabinium nunquam futuros amicos mihi. Quorum sermones iniqui, quia propterea quod libere pro repub. starem, gaudebant mihi summos uiros perpetuo hostes fore, cum perferrentur ad me per homines honestissimos, & cum Pomp. ita contendisset, ut nihil supple contenderit unquam magis, ut redirem cum Crasso in gratiam, & Cæsar ostenderet per literas se affectum maxima molestia ex illa contentione, habui rationem, idest considerationem, & respectum non solum eorum temporum, quibus illi uiri omnia poterant: sed etiam naturæ meæ, quæ placabilis & exorabilis est, hoc est redii cum Crasso in gratiam. Et Crassus est profectus in prouinciam scilicet Parthicam, pene idest quasi, a meis laribus idest ædibus & penatibus, ut nostra gratia esset quasi testata idest testimonio certo comprobata Popu. Roma. Nam cum scilicet Crassus, condixisset idest denunciasset se uelle cœnare domi meæ, ipse cœnauit apud me in hortis Crassipedis scilicet Pisonis generi mei, idest mariti Tulliæ filiæ meæ. Quamobrem ego defendi in senatu, sicut fides mea postulabat, causam eius susceptam scilicet a me magna commendatione illius scilicet Crasii, qui mihi causam suam maximopere commendarat, quod idest quā rem, tu scribis te audisse. O Lentule tu accepisti idest intellexisti, quibus rebus ego adductus defenderim, quamque idest unamquamq; rem, & causam, aut quamque sint duæ particulæ, sic & accepisti, quam rem & causam defenderim & accepisti, qui idest qualis sit status meus in Reipub. capessenda, idest amplexanda, & defendenda, pro parte mea scilicet nisi. De quo scilicet statu meo in Repub ego uelim supple ut, statuas, idest constituas sic me esse sensurum, idest iudicaturum in animo meo, hæc scilicet quæ nunc sentio, si omnia fuissent mihi integra, ac libera. Nam neque arbitrarer pugnandum supple esse mihi, contra tantas opes scilicet Crasii, Cæs. & Pom. neque arbitrarer principatum summorum ciuium, delendum supple esse idest deleri oportere, & si id posset fieri. Neque permanendum supple esse mihi in una sententia idest uno proposito, rebus conuersis scilicet ad alium statum, & uoluntatibus bonorum scilicet ciuium mutatis. Enim, idest quia, permansio perpetua in una sententia in gubernanda Repub. nunquam est laudata uiris præstantibus, quia debent sese accommodare temporibus. Sed ut in nauigando, idest in nauigatione, est artis idest pertinet ad artem obsequi, idest obtemperare tempestati, etiam si non queas, idest quilibet nauta nō queat tenere, idest assequi portum, cum uero possit, assequi, id, idest tenere portum, uelificatione, idest dispositione uelorum mutata, stultum est tenere eum cursum, quem cœperis, idest inceperis, cum periculo scilicet submersionis potius quam peruenire, supple eo quo uelis, tamen, idest tametsi eo scilicet cursu tuo: commutato, sic cum propositum debeat esse omnibus nobis in administranda Repub. id quod sæpe dictum est a me, uidelicet otium idest tranquillitas uitæ cum dignitate, idest honestate, & splendore, nos non debemus dicere semper idem. Sed debemus spectare, idest spectando conari assequi semper idem. Quamobrem ut posui, idest dixi paulo ante, si omnia essent mihi soluta, idest libera: tamen non essem alius in Repub. atque, idest quam sum nunc. Vero, idest sed cum ego, & idest simul alliciar. idest blande inducar beneficiis hominum, & impellar scilicet uiolenter, iniuriis hominum, in hunc sensum, idest in hanc sententiam, ego facile patior me sentire, ac dicere de Repub. ea maxime, quæ putem conducere, idest utilia esse multum, cum scilicet ita sit, quod mihi tum, idest multo magis rationibus, idest commodis Reipu. Autem, idest sed, ego ago, idest tracto, & dico, hæc apertius, ac sæpius, quod, idest quia, &, idest simul. Q. frater meus est legatus Cæsaris, idest missus cum Cæsare in Galliam, ad uices illius (si opus fuerit) gerendas, &, idest simul nullum dictum meum minimum, idest etiam minimum, non modo, idest non solum factum pro Cæsare, idest quod fecerim pro Cæsare, intercessit scilicet ad impetrandum aliquid a Cæsare, quod ille scilicet Cæsar, nō acceperit supple cum gratia ita illustri, idest perspicua, & clara, ut putarem, idest putare possem, eum deuinctum, idest obligatum mihi. Itaque, idest & ita ego fruor sic, &, idest simul omni gratia eius, quæ summa est, & opibus quas intelligis esse maximas, ut meis Nec uideor mihi potuisse aliter frangere consilia perditorum hominum de me nisi coniunxissem cum iis præsidiis, idest tutaminibus uitæ meæ, uidelicet doctrina, eloquio, fide, constantia, integritate, quæ ego habui semper, nunc etiam beneuolentiam potentium scilicet uirorum. Si ego habuissem te præsentem his consiliis, idest cum intrē hæc consilia. ego essem usus eisdem, ut opinio mea fert, idest ut opinor, quia tu eadem suasisses. Ego enim noui temperantiam, & moderationem naturæ tuæ, noui animum tuum, cum scilicet ita sit, quod amicissimum mihi, tum scilicet multo uerius est, quod nulla maleuolentia in cæteros suffusum, idest infectum aspersumve. Et cōtra, idest econtrario, noui eum, cum scilicet ita sit, quod magnum & excelsum, tum etiam apertum, idest non dissimulatum, & simplicē, idest non fraudulentum Ego uidi quosdam tales in te, quales potuisti uidere eosdem in me: ea quæ mouerunt me, scilicet ad ineundum in gratiam, eadem mouissent profecto te. Sed quocunque tempore, potestas, idest facultas tui præsentis fuerit mihi, tu eris moderator omnium consiliorum meorum: etiam dignitas mea erit tibi eidem curæ, cui salus mea fuit curæ. Certe tu habebis me socium tanquam parem, & comitem, idest ut minorem, actionum, sententiarum uoluntatum: denique idest, & ut semel dicam, omnium rerum tuarū. Neque res: scilicet aliqua. erit mihi tam, idest tantopere proposita, idest affectata. in omne idest tota uita: scilicet mea quam ut lætere quotidie: idest in dies, uehementius te esse meritum optime de me: hoc est quam ut me tibi gratissimum iudices. Ponitur ergo quotidie etiam cum incremento, quo in dies, & in horas non carent.

Quæ, quoniam in antiquis exemplaribus non seiungitur ab epistola superiore, ideo eam in hunc modum adnotare uoluimus.

ARGVMENTVM.

Postquam Lentulus a causa ceciderat, nam per Pompeium reductus est Ptolemæus, ut ex Lucani Pharsalia late patet, Cicero uidens nullum bono oratori esse locum in foro, inde se abdicans, ad Musas & Philosophiam se converterat, ac plura, quæ hic commemorat, scripserat. Roganti iam de omnibus: Lentulo, respondet se orationes scripsisse: item carmina, ad quæ non optimam habuit uenam: dialogos de oratore: libros tres de temporibus suis, qui non ea tant. Deinde sibi curæ esse rem familiarem Lentuli, dicit, suiq; fratris causam eidem commendat. Ac demum de Appii studio ad succedendum Lentulo in prouincia, rem, & consilium suum aperit: & ipsum prudentia sua uti monet, ut uolens prouinciam resignet. Adiecta est clausula ad se peruenientes literas.

*Quod rogas, ut mea tibi scripta mittam, quæ post tuum discessum scripserim: sunt orationes quædam quas * Menocrito dabo, neque ita multæ, ut pertimescas. Scripsi etiam carmina quædam, nam ab orationibus disiungo me interdum, referoq; ad mansuetiores musas, quæ me maxime, sicut iam à prima adolescentia, delectarunt. Scripsi etiam Aristotelico more quemadmodum quidem uolui, treis libros in disputatione, ac dialogo de Oratore, quos arbitror Lentulo fore non inutileis. Abhorrent enim à communibus præceptis, & omnem antiquorum, & Aristotelicam, & Isocraticam rationem oratoriam complectuntur. Scripsi etiam uersibus treis libros de temporibus meis, quos iam pridem ad te misissem, si esse edendos putassem. Sunt enim testes, & erunt sempiterni meritorum erga me tuorum, meæque in te pietatis. Sed quia uerebar, non eos, qui se læsos arbitrarentur (etenim id feci parce, & molliter) sed eos, quos erat infinitum bene de me meritos omneis nominare, non misi. Quos tamen ipsos libros, si quem, cui recte committam, inuenero, curabo ad te perferendos.*

*alias Menocrati.

Atque istam quidem partem uitæ, consuetudinisq; nostræ totam ad te defero. Quantum literis, quantum studiis, ueteribus nostris delectationibus consequi poterimus, id omne ad arbitrium tuum, qui semper hæc amasti, libentisſime conferemus. Quæ ad me de tuis rebus domesticis scribis, quæque mihi commendas, ea tantæ mihi curæ sunt, ut me nolim admoneri: rogari uero sine magno dolore uix posſim. Quod de Qu. fratris negotio scribis, te priore æstate, quod morbo impeditus in Ciliciam non transieris, conficere non potuisse, nunc autem omnia: facturum, ut conficias, id scito esse eiusmodi, ut frater meus uere existimet adiuncto isto fundo patrimonium fore suum per te constitutum. Tu me de tuis rebus omnibus, & de Lentuli tui, nostriq; studijs, & exercitationibus uelim quam familiarisſime certiorem, & quam sæpisſime facias: existimesq; neminem cuiquam neque chariorem, neque iucundiorem unquam fuisse, quam te mihi: idq; me, non modo ut tu sentias, sed ut omnes gentes, etiam ut posteritas omnis intelligat, esse facturum. Appius in sermonibus antea dictitabat, postea dixit etiam in Senatu palam, sese, si licitum esset, legem Curiatam ferre, sortiturum cum collega esse prouinciam: si Curiata lex non esset, *se partiturum cum collega tibiq; successurum legemq; Curiatam consuli ferre opus esse, sibi necesse non esse: se, quoniam ex senatusconsulto prouinciam haberet lege Cornelia imperium habiturum, quoad in urbem introiisset. Ego quid ad te tuorum quisque necessariorum scribat, nescio: uarias esse opiniones intelligo: sunt qui putent posse te non decedere, quod sine *lege Curiata tibi succedatur: sunt etiam qui, si decedas, à te relinqui posse qui prouinciæ præsit. Mihi non tam de iure certum est (quanquam ne id quidem ualde dubium est) quam illud ad tuam summam amplitudinem, dignitatem, liberalitatem, qua te scio libentisſime frui solere, pertinere, te sine ulla mora prouinciam successori concedere, præsertim cum sine suspicione tuæ cupiditatis non posſis illius cupiditatem refutare. ego utrunque puto meum esse, & quid sentiam ostendere, & quod feceris defendere. Scripta iam epistola superiore, accepi tuas literas de publicanis, quibus æquitatem tuã non potui non probare facilitate autem quod uellem, consequi potuisses, ne eius ordinis, quem semper ornasti, rem aut uoluntatem offenderes. Equidem non desinam tua decreta defendere: sed nosti consuetudinem hominum: scis quam grauiter inimici illi ipsi Qu. Scæuolæ fuerint. Tibi tamen sum autor, ut quibus rebus posſis, eum tibi ordinem, aut reconcilies, aut mitiges. Id etsi difficile est, tamen mihi uidetur esse prudentiæ tuæ. Vale.

*dias: se partiturum cum coll. uel comparaturum.

*Vide Plutar. in Pomp.

ASCENSIVS.

Quod Rogas &c. hic quædam exemplaria principium nouæ habent epistolæ, eo qoud alterius uidentur, quæ continentur in hac parte argumenti, sed potuit Lentulus in epistola sua primum scripsisse de studio Ciceronis in se, deinde de reconciliatione cum diuersis, ad quem hactenus respondit: & demum de studio literario, ad quod nũc respondet, & ita una fuerit epistola: ut pluribus placere nolo: unde non erat interserenda particula Vale. Ordo igitur est, quod .i. quia rogas, ut mittam tibi scripta mea, quæ scripserim post discessum tuum, sup. ea sunt orationes quædam, quas dabo .s. portandas ad te, Menocrito .s. tabellario, neq; supple sunt ita multæ, ut pertimescas supple eas perlegere, & est iocose, aut modeste dictum, quasi uero crucianclus sit multarum lectione. Scripsi etiam carmina quædam, nam disiungo idest separo me. Ab orationibus scilicet habendis, unde patet non ita habitas esse orationes, ut scriptæ sunt, nam & cultius, & accuratius postea scripsit nonnullas: & refero me ad Musas mansuetiores, utpote, in quibus nulla est contentio, quales sunt uersus de astrorum ratione, quibus Aratum transtulit: quæ scilicet Musæ mansuetiores, supple delectant me maxime, sicut delectarunt me iã a prima adolescentia, non tamen optimam habuit in eis uenã. Scripsi etiam more Aristotelico, quidem idest certo quemadmodũ uolui idest quãtum conatus sum, treis libros de Oratore in disputatione, ac pro idest dialogo idest diuersorum disputantium sermone, non enim dicitur dialogus duorum sermo, sed disputatio quotcunque inter se loquuntur, a uerbo διαλέγομαι, quod est comprobo, disputo & cætera quos scilicet libros, ego arbitror fore non inutiles Lentulo tuo scilicet filio. Etenim idest quia abhorrẽt, idest alieni sunt a præceptis communibus, & ita qui singularis euidere uult, non debet in triuialibus uersari, & complectuntur: idest continent. oẽm rationẽ oratoriã antiquorũ, & Aristotelicam, & Isocraticam. Scripsi etiam uersibus treis libros de temporibus meis quos misissem iampridem: idest iam a plusculo tempore, & adhuc mitterem, si putassem edendos esse: idest edi & emitti debere, quia autem tales non fuerunt, opinor deperiisse. Sunt enim, & erunt testes sempiterni (cui sententiæ fata inuiderunt) meritorum tuorum erga me & pietatis meæ, scilicet in te, aut potius in Rempub Sed quia uerebar nominare non eos, qui arbitrarentur se læsos. Etenim, idest quia certe, id feci, idest læsi aliquos, parce, idest sobrie, & molliter, idest leniter, sed supple uerebar nominare eos, quos benemeritos de me erat infinitum nominare omnes. Quos ipsos: idest licet tales sint, libros, tamem si inuenero quem, idest aliquem, cui committam teste, ego curabo perferendos, idest ut perferantur ad te. Atq; defero ad te, idest tibi transmitto istam quidem partem uitæ, & consuetudinis nostræ totam, quia omnia scripta in otio illi communicanda censet, unde addit. Quantum delectationis poterimus consequi literis, & quantum studiis nostris ueteribus, id omne conferamus ad arbitrium tuum, qui amasti semper hæc, scilicet studia literaria. Ea quæ tu scribis ad me de rebus tuis domesticis, & quæ commendas mihi, sunt mihi tantæ curæ, ut nolim me admoneri. Autem, idest sed, uix posſim rogari, scilicet, a te, sine magno dolore, quia qui multum rogat, diffidere uidetur Quod scribis de negocio Quinti fratris scilicet mei, te non potuisse conficere, supple ipsum æstate priore, quod idest quia, tu impeditus morbo non transieris, scilicet e Cypro in Ciliciam, autem, idest, sed tu scribis nunc te facturum omnia, ut conficias, idest absoluas, & expedias, scito id, scilicet negocium, esse eiusmodi, ut frater meus existimet uere isto fundo quẽ petit, adiuncto scilicet rebus suis, patrimonium suum constitutum, supple esse per te. Tu me & cætera Ordo est, uelim supple, ut tu facias me certiorem idest doceas me quam familiarisſime, & quam sæpisſime idest ualde, aut summe familiariter, & frequenter, de omnibus rebus tuis, & de studiis, & exercitationibus Lentuli tui scilicet filii naturalis, & nostri scilicet cura. Visum est mihi, ideo potius dici, facio te certiorem, q̃ certum, q certior fiat, qui prius aliquantum certus erat, certus etiã dici potest, qui nihil sciuerit, quia ergo amãtius petimus certiores nos fieri, & modestius dicimus nos certiores alios facere, ideo sic loqui institutum est & existimes neminem fuisse cuiquam neq; chariorem, neq; iucundiorem unquam quam te mihi: hic tres negationes non plus efficiunt quam duæ, & me esse facturum: ut non modo tu sentias id, sed ut omnes gentes supple sentiant, & ut omnis posteritas intelligat scilicet per scripta, aut narrationes hominum. Appius dictabat, idest frequenter dicebat sermonibus, idest confabulationibus non iuridicis, postea dixit etiam palam in senatu, si esset licitum se ferre legem Curiatam idest ad populum curiatim, hoc est per curias conuocatum, latam supple se sortiturum esse prouinciã cũ Collega .i. cũ eo, qui secũ Cõsul erat in annũ sequẽtẽ: lex aũt Curiata nõ permittebat prouinciã obtineri sine sortitione, & si lex Curiata nõ esset .i. si nõ esset licitũ eã ferre, dixit sup. sese paraturum .i. diuisurum cum Collega. & successurũ tibi .s. in Ciliciam, quod etiam contingit, & dixit ferre legem Curiatam esse opus, idest utile, & operæpretium Consuli: quia sic uterq; sorte iudicio prouinciam, aut urbem regendam obtinens suspicione imperiositatis, ac auaritiæ absoluebatur, & dixit ferre legem Curiatam non esse necesse: quia dixit se, quoniam haberet prouinciam ex senatusconsulto, habiturum imperium lege Cornelia, quam ipsum sine sortitione permittebat Quod idest donec introisset in urbem scilicet Romam. Ego nescio quid quisque necessariorum tuorum scribat ad te, intelligo uarias opiniones esse: sunt qui putant te non posse decedere scilicet ꝓuincia: quod succedatur tibi sine lege Curiata: sunt etiam qui putant, si decedas scilicet de prouincia, supple uicarium posse relinqui a te, qui præsit prouinciæ. Non tam certum est mihi de iure idest quid potius facere oporteat, quanquam ne id quidem est ualde dubium, quam idest quantum, supple certum mihi est illud scilicet te concedere successori prouinciam sine mora, pertinere ad summam amplitudinem tuam, qua tot functus es honoribus, dignitatem qua eis perfunctus es, liberalitatem qua scio te solere frui libenter, & qua de tuo iure uidearis uelle concedere: præsertim quod dicunt specialiter, cum non posſis refutare cupiditatem illius scilicet successoris tui, sine suspicione cupiditatis tuæ. Ego puto utrunque esse meum idest mei officii, raro aut nunquam repetitur mea, cum uerbo est, & idest simul, ostendere, quid sentiam supple faciendum, defendere quod feceris. Scripta iam epistola superiore. ergo hoc erat principium nouæ epistolæ, accepi literas tuas de publicanis idest publici uectigalis redemptoribus, quibus scilicet literis, aut de quibus publicanis, ego nõ potui non probare .i. coactus sum approbare æquitatem tuam scilicet qua eos condemnasti æquisſime, uellem autem sup. ut potuisses scilicet æquitate id permittẽte, consequi idest obtinere, facilitate idest per facilitatem, & exhortabilitatẽ tuam, ne offenderes idest læderes rem, aut uoluntatem eius ordinis scilicet publicanorum quẽ ornasti semper. Equidem .i. ego quidem, quantum ad me attinet, non desinam defendere decreta

tua ſcilicet quæ contra eos decreuiſti, ſed noſtri conſuetudinẽ hominum. ſcis quam ideſt quantum grauiter illi ipſi fuerit inimici Q. Scæuolæ. Tamen ideſt tametſi æque contra eos iudicaſti, ego ſum autor ideſt conſiliator, & admonitor, ut, aut reconcilies, aut mitiges tibi eum ordinem ſcilicet publicanorum, quibus, aut ſi quibus ideſt aliquibus rebus poſſis. Id, & ſi eſt difficile, quia turpe eſt decreta, præſert. iniuſta reuocare, tamen uidetur mihi eſſe prudentiæ tuæ. ſ. ut poſſis id honeſte efficere inuento bono medio.

PETRVS VICT.

QVi Tibi ex me fructus debentur, eos uberiores, & præſtantiores præſens capere potuiſſes} Veteres codices (præſentatiores) habent, ut nos ſcripſimus. Mirum eſt quam multis locis hanc uocem {Præſentem} in (præſtanẽ) mutauerint: credo non putantes Latine hoc ſignificatu dici: ſed (ut opinio mea eſt) peccarunt: ſæpe enim eam apud hunc legimus, ut in Epiſt. ad Catonem. iiii. xiii. Vir cum beneuolentia, & fide erga Popu. Roma ſingulari, tum præſenti magnitudine, & animi, & conſilii. etſi in eum etiam locum idem error inuaſerat, quem nos ſuſtulimus: uulgati enim codices (præſtanti) habebant. In proœmio quoq; Oratoris, Et in præſentibus, rebus magna ſunt optimis proxima. etſi ibi etiam uulgati & communes codices, præſtantibus Videtur præterea non parum elegantiæ retinere geminatio illa eiuſdem dictionis, alio, & alio ſignificatu poſitæ {Q ui in diſcrimine cum m. ſ. in. e. ſia t. ſ. b. o. e.) Verba illa {Mirifica} & {Conſenſus} non en hærent inter ſe, ut patet. omnes tamen uetuſti codices hanc lectionem retinent, quam etiam in impreſſis quibuſdam inuenias: etſi in aliis qui facilitatem, & claritatem ſecuti ſunt. {Conſenſio} repoſuerunt, pro conſenſus: proculdubio planam, & apertam lectionem, niſi uetuſtorum codicum autoritas repugnet. Videant igitur eruditi uiri quomodo hunc locum tueantur Scimus nos quandoq; ueteres grammaticos in libris Ciceronis quoſdam locos notaſſe, in quibus ſolœciſmus ineſſe uideretur: in orationis enim curſu ea quandoq; uox erit, quæ parum reſpondet ſuperiori ſtructuræ. an huiuſmodi ſit hic locus, accurate animaduertendum eſt {Si ii pro me ſtante, pugna non deſtituiſſent} emendauimus ex uetuſtis codicibus, Si iis pro me ſtante, pugnare licuiſſet. Q uo loco Mediceus codex, ille inquam omnium probatiſſimus, & integerrimus (liquiſſet) per q. ſcribit. ſæpe enim inuenias in antiquis exemplaribus has literas inter ſe commutari, & uiciſſim alteram pro altera capi, ut in hoc. ad Memmium epiſt. Q. Valerii ſic locus ille legitur, Q uare Cuſpianorum omnium commendationis cauſam hac tibi epiſtola exponendam putaui reliquis epiſtolis tantum faciam, &c. eodem libro in epiſt. ad Seru. Q uod reliquum eſt, uelim augeas tua in eum beneficia &c. Eſt autem hæc omnino commodior, & uerior lectio: non. n. pugnarunt, quanuis parati eſſent, & uellent pugnare pro ſalute Ci. duces enim defuerunt. Vtitur etiam hac eadem locutione in lib. ad Sene. epiſt ad Catu cum eandem fere ſententiam exponeret, Mitto quod inuidiam, quod pericula, quod omnes meas tempeſtates, & ſubieris, & multo etiam magis, ſi per me licuiſſet, ſubire paratiſſimus fueris. {Recreatis. n. b u &c} Nos quia horum codicum probitatem multis modis perſpectam habemus, nihil fere in illis inuenimus quod penitus contemnamus. Q uæ tamen non tuto niſi ſumos poſſe recipere, & tamen digna putauimus, ut de his lectoré admoneremus, conſeruata priore ſcriptura, huc conferemus, quemadmodum hunc locum: ſic enim in antiquis legitur. {Recreati enim boni uiri conſulatu tuo, & conſtantiſſimis, atq; optimis actionibus tuis excitati,} &c. ut poſſint alii maioris ingenii, & eruditionis uiri rem diligenter conſiderare. Q uod ſi negligentiæ librariorum tribuendum ſit, mirum profecto eſt accuratum alioquin hominem, qualis fuit, qui librum Mediceum ſcripſit (ut alios taceam) quater in eodem tractu peccaſſet, & cum ſemper ſeptimo caſu quatuor nomina ſcribere debuiſſet, ne ſemel quidem recte reddidiſſe. {Primum illa furta muliebrium religionum} Nos furia legimus: non tamen in hac parte ab antiquis codicibus adiuti ſumus: eſt enim in illo etiã probatiſſimo idem error. ſed cum ſit unius tantum literæ faciendæ parua immutatio, ſententiaq; huius loci ualde illuſtretur, cum unde nullus commodus ſenſus eliceretur, ſperauimus, ſi peruerſionem illam correxiſſemus, in reprehenſionem non caſuros. cum enim hic manifeſto de Clodio agatur, quem ſæpe furiam appellat, digno illius flagitiis nomine, cur non hic quoq; ita appellet? In epiſtola ad Q. fratrem de Clodio agens ſic inquit, Aut ullum ad illam furiã uerbum reſcriberet. Q uod autẽ dicit furia religionũ, ut generandi caſum hæc uox furia ſuſtineas, idem facit in oratione in L. Piſonem cum illum furiam ſociorum appellas. Nam quod ſequitur. {Impunitatem ſcelerum eorum ſententiis} uetuſti codices habent, {Impunitatem ſtillorum ſententiis} pro {Impunitatem eſt} quæ ſcriptura ſemper eſt in Mediceo, ut in melioribus Plauti, & Terentiui codicibus ſuppreſſa E, litera: quod cum nonnulli fortaſſe non intellexiſſent, ex illis uerbis. {Stillorum} (ſcelerum) fecerunt, de ſuoq; {Eorum} addiderunt, & alia quædam quæ mirifice hunc locum perturbarunt. quibus ſublatis, locoq; omnibus maculis diligenter purgato, ſententia eius, quãuis occultior, ignota eſſe non poterit ſtudioſis, & his præcipue, qui accurate hiſtoriam illorum temporum, & earũ maxime rerum, quæ ad ſe pertinebant, a Cicerone ſæpius ſcriptis ſuis explicatam didicerint. {Scripſi etiã carmina quædam, nã, &c.} Hæc duo uerba. {Carmina quædã} in nullis reperiuntur antiquis exemplaribus: in illoq; probatiſſimo alia noua manu a recentiori aliquo, & audaci (ut puto) repoſita ſunt: qui cum longũ hunc ſententiæ tractum non perciperet, putauit ea uerba deeſſe, & parũ cõſiderate inculcauit Eſt aũt locus κατὰ παρένθεσιν legendus ab illa dictione {Etiam} uſq; ad {Scripſi} poſt quam uocem, quod ſequitur. {Etiam} in {Igitur} commutandum eſt. ſicq; nihil diſcrepabit locus ab optimis codicibus: elegantemq; admodum ſententiam præſe feret Similis huic locutio eſt in ultimo libro ad Atticum, Tu uero ſapienter (nunc demum enim reſcribo his literis, quas mihi miſiſti conuenio Antonio Tyburti) ſapienter igitur, quod manus dediſti. Poſſem huius ſtructuræ plura exempla adferre, præcipueque apud Ariſtotelem quæ ſæpe adeo conturbant noſtros expoſitores, qui hæc nec diligenter curant, nec poſſunt, etiam ſi uelint, cũ ſint in Barbaris illis interpretationibus corrupta, & confuſa, ut dolendum ſit, tam bona ingenia in tam deprauatis libris eſſe uerſata, quæ tamen Græci enarratores diligenter notant Fortaſſe etiam eum, qui hunc contaminare auſus eſt, fefellit uox ea {Muſas} cum non crederet ille niſi de poematibus dici: q adeo falſum eſt, ut id lõgius confutare nõ oporteat. Sed quia ſemper Cicero in uerſibus faciendis ſe libenter exercuit, infra narrat qd eo tẽpore numeris ſcripſerit, dicit. n. ſe III. libros ſcripſiſſe de tẽporibus ſuis nã illud {Carmina quædam} tã otioſe dictũ nõ dignũ uidebatur elegantia Ciceronis, nec tã accurata ſuarũ rerũ expoſitione, qua in epiſtola utitur. {Si Curiata lex nõ eſſet, ſeparaturum cum collega} Cum hic non nihil mendi appareat, alii aliis modis corrigere aggreſſi ſunt Q uidam pro. {Separaturum, Partiturum legunt nam ſæpe apud Liuium dicuntur Conſules inter ſe prouincias partiri. Alii {Se paſturum} longius ad hoc a uetere ſcriptura, & audacius. Nos cum in priſcis omnibus exemplaribus. {Separaturum} inuenerimus diligentius re conſiderata. {Se paraturum legi debere iudicauimus: nulla alia re antiquam lectionem uariantes, niſi quod ex una duas dictiones fecimus, primam ſyllabam quæ male ſequenti hæſerat, & per ſe ſtare debebat, ab illa abſcindentes. Q uam frequens ſit apud Liuium hic modus dicendi, cum de diuiſione prouinciarum agitur, ſeu de alia re, quam Senatus arbitrio conſulum permittit, nihil neceſſe eſt dicere, cum facile ſit cuilibet plurima exempla inuenire. Vt tamen qui hoc non animaduertit, hoc onere leuetur, ex multis quædam hic apponemus, libro XXIIII. Q uo die magiſtratum inierunt Coſſ. Senatus in Capitolio eſt habitus: decretumq; omnium primum, ut Coſſ. ſortirentur, compararentq; inter ſe, ut Claudius comitia perficeret. libro. XXVI. inter ſe compararent Claudius, Fuluiuſq;, uter obſidenda Capua, uter ad prohibendam obſidione patriam, Romam ueniendum eſſet. In initio libri. XXX. Cneus Seruilius Cœpio & Cn. Seruilius Geminus Coſſ. (ſextus decimus is annus belli Punici erat) quum de Republic. belloq;, & prouinciis ad Senatum retuliſſent, cenſuerunt patres, ut Coſſ. Inter ſe compararent, ſortirenturve, uter Brutios aduerſus Annibalem, uter Etruriam, ac Lyguriam prouinciam haberet. In eodem libro iuxta finem, Patres igitur uirati (ita conuenerat) cenſuerũt, uti Coſſ prouincias inter ſe compararent, ſortirenturve, uter Italiam, uter Claſſem nauium L. haberet Mandabat igitur Senatus ut prouincias Coſſ uel in ſortem conicerent, uel inter illos conueniret, & ſua uoluntate ipſi conſtituerent, uter utram haberet: utiq; illos ſolitos hoc uerbo in ea re, infinitis autoritatibus certum eſt. Q uin ẽt in antiquis quibuſdam libris ita locus hic Salluſtii in Iugurt. legitur, Poſt A. fœdus exercituſq; noſtri fugam fœdam Metellus & Silanus Coſſ. declarati prouincias inter ſe parauerant: Metelloq; Numidia euenerat. ut omnino {Se paraturum} ueram legitimamq; eſſe huius loci lectionem putem. Q uanuis autem in ſuperioribus Liuii exemplis (comparare) ſit, Cicero uero hic (parare) dixerit, non tamen dubitandum eſt, quin eandem rem ambo intelligant. quam enim præpoſitionem Liuius cum uerbo coniunxit, Cicero nomini attribuit. {Infert enim ut cum collega: idem profecto ſignificet parum uariato ſermone dicere, Conſules inter ſe comparare, & Conſulem parare cum collega {Ad tuam ſummam amplitudinem, dignitatem, liberalitatem, qua te ſcio libentiſſime frui ſolere:} Vetuſti codices. {Libertatem} habent melius omnino meo iudicio. Puto autẽ hic libertatem ſignificare, uacare moleſtiis prouincialibus, poſſeq; pro ſuo arbitrio quicquid commodum fuerit, agere: quod facere nequeunt, qui in oculis tot populorum uiuunt. quod ſi uoluiſſet retinere prouinciam, nec ſucceſſori tradere, opus ei fuiſſet multis inſeruire, ad multaq; deſcendere, quæ ſeruitutis non nihil illi attuliſſent. Præterea ob hoc etiam uulgata lectio mihi diſplicet, quia frui liberalitate mihi is uidetur, in quem liberalitas confertur, non qui ea ſtudioſe utitur. Vt non ſatis apte dicere potuerit Lentulum liberalitatem libentiſſime frui ſolere, cum antea liberalitatem in eo eſſe dixiſſet: nam qui ea præditus eſt, eam in alios exercet. {Felicitate quidem quid uellem:} Hic locus non nihil mendi continet. Q uidam ſic caſtigarunt. {Facilitate autem quod uellem,} &c. ac ſententia, ut puto, Potuiſſes conſequi facilitate tua (q uellem ſcilicet feciſſes) ne eius ordinis, quem ſemper ornaſti, rem

aut

aut uoluntatem offenderes] idest si facilis in publicanos fuisses, eorumq; commodis indulsisses, profecto non ordinem illum a te alienasses. Nos antiquam scripturam secuti sumus, cuius elegantior est etiam (ut puto) sententia: est autem hæc, Doler sane, Lentulum aliquid aduersus commoda publicanorum egisse, sed quasi eum excusat. quod enim fecerat contra illos, quasi coactum fecisse ostendit, cum semper ante (ut ait) ordinem eum ornare consuesset: casus autē fecit, ut illorū uoluntatē offenderet, quem uitare nō potuit: docet.n. ipsum iure fecisse, quod in illos decreuerat, cū laudet æquitatem eius: uoluisset autem Cicero felicitate aliqua Lentulus consequi potuisset, ne accidisset ut illorum uolunias offendenda esset. Hæc est nostra huius loci opinio, & omnium meliorum codicum lectio: id sequatur, quod sibi rectum uidebitur, unusquisque. {Cur enim tibi hoc non gratificer nescio} Cogitandum est accuratius, an huius paruæ epistolæ principium desit: nam uidetur omnino, si diligenter prima uerba examines, aliquid desiderari, arguūt enim quædam dicta esse, quibus illa respondeant: per se autem parum apta sunt initio literarum quod si nonnullis coniecturis, quæ ex paucorum horum uersuum sententiis, & aliunde etiam non importune duci possunt, fides habenda est, iudices maiorem partem eius amissam esse, & eam quæ conseruata est, magis extremo quam principio literarum propinquam fuisse. Non me tamen latet multos credere nihil desiderari, a uerboq;. {I V R I S C O N S V L T O,} quod in epistolæ inscriptione est, regi sensum, & structuram consequentium uerborum, ut familiariter cum eo iocetur, faceteq; hominem irrideat, qui se iurisconsultum haberi, & appellari uellet, cum non esset fortasse ualde iurisconsultus. quia tamen hoc mihi parum satisfacit, nolui quin meam de hac re sententiam notam facerem, prætermittere. est.n. opinio illa commentitia, & nulla autoritate, aut testimonio confirmata: & prima illa uerba, in quibus iocus inesse debebat, nullam in se leporis rationem, aut speciem habere uidentur.

Ex post. Eiusdem.

SICVT Et meis temporibus scimus, & multis aliis accidisse accepimus} Expunximus hinc olim extremam uocem, freti autoritate meliorum codicum, qui nullum ipsius uestigium retinebant: in mediceo. {A C C I P I S S E} legitur, non. {A C C I D I S S E} unde (quemadmodum arbitror) fluxit uerbum illud. {A C C E P I M V S} paruus enim ille error causa fuit maioris erroris. peccauerat librarius quod P, pro D, posuerat, quemadmodum etiam ad Terentiam in illo loco, Obuiam nobis prodeas: Scriptum enim in eadē est, {P R O P E A S.} contra ac supra illū in {D I E T A S} fecisse docuimus, ubi D, pro P, scripserat. Hoc autē animaduertisse, non penitus inutile esse arbitrari sumus: nam & huic loco lucem affert, & superiorem illam confirmat. {Non modo præmiis} Ita quoq; in Mediceo legitur, ut Manutii emendarunt: quod eo ēt libentius adnotaui, ut paulatim perspiciatur, nihil in aliis synceri esse quod non hic quoq; legatur, multaq; in aliis multis fœde, & mendose scripta esse, quæ hic non reperiantur. {Bonorum omnium consensus} Quid de hoc loco senserimus, facile qui uult, intelliget, tuto (ut arbitramus) in omnem partem: nam ueterem scripturam proposuimus, quid scrupuli in illa esset (etsi omnibus apertū erat) indicauimus: quomodo etiam labesfacta esse posset, ea posuimus: lectionem illam secuti sumus, quam etiam qui nunc nos accusant, antea probauerant: nisi enim ita fecissent, in suum certe librum eam non coniecissent: quæ illis (ut opinor) displicere cœpit, posteaquā uiderunt me quoq; ab ipsa non penitus abhorrere. Nam quod mendacii me arguunt, quod dixerim omnes uetustos codices illam retinere, ridiculum est: quomodo enim ipse omnes uidere potui? quod si possem, etiam nollem: neq; enim mihi honestum esse puto omnē ætatem in ueteribus libris excutiendis consumere, & operam meā maioribus in rebus utilem esse posse existimo. Vtinam potius tantū studium in his rebus non posuissem quantum olim posui. Non loquor de Ciceronis libris, in quibus purgandis expoliendisq; omnē operam ab omnibus præclare collocari iudicio, sed de aliis longe minoribus autoribus, in quibus castigandis puer olim, iudicio peccans, multum diuq; laboraui. Omnes igitur, quos uidi scilicet & perspexi, qui nec pauci omnino fuere, nec quemadmodum cotidie magis apparebit, pessimi. {Primum illa furia} Mirifice delector ueris Vbaldini laudibus, gaudeoq; nō parum, mecum illū sentire. Quod si antea hanc lectionem sequebar, nunc eam ualde diligo, postquā illum audiui acerrimi iudicii hominem ipsam quoq; suo ingenio excogitasse. Cum autem quibusdam nō insulsis (ut opinor) rationibus eam confirmassem, non magis ipsam ui earum, quā illius unius testimonio, ueram esse puto. {Cumq; eum nec persuad. n. c. r. p. u.} Hunc locum, quem ualde quidam suspectum habent, nullā in optimis exemplaribus uarietatem habere cognoui. quod si cogitemus, quum Cice. de Plat. inquit, Cumq; eum nec persuadendo, nec cogēdo regi posse uidisset: a se Platonem intellexisse (ab aliis enim, qui cogere non dubitassent, regi potuisset) omnis scrupulus euelletur. de se autē uno Platonem locutum esse, superiora uerba declarant. Intellectus totius loci, & si apertus est, a me tamen breuiter exponetur Cum populus Atheniensis iam desiperet senectute, deq; uia recta discessisset, necesse erat ei, qui ipsum corrigere uellet, aut q̄d illi rectum esse intelligeret, ei persuadere, aut uim afferre, & inuitū cogere: in quorum neutro sibi elaborandum esse Plato existimabat. cum rationes illum contempturum esse existimaret, ac se frustra omnem operam in ea re positurum esse arbitraretur: Imponere autem necessitatem patriæ nefas esse iudicaret: cuius rei causam ipse reddit accuratissime, partim in epistola ad Perdiccā, in qua hæc sunt: πρὸς ταῦτ' εἰπεῖν, ὅτι πλάτων ὀψὲ ἐν τῇ πατρίδι γέγονε, καὶ τὸν δῆμον κατέλαβεν ἤδη πρεσβύτερον, καὶ εἰθισμένον ὑπὸ τῶν ἔμπροσθεν, πολλὰ καὶ ἀνόμοια τῇ ἐκείνου συμβουλῇ πράττειν. ἐπεὶ πάντων ἂν ἥδιστα καθάπερ πατρὶ συμβουλεύσειν αὐτῷ, εἰ μὴ μάτην μὲν κινδυνεύσειν ᾤετο, πλέον δ' οὐδὲν ποιήσειν partim in priore epistola ad Dionis propinquos, quæ qui scire uolent, apud autorem ipsum quærent. {Par pari} In Mediceo codice, (Par pro pari) legitur: quemadmodum Paulus in uetere exemplari se reperisse testatur: id nos etiam antea adnotaremus: sed cum neq; in Terentio, quē olim Politianus cum uetustissimo & probatissimo illo Petri Bembi contulerat, ita legeretur, neq; in altero perantiquo, quem domi habeo, ullum uestigium huius lectionis reperiretur, nihil immutare ausus sum, magisq; Terentii librorum testimonio sua in re standum esse cēsui, quam aliorum, qui sæpe in alieno negocio negligentes esse consueuerunt. animaduerteram præterea Ciceronem lib. xvi ad Atticum uel potius Atticum ipsum ita locutum esse, Prouide, sicui quid debetur, ut sit, unde par pari respondeatur. Cognoui tamen postea studio, ac diligentia amicorum uetustum Terentii exemplar, quod in Vaticana bibliotheca est {Par pro pari,} habere & ipse quoque in alio, quod in diui Marci Florentiæ est, eandem scripturam inueni: quare quamuis alii aliter emendarint, hanc ueram esse puto Terentiani carminis restitutionem. {Libertatem} Si autoritati librorū standum est, facile omnes pro nobis iudicabunt: longe enim superiores in hac re sumus: Mediceus certe, & uetustate, & integritate cæteros uincit. Si argumentis nō parua etiam a nobis prolata sunt. Nam quod nonnulli excogitarunt, inane est, esse antitheton. {Suspicione cupiditatis,} superiori uoci. {Libertatem:} nouū enim hoc est Cic. Arg. Antea exposuerat, quæ in Lentulo erant, quæ hortarētur ipsum statim prouinciam successori tradere: addit postea, quid alii de ipso existimaturi sint, si aliter fecisset.

PAVL. MNA.

NON Modo præmiis} Ita legendum est, & ita in codicibus uetustissimis habetur sed cum locutio primo intuitu durior uideatur, hinc factum est, ut ueterem lectionem hactenus omnes contempserint, quam nos eo libentius restituimus, quod ea Ciceronem alibi quoq; non semel usum esse animaduertimus: Epistola enim V I. libri X. ad Atticum, Regnum (inquit) nō modo Romano homini, sed ne Persæ quidem cuiquam tolerabile & ad eūdem scribens C X L V I I I. mihi non modo irasci grauissima iniuria accepta sed ne dolere quidem impune licet. libro autem de oratore I. Neq; solum inscientiam meam, sed ne rerum quidem magnitudinem perspicit. harum autem Epistolarū lib. X I. C X X X V I I. Hoc tamen scito, non modo me, sed ne ipsum quidem principem scire, quid futurum sit. Quanquam hic quoq; inculcata erat dictio, non: quæ in libris manu scriptis non est. {Bonorum omnium consensio.} Antea, consensio, restituimus ex ueterum librorum fide. alii, uetustos omnes libros, consensus habere scripserunt. quod aliter esse deprehendimus. {Si lis pro me stante pugnare licuisset.} Septimum ab hinc annum, cum hos Epistolarum libros, quam diligentissime tum potuit, castigaremus, hunc locum ita, ut legitur, ex codicibus manu scriptis emendauimus, cum antea corruptus esset, ut bonus sensus elici nullus posset {Primum illa furta.} Præter historiæ fidem: neq; enim illa furta muliebrium religionum Ciceronis exiliū sunt consecuta. itaq; Vbaldinus Bandinellus, optimus non iudicandi modo, sed etiam dicendi magister, qui in his Ciceronis scriptis loca sane multa felicissime restituit, iampridem arbitratus est legēdum illa furia. nos etsi coniecturam doctissimi hominis ita probemus, ut nihil acutius, aut etiam uerius excogitari posse credamus, quoniam tamen in omnibus manuscriptis libris, illa furta, legimus ueterem lectionem immutare non sumus ausi. {Cumq; eū nec persuadendo nec cogendo regi posse uidisset.} Libentius ita legerem, Cumq; eum non persuadendo, sed cogendo. r. p. u. infert enim, cum persuaderi posse diffideret, cogi fas esse non arbitretur, quoniam autem manuscripta exemplaria cum lectione, quæ impressa est, omnia consentiunt: nihil immutaui: tantum sententiam meam testatam esse uolui: ut ii, qui uetustiores codices nacti fuerint, hunc locum ne contemnant, sed uariam lectionem, si qua fuerit, diligenter expendant. {Par pro pari.} Antea, cum legeretur, par pari, uersus erat mācus, qui nunc integer est, addita a nobis syllaba pro ex uetustissimo codice Pauli Boti Regiensis, hominis tum religiosi, tum etiam literati. itaq; etiam in Terentio uersus est restituendus. {Liberalitatem.} Alii, libertatem. ego nihil muto. uidi enim codicem perantiquum. quem habet adulescens nobilis, & literatus Bernardinus Maffeus, in quo liberalitatem scriptum erat. quam uocem eo libentius conseruaui, quod subiicit paulo post, cum sine suspicione tuæ cupiditatis non possis illius cupiditatem refutare: quod enim dixerat, liberalitatem, antitheton opposuit, suspicione cupidi-

satis. {Facilitate autem, quod uellem.} Alii aliter legunt. mihi, quæ lectio in nostris libris est, magis probatur: nam & sensum, ut opinor, habet meliorem: & in uetustis aliquot codicibus ita scriptum animaduertimus.

BAPT. EGNA.

PEriucundæ mihi fuerunt literæ tuæ. Tametsi prima laus Epistolarum sit breuitas, ut quæ alteram legentis manum implere non debeant: sæpe tamen fit, uel rerum magnitudine & copia, uel amore. & respondendi studio, prolixiores ut simus. quã certe prolixitatem catenus probes, quatenus ad rem oratio faciat, nihilq; omnino superfluat: quod & Cicero hac Epistola facile arguit. Qui postea quam gratissimum erga Lentulum animũ significauit suum, cum se illi nihil non debere fateatur: tum quare Vatiniũ defenderit, quem acerbissime prius accusarat, respondet: repetito tamen altius omnium cogitationum suarum principio, ita ut partim inimicorum suorum odio, partim Pompeii beneficiis, & Cæsaris cõsentione summa impulsus potius, quam suo consilio adductus, patrocinium illud suscepisse se affirmet: ad quod præterea faciendum ipse quoq; Reipub. status iam plane immutatus, illum pene coegerit, cum sapientibus uiris nequaquam in una sententia Reipub. gubernandæ perpetua sit laudanda permansio. quare facilior multo de Crasso futura sit satisfactio, cum illi se reconciliatum iisdem fere autoribus & causis, quibus & Vatinio antea probet quod quidem, si sibi integra omnia in Repub. ut superioribus temporibus erant, fuerint, facere debuisset: præsertim cum tantis Cæsaris beneficiis deuinctus sit, uel fratris sui legatione Gallica, uel ipsius humanitate, ut non ea probare, quæ Cæsar uelit, omnia non possit. quam rem imitandum sibiipsi Lentulũ fuisse, qui qua animi magnitudine & simplicitate sit multos quos Reipub. causa læserat, eisdem Reipublicæ causa reconciliatus sit. {Sine nefario scelere.} Magna uerborũ uis uel illo nefario uel scelere siquidem Nefarium dicimus, quasi sine ferre, quo maiores nostri in sacris ad expiationes sunt usi: & scelus proprie id dicatur, quod in patriam committitur. quasi ita sentiat, futurum illud plane scelus omnium maximum, si in Lentuli causa non omni studio, cura, industria elaborasset. Et sane nihil ingrato homine detestabilius. {Consiliario fortasse non imperitissimo.} Forma modestiæ. {Fideli & beneuolo.} Tria uidelicet sunt, quæ in consiliariis, ut dicimus, requiras: prudentiam, fidem beneuolentiam. {Quanquam tua quidem causa} Hoc ad superiorem Epistolam pertinet, ubi de rumore rei bene gestæ scribit Cicero. {Propugnationẽ salutis, & amplitudinem actionis.} Vtrunq; ad Lentuli consulatũ referendum est, nam quod Ciceronis salutem tutatus acerrime sit, hoc Ciceronis inimici iniquissime tulerant: quod uero summam ex eo facto laudem, cum apud Populum Roma. & equestrem ordinẽ, tum uero apud senatum, fortissimi scilicet & constantissimi consulis, simul & gratissimi hominis reportarat, ideo amplitudinem actionis addidit. Quamuis enim summo omnium ordinum studio Ciceronis in patriam reditus expeteretur, & Pompeius iam uel ob id, quod Clodius ipsum insectari cœperat, hoc enixissime curaret, & Ciceronis frater, & amici alii summopere contenderent: Lentulo tamẽ, ut ex huiusce Epistolis libri, & orationibus apparet, tanquam autori, & salutis suæ deo, ut ipse sæpe in orationibus etiam atq; etiam debebat: quippe qui cum primum consulatum iniit, nihil antiquius habuit, reiectis aliis omnibus curis, quam ut ipsum Ciceronem ab exilio reuocaret. Quare apparet, ut opinor, amplitudinem actionis ad Ciceronis restitutionem pertinere. agitur enim hic de rebus ante a Lentulo gestis, non quæ tunc in prouincia gereret. Sed & illud quemuis dormitantem admonere potuit: tum quod in orationibus Cicero magnam ex hoc facto laudem Lentulo tribuit: tum quod superius addidit, magnam esse memoriam cõsulatus illius. neq; enim in tanta re, quanta erat Ciceronis restitutio, ut pellẽdi Clodiani ferro, & armis de foro fuerit, priusquam referri tota potuerit, exiguum aut prudentiæ, aut constantiæ suæ, aut fortitudinis specimen dedit quando, contra maximas aduersariorũ opes res erat gerenda. {Quãquam ille perennis inimicus.} Clodium intelligit, qui cum antea amicus Ciceroni fuisset, mox illi infestissimus euasit, sed & cum Põpeio studere in primis simulasset, in illum non multo post Ciceronẽ expulsum probata grauissima iactauit, & insidias uitæ hominis præstantissimi tetendit, at hæc præcipue causa restituendi Ciceronis fuerit. {Nostram uicem ultus est ipse sese} Non uideo, qui bene de sacris Bonæ Deæ uiolatis intelligi hoc in loco possit, cum res illa tribus ante annis gesta sit: & nunc Cicero ea potius innuat, quæ post reditum suum gesta esse uideantur. Quare mihi illa uidetur innuere potius, quæ post Ciceronis reditum ab illo summæ audaciæ facinora patrata sunt, quæ scilicet tempore, & Ciceronem, & Ciceronis fratrem Quintum ferro appetierit, & basilicæ partem cum Ciceronis domo, quam instaurandam locarat, diruerit. tum uero illum plane interfectum iam a Milone significet, cum scilicet addit, nullam iam sibi partem reliquisse. {Cum Appio, & Cæsare} De Appio lib. iii. Quod uero addit de Cæsare, illud plane significat tempus, quo post legatum Q. fratrem Cæsari datum, & Trebario commendatum, summa plane familiaritate illi coniunctus sit: adeo ut sæpe Cicero in epistolis fateatur, Cæsarem a se tantum amari, quantum excepto Pompeio alium ferme neminẽ. {Vatinium autem} Hic est P. Vatinius, cognomẽto Testis, Calui oratoris inimicitiis clarus. qui cum se eloquentia Calui damnandum timeret, exurgens e subsellio. Num (inquit) iudices, si iste disertus est, ideo me condemnari oportet? Fuit hic non ludibrio solum Rom. Pop. sed odio, ut illum quãdoq; edentem gladiatorium munus lapidibus petierint. Vnde Casselii facetum illud plane responsum, qui post legẽ latam, ne quis nisi pomum in theatro iaceret, interroganti an nux pinea pomum esset: Si in Vatinium ieceris, pomum est, respondit. Sed in eo iudicio, quo illum Caluus accusauit, cum frontem sibi Vatinius candido sudario tergeret, idq; ipsum in inuidiã uocaret accusator: Quanuis (inquit) reus sim, panem tamen candidum edo. Assecutus hic tribunatum Põpeii Cæsarisq; fauore, illum totum ad Cæsaris gratiam gessit: subinde uero cum iisdem fautoribus præturam peteret, turpiter priore die mentito Pompeio, quasi de cœlo seruasset, quoniam Marcũ Catonem prima tribus prætorem renuntiarat, sequenti magnis largitionibus fretus uicit, Catoq; maximo Popu. Romani dedecore repulsam passus est, ut Caluus illi occurrens: Perfrica, inquit frontem Vatini, si te digniorem putas prætorem, quam Catonem. Accusarat & hunc prius Cicero magna quidẽ contentione, & acerbissima oratione (quæ adhuc extat) lacerarat, nullumq; uisus est flagrantiore odisse odio, præter Clodium. adeo ut Ouinio Vatinii liberto factus obuiam, cum de ualetudine domini interrogasset, recteq; illum habere respondisset Ouinius. recte, ergo mortuus est, diceret. Sed & inde illum elusit, cum gloriãti Vatinio se bina millia iam ambulare posse, quando æger antea pedibus commodioris ualetudinis esset factus: Nil mirum, inquit, dies enim longiores sunt. Atq; idem cũ de Vatinii morte nuntiatum esset, cuius parum certus dicebatur autor, interim, inquit, fruar usura. Cæterum reuersus ab exilio Cicero. Põpei precibus, & Cæsaris contentione uictus, non solum Vatinio reconciliatus est, sed illum insuper saluis eius rebus defendit. Cicero in Philip. ii. P. autem Vatinius, qui decimo anno iure laudatus a nobis, & hoc tempore merito laudandus est, aperuit olim Dyrrachii portas Bruto, & exercitum tradidit. Sed & ipse Vatinius in epistola clientem se Ciceronis appellat. Ordo deinde ciuili bello, secutus Cæsarem nauali prælio, Octauium Pompeianarum partium ducem uicit, & Dalmatiæ quibusdam expugnatis oppidis, imperator a militibus appellatus: Quintil. Macrob. Seneca, Plutar. Cæsar. Fuit uero alter Vatinius Beneuentanus, Neronis temporibus, sutrinæ tabernæ alumnus, inter fœdissima Neronianæ aulæ portenta corpore detorto, qui scurrilibus primo facetiis ad contumelias, ad optimi deinde cuiusq; criminationem comparatus, cousq; ualuit, ut diuitiis, gratia, ui in nocendo primus esset. huius celebrati sunt Vatiniani calices: Tacitus, Iuuenal. Martial. {Sestius} Fortasse P. Sestius, cuius in oratione contra Vatinium meminit Cicero, & quem de ui accusatum luculentissima oratione (quæ hodie legitur) defenderit. Hic Trib. pleb. creatus, Ciceronis restitutionem studiosissime complexus, parum abfuit quin a Clodianis interficeretur. {Bibuli fortunã afflictam} Eam uidelicet intelligit, quam ille suo in consulatu a C. Cæsare passus est, cum rarissime in publicũ prodiret, Cæsare Rẽpu. totam per uim ad sese trahente: ut plerique in factis retulerint, Iulio Cæsare Coss. Tranquil. Plutar. autores. De hoc repete, quæ superius diximus. {Marcel. & Philip. Coss.} C. Lentulus Marcellinus is est, quem Cicero non indisertum uiquam sibi uisum scribit: in consulatu uero etiam pereloquentem, non tardum sententiis, non inopem uerbis, uoce canora, facetũ satis. Philippus uero Martiæ pater, qui cum repulsam a M. Herennio in petitione consulatus passus esset, non multo post consulatum adeptus, non parum eloquentia ualuit. nã summis duobus, Crasso uidelicet, & Antonio, ita proximus accedebat, ut proximus tamen longo esset interuallo. sed tamẽ erat in illo libertas summa, facetiæ multæ satis creber in reperiendis, solutus in explicandis sententiis: disciplinis uero Græcis ita instructus, ut facile inter alios emineret, in altercando etiam cum aliquo aculeo facetus. In consulatu cum grauiter esset in senatum inuectus in concione, in Lucii Crassi consularis, & Drusi inimicitias grauissimas incidit, ut L. Crassus eum sibi cõsulem esse negarit, cui senator ipse non esset. Sed & Catullus mira mordacitate eum pupugit. cum enim Philippus, Quid latras, dixisset, Catule: Furem uideo, respondit. Hic quamuis disertus, & eruditus haberetur, solitus tamen ita est ad dicendum surgere, ut quod primum uerbum habiturus esset, nesciret: diceretq; cum brachium concalfecisset, tunc se solere pugnare. Sed nescio satis, de hoc Philippo mortem C. Crassi fuisse consulem, cum Cicero eo tempore uix & fortasse eius filium, qui per hæc tempora satis floruerit, non consulatu solum suo, sed paterni nominis hæreditate. Sic enim Cicero in oratione de Prouinciis consularibus: Tum pater Philippe, non uno tempore cum suis inimicissimis rediit in gratiam. Atq; hunc facile illum esse constare possit, quem Augusti Cæsaris uitricum historici faciũt. Atq; hic est, qui cum Seruio Sulpitio, & L. Pisone legatus ad Antonium Mutinam obsidentem, profectus est, ut Cicero in Philip. & Apptanus autores sunt. Sueton. in Aug. {De auspiciis} Legem Aeliam, & Fusiam sublatam a Vatinio, & Clodio Trib. pleb. intelligit, quæ certissima Reipub. propugnacula, murique tranquillitatis, & otii semper fuerant, & tribunitios furores sæpe repressterant. Erant autẽ leges

ges

ges hæ duæ, quæ cum alia multa ad auspicia seruanda sancirent, tū
uero, nequid Ioue tonante, aut fulgurante agi cum populo posset.
Tulerat uero Clodius, nequis per eos dies, quibus cum populo agi
liceret, de cœlo seruaret. qua lege obnuntiatio, qua perniciosis legi
bus resistebatur, quam Aelia lex, & Fusia confirmauerant, erat sub-
lata. quæ omnia ex Ciceronis orationibus in Vatinium, & Pisonem
copiosius accipias. {De donatione regnorum} Miror satis, quid alii
uel de triūuirum potestate, uel de legibus hic a Vatinio latis sense-
rint, cum Cicero ipse in oratione contra Vatinium apertissime signi
ficet, hæc a Vatinio fuisse tentata. Eius uerba ea oratione illa hæc
sunt: Volo uti mihi respondeas, feceris ne fœdera Trib. plebei cū ci
uitatibus, cum regibus, cū tetrarchis? erogaris ne pecunias ex æra-
rio tuis legibus? Quæ sane uerba innuunt, a Vatinio in tribunatu
suo multis ciuitatibus immunitates concessas, reges aliquot institu
tos, tetrarchas prouinciis impositos. Nam & Cicero ad Atticum in
hæc uerba: (Clodium Vatiniumq; omnino innuens) Orbis hic in
Repub. est conuersus, citius omnino quam potuit. id culpa Catonis
sed rursus improbitate istorum, qui auspicia, qui Aeliam legem, qui
Iuniam & Liciniam, qui Geliam & Didiam neglexerunt, qui omnia
remedia Reipub. effuderunt, qui regna, qui prædia, tetrarchis, qui
immanes pecunias paucis dederunt. Asconius uero a Clodio, qui
collega Vatinius in tribunatu fuit, tradit Tigranem, Tigranis a Lu-
cullo primum fracti, a Pompeio demum debellati filium, in catenis
depositum fuisse apud Flauium senatorem: qui postea cū esset præ
tor eo anno, quo tribunus Clodius fuit, petiit ab eo Clodius ut Ti-
granem adduci iuberet: adductum, & in conuiuio collocatum, Fla-
uio minime reddidit, repetenteq; subinde Pompeio in nauem im-
posuit, missumq; fecit. Verum Tigrane tempestate Antium delato,
cum ad eum nuntium Clodius Sextum Clodium misisset, Flauius
uero ad diripiendum regem accurrisset, pugna utrinq; cōmissa est,
in qua multi ex utraq; parte cecidere, plures tamen ex Flauii, qui so
lus Romam uix peruenerit. Quibus iam constet, quare donationē
regnorum Cicero inuidiose dixerit. {De agro Campano} C. Cæsar
dictator in consulatu suo, cum turbulentum potius tribunum quam
bonum consulem ageret, tulerat ad populum, ut ager Campanus,
& is in primis qui Stellates nuncupabatur, uiritim populo diuide-
retur. quæ res & uectigalia publica imminuebat, & Cæsari gratam
in primis reddebat Romanam plebem. Sed cum ille post cōsulatū
suum in prouinciam profectus esset, tentata sæpius res illa uidetur,
ut quod de agro Campano diuidendo Cæsar tulerat, irritum fieret.
Quod cum Ciceroni quoq; e Repub. esse uideretur, dicit se libere
in totam causam inuectum esse, quod Pompeio Cæsariq; permole-
stum acciderat, quando ipse præter Stellatem campum agrum Cam
panum ad subsidia Reipub. uectigalem relictum extra sortem diuise
rit, ac uiginti millibus ciuium, quibus terni pluresue liberi essent,
assignarit: Sueto. Plutar. App. Nam quod de uectione Cæsare per Va
tinium immisso refert Commentator, etsi uerum id est, nihil tamen
ad hunc locum. Quod enim ad Vectium attinet, consulatu id Cæsa
ris actum est. hoc uero quod de agro Campano addit, Lentulo Mar
cellino, & Philippo consulibus gestū: qui Consules creati sunt post
Ciceronis ab exilio reditum. {In Sardiniam, & Africam} Eam Pom
peii profectionem innuit, cum profectus rei frumentariæ per quin
quennium, suadente id Cicerone, & mandata ei amplissima potesta
te, ut laboranti urbi inopia succurreret, in Siciliam primum, mox
in Sardiniam, & Africam profectus, cum quindecim legatos de le-
gisset, magnam frumenti uim urbi intulit. Sed cum soluere ex Afri-
ca pararet, tēpestatibus aduersis non audentibus se mari credere gu
bernatoribus, primus nauim conscendit, exclamans: Nauigare ne-
cesse est, uiuere non est necesse. {Lucam ad Cæsarem} Cæsar cū ma
gnas res interim gereret in Galliis, Domitii prætoris minis territus
qui si consul creatus esset, ablaturum se Cæsari, & prouinciā, & exer
citum minabatur, Lucam a Galliis uenit: eoq; cum uenisset, Pompe-
ium Crassum, & omnes fere urbis magistratus exciuit, & centum ui
ginti lictores tunc affuisse memoriæ proditū sit. ibi inter eos ita pa-
ctum, Pompeius Crassusq; consulatum peteret, si in alterum quin-
quennium prouincias prorogarent. {Crassum ante uidisset, ab eoq;
in me esset incensus} Fuit enim Crassus iam, ex quo Catilinam op-
presserat Cicero, in ipsum animo infestissimo, quippe q; persuasum
haberet, a Cicerone alitam suspicionem, tanquam Crassus, & ipse cū
Catilina in patriæ perniciem conspirasset. Sed historiam de Crasso
paulopost latius {Recepisset} Sumptum hoc uerbum de iuriscon-
sultorum suppellectile. apud eos enim huius uerbi ea est significa-
tio, cum in data dote donationeve quis exceperit, quod est proprie
receperit. Plaut. in Trinummo: Posticulum hoc recepit, cum ædes uē
didit. Sed & Cice. in ii. de Orat. Sed dicis te cum ædes uenderes, ne
in erutis quidem & cæsis usum tibi paternum recepisse. Vnde re-
ceptitius seruus, quem (ut arbitror) Plau. in Asin. dotalem quoque
dixerit. {Stomachum facerent} Patremfamilias Macrob. appellat
stomachum, quasi totum animal solus gubernet. si enim ille ægre-
scat, tūc in ancipiti uita nostra est. neq; .n. alimonia in officio suo
tunc est, cuius postea beneficio natura ita uolente uiuimus. Atque
ut autor est Plyn. hoc nomine est sub arteria iam carnosa inanitas
adnexa spinæ, ad latitudinem, & ac longitudinem, lagenæ modo
fusa. Græci nunc stomachum, nunc οἰσοφάγον: Aristoteles, Pollux,
Suidas. Theodorus gulam utrunq; uertit. Sensus igitur est: Eos am-
plecti quidem Clodium, quod arbitrarentur Ciceronem ad indigna
tionem excitari hoc facto posse, cum tamen iam diu occalluisset.
Sed hoc totum a Græcis sumptum, qui & ipsi hoc uerbum, & ab eo
aduerbium, in hunc pene sensum usurpent. {Consules haberet, sed
mercatores} Gabinium & Pisonem Coss. intelligit, quorum consu-
latu pulsus est furore Clodiano in exilium. {Quasi certaminis cau
sa} Illud innuit, quod uariis in locis Cicero affirmat: quæsisse Clo-
dium non tam ut Ciceronem patria uelleret, quam ut seditionem
aliquam, dum boni uiri Ciceronem defendunt, excitaret. Sperabat
enim pulso Cicerone, & perturbata Repub. tum scelerum suorum
impunitatem, tum facillimum ad ea, quæ machinaretur, aditum si-
bi datum iri. {Ex nouis honoribus} Non de prorogato imperio sen-
tiendum, quando aliis imperium sæpe prorogatum constet: sed de
supplicationibus, quæ ob res feliciter in Galliis gestas a Cæsare,
nunc in dies nouem, nunc quindecim, nunc uiginti sunt illi decre
tæ, quod nulli ad eam diem contigisse alii, Cæsar in Commenta-
riis suis affirmat. Sed & Cicero pro Balbo, in hæc uerba: C. Cæsa-
rem senatus, & genere supplicationum amplissimo ornauit, & nu-
mero dierum nouem: idem in angustiis ærarii uictorem exercitum
stipendio affecit, decem legatos decreuit, lege Sempronia succedē
dum non censuit. In quibus uerbis idem ferme error, cum, Trebo-
nia lege, scribendum fuerit. {Quæ sint consecuta} Locum hunc ut
corruptum existimē, facit uerborum ordo inuersus, ut ex dictis nul-
lus omnino sit sensus, quare ita restituendam lectionem, ut non de-
cerno, sic existimo: primum illa furta muliebrium religionum, qui
non pluris fecerat Bonam deam quam treis sorores, impunitate sce
lerum sententiis assecutus, cum Trib. pl. & quæ sequuntur. Nā hoc
alterum, qui, superfluum omnino sit, necesse est. Erit autem uerbo-
rum ordo talis: Primum illa furta muliebrium religionum sustule-
runt, exemplum præclarissimum iudicandæ seditionis in poste-
rum, quando Trib. pleb. pœnas uellet persequi a seditioso ciue, qui
assecutus impunitatem scelerum sententiis, non pluris fecerat Bo-
nam deam, quā treis sorores. Atq; hoc pacto quæstio illa, qua dican
tur hæc consecuta cum multo ante gesta sint hæc omnia, nihil om
nino diligentem lectorem perturbet: cum hæc dicantur a Cicerone
per anticipationem, ut cum ea uelit dicere, quæ sint consecuta po-
stea quam Cæsar ornatus est nouis honoribus, anticipet quædam
quæ a Clodio multo ante patrata facinora fuerant. Sic igitur non
dicit consecutum esse id, quod Clodius pollutarum religionū fue-
rit absolutus, aut quod monimentum suum cruentis literis inussis-
set: sed cum ante hæc omnia commisisset, ea postea secuta sunt, q̄d
in se restituendo plerique, quam debuerant fidem, non exhibuere.
{Bonam deam} Hæc soror Fauni, qui in Latio regnauit, & coniux
fuit quam Sentiam Fatuam, ideo dictam putat C. Bassus, quia mu-
lieribus fata caneret, quemadmodum ipse Faunus uiris. fuit uero
hæc in fœmina pudicitia tanta, ut eam, quoad uixerit, præter uirum
suum uiderit nemo, nemo nomen audierit. Contra Sex. Clodius re-
tulit eo in libro quem Græce scripsit, eam, quod dolium telecuisset,
uinumq; ebibisset, a marito uirgis myrteis cæsam: sed eam non mul
to post, cum uirum facti pœniteret, deam factam esse, muliebriq; tā-
tum cultu uenerandum, atq; in facti memoriam amphoram uini ob
uolutam in sacris poni: Lactantius autor. Hanc Græci γυναικείαν di
cunt, Midæ regis matrem, siue ex Liberi matribus unam. Huic ta-
bernacula uitigineis intexta ramis, huic draco tribuitur: cui cum
mulieres sacrificant, nulli uiro ad ea sacra est aditus. Erant autem
sacra illa Orphicis ferme orgiis similia. Plutar. Lactan. {Quā treis
sorores} ubiq; Cicero Clodio sororum incæstum obiicit, & quādoq;
necem. Et constat Clodium omnino sorores treis quæ clarissimis
postea uiris nupsere, constuprasse. quarū una Metelli Celeris uxor
Quadrans dicta sit, quod adolescens pro nummis argenteis æreos
quadrāntes in ipsius Clodiæ loculos coniecerit. Nupsit & una Lu
cullo, de qua Plutar. scribit, quod cum Clodiam impurissimam fœ-
minam repudiasset, Catonis Seruiliam sororem duxit, nihilo sane
meliorem, nisi quod fraterno incæstu polluta non esset. Tertia Mar
tio Regi nomine Terentia, & ipsa impunita, locata est. Plutar. in Ci
ceronis uita est autor. {Trib. pleb.} Fusium, ut arbitror, intelligit tri
bunum. de quo Cicero ad Atticum: Trib. pleb. Fusius in concionem
produxit Pompeium, res agebatur in Circo Flaminio, & erat in eo
ipso loco ille die Nundinarum πανήγυρις. Quæsiuit ex eo, place-
retne ei centum iudices a prætore legi, quorum consilio idem præ-
tor uteretur. id autem erat de Clodiana religione ab senatu consti-
tutum. Atq; alia epistola: Postea uero quam Hortensius excogita-
uit, ut legem de religione Fusius Trib. pl. ferret: in qua nihil aliud a
consulari ratione differebat, nisi iudicum genus: uindicandæ se-
ditionis exemplum sustulerunt. nam triginta illum iudices, quos fa
mes magis quam fama commouerat, absoluerunt quinq; & uiginti,
summo quamuis proposito periculo, condemnarunt. Satis enim cō
stat, nullum unquam turpiorem iudicum consessum. Maculosi Se-
natores, tribuni ærati uetius quam ærarii affuerunt: ut quamuis testi
monium Cicero contra Clodium dixerit, quamuis uiri boni plerīq;
iniq; Clodianum facinus ferret, Hortensio accusante, Catulo ob-

siuisse, tamen incertis iudicium sententiis ultor abierit: tanto prius metu iudicaturis iniecto, uel conductis seruorum operis, uel popularis fauore, ut puncta in tabellis haud satis dignosci possent. {Iidemque postea non meum monimentum} Historia hoc habet, Pulso Cicerone Clodiana factione, præter alias pœnas hoc quoque irrogatum supplicii est, ut domus quam ille in oculatissima Palatii parte possederat, consternerertur: in qua libertatis quoque simulachrum, literis incisis in base facti causam testantibus, positum est, cum antea quoque a Menula nescio quo Anagnino Clodius statuam sibi poni passus esset. Sed reuerso post Cicerone, cum Pontifices domus partem restituendam decreuissent, atque ex ærario pecuniam ad eam construendam numerassent, uidentur tamen simulachrum illud non omnino sustulisse: quod inustum cementis literis, non esse omnino deletum Cicero uehementer dolet. Quæ omnia ex orationibus Ci. & ad Atticum epistolis percipies. in ea enim, quam ad Pontifices pro Domo sua egit, his uerbis Clodii a Menula positam statuam docet, At tu etiam ereptor ciuitatis, legem de iniuriis publicis tulisti Anagnino nescio cui Menulæ per gratiam, qui tibi ob eam legem statuam in meis ædibus posuit. & ducentesimo ab hinc uersu, cum de Domo sua loquatur, ita addit: In qua si manet illud non monimentum urbis, sed sepulchrum, inimico nomine inscriptum demigrandum potius aliquo est, quam habitandum in ea urbe, in qua trophæa, & de me, & de Repub. constituta uideam. hæc Cicero. Cæterum cum Ciceronis domus cum M. Flacii, qui cum C. Gracho contra Rempub. fecerat, cuiusque domum senatus euertendam censuerat, atque in ea Q. Catulus porticum aliquanto post ex Cimbricis manubiis fecerat, coniuncta esset, totam scilicet porticum Catuli deleuit, & eam cum Marci Ciceronis domo coniunxit, & in ea libertatis simulachrum, Tanagrææ uidelicet cuiusdam meretricis locauit Cicero in eadem oratione, At unde inuenta est ista libertas? quæsiui enim diligenter. Tanagræa quædam meretrix fuisse dicitur: eius non longe a Tanagris simulachrum e marmore in sepulchro positum fuit. Atque hoc totum est, quod dicit hoc in loco Cicero domum suam non suum monimentum fuisse, sed senatus: cum scilicet senatus ex ærario data pecunia, domum inædificandam Ciceroni censuit. In cuius tamen parte simulachrum positum uidetur permansisse literis inscriptis, quæ a Clodio libertatem restitutam post Ciceronem expulsum, posteritati significarent. Cicero cum alibi, tum in Pisoniana oratione, totam hanc rem complexus est in hæc uerba: Me consequentibus diebus in ea ipsa domo, qua tu me expuleras, quam incenderas, Pontifices, Coss. collocarunt, mihique (quod antea nemini) pecuniam publicam ad ædificandam domum censuerunt. & ad Att. li. IIII. Superficiem ædium Coss. de consilii sententia æstimarunt uicies. cætera in re ualde liberaliter. Atque Ex iis, quæ recitata paulo uberius a me sunt, constare iam cuiuis arbitror, quid Cicero hac in parte uoluerit, cum alioquin hactenus inuoluta esset omnia. {Q. Metello} De hoc in oratione, qua populo gratias egit de Reditu suo: Non ut pro Q. Metello clarissimo uiro iam spectata ætate filius, non L. Dalmaticus consularis summa autoritate uir, non Q. Metellus censorius, non eorum liberi, non Q. Metellus nepos, qui tum consulatum petebat. Fuit autem familia Metellorum Romæ adeo popularis, ut Næuius poeta carmen in illos tale factitarit Saturnium: Fato fiunt Metelli Romæ consules. quod cum iniquius accepissent, tanquam fortunæ, non eorum uirtuti tribueræ dignitates uiderentur, eodem carminis genere responderunt: Dabunt malum Metelli Næuio poetæ. {M. Scaurum} Senatus hic princeps: quamuis patre, qui carbonariam exercuerat, natus, summæ prudentiæ & grauitatis habitus uir. Variis tamen procellis sæpius agitatus. nam & auaritiæ insimulatus est, cum legatus inter decem ad Iugurtham missus esset, & ambitus a Rutilio in consulatus petitione competitore reus actus, qui absolutus, Rutilium in iudicium uocauit. Verum hic Cicero neutrum horum (ut opinor) intellexit: sed id tempus Scauri innuit, cum Q. Seruilius Cæpio Scaurum obligationis Asiaticæ inuidia, & aduersus leges pecuniarum captarum rerum fecit repetundarum lege, quam tulit Seruilius Claucia. Quo tempore Scaurus tanta animi magnitudine fuit, ut Cæpionem accusatorem suum detulerit, & inquisitionis breuiori spatio accepto effecerit, ut prior causam Cæpio diceret. sed & non multo post eiusdem Cæpionis insidiis petitus lege Varia, in iudicium uocatus uenit, quam Varius Hispanus tulerat, ut quæreretur de iis, quorum opera Italiæ populi rebellassent, sperans quæstionem opprimendi Scauri sese habiturum. Qua re accersitus per uiatorem ad Varium. LXXII. annos natus morbo adhuc grauis sic apud iudices egit, Q. Varius Hispanus M. Scaurum principem senatus socios in arma ait concitasse: M. Scaurus princeps senatus negat: Testis nemo est: Utri uos Quirites conuenit credere? Cicero Asconius, Valerius, Plynius. {Quibus laudationem} Eam scilicet intelligi uult, quam adhiberi in iudiciis solitam, postea Pompeius lege lata sustulit. Idem postea cum Munatium Plancum reum laudaturus accessisset, Cato aures obstruxit, nequid contra legem committeret. Plutar. Tranquillus: Ne laudatione quidem iudiciali data Augustus tacitus in subsellius sedit. {Ex ultimis terris} Hispanias intellige, ubi præturam tunc temporis gessit Lentulus. {Repentinam defensionem Gabinii} Is est, qui collega L. Pisonis a Pompeio in consulatu post C. Cæsarem datus est, quos & in consulatu acerrima oratione insectatus est. & cum ab exilio reduisset, memor sese ipsis prodentibus patria pulsum, nunquam destitit proscindere: tandemque magnis conatibus euicit, ut Gabinio Syria, Pisoni Macedonia turpiter reuocatis auferrentur. Cæterum Gabinius cum præter alia scelera in prouincia perpetrata, tum uero quod nullo S.C. facto, de Pompeii tantum uoluntate Ptolæmeum restituisset in regnum cum exercitu, quod per senatusconsultum cautum fuerat, ne fieret, accusatus est. Cicero ad Q. fratrem: Vehementer uexatus est Gabinius & quarto post libro: Gabinium tres adhuc factiones postulant L. Lentulus Flaminis filius, qui iam de maiestate postulauit: T. Nero cum bonis subscriptoribus: C. Memmius Trib. pleb. cum L. Capitone & paulopost: Apud Catonem erat diuinatio in Gabinium futura, inter Memmium, & T. Neronem, & C. Antonium, in quos R.M.F. putabamus fore, ut Memmio daretur, & si erat Neronis mira contentio. Quid quæris? bene premitur, nisi noster Pompeius diis hominibusque inuitis negotium euerteret: & alia additque mox: Gabinium de ambitu fecis reum P. Sylla, subscribente priuigno Memmio Cæcilio Syllæ filio. contradixit L. Torquatus, omnibusque libentibus non obtinuit. Eum tamen Cicero absolutum scribit, graui admodum iudicum fama, & Lentuli accusatoris ignominia. liberatus tamen dictaturæ Pompeii timore, XXII. sententiis condemnatus est, cum LXX. tulisset: ut affirmet Gabinii absolutionem, legem impunitatis esse. Appianus tamen facit Gabinium accusatum, & condemnatum, quoniam regem restituisset, ut non possim non mirari: nisi absolutum fortasse aliis criminibus dicas, condemnatum maiestatis: Cum hoc tandem Cicero in gratiam rediit, contendente maximis precibus Pompeio. {Appius in sermonibus} Verba adeo mendosa sunt, ut ea in integrum restitui posse nequaquam sperem quæcunque autem ad hanc diem exemplaria uidere mihi licuit, uidi autem quamplurima, eandem lectionem habent. utcunque tamen sit ea in medium afferamus: quæ si uerba ipsa non emendarint, quid tamen Cicero hac in parte sibi uelit, applicaturi sumus. Altius igitur præfabimur de uniuersa comitiorum ratione, ut locus hic facilior intellectu omnino sit. Comitia igitur aut Centuriata erant, aut Curiata, aut Tributa. Centuriæ primis, secundis: Curiæ tributis loci, & regionis, unde conuenirent, nomen dedere. Ne uero in his immorer, quæ uel ab A. Gellio, aut Festo, aut, ab iis qui nostro seculo aliquid de his scripsere: Comitia Centuriata asserimus tum habita, cum sacerdotia, & maiores dignitates demandarentur a populo adeo ut siquando Dictatorem populus dixisset, Comitiis Centuriatis dictum putem. Centuriatis autem Comitiis non tantum magistratus demandari solitos, quod quidam opinati sunt, sed rogationes quoque ad populum uideo. Cicero in oratione ad populum de reditu suo: Huius consilii P. Lentuli sententiam, Senatus autoritatem uos secuti, in eo me loco in quo uestris beneficiis fueram, iisdem Centuriis, quibus collocaratis, reposuistis. & ad Senatum: Quo die nos Comitiis Centuriatis, quæ maxime maiores iusta dici haberique uoluerunt, accersiuit in patriam, ut eædem Centuriæ, quæ me consulem fecerant, consulatum meum comprobarent. Sed & hac epistola referente Coss. Comitiis Centuriatis restitutum se testatur. Sed & leges omnes, dummodo ad rem militarem non attinerent, Centuriatis Comitiis latas aduerto. unde & Cicero legem Centuriatam in oratione pro lege Agraria dixit, quæ scilicet Comitiis Centuriatis lata esset. At uero Curiata Comitia longe ab his diuersa: nam ut Centuriata in demandandis patritiis magistratibus, Tributa plebeis instituta sunt, sic Curiata auspiciorum, & militaris tantum rei gerendæ causa remansere, ut consuli prætorive, siue cui alii cum imperio, si legem Curiatam non haberet, attingere rem militarem non liceret. Atque hæc quæ dicta a me sunt de re omnium difficillima, Ciceronis in oratione pro lege Agraria, & Liuii testimoniis confirmabuntur. Ille igitur in oratione: Nam Centuriata lex censoribus ferebatur, tum Curiata cæteris patritiis magistratibus. quæ uerba manifeste arguunt, priscis temporibus, Curiatis magistratus patritios designari solitos quæ postea auspiciorum reique militaris tantum causa ad speciem, atque usurpationem uetustatis per triginta lictores constituta sint. Et paulopost idem Cicero: Nunc quia prima illa Comitia tenetis Centuriata, & tributa, Curiata auspiciorum causa remanserunt. Hic autem Trib. pleb. quia uidebat potestatem neminem iniussu populi, aut plebis habere posse, Curiatis ea Comitiis, quæ uos non sinitis, confirmauit: Tributa, quæ erant uestra, sustulit. Nam quod, nisi Curiata lex lata esset, res militaris administrari non posset: idem ostendit Cicero, decimo ab hinc uersu: Consulibus legem Curiatam ferentibus, a Trib. pleb. sæpe intercessum est. Hic Trib. pleb lege Curiata, quam Popu. Roma. ferat adimit intercedendi potestatem. Atque hoc est in eo reprehendendum est, quod per Trib. pleb. tribunitia potestas minuitur: tum in eo deridendum quod consuli, si legem Curiatam non habet, attingere rem militarem non licet: huic cum uetat, intercedendi potestatem, etiam si intercessum sit, tamen eandem constituit. In epistola quoque ad Q. fratrem tertio: Appius sine lege Curiata confirmat se Lentulo nostro successurum. Liuius uero lib. II. ab Vrbe condita, cum de Volerone loquitur: Ne uerbo quidem uiolatis consulibus rogationem tulit ad populum, ut plebei magistra-

tus

tis tributis Comitiis crearentur. & paulopost: Lex silentio perfertur. tum primum tributis Comitiis creati tribuni sunt. Illud uelim admonitum diligentem lectorem, frequens esse in exemplaribus uitium, ubi tribunitia Comitia pro tributis legantur. Sed redeo ad rē de Curiatis Comitiis, quorum causa hæc omnis instituta oratio sit. Liuius igitur nono ab Vrbe condita de his in hæc uerba: Papyrius D. Iunium Bubulcum magistrum equitum dixit, atq; ei legem Curiatam de imperio ferenti, triste omen diem diffidit (sic enim scribere, quam quod omnia habent exemplaria, Diffudit, malo) quod. faucia curia fuit principium duabus insignibus cladibus, captæ urbis, & Caudinæ pacis, quod utroq; anno eiusdem curiæ fuerat principium. Macer Licinius tertia eam clade, quæ ad Cremeram accepta est, abominandam eam Curiam facit. dictator postero die auspiciis repetitis pertulit legem. Idem in quinto, ubi de Camilli restitutione, hæc de Curiatis comitiis, & lege addit: Accepto inde senatus decreto, ut & comitiis Curiatis reuocatus uideretur. & paulopost: Non prius profectum ab Ardea, quam comperit legem latam, quod nec iniussu populi mutari finibus posset, nec nisi dictator dictus auspicia in exercitu habere. Ita Curiata lata est. Sed & sexto ab Vrbe condita, Camilli uerba hæc sunt Comitia Curiata, quæ rē militarem continent: comitia Centuriata, quibus consules Tribunosq; militares creatis, ubi auspicato, nisi ubi assolent, fieri possunt? Quibus testimoniis facile adducor, ut sensum corruptissimorum alioqui uerborum hunc esse putem, quod Appius, qui ex senatuscō sulto prouinciam Ciliciam nominatim haberet, ex quo poterat, rem militarem administrare, etiam sine lege Curiata, quando scilicet Cons. imperium obtineret, prædicabat ubiq;, quod si lex Curiata ferretur inter se, & collegam, sortiri prouinciam uellet. sin Curiata lex non ferretur, uelle se prouinciam, quam senatusconsulto teneret, non tam sortiri, sed pacisci cum collega, ut scilicet ille omnino Cilicia prouincia cederet, quam ipse per Senatum haberet certam, ne in aleam illam uocaret. Quod igitur dicit, si Coss. legem Curiatam ferre liceret, id intellige, si Trib. pleb. non intercessissent: quando illi sæpe, ut Ciceronis ostendimus testimonio, intercederent, nec, cupidius uidelicet, quam e Rub. esset, ii qui prouincias peterent, rē militarem administrarent. Cum uero dicit, Consulis ferre opus esse, se non esse necesse: id dicit, aliis quidem consulibus quicunque rē militarem attingere uellent, non licet id priusquam lex Curiata perlata esset, se necesse minime esse, quoniam Senatus illi nominatim cum imperio prouinciam censuisset. quod ille ita interpretabatur, ac si per senatusconsultum demandata sibi prouincia, rem militare possit attingere, etiam sine Curiata lege, qua res militaris demanda ri, semper sit solita. ut si ita legas, & ordines, non inepte (quantum ego conijcio) rem percipias: Appius in sermonibus antea dictabat, postea dixit etiam in senatu palam, sese, si licitum esset consulis legē Curiatam ferre, sortiturum esse cum collega prouinciam; si Curiata lex non esset, se pacturum cum collega, tibiq; successurum; legēq; Curiatam consuli ferre opus esse, non esse necesse se, quoniam ex S. C. prouinciam haberet. Quæ tamen omnia non iudicantis, sed æstimantis esse hominis uolo. Illud non parum me perturbat, quod legitur lege Cornelia imperiū habiturum, quod in urbem introisset. nam ut sciam quid Cornelia sit lex, de qua copiosius aliis a me libris disseretur, & quantum ualeat introire in urbem non nesciam: tamen non tantum elaborare potui, ut superioribus adglutinare satis commode potuerim nisi Quoad in urbem pro quod legas, ut Appius extra urbem uideatur tunc fuisse, quando qui cum imperio esset, urbem introire non posset. Qua ex re admonemur, cum multa nos, quæ alii hactenus non adnotarint, de tota hac comitiali ratione in medium protulerimus, quæ aliis militarem uiam præmonstrent, non tortuosas semitas: homines tamen nos esse, quibus omnia scire nequaquam liceat. Conferat igitur diligentius candidus Lector hæc nostratia: inueniet (ni fallor) multos, multorum errores, negligentiam etiam deprehendit. ut sæpe dormire his satius fuerit, quam hæc tam somniculosa memoriæ mandare. Nos uero primi (ut opinor) Cēturiatis comitiis leges quoq; ferri, nos Tributis plebeios magistratus demandari, nos qd Tributa a Curiatis differāt, quæ alii magno errore eadem esse putarunt, nos Curiatis comitiis, & legibus rem militarem tamen, & auspicia procurata retex imus. Verū de his satis. {Scis quam grauiter inimici illi ipsi fuerint Q. Scæuolæ} Tres Scæuolas Q. prænomine fuisse inuenio. Primum eum, quē augurem Cicero libello de Amicitia, & de Claris orato. dicit, socerum C. Fanii, & Lælii. Alterum Pontificem maximum, quem longe præstantissimum ciuem, & ingenio, & industria fuisse constat, quiq; adeo coniuncte cum Lentulo Crasso uiro Consulari, & censorio uixerit, ut præter Tribunatum, quem anno post quam Crassus gessit, & censuram quam nemo unq; Scæuolarum petiit, omnes cum Crasso gesserit magistratus. Tertium uero, & ipsum augurem dictū, qui peritissimus iuris, idemq; perco mis est habitus, aliquanto post Scæuolam pontificem. Verum hic de Q. Mutio Scæuola pontifice intelligendum arbitror, qui in lib. i. Ciceronis de Oratore disputat, quiq; iurisconsultorū disertissimus est habitus. Tametsi ipse in Scæuolis nullam admodum fuisse eloquentiam fateatur. Hic uero post consulatum Asiam proconsule rexit, ea integritate & innocentia, ut prouincia decedenti quandam festa totius Asiæ populi in eius honorem constituerent, quæ Mutia dicerentur: Asconius, ut inde. Cicero in tertia in Verrē actione inuidiosissime dixerit, Vt ad Mutii innocentiam referatur. Hic deniq; cum partes foueres Syllanas, a C. Marii filio in Vestibulo ædis Vestæ occisus est. Florus. De hoc, opinor, intellexit Cicero in epistola didascalica ad Q. fratrem, his, uerbis: Nam Græci sic te uiuentem intuebuntur, ut quendam ex annalium memoria, ut etiam de cœlo diuinum hominem esse in prouinciam delapsum putent. Pomponius quoq; de Origine iuris, primum hunc ius ciuile constituisse tradit, generatim in libros decem, & octo redigendo. Cuius postea fuere discipuli sane quam multi celebres, Aquilius, Gallus, Lucilius, Balbus, Seruii Sulpitii præceptor. Illud uelim diligentem admonuisse lectorem, in Pomponio si Ciceroni potius credas, ea in parte ubi de Iurisconsultis agit; magnum errorem deprehendi memoriolæ scilicet ubi L. Crassum nominat, quem Cicero P. prænomine in lib. de Claris oratorib. fuisse scribit, qui frater fuerit P. Scæuolæ, Q. Scæuolæ auguris patris: tum hunc consultorū disertissimū putet a Cicerone dictū, cū non P. Scæuolā Cicero dicat iurisconsultorū disertissimum, sed Q. hunc Mutium Scæuolā, de quo hac in epistola parte: quod longe melius ex monumentis Ciceronianis agnoscas Fuere igitur, ut ad summā rē totā breui colligā, Scæuolæ duo Publiorum Prænominibus: prædictus pontifex maximus, & consularis, qui P. Crassum, & Q. Mutiū filios reliquit, Crassum Mutianū dictū: P. uero Scæuolā, Q. Scæuolæ patrē fuisse. Cū uero is in suo procōsulatu publicanorū offendisset ordinē, qui potentissimus erat negotiū illi postea reuerso exhibuere nō minimū. q & hoc in loco tangens, ab exēplo admonet Lentulū, ut publicanorum ordini sese omnino reconciliet.

PERENNIS} C. Cato, qui uim suā in Lentulū potissimū contulit, cū de abrogando illi imperio legem promulgauit. {Reliquit} quippe cui Milo imposuerit: cuius bestiarios Racilius sibi emptos dixerit, & tabulam proscripserit se familiā Catonianā uenditurū, in quā magni risus sunt consecuti: quē deniq; Lētulus a legibus remouerit. {Cum Cæsare} Me meus, inquit alibi, in R. P. animus pristinus, ac perennis cū C. Cæsare reducit, recōciliat, restituit in gratiā {Appio} Appio Pulchro, qui paulopost ipsi Lentulo successit, de quo libro tertio plura. {Defenderunt} ut patronus. {Laudarunt} ut amicus. In iudiciis n. ante Pōpeii legē, qui decē laudatores dare non poterat, honestius erat ei nullū dare, quā illū quasi legitimū numerū consuetudinis non explere. {De reliqua nostra dignitate} ut deiecto P. Clodii monumento in meis ædibus collocaret. {Nonnullorū} M. Catonis præsertim. {De monumentis} domo, porticu Catuli, & forte etiā monumento, de quo libro primo epistolarum ad Q. fratrē mentionē facit. {Fecerant} quando tecū dederunt operā, ut ab exilio reuocaret. {Permanebā} sperans gratificari cū M. Catoni, tum reliquis omnibus, qui de Repub. optime sentire nolebant uideri. {P. Sestiū} de ui reū a P. Clodio factum. {Introisset in urbē} quippe cū Pompeius cū imperio rei frumentariæ tunc esset, nec in urbē ingrederetur. {Testis} in P. Sestium. {Eodē teste} Vatinio. {Eosdē} Pōpeiū, Crassum, Cæsarē, & Vatiniū. {Interrogatio} qua ea Vatinio quærit, uerā ne sint illa omnia, quæ illi in oratione, quæ extat, obiicit. {De ui} in M. Bibulum Coss. {De auspiciis} quæ Vatinius contempsit. nam contra leges Heliam, & Fusiam cum plebe egit, cum de cœlo seruatum esse constaret. {De donatione regnorum} cum Cæsaris uoluntate Vatinius fœdera cum ciuitatibus, Regibus, & Tetrarchis fecit. {De agro Campano} ut agri Cāpani uectigal lege Iulia ablatum, in magna pecuniæ inopia, & annonæ charitate R. P. restitueretur. {Profectus est} ad frumentum cō parandum. {Questus est Cæsar} nam id S. C. contra suam legem factum uidebat. {In Sardinia} ubi, nisi fallimur, Q. Cicero pro M. fratre erat Pompeii legatus. nā Prætor in Sardinia tunc erat Appius. {Spopondisti illum meis} Cæsaris, & Crassi actionibus non aduersaturum. {Vibullium} L. Vibullium Rufum, Pompeii familiarem. {Certorum hominum} M. Catonis, & sociorum. {Inimicum meum} P. Clodium. {Meis temporibus} quibus a L. Pisone, & A. Gabinio Coss. P. Clodio, Trib. pleb. R. P. tenebatur. {Fautor} Hinc Pompeius Ciceronem sæpe salutatum ibat. {In Pretura} pro lege Manilia. {In Consulatu} de lege Agraria contra Rullum, & de supplicatione Mithridate interfecto. {Vetus amicitia} quæ tanta fuit, ut Q. Catulus, & Cn. Piso, neq; precibus, neq; gratia, neq; precio Ciceronem impellere potuerint, uti per Allobroges, aut per alium indicem C. Cæsar in coniuratione Catilinæ nominaretur. {Q. fratri} qui Cæsaris in Gallia fuit legatus. {Ex literis} Cum præter alia, illud scripsit, quod in Epi. V. lib. VII. leges. {Officiis} erga me, & Q. fratrem: & mea causa erga M. Curtium, & C. Trebatium. {Cæsari dederat} me illi non aduersaturum. {Fundamenta} concordiæ. {Cal. Ian.} dicta in senatu oratione contra Rullum. {Non. Dec.} Die. V Decembris, quo die Senatus sumendum supplicium de coniuratis censuit. {Vel animi} ad decernendum, ut supplicium de ciuibus Romanis sumeretur. {Nobis priuatis} treis annos. {Obtineres} ea Prætura. {Mercatores} L. Pisonem, & A. Gabinium. {Prouinciarum} Macedoniæ, & Syriæ. {Mirifica senatus} qui, referente L. Mummio, uestem etiam pro mea salute mutandam frequens censuit. {Italiæ totius} ex qua

SEBA. CORR.

Incredibilis multitudo in Capitolium conuenit, meq; etiam omni ratione priuato consilio defendendum putauit. {Bonorum omnium} qui ad se pedes Coss. ueste mutata, proiecerunt. {Multorum est} Pompeii Crassi, Cæsaris, & aliorum {Varia culpa} alia Pōpeii, alia Crassi, alia Cæsaris. {Mihi exercitum} multitudinem ex tota urbe, cunctaq; Italia. {Duces} optimates. {Non defenderunt} Hortensiū & Catonem uidetur significare. {Reliquerunt} ut Pompeius. {Et a me} Coss. tempore coniurationis. {Serui armatis} a P. Clodio. {Si his} ciuibus. Aliter, Si hi pro me stante pugnam non reliquissent, eum, &c. {Licuisset} per ducet {Potuissent} boni. {Quorum quidē} ciuium. {Nobilissimis hominibus} Pōpeio, Crasso, Metello, & aliis. De Pompeio sic ad Atticum scribit: Ille restituendi mei, quam retinendi studiosior. {Constare uoluissent} Cato, & eius æmulatores. {Recuperassent} amissam, Pisone, & Gabinio Coss. {Rebus maximis gestis} in Gallia {Nouis honoribus} supplicatione quindecim dierum. {Iudiciis Senatus} qui honores illos illi decreuit. {Illa furta} P. Clodius: etsi, Illa furia, uel ille fur, passim legitur. {Religionum} Bonæ deæ pro populo. {Treis sorores} Clodiam, Terentiam, & alteram cognomine Quadrantem, quas Clodius frater constuprasse dicetur. {Impunitatem} uiolentiæ, & seruis, & gladiatoribus, in urbe factæ {Illorum} iudicum, uel senatorum. {Qui} iudices. {Cum Trib. pleb.} T. Annius Milo, qui primo P. Clodium de ui postulauit, & posteaquam ab eodem iudicia sublata uidit, ne ille omnia ui posset efficere, curauit. {A seditiolo ciue} P. Clodio {Exemplum} iudicium de ui Clodiana. {Sustulerunt} Clodio parcentes. {Iidemq;} uel iudices, uel senatores: & in his M Cato, qui Clodiū in ea re multum iuuit. {Monimentum} domum. {Manubiæ} pecuniæ publicæ, ad domus ædificationem a Senatu attributæ. uiss malis monimentum porticum Catuli intelligere. ut manubiæ sint Cimbricæ, ex quibus Catulus porticū illam fecit. {Hostili nomine} Clodii nomine {In capite meo} de salute, & reditu. {Reliquum corpus} dignitatem, & fortunas. {Inuidorum} ut Catonis, & Hortensii. {Inimicorum} ut Clodii, & Crassi. {Qu. Metello} Qu. Cæcilio Metello Numidico, qui cum M. Iunio Syllano Coss. fuit. lege Plutarchum in Mario, Liuium, & Appianum. {Cessit} ut is, cui patriæ salus dulcior, quam conspectus fuit. {Curarit} Rhodi Philosophos audiens. {M. illum Scaurum} Vide Plynii libellum de uiris illustrib. {Vnius Trib. pleb} Q. Callidii, Ciceroni pro Plancio: Claudii, Plinio de uiris illustrib. {Promulgantibus omnibus} Trib. pleb. Licet in senatu post reditum septem tantum nominarit. {Referente Coss} P. quidē Lentulo autore, sed pariter referente collega, Q. Metello Nepote. {Comitiis Centuriatis} Lentulus, inquit alibi, nos Comitiis Centuriatis, quæ maxime maiores iusta dici haberiq; uoluerunt, accersiuit in patriam, ut eædem centuriæ, quæ me Coss. fecerant, consulatum meum comprobarent. {A pristina causa} Reip. libere defendendæ. {Ante propositu} de consilio meo, complectendi Pompeii, & Cæsaris. {Cœperam exponere} de quibusdam inuidis, {Qui confirmatus} Epilogus ab illis uerbis, Tenebam memoriæ. {Ante te Coss} Pisone & Gabinio Coss. {Nunc ab iis} Domitio, Catone. Fauonio, & reliquis eiusdem sectæ. {Sententia} in senatu. {Tabellaq;} suffragiis, de quibus plura Cice. lib. III. de Legibus. Et sane Cato, in iudicio Gabiniano diruptis tabellis, de circulo se subduxit. {Ad consulendum} quippe cū semel ad R. P. accessissem. {Prætor est factus} Vatinius competitore M. Catone. {Ex ultimis terris} Hispanis. {Laudabuntur iidem} Fortasse C. Antonius & is ipse Vatinius. {Nobiles homines} Cato, & eius amici. {Suum Publium} Publium Clodium inimicum meum. {Alium Publium} Publium Vatinium, ipsius Catonis inimicū. Nec locus ioco carere uidetur, propter Publium Mimum his temporibus celebrem. {Iam gratia esset} Post reditum ab exilio. nam & Crassus in ea re Ciceroni fauit. {Grauissimas iniurias} post Catilinæ coniurationem, unde natæ erāt inter eos inimicitiæ. {Gabinii} de maiestate, & de pecuniis repetundis, rei postquam ex Syria rediit. {Et iidem illi} Cato, & reliqui. {Et illum inimicum} Crassum. {Et eos} Pompeium, & Cæsarem. {In prouinciam} in Syriam, & contra Parthos. {Defendi in Senatu} Fortasse contra Atteium & reliquos Trib. pleb. atq; adeo Coss. Crassum accusantes, quod dirarum obnunciationem neglexisset. Lege epistolā viii. lib. v. Nisi forte supplicationes aliquas intelligat, quas petiisset Crassus, capta Zenodotia Imperator appellatus. {Libera fuissent} per Pompeium, & Cæsarem. {Beneficiis hominum} Pompeii, & Cæsaris. {Compellas iniuriis} Catonis, & reliquorum inuidorum. {Perditorum} Proditorum potius, ut in aliquibus libris legitur: qđ illum sententia sua reuocassent quidem, sed postea reuocatū hi proditores deseruissent: & in his M. Cato, quem Cicero perditum non appellasset. {De me cōsilia} de me quasi deprimendo consilia. {Cū præsidiis iis} eloquentia, prudentia, & huiusmodi rebus. {Nunc et potentium} Pompeii, Crassi, & Cæsaris. {Quod rogas} In aliquot libris antiquis est principium epistolæ. {Ad mansuetiores musas} ad dialogos, & huiusmodi scripta, in quibus grauitas orationum nō requiritur. {Appius} Appius Pulcher, Coss. cum L. Domitio Aenobarbo {Licitum esset} Per Tribunos pleb. nam Coss. legem curiatā ferentibus, a Tribunis pleb. sæpe est intercessum. {Legem Curiatā} Nam consuli, si legem Curiatam non habet, attigere rem militarem non licet. Hoc Egnatio præceptori meo, ut pleraq; omnia, atq; adeo me ipse, acceptum refero. {Si Curiata lex non esset} Si ferri per Tribunos pleb. non posset. {Se pacturum} Al. se parituturum Al. se paraturum. certe cum collega acturum, ut ea sibi prouincia daretur. {Successurum} etiam sine lege Curiata. {Opus esse} conuenire. {Necesse non esse} scilicet Consuli. {Lege Cornelia} de prouinciis, ne ego arbitror, ordinandis. {Quoad in urbem introisse} Tunc enim necesse erat imperium deponere. {Potuisses} Cuperem, inquis, ut id tu felicitate quadam consequi potuisses, ne, &c. {Eius ordinis} equestris, ex quo erant publicani. {Hominum} publicanorum. {Q. Scæuolæ} cuius Quæstor Rutilius Rufus damnatus est, quod cū Prætore consenserit suo, ne publicani aliquid agerent in prouincia sua Asia, cui Scæuola ipse solos nouem menses præfuit.

BERN. RVT.

Ego sedēte Cn Pompeio, cum ut laudaret Pompeium, Sestius introisset in urbem} Non est ad Sestii quæsturam referendū, ut perperam sentit interpres: cum fuerit quæstor Sestius cum Vatinio Cicerone consule, ut in oratione in Vatiniū apparet. Quæsturam, inquit, petisti cum P. Sestio, cum hic nihil loqueretur, nisi quod agebat, tu de altero consulatu gerendo te diceret cogitare. quære abs te, teneasne memoria, cum P. Sestius quæstor sit cunctis suffragiis factus, tunc tu uix, inuitis omnibus, non populi beneficio sed consulis, extremum adhæsisse? In eo magistratu, cum tibi magno clamore Aquaria prouincia sorte obtigisset, missusne sis a me consule Puteleos? At hæc, quæ nunc commemorat Cicero, tam ipso ab exilio reuerso facta fuisse indicat, & iam Cæsare non modo cō sule facto, sed uictorias iam pleraq; adepto, sex minimū annis post Ciceronis consulatum, illamq; Sestii quæsturam, quem etiam in oratione pro eo ait, C Antonii collegæ sui quæstorem fuisse. Sed si diuinare liceat, quod sibi in iudicio de ui fauisset, laudatum a Sestio Pompeium non absurde interpretabimur. Quid, si legamus e diuerso? Cum ut laudaret Sestium, introisset in urbem: uel ut laudasset Pompeius Sestium. nam Pompeii nomen facile superscriptum Laudaret uerbo esse potuit, glossematis uice, indeq; deprauationis origo. {Scimus his temporibus} idest paulopost restitutionem Ciceronis, Sestium de ui reum factum, quod Trib. pleb. forum armatis hominibus obsedisset. Id quoq; constat, morem fuisse reos laudandi ab optimis aliquibus uiris ad iudicium gratiam conciliandā, lata tamen post lege a Cn. Pompeio tertium consule sublatum: autor Plutarchus in uita Pompeii, & Catonis. cuius uerba referre omisissem, si non parum cognitam interpreti isti, rem existimassem. paulo infra eadem hac epistola, ubi de laudatione a P. Lentulo ex Hispania Romam reis missa loquitur Cicero. Plutarchi uerba sunt: Iterum male de se Pompeius audiuit, quod quum leges statuisset, ne pro reis laudes fierent, ipse ad iudices ingressus est, Plancū laudaturus. in quo Cato (erat enim ex iudicum numero) aures manibus obstruens, Non belle, inquit, habere sese laudes præter legem auditurum. Et in uita Catonis: Præterea, inquit, quum Pompeius commendationes, reis dari in iudiciis solitas per legem uetuisset, ac postea ipse Munatio Planco commendationem scripsisset, Cato, qui in ea causa iudex erat, quum recitari cœpta esset Pompeii commendatio, aures manibus clausit, legiq; illam prohibuit. Legimus præterea, decurionum Capuæ commendationem, eiusdem Sestii in illo iudicio Romam ad iudices missam, in oratione, quam pro eo Cicero habuit. Introisset autem in urbem, ideo dixit, quia quum his temporibus præfectus esset rei frumentariæ Pompeius, loca cuncta Italiæ obibat, penuriæ subuenturus, aut quod ruri per eos forte dies abfuisset. Nobis hæc ualde lectio probatur, ita tamen, si & aliis placere eam uiderimus, aut in antiquis exemplaribus constare. nam & Milonem in eodem iudicio reum a Pompeio defensum infra scribit Cicero, & in oratione pro Milone non semel. {Quin etiam Marcellu, & Philippo Coss} Marcellino est in omnibus codicibus præter Aldinos, ac Mediolanenses: itaq; legi oportet ex his, quæ superius epistula prima notauimus. ut quemadmodum eo loco in Marcellum temere fuerat Marcellinum mutatum, id hic quoque factum sit. {Dixiq; eodem teste alio loco} Pompeio, non aut Vatinio, aut (ut somniauit interpres) Sestio, Tota enim hæc Ciceronis oratio eo tendit, ut ostendat se impendentem Pompeii uoluntatis non destitisse, Cæsarem apertissime insectari, ipso Pompeio præsente, atque audiente. Nam & alioqui tribunum sub Cæsare fuisse Vatinium. indicat Cicero in oratione contra eum, quum prædicit, ne sibi in sceleribus suis Cæsarem coniungat, multisq; præterea argumentis. {Nil habuis nisi reprehensionem illius tribunatus} alius, Vatiniani accipe potius, quam Clodiani: quum Clodius non Cæsare, ac Bibulo Coss. sed sequenti anno Pisone, ac Gabinio, tribunatum plebis gesserit, ut eius flagitia ad infamiam Cæsaris minus pertinerent. Significatur id multis locis, in ea Ciceronis interrogatione, quum ait, eum consultum intulisse scilicet Bibulo, quæ nulla Pisoni, uel Gabinio illata est: quin summa coniunctione, uel coniuratione potius, cum tribunis Clodio Clodianisq; magistratum administrarunt: quum, ut se a Cæsare consule seiungat, præscribit: quum, de nouem eius collegis meminit, in quibus si fuisset Clodius, non fuit reticendus, spretis præsertim ab eo auspiciis, quæ nonnisi illis obseruata dicit: quum ab ipso Vatinio

iam

iam tribunatu perfuncto, reo facto appellatum Clodium tribunum, nec causam diceret, quod scilicet ostendit, anno, qui Vatinii tribunatum insecutus est, tribunum fuisse Clodium: & quum ait, Quis legatos unquam audiuit sine senatusconsulto? ante te nemo, post te continuo fecit idem in duobus prodigiis Reipub. Clodius. Hæc eo curiosius congessimus, quod Appianus, aut errasse hac in re ipse, aut Commentatorem istum in eum errorem induxisse uidetur, ut putet utrosq; simul tribunatum gessisse. nec mirum, qui ita Romanas res interdum confuderit, ut Clodium Milonis in consulatu competitorem scribere non dubitaret, Cicerone, Plutarcho, grauissimis aliis autoribus contra nitentibus, illumq; præturæ, hunc consulatus eodem tempore candidatos prodentibus. Eodem errore Catonem a Pompeio ad Cyprum Ptolemæumq; publicandum ait ablegatum, quum id ex aliis constet, nō modo decretum, sed perfectum etiam, Clodio trib. pleb. Pisone, ac Gabinio Coss. {De ui, de auspiciis, de donatione regnorum} Donata regna Tetrarchis regibusque dicit, non Pompeio, aut Cæsari quod ex his uerbis, quæ sunt in ea oratione contra Vatinium, quam hic interrogationem uocat, satis arguitur. Quoniam pecuniam aliorum, inquit, despicis, de tuis diuitiis intolerantissime gloriaris, uolo, ut mihi respondeas feceris ne fœdera trib. pleb. cum ciuitatibus? cum regibus? cum tetrarchis? Id alioqui, & Clodio Gabinioq;, ac Pisoni longiore oratione sæpiusq; obiicit. ait enim: Appellati reges a populo, qui id nunquam ne a senatu quidem postulassent. Item: Quæ regio oraue terrarum erat latior, in qua non regnum aliquod statuerent? quis autem rex erat, qui illo anno non, aut emendum sibi, quod non habebat, aut redimendum, quod habebat, arbitraretur? Et mox: Reges appellaret, reum capitalium condemnatos. Et pro Milone de Clodio: Eum, qui regna dedit, ademit. ut tolerabilius sit, inuidiam eum Cæsari etiam ex flagitiis Clodii, qui sit eius opera factus Tribunus, conflare uoluisse, sentire, quam, id quod uideo nimis facile etiam Egnatium credidisse, collegas in tribunatu Vatinium Clodiumq;. Appianus quidem autor est, non modo Cæsaris testimonio subleuatum Clodium in iudicio uiolatarum religionum, sed creatum etiam ab eo tribunum, ut Cice. consilia potentiæ paucorum aduersantis infringeret. ipse Cice. in oratione de prouinciis Coss. Traduxit, inquit, de Cæs. ad plebem inimicum meum. In huius loci sensu de donatis regnis, quum mihi inuentum referrem, comperi, scripta iam excusaq; etiam annotatione nostra, ab Egnatio diligentiam meam esse præuersam: neq; solum uideo, sed etiam plane gaudeo, quod imprudens in alienam sectam, docti præsertim hominis, opinionem incurrerim. ut hic noster labor si non inuentionis laudem, at certe confirmationis pondus sit habiturus. De ui, quod ait, ad M. Bibuli inclusionem cæterasq; iniurias pertinet, quæ in ipsa interrogatione Cice. acerbissime persequitur, aperteq; Cæsarem in aliqua re fuisse uiolentiorem dicit. {Item supra: Et, ne lege Sempronia succederetur, facile perfectum est} Non assentior Egnatio, ut Trebonia lege recipiam nanq; in Trebonia nominatim referebatur de Galliis Cæsari prorogandis: at in Sempronia quærebatur, quæ prouinciæ designandis consulibus anni eius darentur, quod in Cice. oratione aperte patet. nam ne hic quidem ita distinguitur, perfectum est lege Sempronia, ne succederetur: sed perfectum est, ne lege Sempronia succederetur. Verba pauca præter ea, quæ supra priusquam in Egnatii notam inciderem, rrā scripta sunt a nobis, apposui, ne sine (quod aiunt) teste, aut subscriptore agerem. At, inquit, qui duas Gallias decernit Coss. duobus, hos retinet ambos. qui autem alteram Galliam, & aut Syriam, aut Macedoniam, tamen alterum retinet, & in utriusq; part scelere disparem conditionem facit. Faciam, inquit, illas prætorias, & Pisoni, & Gabinio succedatur statim, si hic sinat. tum enim Tribunus intercedere poterit, nunc non potest. Itaq; ego idem, qui nunc consulibus iis, qui designati erunt, Syriam Macedoniamq; decerno, decernam easdem prætorias: ut, & prætores annuas prouincias habeant, & eos quamprimum uideamus, quos animo æquo uidere non possumus. sed mihi credite, nunquam succedetur illis, nisi quum ea lege referetur, qua intercedi de prouinciis non licebit. Et paulo post: Quamuis, qui consul Cal. Ian. habere prouinciam debet, is ut eam desponsam non decretam habere uideatur, fuerit toto in consulatu sine prouincia, cui fuerit, antequam designatus esset, prouincia decreta, &c. Ac, ut omnino diuersas fuisse leges doceam, Sempronia in senatu disceptata est, ut ex Cice. oratione discas: Trebonia apud populum, quod Plutarchus in Catonis uita ostendit. Deinde, inquit, quum de prouinciis exercituq; Cæsari prorogandis referretur, non amplius cum plebe egit Cato, sed ad ipsum Pompeium cōuersus, &c. Viaq; adducei queo, ut putē legis Semproniæ quæstionisq; illius Ciceronianæ de prouinciis Coss. tempore tribunum adhuc fuisse Trebonium, qui fuerit Pompeio Crassoq; Coss. At cum Philippum, cum nominatim appellando in illa oratione, consulē innuit: Tuus pater Philippe, inquit, nō uno tēpore cū suis inimicissimis redit in gratiā. {Nō potui magis in arcē illius causæ inuadere} Quid garrit interpres de suspicione Vettii illius in Cæsarē, Pompeiumq; armati? Ego de Pompeio quidē apud ipsum Ciceronē in oratione in Vatiniū legi, de Cæsare etiā apud Appianū, qui cum cōsul esset, quū Vettii indiciū patefactū est. At, quod nunc egisse Cice. se dicit de Campano agro, quatuor minimū post annos actum est, Cæsare in Gallia res gerente. Denique Vettii illud indiciū, exiliū Cice. præcessit, ut ei minime fuerit obliuione suorū temporū opus. {Sicut & meis tēporibus scimus} Catilinæ coniurationē aptius accepens, q̄ Vatinii, aut Clodii furores, ut interpres. {Sed attende, quæso, quæ sint consecuta. primū illa furta muliebriū religionū, qui non pluris fecerat Bonā deā, q̄ tris sorores, impunitatē sceleris eorū sententiis assecutus, qui, quū trib. pleb. pœnas a seditioso ciue per bonos uiros iudicio persequi uellet, exemplū præclarissimū in posterū uindicādæ seditionis de Rep. sustulerunt} Fuit, quū omnino ita legēdū cōtenderim: Primū ille fur muliebrium religionū, & reliqua: ut Sustulerunt uerbū sententiā clauderet, Mouebat, quod illa furta muliebrium religionū nō sunt Ci. exiliū cōsecuta, sed præcesserunt. ut diceret, Quū Clodius in iudiciū uocaretur, per Trib. pleb. quia Cice. seditiose, atq; armata (quod dicitur) manu in exiliū eiecisset, absolutū esse, aut certe iudicio subtractū. quod fere Plutarchi uerba ostēdere in uita Ci. uidebantur: Nec tamē, inquit, ob Cic. reditū sic fractus est Clodius, ut quiesceret. nā & postea Cic. armatis hominibus aggressus occidere tentauit, & in domū impetu facto, redemptoribus fugatis lapides, & columnas disiecit. cōtra Cice. ipse nequaquā segnis cū magna hominū manu in Capitolium profectus, tabulas a Clodio fixas, in quibus res gestæ tribunatus sui scriptæ erant, ui refixit, atq; perfregit. De quo quū in senatu accusaretur, quod tabulas publicas tribunitiasque priuata ui autoritateq; sustulisset, negauit Clodiū fuisse tribunū, quoniā plebeium magistratū patritio homini per leges habere fas nō esset. quæ sententia Catoni displicuit. Ille enim perniciosum quidē tribunū, cæterū tribunum censebat: alias nec professionē suā in Cyprum, nec cætera multa in Rep. gesta stare posse. Hinc sequuta est inter Catonē, & Cic. quædā offensio, non tamē quæ in apertam simultatē euaderet: sed quæ beneuolentiæ studiū significationēq; minueret. Sed quū iam Clodianæ cōtentiones longius procederent, ac multi, qui absenti Cic. fauerāt, reuerso præsentiq; inuiderent, ac ipse Clodius præturā peteret ad omnia perturbanda, tandē a Milone Cic. amico interfectus est. Hæc Plutarch. idēq; totidē pene in Catonis uita uerbis. Sed quū eā tamē nullā accusatu Clodii mentionē facerent, autoreq; certū desiderarē, nolui temere de recepta lectione, quæ tamē nullū fere haberet sensum, immutare. nec celaui tamē, ut signis essem, cui illa nō placeret, haberet aliā sententiā nostrā ueterē, quā sequeretur, cōfirmaturus præsertim boni cuiuspiā scriptoris autoritate tantū abest, ut eā penitus reiiciamus. De tribus sororibus Clodii notatū est a Beroaldo in cōmentariis Tranquillianis ex Plutarcho, locusq; hic ex parte illustratus. Seditionē quidē hanc plerique ad eā, qua sit a Cic. in exilium ire iussus Catilina, cæteriq; cōscii necati: referunt. At, si me sequare, ad Clodianā cōtra Cic. potius erit referendū, quā sententiā nostrā sancire uelut uidetur, quod supra scriptū est: Nā neq;, inquit, de monumentis meis ab his adiutus es, a quibus debuisti, neq; de ui nefaria, qua cū fratre eram domo expulsus. quasi tentatū sit iudicium de ui Clodio intēdere, in quo destitutus sit ab amicis Cic. nisi quod nō a Lentulo, sed a Trib. pleb. factū idipsum indicat. His adnotatis, cum animi angerer, nec mihi ipse satis facerē, incidi, aliud quærēs, in orationis pro Sestio uerba hæc, quæ significant a Milone tentatā Clodii accusationē de ui, a senatu tamē impeditā. Milo, inquit, & uidit & fecit, ut eius ea periretur, eum depelleret, altero uti uoluit, ut uirtus audaciam uinceret: altero usus necessario est, ne uirtus audacia uinceretur. Eadēq; ratio fuit P. Sestii, si minus in accusando (neq; .n. per oēs fuit idē necesse fieri) at certe in necessitate defensionis salutis suæ, præsidioq; cōtra uim & manū cōparato. Et infra: Ille, q monumēta publica, qui ædes sacras expugnauit, excidit, incendit, qui stipatus semper sicariis, septus armatis, munitus indicibus fuit, quorū hodie copia redundans uolitat ædibus, accusat eū, q aliqua parte furorē exultantē repressit. hic, qui est se tutatus sic, ut in priuata re deos penates suos in Rep. iura tribunatus auspiciaq; defenderet: accusare eū moderate, a quo ipse nefarie accusatur, per senatus autoritatē nō est situs. Et pro Milone: Ille, inqt de Clodio: erat ut odisset primū defensorē salutis meæ: deinde uexatorē furoris: domitorē armorū suorū: postremo etiā accusatorem suū. reus.n. Milonis lege Plotia fuit Clodius, quoad uixit. Et infra: Tamen se Milo cōtinuit, & P. Clodiū ad iudiciū bis, ad uim nūnquā uocauit. erat autē lex Plotia de ui. Cælius lib. VIII. M. Tuccium, inquit, accusatorē suū post ludos Ro. reum lege Plotia de ui fecit. {Quod mihi liceret: ut eadem causa & mihi utilis & cuiuis bono recta defendere} In eadem: probo, quod alii habent aut defenderem: etiā scribendum {Na tibi ego idem reponam: quum ueneris: tametsi possum uel absenti. recordare enim quibus laudationem ex ultimis terris miseris: nec hoc pertimueris} Reponam est, ut eam istamq; eandem molestiam reddam, rationis scilicet reddendæ, cur eos laudaris, quos ante odisses: nec inconstantiæ crimen pertimueris. in quo pueriliter delirat interpres ille Crescentinas. Ex ultimis uero terris, Hispaniam significat in qua eum imperio fuisse Lentulum ante hæc tempora, supra scripsit Cicero: Quum tu, inquit, Hispaniam citeriorem cum imperio obtineres, neque Respub. consules haberet, sed mercatores prouinciarum, Pisone scilicet & Gabinio Coss. Hi-

spaniam potius quam Ciliciam intelligendam, recordandi uerbum ad præterita pertinens, remotioraque, suadet, præter id quod ultimas terras dixit. Reponere idem significat Iuuenali: nunquam ne reponam Vexatus tot es rauci Theseide Codri? {Tametsi sine ulla mea contumelia suscepisset, tulissem} Tamen si, puto scribi oportere, ne sensus corruat. id enim spectat, Quamuis repensinam, quod extrinsecus intelligit. item supra: Quanquam ille perennis inimicus amicorum suorum, qui tuis maximis beneficiis ornatus, in te potissimum fractam illam & debilitatam uim suam contulit, nostram uicem ultus est ipse sese. Est enim ea conatus, quibus patefactis, nullam sibi in posterum non modo dignitatis, sed ne libertatis quidem partem reliquit. Quem sentiat, in difficili est. Clodium non arbitror, qui nec fuerit ornatus a Lentulo, quum in oratione pro Milone inimicum eum Clodio dicat Cicero: & multo ante sacrilegium illud notissimum perpetratum, ut stultissimum sit, illa huc, quod interpres fecit, inducere. At ne illa quidem, quæ putat Egnatius, incensam Catuli porticum, Milonis expugnatam. Q. q; etiam Ciceronis domum, appetitum M. Ciceronem, ad hunc locum ualde pertinent. Sed nimirum facilius est falsa refellere, quam uera inuenire. Videbis tamen lector, num Catonem illum tribunum, a quo tentatam Lentuli prouinciæ abrogationem superioribus literis apparuit forte intelligat: qui & quibus Lentuli beneficiis fuerit ornatus, & quos alios suos amicos læserit, quæq; scelera conatus sit, dicere pro certo nondum possumus. nisi forte idest, cuius uestigium apud autorem Liuiani compendii etiam num resideet, libro cv. Quum M. Catonis Trib. pleb. inquit, intercessionibus comitia tollerentur, senatus uestem mutauit. Neque uero hic est Cato Vticensis, qui Tribunus fuit Syllano & Murena Coss. ut ex Cicerone pro Sestio, Salustio, Plutarcho, cæteris constat, quinque minimum ante annis. quidam et C. prænomen tribunit Liuianam historiam confirmare uidetur Cicero ad Q. fratrem: Itaque Cato, inquit, concionatus est, se comitia haberi non siturum, si sibi cum populo dies essent exempti. Nam, nec alioqui Egnatii sententiam, ut de Fusio tribuno, ac uiolatæ religionis iudicio per anticipationem accipiatur, sat probo: lectionem ve, quam is nouam inuehit. {Quum etiam Cæsar, rebus maximis gestis, singularibus ornatus & nouis honoribus ac iudiciis senatus} Supplicationes intelligit, bone interpres, quas rebus Gallicis nuntiatis, ei decretas Plutarchus supra more ostendit. Hæc ubi senatui renuntiata sunt, inquit in Cæsaris uita, per sacrificia indictasq; solennitates quindecim dierum supplicatio, quantum uns in uictoria nec dum superiori tempore obtigerat, diis immortalibus decreta est. Nam prouinciæ quidem prorogationem apud plebem rogatione tribuni Trebonii impetrauit, eodem autore. De supplicationibus uero Cæsari nono numero dierum decretis a senatu, itemque honoribus aliis, Cicero in oratione de Prouinciis consularibus inquit: C. Cæsari supplicationes decreuistis numero, ut nemini ullo ex bello, honore, ut omnino nemine. Item: Supplicationem XV. dierum decreui sententia mea. Reipub. satis erat tot dierum, quot C. Mario. non erat exigua eadem diis immortalibus gratulatio, quæ maximis bellis. ergo ille cumulus dierum hominis est dignitati tributus. Et mox: An reditus in patriam habet aliquam offensionem? utrum apud populum, a quo missus est? an apud senatum, a quo ornatus est? Et infra: Ego nos intelligo P. C. multos decreuisse honores eximios C. Cæsari, & prope singulares, quod ita meritus erat gratis etiam, ut quam coniunctissimus huic ordini esset. Et mox: Vt C. Iulius omnibus a Senatu eximiis ac nouis rebus ornatus, &c. multisq; præterea locis, ubi non eadem modo sententia, sed uerbis propeiisdem de stipendio, de decem legatis, de supplicationibus decretis usum eũ uidemus, & in oratione in Pisonem, & pro Cor. Bal. & in epistola etiam supra pene proxima. {Nunc ab his, quibus tuendus fuerat, derelictus} Non intelligo Cæsarem aut Pompeium, ut interpres: sed eos, quos & ante ostendit, uel innuit potius, quum ait: Dignitatem quidem illam consularem fortis & constantis senatoris, nihil est quod cogitemus. amissa est culpa eorum, qui a senatu ordinem coniunctissimum & hominem clarissimum abalienanerunt. Vereor autem, ne Catonem forte Catonianosq; sentiat. eos certe, quicunq; tandem fuerint, ait inuidendo effecisse primum, ut Pompeius senatum derelinqueret: tum ut si quis causam senatus bonorumque susciperet, non tam bono Reipublicæ lætarentur, quam eum inimicum futurũ uiris improbis, audacibus tamen potentibusq; idq; non uultu solum ostendere, in quo fingere se causari possent, sed indiciis rebusq; ipsis apertissime ab eis patefactum esse, bonos uidelicet bonorumq; fautores damnando improbandoq;, perniciosos ciues fouendo absoluendoq; ut iam nihil aliud quærere uideantur, quã ne bonis aliis inter metum inuidiamq; ac discrimina magna uersantibus, ipsi in aliorum ruinis calamitatibusq; optimi ac sapientissimi existimentur. Quod & tempestate nostra sæpissime, mihiq; etiam ipsi (si parua licet componere magnis) non semel contigit. Itaque alio more uiuendum ait Cice. aliudq; iam uideri esse sapientis scilicet ita meminisse publicæ dignitatis, ut non obliuiscaris propriæ salutis: quum sit extremæ dementiæ (hoc enim illud ipsum est, qđ ingemiscit Sallust.) frustra niti: neque aliud fatigando, quam odiũ, quærere. Vt Catonem notari putem, facit, quod supra ex Plutarcho uidimus, simultatem inter eos ortam, propterea quod Cice. Clodianas Tribunitias tabulas refixisset. Vt non censeam, quod subiecit, ornatum a se Catonem contra Vatinii petitionem præturæ. Cæsarem quidem Pompeiumq; non innui, id argumento est, quod ait, ubi de reconciliatione paulopost agit cum Crasso. nam quum Pompeium & Cæsarem intercessisse ad reconciliationem eam dicat, quorundam tamen maleuolentiam taxat, deq; eis ait: Quidam homines, & iidem illi, quos sæpe nutu significationeq; appello: ad hunc scilicet superioresq; quosdam eiusdem occultæ sententiæ locos respiciens. {Sese, si licitum esset legem Curiatam ferre, sortiturum esse cũ collega prouinciam: si Curiata lex non esset, separaturum esse cum collega} Probo, se pacturum, quod & interpres. Licitum esset uero idest si potuisset, si non esset impeditus. id enim significat licere, nõ quod per leges tantum, sed per homines quoque, atque alia impedimenta facere non uetere. Curiata lex non est hoc loco certa quædam lex, quæ uniuersam istam in prouinciam succedendi rationem complecteretur, ut sentit interpres: nec quæ esset multo ante generalis (ut nostrati uerbo utar) constituta: uerum moris fuit, prouincias lege Curiata sortiri idest Curiatis comitiis de sortitione prouinciarum singularum ferri. Leges enim etiam singularia decreta scitaque appellauere. Id animaduerti nuper placuisse ante nos, ac latius disputatum Egnatio: ut & fere quod sequitur. {Legem Curiatam consuli ferre opus esse, necesse non esse} Vide, ne desit sibi: ut sit, Sibi necesse non esse. Quasi dicat, quamuis consules in prouincias ire, nisi sortitis eis lege curiata, non possint soleantve, sibi tamen, quod iam decretam senatusconsulto prouinciam haberet, non esse necesse sortiri. {Lege Corn. imperium habiturum, quoad in urbem introisset} Non dubito, quin Quoad scribi oporteat, hoc sensu: Postquam exisset urbem, continuo cum imperio futurum, donec in urbem reuerteretur. Id enim lege Corn. Cautum esse, ut, quum primum urbe egressus esset is, cui prouincia decreta esset, imperiũ quoad in urbem repedasset, obtineret. Non, ut somniauit Vbertinus iste. Subieci appositissima iurisconsultorum uerba, quod Egnatiũ quoque hic tantum addubitantem intueor. Vlpianus in Pandectis Iustiniani, quo loco de Proconsulis officio pertractatur. Proconsul ubique quidem proconsularia, inquit, insignia habet, statim atq; urbem egressus est potestatem autem non exercet, nisi in ea prouincia sola, quæ ei decreta est. Martianus addit: Omnes proconsules statim, quum urbem egressi fuerint, habent iurisdictionem, non contentiosam, sed uoluntariam: ut ecce manumitti apud eum possunt tam liberi quam serui, & adoptiones fieri. Apud legatum uero proconsulis nemo manumittere potest, quia non habet iurisdictionem talem. Idem Vulpianus, Proconsul portam, inquit, Romæ ingressus deponit imperium. Ac tametsi legis Corneliæ non meminerint, nõ absurde tamen eam accipies, de qua Cice. infra ad Appium: Sed eo, inquit, discessisti, quo ego te ne persequi quidem possem triginta diebus, qui tibi ad decedendum lege, ut opinor, Cornelia constituti essent. Item: Censui sumptus legatis quam maxime ad legẽ Corn. decernendos. Meminit, opinor, & pro Rabirio, & Plutarch. in Sylla, quam de gubernatione ciuitatum uocat, ob seditionem Puteolanam latam. Nam & paulopost. {Quoad sine lege curiata tibi succedatur} Legi malim quam Quod. Item. {Et quid sentiam ostendere, & quid feceris defendere} Latina honesta propria loquutio, quod feceris, non, quid. error tamen idem aut longe tepetitus. {Facilitate autem, quid uellem, cõsequi potuisses} Quod enim scribi debuit.

QVanquam ille perennis inimicus amicorum suorum, nostram uicem ultus est ipse sese} Astipulatur nobis Cicero ad Atticum significat enim accusatum Catonẽ hunc. Ad tertium, inquit, Non. Quintil. Suffenas & Cato absoluti, Procilius condemnatus. Ex quo intellectum est, tres Areopagitas ambitum, comitia, inter regnum, maiestatem, totam denique Rempub. flocci non facere. Et proxima epistola: De C. Catone, lege Iunia & Licinia scis absolutum. Fusia ego tibi nuntio absolutum iri, neque patronis suis tam libentibus, quam accusatoribus. Is tamen & mecum & cum Milone in gratiam redit Et sequenti: Catone, inquit, præsertim absoluto. Et ad Q. fratrem: Vt etiam Catonis rogationibus de Milone & Lentulo resistamus. Quæ autem hoc loco ad finem priore nostra editione notata sunt, de Egnatii sententia non probanda, errore operarii e suo loco remota huc immigrarunt, subscribi ea uolumus ei loco, qui est de fure muliebrium religionum, in hæc uerba: Primum ille fur muliebrium religionum, qui non pluris fecerat Bonam deam, quam tres sorores, impunitatem scelerum sententiis eorum assequutus, qui quum Trib. pleb. pœnas a seditioso ciue per bonos uiros iudicio persequi uellet, exemplum præclarissimum in posterum uindicandæ seditionis de Rep. sustulerunt. Cuius nostrum sensum fulcimus ipsius Ciceronis autori. ad Atti. libro iiii. epist. III. ubi enumeratis Clodii multis in se suosq; audaciis atq; sceleribus, subiicit: Ille, omnium uocibus quũ se nõ ad iudicium, sed ad supplicium præsens trudi uideret, omnes Catilinas Sicinios q; postea reddedit. Et in eadem: Publium reum, nisi ante occisus erit a Milone, fore puto. Et ad Qu. fratrem: Multa feci uerba de toto furore latrocinioque Pu. Clodii eum tanquam reum accusaui, multis & secundis admurmurationibus cuncti

Ea poste. eiusdem.

senatus

senatus. ubi multa agitata in senatu, de iudicio uiolatæ religionis in Clodium constituendo. {Neque Hercule in iis ipsis rebus, quæ quanquam erant mihi propter rei familiaris naufragia necessariæ, tamen a me minimi putabantur, in meis damnis ex autoritate senatus resarciendis} Ad Atticum: Deinde, inquit, Coss. porticum Catuli restituendam locarunt, illam porticum redemptores statim sunt demoliti libentissimis omnibus nobis superficiem ædiũ Coss. de consilii sententia æstimarunt sestertium uicies. cætera in re ualde illiberaliter. Thusculanam uillam quingentis millibus, Formianum sestertiis ducentis quinquaginta millibus: quæ æstimatio non modo uehementer ab optimo quoq;, sed etiam a plebe reprehenditur. Dices, quid igitur causæ fuit? Dicunt illi quidem, pudorẽ meũ, quod neq; negarim, neq; uehementius postularim. Sed non est id. nam hoc quidem etiam profuisset. Verum iidẽ, mi T. Pomponi, iidẽ inquam illi, quos ne tu quidem ignoras, qui mihi pennas inciderũt, nolunt easdem renasci. Et alia epistola: Nam Milonis domũ; meãq; in Ceramio pridie Idus Nouembris expugnare & incendere conatus est, ut palam hora quinta cum scutis homines eductis gladiis, alios cum accensis facibus adduxerit. Et aliquanto post: Proposita Marcellini sententia, quam ille de scripto ita dixerat, ut totã nostrã causam areæ, incendiorum, periculi mei iudicio cõplecteretur, eaq; omnia comitiis anteferret, proscripsit, se per omnes dies comitiales de coelo seruaturum. quod. {iudicium illud est, quod a senatu impeditum conqueritur. {De ui, de auspiciis, de donatione regnorum} Idem ad Atticum: Festiue, mihi crede, & minore sonitu, quam putaram, orbis hic in Rep. est conuersus: citius omnino quam potuit. id culpa Catonis. sed rursus improbitate istorum, qui auspicia, qui Aeliam legem, qui Iuniam & Liciniam, qui Cæliam & Didiam neglexerunt, qui omnia remedia Reip. effuderunt, qui regna, qui prædia Tetrarchis, qui immanes pecunias paucis dederunt. Nondum enim arbitror eadem hæc a Pisone & Gabinio Clodioque admissa, sed de Cæsare & Vatinio loqui. {Sese, si licitum esset legem Curiatam ferre, sortiturum cum collega.} Cicero in eisdem illis ad Atticũ epistolis, quibus nihil similius huic operi inuenias: Appius, inquit sine lege, suo sumptu in Ciliciam cogitat.

DOCTI CIVS. ILle peremtis inimicus} Clodium significare uidetur, qui pestis & uenenum optimi cuiusq; fuit eum Cicero subinde in orationibus conuiciis premit. {Cum Appio esse in gratia} Appius fuit Pulcher cognominatus, de quo Plutarchus multa scribit Cum hoc Cicero simultatem olim habuit, a quo tamen placatus, in gratiam redut. {Domo expulsus} Cicero in orationibus pro Milone, in Pisonẽ & aliis, commemorat se cum fratre armata manu Clodii deiectum esse. de quo lege Plutarchum in eius uita {Arcem illius causæ inuadere} Illustri usus metaphora, significat se causæ summam & statũ impugnasse. Hoc opinor Fabius dicit in suis Institutionibus Rhetor. cardinem rei. {Stomachum facerent.} Facere stomachum eadem fere metaphora & figura prouerbiali dicimus, qua mouere bilem: hoc est, ad iram, ad furorem & insaniam aliquem concitare. {Quales in Rep.} Similis sententia apud Herodianum, a Politiano sic reddita: Solent enim plerique homines uitam principis æmulari. Porro principes non intelligit, quos uulgus habet imperatores, sed qui dignitate & potentia aliis antecellunt. {Desipiẽtem senectute} Atheniensium Reip. administratio incumbebat in eos, qui longa senectute insignes erant, quales fuerunt Areopagitæ, qui sicarios iudicare, & ipsam Rempu. grauissime administrare consueuerunt. Plura Budæus in Pandect. {Huc accessit} Oratione pro M. Marcello Cicero mirifice laudat clementiam & liberalitatem Cæsaris, a quo, cum ante in acie Pharsalica cecidisset Pompeius, & uniuersus senatus urbe cessisset, ipse tamen Cicero in urbem est reuocatus.

PHILE. MELA. PErucundæ mihi fuerunt} Epistola est amplissima & rebus & uerbis. Status epistolæ est: Remitto aliquid de libertate, sed ita tamen, ut hoc ipsum putem expedire Reipublicæ. Ratio huius remissionis est. Maior, Non semper idem sentiendum est, sed flectenda sententia ad utilitatem Reipublicæ, & propriam salutem. Minor: Ego non potui sine periculo salutis & famæ retinere libertatem, quia fui initio liber in loquendo, sed postea Pompeius de me questus est. Item: Nihil proficerem, quia solus pugnarem frustra postquam consensus bonorum dissiluit, me nemo adiuuat, mihi inuiderunt statim in reditu. In minore maxima pars epistolæ consumitur. Item: Principes illi sunt tolerabiles, & coniunctio eorum proderit Reipu. Conclusio: Ergo concedendum est mihi, si aliquantulum de libertate remitto. Est autem epistola generis deliberatiui, uel iudicialis: Honestum ne sit aliquid remittere de libertate dicendi in Repu. } Periucundæ mihi fuerunt, &c.} Exordium a commemoratione officii sui, quantum debeat Lentulo. ac sequitur comparatio: Si præsens affuisses, maiorem fructum cepisses. {In eis uero ulciscẽdis} Clodium & Clodianos intelligit. {Certiorem te per literas} Narratio, in qua ponitur propositio: Non tam acriter pugno, quam antea solebam. {Ego me Lentule, &c.} Causa consilii: Quia in Repub. non potuit obtinere, quod decuit, tenuit igitur pro opportunitate temporum quod potuit: seruiuit tempori. Videndum est enim cuilibet, quid obtinere possit. Et addit rationem, &c. {Ex autoritate senatus} Quia reuersus Cicero ab exilio, petiit ut ædes, quæ a Clodio erant demolitæ, rursus ædificarentur. {In omnibus meis sententiis} Ego dicebam liberas sententias, non attendens Pompeium offendi Et est adhuc illa pars minoris, quod Pompeius de eo sit questus. {Ego sedente Cn. Pompeio, &c.} Narratio, quæ res offenderit Cæsarem & Pompeium, uidelicet de agro Campano. {In arcem illius causæ} Hoc est, dixi illa quæ maxime erant dicenda in ea causa. {Hæc cum ad me frater pertulisset} Conclusio illius periculi: [illegible] ciendum mihi fuit, ut uiderer etiam gratus Pompeio. Itaq; ali[illegible] remisi, Pompeii causa. {Cum ipsa quasi Republi. collocutus} Prosopopœia, quæ reddit totam rem illustriorem. {Ego si [illegible] probis} Ratio, quare cedat Pompeio & Cæsari: quia medic[illegible] tus ferendus est. {Quales in Repub principes} Eaden[illegible] est in Philoctete Sophoclis, [illegible] . Et Claudianus inquit: Regis ad exemplum totus compon[illegible] bis. {Tenebam memoria nobis} Antithesis: Illa forma Rei[illegible] se constituta, mutata est. Isocrates ad Nicoclem, ὅτι τὸ [illegible] ἦθος ὁμοιοῦται τοῖς ἄρχουσιν. {Sed attende quæso} Hæc omnia eo pertinent, quod dicit. Consensus senatus est dissolutus: multa fiunt iam impune. {Illa furta} Intelligit furtiuum ingressum P. Clodii in sacellum Bonæ deæ, in quod alioqui solis matronis ingredi licebat, {Eorum sententiis} Pompeii uidelicet, & similium. {M. illum Scaurum} Quia M. Scaurus iurauit in legem perniciosam. {Tabellaque docuerunt} id est, in suffragiis scriptis in tabella. Inde lex Tabellaria, quæ significabatur in tabula. {Nam de Appio quod scribis} Alia causa, continens excusationem, quare defenderit Vatinium inimicum, uidelicet odio Clodii, in gratiam Cæsaris. {Ego cum mihi cum illo, &c.} Alia causa, quod in Pompeii gratiam reconciliatus sit Crasso. {Sed cum inclusum illud odium} Format enim natura prius nos intus, ad omnem fortunarum habitum. {Quamobrem eius causam} Epilogus, continens breuem repetitionem eorũ, quæ hactenus commemorata sunt. {Neque permanendum in una sententia} Locus communis, excusatio inconstantiæ. {Quamobrem ut paulo antea posui} Epilogus, repetens breuiter causas, quibus moueatur ad conciliandam gratiam Cæsaris. {Q. frater meus legatus est Cæsaris} Legatus non semper significat nuntium, sed [illegible] plurimum in Cicerone uicarium, quem & [illegible] Locumtenentem uocant: quia proconsules Romæ poterant [illegible] suos creare legatos. Ita Q. Cicero fuit legatus Cæsaris in [illegible] id est, habe[illegible] quam prouinciam, aliquas copias quas gubernaret. {Præsidii} Ingenii uidelicet, & diligentiæ. {Apertum & simplicem} Simplex non significat stultum, sed rectum ingenium; & est contrarium peruerso & fucato. Et ita debent esse heroum ingenia: sicut etiam sunt Leones, qui nihil fucate, sed omnia aperte agunt. {Sed quocunque tempore} Apostrophe ad Lentulum, in qua sua illi officia defert. {Quod rogas, ut mea tibi scripta} Cicero scripsit tres libros Carminum de suo consulatu, sed eos non edidit: de quibus, & item de aliis suis scriptis hic Lentulo scribit. {Sed quia uerebar} Ideo non edidi, quia uerebar non inimicos quos perstrinxi, sed uerebar ne bene meriti a me præteriti offenderentur. {Quæ ad me de tuis rebus} De rebus domesticis Lentuli, & aliis leuioribus negociis. {Lege Curiata} scilicet de prouinciis. {Prouinciam habere} Aliud est imperium habere, aliud habere prouinciam. Habere prouinciam, est tantum præesse prouinciæ. Habere imperium, est habere ius etiam conscribendi exercitus. {Literas de publicanis} Publicani fuerunt apud Romanos, equites, & nobiles uiri.

ARGVMENTVM.

Quia Valerium, qui in Cilicia se iurisconsultum dictitabat, iurisconsultum salutauit, carpens tacite eundem ob arrogantiam, dicit se hoc illi gratificari, id est eo ut gratum faceret scribere, non pro merito, sed audacia illius. deinde monet in urbem reuertatur, non in Apuliam patriam suam, quo si redierit, a nemine suorum agnoscetur: quod & Vlyssi accidit, quia a Telegono filio per imprudentiam est occisus.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Iocus quidem in Valerium, sed urbanus, quique aculeum in animo Valerii relinquat. sed iis tamen figuratus ab aliorum testimonio, ne nouas causas contumeliæ excitet.

M. T. C. VALERIO * IVRISCONSVLTO. S. P. D. 12

Cur enim tibi hoc non gratificer, nescio præsertim cum his temporibus audacia pro sapientia liceat uti. Lentulo nostro egi per literas tuo nomine gratias diligenter. Sed tu uelim desinas iam non

ſtris literis uti, & nos aliquando reuiſas: & ibi malis eſſe, ubi ali quo numeroſis, quam iſtic, ubi ſolus ſapere uideare. Quanquam qui iſtinc nunc ueniunt, partim te ſuperbum eſſe dicunt, quod nihil reſpondeas, partim contumelioſum, quod male reſpondeas. Sed iam cupio tecum coram iocari. Quare fac, ut quamprimum uenias, neque in* Apuliam tuam *accedas, ut poſsimus ſaluum te ueniſſe gaudere. Nam illo ſi ueneris, *tanquam Vlyſſes cognoſces tuorum neminem. Vale.

*Vide Stra. li. 6. *alias cōcedas. *uerba ex Plauto ſūpta.

ASCENSIVS.

CVt enim &c.} Ex hac epiſtola potisſimum conuincitur ſalutationem eſſe de integritate epiſtolæ, ad eam enim reſpicit principium eius. Nam quia Valerium quendam arrogantem hominem per iocum dixerat iuriſconſultū ſalutando ſic. Valerio Iuriſconſulto addit q.d. dixi Iuriſconſulto. neſcio enim, cur non gratificer idest in gratiam tuam faciam, aut dicam hoc. i. te iuriſconſultum ſaltem, præſertim cum liceat uti hic temporibus. i. tam corruptis. audacia pro ſapientia. Ego egi diligenter Lentulo noſtro. ſ. amico, gratias. tuo nomine. i. pro te per literas. ſed uelim ut ſup. tu deſinas iam uti literis noſtris, & reuiſas. i. iterum uiſum uenias nos, aliquando. i. tandem, & malis eſſe ibi. ſ. Romæ, ubi ſit aliquo numero. i. precio, quia homines nihili non numerantur, q̄ iſtic. ſ. in prouincia, ubi nunc es ubi uideare ſolus ſapere, quanquā. i. tametſi ſup. iis qui ueniunt iſtinc. i. ab eo loco, ubi es, dicunt partim te eſſe ſuperbum, q nihil reſpondeas, partim contumelioſum. i. inferre multas contumelias, q reſpondeas male. Sed ego cupio iam iocari tecum coram. ſ. in præſentia. quare fac, ut uenias quamprimum. i. ualde cito, neq; accedas in Appuliam tuam. ſ. patriam, ut poſsimus gaudere te ueniſſe ſaluum. Nam ſi ueneris illo. i. in Apuliam. neminem tuorum cognoſces, tanquam. ſ. eſſes Vlyſſes, qui poſt decennale bellum, & plurium annorum errorē ad ſuos reuerſus, & a nemine agnitus, tandem a Telegono filio eſt interfectus. Dixi plurimum annorum errorem. Nam ſi Telegonum, a quo interfectus eſt, ex Circe ſuſtulerat: neceſſe eſt plus quam decem annorum illi demus errorem, aut dicamus longe poſt reditum ab illo interfectum. Licet autem a nemine eſt cognitus, neminemq; cognoſceret, canes tamen, teſte Home. caudarum adulatione aduentū domini exceperunt, quos longæuos fuiſſe neceſſe eſt, ſi dominū agnouerunt.

VICTORIVS.

CVr enim tibi hoc n. g. n.} Iam accurate olim de hac re diſputauimus, totq; argumentis ſententiam noſtram confirmauimus, ut nihil nunc addere poſsimus, neq; etiam neceſſarium eſſe exiſtimemus. Nam quod putant nonnulli, ſe exemplis ſuis (quibus declararunt aliarum quoq; epiſtolarum initia ex titulis pendere) quod uolunt comprobaſſe, nullam uim habet: neq; enim nos id negamus, ſed quod tunc docuimus, ſententiam illam frigidam eſſe arbitramur. nunquam autem nobis obſcurum fuit, quoſdam ſenſus in principiis epiſtolarum ex titulis pendere, uam ille etiam huiuſmodi eſt.

CVRIVS M. CICERONI SVO SAL.

S. V. B. ſum enim χρίσει μεὸ tuus: κ α'τεσδι Attici noſtri. Illud deniq; ſuſpicionem nobis hanc mouit, q totam epiſtolam ante ad exitum perueniſſe uidemus, q̄ aliquid epiſtola dignum in ea expoſitū ſit. Aliud deniq; eſt, quod hic deſideramus, & quod facit, ut nō paruam partem ipſius amiſſam eſſe credamus.

PAVL. MAN.

CVr enim tibi hoc non gratificer, neſcio} Senſus horum uerborum ex titulo pendet, cum enim ita inſcripſit, VALERIO IVRISCONSVLTO, ſubiungit, nam cur te iuriſconſultum non appellem, neſcio, etiam ſi iuriſconſultus ualde non ſis iocans uidelicet cum eo familiarius, quod etiam in reliqua epiſtola facit. & libro tertio XXXI. ad Appium ſcribens, L. Valerium, inquit, iuriſconſultum ualde tibi commendo, ſed ita etiam, ſi non eſt iuriſconſultus. Quoniam autem ſunt, qui huius epiſtolæ initium deſiderari potius, quam eſſe hoc, quod legitur, exiſtiment, aliud huic ſimile Ciceronis exemplum ex epiſtolis ad Atticū ſcriptis afferemus. ita igitur lib. III. X. L V I. M. T. C. S. D. Q. CAECILIO Q. F. POMPONIANO ATTICO Quod quidem ita eſſe, & auunculum tuum functum eſſe officio, uehementisſime probo. Quorum uerborum ſenſum hic quoq; ex titulo repetiti nemini eſt obſcurum: dicit enim ſe probare ita eſſe, idest, eum ab auunculo adoptatum, & hæredem factum, appellari non, ut antea, T. Pomponium Atticum, ſed (ut in adoptionibus fieri ſolebat, in quibus eius, qui adoptabat, & prænomen, & nomen, & cognomen, & aliquando etiam agnomen ii, qui adoptabantur, ſumebant nomen, quod ante habuerant, deriuantes, ut in anum deſineret: cognomen tamen ſuum, ut antea fuerat, retinebant: ſed poſt eius cognomen ponebant, qui adoptarat, ſi modo id ille habuiſſet) Q. Cæcilium Q. F. Pomponianum Atticum: ut nemo iam de epiſtola ad Valerium dubitare poſſit. {Partim te ſuperbum eſſe dicunt, quod nihil reſpondeas, partim contumelioſum, quod male reſpondeas} Iocus eſt in his uerbis & abſtruſus, & elegans: uult enim innuere, ideo nihil eum reſpondere, non quod ſuperbus ſit, ſed quod aut eū nemo conſulat, cum homines bonum iuriſconſultum non exiſtiment: aut ſi quis conſulat, nullum auferat reſponſum ob eius ignorantiam: ideo autem male reſpondere, non quod cōtumelioſus, ſed quod imperitus, & indoctus.

BAPT. EGNA.

CVr enim tibi hoc non gratificer. Valerium iuriſconſultum irridens, hortatur ad domum reuiſendam, & ſuos: ne ſolus ſibi eſſe uelit, ubi ſapiens inter inſipientes uideatur. Futurum autem id plane teſtatur, ut cum domum reuiſerit propter tam longam abſentiam agnoſcat neminem. Nihil reſpondeas. Hoc peculiare iuriſconſultorum eſt uerbum, ut dicantur iis reſpondere, qui eos conſuluerint, deeſt illud apud Pomponiū de origine iuris, quod ante tempora Auguſti ius non dabatur a principibus publice reſpondendi, ſed qui fiduciam ſtudiorum ſuorum habebant, conſulentibus reſpondebant, neq; reſponſa utiq; ſignata dabant, ſed plerūq; iudicibus ipſis ſcribebant. primus hoc Auguſtus cauit, ut ex autoritate ſua reſponderent, quo maior iuri autoritas accederet. ſed Adrianus Imperator, cum uiri prætorii peterent, ut ſibi liceret reſpondere, reſcripſit, Hoc non peti, ſed præſtari ſolere. & ideo ſiquis fiduciā ſui haberet, non ſe id prohibiturum, quo minus populo reſponderet. Conceſſum hoc eſt Maſſurio deniq; Sabino a Tiberio principe, qui grandis natu, quinquagenarius uidelicet, in equeſtrem ordinem receptus eſt, propter ſcientiæ opinionem.

SEBAS. CORR.

L. Valerio Iuriſconſulto} Epiſtola prima lib. III. {Gratificer} ut te iuriſconſultum appellem. {Reſpondeas} conſulas, uel des conſilium, dicerent noſtrates iuriſconſulti. {Poſsimus ſaluum te ueniſſe gaudere} Verba ex Comicis, præſertim ex Plauto ſumpta. {Tanquā Vlyſſes, cognoſces tuorum neminem} ille quidem ſimulatione utēs, ſed tu ſuperbe deſpiciēs. Sed nec Vlyſſes primo patriā recognouit.

BERN. RVTI.

NEq; in Apuliam tuam accedas, ut poſsimus ſaluum te ueniſſe gaudere: nam, illo ſi ueneris, tanquam Vlyſſes, cognoſces tuorum neminem} Arrogantiam Valerii per iocum pungit, hoc enim dici arbitror: Tam te iſta tua iuris prudētia diuturniorq; peregrinatio ſuperbum reddidit, ut ſi in Apuliam ueneris, ullum ex amicis tuis dedigneris agnoſcere: ut nemo gratulaturus tibi ſit ſoſpitem aduentum tuum. Alioqui ſuos agnouit Vlyſſes, incognitus eis ipſe. ſimulauit tamen neminem agnoſcere, ita ut bubulcum, paſtorem ſuum, filium, uxorem, patremq; etiam aliquandiu ludificatus ſit, autor Homerus.

PHIL. MEL.

CVr enim tibi hoc non gratificer} Hæc epiſtola eſt reſponſio, & adhortatio, ut redeat in urbem, & nihil habet difficultatis. {Nihil reſpondeas} Scilicet de iure.

EPISTOLARVM FAMILIARIVM PRIMI LIBRI FINIS.

MARCI TVLLII CICERONIS

EPISTOLARVM FAMILIARIVM,

LIBER SECVNDVS.

ARGVMENTVM.

Hæc Epistola prima secundi libri scribitur ad Curionem adolescentem, de quo magna spes habebatur. Nam ad eloquentiam uidebatur natus, & patrē, & auum oratores optimos ex æqua re, quem uenali lingua Lucanus scripsit, quod cum Cæsari aduersaretur postea corruptus eiusdem pecunia, eius factus sit defensor, sæua quidem mercede, nam cum in initio belli ciuilis ad Cæsarem confugisset, pro eodem paulo post in Africa cum exercitu occisus est. Nunc autem ad eum scribit Cicero cum adhuc in Africa magistratum gereret, longe ante bellum ciuile, respondens accusatoriæ epistolæ, qua Ciceronem tarditatis in scribendo accusarat, significans accusationem illam ex amore profectam, tametsi immeritam, non ingratam esse: deinde ad uirtutem incendit adolescentem.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Duas partes habet hæc epistola: Prior excusationem, mistam officii commendatione, proponit: posterior adhortationem, ad gloriā, & laudē subiicit.

M. T. C. C. CVRIONI. S. P. D. 1

QVANQVAM Me nomine negligentiæ suspectum tibi esse doleo: tamen non tam mihi molestum fuit, accusari abs te officium meum, quam iucundum requiri: præsertim cum, in quo accusabar, culpa uacarem: in quo autem desiderare te significabas meas literas, præ te ferres perspectum mihi quidem, sed tamen dulcem & optatum amorem tuum. equidem neminem prætermisi, quē quidem ad te peruenturum putarem, cui literas non dederim: etenim* quis est tam in scribendo impiger, quam ego? à te uero bis, ter'ue ad summum, & eas perbreues accepi. quare si iniquus es in me iudex: condemnabo eodem ego te crimine: sin me id facere noles: te mihi æquum præbere debebis. sed de literis hactenus: non enim uereor, ne non scribendo te expleam: præsertim si in eo genere studium meum non aspernabere. Ego te abfuisse tandiu a nobis, & doleo, quod carui fructu iucundissimæ consuetudinis tuæ: & lætor, quod absens omnia cum maxima dignitate es consecutus: quodq; in omnibus tuis rebus, meis optatis fortuna* respondet, breue est, quod me tibi præcipere meus incredibilis in te amor cogit. tanta est expectatio uel animi uel ingenii tui, ut ego te obsecrare, obtestariq; non dubitem, sic ad nos* confirmatus reuertare, ut quam expectationem tui concitasti, hanc sustinere, ac tueri possis. & quoniam meam tuorum erga me meritorum: memoriam nulla unquam, delebit obliuio: te rogo, ut memineris quantæcūque tibi accesiones fient & fortunæ, & dignitatis eas te non potuisse consequi, nisi meis puer olim fidelissimis atque amantissimis consiliis paruisses. quare hoc animo in nos esse debebis, ut ætas nostra iam ingrauescens, in amore, atque in adolescentia conquiescat tua. Vale.

[*dicat quis est tam scribendo.] [*i. respondit.] [*i. confirmatus.]

[ASCENSIVS.] QVANquam me nomine negligentiæ, &c. Hæc epistola prima secundi huius libri, ut multæ aliæ scribitur ad Curionem adolescentem magnæ spei, nam ad eloquentiam uidebatur natus, & patrem, atq; auū oratores præclaros æquaturus, quem tamen uenali lingua Lucanus cecinit, quod cum in tribunatu, quem gessit in principio dissensionis Cæsaris, & Pompeii a senatu, grauis esset Cæsaris oppugnator, postea in principio belli ciuilis, quod contra Pompeium suscepit, grandi pecunia corruptus, eiusdem factus est defensor. sæua quidem mercede, nam in Africa ad Bragadam contra Varū, & Iubam tanquam imperator pugnans pro Cæsare, cecidit, eiusq; caput ad Iubam allatum est. Nūc autem ad eum scribit Cicero cū adhuc quæsturam in Asia gereret longe ante bellum ciuile respondens epistolæ, quæ tarditatis arguerat, significansq; illam accusationem sibi non molestam, eo quod ex amore, sit profecta, tametsi immeritā. Deinde ad uirtutem cohortatur. Ordo est, Quanquam: idest tametsi o Curio ego doleo me esse suspectum tibi, nomine: idest ratione, aut prætextu negligentiæ, quia non scripserim ad te, tamen nō tam, idest non tantopere molestum fuit mihi Officium meum accusari. i. culpari nomine negligentiæ abs te, quam. i. quantum, aut quā to periucundum fuit sup. officium meum requiri. i. exigi abs te, præsertim quod uacarem. i. uacuus essem. cu pa sup. eius aut in eo, quo accusabar. Autem, idest sed in quo, idest in eo, quod significas te desiderare literas meas, præ te fers, idest indiciis manifestis ostendis, amorem tuum sup. in me. quidem, idest certe, perspectum, idest agnitum mihi, sed tamen, idest nihilominus, dulcem, & optatum Equidem, idest certe, aut ego quidem, idest certe neminem prætermisi, quidem idest ne mentiar, dico neminem, quem putarem peruenturum ad te. Cui non dederim literas Etenim, idest nam certe, quis est tam impiger: idest diligens in scribendo quam. i. quantum Ego sup. sum? quasi dicat nemo, aut perquam rarus. Vero, idest sed ego accepi supple literas a te bis. ue pro uel. ter ad summum: idest ut plurimum, & eas perbreues: idest ualde breues. Quare: idest quamobrē, si tu es iniquus iudex in me, condemnando scilicet me tarditatis, ego condemnabo te eodem crimine: sin, idest sed si, tu noles me id facere, tu debebis præbere mihi te æquum scilicet iudicem. Sed hactenus supple scripsi de literis quasi dicat confidenter. Non enim uereor ne non, idest ut non expleam, idest satiem te scribendo. Notum est cum uerbis timendi & uerendi idem efficere affirmationem & negationē, ut uereor ne facias, & ut facias, caue facias, caue ut facias, idē sunt & hic, uereor ne nō & ut, idē sibi uolūt, præsertim si nō aspernabere studium, idest diligens obsequium, meum, in eo genere, scilicet scribendi amico. Ego, & idest simul doleo te abfuisse tandiu a nobis, quod, idest quia, carui fructu: idest uoluptate, iucundissimæ consuetudinis: idest conuersationis tecum, & idest simul, lætor, quod tu absens consecutus es omnia scilicet expectanda cū maxima dignitate, quodq;: idest & quod fortuna respondet meis optatis: idest uotis, in omnibus rebus tuis. Breue est quod incredibilis amor meus in te, cogit me præcipere tibi. Tāta expectatio est uel animi: idest uoluntatis, uel ingenii tui: idest intellectus & industriæ tuæ, ut ego non dubitem obsecrare: idest per sacra, utpote per amicitiam rogare, & obtestari: idest fidem deorum, & tuam obtestando postulare: sup. ut reuertare. i. reuertaris ad nos confirmatus sic: ut possis sustinere: idest exhibere, & tueri: idest protegere, hanc expectationem tui: quam excitasti: idest ut tantus redeas, quantum te rediturum indoles tua, & coepta studia pollicentur Et quoniam nulla obliuio delebit unquam memoriam tuorum meritorum erga me, rogo te, ut memineris quantæcunque accessiones: idest quantacunq; incrementa & fortunæ, & dignitatis fient tibi, te non potuisse consequi eas scilicet accessiones, nisi tu puer. idest cum esses adhuc puer, paruisses: idest obediuisses olim, consiliis meis fidelissimis atque amantissimis, idest ob amorem tui datis. Quare tu debebis esse in: idest erga nos hoc: idest huiusmodi animo: ut ætas nostra iam ingrauescens conquiescat in amore, atq; adolescentia tua. Nihil enim iucundius est senibus, ac uidere adolescentes, qui opti-

me uolunt uirtuti incumbere.

VICTORIVS. Etenim quis est tam in scribendo impiger, quàm ego? a te uero bis terve ad summum} Veteres codices ambas has dictiones {SCRIBENDO} & {SVMMVM} sine præpositionibus habent, ut etiam ad Appium, Cùm uereret negligens scribendo fuisse uidear. {Summum} sæpe inuenias aduerbialiter sine præpositione, ut in epistola ad Mescinium in bonis codicibus, Excepto uno, aut summum altero. Ad Atticum lib. XII. etiam in uulgatis recte, Scies igitur fortasse cras, summum perêdie. Itê li. XIII. Expectabam hodie: aut summum cras ab eo tabellarios.

Ex post. Eiusdem. QVODQVE in omnibus tuis rebus} Sunt qui existiment se solos hunc locum recte distinxisse, qui uereor ne decepti sint, ego enim sensum, qui ea priore interpunctione eliciebatur, ueriorem esse puto: Cum enim causam supra diligenter reddidisset, cur unam, & eandem ob rem diuersis de causis, & dolorem, & uoluptatem cepisset: addidit, se præterea absentia illius lætatum esse, quod omnibus in rebus felix, fortunatusque fuisset, adeo ut nihil a fortuna postulare potuerit, quod ipsi prosperum eueniret, quin illa Curioni cumulate largita sit: id enim est respondere optatis nam particula. {QVE} si accurate perpendatur, manifesto ostendit, cum superiore sententia hanc partem côiungi debere. Quia tamen magna in re leuiter Cicero illum admonere uult, ne ferocis animi adolescens ægre ferret (iniquo enim animo ea ætas reprehensiones accipere consueuit) ideo breue esse dicit, & se propter admirabilem amorem illud reticere non posse affirmat. Quid autem sit, statim exponit, postquam beneuolentiam illius sibi reconciliauit, & spiritus nobiliss. adolescentis aliquantulum mitigauit.

PAVL. MAN. QVODQVE in omnibus tuis rebus, meis optatis fortuna respondet, breue est, qd' me tibi præcipere meus in te amor cogit} Hic locus antea perperam interpunctus distrahebat sensum, quem nos, distinctionibus immutatis, tâquam in suam sedê reduximus. est antê hic: Quod me facere meus in te amor cogit, ut tibi præcipiam, id faciam breuiter, quâdo omnibus tuis in rebus meis optatis fortuna respondet.

SEBAS. CORR. AD TE peruenturum} in Asiam. {Erga me meritorum} têpore furoris Clodiani. {Paruisses} quando te monebam, ut honores, quam opes consequi malles, id quod Cicero ipse in Bruto testatur. Vel, quando & tibi autor fui, ut tu abstineres: & patri, ut te a M. Antonii familiaritate prohiberet.

BERN. RVT. IN quo autem te desiderare significabas meas literas, præ te fers perspectum mihi quidem, sed tamen dulcem & optatum amorê tuum} Qui sensum uerbaque & structuram totam expêderit, præ te fertes non dubitabit legendum, aut certe, Significas. {Eas te non potuisse consequi, nisi meis puer olim fidelissimis atque amantissimis consiliis paruisses} Id nimirum inter cætera significat, quod est in Antonium Philippica secunda: Sumpsisti, inquit, uirilem togam quam statim muliebrem stolâ reddidisti. primo uulgare scortum, certa flagitii merces, nec ea parua. sed cito Curio interuenit, qui te a meretricio quæstu abduxit, & tanquâ stolam dedisset, in matrimonio stabili & certo locauit. nemo unquam puer, emptus libidinis causa, tam fuit in domini potestate, quam tu in Curionis. quoties te pater eius domo sua eiecit? quoties custodes posuit, ne limen intrares? quum tamen tu nocte socia hortante libidine, cogente mercede, per tegulas demitterere: quæ flagitia domus illa diutius ferre non potuit. scisne me de rebus mihi notissimis dicere? recordare têpus illud, quum pater Curio mœrens iacebat in lecto, filius se ad pedes meos prosternens, lachrymâs te mihi commendabat, orabat ut te contra suum patrem, si sestertium sexagies peteret, defenderem. tantum enim pro te intercessisse dicebat. ipse autem amore ardens, confirmabat, quod desiderium tui discidii ferre non posset, se in exilium esse iturum. quo ego tempore tanta mala florentissimæ familiæ sedaui, uel potius sustuli. patri persuasi, ut æs alienum filii dissolueret, redimeret adolescentem, summa spe & animi & ingenii præditum, rei familiaris facultatibus, eumque a tua non modo familiaritate, sed etiâ congressione patrio iure & potestate prohiberet. hæc tu quum per me acta meminisses, nisi illis, quos uidemus, gladiis cô fideres, maledictis me prouocare ausus esses? Hæc Cicero. quæ & Plutar. confecta a Cicerone confirmat, in M. Antonii uita.

PHILI. MEL. IN Secundo libro pleræque omnês sunt rhetoricæ, idest ex quibus multa sumere possumus. Hæc autem epistola habet tres partes, excusationem silentii, gratulationem, & adhortationem. Totus autem locus de excusatione silentii est eiusmodi, ut eum ipsi quoque imitari possimus. Curio fuit orator, & superbus iuuenis: ideo quoque superbe ad eum scribit. Et est ille, qui primum dedit causas belli ciuilis, in quo etiam interfectus est. {Quanquam me nomine negligentiæ} Suasorii generis est. Exordium per insinuationem. {Nô est molestum, me accusari} Colligit nouam causam accusati silentii scilicet desiderium & amorem. {In quo autem te desid.} Propositio. {Equidem neminem} Excusatio silêtii per inficiationê. {Etenim quis est} [Greek illegible]. {Ego te abfuisse tandiu} Alia narratio. {Breue est, quod me tibi} Gratulatio, & adhortatio. {Te rogo ut memineris} Commendatio sui.

ARGVMENTVM.

Significat sibi dolere mortem patris Curionis: Deinde respondet petitioni Curionis, qui petierat significari se Populo Romano ludos funebres pro patre suo exhibiturum, quam rem Cicero cur non fecerit docet.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Consolatoria est epistola. Deinde dissuasio, ut sumptus inutiles in funere patris non faciat. nam in funere parentis ludos edere populo decreuerat Curio, & ut Cicero se absente denunciaret, mandarat.

M. T. C. C. CVRIONI. S. P. D. 2

*Graui teste priuatus sum amoris summi erga te mei, patre tuo clarißimo uiro, qui cum suis laudibus, tum uero te filio superasset omnium fortunam, si ei contigisset, ut te ante uideret, quàm è *uita discederet. sed spero nostram amicitiam, non egere testibus. tibi patrimonium. Dij fortunent. me certe habebis, cui carus æque sis, & periucundus, ac fuisti patri. Vale.*

*alias uita decederet.

ASCENSIVS. Graui teste &c. significat sibi dolori esse mortem patris Curionis oratoris clarissimi & uiri grauissimi. Ordo est. Ego, inquit Cic. priuatus sum graui teste summi amoris mei, i. de summo amore meo erga te, uidelicet patre tuo uiro clarissimo, qui scilicet pater tuus conscius amoris in te mei, & ita optimus testis est supple superauit fortunâ omniû, laudibus suis: idest sibi propriis, tum uero superasset te filio. idest eo quod habuisset te filium, si contigisset: idest cum difficultate quadam datum fuisset ei a diis aut fatis, ut uideret te scilicet reuersum e prouincia, nam aliter sæpe & diu uiderat, ante quam discederet e uita. Sed spero amicitiam nostram non egere testibus. Dii fortunêt idest secundent, & prosperum faciant tibi patrimonium idest quod derelictum est a patre tu certe habebis me, cui sis æque carus, & periucundus, ac idest sicut fuisti patri. {Nempe studium.} Interrogauerat Curio quare Cice. non curasset patri ludos funebres, ut gladiatorum paria populo in arena exhiberi, credebat enim misertima gentilium superstitio fraude dæmoniorum seducta sanguinis effusionem defunctorum manibus gratam, ad hoc respondet Cice. Nempe &c. unde rectius nempe quam nuper legitur. Et uerius noua est epistola quam superioris pars. Ordo autem est Nempe, idest certe, ut rationem assignem ad quæsita tua, studium, idest diligens cura: munerum, idest spectaculorû gladiatorum certaminis populo quasi pro munere in funere parentis, declarandorum, idest exhibendorum, nomine tuo, idest nominis tui, non defuit supple mihi, sed nec placuit mihi, nec cuiquam tuorum. Quicquam fieri te absente, quod non esset integrum idest intactum tibi cum uenisses e prouincia. Equidem, idest ego quidem, aut scribam ad te postea pluribus, supple uerbis sententiam meam, aut ne mediuere idest exercendo te cogites ad eâ offendam te imparatum idest omnino improuisum, ut non admonitum, & dicam coram idest tibi præsenti, rationem meam contra illam scilicet tuam idest tecum disceptabo, ut aut adducam te in sententiam meam, aut certe idest saltem, si non adduxero, relinquam te statum idest protestatum apud animum tuum, quid senserim, ut si quando idest aliquando consilium tuum cœperit displicere tibi. {Quod} idest quam rem, nolim scilicet accidere: possis recordari meum. Tamen, idest nihilominus, licet aut pluribus alias aut nihil tecum de ea re agere constituerim, habeto scilicet sententiam meâ breui scilicet narratione, utpote habeto, tuum reditum, incidere in eum statum temporum, ut possis consequi omnia, quæ sunt in repu. amplissima, facilius iis bonis idest per hæc bona quæ sunt tibi data, natura, studio, fortuna. Miror cur præcipuum hominum bonorum datorem deum prætermittat, natura dantur facundia, firmum latus, bona ualetudo, & gratia ex eis, studio prudentia & cæteræ uirtutes morales, quas nisi deus charitate imbuat, nullæ sunt, fortuna, diuitiæ, & popularis aura Quam muneribus, idest largitionibus munerum arenæ, quorum scilicet munerum, neque quisquam admiratur facultatem, est enim ea facultas copiarum, idest opulentiæ, non uirtutis. neque quisquam est quin sit iam defessus satietate, scilicet spectandi ea. Sed ego facio aliter atque ostenderam, idest indicaueram me facturum, qui ingredior, ad explicandam rationem sententiæ meæ. Quare ego differo omnem hanc disputationem in idest usque ad aduentum tuum scito te esse in summa expectatione, & ea expectari a te, quæ expectanda sunt a summa uirtute, & summo ingenio,

ad quæ,

ad quæ, scilicet exhibenda, si es paratus, ut debes, scilicet esse, quod confido esse: ita afficies & nos amicos & ciues tuos uniuersos, & rempub plurimis & maximis muneribus idest re, quæ gratior erit, quam si dederis plurima & maxima munera. Profecto tu cognosces illud, quenquam neq; cariorem neq; iucundiorem esse mihi, te idest quam tu es.

M. T. CICERO C. CVRIONI S. P. D. 5

*alias Nē pe studiū meū non.

Rupæ studium non *defuit declarandorum munerum tuo nomine: sed nec mihi placuit, nec cuiquam tuorum, quicquam te absente fieri, quod tibi, cum uenisses, nō esset integrum. meā quidem sententiam aut scribam ad te postea pluribus: aut ne ad eam meditere, imparatum te offendam, coramq; contra istam tuam *rationem meam dicam: ut aut te in meam sententiam adducam: aut certe testatum apud animum tuum relinquam, quid senserim, siquando (quod nolim) displicere tibi tuum consilium cœperit, posis meum recordari. breui tamen sic habeto, in eum statum temporum tuum reditum incidere, ut iis bonis, quæ tibi natura, studio, fortuna data sunt, facilius omnia, quæ sunt in Republica amplissima consequi posis quam muneribus: quorum neque facultatem quisquam admiratur, (est enim copiarum, non uirtutis) neque quisquam est, quin satietate iam defessus sit. sed aliter atque ostenderam, facio, qui ingrediar ad explicandam rationem sententiæ meæ. quare omnem hanc disputationem in aduentum tuum differo. Summa scito in expectatione te esse. eaq; à te expectari, quæ à summa uirtute, summoq; ingenio expectanda sunt: ad quæ si es, ut debes, paratus (quod ita esse confido) plurimis, maximisque muneribus, & nos amicos. & ciueis tuos uniuersos, & Rempublic. afficies. illud profecto cognosces mihi te neque cariorem, neque iucundiorem esse quenquam. Vale.

*alias ratione edisseram.

VICTORIVS. Nempe studium non defuit} Sic fere in omnibus excusis libris, Alii peius adhuc {Studium meum} legunt. Quo modo enim potest studium suum in eo negotio non defuisse dicere, cum id sibi non placuisse ostendat, seq; cū alius autorem fuisse ne fieret? Erat hic certe locus ualde obscurus, ego tamen mihi uideor in antiquo Mediceo codice ueram lectionem reperisse. Deleta erat in eo prima huius epistolæ dictio, ut nullum omnino uestigium eius superesset, aliaq; manu repositum. {Nempe} Sed quia in ueteribus codicibus ante singulos libros notata sunt initia omnia epistolarum, quæ eo uolumine continentur, cum titulis etiam & eorum qui scribunt, & ad quos missæ sunt, ut facilius, credo, lector inuenire posset quas uellet, indicem illum aspexi, in quo sic est {M. Cicero S D Curioni. Rupæ studiū} Quam puto esse synceram, & incorruptam lectionem. Rupa enim nomen esse arbitror liberti ipsius Curionis, quem ille cum mandatis Romam miserat, quorum unum fuerat, ut declararet munera suo nomine, quod cum ab eo factum non fuisset, excusat illum nunc Cicero, docetq; per Rupam non stetisse quo minus quod imperatum erat, faceret, summum enim in illo studium fuisse, ut id negotium cōficeretur, se tamen, aliosq; suos consulto impediuisse, ut postea accurate exponit.

SEBAS. CORR. Patre tuo} C. Scribonio Curione. {Clarissimo uiro} consulatu, quem cum Cn. Octauio gessit, eloquentia, & rebus gestis in Macedonia, de qua etiam triumphauit. {Nempe} Al. nuper. Al. Rupæ, ut sit liberti alicuius nomen, cui id mandatum esset. {Declarandorum} in funere patris tui. {Munerum} Lege Plin. lib. xxxvi. cap. xv.

BERN. RVTL. Nempe studium non defuit declarandorum munerum tuo nomine} Neuter ea interpretibus, quid sibi uelit Cice. percepit. neq; enim ostendis declarata fuisse munera, sed potius purgat se cæterosq; Curionis amicos atq; domesticos, quod nō declararint. id enim quantum ex hoc loco coniicimus, Curio questus erat per literas, non esse factum, quod Cice. dicit, non negligentia prætermissum, quum in ea se suum quisq; studium cogitando cōmonicandoq; præstiterit, sed certa ratione tandem uisum, eam declarationem aduentui Curionis reseruandam. Cui sensui propius omnino Clericus ille accessit, sibi tamen parum constans. modo. n. declarata ait, modo negat.

PHIL. MEL. In hac epistola puto aliquid deesse, neq; enim cohærent omnia. Exordium est sumptum a testimonio amoris, & est ualde ἠθικὸν, quod allegat patrem. Deinde epistola habet consilium de ludis. & in ipso consilio confutationem & reprehensionem sententiæ Curionis. In fine est adhortatiuncula. {Graui teste priuatus sum} Narratio, qua deplorat mortem patris Curionis, & narrat quædam consilia de non publicandis muneribus {Breui tamen sic habeto} Ratio dissuasionis publicorum munerum. {Summa te scito in expectatione esse} Conclusio, continens πάθος, per quæ breuiter adhortatur eum, ut paratior ueniat.

ARGVMENTVM.

Graphice proponit tria esse epistolarum genera. quorum cum nullo sibi esse utendum censeat, ne nihil scribat, Curionem ad uirtutis amorem accendit, docens illi necessarium esse propter ingentem expectationem Popu. Roma. de se, non uulgarem exercere uirtutem. Sunt autem admonitiones argutæ, & præceptoribus in admonendo usurpandæ, & discipulis, ut & ipsi ad uirtutē incumbant, non negligendæ.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Argumentum epistolæ a Cicerone affectatum est, ut para prosiliceat id ageret, quod alioqui sine reprehensione uix posset, nempe ut hortaretur eadem ratione, qua sæpius antea. Quod ni non aperte faceret, obstabat nobilis Curionis animus, ne is diffidentia sui labefactaretur.

M. T. C. C. CVRIONI. S. P. D. 4

Epistolarum genera multa esse non ignoras, sed unum illud certissimum. cuius causa inuenta res ipsa est, ut certiores faceremus absenteis, si quid esset, quod eos scire, aut nostra, aut ipsorum interesset.* huius generis literas à me profecto non expectas: * domesticarum enim rerum tuarum habes & scriptores, & nuntios: in meis autem rebus nihil est sane noui. reliquā sunt epistolarum genera duo, quæ me magnopere delectant: unum familiare, & iocosum: alterum seuerum, & graue. utro me minus deceat uti, non intelligo: iocer'ne tecum per literas? ciuem mehercule non puto esse, qui temporibus his ridere posit. an grauius aliquid scribam? quid est, quod posit grauiter à Cicerone scribi ad Curionem, nisi de Repub. atque in hoc genere hæc mea causa est: ut neque ea, quæ nunc sentio uelim scribere. quamobrem, quoniam mihi nullum scribendi argumentum relictum est: utar ea clausula, qua soleo: teque ad studium summæ laudis cohortabor, est enim tibi grauis aduersaria constituta, & parata, incredibilis quædam expectatio. quam tu una re facillime uinces, si hoc statueris, quarum laudum gloriam admiraris, * quibus artibus eæ laudes comparantur, in iis esse elaborandum. in hanc sententiam scriberem plura, nisi te tua sponte satis incitatum esse confiderem. & hoc quicquid attigi, non feci inflammandi tui causa, sed testificandi amoris mei. Vale.

*a.l. in huius generis sententia literas.

*a.l. domesticos.

*alias quibusq;.

ASCENSIVS. Epistolarum. Diserte tria enumerat epistolarum genera, quorum cum nullius sibi sit argumentum, nō est quod ad Curionem scribat, ne tamen nihil scribat, ad uirtutē adhortatur uerbis memoratu dignissimis. Ordo est. O Curio tu non ignoras multa, quia tria, esse genera epistolarum, sed illud unum certissimum, cuius causa ipsa res. i. epistola est inuenta. Vt faceremus absentes certiores, siquid esset, quod eos scire interesset. i. in re & utilitate aut damno esset, aut nostra. i. qui scribimus, aut ipsorum, ad quos scribimus. Tu profecto nō expectas a me literas huius generis, habes enim & scriptores & nuntios rerum tuarum domesticarum. Autem idest sed, nihil est sane, idest multum noui in meis rebus scilicet domesticis. Reliqua genera epistolarum sunt duo, quæ delectant me magnopere, unum familiare & iocosum, alterum seuerum & graue, sed supple non intelligo, utro i quo horum duorum minus deceat me uti. Iocer'ne. i non decet ut iocer tecum per literas, & ita utar iocoso genere. Respondet. Mehercule, scilicet ita tractante, ut uerum dico Non puto esse ciuem, scilicet in tota urbe, qui posit ridere his temporibus. An scribam aliquid

grauius? Sed supple quid est quod possit scribi grauiter a Cicerone ad Curionem nisi de Repu. Atq; aut potius atqui, hæc mea causa est in hoc genere, ut neque uelim scribere hæc quæ sentio nunc. Quamobrem, quoniam nullum argumentum. i. nulla materia scribendi, est relictum mihi, ego utar ea clausula qua soleo, & cohortabor te ad studium summæ laudis. Enim. i. quia, aduersaria grauis est constituta & parata tibi scilicet expectatio quædam incredibilis. quam tu uinces facilime una re, si statueris. i. constitueris in animo tuo hoc scilicet. Quarum laudum gloriam tu adamaris pro adamaueris, ergo adamamus etiam honeste, & quibus artibus eæ. i. eiusmodi laudes comparentur. i. acquirantur, esse supple tibi laborandum in iis, scilicet artibus. Ego scriberem plura in hanc sententiam idest, ad formam huius sententiæ, nisi considerarem te esse incitatum satis tua sponte. i. spontanea uoluntate, & quicquid attigi hoc. i. huiusmodi, non feci causa tui inflammandi, sed causa amoris mei scilicet in te testificandi.

SEBAS. CORR. BERN. RVTI.

QVAE nunc sentio} nedum quæ futura puto. {Admiraris} Al. adamaris.

ATque in hoc genere hæc mea causa est, ut neq; ea quæ nūc sentio, uelim scribere} Non sentio, male duo interpretes legunt, ut ego arbitror. Hoc enim dicit Cicero, se non modo non, quæ futura coniiciat, quasiq; iam diuinet, sed ne præsentia quidem, quæq; in dies uidentur sentiunturq;, uelle scribere, solet enim grauissimi ciuis Cicero in scribendis de Repu literis esse testari, nō de his quæ palam omnibus sint, certiorem facere amicum, sed quæ futura sperentur. ut ad Cælium: Ne illa quidem, inquit, curo, mihi scribas, quæ maximis in rebus Reipu. geruntur quotidie, nisi quid ad me ipsum pertinebit. scribēt alii, multi nunciabunt, perferet etiā multa ipse rumor. quare nec præterita nec præsentia abs te, sed, ut ab homine longe in posterum prospiciente, futura expecto, ut ex tuis literis, quum formam Reipublicæ uiderim, quale ædificium futurum sit, scire possim. Et ad Lentulum: Hic quæ gerantur, quæque acta sint, ea te ex literis multorum & nunciis cognoscere arbitror. quæ autem posita sunt in coniectura, quæq; uidentur fore, ea tibi puto a me scribi oportere. Et alibi non raro.

PHIL. MEL.

HAec epistola fuit scripta sub initium belli ciuilis, in qua hortatur Curionem iterum ad eas res perficiendas, de quibus antea sæpe ad eum scripserat. {Epistolarum genera &c.} Exordium ex uarietate epistolarum, per distributionem. {Reliqua genera} præter unum adhortatorium, quod negat sibi hic concessum esse. {Quamobrem quoniam} Propositio. {Est enim tibi grauis aduersaria} Ratio. {Quarum laudum} Hoc est, ut in iis artibus elabores, quibus hæ laudes comparantur, quas tu amas. estq; Pleonasmus ideo subobscurum est. {In hanc sententiam} Conclusio.

ARGVMENTVM.

Gratulatur Curioni, quod absit a tanta Reipub. perturbatione, cum neq; uexationes eius uideat, neque absens summa laude priuetur. Deinde præmonet, ut ita instructus ueniat, ut qui Rempub. sit in ueterem libertatem, ac dignitatem uindicaturus.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Gratulatio Ciceronis, quod Curio & materiam, & occasionem habeat amplificationis dignitatum laudumque suarum: & ut aliquando Rempu. capessat, sub finem callide adhortatus.

M. T. C. C. CVRIONI. S. P. D. 5

HAec negotia quomodo se habeant, ne epistola quidem narrare audeo tibi, etsi ubicunque es (ut scripsi ad te antea) in eadem es naui: tamē quod abes, gratulor: uel quia non uides ea, quæ nos: uel quod excelso, & illustri loco sita sit laus tua in plurimorum & sociorum, & ciuium conspectu: quæ ad nos nec obscuro, nec uario sermone, sed & clarissima, & *una omnium uoce perfertur. unum illud nescio gratuler ne tibi, an timeam, quod mirabilis est expectatio reditus tui: non quo uerear, ne tua uirtus opinioni hominum non respondeat: sed mehercule, ne, cum ueneris non habeas iā, quod cures: ita sunt omnia debilitata iam prope, & extincta. sed hæc ipsa nescio rectē ne sint literis commissa. quare cætera cognosces ex aliis. tu tamen, siue habes aliquam spem de Repub. siue desperas: ea para, meditare, cogita, quæ esse in eo ciue, ac uiro debent qui sit Rempub. afflictam, & oppressam miseris temporibus, ac perditis moribus in ueterem libertatem, ac dignitatem uindicaturus. Vale.

*alias uiua.

ASCENSIVS.

HAec negotia &c. Gratulatur Curioni quod absit a tanta Reipu. perturbatione, cum neq; uexationes eius uideat, neq; absens summa laude priuetur, deinde monet ut ita instructus redeat, ut possit rem pristinæ dignitati restituere. Ordo est Ego ne quidem. i. non etiam aut non saltem audeo narrare tibi epistola, quomodo hæc scilicet Reip. nostræ negocia habeant se, & si. i. quanquam, ubicunq; es, tu es in eadem naui. i. in eodem periculo, ut sunt qui in eadem naui periclitantur, ut scripsi antea ad te, ergo non omnes Ciceronis epistolæ collectæ ac seruatæ sunt tamen gratulor. i. tibi de tuo bono applaudo, q abes. s. ab urbe uel quia non uides ea, quæ nos: supple uidemus. uel q laus tua sit sita: supple in loco excelso, & illustri: idest perspicuo, & claro: utpote in conspectu plurimorum & sociorum & ciuium. Quæ scilicet laus tua, perfertur ad nos, nec obscuro, nec uario. i. uacillante sermone, sed uoce: & . i. simul clarissima, & una omnium. Ego nescio illud unum an gratuler tibi an timeam. i. timere debeam tibi. s. pro te, q expectatio reditus tui est mirabilis, non supple ideo timeā, quod. i. ut uerear, ne pro ut uirtus tua respondeat. i. satisfaciat opinioni hominum. Sed mehercule, supple ideo timeam, ne cum ueneris nō habeas iam quod cures, ita omnia sunt iam debilitata, & prope idest, quasi extincta. Sed nescio ne idest, an hæc ipsa sint commissa. Recte: idest decenter literis. Quare: idest quamobrem quia de his dubito, tu cognosces cætera ex aliis. Tamen. i. nihilominus, tu siue habes aliquam spem de Repub. s. restituenda, siue desperas scilicet de ea, para: idest meditare, & cogita ea quæ debent esse in eo ciue ac uiro, qui sit uindicaturus idest uindicando iniurias restituturus in ueterem libertatem, ac dignitatem Remp. afflictam, & quod plus est oppressam temporibus miseris, ac moribus perditis.

SEBAS. CORR.

IN eadem es naui} in communi periculo. {Tamen quod abes} in Asia.

ERASMI.

ETsi ubicunq; es (ut scripsi ad te antea) in eadem es naui. tamen quod abes, gratulor. In eadem es naui dixit, pro eo quod est, in communi periculo.

PHIL. MELA.

HOc est breue epistolium, & tamen rhetoricum præter uerba nihil continens, nisi quod ita ex seipso aliquid procreat. Habet autem tres locos: reiectionem: quod nihil scribat de Republica gratulationem, q absit in prouincia, & res honeste gerat postremo est adhortatio {Hæc negocia quomodo se habeant, &c.} Narratio, in qua est ἀσύνετον, quod non queat scribere quæ uelit. {Tamen quod abes} Gratulatio. {Quare cætera cognosces} Adhortatio.

ARGVMENTVM.

Multo artificio & summa accuratione commendat Curioni causam Milonis, consulatum petentis, cuius adeptione nihil gratius sibi contingere posse late declarat: ideoq; cum literis admonendum habuisse, ne aduersarii eius, & potissimum Clodii causa in alienam sententiam traheretur, doceretq; rei quam petit facilitatem, si Curio annuerit. Sane ex hac epistola docemur in re graui, & difficili, ac seriosa, exornationibus uti licere.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Sollicite Cicero Milonem commendat Curioni, ut illius consulatus & dignitas, tanquam sui ipsius curæ sit. Est autem artificiosa epistola, omnibus locis suasionis referta.

M. T. C. C. CVRIONI. S. P. D. 6

NOndum erat auditum, te ad Italiam aduentare, *cum Sex. Iulium Milonis mei familiarem cum his ad te literis misi: sed tamen, cum appropinquare tuus aduentus putaretur, & te iam ex Asia Romam uersus profectum esse constaret, magnitudo rei fecit ut non uereremur, ne nimis cito mitteremus cum has ad te quamprimum perferri literas magnopere uellemus. Ego, si mea in te essent officia solum Curio tanta, quanta magis à te ipso prædicari, quā à me ponderari solent: uerecundus à te, si qua magna res mihi petenda esset, contenderem: GRAVE est enim homini pudenti, petere aliquid magnum ab eo, de quo se bene meritum putet, ne id,

*alias: cū Sextiliū.

quod

quod petat, exigere magis, quam rogare, & in mercedis potius, quam beneficii loco numerare uideatur. sed quia tua in me uel nota omnibus, uel ipsa nouitate meorum temporum clarissima, & maxima extiterunt. ESTQVE animi ingenui, cui multum debeat, eidem plurimum uelle debere: non dubitaui id à te per literas petere, quod mihi omnium esset maximum, maximeq; necessarium: neque enim sum ueritus, ne sustinere tua in me uel innumerabilia beneficia non possem: cum præsertim confiderem, nullam esse gratiam tantam, quam non uel capere animus meus accipiendo, uel remunerando, cumulãdoq; illustrare posfit, ego omnia mea studia, omnem operam, curam, industriam, cogitationem, mentem denique omnem in Milonis consulatu fixi, & locaui: statuiq;, in eo me non officii solum fructum, sed etiam pietatis laudem debere quærere. neq; uero cuiquã salutẽ, ac fortunas suas tantæ curæ fuisse unquam puto. quantæ mihi sit honos eius: in quo omnia mea posita esse decreui. huic te unum tanto adiumento esse, si uolueris, posse intelligo ut nihil sit præterea nobis requirendum. habemus hæc omnia, bonorum studium conciliatum ex Tribunatu, propter nostram (ut spero te intelligere) causam, uulgi ac multitudinis, propter magnificentiam munerum, liberalitatemq; naturæ iuuentutis, & gratiosorum in suffragiis, propter ipsius excellentem in eo genere uel gratiam, uel diligentiam, nostram suffragationem si minus potentem, at probatam tamen, & iustam, & debitam, & propterea, fortasse etiam gratiosam: dux nobis, & autor opus est, & eorum uentorum, quos proposui, moderator quidam, & quasi gubernator. qui si ex omnibus unus optandus esset. quem tecum cõferre possemus, non haberemus, quamobrem, si me memorem: si gratum, si bonum uirum uel ex hoc ipso, quod tam uehementer de Milone laborem, existimare potes si dignum denique tuis beneficiis iudicas hoc à te peto ut subuenias huic meæ solicitudini, & huic meæ laudi, uel (ut uerius dicam) propẽ saluti tuum studium dices. De ipso T. Annio tantum tibi polliceor, te maioris animi, grauitatis constantiæ, beneuolentiæ erga te, si complecti hominem uolueris, habiturum esse neminem. mihi uero tantum decoris, tantum dignitatis adiunxeris, ut eundem te facile agnoscam fuisse * in laude mea, qui fueris in salute. ego ni te uidere scirem, cum hæc ad te scriberem, quantum officij sustinerem, * quantopere mihi esset in hac petitione Milonis omni non modo contentione, sed etiam dimicatione elaborandum. plura scriberem. nunc tibi omnem rem, atque causam, meq; totum commendo, atque trado. unum hoc sic habeto, si à te hanc rem impetrauero, me pene plus * tibi, quam ipsi Miloni debiturum: non enim mihi tam mea salus cara fuit, in qua præcipue sum ab illo adiutus, quam pietas erit in referenda gratia iucunda eam autem * tui unius studio me assequi posse confido. Vale.

a.l. et in laude.
a.l. salutis quantoque opere.
a.l. tuo.

ACSENSIVS.

NOndum erat & cætera. Multo artificio & summa accuratione commendat Curioni causam Milonis consulatum petentis, cuius adeptione nihil gratius contingere sibi posse late declarat, ideoq; ostendit eum se literis admonendum habuisse, ne aduersarii eius & præcipue Clodii causa in contrariam sententiam trahatur. Docetq; rei quam petit facilitatem, si modo Curio annuerit. Sane nos docemur ex hac epistola in re graui exornationibus uti posse. Ordo est. Nondum erat auditum te aduentare ad Italiam, cum ego misi Sextum Iulium familiarem Milonis mei, scilicet amici a te cum his literis. Sed tamen cum tuus aduentus putaretur appropinquare, & constaret te profectum esse iam ex Asia Romam uersus, magnitudo rei fecit, ut non ueremur, ne mitteremus nimis cito, cum uellemus magnopere idest magna cura, & diligentia, has literas perferri ad te, quamprimum idest ualde cito. o Curio si mea officia essent in idest erga te, solum tanta, quanta solent prædicari magis a te ipso, quam ponderari a me, contenderem idest obnixe peterem, uerecundius a te, si qua idest aliqua magna res esset petenda mihi. Enim idest quia graue idest molestum est homini pudenti: idest habenti pudorem, aut uerecundo, petere aliquid magnum ab eo, de quo putet se bene meritum, ne uideatur magis exigere idest uiolẽter expostulare, quã rogare quód petat, & numerare, supple illud potius in loco mercedis, quam in loco beneficii, scilicet gratis facti. Sed quia tua beneficia in idest erga me, extiterunt, uel nota omnibus: uel clarissima. i. euidentissima & maxima, ipsa nouitate idest propter ipsam nouitatem idest raritatẽ temporum meorum: idest eorum, quæ acciderunt temporibus nostris, hoc est quibus consulatum gerebamus. Videntur enim tempora esse consultum quodammodo eo, quod ab eis denominabantur olim anni. Estq;: idest & est animi ingenui: supple officium idest pertinet ad animum ingenuum idest minime seruilem. uelle debere eidem, cui debeas plurimum: supple ideo ego non dubitaui idest non sum ueritus, petere id a te per literas, quod esset mihi maximum omnium scilicet expectandorum, & est maxime necessarium. Artificiosissime (ut dixi) ad obtinenda quæ uult, incepit. Nam quasi aliud agens rei, quam petit, & honestatem, & necessitatem ostendit. Vnde addit: Neq; enim sum ueritus, ne idest ut non possem. dico ne idest ut. Nam satis esset ne possem, siue non. cũ igitur apponat non, ne quod ualet per se ut, non ualet tantum, ut qđ ideo accidit, quod ut dixi, uerba timoris & uetandi, quæ tacitam negatione importante, idem efficiunt cum & sine negatione, & ita, tres negationes non plus efficiunt quam quæ. sustinere tua uel idest ẽt, innumerabilia beneficia in me. præsertim cum confiderem nullam esse gratiam, quam animus meus non posset uel capere idest comprehendere in accipiendo: idest cum acciperet, uel illustrare idest illustriorem facere remunerando & cumulando idest augendo eam. Ego &c. Post longam insinuationem tandem aperit quid petat dicens. Ego fixi idest firmaui & locaui in consulatu Milonis omnia studia mea, omnem operam supple meam. omnem supple curam, industriam, cogitationem, deniq; omnem mentem, statuiq; idest & cõstitui me debere quærere in eo, non solum fructum idest utilitatem officii, scilicet bene locati, sed etiam laudem pietatis. Neq; uero puto salutem ac fortunas cuiquam suas fuisse unquã tantæ curæ, quantæ, scilicet curæ, honos eius, scilicet Milonis, sit mihi, in quo, scilicet honore eius, ego decreui omnia studia mea esse. Ego intelligo te unum posse esse, si uolueris, huic, idest huiusmodi amico meo tanto adiumento, ut nihil sit requirendum nobis, præterea, idest præter te unum. Nos habemus hæc omnia, scilicet adiumẽta. utpote studium: idest fauorem, bonorum, scilicet ciuium. conciliatum: idest cõquisitum Miloni ex tribunatu, scilicet eius, quem decenter gessit, conciliatum, dico studium bonorum. Propter nostram causam, ut spero te intelligere, & studium uulgi ac multitudinis, propter magnificentiam munerum, & liberalitatem naturæ idest naturalẽ Milonis, & supple studium iuuentutis, idest multitudinis iuuenum & gratiosorum, idest eorum qui habent multam gratiam & prorogatiuam in suffragiis propter excellentem uel gratiam uel diligentiam ipsius in eo genere, scilicet hominum conciliando, & supple propter nostram suffragationem, si idest licet forte minus potentem at idest certe, probatam & iustam & debitam, & propterea fortasse ẽt gratiosam. Dux & autor, scilicet huius petitionis, est opus: idest necessarius nobis, & quidam moderator eorum uentorum: idest aurarum, hoc est fauorum & suffragiorum, quæ sæpe facillime ut uenti leui momento mutantur. Et quasi gubernator, qui scilicet moderator & gubernator, si unus sit exoptandus nobis ex omnibus, nõ habemus supple quempiam quem possimus conferre tecum. Quamobrem si potes existimare, idest iudicare me uirum memorem: scilicet beneficii habendi in animo, si gratum in beneficio referendo. Si uirum bonum, uel: idest etiam, ex hoc ipso scilicet facto meo, qđ laborem tam uehementer de Milone: idest de honore Miloni augẽdo: deniq; si iudicas me dignum tuis beneficiis, ego peto hoc a te, ut subuenias huic solicitudini meæ, ut dices: idest dedices aut dedas & quasi consecres, & proprium facias studium tuum huic laudi, uel ut dicam uerius, saluti propriæ. Ego polliceor tibi de ipso Tito Annio scilicet Milone, tantum: idest tam multum aut id solum, te neminem: idest non aliquem, non esse habiturum aliquem maioris animi, grauitatis, constantiæ beneuolentiæ erga te supple quam ipsum si uelis complecti: idest in amicitiam tuam acceptare hominem. Vero, idest sed, tu adiunxeris mihi tantum decoris, tantum dignitatis, ut ego agnoscam facile te fuisse eundem in laude mea, qui fueris in salute, scilicet mea, hoc est in recuperando reditu ab exilio. Ego ni, idest nisi, scirem te uidere, idest perspicere cum scriberem ad te, quãtum officii, scilicet Milonis in me sustinerem, & quantopere esset mihi elaborandum in hac petitione, scilicet consulatus Milonis. i. qua Milo consulatum petit, non modo, idest non solum omni contentione, scilicet uerborum, sed etiam omni dimicatione, idest concertatione, qualis est armorum, scriberem plura. Nunc quia ita est, quem omnem nosti, commendo tibi omnem rem atq; causam & me totum commendo, atq; trado, idest tibi dedo. habeto, idest firmiter teneto hoc unum sic, si ego impetrauero hanc unam rem a te, me debiturum supple esse tibi, plus quam ipsi Miloni. Non enim mea salus fuit mihi tam chara, in qua sum adiutus, Præcipue ab illo, scilicet Milone. quam, idest quantum, pietas, scilicet mea, in referenda gratia erit iucunda, idest delectabilis supple mihi. Autem pro sed, ego confido me posse assequi, idest obtinere eam s. pietatem in Milonẽ studio, idest annixu & fauore tui unius, idest solius.

IN quo omnia mea studia posita esse decreui} Nos dictionem illam {Studia} ex uetustis codicibus & re ipsa, uacare iudicauimus. VICTORIVS.

mus,} ideoq; deleuimus. Dicit autem omnia sua se in Milone decreuisse posita esse: idest omnes suas fortunas, & omnem uitæ suæ statum ita uoluisse in illo posita esse, ut ea illo penderent, quemadmodum in Tusculanarum libro quinto. Qui autem potest esse celsus & erectus, & ea quæ homini accidere possunt, omnia parua ducẽs (qualem sapientem esse uolumus) nisi omnia sibi in se posita esse censebit? Eadem ratio est uocis illius Beneficia quam paucis supra uersibus non necessario in oratione sitam (intelligebatur enim) omisimus: sed nec ea etiam in ueteribus libris erat: uerum multa his similia, quæ per se patebunt, si quis acute attendere uolet, trãsibimus ne uideamur ea minutis omnibus animaduersionibus ambitiose laudem uelle aucupari, & lectorum ingeniis penitus diffidere, quorum speramus maiorem partem, indicata tantum antiqua, & incorrupta lectione, reliqua per se cogniturum, ambarum saltem lectionum collatione facta.

PAVL. MANV. IN suffragiis studia} Dictionem, studia sustulimus: supra enim dixit, studium: e qua uoce sequentes genitiui reguntur.

SEBAS CORR. SEXT. Iulium} Seruilium, plures habent libri. {Milonis consulatu} quem tunc cum P. Plautio Hipseo, & Q. Metello Scipione petebat. {Te nouum} tanquam iuuentutis principẽ. {Ex tribunatu} ipsius Milonis {Causam} restitutionis. {Magnificentiam munerum} in quæ Milo tria effudisse patrimonia dicitur, ut plebem & in fimam multitudinem deliniret. {Tui unius stud.} Sic etiam in oratione pro Marcello loquitur: Quis non intelligit: ex unius tui uitam pendere omnium? Etsi, tuo unius studio, in ueteribus etiã libris inuenio.

BERN. RVT. VEl remunerando cumulandoq; illustrare possit} Alii, uel remunerãdo uel cumulãdo illustrare possis. Ego, Vel in remunerãdo cumulãdo illustrare possis: ut singula singulis respõdeãt in quo deceptus interpres. {Eã aũt unius tui studio me assequi posse confido} Affirmat audacter Laurentius Vallensis, legi debere Tuo unius, quod ita ratio grammatices postulet. Ego autem uideo Varronem libro tertio rei rusticæ dixisse de uilla: At cum hæc sit communis uniuersi populi, illa solutus tui. Illud insuper addimus, subiectam hanc epistolam aliquando existimasse nos primam libri huius esse debere. in quo nunc ita nihil nouandum censemus, ut iusto sacramento contendere possimus, suo loco positam adeo a nobis ipsi interdum dissentimus.

HAEC epistola est accurate & diligenter scripta, quia plurimum interat Ciceronis, ut Milo fieret consul. {Nondum erat auditum} Causa, cur mittat literas tam cito. {Ego si mea in te essent offic.} Captat beneuolentiam a suis meritis, quæ tamen extenuat, & faciat inuersionem: Ideo peto, quia tu me antea affecisti multis beneficiis, non quia ego benemeritus sum. {Neque enim sum ueritus} Confirmatio, a sua gratitudine. {Ego omnia studia mea, & cætera} Narratio, quid agat, aut quid petat, qua denique in re sibi opus sit opera Curionis. & est præparatio ad petitionẽ. {Duo nobis} Causa petitionis {Quamobrẽ si me} petitio. {De ipso T. Annio} Ratio, a gratitudine Milonis. {Mihi uero tantum de con.} A sua persona. {Ego ut te uiderem} A πρόσωπου. Amplificatio per trãslationem. {Vnum hoc sic habeto} Artificiosissima amplificatio, ex collatione salutis & pietatis.

FRAN. ROBO. ETiamsi Ciceronis epistolæ, quæ uolgo familiares appellantur nostra ætate a doctis, innumerabilibus prope mendis fuerunt expurgatæ, pristinoq; nitori restitutæ, quæ laus maxima ex parte Petro Victorio uiro eruditissimo est tribuenda, semper tamen aliquid sese affert attente legentibus antiqua illarum epistolarum exemplaria. Quod id ipsum nuper mihi contigit. nam cum peruetustum, quod domi habeo tam diu exemplar conferrem cum impressis, incidi in ea uerba, quæ sic leguntur distincta epistola se prima libri secundi ad Curionem. Nõ uereor, nequid timide, ne qd stulte facias, si ea defendes, quæ ipse recta esse senties. Quod in id Reip. tempus non incideris, sed ueneris (iudicio enim tuo, non casu, in ipsum discrimen rerum contulisti tribunatum tuum) profecto uides. quanta uis in Repub. temporum sit, quanta uarietas rerum, q̃ incerti exitus, quam flexibiles hominum uoluntates. quid insidiarum, quid uanitatis, in uita non dubito quin cogites. Non dubito quin omnes, si attente legerint hæc uerba, offendantur tamen perplexo uerborum ordine, etiam sensu, qui etsi aliquis uideri potest, non est tamen aptus, & concinnus. Meus ille sic habet ista uerba descripta, & interpuncta, quæ cum quispiam legerit, facile iudicabit ita omnino esse legendum, & interpungendum locum hunc. Nõ uereor, nequid timide, nequid stulte, facias, si ea defendes, quæ ipse recta esse senties, quod in id Reip tempus non incideris, sed ueneris, iudicio enim tuo, non casu in ipsum discrimen rerum contulisti tribunatum tuum: Profecto uides, quanta uis in Rep. sit temporum, quanta uarietas rerum quam incerti exitus, quam flexibiles hominum uoluntates, quid insidiarum, quid uanitatis in uita, non dubito, quin cogites. Antea tres fiebant, in hac orationi periodi. prima, Nõ uereor. Secunda, Quod in Reip. tempus. Tertia, Quanta uis in Repub. temporum. adde quod & una fiebat περίοδος, quæ disiungebat uerba. Nunc si ita legas, ut demonstraui, quæ tantum erunt periodi: prior, Non uereor ne. Altera, Profecto uides quãta uis &c. Quod in id Reip. tempus non incideris sed ueneris, leuiter hæc uerba sunt interpungenda a superioribus. nam est ratio prioris propositionis. Iudicio enim tuo, nõ casu, est altera ratio proximarum dictionum. Sed ueneris. Profecto uides quanta uis in Repub. Quod hinc sit sumendum alterius periodi initium, patet ex perspicuitate. Cum enim duo contineat uerba hæc periodus. Vnõ illic. uides. Alterum in fine. cogites. uidetur elegantissime omnia distinxisse Cicero. Nam cum ait Quanta uis in Rep. temporum sit, quanta uarietas rerum, quam incerti exitus, quam flexibiles hominum uoluntates. Merito dixit, uides isthæc enim uidentur & oculis, & sensu. Cum uero ait. quid insidiarum, quid uanitatis in uita, non dubito quin cogites. merito retulit ad cogitationem. insidiæ enim & uanitas cum sint occultæ, cogitatione sapientum percipiuntur. Adde quod plurimum est uenustatis in illa repetitione facta per uerba similia quã quanta, quam. rursus cum ad secundum referuntur uerbum cogites, quid, quid. Isthæc fortasse uerbosius quam oportebat a me dicta sunt, sed malui in hac re explicanda, meam reprehendi, quam requiri diligentiam.

ARGVMENTVM.

Quo tempore Curio Romam redierat, & tribunus plebis creatus erat, Cicero prouinciam regebat Ciliciam, e qua cum audisset tandem Curionis autoritatem, gratulatur ei, purgans tarditatem gratulationis, & simul adhortans, ne quorumuis consiliis ab Reipub. fauore auertatur: tacite Cæsarem notans, a quo intellixerat Curionem sollicitari. A quo etiam postea ob æs alienum soluendum se corrumpi permisit. Vltimo loco rogat, ne sibi prorogetur, seu prolongetur prouincia.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Quanquam alia multa in hac epistola agit Cicero, solitam tamen clausulam non omittit, qua adolescentis animum ad confidentiam sui ipsius confirmat.

M. T. C. PROCOS. C. CVRIONI TRIB. PLEB. S. P. D. 7

*SEra gratulatio reprehendi non solet, præsertim si nulla negligentia prætermissa est: longe enim absum: audio sero. sed & tibi gratulor, & ut sempiternæ laudi tibi sit iste Tribunatus, exopto: Teq; hortor, ut omnia gubernes, et moderere prudentia tua: ne te auferant aliorum consilia. nemo est, qui sapientius tibi persuadere possit te ipso. nunquam labere: si te audies. non scribo hoc temere. cui scribam uideo. noui animum, noui consilium tuum. non uereor, nequid timide. nequid stulte facias, si ea defendes: quæ ipse recta esse senties. quod in id Reipub. tempus non incideris, sed ueneris (iudicio enim tuo, non casu, in ipsum discrimen rerum contulisti Tribunatum tuum) profecto uides, quanta uis in Repub. temporum sit, quanta uarietas rerum, quam incerti exitus, quam flexibiles hominum uoluntates: quid insidiarum, quid * uanitatis in uita, non dubito quin cogites. sed, amabo te, cura, & cogita, nihil noui, sed illud idẽ, quod initio scripsi, tecum loquere: te adhibe in consilium: te audi: tibi obtempera. alteri qui melius dare consiliũ possit, quam tu, non facile inueniri potest: tibi uero ipsi certe nemo melius dabit. Dij immortales, cur ego non adsum uel spectator laudum tuarum, uel particeps, uel socius, uel minister consiliorum? tametsi hoc minime tibi deest: sed tamen efficeret magnitudo, & uis amoris mei, consilio te ut possem iuuare. scribam ad te plura alias: paucis enim diebus eram missurus domesticos tabellarios: ut, quoniam sane feliciter, & ex mea sententia Rempub. gessimus, unis literis totius æstatis res gestas ad senatum perscriberem. De sacerdotio tuo quantam curam adhibuerim, quamq; difficili in re, atq; causa, cognosces ex iis literis, quas Trasoni liberto tuo dedi. Te mi Curio pro tua incredibili in me beneuolentia, meaq; item in te singulari rogo, atque oro, ne patiare mihi quicquã ad hanc prouincialem molestiam temporis prorogari, præsens tecum egi, cum te*

* a. l. uarietatis.

Tribunum

Tribunum ple. isto anno fore non putarem: itemq́; petiui sæpius per literas, sed tum quasi à senatore nobilissimo, & adolescente gratiosissimo, nunc à Tribuno ple. & à Curione Trib. nō ut decernatur aliquid noui, quod solet esse difficilius, sed ut nequid noui decernatur, & ut S.C. & leges defendas, eaq́; mihi conditio maneat, qua profectus sum. hoc te uehementer etiam, atq; etiā rogo. Vale.

ASCENSIVS.

SEra gratulatio. Quo tempore Curio Romam redierat, & tribunis plebis creatus fuerat: Cicero Ciliciam prouinciam regebat, e qua cum audisset tandem Curionis successum, gratulator ei, purgans tarditatem gratulationis, & simul adhortans, ne quorumuis cōsilius ab Resp. studio auferatur, in qua re tacite Cæsarem notabat. demum rogat, ut Curio faciat ne sibi prouincia prolongetur. Ordo est. Gratulatio de bono alterius, sera .i. licet tarda, non solet reprehendi, præsertim .i. hoc præasserto, si sup. gratulatio, nulla .i. non ulla, non est prætermissa ulla negligentia .i. per ullam negligentiam, subaudi qualis est nostra. Enim .i. quia. ego absum. s. ab urbe longe: utpote in Cilicia, audio. s. quæ illic gerantur sero .i. tarde. aliquando sero est nimis tarde. Sed licet sero, o Curio, ego & gratulor tibi, & exopto ut iste tribunatus sit tibi sempiternæ laudi .i. ad perpetuam laudē. Et hortor te, ut gubernes omnia, & sup. ut moderere .i. temperes omni prudentia tua, ne consilia aliorum, præsertim Cæs. & Pomp. auferant te. s. a recto tramite iustitiæ & curæ Reip. Nemo est, qui possit suadere tibi sapientius te ipso .i. quam tu ipse. Tu nunquam labere .i. cades in errorem aut turpe facinus, si audies te .i. sequeris iudicium tuū. Ego non scribo hoc temere .i. inconsulte. uideo .i. animaduerto cui scribam. Agnoui animum, & noui consilium tuum, & uereor ne facias quid .i. aliquid timide. s. ne pecces per timorem, ut faciunt qui sciūt, quid faciundum sit, sed faciunt quod potentioribus placet, & sup. ne facias quid .i. aliquid stulte ut faciunt imprudentes, qui cum bene facere uelint nesciunt, si defendes ea, quæ ipse .i. tu senties esse recta. Tu uides profecto quod non incideris. s. casu, fortuito, in id. s. tā turbulentum tempus Reip. cum. s. Resp. est in periculo ne opprimatur, sed ueneris .i. sponte te immiseris. Enim pro quia, tu contulisti tribunatum tuum, in ipsum discrimen .i. periculum rerum in quo. s. discernitur quis rerum potiatur, iudicio tuo .i. dedita opera, non casu. Ego non dubito quin cogites, quanta uis .i. uiolentia aut potestas tēporum. s. periculosorum, cum Resp. ad paucorum gubernatione lapsura uideatur, & quanta uarietas rerū sup. sit, quam .i. quātū incerti exitus, quā .i. quātū flexibiles .i. mutabiles sup. sint uoluntates omnium, quid insidiarum & quid uanitatis .i. mēdacii & falsitatis sup. sit in uita. s. humana, aut eorum, quos ipse nouit. Sed Amabo te, blādiendi uerbum, quod cum casum regat, licet blande ponatur, uerbum manet, & accētum suum retinet, cura & cogita nihil noui, sed & illud idem quod scripsi initio. Loquere tecum .i. cum iudicio tuo adhibe te in cōsilium, audi te .i. obedi tibi, obtempera .i. acquiesce tibi, sup. aliquis qui possit melius, quam tu dare consilium alteri, non potest inueniri facile: uero .i. sed certe nemo dabit tibi melius. s. consilium, repete quam tu Dii .i. o dii immortales, cur ego non adsum, uel spectator laudum tuarum, uel particeps, uel socius. uel minister consiliorum, tametsi .i. quanquam, hoc. s. habere ministrum consiliorum, minime deest tibi, sed tamen .i. nihilominus, magnitudo & uis .i. abundantia amoris mei, efficeret ut possem iuuare te consilio. Ego scribam alias .i. alio tempore, plura ad te, enim .i. quia, sup. cum hæc scriberem missurus eram, paucis diebus. s. post, hoc est post paucos dies, tabellarios domesticos .i. qui perferunt tabellas. & literas domesticas, non publicas, ut quoniam gessimus Remp. sane .i. multum feliciter, & ex sententia mea .i. ex uoto meo, perscriberem ad senatū res gestas totius æstatis unis literis. Tu cognosces ex iis literis quas dedi. s. ad te Trasoni liberto tuo .i. a te manumisso, & libertate donato, quantam curam ego adhibuerim de sacerdotio tuo .i. quod me intercessore consequi sperasti & in quam .i. quantum difficili re atque causa. O mi Curio, ego rogo atq; oro te, pro tua incredibili beneuolentia in me, & pro mea singulari beneuolentia in te, ne patiare quicquam temporis prorogari .i. prolongari & extēdi mihi, ad hanc molestiam prouincialem .i. regendæ prouinciæ. Ego præsens .i. cū essem tecum Romæ, cum non putarem te fore .i. futurum tribunum plebis isto anno, egi tecum, & petiui sæpius per literas ita. s. ut non patiaris mihi prouinciam prorogari. Sed petiui sup. tum .i. tunc quasi a senatore .i. patritio nobilissimo, & adolescente etiam gratiosissimo .i. pleno maximæ gratiæ, nunc sup. peto a tribuno pleb. & a Curione. q. d. potentissimo & prudentissimo & amicissimo tribuno, non sup. peto aliquid noui decernatur. s. per senatusconsultum, quod. s. decernere aliquid noui solet esse difficilius sed ut nequid noui decernatur, qualis esset prorogatio imperii, quæ sine nouo decreto nō fieret, ut defendas senatusconsultum & leges. s. uetantes ultra præscriptum tempus prouinciam tenere, & ea conditio, qua profectus sum. s. ut expleto tempore legitimo redeā domū, maneat mihi. Ego rogo te hoc uehementer, etiam atq; etiam. s. frequenter, ut commentarii dicunt. sed non declarant, minus est in rogando quam in orando. Rogare. n. est proprie disquirere an uelis facere, & ita precari ut facias, si ita uideatur. Orare uero est quasi oratorio more precari & implorare. Quia ergo parum est per se rogare, addit uehementer & etiam atq; etiam.

SEBAS. CORR.

ALiorum} ut M. Antonii. {Iudicio enim tuo} quoniam his tēporibus Tribunatum petisti {In ipsum discrimen} quod ex Pompeii & Cæsaris dissensione imminebat. {De sacerdotio tuo} Auguratu, siue pontificatu. nā utrunq; legimus. {Et ut S.C. de obtinenda Cilicia prouincia per annum. {Leges} Forte, Semproniā, Curiatam, & Corneliam.

BERN. RVT.

NE te auferant aliorum consilia} Vide, ne M. Antonium potius quam Cæsarem innuat. nam Cæsaris non tam consiliū dici, quam petitio ac rogatio debuit. Sane Plutar. & amicū Antonium his temporibus Curioni, & eius opera tribunum factum scribit Antonium: magistratumq; etiam cū una gessisse, Cicero Appianusq;. Is Antonius ex Iulia natus, cognatione Cæsarem attingebat. Porro hortatur Curionem Cicero, ut sententiam suam sequatur: quod iam ante Cælii literis edoctus erat, eum Cæsari ualde inimicum. sic enim ait Cælius de Cæsare: Curio se totum contra eum parat. quid assequi possit. nescio. illud uideo, bene sentientem, & si nihil effecerit, cadere non posse. {De sacerdotio tuo quantam curā adhibuerim} Sacerdotium intelligo tribunatum ipsum: nam & eam sacrosanctam potestatem fuisse, pluribus autoribus testatum est. Nisi uero ex eo augurem quoq; factum Curionē diuinemus, quod scribit Plutar. in M. Antonio: C. C. inquit, Antonii amicus, ex mutatione Cæsari fauens, potentia, quam dicendo cōparauerat, magnus præterea largitionibus, quas Cæsar subministrabat, trib. ple. creauit Antonium, post etiam inter augures cooptauit. Cicero enim uidetur cum simpliciter sacerdotium nominat, per excellentiam auguratū dicere. lib. XV. ad Catonem Sacerdotium deniq; loquit, cum quem admodum te existimare arbitror non difficillime consequi possem, non appetiui. Et infra de eadem re: Itaq; & augur postea fieri uolui, quod antea neglexeram.

PHIL. MEL.

SEra gratulatio} Excusatio seræ gratulationis. Deinde est tota adhortatio. Et est negligenter scripta, ... est pathetica, & continet præsagia tribunatus Curionis, qui præbuit causam belli ciuilis. {Teq; hortor ut omnia} Adhortatio plena affectuū & solicitudinis, Tribunatum recte gerendum esse. {Dii immotales} Votum, optat se adesse. {De sacerdotio tuo} Narratio, de certo ... tuo. {Itaque petiui sæpius} Petitio, quæ etiam nihil pertinet ad superiora.

ARGVMENTVM.

Scribitur ad Cælium Rufum cui Cicero in Ciliciam proficiscens mandatum reliquerat, ut sæpius ad se de Rep. scriberet: Cælius autem de iudiciis & inanibus ad eum rebus scripserat, quod reprehendit Cicero.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Leuis obiurgatio per reiectionem, hoc est apodexin. non enim ab amicissimo sibi scribi cupit, quæ a uulgo passim produntur. Ex qua re clam illius sententiam de gliscente inter Cæsarem, & Pompeium discordia requirit, ut animum hominis exploratum, ad partes Pompeii, cui plus fauebat, incliner.

M. T. C. PROCOS. M. CÆLIO. S. P. D. 8

*QVid? tu me hoc tibi mandasse existimas, ut mihi gladiatorum compositiones, ut uadimonia dilata, & Chresti compilationem mitteres, et ea quæ nobis cum Romæ sumus narrare nemo audeat? uide quātum tibi meo iudicio tribuam (nec mehercule iniuria: *πολιτικώτερον enim te adhuc neminem cognoui) ne illa quidem cu rem. ro mihi scribas, quæ maximis in rebus Reipub. geruntur quotidie, nisi quid ad meipsum pertinebit. scribent alii. multi nuntiabunt. perferet multa etiā ipse rumor. quare ego nec præterita nec præsentia abs te, sed, ut ab homine longe in posterum prospiciente, futura expecto: ut ex tuis literis cum formam Reipub. uiderim, quale ædificium futurum sit, scire possim. neque tamen adhuc habeo, quod te accusem: neque enim fuit, quod tu plus prouidere posses, quam quiuis nostrum, in primisq́; ego, qui cum Pompeio complures dies nullis in aliis nisi de Repub. sermonibus uersatus sum: quæ nec possunt scribi, nec scribenda sunt. tantum habeto, ciuem*

* .i. ciuilio

egregium esse Pompeium, & ad omnia quæ prouidenda sunt in Repub. & animo, & consilio paratum quare da te homini: complectetur: mihi crede. iam iidem illi & boni, & mali ciues uidentur, qui nobis uideri solent. Ego, cum Athenis decem ipsos dies fuissem, multumq; mecum Gallus noster Caninius: proficiscebar inde prid. Non. Quint. cum hoc ad te literarum dedi tibi cum omnia mea commendatissima esse cupio, tum nihil magis, quam ne tempus nobis prouinciæ prorogetur. in eo mihi sunt omnia. quid. quando, & quo modo, & per quos agendum sit, tu optime constitues.

ASCENSIVS.

Quid &c. Scribitur ad Cælium Rufum, cui Cice. in Ciliciam proficiscens mandarat, ut sæpius ad se de repub. scriberet, Cælius autem ludicra rescripserat. Vnde Cic. Quid? modus est interrogandi, existimas tu me mandasse tibi hoc, ut mitteres mihi scilicet in scriptis, compositione idest paria, nam pares fere componebantur ad certamen gladiatorum. scilicet in arena, & uadimonia, idest fideiussiones sistendi se aut alium in iudicio, dilata scilicet a prætore, & compilationem idest furta, & spoliationem Chresti idest rem, quam Crestu fur notorius fecerit Et ea quæ cum sumus Romæ nemo audeat narrare nobis, eo quod nimis uilia sunt. Vide quantum ego tribuam tibi meo iudicio, nec mehercule iniuria supple tribui tibi tantum. n. idest quia ego neminem cognoui adhuc πολιτικώτερον idest ciuiliorem te, πολιτικὸς græce est ciuilis aut urbanus, unde fit comparatiuus πολιτικώτερος idest ciuilior & urbanior. Ne quidem idest nõ etiam, curo, ut supple scribas mihi illa quæ geruntur quotidie in maximis rebus Reip nisi quid idest aliquid supple eorum pertinebit ad me: alii scribent scilicet ea, multi nunciabunt supple ea, & ipse rumor, qui incertum habet autorem, perferet etiam multa. Quare idest quamobrem, ego nec expecto abs te nec præterita nec præsentia, sed futura, ut ab homine prospiciente longe in futurum, ut cũ uiderim ex tuis literis formam Reipub possim scire, quale ædificium idest qualis structura status eius, sit futura, aut futurus, metaphora ab ædificio, cuius conspecto fundamento facile perspicitur. Neque tamẽ habeo adhuc quod idest propter quod, ego accusem te. Neq; enim fuit supple aliquid, quod, aut causa, quod tu posses prouidere plus quam quis nostrum: & in primis idest præcipue ego idest, quam ego qui uersatus sum cum Pompeio cõplures dies in nullis aliis sermonibus nisi de Republica, in sermonibus inquam eorum quæ &c. sic exponit Hubertinus: potest etiam sic accipi: Quæ idest quæ res habitæ cum Pompeio, nec possunt scribi, quia multa sunt, & disceptãdo sine diffinitione aliqua inter nos dicta, nec sunt scribenda: idest talia quæ debent scribi, eo quod multa sæpe cum amicis fabulando dicimus, quæ nolumus scriptis mãdare. Tantummodo habeto idest pro certo teneto Pompeium esse ciuem egregium, idest non uulgarem, sed excellenter laudabilem, & paratum, & animo, idest uoluntate & consilio: idest prudentia, ad omnia quæ sunt prouidenda in Repub Quare, idest quamobrem, da, idest accommoda, aut dede te homini, scilicet Pomp. complectetur supple te, idest te suscipiet, crede supple id mihi. Illi iidem uidentur tam nobis & boni, & mali ciues, qui solent uideri, hoc est illi boni, qui solent uideri boni, & illi mali, qui mali Ego cũ fuissem Athenis decem dies ipsos scilicet quibus cum Pompeio in sermonibus de Repub. uersatus sum, & Caius Caninius noster, scilicet amicus aut familiaris, fuisset multum idest pro multa parte temporis, proficiscebar, idest discedebam inde pridie nonas quintiles idest quæ nunc sunt Iuliæ, cum idest quo tempore, ego dedi. idest misi, ad te hoc literarum idest has literas. Attende non recte scriptum fuisse Nonas Iulias, quia tẽpore hæc scripta sunt, nondum. Quintilis: idest Iulius, qui quintus a Martio, & Sextilis, idest Augustus, qui sextus est ab eodem, a Iulio, & Augusto denominationem sumpserant. Cum scilicet ita sit quod cupio, omnia mea, scilicet negocia esse commendatissima tibi, tum nihil magis, idest uehementius supple cupio, quam ne tempus prouinciæ .s. gubernandæ prorogetur, idest prolongetur & extendatur mihi in eo, scilicet obtinendo sunt mihi omnia mea supple uota aut commoda, scilicet curare ne prouincia prorogetur mihi. quando .i. quo tempore, & quomodo & per quos sit agendum constitues: idest iudicabis, & discernes, optime, idest commodissime.

SEBAS. CORR.

Vadimonia dilata} constitutas ad sistendum dies productas. {Nemo audeat?} quod leuia sint, & uiro graui indigna πολιτικώτερον. ciuiliorem. {Cum Pompeio} qui cum Tarenti triduum miros de Republica διαλόγους habuit.

BERN. RVT.

Vt uadimonia dilata, & Chresti compilationes mitteres, & ea, quæ nobis, cum Romæ sumus narrare nemo audeat} Vadimonia significat, quos uulgo nũc in iudicio terminos uocant. Cũm enim antiquitus satisdarent, certa die iudicio sisti, prætor interdum diem iudicio destinatam prorogabat: indeq; dicta dilata uadimonia. quod isti grammatistæ parum intelligunt. Quæ uero narrare Ciceroni nemo audeat, non sunt in quibus Cæsar Pompeiusve offendatur, aut quæ alios quosdam lædant cõtra ius & honestum, ut ariolatur interpres: sed leuia, futilia, fabulosa, quæq; Ciceroni propter grauitatem eius atq; autoritatem omnibus indigna relatu uiderentur. Cælius in epistola, cui hac responsum est: Quod tibi, inquit, decedens pollicitus sum, me omneis res urbanas diligentissime tibi perscripturũ, data opera paraui, qui sic omnia persequeretur, aut uerear, ne tibi nimium arguta hæc sedulitas uideatur. Et infra: Sed ipsum uolumen, inquit, quod tibi misi, facile (ut ego arbitror) me excusat nescio cuius otii esset, non modo perscribere hæc, sed omnino animaduertere. omnia enim sunt, ibi senatusconsulta, edicta, fabulæ, rumores. quod exemplum si forte minus te delectarit ne molestiam tibi cum impensa mea exhibeam, fac me certiorem. Idem nunc docet Cicero, sibi displicere. Ego autem non inepte facturum arbitror, nec inutiler, qui a Cælio ad Ciceronem missas istis ordine imprimendo interserat: sunt enim alteræ alteris expositiones clarissimæ. Item supra: Ego cum Athenis decem ipsos dies fuissem. Quid si? Cum ipso. nam alioqui ipsos, Totos non probo.

Ex poste. eiusdem.

Ego} cum Athenis decem ipsos dies fuissem. Cum ipso, non probo: quod reposui. neque enim Pompeium Athenis conuenit, sed Tarenti Ipse ad Atticum: Nos Tarenti, quos cũ Põpeio dialogos de Repub habuerimus, ad te perscribemus. Et subiectis literis. Tarentum ueni ad XV Cal. Iun. quod pontinum statueram expectare, commodissimum duxi dies eos, quoad ille ueniret, cum Pompeio consumere Et proximis: Ego cum triduum cum Põpeio & apud Põpeium fuissem, proficiscebar Brundusiũ ad XIIII. Cal. Iun deniq; sic ad eundem loquutus, ego has prid. Non. Quin. proficiscens Athenis dedi, cum ibi decem ipsos fuissem dies. Et alibi. Detraxit. xx. ipsos dies etiam Aphractus Rhodiorum.

PHIL. MELS.

Ista epistola habet initio reprehensionem argumentorum epistolæ, ut solet fieri in respondendo: ubi aut approbamus, aut reprehendimus aliquid. Deinde sequitur narratiuncula. Est epistola mere familiaris, neq; una est ex illis, quæ sint ualde rhetoricæ. Qui uero intelligere istas epistolas ad Cælium uult, legat librum octauum. {Quid? tu me hoc tibi} Sine exordio obiurgatio, quod non perscripserit res dignas. {Qua re ego nec præterita} Qualia uelit scribi {Tantum habeto} Obiter hortatur, ut in Pompeii amicitiam se insinuet.

ARGVMENTVM.

Gratulatur Cælio, q ædilitatem assecutus est, cum expulsione aduersarii competitoris, quem plurimi putant Atilium fuisse: hominem uanum, non minus tamen gloriæ cupidum, & iactabundum, ut qui iactauerat se omnia, quæ uellet, assecuturum fauore iuuenum gratiosorum, quos in sua potestate habebat. Vnde Cicero ut Cælio, qui de ea uictoria gloriatus est, complaceat, significat se gestire præ lætitia, & uix seruasse modũ. & in animo plane egisse petitionem illam, ut ad oculos referret, & profusius rideret. Subobscura est epistola, quales sunt in quibus perplexe loquitur.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Gratulatoria est epistola, qua de dignitate & repulsis competitoribus illi congratulatur.

M. T. C. PROCOS. M. CÆLIO RVFO ÆDIL. CVR. DES. S. P. D. 9

* Plurimum tibi, ut debeo, gratulor, lætorq; cum præsenti, tum etiam sperata tua dignitate, serius nõ negligentiam mea, sed ignoratione rerum omnium: in his enim sum locis, quo & propter longinquitatem, & propter latrocinia tardissime omnia perferuntur. & cum gratulor: tum uero, quibus uerbis tibi gratias agam, non reperio, quod * ita factus sis, ut dederis nobis, quemadmodum scripseras * ad me, quem semper ridere possemus. itaque cum primum audiui, ego ille ipse factus sum (scis quem dicam) * egiq; omneis illos adolescenteis, quos ille iactitabat. difficile est loqui. Te autem contemplans * absentem, & quasi tecum coram loquerer. Non ædepol quantam egeris rem, neque quantum facinus feceris. quod quia præter opinionem mihi acciderat, referebam me ad illud. Incredibile hoc factu obiicitur. repente uero * in cessi omnibus lætitiis. in quo cum obiurgarer, quod nimio gaudio pene

*alias, Primum. tibi.
*alias, ita factũ sit,
*alias, ad me quod.
*a.l. ego q.
*a.l. absẽtem quasi.
*a.l. immersi.

na.l.ba- bu,uel bo mini.

*pene desiperem,ita me defendebam. Ego uoluptatem * animi ni-miam. quid quæris? dum illum rideo, pene sum factus ille. sed hæc pluribus, multaq; alia & de te, & ad te, cum primum ero aliquid otii nactus. Te uero mi Rufe diligo, quem mihi fortuna dedit amplificatorem dignitatis meæ, ultorem non modo inimicorum, sed etiam inuidorum meorum: ut eos partim scelerum suorum, partim etiam ineptiarum pœniteret. Vale.*

ASCENSIVS.

PRimum. Gratulatur Cælio quod ædilitatem cum explosione aduersarii assecutus sit, quod quasi assentiatur facit, sed perplexe, unde obscurior est epistola. Ordo autem est Ego gratulor primum tibi, ut debeo, & lætor, id est gaudeo, cum præsenti dignitate tua, quia ædilitatem assecutus es, tum etiam sperata, quia sperat reliquos magistratus cum tempore assecuturum, aut sperata a nobis priusquam obuenisset, gratulor inquam serius idest tardius quam deceat, aut aliquantulum tarde, non negligentia mea, sed ignoratione rerum omnium scilicet quæ geruntur Romæ Ego enim sum in his locis, quo idest ad quæ omnia perferuntur tardissime, & idest pariter, propter longinquitatem, & idest pariter, propter latrocinia, idest impedimenta & pericula, propter latrones & obsessores uiarum. Et cum scilicet ita sit quod gratulor. Tum uero idest multo uerius, non reperio quibus uerbis agam tibi gratias, quod ita factus sis scilicet ædilis, ut dederis nobis quemadmodum scripseras ad me, sup C. Attilium hominem uanum & futilem, quem possemus ridere semper. Itaque idest & ita, cum ego audiui primum, ego factus sum ille scilicet per imaginationem idest finxi me esse illum: tu scis quem dico quasi dicat factus sum C. Attilius, & egi idest representaui etiam per imaginationem, omnes illos adolescentes, scilicet gratiosos. Quos ille iactitat: scilicet sibi suffragaturos fuisse. Difficile est loqui: scilicet ne intelligar ab omnibus, aut potius, quia risu impedior cum ista quæ scripsisti recolo. Autem idest sed ego contemplans te absentem & quasi loquerer tecum coram, ædepol idest per ædem Pollucis, non supple contemplans, quantam rem egeris, neque quantum facinus feceris scilicet uincendo Attilium quod, scilicet per imaginationem assumpsisse personam Attilii sine contemplatione uictoriæ meæ, idest adhuc talis qualis erat antequam uictus esset, acciderit mihi præter opinionem, nihil tale optanti, nec putanti: quod personam eius assumpserim in animo meo, referebam me ad illud, idest totus uersabar in ea cogitatione, ac si essem Attilius, & supple hoc incredibile, scilicet quod tu eum sic uicisti, obiicitur: scilicet cogitationi meæ, uero idest sed incessi, alii ab incesso, ego ab incedo deductum puto idest pompose ingressus sum, supple cum omnibus lætitiis scilicet quod cum illius personam egissem, repente ad me reuersus per imaginationem, tamen intellexi te uictorem, quo: scilicet superbo incessu propter lætitias, cum obiugaret, scilicet phantastice, quod desiperem pene idest insanirem quasi nimio gaudio, defendebam, scilicet per imaginationem quasi in somno, me ita scilicet his uerbis. Ego habui nimiam uoluptatem, & ita nimium risi. Facile adducor in eorum sententiam, qui censent hunc locum esse totum in aliqua ueteri comœdia sicut in primo libro locum ex Eunucho Terentii non multo minorem assumpsit. Nam lætitius Cicero non dixisset. Sunt ista uerba alicuius gloriantis de se, quæ cum quadrent homini a Cælio uicto, adducuntur a Cicero. Quid quæris scilicet finem phantasiæ, aut imaginationis meæ? Dum ego uideo illum scilicet a te uictum Attilium. factus sum pene idest quasi ille idest ridiculus ut ille. Sed hæc, supple ut scribentur a me, pluribus, supple uerbis, multaq; alia: & de te scilicet dicta, & ad te, dicta: supple scribentur a me pluribus, cum primum nactus ero aliquid ocii. Vero, pro sed o mi Rufe. ego diligo te, utpote quem fortuna dedit amplificatorem dignitatis meæ, & supple ultorem, nō modo inimicorum, sed etiam inuidorum meorum, ut pœniteret eos, partim scelerum suorum, partim etiam ineptiarum, ut eum quem nunc taxat, in quo se ulturum dicit Cice. eo quod sibi quoq; aduersarius esset.

VICTORIVS.

EGo uoluptatem homini nimiam.} Hic locus uarie legitur: alii enim pro {Homini, habui} legunt, alii etiam aliis modis, quos non necesse est omnes enumerare. in antiquis exemplaribus sane {Homini} est, (animi) tamen legendum puto, est autem uersiculus non totus Trabeæ poetæ comici in Thuscu. fere integer, est sententia certe eius non desideratur, Vt ille, qui uoluptatem animi nimiam summum errorem esse arbitrabatur. Item lib. II de finibus, Nam & ille apud Trabeam uoluptatem animi nimiam lætitiam dicit, eandem quam ille Cæcilianus, qui omnibus lætitiis lætum esse se narrat. Existimo autem hoc loco uersiculum Cæcilii intelligere, quem Cicero in hac ipsa epistola integrum ponit, hunc scilicet Repente uero incessi omnibus lætitiis Hæc autem tota pene uersibus epistola contexta est, nam illa etiam uerba, Non ædepol quantam egeris rem, neque quantum facinus feceris, arbitror esse ex aliquo poeta, sed quia confusa citantur, non facile numeros in illis inuenias, uerba tamen ipsa diuersa a pedestri sermone uidentur.

QVos ille iactitat} In ambabus suis editionibus Manutii {Iactitabat} in iis tamen, qui antea excusi erant, & in manuscriptis, quos uidimus. {Iactitat} legitur. Quid illi secuti sint, non uideo, nec ipsi exposuerunt, cupio a doctioribus cogitari, an melius legi possit. {Actitat} ut in eodem pene uerbo ludat. Mihi sane hæc lectio uehementer placet, quamuis in nullo manuscripto codice eam inuenerim. Nam quod in nostro legitur. {Quod ita factus sis} e ueteribus libris eruditum est, & sane ita legi debet, quemadmodum enim supra ei gratulatus erat, q ædilitatem adeptus esset, ita nunc ipsi gratias agit Cicero, quod ita ædilis factus sit idest cum inimici sui ignominia: deiecerat enim Hirrum Cælius ædilitate, & industria sua, ut ille repulsam pateretur, effecerat: ita frequenter loquitur Cicero, ut in Pisonem, Sed omitto, ut sit factus uterq; nostrum.

Ex post. eiusdem.

PLurimum} Primum in omnibus fere libris ueteribus legas. nec enim semper sequitur. Deinde, ut etiam in fine sequentis epistolæ. {Factus sis} Aedilis Curulis, quamuis passim, Factum sit, legatur {Scripseras} Episto. iii. lib VIII. cum scripsisti, Si sio, tota uita risus nobis deesse non poterit {Quem} Hirrum. {Primum audiui} fama te Aedilem factum accepi. {Ille} ille Cecilianus ut Ille, hoc loco sit quasi persona Comica {Quos ille iactat} in Cecilii, ut nos arbitramur, Synephebis {Difficile est loqui} præ lætitia. {Te autem &c.} Hos treis uersus e uetere libro ita descriptos, uti puto suis numeris non esse prorsus redditos, ita contendo de Cecilii, uel alterius poetæ fabula sumptos:

SEBAS. CORR.

Te autem contemplans absentem, & quasi tecum coram loquerer:
Non ædepol quantam egeris rem, neq; quantum facinus.
Feceris, sed quia præter opinionem id mihi acciderat, referebam me ad illud.
Incredibile hoc factu obiicitur.
Repente uero incessi omnibus lætitiis.
In quo cum obiurgaret, quod nimio gaudio pene desiperem me defendebam.
Ego uoluptatem animi nimiam.
Quid quæris? & quæ sequuntur ita enim totus locus describendus uidetur. Sed ad rem reuertor. {Præter opinionem} In comœdia fortasse aliter, hic, quia de Hirro, quod non putaram. unde addidit id carminis,
Incredibile hoc factu obiicitur.
{Lætitiis} ex Cecilio. {Nimiam} dico, uel aliquod uerbum simile, quo usus uideri possit Chærea apud Trabeam, cuius hæc sunt uerba. {Dum illum} Hirrum, quem Cicero, & Cælius nota quadam soliti erant, illum appellare, ut non desit iocus in illo, pro Hirro, & in illo pro illo Ceciliano. {Factus ille} Cecilianus. {Inimicorum} Clodianorum, in Tribunatu suo, & in causa Milonis. {Inuidorum} C. Hirri, & aliorum. {Scelerum} Hoc ad inimicos pertinet. {Ineptiarum} Hoc ad Hirrum.

BERNRVT.

TE autem contemplans absentem & quasi tecum coram loquerer, non equidem quantam rem egeris, neque quantum facinus feceris, quod quia præter opinionem mihi acciderat, referebam me ad illud; incredibile hoc factum obiicitur} Ego, quem hinc sensum extorqueant, qui ita legunt, non uideo. Locus uero facilis efficitur paruo momento, si {Quia} dictio abundans, ut puto, deleatur. cum enim scriptum esset, Quod præter opinionem mihi acciderat, lector superne glossematis (ut fit) uice, Quia scripserat, quasi Quod quia significaret, non quæ res. Id uerbum inde librariorum inscitia in contextum tractum, totam sententiam fœdauit. Legatur, Quod præter opinionē mihi acciderat. ut si Quod relatiue accipias, piaculum tamen ne admiseris. Verba autem ea, Incredibile hoc factum obiicitur, ex persona competitoris Cælii sunt, qui se repulsum mirabatur, obstupescebatq; prælatum sibi tot suffragiis Cælium in ædilitate. Significauerat eum Ciceroni Cælius, idipsum ingemiscere competitorem suum, tametsi non extet huius rei Cæliana epistola. multas enim quanquam missas, ne ad ipsorum quidem manus peruenisse arbitror, nedum omnes seruari in hæc tempora potuerint. Acciderat autem præter Ciceronis opinionem, non ut Cælius ædilitatem consequeretur (id enim procerto ante habuerat, quod ostendit cum ait, Tum etiam sperata tua dignitate, alio quam interpretis sensu) sed id, ut tantopere doleret, quasiq; lachrymaretur Hirrus repulsus, uerbum illud crebro repetens, incredibile hoc factum obiicitur. in quo pueriliter desipuit alter interpretum. Quod uero subdit Cicero. {Vltorem non modo inimicorum, sed etiam inuidorum meorum, ut eos partim scelerum suorum partim etiam ineptiarum pœniteret} Inuidos Hirrum ipsum accipit, Cælii competitorem, eosque qui e contra Ciceronem fauissent, impulissentque, quasi Ciceronem irrisuri, tali obiecto competitore, quod scilicet antea Ciceroni in auguratu se competitorem non dubitauerit exhibere. Cælii uerba sunt, ad hunc locum attinentia, Sic tu, inquis, Hirrum tractasti? imo, si scias, quam ne contentionis quidem Minime fuerit, pudeat te, ausum illum unquam esse, incedere tanquam tuum competitorem. Significat aliis epistolis Cicero, Hirrum secum auguratum petisse. Item supra, Vt dederis nobis, quemadmodum scripseras ad

me, quem semper ridere possemus. Id quoque ex Cælii uerbis: Sed hoc usq; eo suaue est (inquit de competitore Hirro) quod si accide rit, tota uita risus nobis deesse non possit. Nam, quod isti de C. Artilio nescio quo somniauerint, unde sit non intelligo. miror q; uel maxime, tam negligenter in re grauissima atq; elegantissima uersatos, ut conferre Cæliaoas cum Ciceronis epistolas piguerit. unde in fœdos errores irrepsere. {Itaq; cum audiui} te ædilem factum. Hirrum præteritum. {Ego uoluptatem habui nimiam} Habui, retineo: non, ut uterq; agnouit interpres, hominum.

PHILI. MELA.

EXcusatio tarditatis in scribendo. Sequitur gratulatio. inde facit Hypothesim illius qui petiit cum Cælio ædilitatem, & repræsentat quosdam illius gestus. Aedilis curulis a sella curuli dicitur. Fuerunt autem duplices ædiles, superiores ex patriciis: & alii ex plebeis. {Primum tibi ut debeo} Gratulatio. {Itaq; quam primum audiui} &c. quo amplificat & repræsentat gestus quosdã illius, qui uictus fuerat in petitione ædilitatis. Vide secundam epistolam octaui libri. {Te uero mi Rufe} Clausula.

IO. RIV. Attend.

IN quo cum obiurgarer, quod nimio gaudio pene desiperem, ita me defendebam, Ego uoluptatem homini nimiam} legendum. {Ago uoluptatem hominum nimiam} pro, effingo & exprimo. Sic enim exemplar quoddam calamo descriptum, & eo in significatu quod hic utitur Cicero, cum alias idem, tum paulo quoq; superius est hoc uerbo usus.

ARGVMENTVM.

Conqueritur se nullas a Cælio literas post ædilitatem eius accepisse, reiiciens culpam in tabellariorum timorem. qui non audebant propter latrocinia literas perferre. Vnde ueretur eandem calamitatem literis suis ad Cælium accidisse: scribit tamen quid in Cilicia gesserit, non sine laudis suæ amplificatione.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Ne alienet a se Cælii animum exprobratione immemoris officii, quod in nouis dignitatibus nonnunquam solent mutari animi, culpam in tabellarios consilio transfert. Deinde res gestas suas cum amplificatione exponit: scilicet ut dignum se esse ostendat amicitia & familiaritate Cælii.

M. T. C. IMP. M. CÆLIO RVFO ÆDILI CVR. DES. S. P. D. 10

TV uide, *quam ad me literæ non perferantur: non enim adduci possum, ut abs te, posteaquam Aedilis factus es, nullas putem datas: præsertim cum esset tanta res. tantæ gratulationes de te, quia quod sperabam: de Hillo (balbus enim sum, quod non putaram) atqui sic habeto, nullam me epistolam accepisse tuam post comitia ista præclara: quæ me lætitia extulerunt. ex quo uereor, ne idem eueniat in meas literas. equidem nunquam domum misi unam epistolam, *quin esset ad te altera: nec mihi est te iucundius quicquam, nec carius. sed balbi non sumus. ad rem redeamus. Vt optasti, ita est: uelles *enim, ais, tantummodo ut haberem negotii, quod esset ad laureolam satis. Parthos times, quia diffidis copiis nostris. ergo ita accidit: nam *Parthico bello nuntiato, locorum quibusdam angustiis, & natura montium fretus, ad Amanum exercitum adduxi, satis probe ornatum auxiliis, & quadam autoritate apud eos, qui me non norant, nominis nostri: multum est enim in his locis: Hiccine est ille, qui Vrbem? quem senatus? nosti cætera. cum uenissem ad Amanum, qui mons mihi cum Bibulo communis est, diuisus aquarum diuortiis: Cassius noster, quod mihi magnæ uoluptati fuit, feliciter ab Antiochia hostem reiecerat. Bibulus prouinciam acceperat. interea cum meis copiis omnibus uexaui Amanienseis hosteis sempiternos. multi occisi, capti: reliqui dissipati. castella *munita, improuiso aduentu capta, & incensa. ita uictoria iusta Imperator appellatus apud Issum: quo in loco sæpe, ut ex te audiui. Clitarchus tibi narrauit, Darium ab Alexandro esse superatu. abduxi exercitum ad infestissimam Ciliciæ partem. ibi quintum, & uigesimum iam diem aggeribus, uineis, turribus oppugnabam oppidum munitissimum *Pindenissum tantis *opibus, tantoq; negotio ut mihi ad summam gloriam nihil desit, nisi nomen oppidi. quod si (ut spero) cepero: tum uero literas publice mittam. hæc ad te in præsenti scripsi, ut sperares te assequi id, quod optasses. sed, ut redeam ad Parthos: hæc æstas habuit hunc exitum satis felicem. ea, quæ sequitur, magno est in timore. quare mi Rufe uigila, primum ut mihi succedatur: sin id erit, ut scribis, & ut ego arbitror, *spissius illud, quod facile est, nequid mihi temporis prorogetur. De Republi. ex tuis literis: ut antea tibi scripsi cum præsentia, tum etiam futura magis *expecto. quare, ut ad me omnia quàm diligentissime perscribas te uehementer rogo. Vale.

*a.l. quã temere cū ad. uel, temere.

*a.l. quin etiã esset.

*a.l. enim ut ais.

*Vide epistolam tiu. li. xv.

*a.l. minuta.

*Stra. li. vii.

*a.l. operibus.

*a.l. serius.

*a.l. expecto.

ASCENSIVS.

TV uide Queritur se nihil ab Rufo literarum accepisse, reiiciens culpam in tabellarios: unde ueretur suas quoque interceptas: scribit tamen quid in Cilicia gesserit, non sine laudis suæ amplificatione. Ordo est. Tu uide quam timide supple perferantur literæ, aut agant tabellarii, qui propter latrocinia non audent in Ciliciam proficisci, quã: idest quatenus non: idest quod omnino non perferantur literæ ad me Non enim possum adduci, scilicet in opinionem, hoc est persuaderi, ut putem nullas literas datas abs te, postea quam factus es ædilis: præsertim cum esset tãta res & tantæ gratulationes de te. Quia quod sperabam de, uolebat aliquid dicere, quod quia non audet literis committere, addit Nihilo quasi dicat de nihilo dico, sum enim balbus: idest factus sermone imperfecto & semipleno, quod non putaram, scilicet euenturum. Atqui: idest sed, si dubitas cur dubitem ad te scribere, habeto sic. Me nullam epistolam tuam accepisse post comitia ista præclara idest post tempora quibus coeunte populo ad creandos magistratus declaratus es ædilis curulis, quæ scilicet comitia extulerunt idest quasi extra me ipsum tulerunt & exultare fecerunt me lætitia, ex quo: idest ex qua re hoc est ob quam rẽ, quia scilicet nullam a te accepi, ego uereor ne idem, scilicet quod non perferantur, eueniat in literas meas: idest in perniciem literarum mearum. Equidem: idest ego certe, nunquam misi domum unã epistolam, quin altera, scilicet epistola esset ad te, nec quicquam est mihi iucundius, nec charius, quam scilicet ad te scribere, sed sup modo non sumus balbi: idest impediti lingua. Redeamus igitur ad rẽ, ita est: idest ita se res habet ut optasti. Tu enim ais, uelles: idest q uelles, ut haberem, scilicet in prouincia, modo: idest solum tantum negocii, quod esset satis ad laureolam, idest minorem speciem triumphi, hoc est ouationem, quæ contingebat in non satis ampla uictoria, aut quæ esset in hostes non satis iustos, ut triumphus in eos decernatur. Quia uero a triumphaturis laurea mitti solebat, dicit per diminutionem laureolam. Tu times Parthos: idest non uis me obire pericula iusti triumphi, qualia darent bella cum Parthis. quia diffidis copiis nostris, idest multitudini exercitus nostri. Ergo accidit, ita ut laureolam meruerint. Nam bello Parthico nunciato, & fretus: idest adiutus & confisus quibusdam angustiis locorum, adduxi exercitum ad Amanum scilicet montem, qui cum Antitauro a Tauro monte scinditur, & ad Euphratem & Melitinam usq; progreditur. Crescit autem multum in latum & altum & multifidus est, pars australior est Taurus, qui a Caria Lyciaq; incipiens, porrectus uero ad orientem conualles apud Ciliciam complectitur, ut autor est Strabo lib. XI. Duxi inquam exercitum ornatum, idest instructum, probe, idest decenter. Auxiliis & quadam autoritate nominis nostri apud eos qui me non norant, scilicet prius enim: idest quia, nomen, supple nostrum, idest fama, est multum, idest ampla, in his locis: scilicet in quibus sum. Dicunt enim qui me primum uident, hiccine est ille: scilicet Cicero, qui urbem, scilicet præseruauit a coniuratis, quem senatus scilicet pleno consensu quasi in humeris totius Italiæ ab exilio reductum uoluit? nosti cætera, quasi dicat non opus est tibi explanem quid de medicant. non tamen nunc balbus est. Sed ut Tacitus dicit. Quin etiam sapientibus cupido gloriæ nouissima exuitur. Cum uenissem ad Amanum, qui mons est communis mihi cum Bibulo, quia Bibulus Antiochiæ præerat, quæ Amano adiacet, diuisus scilicet inter nos, diuortiis, idest interstitiis, & in diuersa uersis fluctibus aquarum, tunc supple Cassius noster scilicet amicus, aut conciuis, reiecerat feliciter hostem ab Antiochia, quod mihi fuit magnæ uoluptatis, & supple Bibulus acceperat prouinciam scilicet pacatam. Ego uexaui, idest exagitaui interea cum omnibus copiis meis, idest simul omnes copiæ meæ uexauerunt, aliter non dixisset eum, Amanienses. ut ab Athenæ Atheniensis. alii Amanenses, ut a Verona Veronensis, legunt. certum autem est in accusatino dicit Amanienses, & scribi posse Amanienseis,

Amanienseis, hostes sempiternos scilicet Popu. Roma. multi, supple hostium sunt, supple occisi, multi supple capti, reliqui dissipati, castella munita scilicet mœnibus aut situ locali, capta & incensa sunt aduentu improuiso. Ita idest & sic ego, supple sum appellatus ab exercitu Imperator uictoria iusta idest satis magna, ut imperator appeller, apud Issum partem illam Syriæ, in quo loco, ut audiui ex te, Clytarchus autor græcus narrauit sæpe tibi, Darium regẽ Persarum esse superatum ab Alexandro rege Macedonum. De Isso autem Pomponius Mela in descriptione Syriæ sic inquit. In recessu intimo locus est magni aliquando discriminis fusorum ab Alexandro Persarum, fugientisq; Darii spectator ac testis. nunc ne minima quidem, tunc ingenti urbe celebris Issos fuit, & hac re sinus Issicus dicitur. Hæc ille, referente Hubertino, qui alium putat esse Clytarchum, quam qui Alexandrum secutus illius gesta scripsit, quod nullo modo est dubitandum, si accipimus Clytarchum narrasse Cælio ore proprio. Nam multo post tempora Alexandri hæc contigerunt. Verum ego intelligo Ciceronem id uelle dicere. Cælium diligentem esse historiarum lectorem, atq; ita eum censere solitum, quæ legerit in libris auchorum, ea se ab illis audiuisse narrantibus, sed ad iudicium cuiusq; refero. Abduxi. s. ab Isso exercitum. ad partem. s. Syriæ, infestissimam Ciliciæ. i. prouinciæ nostræ ibi oppugnabam iam. s. cum ista scriberem, quintum & uigesimum diẽ. Ecce quomodo minorem numerum rite præponit, & accusatiuo in cõtinuato utitur, aggeribus, scilicet aggestis ante oppidum, nequis exeat, uineis, idest testudinibus, hoc est contexturis ex scutis & pluteis supra capita militum contra immissa desuper tela, ut solemus sub uineis in latum ductis a sole protegi, & turribus idest phalis ligneis ad oppugnationem utilibus, Pindenissum oppidum: scilicet Syriæ, unde prius dixi, non partem Ciliciæ, sed ad partem infestissimam Ciliciæ, munitissimum tantis operibus: idest difficultatibus sustinendi belli, & tanto negocio: idest studio, & labore: ut nihil desit mihi ad summam gloriam, nisi nomen oppidi, quod scilicet exiguum putatur, sic quidã. Alii (quibus potius accedo) sic accipiunt oppugnabam Pindenissum oppidum munitissimum, aggeribus, uineis: turribus, & supple tantis opibus: idest uiribus, & tanto negocio: ut nihil desit mihi ad summam gloriam, nisi nomen oppidi: id est ut denominet ab eo Pindenissus, sicut a Numantia Scipio Numantinus, quod oppidum, si cepero, ut spero: scilicet me capturum esse, tum uero: idest ad uerum & sine dissimulatione: unde innuit has literas missas ædili eo animo, ut senatui legendas det, licet illud aperte non dicat, mittam literas publice: idest ad senatum ut publicentur. Ego scripsi ad te hæc in præsenti, ut speres, te assequi id quod optasses, scilicet ut haberent tãtum negocii, quod esset ad laureolam satis. Sed ut redeam ad Parthos: idest ad narrationem de Parthis, quos Cælius scripsit se timere, hæc æstas habuit hunc exitum satis felicem, quia nihil agendũ fuit cum Parthis. sup. æstas, quæ sequitur, est in magno timore: idest multum timenda, quare mi Rufe uigila: idest uigilanter cura primum, ne succedatur mihi: idest ut non prorogetur mihi prouincia, sin: idest sed si id erit: idest succedatur mihi, ut scribis, & ut ego arbitror, serius: idest multum tarde. Aliquibus magis accedo, qui legunt spissius: idest tardius. Nam (ut inquit Non. Marcel.) spissum duo significat. nam spissum dicimus densum. Virg. II. Georgi. In sua posse negabunt Ire loca, & scrobibus superabit terra repletis Spissus ager. Cicero de Orato. lib. II. Et principia tarda sunt, & exitus tamen spissi & producti esse debent. Spissum significat tarde. Plau. in Penulo. Eheu, quos ego habui ariolos haruspices, qui, siquid boni promittunt, pro spisso ueniunt, id quod mali, præsentarium est. Næu. in Gym. At enim tu nimius spisse, atq; tarde incedis. Hæc ille in quibus primum exemplũ Cice. quod pro denso Mar. citat, mihi etiam pro tardo accipiẽdum uidetur: nam, ut id se significare indicet, addidit & producti. Productum enim est porro: idest in longum ductum, id autem tardum est. Sane spissum unum significat per se uidelicet densum, alterum ex consequenti, & per metaphoram: uidelicet tardum, eo quod res spissa tarde penetratur, terra spissa tardum iter facit: homo spissus fere tardus ingreditur, & omnia spissa lenta sunt: unde contra, lentum in compositione plenum, & quasi spissum uocamus. Sed hæc latius diximus, eo q̃ quidam homines non indocti, forte tamen non accipientes uim uocabuli, pro spissius serius supposuerunt. Sed cũ ad hominem in primis literatum scribit Cicero, uidetur ex industria usus non uulgatis uocabulis, ut hoc quod proxime subditur, uigila ne quid temporis. Non enim uigilia id præstare possit, sed uigilans cura: dicam statim. fortasse illa epistola. Quid? tu &c. quia illa admonuit ne scribat præsentia: sed ad ordinem redeo: uigila. i. uigilanter cura illud quod facile est, ne quid temporis prorogetur mihi idest ut successor suo tempore mittatur. Ego expecto: scilicet ut dicunt noua, de Republi. ut scripsi tibi antea, fortasse illa epistola. Quid? tu &c. ex tuis literis, cum scilicet ita sit: quod expecto præsentia, tum etiam magis futura. Quare ego rogo te uehementer, ut scribas ad me omnia quam diligentissime: idest ualde diligenter.

VICTORIVS.

VIde quam timide, quam ad me literæ non perferantur} Quidam emendarunt, Tu uide quam temere, cum ad me literæ non perferantur: secus prorsus quam in antiquis exemplaribus est. Cum autem lectionem illam uulgatam contemnerent, aliam commenti sunt, ut sibi uidebantur, commodiorem. Nos nihil ab optimis libris declinauimus: est autem in illis, Tu uide quam ad me literæ non perferantur quam lectionem censeo sequẽdam esse. Vide quam non perferantur literæ, negligentia: scilicet tabellariorum, aut aliquo casu non enim persuaderi se posse dicit nullas a Cælio literas datas, postquam ædilis declaratus est: doceatq; interim tempus, quod sine eius literis egit. Miratur igitur non mediocriter cur hoc accidat, quasiq; attentiorem & diligentiorem uult facere Cælium in dandis literis, cum nullæ ad eum perferantur.

{Quia quod sperabam de nihilo} Hic locus ualde mihi semper obscurus uisus est: quare fieri etiam potest ut mendo non uacet: id ego neq; negare neq; affirmare ausim cum tamen omnes fere impressos codices, cunctos certe manuscriptos eandem lectionem retinere uideam, nolui aliquid contra tot librorum consensum statuere: aliisq; eruditioribus de hoc decernendum relinquere satius esse duxi Qui nuper Venetiis has epistolas ediderunt, de Hillo, emendarunt, hãc secuti rationem & coniecturam, ut puto, ut de Hirri repulsa agit, qui cum Ciceronis quondam competitor fuisset, graues cum illo postea inimicitias gessit, de quo est in epistolis Cælii, ut magnam lætitiam Cicero ceperit, illum etiam a Cælio uictum, & ædilitate deiectum esse, appelletq; nunc eum Hillum more balborum, qui linguæ uitio, R, literam exprimere nequeunt, & pro illa, L, proferunt, quemadmodum apud Aristophanem Alcibiades inducitur, qui naturæ uitio in hoc peccabat: adiungit enim statim Cicero, Balbus sum, quod non putabam. Lepidum sane commentum, nec inepte excogitatum quibus placuerit, poterunt ita intelligere & emendare. Nobis magis acute quam uere expositum uidetur: fit enim nimis multarum literarum immutatione, uel potius totius uocis peruersione. Quod si liceret tantum sibi in corrigendis libris permittere, nihil tam deprauatum esset, quod non ita posset concinnari, ut ex eo aliquid commodæ sententiæ eliceretur. sed id parum tutum est, sæpiusq; in malum uertit. Nonnullas quoq; coniecturas, quæ hanc emendationem, ut uiolentam, ita etiam non ueram esse arguerent, adferre possem: quas tamen omittam, ne uideat aliorum industriam uelle insectari, cum nihil ego, quod magis sensum huius loci illustret, maculasq;, si quæ sunt, abluat, adferam.

Ex post. eiusdem.

IMpe. appellatus apud Issum} Ad Atti. de eadem rescripsit, ubi eiusq; aliquanto totum hoc negocium narrauit: quo in loco se ipsum quoq; lusit facetissime. est autem cclxxiiii. Antipater poeta scripsit Epigramma, quod incidi uoluit in sepulchro Persarum, qui in eo prælio pro rege suo pugnantes ab Alexandro cæsi sunt, in quo etiam Issum appellauit, quia autem id elegantissimum est, placuit mihi id illud scribere.

Ἰσσοῦ ἐπὶ προβολῇσιν ἁλὸς παρὰ κῦμα Κιλίσσης
ἄνδρες, οἱ Περσῶν κείμεθα μυριάδες.
ἔργον Ἀλεξάνδροιο Μακηδόνος, οἵ ποτ' ἄνακτι
Δαρείῳ πυμάτην οἶμον ἐστειλάμεθα.

PAVL. MANV.

DE te, quia, quod sperabam, de Hillo, (balbus enim sum) quod non putaram} In epistola, quæ tertia est VIII. libri, Cælius de Hirro competitore loquens ita scripserat, Spero te celeriter auditurum & de nobis, quod sperasti, & de illo, quod uix sperare ausus es. itaque Cicero respondens, iisdem fere uerbis eadem repetit, & quia Cælius scripserat, de nobis, quod sperasti, de illo, quod uix sperare ausus es, rescribit, de te, quia, quod sperabam, de Hillo (balbus enim sum) quod non putaram. facete autem, cum repeteret uocem illam Cælii, illo, aspirationem addidit, & subiunxit (balbus enim sum,) Hirrum significans, cuius nomen propter balbutiem exprimi a se non posse fingit. in sequentibus autem cum r, literam expedite proferat, sed balbi, inquit, non sumus. {Diuisus aquarum diuortiis} plerosq; latet huius loci sensus. & uidi doctos alioqui uiros, qui sic interpretarentur: fuisse fluuium, qui montem Amanum interfluens diuideret, & Ciceroni, ac Bibulo communem faceret, cum dixerit Cicero, non, diuisus fluuio, aut diuisus aquis, sed, diuisus aquarum diuortiis. quam illi uocem parum diligenter expenderant. diuortium aquarum ita fit, Cadunt in montem aquæ pluuiæ is mons cum sit procliuis, utrinq; defluant, & decurrant, necesse est. ita fit, ut diuidantur, & earum quasi diuortium fiat. itaque dixit de oratore lib. j. cxlix. ut ex Appennino fluminum, sic ex communi sapientium iugo sunt doctrinarum facta diuortia. ad Atticum autem idem scribit, quod ad Cælium inquit enim lib. V. vii ad Amanum contendi, qui Syriam a Cilicia aquarum diuortio diuidit. Liuius etiam lib. xxxviii. ubi loquitur de Cn. Manlio, prope, inquit, ipsis iugis ad aquarum diuortia castra posuisse, idest ad eum locum, unde aquæ duas in partes diuisæ incipiunt defluere. a quo igitur loco ex Amano monte Ciliciam uersus aquæ delabebantur, ad eum usque locum Cilicia pertinebat. & ex altera montis parte, eadem Syriæ, quam Bibulus regebat, erat ratio. terminum enim habebat eum locum, unde in eam ex Amano defluere aquæ incipiebant.

SEBAS. CORR.

TV uide, quam ad me} Vt mittam in aliis libris aliter legi, in uetustissimo Pauli Boti Regiensis nostri libro ita erat scriptum: Tu uide, quamobrem ad me. {Sperabam} Respondet illis uerbis episto iiii. lib. viii. Spero te celeriter & de nobis, quod sperasti, & de illo, quod uix sperare ausus es, auditurum. {De Hillo} Hirro. Sic enim legam, donec melius inueniam, si modo melius inueniri poterit. {Balbus enim sum} quippe qui Hillum, non Hirrum dicam. {Post comitia ista} Aedilitia. {Balbi non sumus} Expedite iam loquimur, quod uolumus. {Ad rem} quem scribere institueram. {Vt optasti} in episto. V lib. viii. {Laureolam} triumphum. {Copiis nostris} quas uix unum saltem tueri posse scribis. {Parthico bello} episto. I I I I. lib. xv. {Cũ Bibulo} qui Syriam sortitus erat. {Cassius} episto. X. lib. viii {Issum} urbem non procul ab Amanicis pylis positam episto. I I I I. lib. xv. & Curtius, & Strabo. {Clitarchus} historicus. {Narrauit} ita tibi sæpe legenti exposuit, ut præsens præsenti narrare sit uisus. {Nisi nomen} magnum, & celebre. hinc ad Atticum scribens ita queritur: Qui malum, isti Pindenissæ? qui sunt? inquies: nomen audiui nunquam. Quid ego faciam? non potui Ciliciam, Aetoliam, aut Macedoniam reddere. {Quod optasses} ut, quantum gloriæ triumphoq; opus esset, assequeremur. {Vt scribis} Episto. V. lib. viii. Successionem futuram, propter Galliarum controuersiam, non uideo. {Serius} Al. spissius: utrũque recte {Præsentia} Atqui scripsit se futura tantum expectare, nisi quid ad ipsum pertineret quare sic exponendum est. Præsentia, quæ ad me pertinent.

BERN. RVTI.

VElles enim, ais, tantum modo ut haberem negotii, quod esset ad laureolam satis} Cælii uerba sunt: Nam si hoc more moderari possemus ut pro uiribus copiarum tuarum belli quoque existeret magnitudo, & quantum gloriæ triumpho opus esset, assequeremur, periculosam & grauem illam dimicationem euitaremus, nihil tam esset optandum Et alioqui autor est Plutarchus triumphum redeunti Ciceroni oblatum: quem tametsi ille antea concupisset, conditione tamen temporum permotum non egisse. Sed & oppidum, de quo infra L V I I. die captum, idem, Ciceroq. Nec uero scripta est hæc ante superiorem epistola, ut interpres putat {Sin id erit, ut scribis, & ut ego arbitror, serius, illud, &c.} Potuit hic locus præteriri, si non fuisset in animo, uerbum, quod alioqui parum Ciceronianum existimari queat, ostendere etiam ab eo non semel usurpatum. Videtur itaque legendum, Spissius, ut uulgata etiam nonnulla præferunt exemplaria. id uerbum significat difficilius. Idem autor in Bruto: Cum tamen spisse, inquit, atque uix, ut dudum ad Demosthenem & Hyperidem, sic nunc ad Antonium Crassumq; peruenimus. Item in tertio de Oratore: Sed etiam si est aliquanto spissius, aut si ego sum tardior, profecto nunquam conquiescam. Supersedissem ab hac notatione, ut dixi antea, si non abiici integram germanamque lectionem ab interprete etiam agnitam uiderem alioqui Serius uerbum, nihil hoc loco habet aut uenustatis, aut sensi.

Alexãder ab Alexã dro Genia liũ dierũ Lib. ii. cap. vii.

TRibus erratis lapsum offendimus uirum sane eruditum Epistolarum familiarium Ciceronis interpretem non infacundum, cuius scripta uulgo innotuere. Primo illa ad M. Cælium epistola, in qua uerba sunt Ciceronis: Oppugnaui quinque & uiginti diebus, aggeribus, uineis, turribus, oppidum Pindenissum munitissimum, tantis operibus ut mihi ad summam gloriam nihil desit nisi nomen oppidi. Quid sibi Cicero uellet his uerbis, non satis assequi uidebatur. cum nomen oppidi nihil censeret aliud quam ipsum oppidum ac si diceret: Ad summam mihi gloriam nihil deest, nisi ut oppidum, quod oppugnare adortus sum, denique expugnem. Quod tamen longe abesse a uero intellectu apparet. Quid queso nomen oppidi cum ipso oppido commune habuit? aut quid tam insolens, aut Ciceronis facundia tantum abesse potius, quam uerba plane exposito poetico sensu, & quasi figuris circunscribere, aut coloribus infucare? Quod tamen aliter intelligi oportere, ex contextu uerborum liquere arbitror. Cum enim ex oppidis ui expugnatis Imperatores plerũq; nomina ferrent, quippe cum ex Coriolis Martius Coriolanus, & ea Fidenis Sergius Fidenas, atque ex Creta uicta Metellus Creticus dicti sint (quæ sibi cognomenta in testimonium maximæ & expertæ uirtutis, rerumque gestarum gloriæ adoptarunt) sic Cicero cum spem haud dubiam potiundi haberet oppidi, nihil deesse ad summam gloriam, nisi nomen oppidi, & cognomentum ex Pindenisso asseuerat: uidelicet sicut Africani, Numantini, & Cretici, illi nomina tulere: sic ex Pindenisso ipse cognomentum ferat.

PHILI. MELã.

ESt simplex narratio, & commune epistolare exordium, querela scilicet de perfidia tabellariorum. {Tu uide, quam timide} Conquestio de non redditis literis. {Vt optasti} Propositio. {Nam Parthico bello} Narratio: optat ei contingere materiã triumphi {Hiccine est ille} Mimesis. {Vineis} Vineæ fuerunt tabulata quædam, sub quibus arietes admouebantur muris. {Quare mi Rufe} Petitio.

A R G V M E N T V M.

Dicit sibi præ sollicitudine pene uerba deesse, nimis cupere in urbem rediitum, & pantheras quas Cælius petierat, esse captu difficillimas.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Vt ad Atticum scribit, Cælius Ciceronem hortatus fuerat, ut in prouincia maneret. In hac itaque epistola causas reddit, cur id sibi non faciendum existimet. Deinde cum apud ædiles Romæ ludorum procuratio esset, & ædilitatem suam populo spectabilem reddere cuperet Cælius, & ob id pantheras a Cicerone petiisset, quid de illis possit, rescribit Cicero

M. T. C. IMP. M. CÆLIO ÆDIL. CVR. S. P. D. 11

PVtaresne unquam accidere posse ut mihi uerba deessent, neque solum ista uestra oratoria, sed hæc etiam leuia nostratia? desunt autem propter hanc causam, quod mirifice sum solicitus, quidnam de prouinciis decernatur. mirum me desiderium tenet Vrbis, incredibile meorum, atque in primis tui, satietas autem prouinciæ, uel quia uidemur eam famam consecuti, ut non tam accessio quærenda, quam fortuna metuenda sit: uel quia totum negotium non est dignum uiribus nostris, qui maiora in Repub. onera sustinere & possimus, & soleamus: uel quia belli magni timor impendet: quod uidemur effugere, si ad constitutam diem decedemus. De pantheris per eos, qui uenari solent, agitur mandato meo diligenter: sed mira paucitas est: & eas, quæ sunt, ualde aiunt queri, quod nihil cuiquam insidiarum in mea prouincia, nisi sibi, fiat. itaque constituisse dicuntur in Curiam ex nostra prouincia decedere. sed tamen sedulo fit & in primis à Patischo quicquid erit, tibi erit: sed quid plane esset, nesciebamus. Mihi mehercule magnæ curæ est Ædilitas tua ipsa dies me admonebat: scripsi enim hæc ipsis Megalensibus. tu uelim ad me de omni Reipubli. statu quam diligentissime perscribas: ea enim certissima putabo, quæ ex te cognouero. Vale.

ASCENSIVS.

PVtares ne &c. dicit sibi præ solicitudine pene uerba deesse nimis se cupere in urbem redire, & pantheras quas Cælius populo exhibendas petierat esse captu difficillimas. Ordo est. O Cæli putares ne posse accidere unquam, ut uerba deessent mihi, non solum ista uestra oratoria idest quibus uos qui in senatu, aut populum loquimini, utimini, sed etiam hæc leuia idest facilia, nostratia: idest quibus nostræ sectæ homines, hoc est rei bellicæ intenti utuntur? Desunt autem scilicet uerba propter hãc causam, quod sum solicitus mirifice. Quidnam decernatur. i. senatusconsulto, & populi rogatione constitui debeat, de prouinciis. s. abrogandis, aut prorogandis. Mirum desiderium urbis, & incredibile desiderium meorum. s. familiarium & amicorum, tenet. i. afficit me, atq; in primis. i. præcipue, satietas prouinciæ actæ. i. peractæ, uel quia nos uidemur consecuti eam famam, ut accessio. i. incrementum & additio ad eam, non supple sit tam. i. tantum, quærenda. quam. i. quantum fortuna. s. aduersa sit metuenda. Vel quia totum negocium. i. hoc bellum cum barbaris & indoctis hominibus, non est dignum uiribus nostris, qui possemus etiam doctos regere, quia ego & possim, & soleam sustinere in Repu. maiora onera, uel quia timor magni belli impendet. i. imminet, quod. s. bellum nos uidemus effugere. i. euitare, si decedemus. s. de prouincia ad diem constitutam. i. ad tempus constitutum. Agitur diligenter mandato meo de Pantheris. i. de eo quod petisti, ut tibi mittam Pantheras. i. animalia illa maculosa, & aspectu iucunda, per eos, qui solent uenari sup. eas, sed mira paucitas sup. earum est, & aiunt. s. homines, eas quæ sunt, queri. i. conqueri ualde quod aut nihil insidiarũ fiat cuiquam in prouincia mea nisi sibi, itaq; ipsæ Pantheræ dicuntur constituisse: idest proposuisse decedere ex prouincia nostra in Cariam. Sed tamen supple negocium, aut uenatio fit sedulo: idest diligenter, quasi sine dolo, & in primis: idest præcipue a Patischo: proprium est uenatoris. Quicquid erit, scilicet captum, erit tibi, sed nos nesciebamus plane, quid esset, scilicet captum cum hæc scriberemus. Aedilitas tua est mihi, mehercule magnæ curæ, ipsa dies: scilicet qua hæc scribebam, admonebat me: scripsi enim hæc ipsis Megalensibus: idest eo tempore quo spectacula exhiberi solent Cybeli, seu magnæ matri Deum. Ego uelim sup. ut tu perscribas ad me, quam diligentissime de omni statu Republicæ. Ego enim putabo ea certissima, quæ cognouero ex te.

SEBAS. CORR.

Satietas autem} Hæc lectio ut mihi non satis placet, ita nullam habeo, quam magis probem: nisi ex uetere libro, Ante, non autem, legamus, ut sit: Satietas prouinciæ me tenet ante omnia: Quidam describunt, actæ: quam bene ipsi uiderint. In alio libro uetere totus hic locus sic legebatur: Atque in primis satietas prouinciæ. {De Pantheris} de quibus toties ad me scribis, libro V I I I. {Patischo} Epistola. I X. lib. V I I I. {Aedilitas tua} propter ludos. {Admonebat} quoniam maiores nostri ludos in Palatio ante templum, in ipso Matris Magnæ conspectu, Megalensibus fieri, celebrariq; uoluerunt. {Megalensibus} Non. Aprilis, quo die Matri Deum sacra fiebant, quæ Megalensia dicebantur.

PHIL. MELA.

Putares ne unquam accidere posse} Elegans αὔξησις est in exordio: Nullis uerbis consequi possum, quantopere cupiam discedere ex prouincia, & statim redire Romam. deinde exponis causas huius consilii. {Putares ne} ἀπορία, siue Dubitatio. {Me mirum desiderium} propositio, quid uelis fieri. {De Pantheris} Alia narratio de Pantheris.

ARGVMENTVM.

Rursus miratur se nihil literarum a Cælio accepisse, cum tamen quinquatria noua inciderunt conciones, dicitque urbem, cuius desiderio ipse tenetur, Cælio colendam.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Literarum officium a Cælio requirit, hortaturque ut ad urbana negocia se totum comparet.

M. T. C. IMP. M. CÆLIO ÆDILI CVR. S. P. D. 12

Solicitus equidem eram de rebus urbanis. ita tumultuosæ conciones, ita molestæ quinquatrus afferebantur: nam citeriora nondum audiebamus. sed tamen nihil me magis solicitabat, quam in his molestiis non me, siqua ridenda essent, ridere tecum: sunt enim multa: sed ea non audeo scribere: illud moleste fero, nihil me adhuc his de rebus habere tuarum literarum. quare, etsi cum tu hæc leges, ego iam annuum munus confecero: tamen obuiæ mihi uelim sint literæ tuæ, quæ me erudiant de omni Republi. ne hospes plane ueniam. hoc melius, quam tu, facere nemo potest. Diogenes tuus, homo modestus à me cum Philone Pessinunte discessit. iter habebant* ad Deiotarum Regem: quanquam omnia nec benigna, nec copiosa cognorant. Vrbem mi Rufe cole. & in ista luce uiue: omnis enim peregrinatio (quod ego ab adolescentia iudicaui) obscura, & sordida est iis, quorum industria Romæ potest illustris esse, quod cum probe scirem, utinam in sententia permansissem: cum una mehercule ambulatiuncula atque uno sermone nostro omneis fructus prouinciæ non confero. spero me integritatis laudem consecutum. non erat minor ex contemnenda, quam ex conseruata prouincia, spes triumphi, inquis? satis gloriose triumpharem, si non essem tandiu quidem in desiderio rerum mihi carissimarum (sed ut spero) propediem te uidebo. tu mihi obuiam mitte epistolas te dignas. Vale.

*a. l. Laium.

ASCENSIVS.

Solicitus &c. Rursus miratur se nihil literarum a Cælio accepisse, cum tamen quinquatrus nouæ inciderint conciones, dicitq; urbem cuius desiderio teneretur, Cælio colendam. Ordo est. Equidem: idest ego certe eram soli citus de rebus urbanis. idest quæ in urbe transactæ essent, ita: idest usqueadeo tumultuosæ, ita idest in tantum molestæ conciones: idest orationes habitæ ad populum conuocatum, afferebantur: idest annunciabantur mihi Quinquatris: idest ludis & festis Mineruæ, habitis ex more, quinto die post idus, dico inquit, quinquatris, nam nondum audiebamus citeriora: idest quæ facta essent citra quinquatria, aut tempore uiciniore nobis, quia minus præterito, quam sint quinquatria. Sed tamen nihil solicitabat me magis: idest uehementius, quam me non ridere tecum in his molestiis: scilicet quas patior in prouincia, si qua: idest aliqua essent ridenda. Sunt enim multa supple ridenda. Videtur contrarium, quod dixit siqua essent & postea dicit sunt enim multa, sed non est. Nam sensus est, priusquam certior essem factus per alios, nihil solicitabat me magis, quam me non posse ridere tecum, siqua essent ridenda, ubi autem certior factus sum, scio multa fuisse ridenda. Sed ego non audeo scribere ea, ne forte incidant in manus eorum, quos rideas. Ego fero moleste illud. s. me nihil habere adhuc literarum tuarum de his rebus. s. quæ tunc contigerunt Quare & si idest quanquam cum tu leges hæc, ego confecero idest finiero iam munus idest officium annuum, tamen uelim ut supple literæ tuæ sint obuiam mihi, quæ scilicet literæ erudiant me de omni idest tota Rep. ne ueniam plane: idest omnino, hospes. idest ut hospes & peregrinus, ignarus omnium rerum urbanarum Nemo potest facere melius hoc, scilicet ne plane hospes ueniam, quam tu. Diogenes tuus, scilicet procurator rerum tuarum, homo modestus, discessit a me cum Philone. Pessinunte: idest ab eo loco insigni in Phrygia, quod inde Cybele Romam transuecta sit, quæ Pessinuntia dici solet, declinatur autē Pessinus Pessinuntis, ut Opus Opuntis, Amathus Amathuntis, Hiericus Hiericuntis &c Ipsi. s. ambo, Diogenes & Philo habebant iter: idest ire debebant ad Laium regem, scilicet Asiæ. Alii legunt ad Deiotarum, alii ad Hyaclon, quanquam ipsi cognorant omnia, scilicet quæ essent agenda cum rege, nec benigna, nec copiosa. i. magni fructus. O mi Rufe cole: idest inhabita, urbem, scilicet Romam, quæ cum urbs per se ponitur, semper intelligitur, & uiue in ista luce. s. clarorum uirorum. Omnis enim peregrinatio est obscura, & sordida, quod ego iudicaui ab adolescentia, iis quorum industria potest esse illustris Romæ. QVOD cum ego scirem probe: idest decenter, & probabiliter, utinam permansissem in sententia. Mehercule. s. ita tractante, ut uerum dico, ego non confero: idest non comparo in ualore & iucunditate, omneis fructus prouinciæ, cum una ambulatiuncula, supple nostra, atq; uno sermone nostro, quam & quem simul habere solemus. Ego spero me consecutum laudem integritatis: idest quod integram & minime auaram gesserim in prouincia uitam, spes triumphi non erat minor ex prouincia contemnēda: idest quam contemnerem amplius tenere, quam ex prouincia conseruata, supple fuisset, si eam conseruare idest diutius cum imperio seruare uoluissem, aut minor spes triumphi. idest magnæ gloriæ erat ex prouincia, si eam contemnere noluissem, quam ex conseruata: idest per curam meam. In qua, scilicet prouincia conseruata, ego triumpharem gloriose quidem: idest certe, si non essem tandiu in desiderio rerum charissimarum mihi: idest amicorum & familiarium. Sed ut spero ego uidebo te propediem: idest tempore mox futuro, tu mitte obuiam mihi epistolas dignas te: idest quæ censeantur a te missæ & scriptæ.

VICTORIVS.

Ita tumultuosæ conciones, ita molestæ quinquatriis adferebantur} Vetusti codices quinquatrus, genetiui casu: si enim. {Quinquatriis} esset, significaret (ut puto) diem, quo adlatæ essent ad se, non quo gestæ illæ res. Intelligere autem eum diem, quo conciones illæ tumultuosæ habitæ sint, declarat uox illa. {Citeriora} dicit enim se nondum audisse, quæ post eum diem in urbe gesta sunt. Præterea potius apud bonos autores Quinquatrus inuenias, quam Quinquatria: sic enim semper apud Sex. Pompeium, & Nonium Marcellum, qui hanc uocem diligenter interpretantur, scriptum est. Nonius etiam de forma uocabuli accurate disputat. Nam quod apud Tacitum libro X I I I I. Miro tamen certamine procerum decernuntur supplicationes apud omnia puluinaria, utq; Quinquatria, quibus apertæ insidiæ essent, ludis annuis celebrarentur: mendum est: nam in uetusto codice, qui in Diui Marci Bibliotheca est, Quinquatrus est, non Quinquatria. Idem quoq; non multo ante etiam in uulgatis libris, Placuit solertia tempore etiam aduisa, quādo Quinquatruum festos dies apud Baias frequentabant. {Vrbem mi Rufe cole} In antiquis exemplaribus repetita est uox illa VRBEM, eleganter profecto, maiore eorum uerborum ui. Quam figuram, cum multis locis ea Cicero usus sit, imperitia librariorum sæpe sustulit: alteram enim earum dictionum uacare arbitrantes, errorēq; priorum (ut putabant) corrigere studentes, grauiter ipsi peccarunt.

Ex post. eiusdem.

Ita tumultuosæ conciones, ita molestæ quinquatrus} Sine conciones molestæ, & non tantum tumultuosæ a Cicero. appellatæ sint, q eo potissimum die turbidæ, & nefariæ conciones habitæ sint, necessario intelligimus diem, quo res illæ Romæ gestæ sunt, non quo Ciceroni in prouinciam allatæ. non enim lectionem illam ullo pacto probamus, quæ in impressis antea erat. Docuimus enim olim bonos scriptores potius hoc genere in hoc nomine usos esse, quam neutro, castigauimusq; locum Taciti, qui in hac uoce corruptus erat. Cicero etiam ad Cornificium, inquit, Quinquatribus frequenti Senatu causam tuam egi.

PAVL. MANV.

Quinquatrus} Dictum opinor nominandi potius, quam (ut Florentini crediderunt) generandi casu: nam hanc uocem tantum multitudinis numero memini me legisse. Forte etiam legi possit, Quinquatribus; ut intelligatur dies, quo gestæ sunt res, non quo allatæ: cum inferat, citeriora nondum audiebamus. Nam in libro manuscripto, quem habet uir doctissimus Hieronymus Ferrarius Corrigiensis, legitur, Quin-

quatr.ut etiam pro gladiatoribus,gladiat.uetustis in codicibus quã doq; scriptum uideas.

SEBAS. CORR.

C Oncinnes}C.Curionis,& L.Aemilii Pauli.{Quinquatriis} XIII.Calen.April.habitæ.Vel molestæ quinquatrus, ut etiã legitur.{Diogenes}Græcus.Episto.VIII.lib.VIII. {Philone}liberto.{Deiotarum}regem Armeniæ quidem minoris ab senatu appellatum,sed Gallogræciæ tetrarcham. Cæterum quũ hoc loco,& Deiotarum,& Laium,& Hyacion & Ithacum,atq; Latoregem legamus,uidendum forte sit,an posimus legere,Brogitarum, cui per syngrapham a nonnullis Romanis pecuniæ fuerant creditæ.Cicero præterea de suo Deiotaro nunquam illa scripsisses uerba:Quanquam omnia nec benigna, nec copiosa cognorant. Quid si Lathurum legamus,ut Ptolemæum sic a patre, qui Lathurus dicebatur,uocatum interpretemur·cũ quo Cælius nescio quid negotii,ex Epistola IIII.lib.VIII.habuisse uidetur.

BERN. RVT.

D Iogenes tuus homo modestus a me cum Philone Pessinunte discessit}Philonem intelligit Cælii libertum,non Milesium illum,ut diuinat temere interpres.Verba Cælii sunt: Libertum Philonem isthoc misi,& Diogenem Græcũ, quibus mandata & literas ad te dedi.ut & Diogenem peruerse Libertum acceperit Cælii.

PHIL: MEL.

S Olicitus equidem eram}Primus locus huius epistolæ nihil habet,nisi quod flagitat literas,& illi flagitationi causas quasdã proponit,postea sequuntur quædam narratiunculæ. {Quinquatriis}Quinquatria festi dies ludorum,seu Mineruæ erant,& in his diebus contenderunt Curio,& Antonius de cõsulatu Cæsaris quæ res præbuit causam belli ciuilis. De his hic loquitur. {Ne hospes}idest inscius omnium rerum,ut sciam quomodo se res in urbe habeant.

JORIV. Attend.

S Pero me integritatis laudem consecutum, non erit minor ex contemnenda,quam ex conseruanda prouincia spes triumphi,in qua satis gloriose triumpharem, si non essem tandiu quidem in desiderio rerum mihi charissimarum,&c.}Legendum. {Spes triumphi inquis}ut sit quasi ὑποφορὰ Cælii, per occupationem a Cicerone posita,dein subiungatur ἀνθυποφορά. {Satis gloriose triumpharem,&c.}Nam in illo quod antecessit.{Non erit minor}subaudi Laus:quod est ex sententia superiori repetendum.

ARGVMENTVM.

Dicit literas Cælii tametsi raras,tamen iucundas sibi esse, & gratas:præsertim eas,quibus hortatus erat, ut cum Appio gratia ineat, ad quam Cicero fatetur sibi multas esse causas,quas & declarat: & rursus desiderio urbis se teneri,ut cum amicis rideat,scribit.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Officiosa est epistola qua se consilio Cælii acquiescere uelle ostendit.

M. T. C. IMP. M. CAELIO AEDILI CVR. S. P. D. 13

R Aras tuas quidem (fortasse enim non perferuntur)sed suaueis accipio literas:uel quas proxime acceperam,quam prudenteis,quam multi & officij,& consilij. etsi omnia sic constitueram mihi agenda,ut tu admonebas: tamen confirmantur nostra consilia, cum sentimus prudentibus fideliterque suadentibus idem uideri ego Appium(ut sæpe tecum locutus sum)ualde diligo: meq; ab eo diligi statim cœptum esse, ut simultatem deposuimus, sensi:nam & honorificus in me Consul fuit,& suauis amicus, & studiosus studiorum etiam meorum.mea uero officia ei non defuisse,tute es testis:quoniam κωμικὸς μάρτυς(ut opinor)accidit Phania.& mehercule etiam pluris eum feci,quod te amari ab eo sensi.iam me Pompeii totum esse scis:Brutum à me amari intelligis. quid est causæ,cur mihi non sit in optatis, complecti hominem florentem ætate,opibus,honoribus,ingenio,liberis,propinquis, affinibus amicis?collegam meum præsertim, & in ipsa collegij laude, & scientia studiosum mei?hæc eo pluribus scripsi, quod mihi significabant tuæ literæ subdubitare,qua essem erga illum uoluntate.credo te audisse aliquid:falsum est(mihi crede)siquid audisti.genus institutorum.& rationum mearum dissimilitudinem non nullam habet cum illius administratione prouinciæ. ex eo quidam suspicati fortasse sunt,animorum contentione, non* opinionum dissensione,me ab eo discrepare.nihil autem feci unquam, neque dixi, quod contra illius existimationem esse uellem, post hoc negotium autem,& temeritatem nostri Dolabellæ,deprecatorem me pro illius periculo præbeo.Erat in eadem epistola ueternus ciuitatis. gaudebam sané:& congelasse nostrum amicum lætabar otio.Extrema pagella pupugit me tuo chirographo. quid ais? Cæsarem nunc defendit Curio?quis hoc putaret præter me?nam,ita* uiuam, putaui.Dij immortales quam ego risum nostrum desidero. Mihi erat in animo,quoniam iurisdictionem confeceram,ciuitates locupletaram,publicanis,etiam superioris lustri reliqua sine sociorum ulla querela conseruaram priuatis, summis,infimis fueram iucundus proficisci in Ciliciam Non.Maii,& ,cum primum æstiua attigissem,militaremq; rem collocassem,decedere ex S.C.Cupio te Aedilem uidere:miroq; desiderio me Vrbs afficit,& omnes mei, tuq; in primis. Vale.*

*a.l.q. nõ nihil sig.

*a.l.uoluntatũ.

*a.l.in uia.

ASCENSIVS.

R Aras &c.Dicit literas Cælii Raras quidem, sed iucundas ad se dari & gratas,& præsertim eas,quibus hortatus erat Cælius,ut ipse Cice.cum Appio gratiam ineat, ad quam ineundam idem Cice. dicit multas sibi causas esse,rursusq; desiderio urbis se teneri, ut cum amicis rideat,scribit.Ordo est Ego accipio tuas literas quidem idest certe raras,licet multas forte scripseris,fortasse enim non perferuntur, sed suaues idest iucundas,uel idest etiam,eas quas acceperam proxime quam idest quantum prudentis,& quam idest quantum multi,& officii,& consilii quasi dicat plurimi,Etsi idest quanquam,ego constitueram,scilicet prius quam admoneres omnia agenda mihi sic ut tu admoneas,tamen nostra consilia confirmantur idest stabiliuntur,cum sentimus idem uideri prudentibus & suadentibus uidelicet,supple quod nobis.Ego ualde diligo Appium, ut locutus sum sæpe tecum,& sensi me cœptum diligi ab eo statim, ut: idest postquam,deposuimus simultatem:idest latens odium & æmulationẽ simulatam.Nam ipse fuit,& idest simul honorificus idest honorem faciens,consul in idest erga me,& amicus suauis,& studiosus,etiam studiorum meorum,uero pro sed,tu es testis mea officia idest debita obsequia non defuisse ei.Quoniam μάρτυς idest martyr, hoc est testis,κωμικὸς comicus,hoc est qualis inducitur in comœdia utriq; nota,ex comœdo:scilicet Phania libertus,accidit ut opinor mihi, hoc est sicut in comœdia aliquis, qui rem optime norat, eo quod iam fere gesserat,aut uiderat,ita Phania libertus eius de quo in prima Epistola tertio libro,quod rem optime nouit, mihi certissimus est testis,martys dicitur Attice,& communi græcorum lingua martyr testis Et mehercule, ego feci idest æstimaui supple. Appium etiam pluris,quod idest quia ego sensi te amari ab eo. Tu iam scis, me totum Pompeii,& intelligis Brutum amari a me, quid igitur causæ est,cur non sit mihi in optatis idest inter cætera optata,complecti hominem florentem ætate,idest qui est in flore ætatis, uidelicet Appium,& florentem opibus,honoribus,ingenio, liberis,idest legitima prole propinquis,scilicet consanguinitate, affinitate, idest propinquis uxoris, amicis scilicet acquisitis, præsertim collegam meum, scilicet in collegio augurum, & studiosum mei in ipsa laude, & scientia collegii. Ego scripsi hæc pluribus idest compluribus supple uerbis,aut pluribus quam alioqui fecissem,quod literæ tuæ significabant mihi, te subdubitare idest occulte,aut aliquantulum dubitare,qua uoluntate ego essem erga illum, uidelicet Ap Credo te audisse aliquid idest simultatis, aut odii mei in eum.Crede mihi Rufe,si audisti quid idest aliquid scilicet tale supple id esse falsum.Genus idest ratio,& forma institutorum,idest morum,& rationum mearum:scilicet uiuendi,habet nonnullam id est quandam dissimilitudinem,cum administratione prouinciæ illius.Nam Cice. Appio successerat in prouinciam.quidam suspicati sunt fortasse ex eo idest ex ea dissimilitudine regendi,me discrepare ab eo,contentione idest pertinaci pugna,animorum,idest uoluntatum,non dissensione opinionum.Autem idest sed, ego nihil feci, aut dixi unquam,quod uellem esse contra existimationem idest iudicium illius. Alii legunt æstimationem, idest reputationem, & autoritatem illius. Autem, idest sed, post hoc negocium, scilicet quod in forma gubernandæ prouinciæ ab eo dissenserim. Et post temeritatem Dolabellæ nostri, scilicet generi, nam post mortem Crassipedis,Tulliam duxit Cice.filiam, præbeo me deprecatorem idest intercessorem & supplicatorem, ut ignoscatur pro periculo illius,scilicet App.In eadem epistola, scilicet tua, erat Veteranus ciuitatis,idest scripsisti de ueterano quodam ciuitatis,qui cum molestiam inferret communi amico, repulsus est,unde

ait

ait Cicero. Gaudebam sane idest multum,& lætabar amicum nostrum congelasse idest torpuisse otio idest sic illo Veterano cessante ab infestatione, refrixisse, ut congelari censeatur. Extrema pagella idest tabella, in qua scripta erant superiora a manu secretarii Cælii, pupugit idest stimulauit, me tuo chirographo idest scripto tua manu, nam qui dictant epistolas priusquam claudantur,& obsignentur, pars solent interdum quædam ascribere manu propria, quæ nolunt scribas suos scire scripserat autem Cælius Curionem non defendisse causam Cæsaris, unde Cicero. Quid ais? Curio non defendit Cæsarem. Quis putaret hæc præter me? quasi dicat, nemo. Ego tamen debebam putare, ut qui Curionē ad hoc induxerim, ut nullis consilus præterquam suis acquiesceret, postea tamen nimium Cæsari adhæsit. Affert tamen Cicero aliam rationem de industria dicens, nam ego putaui ita, scilicet quod non defenderet Cæsarem, in uia. O dii immortales, quam idest quantum, ego desidero risum nostrum. Hactenus ad epistolam Cælii. In animo erat mihi scilicet cum hæc scriberem, quoniam confeceram idest finieram, iurisdictionem idest tempus, quo ius prouincialibus dicerē, locupletare idest ditare, ciuitates scilicet Ciliciæ, etiam in publicanis, idest in publicanorum exactione refrænanda. Reliqua, præter publicanorum negocia, conseruata sunt superioribus lustris idest lustrationibus,& censuris, sine ulla querela sociorum. Iucundus, aut iustus fueram in priuatis idest non gerentibus magistratum, in summis, & infimis,& repete. In animo erat proficisci in Ciliciam forte ex Cypro, nam utranq; partem tenebant proconsules in Ciliciam missi, aut ab ea parte, quæ est iuxta Amanum montem, Nonis Maiis scilicet tunc proxime futuris. Et in animo erat decedere ex senatusconsulto idest sicut senatus decreuerat, cum attigissem prima æstiua idest tempora apta militiæ,& bello gerendo,& collocassem idest deposuissem rem militarem. Ego cupio uidere te & urbs, scilicet Roma afficit me miro desiderio,& omnes amici sup. afficiunt,& tu in primis sup. afficis me miro desiderio. Sunt, qui superiora sic ordinent. Sine querela sociorum in priuatis, summis,& infimis, iucundus. i. lætus fuerā proficisci in Ciliciam &c. sed sequar priorem sensum.

VICTORIVS.

QVoniam] ἀκμαῖος μάρτυς, ut opinor, accidit Phania. Erasmus uir doctissimus nostris temporibus,& πολυγραφώτατος locum hunc corruptum esse censet, corrigitq; οἰκεῖος μάρτυς, uel οἴκοθεν μάρτυς idest domesticus testis cum nullibi apud græcos autores (ut uidetur) hoc prouerbium legisset. Nos in antiquis exemplaribus Græcas has uoces nulla uarietate scriptas animaduertimus, sed recte admodum & integerrime, quod raro accidit in Latinis uetustis codicibus: uix enim poterant, qui linguæ illius rudes essent, ut erant illarum ætatum librarii, tam accurate characteres illos effingere, ut non aliquid peccarent. prouerbiumq; hoc apud Suidā reperimus in dictione ἀκμαῖος. cum enim locum ex historia Polybii adduceret, hæc uerba ipsius ponit: καὶ προσκατέλιπον τὸν αὐτὸν ἀκμαῖον τινὰ μάρτυρα πρὸς τὸ γενησόμενον ἀμάρτυρον. Nihil igitur amplius de horum uerborum integritate dubitandum est, cum apud Græcos etiam autores hoc prouerbium inueniatur: potius quærenda est sententia,& uis ipsius, etsi ex uerbis Polybii, quæ a Suida accepimus (nec enim integram historiam præclarissimi illius uiri habemus) uidetur de his proferri solitum, qui aliquod mendacium ficto aliquo teste confirmare nolebant. Nam quod alii comicum testem opportunum intelligunt,& in tempore aduenientem: alii autem aliter ea ponunt, cū nullo hæc autore dicant, mirari non debent, si paucos admodum suæ sentētiæ comites habent.

Ex postea eiusdem.

QVod Mihi significabant tuæ literæ subdubitare] Mediceus codex. {Quod nihil significabant} Quare animaduertendum est, an melius legi possit, Quod nonnihil significabant: hoc intellectu, ut dicat Cicero, in Cælii epistolis quædam uerba esse, quæ obscure significent hanc suspicionem in animo illius residere, de alienata uoluntate ipsius erga Appium, dictio illa {Mihi} non magnam ullam uim. habere uidetur eo in loco, nam si id significabant literæ Cælii, non magis Ciceroni, quam omnibus aliis, qui eas legissent, significabant, nec tamen firmitudinem aliquam hoc argumentum habet, quare de tota re nihil adfirmamus.

SEBAS. CORR.

LIteras] Epist. VI. lib. VIII. {Simultatem deposuimus} auto re Cn. Pompeio. {Coss.} cum L. Domitio Aenobarbo. {Fu te es testis} firmus,& perpetuus. {Κωμικὸς} fictus, uel repentinus,& ultro citroq; currens, quales in comœdiis inducuntur. unde etiam dicit, Accidit. sicut in omnibus fere libris ueteribus legitur. {Μάρτυς} testis. {Phania} Appii libertus. Epistola. I. lib. III. {Iam me Pompeii} cuius filius filiam Appii habebat uxorem. {Brutum} M. Brutum Appii item generum. {Collegam meum} in auguratu. {Studiosum mei?} quippe qui libros augurales suos mihi dicarit: {Nostri Dolabellæ} qui reum fecit Appium. {Veternus} quædam quasi colluuio aquarum. A nonnullis uero nimium quoddam otiū,& negotiorū intermissio exponitur, Epist. VI. lib. VIII. {Nostrū amicum} C. Curionem Trib. pleb. {Chirographo} quum tua manu in extrema epistola illud addidisti: Curio transfugit ad populum,& pro Cæsare loqui cœpit. uel illud, Turpe tibi erit, Pantherarum greges me non habere. {Iurisdictionem} forum Laodicense. {Ciuitates} multas omni ære alieno liberatas, multas ualde leuatas: omnes αὐτονομίαν adeptas {Publicanis} nam populi nullo gemitu publicanis, quibus hoc ipso lustro nihil soluerant, etiam superioris lustri reliqua reddiderunt. {Reliqua} quæ debebant. Proficisci] Laodicea, quæ erat inter τρεῖς διοικήσεις Asiaticas, prouinciæ Ciliciensi attributas.

BERN. RVTI.

POst hoc negocium autem & temeritatem nostri Dolabellæ] Garrit interpres, qui cui hæc epistola respondeat, non uidit; quæ est illa Cælii, cuius initium: Non dubito, quin perlatū ad te sit, Appium a Dolabella reum factum, Nihil aliud dicit Cicero his uerbis, quam, Postquam uero accusatus est a Dolabella nostro (non quidem genero, neque enim dum ei filiam collocarat Cicero, ut ex eadem illa Cælii epistola discitur) sed familiari, quem duobus capitis iudiciis defendimus, ut libro sequenti epistola illa, {Quum nobis} Appius, ego pro eo intercedo,& deprecor. Item supra. {Et in ipsa collegii laude & scientia studiosum mei} Hoc propter librum, quem de augurali scientia ab Appio sibi ante inscriptum significat Cicero libro sequenti, pluribus epistolis. Item erat in eadem epistola. {Veternus ciuitatis} Satis in Decuria nugas imperitissimi hominis confutauimus. Quod ad illud attinet, Ita uiuam putaui, quod nos, ita uiuam, scribi maluimus: Cicero, Solicitat me (ita uiuam) tua mi Tyro ualetudo. De locupletatis prouinciis omnino mutanda lectio, ut eo loco ea Crassi nostri sententia monuimus Cicero enim initio, quum in prouinciā uenisset, ei negotio confestim animum intendit nec uerisimile est, tam sero, idest sub ipsum decessum, tantam rem curare tunc demum noluisse. libri insequentis ad Appium epistolæ nostram sententiam confirmant. De reliquiis superioris lustri, in quibus festiue ariolatur interpres Clericus, addo, quod est ad Lentulum supra libro primo: Accepi (inquit Cicero) literas tuas de publicanis, in quibus æquitatem tuam non potui non probare. Facilitate autem, quod uellem, consequi potuisses, ne eius ordinis quem semper ornasti, rem aut uoluntatem offenderes. Equidem non desinam tua decreta defendere, &c. Significat enim Cicero, a Lentulo Ciliciæ ante se Appiumq; proconsule, contra publicanos esse decretum: se uero hoc loco, etiam illius temporis reliqua curasse, sine tamen prouincialium ipsorum querela.

Ex Rutilii Decuria.

PIus Bononiensis in annotationibus suis, quum uersum Martialis, ut ipse putat, corrigeret, ut autem mihi uidetur, deprauaret, ac multa superflue de ueterno in eum locum congessisset, impegit tamen in hunc quoque scopulum, ut diceret, quod est in Ciceronis epistola ad Cælium in hæc uerba: Erat in eadem ueteranus ciuitatis: quum Veternum, uel ueternus legi oporteret, ut & in nonnullis est codicibus,& animaduersum ab aliis ante erat, mihiq; multo quoq; ante prouisum, quam in eius opusculum illud inciderem, aut aliorum annotationes, quæ locum hunc exponerent, eo sensu accipi oportere, ut pro Veterno Pompeium Magnum significari a Cicerone intelligamus. quod commentum inde multis ab eo conuestitur figmentis. Cuius uiri autoritas tametsi mihi, quum iam loci cum restitutionem tum sensum omnem plane excogitassem, exscripsissemq; etiam breuibus, ut soleo, memoriæ tantum meæ gratia, nihilo tamen magis a sententia sum dimotus. Confirmatus quidem in eam opinionem, quam ante de eo uiro conceperam: hominem esse præcipitis peruersiq; iudicii, cuiq; haud ita facile assentiendum sit. Siquidem uno illo in capite, ut alia omittam,& Martialem peruertit,& Iuuenalis uersum optime scriptum tentat infringere,& nostram hanc sententiam prorsus nihil assequitur. Quæro enim, si Cicero quasi segnem, inertem, ac cessantē Pompeium, pungere, ac notare uoluisset, cur non honestius elegantiusq; multo Veteranum eū, quam Veternum appellaturus fuerit? Quod uerbum & ad militem pertinet, qualē se tota uita Pōpeius præstitetat,& ad eum militem, qui iam emeritis stipendiis in otio uitam deinceps agere destinet: & quasi rudem militiæ, depositis armis, accipiat. Cur igitur eorum se numero ascribat, qui ueternum reponant, ueteranum confodiant, ac legi uetent, quum sensum inuehat illi uerbo, quod delet, aptissimum, atq; conuenientem? nisi quod prorsus iudicio caret, ferturq; tanto nouitatis impetu, ut, quid agat, nō intueatur, Idem non contentus uno loco testatam temeritatem suam reliquisse, gloriatur etiam in Plautinis commentariis, hoc a se uno uisum, atq; prospectum, quasi non, uel eo sit miserabilis, quod inuentisui neminem sit unquam ad stipulatorem aut subscriptorem habiturus. Sed temperemus ab hominis ne de facie quidem noti contumeliis, cuius nihil præter uerbosam iactantiam, horridamq; atque iucondiam petulantiam mediusfidius odimus. Errorem eius turpiorem facit præceptoris Beroaldi eruditissimi uiri curiosa perpensaq; solertia in hoc scribendi genere: huiusq; etiam ipsius loci diligens explanatio. post cuius operam præteriri a nobis quoque poterat, si non & magno cum dolore spoliari a nobis nostra gloria nosipsos, quidem, quod Beroaldus, collatione locorū coniecturaq; ante deprehenderamus, quam ex scriptis ipsius (diis testibus) didicissemus, ferremus,& confidentem Pii istius asseuerationem periculosam esse studiosis arbitraremur. Scribendum igitur hac parte Veternum, pro ueterano, non dubitamus,& pro ciuitatis Roma. dissidia

accipienda. Id ita esse, perspicuum fecerint Cælii uerba ex epistola, cui per hanc a Cicerone responsum est. Inquit Cælius: consules autem habemus summa diligentia. adhuc senatusconsultum, nisi de ferüs Latinis, nullum facere potuerunt. Curioni nostro tribunatus conglaciat. sed dici non potest, quomodo hic omnia iaceant, nisi ego cum tabernariis & aquariis pugnarem, aeternum ciuitatem occupasset. Hæc Cælius. Cæterum quid impedit, & sequentes huius epistolæ clausulas quasdam interpretari, quando huc processimus? Et congelasse (inquit Cicero) nostrum amicum lætabar otio Amicum suum Curionem intelligit, quem semper suspectum nimio plus habuit, ut præcipitem, ac temerarium Cicero: non Põpeium, ut isti rentur. Apparet id ea præscriptis Cælii uerbis: tum ea his, quæ scribit lib. V I I. ad Volumnium Cicero, de eodem (ut puto) Curione sentiens, Illa, inquit, quamuis ridicula essent (ut erant) mihi tamen risum non mouerunt. cupio. n. illum nostrum amicum in tribunatu quam plurimum habere grauitatis. {Extrema pagella pupugit me tuo chirographo} De pagella hæc nugatur interpres. Illud intelligit Cicero, quod ita est in Cælii literis scriptum: Quod tibi, inquit, supra scripsi Curionem frigere, iam calet: nam feruentissime concerpitur. leuissime. n. quia de intercalando non obtinuerat, transfugit ad populum, & pro Cæsare loqui cœpit. Hæc ille: qui paulo ante id, significarat, quod & aliis monumentis proditum est, initio uidelicet tribunatus Curionem Cæsari aduersatũ summopere, post in gratiam redisse, cum maxima totius ciuitatis, & imperii pernicie. Id etiam non omittemus, quod subiicit Cicero: Cæsarem non defendit Curio. Pro non, & si quis id pertinaciter tueatur, reponi tamen posse, uel Iam, uel (quod magis puto) Nunc, at sit cum interrogatione, admirationeq;, Cæsarem nunc defendit Curio? Sed & illud quis nõ uidet absurdum esse, quod hic est? Nam ita in uia putaui, Scribendumq; potius, ut in aliis quoq; codicibus. quos miror ab Aldo Manutio solertissimo homine non sequutos: Nam, ita uiuam, putaui. Contemnant hæc quidam, & leuiora existiment: ego his corruptis, perire candorem omnem, & sensus elegantiam omnino uideo. Non omittam id, cuius me admonuit uir doctissimus, mihiq; in primis amicus, Ioan. Petrus Crassus, ciuis, ac præceptor meus, quod ante legebatur, legiturq; etiamnum uulgo {Mihi erat in animo, quoniã iurisdictionem confeceram, ciuitatis locupletare, in publicanis etiã superioribus lustris reliqua sine sociorum ulla querela conseruata in priuatis summis infimis fueram iucundus, proficisci in Ciliciam} ita legi oportere: Mihi erat in animo, quoniam iurisdictionem confeceram, ciuitates locupletarăm, publicanis etiam superioris lustri reliqua sine sociorum ulla querela conseruaram, priuatis summis infimis fueram iucundus, proficisci in Ciliciam. quod & sensus ipse alioqui nullus ostendit, & similis in epistolis ad Atticum sententiæ expressio Plutar. de locupletatione ciuitatum mira prodidit: Supra quoq;. {Quoniam comicos martyr, ut opinor, accidit Phannia} Accedit, emendauit Lud. Rhodiginus uir doctus. quem nos ita probamus, si pro Quoniam, legatur Cui, uel Quoi sensu alioqui ineptissimo. quid si autem Comicos martyr, idem ille satis explicat.

Et poste. eiusdem.

Mihi erat in animo, quoniam iurisdictionem confecerã, &c.} Verba Ciceronis ad Att. mirifice Crasso nostro astipulãtur: Lætari te nostra moderatione & continentia uideo, tum id magis faceres, si adesses, atq; hoc foro, quod egi ex Idib Feb. Laodiceæ ad Cal. Maii omnium Diœcesium præter Ciliciæ, mirabilia quædam effecimus. Ita multæ ciuitates omni ære alieno liberatæ, multæ ualde leuatæ sunt omnes suis legibus, & iudiciis suetæ, & αὐτονομίαν adeptæ, reuixerunt. His ego duobus generibus facultatem ad se ære alieno liberandas, aut leuandas dedi. Immo quod omnino nullus in imperio meo sumptus factus est, nullum cum dico, non loquor ὑπερβολικῶς. nullus, inquam, ne teruntius quidem. Hac autem re incredibile est, quantum ciuitates emerserint. Accessit altera: Mira erant in ciuitatibus ipsorum furta Græcorum, quæ magistratus ai fecerant. Quæsiui ipse de iis, qui annis decem proximis magistratum gesserant, aperte fatebantur. Itaq; sine ulla ignominia suis humeris pecunias populis retulerunt. Populi autẽ nullo gemitu publicanis, quibus hoc ipso lustro nihil soluerant, etiã superioris lustri reddiderunt, Itaq; publicanis in oculis sumus gratis, inquis, uiris, sensimus. iam cætera iurisdictio nec imperita, nec demens, cum admirabili facilitate. Aditus autem ad me, minime prouinciales. Nihil per cubicularium aute lucem inambulabam domi, ut olim candidatus. Grata hæc, & magna, mihiq; nondum laboriosa, ex illa uetere militia Non. Maii in Ciliciam cogitabam: ibi cum Iunium mẽsem consumpsissem, atq; utinam in pace (magnum enim bellum impendet a Parthis) Quintilem in reditu ponere. Et sequenti Epistola: Conseruatæ ciuitates, cumulatæ publicanis satisfactum, offensus contumelia nemo.

Alexãder ab Alexã. loco supra citato.

Mea Vero officia ei non defuisse tu es testis, quoniam, ut opinor, Comicos accedit Phannia} Quod Interpres in Terentiano Phaunia non posse accõmodari aiebat: sed aliũ quẽdam fuisse Phanniam, de quo sentiret Cicero, qui in notitiam nomenq; non uenit. Quæ uerba si perusitare quis uolet, atque ingenii acie non obtusa rimari, etiam ad Terentianum Phanniam saluo sensu accommodabit. Cum enim Phannia ille Terentianus Chremetis frater fuerit, & Crito Andrius inopino aduentu opportune introducatur aduenisse: quo significãte de Phãnia Chremetis fratre, & filia Glycerio in notitiã uenit: ipsamq; filiã sibi esse cõpertũ habuit: pariter Cicero per opportune Comicum Phanniã aduenisse dicit hoc est, aliquid secreti consilii, quod nondum emerserat, produxisse in lucem: quo sicut in Phannia Terentiano Glycerium Chremetis filia, & Phanniæ neptis apparuit, sic ipsius opera opportune fit intellectum, Cice. officia illi non defuisse, & se de Appio benemeritum significari.

Cæl. Rhodiginus Anniq. Lect li. iii. cap. xxxi.

Locus Est ex secundo Familiarium Epist. non enarratus ad hãc diem, sed omnino exculcatus, & offusa caligine, inscitiæ tenebris ita obuolatus, ut in Cicerone Cic. subinde quæratur. Verum Oratoris uerba iam subsignemus. {Mea uero officia ei non defuisse, tu es testis, quoniam κωμικὸς μάρτυς, ut opinor, accedit Phannia} Male feriati Comicum testem Phanniam augurantur, ex ueteri Comœdia repetitum, in qua Phannia testis introduceretur, referuntq; ad Cælium. qui sensus, ut male conceptus, mire friget, Ciceronis elegantia indignus. Immo nec con, etiamsi uiolenter omni pede confabricatis inuentis nugalibus ad eum uerba retorqueas, pensitent modo legentes. Et quidem frequentissimi M. Tullio moris, ex ueteribus pleraq; aduocare obseruimus, cuius fere modi est ad Cæliũ illud: Repente uero incessi omnibus lætitiis. In quo Latinæ quidẽ rei literatores, quid afferant, minus constitutum habent. Ex Cælio uero esse ea, liquet ea, Ciceronis. I I. de Finib. ut scias non esse hic Arienni oraculi ambagiosam historiam. Inibi aduocatur, & Trabea, de quo arbitror itidem sensisse Familiarium nono Ciceronem, etiamsi Grammaticis inscita, inauditaq; est nomenclatura. Verum ut a diuerticulo fabulam repetamus: Ego in Menandri comœdia fuisse Phanniam, obseruasse uideor apud Plutarchum in commentatione, quæ est de Tranquillitate. Cæterum id ad propositam modo quæstionem nihil. nam Phanniam hunc Ciceronianum nõ aliũ accipio, quam Appii, de quo ibi intelligit Orator, libertum: sicuti comprobant Ciceronis uerba, epistola prima tertii Libri. quem hic Comicum testem dicit, non, ut opinor, quia uetus Comœdia Phanniam habeat, ueluti fidei inuiolatæ numen sanctius: (id enim procul dubio commentum est uanissimum, & ad libidinem concepta diuinatio) sed quod libertus is ingenio esset lætiore, facetosoq;, minime subdolo, aut timido, & proinde iucando admodum, & amœno. Expende Ciceronis uerba ex ea, quam modo aduocauimus, epistola: in nostram sententiam remis uelisq; eundum censueris. Is ergo apud Cælium æquissime Appii naturam, Ciceronis in eum studia & merita suauissime & uerissime aperuerat, quod ultro citroq; creberrime, sicuti, mos fuit temporum illorum, & nil est notius, commearet.

PHIL. MELA.

Raras Tuas quidem} Hæc magis accurate scripta est. Generis iudicialis est, quia est purgatio, quæ habet excusationẽ. Deinde se consilio Cælii acquiescere uelle ostendit. {Sed suaueis} Exordium a commendatione literarum. {Ego Appiũ} Narratio, in qua est expositio consilii sui de Appio. {Κωμικὸς μάρτυς} idest testis domesticus: Quasi diceret: Quanquam habet testem domesticum, qui plurimũ hac in re ualere debet. {Hæc ego pluribus} Purgatio, & principalis propositio. {Ex eo quidam suspicari} Causa offensionis. {Nostri Dolabellæ} Is est, qui accusauit Appium accusauit autem eum, priusquam factus est gener Ciceronis. {Nostrum amicum} Curionem.

ARGVMENTVM.

Fabium commendat Cælio, rogatq; ut patronus sit, licet in ea minime digna patrocinio eius, utpote minus ardua.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Fabium de meliore nota commendat, uempe animi uirtutibus & ingenio: & quo pacto res Romana habeat, requirit.

M. T. C. IMP. M. CÆLIO ÆDILI CVR. S. P. D. 14

Marco Fabio, uiro optimo, & homine doctissimo, familiarissime utor: mirificeq; eum diligo, cum propter summum eius ingenium, summamq; doctrinam, tum propter singularem modestiam: eius negotium sic uelim suscipias, ut si esset res mea. noui ego uos magnos patronos. hominem occidat oportet, qui uestra opera uti uelit,

uelit.sed in hoc homine nulla accipio excusationem . omnia relinques, si me amabis,cum tua opera Fabius uti uolet. Ego res Romanas uehementer expecto,& desiderio:in primisq;,quid agas, scire cupio:nam iandiu propter hyemis magnitudinem nihil noui ad nos afferebatur. Vale.

ASCENSIVS. Fabio &c Commendat Cælio Fabium dicens.Ego utor familiarissime Fabio uiro optimo,& homine doctissimo,& diligo eum mirifice,cum.i.ita sit, quod propter summum ingenium eius, & summam doctrinam, tum sup.multo magis propter singularem modestiam eius. Ego uelim sup.ut suscipias.i.adiuuandum negocium eius sic,ut si esset res mea.Ego noui uos,hoc est te,& tui similes magnos pa.idest defensores magnorum reorum,oportet sup ut is,qui uelit uti opera uestra,occidat hominem.iocose id dictum est.Sed ego nullam accipio.i.admitto,excusationem in hoc homine.tu relinques omnia, si amabis me,cum,idest quando,Fabius uolet uti opera,idest diligentia,& labore tuo.Ego expecto uehementer,& desidero res Romanas,idest ut res Romanæ scribantur ad me,& cupio in primis scire quid agas.Nam propter magnitudinem hyemis nihil noui afferebatur:scilicet cum hæc scriberem iandiu:idest a multis diebus, ad nos.

SEBAS. CORR. Fabio}M.Fabio Gallo,ad quem libro V I I.scribit. {Eius negotium}de Herculanensi fundo , a Q.Fabio fratre proscripto.Epistola X X V.Libro I X.

BERN. RVT. Eius Negotium ita uelim suscipias,ut,si esset res mea}Negotium id,quod esset,exprimit Cicero libro nono ad Pætum, epistola penultima.

PHIL. MEL. M. Fabio uiro optimo}Hæc epistola est cōmēdatoria,& sunt additæ rationes commendationis.{Eius negotiū}Petitio. {Noui ego uos}Iocus est:quasi diceret,Vos nullā paruam causam suscipitis.

ARGVMENTVM.

Re bene gesta a Cicerone in Cilicia,procurauerunt Cælius,& Curio supplicationem ei decernendam,quam ubi mature decretam audiuit, gratias utrique se sperare triumphum:Deinde mentionem facit de Dolabella,cui se absente locata erat Tullia filia sua.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Missa est hæc epistola.Nam & diligentiam amicorum agnoscit , & quid de Dolabellæ,& Tulliæ nuptiis sentiat, scribit:Et cur Cælium prouinciæ præfecerit,rationes reddit.

M. T. C. IMP. M. CAELIO AEDILI CVR. S. P. D. 15

*Non potuit accuratius agi neque prudentius, quam actum est à te cum Curione de supplicatione. & mehercule confecta res est ex mea sententia,cum celeritate, tum quod is, qui erat iratus,competitor tuus, & idem meus:assensus est ei , qui ornauit res nostras diuinis laudibus . quare scito me sperare ea,quæ sequuntur:ad quæ tu te para. Dolabellam à te gaudeo primum laudari, deinde etiam amari:nam ea,quæ speras Tulliæ meæ prudentia temperari posse,scio,cui epistolæ tuæ respondeant.quid,si meam legas quam ego tum ex tuis literis misi ad Appium?sed quid agas?sic uiuitur.quod actum est,Dii approbent.spero fore iucundum generum nobis.multum in eo tua nos humanitas adiuuabit.Respub. me ualde solicitat.faueo Curioni. Cæsarem honestum esse cupio. pro Pompeio emori possum.sed tamen ipsa Respub.nihil mihi est carius.in qua tu non ualde te iactas: districtus enim mihi uideris esse,quod & bonus ciuis,& bonus amicus es . Ego de prouincia decedens,Quæs.Cælium præposui prouinciæ.puerum,inquis ? at Quæstorem,nobilem adolescentem,at omnium ferè exemplo.neq; erat superiore honore * usus, quem præficerem . Pontinus multo ante discesserat à. Q.fratre impetrari non poterat: quem tamen si reliquissem,dicerent iniqui,non me plane post annum, ut senatus uoluisset,ex prouincia decessisse, quoniam alterum me reliquissem:fortasse & illud adderent,senatum eos uoluisse prouinciis præesse,& qui antea non præfuissent fratrem meum triennium Asiæ præfuisse.denique nunc solicitus non sum:si fratrem reliquissem, omnia timerem. postremo non tam mea sponte , quam potissimorum* uirorum exemplo:qui * omneis Cassios , Antoniosq; complexi sunt.hominem adolescentem non tam allicere uolui , quam alienare nolui.hoc tu meum consilium laudes necesse est : mutari enim non potest.De Ocella parum plane ad me scripseras , & in actis non erat.Tuæ res gestæ ita notæ sunt , ut trans montem Taurum etiam de* Matrinio sit auditum.Ego,nisi quid me Etesiæ morabuntur,celeriter(ut spero)uos uidebo. Vale.*

*a.l.ullus. *a.l.duorum. *a.l.iuuenes. *a.l.matrimonio.

ASCENSIVS. Non potuit &c.Re bene gesta a Cicerone in Cilicia,procurauerunt Cælius,& Curio supplicationem ei decernendam,pro qua eis gratias agit,dicitq; se sperare triumphum,demum nonnihil de Dolabella genero suo meminit Ordo est.O Cæli , non potuit agi accuratius idest cum maiori cura,quam actum est a te cum Curione,de supplicatione:scilicet mihi pro re bene gesta decernenda Est autem supplicatio quam rogationem,ac processionem generalem uulgo appellant,quæ pro summa uictoria decerni solet,unde magna oritur illi gloria,qui eam peperit:& mehercule res est confecta, ex sententia mea,cum:scilicet ita sit.quod confecta est celeritate, tum quod is competitor tuus: scilicet in ædilitate.idest qui tecum petierat ædilitatem,iratus:scilicet quod repulsam acciperet, & idem meus: scilicet competitor in obtinenda prouincia, assensus est ei : scilicet aut Pompeius aut Cæsarem aut alteri amico,qui ornauit:idest decorauit res nostras diuinis laudibus.Quare scito me sperare ea,quæ sequuntur,idest quæ solent supplicationem,uidelicet triumphum, ad quæ:scilicet obtinenda mihi tu parate.Ego gaudeo primū Dolabellam generum meum laudari abs te,deinde etiam amari.Nam ea, quæ tu speras, posse temperari : idest moderari prudentia Tulliæ meæ:scilicet filiæ,uxoris Dolabellæ,scio cui epistolæ tuæ respondeant:idest unde id te sperare significes.Quid,supple scriberes,aut diceres,si legas meam epistolam?quam ego misi.tum:idest tunc,ex literis tuis:scilicet exceptam,ad Appium.Et cum per imaginationem Ciceronis,ad hæc Cælius miraretur:quasi dicat non debuisse ea literis suis epistolam mitti,respondet Cicero.Sed quid agas?uiuitur:scilicet nunc fere ab omnibus sic:idest ut talia faciant . Dii immortales,approbent:idest secundent,quod actum est.Ego spero Dolabellam supple fore:idest futurum esse,generum iucundum nobis.Tua humanitas iuuabit nos multum in ea. Respublica:idest status Reipublicæ solicitat me ualde.Ego faueo Curioni, qui Cæsarē oppugnat.Ego cupio honestissime , idest ut honestissima contingant Cæsari:possum idest eo animo sum,ut possim emori pro Pōp: sed tamen nihil est mihi charius Repub.in qua tu non iactas idest ostentas,te ualde.Tu enim uideris mihi esse districtus idest arctatus ne libere agas,quod idest quia tu es &,idest simul bonus ciuis,& ita nihil nis contra Rempu.agere,& bonus amicus scilicet eorum,qui cum Repub.contendunt,& ita nihil uis contra eos agere.Ego decedens prouincia scilicet Cilicia,præposui prouinciæ Cælium scilicet alterum quæstorem idest qui erat quæstor , quem receptorem uulgo dicunt.Tu inquis,idest dicis mihi supple præposuisti prouinciæ puerum,supple præposui,fateor:at idest sed quæstorem,at idest nobilem adolescentem,at exemplum fere omnium . Neq; erat supple alter in exercitu usus superiore,idest altiore honore , quem præficerem scilicet prouinciæ.Nam Pontinus discesserat multo ante,& non poterat impetrari a Quinto fratre scilicet meo,ut præficeretur,quem tamen si reliquissem,iniqui dicerent me non decessisse ex prouincia plane post annum,ut senatus uoluisset , quoniam reliquissem,scilicet in prouincia alterum me,quia frater dicitur se ac alter.Et supple iniqui adderent fortasse illud , senatum uoluisse eos præesse prouinciis,qui non præfuissent antea,& supple fratrem eum præfuisse Asiæ triennium idest per spatium trium annorum. Deniq; ego non sum nunc solicitus,& si reliquissem pro me in prouincia fratrem,ego timerem omnia.Postremo non tam sponte idest propria uoluntate,& inclinatione mea,quam exemplo duorum potentissimorum scilicet Cæsa.& Pomp.qui complexi sunt idest charos habuerunt,& fouerunt omnes Cassios,ut Pompeius, & Antonius,ut Cæsar.ego non tam nolui allicere scilicet in amicitiam meā hominem adolescentem scilicet Cælium,quam nolui supple eum alienare a me.Necesse est supple ut tu laudes hoc consilium meum, non potest mutari,idest aliter se habere,quia iam factum est Tu scripseras ad me parum,idest non satis plane,de Ocella , idest de actis Ocellæ,& non erat,scilicet factum eius in actis scilicet ad me missis.Res tuæ gestæ,ita sunt notæ,ut sit auditum etiam de matrimo-

nio scilicet tuo, trans Taurum montem scilicet maximum in confinio Ciliciæ. Ego uidebo uos celeriter, ut spero, nisi Etesiæ idest uenti illi subsolani. i. Euri: æstate tamen a Boreali parte flantes, morabuntur. i. destinebunt in mora me.

VICTORIVS.

CAesari Honestissime cupio} Vetusti codices. {Cæsarem honestum esse cupio} ut nos emendauimus, eadem sententia & significatione, qua Brutus, & Cassius de Antonio in epistola ad eum missa dicunt. Nos in hac sententia sumus, ut te cupiamus in libera repub. magnum & honestum esse. {At quæstorem, at nobilem adolescentem, at omniũ fere exemplum} Emendauimus. {Exẽplo} ut est in antiquis codicibus. Ad Atti. lib. V I I. de hac eadem re agens sic inquit: Hoc melius, & huius rei plura exempla. Item in eadem hac epistola: Postremo non tam mea sponte quam potentissimorum duorum exemplo. Intelligit autem Pompeium & Cæsarem ut ex epistola ad Atticum supra citata declaratur. Pompeius eo robore tui, his radicibus. Q. Cassium sine sorte delegit, Cæsar Antonium. Quod autem hic. {At Quæstorem} &c in uetusto codice ad quæstorem, ad nobilem, & omnium, &c. legitur secundum ueterem scripturam propter affinitatem harum literarum: sic enim in hoc exemplari pluribus locis reperias, ut contra, at, pro ad, in epistola ad Sallustium, in hoc eodem uolumine, At quem intelligebat eius belli periculum spectare, & aliis infinitis locis {De matrimonio} Vetusti codices omnes, de Matrinio, quam lectionem magis probo, præter enim uetustorum codicum autoritatem, quomodo potest coniugium inter res gestas numerari? Quod si de nuptiis illius ageret, non tam frigide hanc rem tetigisset: nam & clarius totã rem narrasset, & quod moris erat, ei gratulatus fuisset. Innuit autẽ (ut puto) negotium ipsius quoddam: de quo, etsi tunc aliquis sermo fuit, postea tamen est obscuratum est, cum dignum non esset, quod in historiis traderetur. De C. Matrinio quodam equite R. meminit Cicero in oratione V I I. in Verrem. {At omnium fere exemplo} Nonnulli se ita hunc locum, qui mendosus erat, castigasse aiũt, de quo cum illis non pugnamus: neq; tamen furti nos reos agere statim oportebat, præsertim cum in omnibus manu scriptis nullo discrimine, quemadmodum legi debet, scriptum inuenerimus. Præter antiquorum codicum fidem ita illam tractauimus, ut diu nos, diligẽterq; de ea quæsiuisse planum omnibus fecerimus. {Qui omnes Cassios, Antoniosq; complexi sunt} Sunt qui in sensu horum uerborum tradendo non parum decepti sint: non enim narrat Cicero, se ideirco Cælium præposuisse prouinciæ, quod uellet sibi gratiam reliquorum eiusdem familiæ conciliare, neq; arbitratur Pompeium & Cæsarem id consilium in præficiendis Quæstoribus secutos fuisse. sed inquit, se id pene fecisse coactum exemplo potentissimorum uirorum, qui Quæstores suos omni ratione, qua potuerunt, ornarunt: & illorum gratiam omni beneuolentiæ genere iniuerunt: id enim est. {Complexi sunt} ut paulo ante cum de Ap. Claudio sermo esset. Quid est causæ cur mihi non sit in optatis, complecti hominẽ florentem ætate, opibus, &c. Nisi enim Quæstorem & ipse præposuisset, timebat illum iratum, qui iniquo animo tulisset se honorem illũ a Cicerone impetrare non potuisse: quem antea Quæstores Cassius & Antonius a suis Proconsulibus & Imp. accepissent. Quod autẽ Cassios & Antonios numero multitudinis dixit, nõ nouũ est apud Ciceronem, sed usitatũ & elegans ut in epist. ad Pætũ C X X V I I. Itaq; te cum uideo, omneis mihi Granios, omneis Lucilios, uere ut dicam, Crassos quoq; & Lælios uidere uideor. Sed etiam doctissimus & politissimus scriptor Plato in Syp. καὶ ἐρῶν καὶ φιλόσοφος ἀγαθούς, ἰσχυροὺς, ἀνδρείους, πανοπλίας ἀριστοδήμους. Συμμάχοι δ' αὐτῶν τί δεῖ λέγειν Hanc esse sententiam huius loci inde etiam intelligi potest, quod epistola ad Thermum Prop. quæ penultima huius libri est, Cicero magnopere ei suasit, ut prouinciæ præficeret Quæstorem: docens id rectum esse, & fieri debere: ostendensq;, nisi ita fecisset, multas fortasse molestias, ac pericula illum sibi conciliaturum esse: quod Quæstor ignominia affectus merito illi semper iratus esset, & nactus aliquam occasionem nocendi, cum sibi id iure posse facere uideatur, nunquam illam dimitteret.

PAVL. MANV.

EXemplo} Antea, eaemplum nos ex uetustis libris, exemplo, sextum ab hinc annum correximus & impressimus. {Pontinus} Nam is quidem superiore honore usus erat: fuerat enim Prætor Cicerone Cos. itaq; dixit ad Atticum epist. iii. lib vi. Fratrem solum habeo Prætorium: Põtinus enim iam a me discesserat. {Qui omneis Cassios, Antoniosq; complexi sunt} Alii pro omneis, legũt iuuenes quam uocem nullis in libris manu scriptis reperio. nos ueterem lectionem conseruamus. cuius hic est sensus, Cælium Quæstorem præposui prouinciæ, non tam ipsius quidem causa, quam ut reliquorum eiusdem familiæ gratiam inirem, eaemplo scilicet Pompeii, & Cæsaris, qui cum alter Q. Cassium Longinum, alter M. Antonium, delegissent, uniuersam Cassiorum, & Antoniorum gentem sibi adiunxerunt. {De Matrinio} Locus est obscurus: cuiusmodi in ipsius Ciceronis scriptis alii quoq; sunt: quare etsi sensum non percipio, tamen ueterem lectionem, libenter conseruo. omnino & codices sunt, in quibus legitur, De matrimonio: sed uetustiores habent, De Matrinio. quæ uox quid sibi uellet, cum minus constaret: fuisse opinor qui Matrinio delerint, & matrimonio ex ingenio reposuerint. forte autem, cum ad Cælium Aedilẽm scribat, de Matrinio scriba Aedilitio, cuius meminit in oratione pro Cluentio, quidpiam significauit, sed nihil affirmo.

SEBAS. CORR.

COmpetitor Tuus} Hirrus. epist. I X. lib. V I I I. {Assensus est ei} M. Catoni. {Diuinis} a M Catone uiro sanctissimo, & prope diuino profectis. {Spectare ea} triumphum qui supplicationem solet sequi. {Primum laudari.} epist. xiii. lib. V I I I. {Epistolæ tuæ} sextæ, lib. V I I I. {Quid si meam} decimã, lib. I I I. {Quod actum est} de nuptiis Tulliæ. {Cæsari honestissime cupio} In pluribus libris leges, Cæsarem honestum esse cupio. {Et bonus ciuis} & ob id nolles patriam & Pompeianos deserere. {Et bonis amicus es} Curioni, & Cæsari, a quibus nolles abesse. {Pontinus} C. Pontinus legatus {Discesserat} ea pacto, & conuentu, nam ea lege exierat. {Impetrari non poterat} quoniam oderat prouinciam. {Asiæ præfuisse} Prætorem. Lege primam ad ipsum Q. fratrem epistolã. {Omnia timerem} quum bellum esse in Syria magnum putaretur, & id uideretur in Ciliciam erupturum. {Duorum} Cn. Pompeii & C. Cæsaris. {Qui iuuenes Cassios} Q. Cassium Longinum, Pompeii in Hispania Quæstorem intelligit. {Antoniosq;} M. Antonium in Hispania Cæsaris Quæstorem: autore Dione lib. X L V. {De Occella} Seruio Occella. {Scripseras} Epistola. V I I. lib. V I I I. {Et in actis} & in actis urbanis ad me missis. {Matrimonio} Dolabellæ & Tulliæ, te autore confecto & sit, Matrinio, male quidã legunt. {Etesiæ,} uenti.

BERN. RVT.

TVm Quod is, qui erat iratus, competitor tuus, & idem meus assensus est ei, qui ornauit res meas diuinis laudibus} Quid Attilium? quid Curionem nugatur interpres? De Attilio satis supra explosimus Competitorem intelligit Hirrum, ornatorem Catonẽ Vticensem. Verba Cælii, quibus hæc respondent, sunt octauo libro: Renunciatum, inquit, nobis erat, Hirrum diutius dicturum. prehendimus eum. non modo non fecit, sed quum de hostibus ageretur, & posset rem impedire, si ut numeraretur postularet, tacuit. tantum Catoni assensus est, qui & locutus honorifice non decreuerat supplicationes, Et lib. X V. epistola, Lætus sum, gratias agit Catoni, quod de se in senatu sit honorificentissime loquutus. quod & epistola Catonis eodem loco ostendit. In quibus conferendis nimium iste supine se gessit. ac tum demum, quum ad librum octauum peruenit, sensit ea parte, quæ cui responderet epistola: nec tamen ad istas ineptias, uel potius somnia castiganda regressus est. {Nam ea, quæ speras Tulliæ meæ prudentia temperari posse, scio, cui epistolæ tuæ respondeant} Dii boni, quam toto (quod aiunt) errat cœlo noster hic uetus interpres, Ego coniunctum, ut propositum est, lego, Hoc autem dicit: Quod scribis ad me, pudore Tulliæ, siquã uim in Dolabella testabunt (hæc enim Cælii uerba) confidere te propediẽ sublatũ iri, scio, quid intelligas, scilicet inimicitias Dolabellæ cum Appio ab eo accusato, admonitionibus Tulliæ extinctum iri. Potest autem Cui, pro cui rei accipi: ut Epistolæ tuæ, pluralis sit nominatiuus. Potest &, Cui epistolæ tuæ, datiuus esse singularis: ut intelligat eam epistolam, qua scripserat Cælius ad Ciceronem, Appium a Dolabella reum factum, nam in eadem, de affinitate ista cum Dolabella contrahenda nonnihil immiscet, ea est libro octauo, hoc initio, Non dubito. Suas autem literas Cicero intelligit, uel eas quas ponit interpres, uel eas quas ad Appium lib. I I I. ita exorditur, Quũ nobis allatum est {Ad omnium fere eaemplo} Non est, ut retur Clericus, iiq; qui Exemplum scribi malunt, qui suis moribus esset omnibus exemplo: sed eaemplo fere omnium proconsulum, qui decedentes, quum quis est relinquendus, quæstorem præficiunt. quod ipse paulopost ad Thermum ostendit De Occella plane ad me parũ scripseras, Hæc scripserat Cælius de Occella. Seruius Occella nemini persuasisset se mœchum esse, nisi triduobis deprehensus esset. quæres, ubi? ubi hercle ego minime uellem. relinquo tibi, quod ab aliis quæras. neq; enim displicet mihi, imperatorem singulos percunctari, cum qua sit aliquis deprehensus. Hæc scripsi, quod interpres ambigere de re haud incerta uidebatur.

Ea poste. eiusdem.

TVm Quod is, qui erat iratus, competitor tuus, & idẽ meus, assensus est ei, qui ornauit res nostras diuinis laudibus} Iudico autem cum ea literis amicorum, tum ex supplicatione, quam quis non decreuit, quasi omnes decreuisset triumphos. Et porro assensus est unus familiaris meus Fauonius alter iratus Hirtius. Cato autem & scribendo affuit, & ad me de sententia sua iucundissimas literas misit. sed tamen, gratulans mihi Cæsar de supplicatione, triumphat de sententia Catonis, nec scribit, quid ille sententiæ dixerit, sed tamen supplicationem eum mihi non decreuisse. Redeo ad Hirtium, cœperas eum mihi placare perfice. habes Scrofam. habes Siluium. ad eos ego etiam scripsi, & ad ipsum Hirtium, loquutus enim erat cum iis, commoda se potuisse impedire, sed noluisse, assensum tamen esse Catoni amicissimo meo, quum is honorificentissimam in me sententiam dixisse, nec me ad se ullas literas misisse, quum ad omnes mitterem. uerum dicebat. ad eum enim solum, & ad Cassii fidem non scripseram. Idemq; & proxima epistola ad Atticum ait.

PHIL. MELA.

NOn potuit accuratius, & cætera} Habet diuersas narrationes. & primum est de supplicatione. quando enim aliquis

rem

rem præclare gesserat, tunc Romæ fuit ei decreta supplicatio. {Spe ro fore iucundum generum } idest quod Dolabella ducit meam filiam.

ARGVMENTVM.

Quia Cicero perfunctus magistratu, cum e prouincia in urbem redire pararet, intellexerat bella ciuilia inter Cæsarem & Pompeium orta, noluit in urbem redire: sed in Cumanum se recepit, questus per literas ad Cælium missas de calamitatibus suorum temporum, quibus prohibebatur triumphare, immo locum se dignum in Rep. recipere. Intellexerat Cælius eo consilio Ciceronem in Cumano mansisse, ut facilius posset ad Pompeium transire contra Cæsarem, quod ne faciat dehortatus erat Cælius per salutem filii & generi: unde nunc se purgat Cicero, tamen adhæsurus Pompeio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Excusat se a falsa suspicione Cælii, quam in contrariam uoluntatem detorquet: tantum scilicet se a Cæsaris & Pompeii dissidiis dissidere, ut nihil pace & tranquillitate Reip. carius habeat.

M. T. C. IMP. M. CAELIO AEDILI CVR. S. P. D. 16

MAgno dolore me affecissent tuæ literæ, nisi iam & ratio ipsa depulisset omneis molestias, & diuturna desperatione rerum obduruisset animus ad dolorem nouum. sed tamen quare acciderit, ut ex meis superioribus literis id suspicarere, quod scribis, nescio, quid enim fuit in illis præter querelam temporum, quæ nō animum meum magis solicitum habent, quam tuum? nam non eam cognoui aciem ingenii tui, quod ipse uideam, te id ut non putem uidere. illud miror, adduci potuisse te, qui me penitus nosse deberes, ut me existimares aut tam improuidum, qui ab excitata fortuna ad inclinatam, & prope iacentem * desciscerem: aut tam inconstantem, ut collectam gratiam florentissimi hominis effunderem, à meq; ipse deficerem, & quod initio, semperq; fugi ciuili bello interessem. quod est igitur meum triste consilium? ut discederem fortasse in aliquas solitudines: nosti enim non modo stomachi mei, cuius tu similem quondam habebas, sed etiam oculorum in hominum insolentium * indignitate fastidiū. accidit etiam molesta hæc pompa lictorum meorum, nomen quæ imperii, quo appellor. eo si onere carerem, quamuis paruis Italiæ latebris contentus essem. sed incurrit hæc nostra laurus non solum in oculos: sed iam etiam in uoculas maleuolorum. quod cum ita esset, nihil tamen unquam de profectione, nisi uobis approbantibus cogitaui. sed mea prædiola tibi nota sunt. in his mihi necesse est esse, ne amicis molestus sim. quod autem in maritimis facillime sum, moueo nonnullis suspicionem, uelle me nauigare. quod tamen fortasse non nollem, si possem ad otium: nam ad bellum quidem qui conuenit? præsertim contra eum, cui spero me satisfecisse: ab eo, cui tamen satisfieri nullo modo potest. deinde sententiam meam tu facillime perspicere potuisti iam ab illo tempore, cum in Cumanum mihi obuiam uenisti: non enim te celaui. sed non'ne tum prouidisti quam abhorrerem ab urbe relinquenda? quod cum audissem, non'ne tibi affirmaui, quiduis me potius perpessurum, quam ex Italia ad bellum ciuile exiturum? quid ergo accidit, cur consilium mutarem? non'ne omnia potius, ut in sententia permanerem? credas hoc mihi uelim, quod puto te existimare, ex his miseriis nihil aliud me quærere, nisi ut homines aliquando intelligant, me nihil maluisse, quam pacem, ea desperata nihil tam fugisse, quam arma ciuilia. huius me constantiæ puto fore, ut nunquam pœniteat, etenim memini in hoc genere gloriari solitū esse familiarem nostrum. Q. Hortensium, quod nunquam bello ciuili interfuisset. hæc nostra laus erit illustrior, quod illi tribuebatur ignauiæ, de nobis id existimari posse non arbitror. nec me ista terrēt, quæ mihi à te ad timorē fidissime atq; amātissime proponūtur: nulla est enim acerbitas, quæ non omnibus hac orbis terrarū perturbatione impēdere uideatur. quam quidem ego à Repub. meis priuatis, & domesticis incommodis libentissime uel istis ipsis, quæ tu me mones ut caueam, redemissem. Filio meo, quem tibi carum esse gaudeo, si erit ulla Respub. satis amplum * patrimonio relinquam memoriam nominis mei. sin autem nulla erit, nihil accidet ei separatim à reliquis ciuibus. nam quod rogas, ut respiciam generum meum, adolescentem optimum, mihiq; carissimum: an dubitas, cum scias quanti cum illum, tum uero Tulliam meam faciam, quin ea me cura uehementissime solicitet? & eo magis, quod in communibus miseriis hac tantum oblectabar specula, Dolabellam meum, uel potius nostrum fore ab iis molestiis, quas liberalitate sua contraxerat, liberum. uelim quæras, quos ille dies sustinuerit, in urbe dum fuit, quam acerbos sibi, quam mihi ipsi socero non honestos. itaque neque ego hunc Hispaniensem casum expecto, de quo mihi exploratum est, ita esse, ut tu scribis: nec quicquam astute cogito. siquando erit ciuitas: erit profecto nobis locus. sin autem non erit: in easdem solitudines tu ipse (ut arbitror) uenies in quibus nos consedisse audies. sed ego fortasse uaticinor: & hæc omnia meliores habebunt exitus: recordor enim desperationes eorum, qui senes erant adolescente me. eos ego fortasse nunc imitor, & utor ætatis uitio. uelim, ita sit: sed tamen togam prætextam texi Oppio, puto te audisse. nam Curtius noster dibaphum cogitat: sed eum infector moratur. hæc aspersi, ut scires me tamen in stomacho solere ridere. De Dolabella quod scripsi, suadeo uideas. tanquam si res tua agatur. Extremum illud erit: nos nihil turbulenter, nihil temere faciemus. te tamen oramus, quibuscunque erimus in terris, ut nos, liberosq; nostros ita tueare, ut amicitia nostra, & tua fides postulabit. Vale.

*a.l. deserē.

*a.l. dignitate.

*a.l. patrimonii.

ASCENSIVS.

MAgno dolore &c. quia rediens e prouincia intellexerat bella ciuilia inter Cæs. & Pomp. orta, noluit in urbē redire, sed in Cumanum agrum se recepit, quæstus per literas ad Cælium missas de calamitatibus temporū suorum, quibus prohibebatur triumphare, immo locum se dignum in Repub. recipere. Intellexerat autem Cælius eo consilio in Cumano mansisse, ut facilius posset ad Pompeium transire contra Cæsarem, quod ne faciat, dehortatus erat idem Cælius per salutem filii & generi. Vnde nunc se purgat Cice. nihilominus adhæsurus Pompeio. Ordo est. Literæ tuæ affecissent me magno dolore, nisi iam cū allatæ sunt, & idest simul ratio ipsa depulisset omnes molestias, & idest simul animus, scilicet meus obdurasset: idest obduratus fuisset, diuturna desperatione rerum, ad idest contra, dolorem nouum. Sed tamen nescio quare acciderit, ut suspicateris ex superioribus literis meis, id quod scribis: scilicet me in Cumano mansisse, ut a Pompeio contra Cæsarem transirem. Quid enim fuit in illis. s. superioribus literis meis, præterquam querelam temporum: idest de temporibus nostris, quæ scilicet querela, non haberet animum magis solicitum, quam tuum. Nam ego non cognoui aciem: idest acumen ingenii tui, eam: idest talē, aut tale, ut nō putem te uidere, id quod ipse: idest ego uideam. Ego miror illud, uidelicet te potuisse adduci, qui deberes nosse penitus me, ut existimares, aut me tam improuidum, qui: idest ut desisterem, idest transirem, ab fortuna: scilicet Cæsaris excitata, idest uigente, & exurgente, ad fortunam sup. Pompeii, inclinatam, scilicet ad casum, & prope: idest quasi iacentem, aut tam inconstantem, ut effunderem: idest penitus perderem, gratiam hominis florentissimi, uidelicet Cæsaris collectam, scilicet longa manu, & deficerē a me, idest a salute, & bono meo, & interessem bello ciuili, quod fugi in initio & semper. Igitur quod triste consilium meum: scilicet quod mihi obiicis? fortasse, ut discederem in aliquas solitudines: idest desertas terras. Tu enim nosti, non solum fastidium: idest aspernationem superbam stomachi mei. Cuius: idest stomachi mei similem tu quondam habebas, sed etiam fastidiū oculorum in indignitate: idest indignis honoribus hominum insolentium: idest superborum, & petulanter agentium. Etiam hæc pompa molesta: scilicet mihi, lictorum meorum, quos proconsul, ac imperator nondum remiserat, accedit: scilicet ad fastidiū, & nomē imperii quo appellor. si ego carerē eo onere: scilicet suscepti honoris, & nominis, contentus essem latebris Italiæ, quamuis, idest quantumuis paruis. Sed hæc nostra laurus: idest hic triumphus noster, incurrit: idest obiicitur, non solum in oculos, sed etiam in uoculas, idest obtrectatiunculas maleuolorum. Quod cum esset ita, tamen nihil cogitaui unquam de profectione: idest de discessione ab Italia, aut urbe, nisi uobis approbātibus. Sed prædiola mea sunt nota tibi. opor-

tet me esse in suis: scilicet prædiolis, hoc est paruis prædiis meis. ne, sum molestus amicis supple meis. quia si Romæ esset, alterutri faue re cogeretur. uterque autem amicus erat, & dum alteri faueret, alterum sibi, & suis inimicum haberet: Quod autem sum in maritimis: supple locis, idest uicinis mari, mouet facile nonnullis: idest quibusdam suspicionem, me uelle enauigare: idest excedere Italia nauibus, quod non uollem, quod minus est, quam nellem, quia coactis quædam sunt, quæ neque nolunt, neque uolunt, quia nolle nō possunt, & uelle non debent, si possem: scilicet enauigare ad otium: scilicet alibi obtinendum, nam quidem. Idest certe. qui: idest quomodo conuenit: idest conueniens, & utile sit. supple enauigare ad bellum præsertim contra eum: scilicet Cæsarem, cui spero me satisfecisse, &, ita nullam illi esse occasionem, belli in me, & enauigare ad bellum ab eo idest discedendo ab eo scillcet Pompeio, cui tamen nullo modo potest satisfieri, quia salutem suam Cicero illi debebat. Deinde idest secundo loco, tu potuisti perspicere facillime sententiam meã, iam ab illo tempore, cum idest quo uenisti obuiam mihi in Cumanum scilicet agrum. Non enim celaui te sermonem scilicet de ea re. Sed nonne q. d. maxime, tu prouidisti, idest prouidentia tua cognouisti, tum idest tunc, quam, idest quantum ego abhorrerẽ: idest alienus essem, & repugnarem ab urbe relinquenda. Quod scilicet te prouidisse me abhorrere ab urbe relinquenda, cum audissem. s. ex te, aut tuis, nonne affirmaui tibi me perpessurum potius quiduis. i. quodlibet incommodum, quam exiturum supple esse ex Italia, ad bellum ciuile? Quid ergo accidit cur mutarem consilium: scilicet meum? quasi dicat nihil. unde addit. Nonne omnia supple acciderunt potius, ut permanerem in sententia? quasi dicat maxime. Ego uelim supple ut credas mihi hoc, quod puto te existimare idest iudicare me, supple me nihil quæsiere aliud ex his misetiis, scilicet quas patiebatur in agro, nisi ut homines intelligant aliquando me nihil maluisse, idest magis uoluisse, quam pacem. Et ea desperata. i. cum esset desperata a me, nihil fugisse, tam, idest tantopere, quam: idest quantopere, bella ciuilia Ego puto me fore: idest futurum esse huius constantiæ, ut nunquam pœniteat supple huius sententiæ Et enim ego memini Hortensium familiarem nostrum solitum esse gloriari in hoc genere: scilicet uiuendi quod nunquam interfuisset bello ciuili Hæc laus nostra, quod abstinebimus a bello ciuili, erit illustrior: idest clarior, & nobilior, quam Hortensii, & non interfuisse bello ciuili tribuebatur illi, scilicet Hortensio ignauiæ: idest ad ignauiam, & imbecillitatem, & arbitror, id scilicet quod propter ignauiam abstinuerimus nos, non posse existimari: idest iudicari de nobis, quia prouinciam impacatam petierat, unde uia dum reuersus erat cum merito triumphi. Nec: idest & non ista quæ proponuntur mihi fidissime, atq; amantissime: idest ut ab amico fidissimo, ut pote a te ad timorem: idest ut deterrear a susceptione belli ciuilis, ne uidelicet filio, & filiæ, ac genero grauem inimicum parem terrẽt me. Nulla enim acerbitas est, quæ non uideatur impendere: idest imminere hac perturbatione terrarum, omnibus: scilicet uiuentibus siue bello intersint, siue non, quam scilicet perturbationem ego quidem redimissem libentissime a Repub. meis incommodis priuatis, & domesticis, uel idest etiam illis ipsis, quæ tu mones me, ut ca ueam. Hoc est libenter passus essem, ut liberi mei paterentur, quæ illis impendere mones incommoda: ut Repub. his malis sit libera. Qui enim aliquid redimit unum pro alio dat & ita Cicero uellet redimisse perturbationem Reipub. perturbatione domus suæ: idest effecisse per incommoda domus suæ, ut Respub. nulla acciperet, ut de addit, ego relinquam filio meo scilicet M. Ciceroni satis amplũ patrimonium, uidelicet memoriam nominis mei, si ulla Respub. erit scilicet futura finito bello, sin autem, idest sed si nulla erit, nihil accidet ei separatum a cæteris ciuibus: idest quod non idem acciderit cæteris ciuibus, & ita dilemmate concludit frustra timeri pro filio. Nam quod rogas, ut respiciam scilicet miseranter generum meum, uidelicet Dolabellam adolescentem optimum, & mihi charissimũ: an dubitas quin ea cura solicitet me uehementer cum scias quanti faciam: idest æstimem, cum scilicet ita sit quod plurimi faciam illum: scilicet generum meum Dolabellam, tum uero multo apertius est, quod plurimi faciam Tulliam meam: scilicet filiam, & eo magis supple solicitet me, quod ego oblectabar in communibus malis tantum: idest duntaxat hac specula: idest parua spe, de filia mihi relicta. Notum est diminutiua in quinta declinatione fieri deponendo: scilicet & addendo cula, ut dies diecula, spes specula, res recula, ueruntamen ego hoc loco non damnem eos, qui sic ea ponunt. hac specula: idest speculatione: aut loco ad spectandum apto, supple qua, Videbam Dolabellam meum scilicet generum, uel potius nostrum, scilicet amicum communem, fore uacuum: idest immunẽ: alii legunt liberum ab iis molestiis quas contraxerat, liberalitate: idest largitate sua. alii tamen prodigum dicunt, & sunt qui hæc libertate legendum censeant, ut sit, quas contraxerat liberius in loquendo in Pompeium, eis autem tunc uacuus fore uidebatur, quod in castris Cæsaris militans ab eo tutandus esset. si liberalitate legendum est, sensus est. eum suspectum fuisse Cæsari propter liberalitatem forte in Pompeium, aut aliquem amicorum eius, qui difficilis est in re huiusmodi, quam latis etat, & scribenten, & eum, ad quem scribebat, intelligere: præsertim cum ex industria sæpe mentem suã alios, si forte in eorum manus inciderint literæ, celet. Velim quæras, idest diuisquiras, quos, idest quales dies, ille: scilicet Dolabella sustinuerit idest passus sit dum fuit in urbe, quam, idest quantum acerbos, quam idest quantum non honestos mihi socero, scilicet illius, quasi dicat acerbissimos, & minime honestos, forte indigna cõtumelia propter Cæsarem a Pompeianis affectum dicit, non tamen palam propter Ciceronem & liberalitatem suam: læsum, unde tacite laudat, quod ad Cæsarem in castra profectus est, id tamen facit, quia ita Cælio placere uidet, cum tamen Dolabellam retrahere a Cæsare aliquando conatus sit. Itaque neque ego expecto hunc casum Hispaniensium, idest qui contiget in Hispania: quo contra Petreium & Afranium Pompeianos duces, Cæsar exercitum suum duxerat. hoc est non simulo me alterius amicum, donec de casu Hispaniensi certior fiam: casum autem dicit, aut dubium euentum belli, aut potius cladis Reipub. uteruter uicerit, de quo, scilicet casu exploratum: idest perspectum, & clarũ est mihi ita esse sicut tu scribis, hoc est, quod meliores pro Cæsare militent, nec cogito quicquã astute: idest callide, & dissimulanter. si ciuitas: idest communicatio & libertas ciuium erit, quando: idest aliquando supple Romæ, profecto locus erit nobis, supple in ea. sin autem: idest sed si ciuitas nõ erit, sed supple dominium alicuius in urbe: non enim uidetur ciuitas, nisi ubi ciuilia iura i. ex sentẽtia ciuium dominantur: tu ipse, ut arbitror, uenies. scilicet tandem. in easdem solitudines: idest desolationes, & uacuitates ciuium, in quibus audies nos: scilicet seniores consedisse: quasi dicat licet pro tempore forsan speres tibi aliquam Rempub. & ita aliquam ciuitatem fore, tamen tu uidebis solitudinem ciuium in urbe, etiam si plena sit hominum, ut propheticum illud, Quomodo sedet sola ciuitas plena populo: ad intelligentiam huius loci faciat. Sed ego uaticinor: idest diuino fortassis: idest ut diuinantes uana coniectura futura hæc dico, & hæc omnia habebunt meliores exitus Recordor enim desperationes eorum, qui erãt senes me adulescente: idest cũ essem adulescens, tempore forte Syllano, & Mariano, ego imitor fortasse nunc eos, & utor uitio ætatis: scilicet senilis, quæ quod parum habet sanguinis, meticulosa est. Velim ita sit. ut: scilicet uitio ætatis hæc licet non euentura, metuant. Sed tamen & cætera locus hic sane obscurus est, & per metaphoram intelligendus, intelligitur autem dupliciter, nam alii texi a tergo deducunt, alii a texo, & priores apio legunt, posteriores: Appio, priorum sensus est. Sed ego texi: idest operui togam prætextam. idest uestem triumphalem: apio, idest herba illa qua triumphantes olim utebãtur, unde ille. Est apium dictum quod apex horferre solebat Victoris, ueterum fieret dum more triumphans: q. dicat Cicero, ego paro iam mihi apparatum triumphalem, prius. n. dixerat se sperare triumphum. Hubertinus quidem legit apio: & texi a tego præteritum. sed in alio sensu, ut sit apio: idest amaritudine, est enim, herba amara, sed id non placet, quia se ridere cum hæc diceret, fatetur, puto te audisse: scilicet quod texerim prætextam apio, Posteriorum sensus est Sed puto te audisse togam prætextam, idest uestem triumphalem texi, idest operi textorio fieri, Appio, scilicet pulchro, hoc est sperandum est, quod ille triumphum obtinebit in ea calamitate temporum, quod per irrisionem dicit, cum sciat illum id frustra sperare. Nam Curtius noster cogitat, idest prætendit obtinere dibaphum: idest uestem purpuræ bis tinctam: nam δὶς dicitur bis, & βάπτω tingo. Hubertinus tamen intelligit quod: Curtius utriusque partis esse uelit, & ita ab utraque purpuram expectet, ego malem de utriusq; uana spe in obtinendo triumpho intelligere, sed infector: idest tinctor græce βάπτης, moratur: idest tenet in mora eum, scilicet Curtium, quominus haberet dibaphum. ego aspersi hæc: scilicet de Appio & Curtio, ut scires me tamen: idest tametsi in stomacho: idest cum bili, & indignatione summa, solere ridere, Quod scripsi de Dolabella suadeo uideas: idest prospicias, tanquam si tua res agatur. Illud erit extremum: scilicet huius epistolæ, uidelicet quod nos nihil faciemus turbulenter, nihil temere, tamen nos oramus te, in quibuscunque terris erimus, ut tueare nos & liberos nostros, ita ut amicitia nostra & fides tua postulabit. Vale.

Qvod autem in maritimis facillime sum} Sic in meo libro scribi uolui, quia in antiquis codicibus ita scriptum inueni, & eum sensum, quem ita collocata uerba præ se ferrent, meliorem iudicaui. In aliis cunctis impressis, Quod autem in maritimis sum, facile moueo. Quod in maritimis facillime sum, idest Quod in maritimis prædiis libenter maneo, quod ualde delector uillis meis, quæ mari propioquæ sunt: id enim significat facillime sum, libro secundo, de Orato. CCIX. Quod & dici ornatissime possunt, & audiri facillime: idest cum delectatione & suauitate. libro. XIII. Ad Atticum: Locum habeo nullum, ubi facilius esse possim, quam Asturæ. Qui autem me uident in maritimis esse, non existimantes me id facere inductione animi, neque scientes me mirificam capere uoluptatem ex his meis uillulis, suspicantur me id facere, quod nauigationem expectem, & hinc auolare cupiam, nec tamen illi hoc stulte cogitabant, & rationem habebat hæc ipsorum suspicio: Quod autem

VICTORIVS.

facillime

facillime in maritimis esse consueuerat Cicero, cum causa etiam ipse faciebat, nam iuxta mare uillæ in mediterraneis locis positis præponebantur, & ut Græci dicunt, παραθαλάττια, uel παρὰ τὰς χώρας magni æstimabantur. Id etiam confirmat Plutarchus grauissimus scriptor in Sympos. libro primo capi. IIII. Qui inquit, usurpari a multis in sermone hanc sententiam, ambulationem iuxta mare, & nauigationem iuxta terram suauissimam esse: cuius rei ipse causam quoque reddit, αἴτιον οὖν πολλῶν λεγόντων ὅτι πλοῦς μὲν ὁ παρὰ γῆν, περίπατος δ' ὁ παρὰ θάλασσαν ἥδιστός ἐστι. Ad quam sententiam arbitramur nos respexisse doctissimum poetam Virgilium libro II. Georgicorum, cum inquis, sermonem cum Mecœnate habens, Ades, & primi lege littoris oram. Declarauit enim his uerbis se illum ad rem iucundam inuitare. Astura autem Ciceroni uilla maritima erat, ut Plutarchus quoque in Cicerone his uerbis docet: πυθόμενοι δὲ τὰς προγραφὰς εἰς Ἄστυρα μεταβῆναι χωρίον παράλιον τοῦ Κικέρωνος. {Non enim te celaui amorem} Cum hic locus antea manifesto corruptus esset, nunc est, quemadmodum in nostris uides, restitutus, quod tamen diligentia potius, quam industria ulla mea factum est: ueterem enim scripturam reposui, quam ne parua quidem immutatione facta in Mediceo reperi: illam cur reticerem nihil erat. Siqua in hoc loco obscuritas est, ea ab historia nascitur, quam ignorari mirum uideri non debet.

Ex poste. eiusdem.

SEd ego fortasse uaticinor. Recte hoc uerbum declarat Paulus, eodemque & ipse intellectu accipiendum puto, quam autem uim hic habet uaticinor, eandem in Phormona par huic assimileque uerbum habet Ariolor. potuisset hoc aliquos fallere, quod & rarior est hic significatus huius uerbi, & senes etiam oraculis diuinationibusque gaudent, & ipsi res futuras diuinare libenter solent, quod lepidissimus poeta Aristophanes in sua Comœdia docuit, cum inquit ὁ δὲ γέρων σιβυλλιᾷ. Sed ut diximus uerus ille sensus est. nam inquit statim: Recordor enim desperationes eorum, qui senes erant adolescente me, & quæ sequuntur. Ari. autem libro secundo, de arte dicendi, quo loco mores & studia omnium ætatum refert, appellat ipsos δυσέλπιδας, quod nihil unquam boni sperent, aut uix omnino ægreque sperent, quod duabus de causis fieri affirmat, quas ipse acutissime, quemadmodum alia omnia, excogitauit.

PAVL. MANV.

NOn enim te cælaui sermonem, sed non ne tum prouidisti} Sic antea. postea alii aliter emendarunt ego, cum in uetere libro scriptum uiderem, non enim te cælaui, sed nomen tuum prouidisti, castigaui, non enim te cælaui, sed non ne tum prouidisti, &c. {Sed ego fortasse uaticinor. Non est hic uaticinor pro diuino, sed pro ariolor, & quasi deliro, ut etiam in oratione pro Sestio, ut uaticinari eos atque insanire dicebat.

SEBAS. CORR.

QVod scribis.} Epistola, XVI. libro VIII. {Ab caecitata fortuna} Cæsaris. {Ad inclinatam} Pompeii. {Florentissimi hominis} Cæsaris. {Hæc nostra laurus} Laureati lictores. {In uoculas} sermonea. unde illud ad Atticum: Subito consilium cepi, ut antequam luceret, exirem, ne qui conspectus fieret, aut sermo, lictoribus præsertim laureatis. {In maritimis sum} Campaniæ, & maritimæ oræ ἐπίσκοπος. {Contra eum} Cæsarem. {Ab eo} ab eodem Cæsare. {Cui tamen satisfieri nullo modo potest} uel quod illi tantum debeam: uel potius, quod in Senatum, ut uolebat, non uenerim: & si ego spero me satisfecisse. {Quem audissem} Pompeium de urbe relinquenda cogitare. {De nobis} qui bellum in Cilicia fortiter gessimus. {Proponuntur} in epistola. XVI. libro VIII. {Ab iis molestiis} quas in pace ab Appio, & reliquis aduersariis patiebatur. {Liberum} quod Cæsarem sequeretur. {Hispaniensem casum} finem belli contra Petreium & Afranium. {Togam prætextam} magistratum aliquem, quemadmodum idem Appius fuerat adeptus Cæsare Coss. {Texi} parari, ut in Italia maneret, quod facturus uidebatur, sed recentes inimicitias metuebat. {Curtius} Posthumus Curtius, a me Cæsari olim commendatus, sed nunc prorsus Cæsarianus. {Dibaphum} auguratum, præsertim Q. Hortensio augure iam mortuo. {Infector} Cæsar.

BERN. RVT.

SEd incurrit hæc nostra laurus non solum in oculos, sed iam etiam in uoculas maleuolorum} Quid si legatur? Sed & incurrit, quasi duabus iam allatis rationibus, tertiam hanc adiiciat, quod honorem suum ac gloriam inuisam esse ciuibus sentiat. Laurum uero dici propter laureatos fasces, qui imperatoribus, eisque quibus esset (ut Ciceroni) decretus triumphus, dabantur, quos ipsos per Campaniam diu gestauit. autores Plutarchus, aliique, interpres in eo fallitur. {Ne amicis molestus sim} si ad eius rura habitaturus, apudque eos diutius uicturus accedam: contra quam Clericus. Cicero ad Gallum: Næ ego multo libentius emerim diuersorium Tarracinæ, ne semper hospiti molestus sim. Item supra. {Quæ non animum meum magis sollicitum haberet, quam tuum} Habene, puto recte ex sensu scribi, aut (ut interpres) haberent. {Quod est igitur meum triste consilium?} Nugatur interpres. ad Cælii uerba respondet, quæ sunt libro VIII. Exanimatus, inquis, sum tuis litteris, quibus te nihil nisi triste cogitare ostendisti, neque id, quid esset perscripsisti. {In hominum insolentium indignitate fastidium} Indignitas est, cum quis, quod se indignum sit, facit, aut cum quis, quo non sit dignus, consequitur. Indignitas ergo insolentium, qui, & plus possint, quam deberent, & inimicis plerisque detrimenta inferrent, publicisque ærumnis quasi insultarent. in quo uideo cæcutire interpretem. {Item supra, Eo si onere carerem, quamuis paruis Italiæ latebris contentus essem} Significat, ut eo onere careat, quolibet recessurum esse. adeo ei graue uisum est, tantum pondus illis præsertim temporibus sustinere. {Non enim te cælaui sermonem. sed non ne tum prouidisti, quam abhorrerem ab urbe relinquenda?} Puto ita legi, atque distingui oportere: Non enim te cælaui in sermone tum prouidisti, quam abhorrerem ab urbe relinquenda. Nam & in quibusdam codicibus abest totum illud, Sed non ne, quod ex Sermone uerbo scilicet defluat. {Satis amplum patrimonium reliquam in memoriam nominis mei} uel In abundas, uel Memoria sexto casu legatur. {Dolabellam meum, uel potius nostrum, uidebam fore ab his molestiis, quas liberalitate sua contraxerat, liberum} Vide ne Libertate sit rectius; ut ad accusationem Appii referatur, quæ multos et inimicos pepererat amicos eius, inter quos Pompeium, Brutum, Lentulum, affines Appii, a quibus ille uidebatur tutus futurus, si in bello ciuili Cæsarem sequeretur. Neque uero improbo lectionem etiam, quam refutat interpres, ut iungatur ita superioribus: Specula, quod Dolabellam meum, &c. Item ante. {An dubitas, quin sciam, quanti eum illum, tum uero Tulliam meam faciam, quin ea me cura uehementissime sollicitet} Non fuit mutanda, constans etiam in corruptissimis alioqui exemplaribus lectio, Cum scias, interpreti etiam agnita, neque ab Aldo, neque a Mediolanensibus, quorum utrorumque in plerisque minus mendosos codices habemus. {Velim ita sit, sed tamen togam prætextam texi Appio, puto te audisse} Distinguo aliter: uelim, ita sit. sed tamen. ut hic suspensus relinquatur sensus, sequaturque: Togam prætextam texi Appio: puto te audisse. Quod de Appio scilicet Pulchro accipiendum est, eo fortasse sensu. Appium etiam nunc de triumpho, quem propter Dolabellæ accusationem destituerat, cogitare. Nam quæ interpres comminiscitur, puerilium deliramentorum sunt. Quod sequitur de Curtio, uel (ut alii habent) Curio, mihi in obscuro est, ne ex his me existimare uidear, quam omnia scire profitentur.

Ex poste. eiusdem.

TOgam prætextam texi apio, puto te audisse} Et si non nimis ad hunc locum pertinere uideo, ascripsi tamen Ciceronis iocum de toga prætexta Commageni regis. De Commageno rege, inquit ad Q. fratrem, quod rem discusseram, mirifice mihi & per se, & per Pomponium blanditur Appius. Videt enim, hoc genere dicendi si utar in cæteris, Februarium sterilem futurum, eumque iussi iocose satis, neque solum illud extorsi oppidulum, quod erat positum in Euphrate, & Zeugmate, sed præterea togam sum eius prætextam, quam erat adeptus Cæsare consule, magno hominum risu cauillatus, quod uolt inquam renouare honore eosdem, quo minus togam prætextam quotannis interpollet, decernendum nihil censeo. Vos autem homines nobiles, qui Buscycum prætextatum non ferebatis, Commagenum feretis? Genus uides, & locum iocandi. Multa dixi in ignobilem regem, quibus totus est explosus, quo genere commotus (ut dixi) Appius, totum me amplexatur. Nihil est enim facilius, quam reliqua discutere. {Nam Curius nostea dibaphum cogitat} Ad Atticum: Denique, inquit, etiam Vatinii strumam sacerdotii dibapho uestiant.

Alexāder ab Aleaā. loco prius signato.

VTor ætatis uitio, uelim ita sit, sed tamen togam prætextam texi apio, puto te audisse} Quid uerba, significarent, haud perspicue capere Interpres uisus fuit. Dicebat enim his uerbis id notari, quasi meam togam mœrore circundedi, cum apium amarum esse constet, quod animo afflicto & iacenti esset. Id tamen aliter intelligi conuenire, qui sensum eruere uolet, haud dubie animaduerterit. Cum enim apium funeralis herba fuerit, eoque apii corona defunctorum tumulos ornari, atque in ludis funebribus apio coronari uictores proditum sit, merito, inquit, cum tot calamitatibus Respub. opprimatur, ob immodicas simultates & ingruentia bella, cum in atrocissimos fluctus Reipub. inciderim, ipsique cadenti nihil opis afferre ualeam, meam (inquit) togam prætextam. quæ magistratum decet, texi apio, hoc est, funere: quasi eo indignationis ueneris, ut cum ulterius labantem Rempub. ferre nequeas, deque illius interitu crucietur & sollicitus sit, sibi iam in extrema uitæ curriculo mortem proposuerit quam pro Republi. libenter subiturus fuit, quod est dicere, si Respub moritur, se nolle uiuere. Sicut Asinius Pollio ad Ciceronem: Nam nec Reipubli. deesse uolo, nec superesse, inquit. Ideo togam prætextam quæ Prætoria & consularis est, apio, hoc est, funere texuerit, quod etiam Græco est prouerbio usurpatum, ut in mala ualetudine, & rebus accisis & deploratis, apio opus esse dicant. Quos intellectus, qui rem assequi uolet, ex uerborum contextu plane redundare perspiciet.

PHILI. MELâ.

Magno dolore me affecisti.} Hac epistola respondet Cicero ad Episto. XVII. Cælii in libro VIII. {Nisi iam & ratio ipsa} Exordium, in quo initio proponit, se esse firmo animo. idque est parasceue ad cætera. {Illud miror} Propositio: non offendam Cæsarem, {Quod est igitur} Narratio, ἀπορία. Fugerem, sed propter lictores non possum. {Hæc nostra laus} Diluit argumenta Cælii, quod non timeat priuatis bonis. {Sed ego fortassis} Præcisio.

ARGVMENTVM.

Respondet clausulatim literis Caninianis, declarans quem & qua rediturus paret. Monet etiam ne contra legem Iuliam rationem referre differat: docet cur Apamea præsidium deduxerit: deinde docet se non posse quingentas drachmas commodare. Tum quid sentiat de legionibus in Syriam decretis, aperit. Et deinde alteri epistolæ respondet, qua se Bibulo commendari petierat, conquerens de Bibuli iniquitate in se, ut legenti constabit.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Duo agit in hac epistola Cicero. Primo respondet missæ epistolæ Caninii, deinde purgat se adiectis caussis uariis, quare Bibulo neminem commendare possit, aut debeat.

M. T. C. IMP. CANINIO SALLVSTIO PROQVÆS. S. P. D. 17

*Literas à te mihi stator tuus reddidit Tarsi ad XVI. Calen. Sext. his ego ordine, ut uideris uelle, respondebo. De successore meo nihil audiui: nec quenquam fore arbitror. quin ad diem decedam, næ ulla causa est, præsertim sublato metu Parthico commoraturum me nusquam sanè arbitror. Rhodum Ciceronum causa puerorum accessurum puto. neque id tamen certum est. ad Vrbem uelim quamprimum uenire: sed tamen iter meum Reipubli. & rerum urbanarum ratio gubernabit. successor tuus non potest ita maturare ullo modo, ut tu me in Asia possis conuenire. De rationibus referendis, non erat incommodum te nullam referre: quam tibi scribis à Bibulo fieri potestatem. sed id uix mihi uideris per legem Iuliam facere posse: quam Bibulus certa quadam ratione non seruat: tibi magnopere seruandam censeo. Quod scribis Apamea præsidium deduci non oportuisse: uidebam idem *cæteros existimare: molesteque ferebam, de ea re minus commodos sermones maleuolorum fuisse. Parthi transierint, nec ne, præter te, uideo dubitare neminem. itaque omnia præsidia, quæ magna, & firma paraueram, commotus hominum non dubio sermone dimisi. Rationes mei Quæstoris nec uerum fuit me tibi mittere, nec tum erant confectæ. eas nos Apameæ deponere cogitabamus. De præda mea præter Quæstores urb. idest Populum Roma. teruncium nec attigit, nec tacturus est quisquam. Laodiceæ me prædes accepturum arbitror omnis pecuniæ publicæ, ut & mihi, & populo cautum sit sine uecturæ periculo. Quod scribis ad me de drachmis CCCIↃↃↃ: nihil est, quod in isto genere cuiquam possim commodare: omnis enim pecunia ita tractatur, ut præda à præfectis, quæ autem mihi attributa est, à Quæstore curetur. Quod quæris, quid existimem de legionibus, quæ decretæ sunt in Syriam: antea dubitabam, uenturæ ne essent, nunc mihi non est dubium, quin, si antea auditum erit, otium esse in Syria uenturæ non sint. Marium quidem successorem tarde uideo esse uenturum, propterea quod senatus ita decreuit, ut cum legionibus iret. Vni epistolæ respondi. ueniō ad alteram. Petis à me, ut Bibulo te quam diligentissime commendem. in quo mihi uoluntas non deest: sed locus uidetur esse tecum expostulandi: solus enim tu ex omnibus, qui cum Bibulo sunt, certiorem me nunquam fecisti, quàm ualde Bibuli uoluntas à me sine causa abhorreret: permulti enim ad me detulerunt, cum magnus Antiocchiæ *metus esset, & magna spes in me, atque in exercitu meo, solitum dicere, quiduis se perpeti malle, quàm uideri eguisse auxilio meo. quod ego officio quæstorio te adductum reticere de Prætore tuo non moleste ferebam, quanquam, quemadmodũ tractarere, audiebam. ille autem, cum ad Thermum de Parthico bello scriberet, ad me *literam nunquam misit, ad quem intelligebat eius belli periculum pertinere. tantum de Auguratu filij sui scripsit ad me. in quo ego misericordia commotus, & quod semper amicissimus Bibulo fui, dedi operam, ut ei quàm humanissime scriberem. ille si omnibus est maleuolus, quod nunquam existimaui: minus offendor in me. sin à me est alienior: nihil tibi literæ meæ proderunt. nam ad senatum quas Bibulus literas misit, in ijs, quod mihi cum illo erat commune, sibi soli attribuit. se ait curasse, ut cum quæstu populi pecunia permutaretur. quod autem meum erat proprium, ut alarijs transpadanis uti negarem, id etiam populo se remisisse scribit, quod uero illius erat solius, id mecum communicat. equitibus auxiliarijs egere se, inquit, cum amplius frumenti postularemus. illud uero pusillanimi, & ipsa maleuolentia ieiuni atque inanis, quod *Ariobarzanem, quem senatus per me Regem appellauit, mihi commendauit, iste in literis non Regem, sed Regis Ariobarzanis filium appellat. hoc animo qui sunt, deteriores fiunt rogati. sed tibi morem gessi. literas ad eum scripsi. quas cum acceperis, facies quod uoles. Vale.*

*a.l. cæteros.

cc Liii

*a.l. tumultus.

*a.l. literas.

*a.l. Ariobarzanē, quia.

ASCENSIVS.

Literas &c. Scribitur hæc epistola ad Caninium Sallustium e Cilicia. unde in epistolarum collectione non habitus respectus temporum, sed personarum, ad quos missæ sint, cum loco unde missæ. Quia ergo e Cilicia fere missæ sunt huius secundi libri epistolæ, prius collegit Tyro, quæ ad Curionem datæ sunt, deinde quæ ad Cælium, tum treis ad alios datas, quæ tamen prius scriptæ erant, quam superior. Nam superiorem a Cumano misit. Erat autem Caninius iste quæstor Bibuli, qui præerat Antiochiæ, qui ad Ciceronem duas miserat epistolas, unam plenam uariarum petitionum, ad quas Cicero respondet, alteram qua petit a Cicerone, Bibulo prætori suo commendari, quod Cicero se facturum dicit, sed ueretur, ut literæ suæ parum sint habituræ ponderis apud Bibulum. Ordo est. Stator: idest minister, stare solitus, paratus ire quo eum miseris, reddidit mihi Tarsi: idest cum essem Tarsi ad XVI. Calendas Sextilis. id est Augusti, literas, supple datas, uel scriptas a te. Ego respondebo his ordine: idest ad singulas particulas, quo ordine scriptæ sunt, ut: idest quemadmodum, tu uideris uelle. De successore meo: idest quod petisti de successore meo an haberem, & quis esset, ego nihil audiui, neque arbitror quenquam fore: idest futurum esse, & tamen nulla causa est, quin decedam ad diem, scilicet constitutam a senatu præsertim metu Parthico: idest de bello cum Parthis gerendo, sublato, idest de medio lato, & amoto. Ego arbitror sane, idest multum me commoraturum, idest tracturum moram. nusquam, idest in nullo loco. Puto supple me accessurum Rhodum ad urbem, aut insulam illam in mari Pamphilio, unam ex Cycladibus, causa Ciceronum puerorum, scilicet filii, & nepotis, qui illic erant. Neque tamen certum. supple est id, uolo uenire quamprimum, idest ualde cito, ad urbem: idest Romam. Sed tamen ratio: idest qualitas, & status Reipubli. & rerum urbanarum gubernabit iter meum. Successor tuus, idest qui tibi succedet, non potest ullo modo maturare, idest accelerare, supple iter suum, ita ut tu possis conuenire me in Asia. De rationibus: idest computis (ut dicunt) referendis, idest reddendis de quæstura, coram deputatis, & prætore, non erat incommodum, scilicet tibi. nullam, scilicet rationem, referre: quam potestatem, scilicet non referendi rationem, tu scribis fieri tibi a Bibulo, scilicet prætore tuo. Sed tu uix uideris posse id facere, per legem Iuliam, quæ iubet unumquenque legem, rationem, magistratus a se gesti, & præcipue quæsturæ referre debere. quam scilicet legem, Bibulus non seruat qua-

dam

dam ratione certa, scilicet sibi. ego censeu seruandam tibi magnopere. Quod scribis non oportuisse præsidium, idest illud militum, quod erat impositum, ut urbem defendat ab hostibus, & in fide teneat, deduci Apamea, ab ea urbe Asia: Ego uidebam cæteros eastimare, idest censere, idem, & ferebam moleste sermones maleuolorum fuisse minus commodos de ea re, idest de abductione præsidii. Ne: idest an, Parthi transierint, scilicet in prouinciam nostram, nec ne: idest an non, uideo neminem dubitare præter te, quia omnes sciunt, quod non. Itaque ego commonitus non dubio sermone hominum dimisi omnia præsidia, scilicet urbium, quæ parauerans magna & firma, nec fuit uerum me mittere: idest quod mitterem tibi rationes: idest computos, quæstoris mei, nec erant confectæ tam: idest tunc, cum eas deceret mittere. Cogitabamus, deponere, idest relinquere quasi deposito apud aliquem Apameæ. Quisquam præter quæstores urbanos, idest urbis Romæ, idest Populum Romanum nec attigit, nec facturus est de præda mea, triuncium, idest ualorem trium unciarum æris. Ego arbitror me accepturum Laodiceæ, quæ urbs Antiochiæ est, prædes: idest fideiussores omnis pecuniæ publicæ, hoc est, quæ ad ærarium Romanum pertinet, ut cautum, idest caute prospectum sit, & mihi, & populo: scilicet Romano, sine periculo uecturæ, idest quod est in uehendo per regiones, unde inuenti sunt quos bancarios uocant. Quod tu scribis ad me de. D. idest quingentis, alii tantum ccclii. drachmis, idest ponderibus æris constantibus octodecim siliquis uel tribus scrupulis, scilicet tibi mutuo dandis, nihil est, quod possim commodare, idest commodum facere, aut præstare cuiquam in isto genere, scilicet officii. Omnis enim pecunia tractatur ita a præfectis, ut præda. autem: idest, ea pecunia, quæ est attributa mihi curatur a quæstore, idest in manu est quæstoris. Quod quæris, quid eastimem de legionibus, quæ decretæ sunt in Syriam, ego dubitabam antea, ne pro an, uenturæ sint, nunc non est dubium mihi quin si auditum erit antea, otium, idest cessationem a bello, eo quod Parthi abierunt, esse in Syria, legiones supple uenturæ non sint. Ego uideo quidem Marium, hominem illius ætatis, successorem: idest qui debeat succedere, aut prætori, aut tibi, esse uenturum tarde, propterea quod senatus decreuit ita, ut iret, scilicet in prouinciam. cum legionibus, idest certorum numerorum copiis. Ego respondi uni epistolæ, scilicet tuæ. uenio ad alteram. Petis a me, ut commendem, quam diligentissime, Bibulo, scilicet prætori tuo, te. in quo, scilicet negotio, uoluntas non deest mihi, sed locus expostulandi, scilicet agendi de iniuriis, aut querelandi tecum uidetur esse, supple mihi. Tu enim solus ex omnibus, qui sunt cum Bibulo, nunquam fecisti me certiorem, quam, idest quantum ualde, uoluntas Bibuli, abhorreret, idest aliena esset, & aduersa a me sine causa. Permulti enim detulerunt, idest occulte nunciauerunt mihi, cum magnus metus esset Antiochiæ, de aduentu Parthorum, atque magna spes in me, & in exercitu meo, Bibulum supple solitum dicere, se malle perpeti quiduis, idest quodlibet incommodum, aut malum, quam uideri eguisse auxilio meo. Quod, scilicet dictum Bibuli, ferebam non moleste adductum, idest ad hoc inductum, officio quæstorio idest eo, quod esses quæstor Bibuli, & ita illi deuinctus, reticere de prætore tuo, quanquam audiebam quemadmodum, idest ad quem modum & formam, tu tractarere, idest tractareris a Bibulu, quasi dicat miseris modis. Autem, idest sed, ille scilicet Bibulus, cum scriberet ad Thermum, proprætorem Asiæ, seu Bithyniæ, de bello Parthico, nunquam misit literas ad me, ad quem intelligebat periculum eius belli, scilicet Parthici, pertinere. eo quod Cilicia Antiochiæ propinquior est, quam Asia supple Bibulus scripsit tantum ad me de auguratu filii sui, idest ut filius suus adoptaretur in collegium augurum, quod sine Ciceronis assensu facere non poterat, cum Cicero augur esset, in quo scilicet facto, aut filio eius, ego commotus misericordia, & quod fui semper amicissimus Bibulu dedi operam, ut scriberem ei, quam humanissime. Si ille, scilicet Bibulus est maleuolus omnibus, quod nunquam existimaui, idest iudicaui de eo, ego minus offendor in me, idest si est maleuolus in me. Sin autem, idest sed, supple est alienior a me, quam a cæteris, literæ meæ, scilicet commendatitiæ, nihil proderunt. Nam in iis literis quas Bibulus misit ad senatum, ipse supple attribuit sibi soli, quod erat mihi commune cum illo. Nam ait se curasse, ut pecunia populi, scilicet Romani, permutaretur, idest daretur negociatoribus in prouincia, & reciperetur alia Romæ cum quæstu, idest cum lucro. Autem, idest sed, ipse scribit se remisisse, idest relaxasse, tanquam onus, populo, scilicet Romano, id quod erat meum proprium: idest meo solius consilio, & adiutorio factum, ut scilicet negarem uti Alariis, scilicet militibus in alis, idest cornibus aciei locandis, transpadanis, idest sumendis ex populo trans Padum incolenti, ut sunt Patauini, Veneti & cætera. Vero pro sed. ipse communicat mecum: idest mihi etiam attribuit, id quod erat illius solius, scilicet consilio, aut opera factum, inquit enim in epistola ad senatum, cum postularemus equitibus, idest pro equitibus auxiliariis, amplius idest plusquam, frumenti & cætera. id autem Ciceru pro suis non postulauerat. Illud uero, quod sequitur, supple fuit animi pusilli, & ieiuni, idest sterilis & infœcundi, quantum ad liberale facinus, ipsa maleuolentia, idest propter maleuolentiam ipsam, quod quia senatus appellauit Ariobarzanem, per me, idest suasu meo, regem, scilicet Cappadocum. commendauit mihi eum, scilicet tutandum, iste scilicet uilis, quia maleuolus & turpiter agens, uidelicet Bibulus, appellat in literis suis non regem, sed filium regis, quia pater eius etiam Ariobarzanes nomine Rex fuerat. Ii, supple qui sunt hoc, idest huiusmodi animo, scilicet tam maleuolo, fiunt deteriores, idest adhuc minus boni, rogati, idest si rogentur, sed ego gessi morem, idest obsecutus sum tibi, scripsi literas ad eum, quas cum acceperis, facias quod uoles, idest aut dabis, aut retinebis eas.

VICTORIUS. EQuibus auxiliariis egere se inquit} In nullis uidi antiquis codicibus duas has dictiones. {Egere se} quæ in excusis omnibus usuntur: & sane puto additas esse temere ab aliquo, qui non intelligeret uerba esse ex epistola Bibuli ad Senatum, eæ autem totum hunc locum peruertunt, si accurate, attenteque legas. Hæc enim sunt illa uerba, quibus quod suum erat cum Cicerone ille communicauerat, de quo nunc Cicero queritur. cum scripsisset enim Bibulus. {Postularemus} indicabat se in eo desiderio non solum fuisse: uox autem illa. {Inquit} declarat esse quæ circa sunt uerba, Bibuli, quæ maioribus literis scripsimus, ut distincta a sermone Cice. facilius intelligerentur, nec amplius quenquam fallerent.

SEBAS. CORR. LEgem Iuliam} qua rationes confectas in prouincia apud duas ciuitates relinquere necesse erat, easdemque totidem uerbis ad ærarium referre. {Non seruat} ut Iulii Cæsaris inimicus. {Mei Quæstoris} Lu. Mescinii Rufi. {Officio Quæstorio} nam a maioribus accepimus, Prætorem Quæstori parentis loco esse oportere. {De prætore tuo} Atqui M. Bibulum Procoss. uocat epist. I. & III. lib. XIII. sed, autore Asconio, ueteres omnem magistratum, cui pareret exercitus, Prætorem appellarunt. {Ad Thermum} de quo sequenti epist. & lib. XIII. {Postularemus} Perinde ac si dicat, Ego & Cicero. sunt enim Bibuli uerba, sed pendentia. ne plura describeret.

BERN. RVT. DEscriptionibus referendis non erat incommodum, te nullam referre} Cur rationibus scribere noluerit Aldus, cuius opera excusos codices ut minime mendosos castigamus, non mediocriter miramur, ut hercle & quod proprætori potius quã quæstori, quod cætera omnia seruant exemplaria, literarumque ipsarum argumentum indicat, scribere maluit. {Quam Bibulus certa quadam ratione non seruat} & quod inimicus Cæsaris, & quod spretis auspiciis, perque uim latas, se domi incluso, dicere est ausus. autores Cicero in Vatinium, Liuius, Plutarchus, Appianus, cæteri. {Vt ei quam humanissime scriberem} Ei, est ad eum, uel inuito interprete, uel patrem Bibulum, uel filium, sed patrem magis innuit id humanitatis uerbum, dictum alioqui quam diligentissime, aut id genus aliquid.

PHIL. MELI. LIteras a te mihi, &c.} Hæc epistola est soluta, & habet multa quæ simpliciter coniunguntur, sine ulla diligenti compositione, Est enim congeries multarum narrationum, & earum breuissimarum. (Stator tuus) Statores erant serui, quibus utebantur inter lictores, & quos mittebant ad uiros honestiores & optimates.} Prædes accepturum} Ich wil es in wechsel legen Prædes idest qui curent mihi Romæ solui pecuniam accepta hic pecunia præsenti. {Petis a me} Excusatio, quare inuitus commendet. {Permulti enim} ad me detulere. {Argumentatio} quare Bibulus uideatur alienatus. {Ille si omnibus est} Conclusio harum argumentationum. Porro Bibulus hic est, qui cum Cæsare fuit Consul, & quem Cæsar merito irrisit. Fuit autem homo inuidus, uilis, & imbecillis animi. {Nam ad senatum} Aliud argumentum maleuolentiæ Bibuli. {Equitibus auxiliariis} Auxiliarii equites sunt milites, qui mittuntur ad supplendas cohortes. {Sed tibi morem gessi} Conclusio, cum correctione.

ARGVMENTVM.

Thermus proprætor, siue proconsul Bithyniæ, scripserat ad Ciceronem, sibi grata fuisse officia Ciceronis in se & in Rhodonem, de qua re Cicero se uehementer gaudere dicit. Deinde monet, ne legatos quæstori præponat cum id sine quæstoris nobilissimi & generosissimi contumelia facere non posse, quã tam potenti, totq; fratribus nobilibus prædito, graue sit inferre. Non nominat quæstorem, quia de noto loquitur.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Petit ut curam quæstoris habeat, nec huic præferat legatos. & quo id facilius consequatur, exquisitis argumentis ex suasoriis locis depromptis aggreditur.

M. T. C. IMP. Q. THERMO PROPRAET. S. P. D. 18

OFficium meum erga Rhodonem, cæteraq; mea studia, quæ tibi, ac tuis præstiti, tibi homini gratissimo grata esse uehementer gaudeo: mihi'que scito in dies maiori curæ esse dignitatem tuam: quæ quidem à te ipso integritate, & clementia tua sic amplificata est, ut nihil addi posse uideatur. sed mihi magis, magis'que quotidie de rationibus tuis cogitanti placet illud meum consilium, quod initio Aristoni nostro, ut ad me uenit, ostendi: graueis te suscepturum inimicitias si adolescens potens, & nobilis à te ignominia affectus esset. & hercle sine dubio erit ignominia: habes enim neminem honoris gradu superiorem. ille autem, ut omittam nobilitatem, hoc ipso uincit uiros optimos, homines'que innocentißimos legatos tuos, quod & Quæstor est, & Quæstor tuus. nocere tibi iratum neminem posse perspicio: sed tamen treis fratres summo loco natos, promptos, non indisertos, te nolo habere* iratos', præsertim iure, quos uideo deinceps Tribunos plebis per triennium fore. tempora autem Reipubli. qualia futura sint, quis scit? mihi quidem turbulenta uidentur fore. cur ego te uelim incidere in terrores tribunitios? præsertim cum sine cuiusquam reprehensione legatis Quæstorem posßis anteferre. qui si dignum se maioribus suis præbuerit (ut spero, & opto,) tua laus ex aliqua parte fuerit. sin quid offenderit, sibi totum, nihil tibi offenderit. quæ mihi ueniebant in mentem, quæ ad te pertinere arbitrabar, quod in Ciliciam proficiscebar, existimaui me ad te oportere scribere, tu quod egeris, id uelim Dij approbent. sed, si me audies, uitabis inimicitias, & posteritatis otio consules. Vale.

*a.l. inimicos.

ASCENSIVS.

OFficium &c. Thermus proprætor, seu proconsul Bithyniæ scripserat ad Ciceronem sibi eius officium in Rhodonem gratum fuisse, de quo se gaudere nunc dicit Cic. monetque ne legatos quæstori, præsertim tam nobili & potenti præferat. Ordo est. Ego gaudeo uehementer officium meum erga Rhodonem, & cætera studia mea, quæ præstiti tibi, ac tuis scilicet amicis esse grata tibi homini gratissimo. Et scito dignitatem tuam esse mihi curæ in dies maiori. quæ quidem dignitas tua amplificata est a teipso, integritate & clementia tua, sic ut nihil uideatur posse addi, scilicet ad eam. Sed illud meum consilium, quod ostendi Aristoni nostro: scilicet communi amico, initio, ut: idest postquam, uenit ad me, placet mihi quotidie magis magisque, uidelicet te suscepturum esse graueis, idest molestas tibi inimicitias, si adolescens, scilicet quæstor tuus quem non nominat, potens & nobilis, affectus esset a te ignominia, scilicet in præferendis illi legatis, & hercle erit ignominia sine dubio. Enim: pro quia. tu neminem habes superiorem gradu honoris. Autem: idest sed ille: scilicet quæstor tuus, ut omittam: idest taceam nobilitatem eius, uincit hoc ipso, legatos tuos optimos, & homines innocentisimus, quod est, & idest simul quæstor, & idest simul quæstor tuus. Quæstor autem a conquirendo, & colligendo dictus est, qui publica uectigalia recipiat, & stipendium militibus ponit. Ego perspicio, ne forte dicat aut cogitet. hoc addit, neminem iratum: idest licet sit iratus posse nocere tibi: sed tamen nolo te habere inimicos tres fratres natus summo loco: idest clarissimis natalibus: promptos idest expeditos ad dicendum & faciendum, non indisertos, idest non imperitos artis dicendi, quos uideo: idest animaduerto, fore deinceps idest per ordinem trib. pleb. per triennium. Autem: idest sed, licet nemo tibi his rebus stantibus nocere posßit, quis scit qualia tempora sint reipublicæ futura? quasi dicat nemo. Quidem, idest certe, ea uidentur mihi fore turbulenta, sicut maxime fuerunt, ut ex ultima epistola ad Cælium ædilem patuit, igitur, cur: idest qua de causa: quasi dicat nulla iusta. Ego uelim te incidere in terrores tribunitios: quasi dicat licet nocere forte non poterunt, terrere tamen poterunt. Præsertim cum posßis anteferre legatis quæstorem sine reprehensione cuiusquam, qui, scilicet quæstor, si præbuerit se dignum maioribus suis, ut spero & opto, supple eum se præbiturum esse, fuerit, supple id laus tua ex aliqua parte, quia tu primus eum ad dignitatem promoueris. sin, idest sed si. Ipse offenderit: idest peccauerit totum sibi: idest detrimentum & dedecus suum, nihil tibi, quia tu eum, quem debes, prætuleris. Ego existimaui me oportere scribere ad te ea, quæ ueniebant mihi in mentem quæ arbitrabar pertinere ad te, quod, scilicet hæc scribens proficiscebar in Ciliciam, ego uelim dii approbent id quod tu egeris. Si audies me: idest obedies mihi, tu uitabis inimicitias, & consules: idest prospicies, otio, idest paci, posteritatis, idest post te futurorum, quia ex simultate facta longa surgere solet discordia.

SEBAS. CORR.

Q. Thermo proprætori} non Bithyniæ, sed Asiæ. Hellesponti certe quidem, & Ephesi, atque reliquarum urbium, de quibus Cicero ad ipsum scribens lib. XIII. meminit. sed & Prætorem Ephesum uocat alibi. {Honoris} in urbe dati. nam Quæstura primus est honoris gradus, & in urbe datur: legatio uero huiusmodi, in prouincia sæpius, nec ad honorum gradus pertinet.

PHIL. MELA.

OFficium meum &c.} Suasoria est. Habet autem commemorationem beneuolentiæ, & est generis deliberatiui. Consulit enim, ut quæstorem adolescentem nobilem retineat in prouincia, ac sumit argumentum ab utilitate & opibus, ac dignitate illius adolescentis: estque epistola Rhetorica. {Quæ tibi ac tuis} Exordium a gratitudine Thermi. {Sed mihi magis} Propositio. {Habes enim neminem} Rationes, in quibus pericula colligit, & simul utilitatem indicat. {Cur ego te uelim} Antithesis, quod in suo consilio nihil sit periculi.

ARGVMENTVM.

Gratulatur Cælio de quæstura per illum obtenta, dicitq; se gaudere quod talem nactus sit quæstorem, cum non posßit gratior aut acceptior, aut etiam iucundior contingere, ut uidelicet ex consuetudine crescat amicitia.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Gaudet ob quæstorem sibi datum, quem maxime cupiebat: & ut ad se ueniat, antequam e prouincia decedat, hortatur.

M. T. C. IMP. C. CÆLIO L. F. QVÆS. DES. S. P. D. 19

CVm optatißimum nuntium accepissem, te mihi Quæstorem obtigisse, eo iucundiorem mihi eam sortem sperabam fore, quo diutius in prouincia mecum fuisses: magni enim uidebatur interesse, ad eam necessitudinem, quam nobis sors tribuisset, consuetudinem quoque accedere. postea, cum mihi nihil neque à te ipso, neque ab ullo alio de aduentu tuo scriberetur: uerebar, ne id ita caderet, quod etiam nunc uereor, ne ante, quam tu in prouinciam uenisses, ego de prouincia decederem. accepi autem te missas literas in Cilicia, cum essem in castris, ad X. Calen. Quint. scriptas humanißime, quibus facile & officium & ingenium tuum perspici poßit: sed neque unde, neque quo die datæ essent, aut quo tempore te expectarem, significabant: nec is, qui attulerat, à te acceperat, ut ex eo scirem, quo ex loco, aut quo tempore essent datæ quæ cum essent incerta: existimaui tamen esse faciundum, ut ad te statores meos, & lictore cum literis mitterem, quas si satis opportuno tempore accepisti, gratißimum mihi feceris si ad me in Ciliciam quamprimum ueneris: nam quod ad me Curius consobrinus tuus, mihi (ut scis) maxime necessarius quod item C. Virginius propinquus tuus, familiarissimus noster de te accuratissime scripsit

ualet

*ualet id quidem apud me multum, sicuti debet hominum amicissimorum diligens commendatio: sed tuæ literæ, de tua præsertim dignitate, & de nostra coniunctione, maximi sunt apud me ponderis. mihi Quæstor optatior obtingere nemo potuit. quamobrem quæcunque à me ornamenta in te*proficiscentur: elaborabo. ut omnes intelligant, à me habitam esse rationem tuæ maiorumque tuorum dignitatis. sed id iam facilius consequar: si ad me in Ciliciam ueneris, quod ego & mea, & Reipub. & maxime tua interesse arbitror. Vale.*

*a.l. proficiscentur, ut.

ASCENSIVS. Cum optatissimum &c. Gratulatur Cælio Lucii filio, nō quidem superiori sed alteri, quod sibi quæstor sit designatus. Ordo est Cum ego accepissem nuncium optatissimum, utpote te obtigisse: idest forte quadam euenisse quæstorem mihi. idest in prouincia mea mecum sperabam eam sortem, idest sortionem fore mihi iucundiorem eo: idest tanto quo: idest quanto, fuisses diutius mecum in prouincia, non enim solebant quæstores assidue aut statim esse in prouincia, sed cū pecunia publica recipienda, & militibus persoluenda esset. enim, id est quia, uidebatur, scilicet mihi interesse, idest referre magni ad eā necessitudinem, idest uinculum amoris, quam sors tribuisset nobis, quoque, idest etiam. Consuetudinem, idest familiarem conuersationem accedere, idest addi. Sed supple. Posteaquam nihil scriberetur mihi, neque a teipso, neque ab ullo alio, de aduentu tuo uerebar, quod etiam nunc uereor, ne id caderet, idest eueniret ita ne: prout. prius quam uenisses in prouinciam, decederem de prouincia. Accepi autem, cum essem in castris, ad: idest circiter. Decimum: scilicet diem, calendas: idest ante, aut inter calendas, quintiles: idest Iulias, literas missas a te, scriptas humanissime. quibus & officium, & ingenium tuum posset perspici facile. Sed literæ illæ neque significabant. idest neque exprimebant, unde: idest de quo loco, neque quo die essent datæ, aut quo tempore ego expectarem te. Nec is qui acceperat eas, attulerat, supple eas, a te, ut scirem ex eo, ex quo loco, & quo tempore essent datæ. Quæ: scilicet loco, & quo tempore &c. cum essent incerta, tamen: idest nihilominus ego existimaui esse faciendum ut mitterem ad te statores meos: idest satellites, & nuncios ad hoc paratos quales sunt, quos postos dicunt Galli & lictores idest ministros publicos, cum insignibus suis, cum literis meis quas si accepisti tempore satis opportuno, ut, scilicet ea quæ mandarem exequi posses, tu feceris mihi gratissimum si ueneris, quam primum: idest ualde cito ad me in Ciliciam. Nam quod Curtius consobrinus tuus, idest sororis patris tui filius, necessarius mihi maxime idest maxima necessitudine deuinctus mihi, ut scis: item quod C. Virginius propinquus: idest consanguineus tuus familiaris noster scripsit accuratissime de te, id quidem ualet multum apud me. Tantum enim ualuit, quod eum postea uicarium reliquerit, sicut diligens commendatio hominum amicissimorum debet: scilicet multum ualere, sed literæ tuæ præsertim de tua dignitate, & de nostra coniunctione, scilicet per uinculum amicitiæ, sunt apud me maximi ponderis. Nemo potuit obtingere: idest sorte euenire mihi, quæstor optatior scilicet quam tu, quamobrem quæcunque ornamenta proficiscentur a me in te, hoc est, quibuscunque te ornabo, ut omnes intelligant rationem: idest respectum & curam, dignitatis tuæ, & maiorum tuorū esse habitā a me, scilicet in te ornando: Sed ego consequar iam facilius, id: scilicet ut te ornem pro dignitate tua, si ueneris ad me in prouinciam, quod scilicet te uenire in prouinciā prius quam discessero, ego arbitror interesse, idest in re, & utilitate esse, & mea, & reipub & maxime, idest præcipue tua. Quia decreuerat eum derelinquere uicarium, donec successor adueniret, quod etiam ex superioribus fecisse constat.

VICTORIUS. A Me ornamenta in te proficiscentur, elaborabo ut omnes} Nos a ueteribus codicibus nostram accepimus scripturam, quam castiorem putamus sine. {Elaborabo} ut si intellexeris quæcunque, idest omnia, nullus scrupulus restet: pollicetur enim Cicero uniuersa se in illum effusurum esse ornamēta. sic enim postulare & illius, & maiorum suorum dignitatem.

SEBAS. CORR. Curius} Is M. Curius esse uidetur, ad quem lib. VII. scribit, & quem lib. XIII. amicis commendat. {C. Virginius} qui cum Ciceroni uetusta fuit amicitia.

BERN. RVT. Ego iucundiorem mihi in sortem sperabam fore, quo diutius in prouincia mecum fuisses} Fuisses, ad futurum tempus refertur, non præteritum. hoc enim dicit: Quo maturius in prouinciam uenisses, mecumque in ea diutius fuisses: non autem significat, Cælium fuisse in prouincia Ciceronis, etiam antequam crearetur quæstor, quomodo ab interpretibus acceptum uideo. Erat enim, cum per se iucundum Ciceroni, Cælium sibi quæstorem obtigisse: tum uero iucundius futurum, si non nomine tantum & sorte, sed etiam re ipsa quæstore eo diutius esset usus Igitur quod ait, consuetudinem quoque accedere, futuram intellige, non præteritam. {Quod item consul Virginius propinquus tuus} Virginium consulem circa hæc tempora nullum fuisse satis scio, erant enim Mar. Marcellus, & Seruius Sulpitius. designati uero, C. Marcellus & L. Paulus Aemilius Lentulus: nisi uero hi iam ingressi magistratum, quod magis puto. Itaque existimo scribendum, Caius Virginius, quod & tertia epistola insequentis libri, in quibusdam codicibus deprauatum erat, Ego consul Pontinium legatum meum, &c. Vbi C. Pontinium posteriorum solertia recte reposuit.

PHILMELI. Cum optatissimum nuntium} Hæc epistola est Periodica, quia habet unum tantum & perpetuum argumentum, quo significat gaudium suum ob quæstorem illi datum, quem uoluerat. Est autem exordium a uoto, uel a spe. {Accepi autem a te missas. {Narratio, cui est, adiecta adhortatio. {Quamobrem quæcunque} Defert officium suum.

M. T. C. EPISTOLARVM FAMILIARIVM SECVNDI LIBRI FINIS.

MARCI TVLLII CICERONIS

EPISTOLARVM FAMILIARIVM,

LIBER TERTIVS.

ARGVMENTVM TERTII LIBRI.

Tertius fere liber scribitur ad Appium Pulchrum. Sed norit lector non seruatum esse ordinem temporum in epistolarum libris. Nam argumenta secundi libri erant ante argumenta tertii. Appius enim erat ante Ciceronem in Cilicia prouincia, & tamen epistolæ secundi ex Cilicia a Cicerone fere missæ sunt.

ARGVMENTVM EPIST. SEQ.

Commendat primum Phaniæ prudentiam: tum amorem suum in Appiu modeste commemorat, & Appium mirifice laudat, & Cilicem libertum eius satis extollit. Et ultimo Valerium, quem prius quod se iurisconsultum diceret, risit: nunc quod bonus uir sit, laudat.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Principium epistolæ apodioxis est. De Repub. nihil scribo, quæ uis tu per le ris. nam Phania tibi rem omnem aperiet. Deinde animum suum erga Appium declarat. Sunt & aliquot commendationes personarum, sed præcipue L. Valerii iureconsulti.

M. T. C. APPIO PVLCHRO IMP. S. P. D. 1

*SI ipsa Respub: tibi narrare posset, quomodo sese haberet: non facilius ex ea cognoscere posses, quàm ex liberto tuo. Phania: ita est homo non modo prudens, uerum etiam, quod ui di, curiosus. quapropter ille tibi omnia*explanabit: id enim mihi & ad breuitatem est aptius, & ad reliquas res prouidentius. De mea autem beneuolentia erga te etsi potes ex eodem Phania cognoscere, tamen uidentur etiam aliquæ meæ partes: sic enim tibi persuade, carißimum te mihi esse cum propter multas suauitates ingenij, officij, humanitatis tuæ, tum quod ex literis tuis, & ex multorum sermonibus intelligo, omnia, quæ à me profecta sunt in te, tibi accidisse gratißima, quod cum ita sit, perficiam profecto, ut longi temporis usuram, qua caruimus intermissa nostra consuetudine, & gratia, crebritate, & magnitudine officiorum meorum sarciam. idq; me (quoniam tu ita uis) puto non inuita Minerua esse facturum: quam quidem ego si forte de tuis sumpsero non solum Pallada, sed etiam Appiada nominabo. Cilix libertus tuus antea mihi minus fuit notus: sed ut mihi reddidit à te literas plenas & amoris, & officij, mirifice ipse suo sermone subsecutus est humanitatem literarum tuarum. iucunda mihi eius oratio fuit, cum de animo tuo, cum de sermonibus, quos de me haberes, quotidie mihi narraret. quid quæris? biduo factus est mihi familiaris, ita tamen, ut Phaniam ualde sim desideraturus. quem cum Romam remittes, quod (ut putabamus) celeriter eras facturus: omnibus ei de rebus, quas agi, quas curari à me uoles, mandata des uelim. L. Valerium iurisconsultum ualde tibi commendo, sed ita etiã, si non est iurisconsultus: melius enim ei cauere uolo. quàm ipse alijs solet. ualde hominem diligo. est ex meis domesticis, atque intimis familiaribus. omnino tibi agit gratias: sed idem scribit, meas literas maximum apud te pondus habituras. id eum ne fallat, te etiam, atq; etiam rogo. Vale.*

*a.l. explicabit.

ASCENSIVS.

SI ipsa Respublica &c. Hæc est prima tertii libri epistola ad Appium pulchrum, ad quem reliquæ fere scribuntur. Est autem amicitiæ reconciliatiua, & imitatione digna. Primum commendat Phaniæ prudentiam, deinde amorem suum in Appium modeste commemorat, & App. mirifice laudat, tum Cilicem libertum eius extollit, & demũ Vale laudat. Sane, quia Cice. App. in Ciliciam successit, unde secundi libri epistolæ missæ sunt, constat argumenta tertii libri ante ii argumenta euenisse. Vnde non continuatur hæc historia in epistolarũ serie. Ordo autem uerborum hæc est: Si ipsa Respublica posset narrare tibi o Appi quomodo ipsa haberet sese, tu posses facilius cognoscere. s. id ex ea quam ex Phania liberto tuo, ita. i. usq; adeo, est ipse homo, non modo. i. non solum prudens, uerum etiam, quod. i. quantum uidi, uir æquus idest iustus, & curiosus: idest solers scrutator rerum, quapropter ille explanabit tibi omnia, idest negocia Reipublicæ id enim est mihi, & idest simul aptius ad breuitatem, & prouidentius, idest consultius ad reliquas res. Et si: idest quanquam, tu potes cognoscere ex eodem Phania de beneuolentia mea erga te, tamen etiam aliquæ partes uidentur meæ, idest ad me spectare, ut insinuem tibi. Enim: idest quia persuade tibi sic, te esse charissimum mihi, cum scilicet ita sit, quod propter multas suauitates ingenii, officii, humanitatis tuæ, tum: idest multo magis, quod intelligo ex literis tuis, & ex sermonibus multorum omnia quæ profecta sunt a me, in te, idest omnia beneficia, quæ in te contulerim, accidisse gratissima tibi. Quod: idest quæ res, scilicet omnia a me perfecta tibi gratissima accidisse, cum sit ita, ego perficiam profecto, ut sarciam idest reficiam, hoc est reficiam profecto usuram idest usumfructum, commercium & mutuum nostri usum longi temporis: idest quo, & qua uti potuissemus, & non sumus usi per longum tempus, utpote quo caruimus consuetudine, idest familiari conuersatione intermissa idest ad tempus omissa, sarciam inquit, & gratia, & crebritate: id est fauore meorum, & frequentia, & magnitudine officiorum, scilicet in te collocatorum, & ego puto me facturum, id quoniam tu uis ita scilicet ut id putem, Minerua: idest naturali industria mea, ac ui ingenii mei non inuita idest astipulante. Vnde Flaccus. Tu nihil inuita facies, dicesve Minerua, quam, scilicet Mineruam. si ego forte sumpsero de tuis scilicet rebus ordinandis, ego nominabo non solum Pallada, ut uulgo dicitur, sed etiam Appiada, hoc est nomine a te ducto, ut sit Minerua Appias, aut quasi Appii filia, aut quasi ad Appium pertinens, nam forma patronymici fœminei sæpe pro possessiuo utimur. Cilix, idest homo e Cilicia, non Phania, sed alter, libertus tuus, fuit mihi minus notus antea. sed ut reddidit mihi literas a te, scilicet missas plenas, & amoris, & officii, idest honorifici obsequii, Ipse subsecutus est, idest comprobauit sermone suo mirifice humanitatem literarum tuarum. Oratio eius fuit iucunda mihi, cum narraret mihi quotidie, de animo tuo scilicet in me, de sermonibus, quos haberes de me. Quid quæris, scilicet cæterum rei, ipse factus est mihi familiaris biduo, idest spatio duorum dierum, ita tamen, ut sim ualde desideraturus Phaniam, ergo non idem est, quod Phileticus tamen asserit, quem scilicet Phaniam, cum tu remittes Romam, quod facturus eras, scilicet cum hæc scriberemus, celeriter, ut putabamus, uelim supple ut des ei mandata: idest ut dicunt, cõmissiones de omnibus rebus quas uelles curari a me Ego commendo tibi Lucium Valerium iurisconsultum, quo nomine eum irrisit in ultima epistola primi libri quæ ideo forte ad finem huius erat ponenda, quod non sub Lentulo, sed sub Appio in Cilicia esset, unde nunc addit. Sed ita supple commẽdo eum,

do eum, etiam si non est iurisconsultus, ego enim uolo cauere, idest consulere, & prouidere melius ei, hoc addendo. posset enim dicere Appius se nullam Valerium iurisconsultum illic nosse. quam ipse solet, scilicet cauere alijs, scilicet quos defendit. Ego diligo hominem ualde ipse est ex meis domesticis, atq; intimis familiaribus. Ipse agit omnino tibi gratias: scilicet de impensis beneficus, sed idem scribit meas literas habituras maximum pondus apud te. rogo te etiam, atque etiam, ne id, quod scribit fallat eum. Vale.

SEBAS. CORR. ITa est Homo} In peruetere libro ita erat scriptum: Ita est homo non modo prudens, uerum etiam æquus, & (quod uidi) curiosus. Nonnulli uero, quod iuuet, legunt, non quod uidi. {Intermissa} propter simultatem. {Quam quidem} Mineruam: & uidetur suam illam urbis custodem significare. sit tamen coniectura, non iudicium. {De tuis} Clodius, si de Pallade custode loquitur.

PHIL. MEL. ISta Epistola nihil aliud habet, nisi quandam commemorationē beneuolentiæ, in qua recitat primum suam erga illum beneuolētiam, deinde offert officium suum. {Si ipsa Respub.} Exordium ex prædicatione fidei tabellarii. {Quapropter ille tibi} Hoc non tā est exordium, quam retectio quædam eorum de quibus alioqui merito debeat scribere. {Sic enim tibi persuade.} Propositio, in qua cō memorat de suo erga illum animo. {Quod quum ita sit} Defert officium. {Cilix libertus tuus} alia narratio.

ARGVMENTVM.

In hac epistola utitur conciliatione argutissima, eo quod Appio successor designatus sit, quod quia Appio nō satis placere nouit, dicit sibi euenisse præter opinionem, & contra spem, usui tamen illi fore, & optandum fuisse, ut is amicum habeat successorem. Nam successor si æmulus fuerit, possit abeunti negotium facere. Diligenter legenda est hæc docus.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Veritus Cicero, ne Appii animum a se alienaret, quod ei in prouincia succederet, callide lenimenta quædam excogitat, quibus animum illius, ut alibi scire licet, irritabilem placet, & sibi conciliet. Deinde petit, ut prouinciam ei ita tradat, ut quam facillima ratione eam administrare possit.

M. T. C. PROCOS. APPIO PVLCHRO. IMP. S. P. D. 2

CVm & contra uoluntatem meam, & præter opinionem accidisset, ut mihi cum imperio in prouinciam proficisci necesse esset: in multis, & uariis molestiis, cogitationibusq; meis hæc una consolatio occurrebat, quod neque tibi amicior, quam ego sum quisquam posset succedere, neque ego ab ullo prouinciam accipere, qui mallet eam mihi quam maxime * aptam, explicatamq; tradere. quod si tu quoque eandem de mea uoluntate erga te spem habes: ea te profecto nunquam fallet. à te maximopere pro nostra summa coniunctione: tuaq; singulari humanitate etiam, atq; etiam peto, & quæso, ut quibuscunque rebus potes (potes autem plurimis) prospicias, & consulas rationibus meis. uides ex S.C. prouinciam esse habendam. si eam (quoad eius facere potueris) quàm expeditissimam mihi tradideris: facilior erit mihi quasi decursus mei temporis. quid in eo genere efficere possis, tui consilii est. ego te, quod tibi ueniet in mentem mea interesse, ualde rogo. pluribus uerbis ad te scriberem, si aut tua humanitas longiorem orationem * expectaret: aut id fieri nostra amicitia pateretur: aut res uerba desideraret ac non * pro se ipsa loqueretur. hoc uelim tibi persuadeas, si rationibus meis à te prouisum esse intellexero, magnam te ex eo, & perpetuam uoluptatem esse capturum. Vale.

*a. l. apertam.
*a. l. expeteret.
*a. l. per.

ASCENSIVS. CVm & contra &c. Argutissime significat Appium gaudere debere se illi successorem esse designatum, cū sciat Appium id minime uelle, uel quod prouinciā, sibi prorogari mallet, uel minorem successorem dari, ne Cicero sui nominis splendore & uitæ integritate, famam ac gloriam Appii deprimat: dicit ergo contra uoluntatem suam accidisse, sed quia accidit, se curaturum, ut Appio gratum sit. Ordo est Cū accidisset, &, idest, pariter contra uoluntatem meam, &: idest pariter præter opinionem, ut necesse esset mihi proficisci in prouinciam, supple tuam, quod tamen non dicit, cum imperio: idest tanquam imperatori, hæc una consolatio, quam dicturus est, occurrebat mihi in multis, & uariis molestiis, & cogitationibus meis, uidelicet q neq; quisquam amicior. Errant ergo qui amicitior dicant: tibi, quā ego sum, posset succedere tibi, neq; ego: supple possem accipere prouinciam ab ullo, qui mallet: idest uellet magis, scilicet quam tu, tradere mihi eam, quam maxime: idest summe aptam, & explicatam. i. euacuam, & expeditam, omnibus curis & impedimentis. Quod si tu quoque habes eandem spem de uoluntate mea erga te, profecto ea: scilicet spes, nūquam fallet te Ego peto a tē, & quæso: idest quæro. maximopere, idest maxima diligentia: & opera, etiam atq; etiam, idest iterum atq; iterum. pro summa nostra coniunctione, & tua singulari humanitate, idest propter, uel per summam coniunctionem nostram, & singularem humanitatem tuam, ut prospicias, & consulas rationibus idest rebus meis in prouincia obeundis. quibuscunq; rebus tu poteris, poteris autem plurimis. Tu uides, quia scit et scriptum esse, prouinciam esse habendam: idest oportere haberi a me, ex senatusconsulto, si tradideris mihi eam expeditissimam: idest minime implicatam: quod quidem poteris facere, facilior erit mihi quasi decursus: idest leuis transitus mei temporis. Est tui consilii idest pertinet ad consilium tuum, prospicere, quod possis efficere in eo genere Ego rogo ualde te, scilicet ut facias, id quod ueniet tibi in mentem. idest quod cōsiderabis interesse: idest in utilitate esse mea Ego scriberem ad te pluribus uerbis, si aut humanitas tua expectaret orationem longiorem, aut nostra amicitia pateretur id fieri: aut res desideraret uerba, ac ipsa, scilicet res non loqueretur pro se. Ego uelim: sup. ut persuadeas tibi hoc, si intellexero esse prouisum. i. consultum, rationibus. i. rebus meis, a te: te capturum ex eo. i. ex ea te, uoluptatem magnam, & perpetuam.

SEBAS. CORR. IN Prouinciam} Ciliciam. {Quam maxime apertam} Al. quam maxime aptam.

BERN. RVT. ET Præter opinionem accidisset} quia scilicet quū prouinciæ administrationem ipse non ambiret, aut cuperet Cicero, non putabat sibi ueluti dormienti eam de cœlo missum iri, non q esset maior magistratus consulatu: quis enim unquam consul non, finito magistratu, prouinciam exoptauit? aut cui non id honorifice contigit? Cælius in octauo, Consules autem (inquit) quia uerētur, ne illud senatusconsultum fiat, ut paludati exeant, & contumeliose præter eos ad alium res transferatur, omnino senatum haberi nolunt. Itaq; qui contra putat, certum se Ro. imperitissimum ostendit. Nec tamen mirum, qui Cilicem Phanniamq; eundem asseueret, nec inimicitias reconciliationemq; Ciceronis cum Appio satis cognorit. Aut præter opinionē, quia quum Cicero domi, quā foris aptior plerisq; uideretur. quibusdam uero etiam nihil minus quam ad arma natus, nemo eum putabat contra bellicosas gentes cum imperio missum iri.

PHILI. MELĀ. HAec est generis suasorii, hoc est, est petitio quædam petit. n. ne relinquat multa intricata negotia in prouincia, & primū est narratio, inde petitio. {Quum & contra uoluntatē} Exorditur ex collatione periculi, & commodi: uidelicet, quod hoc habet commodi in periculo successionis, quod Appio successurus sit. {A te maximopere} Petitio. {Hoc uelim tibi} ἀποσιώπησις, Præcisio.

ARGVMENTVM.

Significat se solicitasse sicut Appii legatus monuerat, ut supplementum præsidii firmioris pro tuenda prouincia scriberetur: deinde Appium rogat, ut ea omnia faciat, quæ nouerit conducibilia homini amico in prouinciam illam successoro, ad quam se destinatum notat. Demum tacite significat, cur opus sit supplemento, utpote quia intellexerat Appium multos dimisisse.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Petit ut si quos milites Appius nondum dimiserit, eos uero ne nunc dimittat, ne uacuam prouinciam obtineat. Senatum enim negare ullam conscriptionem militum.

M. T. C. APPIO PVLCHRO S. P. D. 3

AD XI. Cal. Iun. Brundusium cum uenissem. Q. Fabius legatus tuus mihi præsto fuit, eaq; me ex tuis mādatis monuit, quæ non modo mihi, ad quem pertinebant sed uniuerso senatui uenerant in mentem, præsidio firmiori opus esse ad istam prouinciam: censebant enim omnes ferè, ut in Italia supplementum meis, & Bibuli legionibus scriberetur id cum Sulpitius Coss. passurum se ne

*garet: multa nos quidem queſti ſumus: ſed tantus conſenſus ſenatus fuit, ut mature proficiſceremur, parendum ut fuerit: itaque fecimus. Nunc, quod à te petii literis iis, quas Romæ tabellariis tuis dedi, uelim tibi curæ ſit, ut, quæ ſucceſſori coniunctisſimo, & amicisſimo commodare poteſt is, qui prouinciam tradidit, ea pro noſtra * conſtantisſima uoluntate erga te, cura, ac diligentia tua complectare: ut omnes intelligant, nec me beneuolentiori cuiquam ſuccedere, nec te amiciori potuiſſe prouinciam tradere. Ex iis literis, quarum exemplum ad me miſiſti, quas in ſenatu recitari uoluiſti, ſic intellexeram, permultos à te milites eſſe dimiſſos, ſed mihi Fabius idem demonſtrauit id te cogitaſſe facere: ſed cum ipſe à te diſcederet integrum militum numerum fuiſſe. id ſi ita eſt: pergratum mihi feceris, ſi iſtas exiguas copias, quas habuiſti, quam minimum imminueris. qua de re S.C. quæ facta ſunt, ad te miſſa eſſe arbitror. equidem pro eo, quanti te facio quicquid feceris, approbabo: ſed te quoque confido ea eſſe facturum, quæ mihi intelliges maxime eſſe accommodata. Ego C. Pontinum legatum meum Brunduſii expectabam: eumq; ante Cal. Iun. Brunduſium uenturum arbitror. qui cum uenerit: * quæ primum nauigandi nobis facultas data erit, ea utemur. Vale.*

* a.l. cõſociatisſima.

* a.l. cũ primum.

ASCENSIVS.

AD XI. &c. ſignificat ſe ſolicitaſſe ſicut Appii legatus monuerat, ut ſupplementum præſidii firmioris protuenda prouincia ſcriberetur. Deinde rogat Appium ea curet, quæ ſibi conducibilia norit. Deinum tacite innuit, ideoq; ſupplemento opus eſſe, quod intellexerat Appium multos dimiſiſſe. Ordo eſt Cum ego ueniſſem Brunduſium idest in eam urbem maritimam Italiæ, ad undecimum Cal. Iunias, Quintus Fab. legatus fuit mihi præſto idest præſens, & monuit me ea tuis mandatis, ea quæ uenerant in mentem, non mihi ad quem pertinebant, ſed uniuerſo ſenatui, uidelicet opus eſſe ad iſtam prouinciam, ſcilicet quam regis, utpote Ciliciam tutandam, præſidio idest protectione, & cuſtodia militum fidelium, firmiori ſcilicet quã habeat. Enim idest quia, omnes fere, ſcilicet patres conſcripti, cenſebant. i. iudicabant, ut ſupplementum ſcriberetur in Italia, legionibus meis idest mihi decretis, & legionibus Bibuli, idest Bibulo, ut Antiochiam ducat, aſſignatis. Idq; idest & id, cum Sulpitius conſul ſcilicet anni illius, negaret ſe paſſurum id idest talem deſcriptionem militum, nos quidem idest certe, quæſti idest conqueſti ſumus multa, ſed tantum conſenſus ſenatus fuit, ut proficiſceremur, ſcilicet in prouinciam, mature idest celeriter, ut fuerit parendum. i. ut neceſſe fuerit parere ſenatui, & nos fecimus ita idest ſtatim profecti ſumus. Nunc uelim id ſit tibi curæ, quod petii a te iis literis, quas dedi Romæ tuis tabellariis, ut complectare. i. ſuſcipias pro noſtra conſtantisſima uoluntate erga te, cura & diligentia tua, ea quæ is qui prouinciam tradit, poteſt, commodare idest cõmode facere, ſucceſſori ſup. ſibi coniunctisſimo, ſcilicet neceſſitudine amicitiæ, ut omnes intelligant, nec me potuiſſe ſuccedere cuiquam beneuolentiori, nec te potuiſſe tradere prouinciam amiciori idest magis amico homini. Ego intellexeram ex iis literis, quarum exemplum idest quod dicũt duplum, & imperiti copiam miſiſti ad me, & ſupple quas uoluiſti recitari in ſenatu ſic, uidelicet per multos milites eſſe dimiſſos a te. Sed idem Fab. ſ. legatus tuus demonſtrauit mihi, te cogitaſſe facere id, ſed integrum numerum militum fuiſſe, cum ipſe diſcederet a te. Sed idest ita. ſi dimiſeris multos. tu feceris mihi pergratum, ſi imminueris quam minimum: idest ualde parum, & quam minime potes iſtas, ſcilicet tuas copias, ſcilicet militum exiguas, de qua re ego arbitror miſſa eſſe a te ea, quæ facta ſunt, ſenatuſconſulto, idest per decretum ſenatus ſuper ea re conſulti. Equidem: ego quidem, approbabo quicquid feceris pro eo: idest tanto, quante te facio, ſed ego confido te quoq; facturum ſupple eſſe ea, quæ tu intelliges eſſe accommodata mihi maxime Ego expectabam Brunduſii Caium Pontinium legatum meum: idest ad Ciliciam regendam mihi datum, & arbitror eum uenturum Brunduſium ante Calendas Iunias quaſi dicat intra decem dies, qui cum uenerit, cum: idest ubi primum, facultas nauigandi erit data, ſcilicet a Deo, & natura nobis nos utemur ea.

VICTORIVS.

VErum, quod uidi, etiam curioſius} Nos ex uetuſtis codicibus. {Verumetiã (quod iuuet) curioſius legimus} ſæpe enim malum ingenium indicat curioſitas: non igitur ſic curioſum Phaniam uult accidi, ſed ea curioſitate præditum, quæ delectet, & ametur. Puto autem huius erroris quaſi anſam dediſſe antiquã ſcripturam. hic enim & fere omnibus locis hoc uerbum per unum tantum V ſcriptum eſt in ueteribus his codicibus: quod cum librarii nõ intelligerent, mendum ineſſe ſuſpicantes, locum hunc inquinarũt: legitur autem in epiſtola ad Meſcinium in Mediceo codice ſic etiã locus ille: Iuitq; me tibi cum ſummam humanitatem, tum etiã tuas literas profuiſſe. Item ad A. Torquatum, Nec eos quos adiuiſti ſicq; infinitis aliis locis. Ne longior ſim, rationem huius orthographiæ nunc non eſt operæprecium perquirere, & fortaſſe totum hoc culpæ librariorum aſſignandum eſt, tantum admonere placuit, ne ea quenquam amplius falleret, in erroremq; induceret, qui hoc non animaduertiſſet Sed quod nam huius loci fatum eſt? nunc enim uidimus in noſtro etiam, uitio librariorum corruptam dictionem eſſe, quam reſtituimus, &. {Viuet} eius loco temere poſitum Quis igitur poſſet amplius perditam horum negligentiam ferre? {Pro noſtra cõſtantisſima uoluntate erga te} Diuerſam ab hac lectionem habent uetuſti codices, qua ſcilicet in noſtris libris uides elegantiorem profecto, & ueriorem: neſcio enim quomodo conſtantisſimam meã uoluntatem erga Appium dicere poſſit, quæ magnis ſimultatibus interrupta ſit. Non conſociatas eorum inter ſe uoluntates poſt reconciliatam gratiam recte poteſt appellare. Quidam totum hunc locũ immutarunt, rati fortaſſe parum Latinam uocem eſſe. {Cõſociatas} qui quantum decepti ſint, nihil attinet dicere.

Ex poſt. eiuſdem.

PRo Noſtra conſociatisſima uoluntate} Multis modis probari poteſt, ueriorem, melioremq; eſſe antiquam lectionem a nobis reſtitutam: non enim loquitur tantum Cicero de uoluntate ſua erga Appium, ſed de mutuis animis: & hoc maiorem uim habet ad perſuadendum Appio, quod uult, ſi oſtendat animos ipſorum inter ſe coniunctos eſſe, nec ſe ullo pacto dubitare de uoluntate ipſius, & animi propenſione erga ſe: nam reſpondet hæc una ſuperiori. {Coniunctisſimo} & aliis etiam in locis Cicero hæc uerba copulauit tertio libro de Finibus. Ad eiuſdem communitatem coniuncti, & conſociati ſumus. Si acute perpendantur ſuperiora uerba, declarabunt. {Conſociatisſima} legi debere: nam & coniunctisſimo & amicisſimo conueniunt animis mutuis, ac paribus uoluntatibus: quod incluſum quoq; eſt in ea uoce {Conſociatisſima} minime uero in {Conſtantisſima} nam in uulgata lectione eſt. {Erga te} ut de uoluntate tantum Ciceronis erga Appium intelligi oporteat, nõ de Appii quoq; erga Ciceronem: nam ſi ſine uerbis illis {Erga te} legatur, falſum omnino eſſet, quamuis ita quoq; non ualde uerum ſit: nã dubitari non poteſt, quin graues inter illos inimicitiæ fuerint. Quãuis autem Cicero oſtendere poſtea conetur uoluntatem ſuam erga illum imminutam non eſſe, parcius tamen loquitur, neq; quemadmodum hic facit, conſtantisſimam illam appellat, ſed conſtantem, & adiungit conſcientia: aliis enim aliquid uidebatur. In uetere lectione. {Noſtra} complectitur etiam uoluntatem Appii, in uulgata uero Ciceronis tantum: quanto magis hæc officia expectari debeãt ab illis, quorum uoluntates tuis reſpondent, & cum tuis conſociatæ & coniunctæ ſunt, quam ab illis, qui quamuis tu illos diligas, parem erga te animum non habeant, apertum eſt. Addo etiam minime hic accommodatum fuiſſe uerbum. {Conſtantisſima} & prius quam Appium hortari, aut impellere poſſet (ſi ita locutus eſſet) ad id, q ſtudebat, læſurum fuiſſe: enim negare non poſſet ſimultates inter eos interceſſiſſe: nam exprobaſſet, culpa illius factum fuiſſe, quod amicitia interrupta eſſet, ſi affirmaſſet uoluntatem ſuam erga illum conſtantisſimam fuiſſe. infra autem ubi ita loquitur, ſe purgat, & aperte culpam huius incommodi in illum transfert: inquit enim, Itaq; cõſcientia meæ conſtantis erga te uoluntatis reſcripſi tibi ſubiratus. Vox autem ipſa. {Conſociatisſima} nemini moleſta aut ſuſpecta eſſe debet, qua Cicero multis in locis uſus eſt Horatius Diſſociati, oppoſito ſenſu dixit in epiſtola ad Quintũ. Continui montes niſi diſſocientur opaca Valle. Quare cum in optimis ex exemplaribus reperiatur, & huic ſententiæ ualde accommodata ſit, non uideo cur debeat repudiari.

PAVL. MANV.

PRo Noſtra conſtantisſima uoluntate erga te} Nihil muto. alii, cur Cic. in Ap. uoluntas appellari conſtantisſima poſſet, dicunt ſe neſcire, cum ea magnis ſimultatibus interrupta ſit. Cic. autem id agit, ut oſtendat, etſi Appii conſuetudine propter inimicitias P. Clodii ſit uſus, nunquam tamen ei ſe fuiſſe inimicum, neque ſuam in illum priſtinam uoluntatem unquam fuiſſe immutatã epiſtola etiam huius libri IX. ita ſcribit, Conſcientia meæ conſtantis erga te uoluntatis: itaq; de noſtra lectione non arbitror eſſe dubitandum. {C. Pontinum legatum} Ciceronis Ciliciæ Procoſ. Quæſtores fuere L. Meſcinius, C. Cælius, legati Q. Cicero eius frater, Cuius Pontinus, M. Anneius, L. Tullius: Tribunus mil. Q. Fuffidius: præfectus euocatorum Antonius præfectus fabrum Q. Lepta: ſcriba M. Tullius accẽſus Panſanias: apparitor M. Marcilius de Quæſtoribus legitur in his epiſtola XXIX. & CCXIIII. de Legatis CCXLV. de Tribuno mil. CCIX. de præfecto euocatorum XXXIIII. de præfecto fabrõ XXXV. de ſcriba LXXIIII. & ad Atti. LXX. de accẽſo XXXV. de apparitore. CCXXIII.

BERN. RVTI.

SVLPITIVS Coſſ.} Seruilius Sulpitius Rufus, tunc cum M. Claudio Marcello Coſſ. {Conſtantisſima} Alias, conſociatisſima.

SEBAS. CORR.

QVAS in ſenatu recitare uoluiſti} Recitari, melius, ut in aliis. ſicut etiam. {Qua de re ſenatuſconſulta quæ facta ſunt} quam ſenatuſconſulto. ſepius enim de eadem re interdum decernebatur.

PHIL: MEL.

Illa Epiſtola habet idem argumentum cum proxima. Eſt enim generis ſuaſorii,& eſt petitoria: in qua petit,ut prouincia ſibi tradatur quam tranquilliſſima. Primum autem habet narratiunculam quandam. {Ad XVI.Calend.Iun.}Narratio,de ſupplemento exercitus.{Nunc quod a te petit} Altera pars epiſtolæ: petitio.{Ex iis literis} Tertia pars epiſtolæ.eſtq; alia narratio,de retinendis cohortibus.{Milites eſſe dimiſſos}Romæ fuit conſuetudo,ut quiuis decem annos militaret,poſtea dimittebantur. Sed indecreuit numerus uſq; ad quindecim,& ad uiginti annos,& dabantur militi per menſem tres ducati.

ARGVMENTVM.

Rurſus indicat beneuolentiam ſuam in Appium Pulchrum, & grauium uirorum autoritate comprobatam: eiuſdem Appii in ſe, hoc eſt in Ciceronẽ animi beneuolentiam & ſtudium commemorat. Quocirca multas cauſas affert, cur Appium non uulgariter obſeruet: & quod Cn. Pompeius ſit filiæ Appii ſocer, & M. Brutus gener. Deinde Clodium conſulturum indicat ſe & eius conſilium ad Appium ſcripturum.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

De mutuo Ciceronis & Appii amore, extant in hac epiſtola teſtimonia.

M. T. CICERO PROCOS. APPIO PVLCHRO IMP. S. P. D. 4

Pridie Non. Iun. cum eſſem Brunduſii, literas tuas accepi: quibus erat ſcriptũ, te L. Clodio mandaſſe, quæ illum mecum loqui uelles. eum ſanè expectabam, ut ea, quæ à te afferret, quamprimum cognoſcerem. meũ ſtudium erga te, & officium tametſi multis iam rebus ſpero tibi eſſe cognitum, tamen in iis maxime declarabo, quibus plurimum ſignificare potuero, tuam mihi exiſtimationem, & dignitatem cariſſimam eſſe. mihi & Q. Fabius Virgilianus, & C. Flaccus L. F. & diligentiſſime M. Octauius Cn. F. demonſtrauit, me à te plurimi fieri: quod egomet multis argumentis iam antea iudicaram, maximeq; illo libro augurali, quem ad me amantiſſime ſcriptum ſuauiſſimum miſiſti. mea in te * omnia ſumma neceſſitudinis officia conſtabunt: nam cum te ipſum, ex quo tẽpore tu me diligere cœpiſti, quotidie pluris feci: tum acceſſerunt etiam coniunctiones neceſſariorum tuorum: duos enim duarũ ætatum plurimi facio, Cn. Pompeium filiæ tuæ ſocerum, & M. Brutum generum tuum. collegij quoque coniunctio, præſertim tam honorifice à te approbata, non mediocre uinculum mihi quidem attuliſſe uidetur ad uoluntates noſtras copulandas. ſed ſi Clodium conuenero: ex illius ſermone ad te ſcribam plura: & ipſe operam dabo, ut te quam primum uideam. Quod ſcribis, manendi tibi cauſam eam fuiſſe, ut me conuenires: * id mihi, ne mentiar, gratum eſt. Vale.

* al. omnia ſumma.

* al. Id mihi uehementer gr.

ASCENSIVS.

Pridie nonas &c. Rurſus indicat beneuolentiã ſuam in App. Pulchrũ, commemoratq; ſe grauium uirorum teſtimonio cõprobatum habere App. in ſe amorẽ. Quapropter multas cauſas affert cur Ap. non uulgariter colat. Ordo eſt: Ego accepi literas tuas pridie. i. die immediate præcedente nonas Iunii, quæ ſunt. V. eiuſdem menſis die, cum eſſem Brunduſii, ergo nondũ diſceſſerat illinc, quibus erat ſcriptũ te mandaſſe L. Clodio ſup. ea quæ uelles illũ loqui mecũ. Ego expectabam ſane. i. multũ eum. ſ. Clodium, ut cognoſcerem quam primũ. i. ualde celeriter, ea quæ afferet. ſ. in mandatis a te. Tametſi ego ſpero, meũ ſtudiũ erga te & officium, eſſe iam cognitum tibi multis rebus. tamen ego declarabo. ſ. ſtudium & officiũ meũ erga te Maxime in rebus, quibus potero ſignificare, plurimum. i. abundantiſſime, exiſtimatione. i. iudicium, & autoritatem tuam, & dignitatem tuã eſſe chariſſimam mihi Qu. Fab. Virgilianus, & C. Flaccus filius Lucii: ſup. Demonſtrauerunt, & Mar. Octauius filius Cnæi. ſ. Octauii, monſtrauit diligentiſſime, me fieri. i. æſtimari, plurimi. i. maximo precio, aut uirum maximi precii a te. Quod. i. quam rẽ egomet, hoc eſt ego per me ipſum iudicarem pro iudicaueram ante multis argumentis i. approbationibus, aut mediis approbandi, & maxime illo libro augurali. i. de arte augurandi, quem ſcriptum amantiſſime ad me. i. ad illuſtrationem nominis mei, tu miſiſti mihi ſuauiſſimum. i. iucundiſſimum. Omnia mea officia neceſſitudinis. i. coniunctionis neceſſariæ tecum conſtabunt. i. euidentia erunt in te, ſumma. i. maxima. Vnde licet non apte dixeris, omnia ſumma officia, quod tamen non penitus abſurdum ſit, tamen aptiſſime dicere licet omnia officia mea conſtant, aut ſunt in te ſumma Nam cum. ſ. ita ſit, quod ego feci quotidie pluris teipſum, ex ſup. eo tempore. i. poſt id tempus, quo tempore tu cœpiſti diligere me, tum. i. multo manifeſtius, acceſſerunt etiã coniunctiones. i. deuinctiones neceſſariorum tuorum. Ego. n. facio plurimi, duos. ſ. uiros, aut proceres duarum ætatum. ſ. Cn. Pompeiũ ſocerũ filiæ tuæ, quia filia tua nupſit filio eius & ita Pompeiũ iam ſenior eſt, & Mar. Brotum generum tuum. i. cui filia tua nupſit, & ita Iunior eſt. Vnde eos duarum ætatum dixit. coniunctio. i. commercium aut ſocietas, collegii. ſ. auguralis, præſertim approbata à te. ſ. in libro tuo aut ſcientia, & uita tua, tam honorifice, uidetur mihi quidem attuliſſe non mediocre, immo ingens uinculum, ad copulandas uoluntates noſtras. Sed ſi ego conuenero. i. adiero Clodium. ſ. Lentulum, non Publium, qui ſummus inimicus Cic. erat, ego ſcribã plura ad te ex ſermone illius, & ipſe. i. ego dabo operam, ut uideam te quamprimum. i. ualde cito: Quod ſcribis eam fuiſſe tibi cauſam manendi. ſ. in prouincia, ut conuenires me. i. loquereris mecum id mihi gratum eſt, ne mentiar, ſi aliter dixero.

* al. per ſtrenuum.

* al. Id ... gratum.

SEBAS. CORR.

Te L. Clodio} In uetere libro totus hic locus ſic legitur: Te Lentulo & Clodio mandaſſe, quæ illos mecum loqui uelles eos ſane expectabã, &c de Lentulo epiſt. VIII. huius lib. {Illo libro augurali} uno: nam reliquos nondum abſoluerat. Epiſt. IX. {Collegii} auguratus. {Clodium} L. Clodium.

PHILI. MELã.

Iſta Eſt rhetorica, tota generis demonſtratiui. Eſtq; commemoratio ſuæ erga illum beneuolentiæ, in qua poſtea offert ſuum officium, & eſt tantum officioſe epiſtola. {Pridie nonas Iunii} Narratio. {Meum ſtudium erga te} Narrat ſua & illius mutua officia. {Mea in te} Defert officium. {Nam quum teipſum} Ratio, cur eum tantopere amet. {Duos enim} Erant enim ambo augures.

ARGVMENTVM.

Primum dicit ſe Trallibus conuentum ab Lucilio cum literis & mandatis Appii. Deinde eundem aptiſſimum fuiſſe ad indicanda ea quæ maximopere ſcire uolebat. Tum gratias agit Appio de beneficiis in ſe collatis, & de beneuolo animo in prouincia reſignanda: & ut ne eum offendat, iter ſuum quod facturus ſit, docet. Demum quod de Scæuola ſcripſerat Appius, argute refellit.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Collaudat Appii uoluntatem, quod eius rationem in prouincia accipienda habuiſſet. nam id ſuperioribus literis petierat. Deinde ſe iter ad Appium directurum, quocunque ille uellet, ſcribit.

M. T. C. PROCOS. APPIO PVLCHRO. IMP. S. P. D. 5

Trallibus ueni ad VI. Cal. Sex. ibi mihi præſtò fuit L. Lucilius cum literis, mandatisq; tuis: quo quidem homine neminem potuiſti nec mihi amiciorem, nec (ut arbitror) ad ea cognoſcenda, quæ ſcire uolebã, aptiorem, prudentioremve mittere. ego autem & tuas literas legi libenter, & audiui Lucilium diligenter. nunc quoniam & tu ita ſentis (ſcribis enim, quæ de noſtris officiis ego ad te ſcripſerim, etſi ea iucunda fuerunt, tamen, quoniam ex alto repetita ſint, non neceſſaria te putaſſe) & reuera, confirmata amicitia, & perſpecta fide commemoratio officiorum ſuperuacanea eſt: eam partem orationis prætermittam. tibi tamen agam (ut debeo) gratias: animaduerti enim, & didici ex tuis literis, te omnibus in rebus habuiſſe rationem, ut mihi conſuleres, reſtitueresq; & præparares quodammodo omnia, quo mea ratio facilior, & ſolutior eſſe poſſet. hoc tuum officium cum mihi gratiſſimum eſſe dicam: ſequitur illud, ut te exiſtimare uelim, mihi magnæ curæ fore, atque eſſe iam, primum ut ipſe tu, tuiq; omnes, deinde etiam ut reliqui ſcire poſſint, me tibi eſſe amiciſſimum. quod quibus adhuc non

a.l. perspicuum. satis est* perspectum: is mihi nolle magis hoc animo nos esse, quam non intelligere uidentur, sed profecto intelligent: neque enim obscuris personis, nec paruis in causis res agetur. sed hoc fieri melius quam dici, aut scribi uolo. Quod itinerum meorum ratio te nonnullam in dubitationem uidetur adducere, uisurus ne me sis in prouincia: ea res sic habet. Brundusii cum loquerer cum Phania liberto tuo, ueni in eum sermonem: ut dicerem me libenter ad eam partem prouinciæ primum esse uenturum, quò te maxime uelle arbitraretur. tunc mihi ille dixit, classe te uelle decedere: perfore accommodatum, tibi, si ad Sidam, maritimam partem prouinciæ, nauibus accessissem. dixi me esse facturum: itaq; fecissem, nisi mihi L. Clodius noster Corcyræ dixisset, minime id esse faciendum: te Laodiceæ fore ad meum aduentum. erat id mihi multo breuius. multoq; commodius, cum præsertim te ita malle arbitrarer. tua ratio postea est commutata. nunc, quid fieri possit, tu facillime statues. ego tibi meum consilium exponam.* prid. Cal. Sext. puto me Laodiceæ fore: ubi per paucos dies, dum pecunia accipitur, quæ mihi ex publica permutatione debetur, commorabor. deinde iter faciam ad exercitum: ut circiter Id. Sexti. putem me ad Iconium fore. sed si quid nunc me fallit in scribendo (procul enim aberam ab re ipsa, & locis) simulac progredi cœpero, quam celerrimus potero & quam creberrimis literis faciam, ut tibi nota sit omnis ratio dierum. atq; itinerum meorum. oneris tibi imponere nec audeo quicquam, nec debeo: sed, quod tuo commodo fieri possit, utriusque nostrum magni interest, prius ut te conueniam, quam decedas: quam facultatem si quis casus eripuerit: mea tamen in te omnia officia constabunt, non secus, ac si te uidissem. Tibi de nostris rebus nihil sum ante mandaturus per literas, quam desperaro coràm me tecum agere posse. Quod te à Scæuola petiisse dicis, ut, dum tu abesses ante aduentum meum, prouinciæ præesset: eum ego Ephesi uidi, fuitq; mecum familiariter triduum illud, quod ego Ephesi commoratus sum: nec ex eo quicquam audiui, quod sibi à te mandatum diceret. sané uellem potuisset obsequi uoluntati tuæ: non enim arbitror noluisse. Vale.

**a.l. propter.*

ASCENSIVS. Tralleis ueni &c. Primum dicit se Trallibus conuentũ ab Lucilio cum literis & mandatis App. Deinde eundem aptissimum fuisse ad indicanda ea, quæ maximopere scire uolebat. Tum gratias agit App. de beneficiis eius, ac demum quod Ap. de Scæuola scripserat, refellit. Ordo autem est Ego ueni Tralleis. i. in eam urbem Asiæ ad xiii. calendas sextilis I. Augusti ibi. L. Lucilius fuit præsto. i. præsens & paratus mihi ad expedienda ea, quæ uellet mecum agere, cum literis & mandatis tuis. Quo quidem homine. neminem. i. non aliquẽ hominem. non potuisti mittere aliquem nec amiciorem mihi, nec (ut arbitror) aptiorem ad cognoscenda. s. ex eo, ea quæ uolebam scire, te pro uel, prudentiorem Ego autem & legi literas tuas libenter, & audiui Lucilium diligenter. Nunc quoniam tu sentis ita, scribis enim ea, quæ ego scripseram ad te de officiis nostris & si ea fuerunt iucunda tibi, tamen quoniam repetita sunt ex alto. i. ex primordiis causarum, amicitia confirmata. i. postquam amicitia est confirmata, & fide facta, aut potius perfecta, i. perfecte cognita, commemoratio officiorum est superuacanea. i. superflua, ego prætermittam eã partem orationis. s. quæ esset de commemoratione beneficiorum. Tamẽ. i. nihilominus ego agam tibi gratias, ut debeo. Animaduerti enim & didici ex literis tuis, te habuisse in omnibus rebus rationem. i. cõsiderationem & propositum, ut consuleres. i. quasi consulendo prodesses, mihi, & ut restitueres. s. ablata, & præparares quodammodo omnia tam uetera, quam restituta, quo. i. ideo, ut mea ratio. i. meum negotium in prouincia, possit esse facilior & solutior. i. liberior & expedior Cum ego dicam hoc officium tuum esse gratissimum mihi, illud sequitur, ut uelim te existimare, fore. i. futurum esse, atq; esse. s. nunc, mihi magnæ curæ, tam primum. i. illud primum, ut tu ipse, & omnes tui, deinde etiam, ut reliqui possint scire, me esse amicissimum tibi, quod. s. me esse amicissimum tibi, ii quibus non est adhuc perspectum satis, uidentur mihi nolle magis non esse hoc: scilicet tam beneuolo animo, quam non intelligere, quia licet intelligant, tamen quia inuident nobis, & nolint nos esse concordes, dissimulant se perspicere amicitiam nostram. Sed profecto ipsi intelligent, neq; enim res agetur personis obscuris nec causis paruis. Sed ego uolo hoc fieri melius, quam dici aut scribi. Quod ratio itinerũ meorum uidetur te adducere in nonnullam dubitationem, ne: idest an, sis uisurus me in prouincia, ea res habet sic. Cum ego loquerer Brundusii, cum Phania liber tuo, ueni in eum sermonem, ut dicerẽ me libenter uenturum esse primum ad eam partem prouinciæ, quo: idest in quam, ego arbitrarer te uelle maxime: scilicet me uenire tũc ille, scilicet Phania, dixit mihi, perfore, idest multum fore acommodatum tibi, si accessissem nauibus ad illam partem maritimam prouinciæ, quo: idest ad quam, uelles decedere classe, ego dixi me esse facturum supple id. Et ita fecissem, nisi Lentulus Clodius noster. s. communis amicus dixisset Corcyræ: idest in Corcyra insula id minime, idest nequaquam faciendum, & nisi dixisset, supple te fore ad idest usq; ad meum aduentum. Laodiceæ, Quæ est urbs Syriæ, teste Pomponio Mella in parte, cui Anthiochiæ cognomen est. Id. s. iter. erat mihi breuius multo, & multo commodius, præsertim cum arbitrarer te malle: idest magis uelle ita: scilicet me facere. Sequentia statim explanabo. Sane Corcyra est insula in mari Ionio, unde notandum est, quod nomen insulæ in genitiuo posuit, quasi aduerbialiter, nisi dixerimus in ea insula urbem esse eiusdem nominis, qđ sæpe contingit, ut de Rhodo supra diximus, Tua ratio, idest propositum tuum cum ratione, est mutata: idest mutatum postea, nunc tu statues: idest constitues, & ordinabis facillime quid posset fieri, ego exponam: idest declarabo tibi meum consilium. Ego puto me fore Laodiceæ prid. Calendas Sextileis: idest ad primum diem Augusti per dies paucos, dum: idest donec pecunia quæ debetur mihi ex permutatione publica, uulgo cambium dicunt, alii bancam, accipitur scilicet a trapezitis aut negociatoribus, quam restituendam acceperant, deinde iter faciam idest iterabo ad exercitum, ut putem me. Fore ad Iconium oppidum Cappadociæ optime habitatũ olim circiter Idus Sextileis idest decimum tertium diem Augusti. Sed si quid fallit idest decipit me nunc in scribendo idest dum hæc scribo, ego enim absum procul a re ipsa, & locis, faciam quam idest quãtum, potero celerrime, & quam creberrimis idest plurimum crebris literis, ut omnis ratio dierum atque itinerum meorum sit nota tibi simul ac idest statim postquam idest aut potius eodẽ tempore, quo cœpero progredi. Ego nec audeo, nec debeo imponere tibi quicquã oneris, sed quod possit fieri supple commodo tuo, interest idest refert magni, utriusque nostrum, scilicet & tua & mea ut conueniam prius te quam decedas, scilicet de prouincia. Quam facultatem. s. conueniendi, si quis casus eripuerit, tum idest nihilominus, omnia, officia mea constabunt, idest constanter fient in te, non secus idest non aliter, ac idest quam, si uidissem te. Ego nihil sum mandaturus tibi de negociis nostris per literas ante quam de speraro pro desperauero me posse agere tecum coram idest in præsentia. Quod dicis petisse a Scæuola, ut præesset prouinciæ, dum idest, donec, tu abesses ante aduentum meum, supple non est sperandum, quia, Ego uidi eum Ephesi, quæ urbs est Ioniæ, olim propter templum Dianæ clarissima, & fuit mecum familiariter triduum illud, quod ego commoratus sum Ephesi, nec audiui ab eo quicquam, quod diceret mãdatum, supple esse sibi a te. Autem idest sed ego uellem sane, idest multum, aut sano consilio, supple eum potuisse obsequi uoluntati tuæ, non enim arbitror supple eum noluisse obsequi idest obtemperare uoluntati tuæ. Vale.

VICTORIVS. VTriusq; nostrum magni interest, prius uti te conueniam q̃ decedas} Locus in antiquis omnibus, quos uidi, codicibus mancus est: sic enim in illis legitur. {Magni in te quam decedas} nos tamen, quia satis commode restitutus est (etsi fortasse r. õ uere) nihil a uulgatis permutauimus: officio tamen nostro conuenire putauimus rem silentio non præterire. suspiciones, quibus ducti non esse hanc legitimam huius loci lectionem putauimus (præter antiquorum exemplariorum fidem, & autoritatem) quia nimiæ sunt, silebimus: unusquisq; in hoc suum iudicium sequatur.

SEBAS. CORR. AD Sidam} Ex sequenti epistola, etsi in omnibus fere libris ueterib. ad illam, legibus. {Iconiũ} Lycaoniæ urbem, ubi erãt castra. {Interest, prius ut te conueniam} In antiquis libris hæc uerba non sunt, sed in unius peruteris libri margine ita scriptum inuenimus. Interest, ut te uideam ante, quam decedas. quæ lectio ita placet, ut eam pene legitimam putem.

BERN. RVTIL. TVnc Mihi ille dixit, classe te uelle decedere, perfore accommodatum tibi, si ad illam maritimam partem prouinciæ nauibus accessissem} Ad Sidam legere malo, quam Ad illam, ex aliis epistolis ad Appium, & una lib. X I I. in qua est, usq; in Sidam, quæ extra mare regio est prouinciæ meæ. Scribit autem Lentulus, qui Ciliciam & ipse obtinebat. In sequenti Cicero, quam si ad Sidam nauigassem. Et in penultima: Quum ad Sidam naui accederem.

PHIL. MELÃ. D[illegible] habet hæc epistola. prior, nihil est nisi commemoratio quædam beneuolentiæ, altera pars est, petitio de itineribus. Prior autem pars est nostris rebus accommodatior, qua nos plurimũ uti possumus. {Tralleis ueni} Exordiũ. {Quo quidem homine} Figurata officii commemoratio, per reiectionem in qua significat se id maxime uelle testari, quod omittit. {Tibi tamen ago} a gratiarum actione {Hoc tuum officium} Defert uicissim officium. {Sed profecto intelligent} Lucio communis, de moderata

officii commemoratione.{Brundusii cum loquerer} Narratio, qua suspicionem purgat, quasi congressum defugiat.{Oneris tibi} Petit ut ita instituantur itinera, ut possint colloqui.{Sane autem uellẽ} Figurata reprehensio.

ARGVMENTVM.

Sicut uisum est in superiori epistola, Appius uisus erat, dubitasse utrum Ciceronem uideret in sua prouincia antequam discederet; & ideo Cice. exposuit ei rationem & propositum itineris sui: & quod pararet Appium conuenire Laodiceæ in finibus prouinciæ: sed Appius longe aliter fecit: quod hic conqueritur Cic. Nam in interiorem partem prouinciæ se recepit, & illic, licet magistratu abiisse debuisset, cum Ciceronem haberet successorem, officio tamen adhuc fungebatur, iura reddens, & prouinciam tractans perinde ac si ad se adhuc pertineret: quod tamen factum Cicero, ut se Appio amicum significet, non solum non moleste ferre, sed etiam comprobare se scribit, ut qui ab honere prouinciæ regendæ interea per amicum leuaretur. Accusat autem Appium, quod tres cohortes dimiserit, cum tamen Cicero eum rogauerit, ne id faceret. Queritur etiam grauiter, quod nullo pacto scire poterit, quo Appium conueniat: dicit tamen se facturum ut omnes intelligant se Appio uerum amicum fuisse: rogatq; ut Appius erratum suum corrigat: & ut Appium sui conueniendi modum doceat, ubi sit, & quid facturus, scribit.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Expostulat cum Appio quod promissis fidem non seruet.

M. T. C. PROCOS. APPIO PVLCHRO. IMP. S. P. D. 6

CVm meum factum cum tuo comparo: etsi non magis mihi faueo in nostra amicitia tuenda, quam tibi, tamen multo magis meo facto delector, quàm tuo: ego enim Brundusii quæsiui ex Phania, cuius mihi uidebar & fidelitatem erga te perspexisse, & nosse locum quem apud te is teneret, quam in partem prouinciæ maxime putaret te uelle, ut in succedendo primum uenirem. cum ille mihi respondisset, nihil me tibi gratius facere posse, quam si ad Sidam nauigassem: etsi minus dignitatis habebat ille aduentus & ad multas res mihi minus erat aptus, tamen me ita dixi esse facturum. idem ego cum L. Clodium Corcyræ conuenissem, hominem ita tibi coniunctum, ut mihi, cum illo quum loquerer, tecum loqui uiderer: dixi ei me ita facturum esse, ut in eam partem, quam Phania rogasset, primum uenirem. tunc mihi ille cum gratias egisset, magnopere à me petiuit, ut Laodiceam protinus irem: te in prima prouincia uelle esse, ut quamprimum decederes: quin, nisi ego successor essem, quem tu cuperes uidere, te antea, quam tibi successum esset, decessurum fuisse. quod quidem erat consentaneum cũ iis literis, quas ego Romæ acceperam: ex quibus perspexisse mihi uidebar, quàm festinares decedere. respondi Clodio, me ita esse facturum, ac multo quidem libentius, quàm si illud esset faciendum, quod promiseram Phaniæ. itaque & consilium mutaui, & ad te statim mea manu scriptas literas misi: quas quidem ex tuis literis intellexi satis mature ad te esse perlatas. hoc ego meo facto ualde delector: nihil enim potuit fieri amantius. considera nunc uicissim tuum. Non modo ibi non fuisti, ubi me quamprimum uidere posses: sed eò discessisti, quò ego te ne persequi quidem possem triginta diebus, qui tibi ad decedendum lege (ut opinor) Cornelia constituti essent: ut tuum factum illis, qui, quo animo inter nos simus, ignorant, alieni hominis (ut leuissime dicam) & fugientis congressum, meum uero coniunctissimi, & amicissimi esse uideatur. ac mihi tamen ante, quam in prouinciam uenirem, redditæ sunt à te literæ: quibus etsi te Tarsum proficisci demonstrabas, tamen mihi non dubiam spem mei conueniendi afferebas: cum interea credo equidem maleuoli homines (late enim patet hoc uitium, & est in multis) sed tamen probabilem materiam nacti sermonis, ignari meæ constantiæ, conabantur alienare à te uoluntatem meam: qui te forum Tarsi agere, statuere multa, decernere, iudicare dicerent, cum posses iã suspicari, tibi esse successum, quæ ne ab iis quidem fieri solerent, qui breui tempore sibi successum iri putarent. horum ego sermone non mouebar, quin etiam (credas mihi uelim) si quid tu ageres, leuari me putabam molestia, & ex annua prouincia, quæ mihi longa uideretur: prope iam undecim mensium prouinciam factam esse gaudebam, si absenti mihi unius mensis labor detractus esset. illud (uere dicam) me mouet, in tanta militum paucitate abesse treis cohortes, quæ sint plenissimæ, nec me scire ubi sint. molestissime autem fero, quod, te ubi uisurus sim, nescio: eoq; ad te tardius scripsi, quod quotidie te ipsum expectabam: cum interea ne literas quidem ullas accepi, quæ me docerent, quid ageres, aut ubi te uisurus essem. itaque uirum fortem, mihiq; in primis probatum Antonium præfectum euocatorum misi ad te, cui (si tibi uideretur) cohortes traderes: ut dum tempus anni esset idoneum, aliquid negotii gerere possem. in quo, tuo consilio ut me sperarem esse usurum, & amicitia nostra, & literæ tuæ fecerant: quod ego ne nunc quidem despero. sed plane, quando, aut ubi te uisurus sim, nisi ad me scripseris ne suspicari quidem possum. ego, ut me tibi amicissimum esse & æqui, & iniqui intelligant, curabo. de tuo in me animo iniquis secus existimandi uideris non nihil loci dedisse. id si correxeris, mihi ualde gratum erit. & ut habere rationem possis, quo loco me salua lege Cornelia conuenias: ego in prouinciam ueni prid. Calen. Sext. iter in Ciliciam facio per Cappadociam. castra moui ab Iconio prid. Calend. Sept. nunc tu & ex diebus, & ex ratione itineris, si putabis me esse conueniendum, constitues, quo loco id commodissime fieri possit, & quo die. Vale.

ASCENSIVS.

CVm meum &c. Conqueritur Cic. quod Appius uisus sit occasionem quæsisse ne conueniatur a se, & nolle magistratu ab ire, cum illo adhuc fungatur in prouincia, quod tamen Cic. in æquiorem partem accipit: Accusat tamen Appium, quod treis cohortes dimiserit, & rursus, quod Appium conuenire non potest, pollicetur tamen se amicitiæ in illum partibus functurum. Ordo est. Cum idest quando, ego comparo factum meum cum tuo, etsi idest quanquam, ego non faueo magis in amicitia nostra tuenda idest protegenda mihi quam tibi, tamen ego delector multo magis meo facto quam tuo. Ego enim quæsiui ex Phania scilicet liberto tuo. Cuius scilicet Phaniæ ego uidebar mihi, &. i. simul perspexisse fidelitatem erga te, &. i. simul nosse idest cognoscere, locum idest gradum æstimationis, quem is teneret erga te, in quam partem prouinciæ ipse putaret te uelle maxime, ut ego uenirem primum, in succedendo scilicet tibi, cum ille scilicet Phania, respondisset mihi, me nihil gratius posse facere tibi, quam si nauigassem ad Sydam idest urbem illam Lyciæ, aut portum eius, habet enim portum urbs ea, etsi: idest quanquam, ille aduentus: scilicet in Sydam, habebat minus dignitatis, & erat minus aptus: scilicet quam cæteri, mihi ad multas res: scilicet honeste gerendas, tamen ego dixi me esse facturum ita: scilicet ut ille consuluerat. Ego cum conuenissem Corcyræ idest, in ea insula, aut urbe eius, Lentulũ Clodiũ, hominẽ ita coniunctum tibi, ut cum loquerer cũ illo, uiderer mihi loqui tecum, dixi me facturum esse idem. i. eandẽ rem, aut idem dixi ita, ut uenirem primum in eã partem, quã Phania rogasset, tunc ille cũ egisset gratias mihi petiuit a me magnopere, ut irẽ protinus Laodiceã, & sup. dixit, te uelle esse in prima prouincia. i. in prima parte Romã uersus, ut decederes quamprimũ. i. ualde cito. quin. i. insuper dixit, te fuisse decessurum, nisi ego essem successor, quẽ tu cuperes uidere antea quã successum esset tibi. Quod. s. dictũ Lentuli, erat quidẽ. i. certe consentaneũ. i. consonum & eiusdẽ sententiæ, cũ iis literis. s. tuis, quas ego acceperã Romæ Ex quibus s. literis, ego uidebar mihi perspexisse. i. clare uidisse, & intellexisse, quã. i. quãtũ, festinares decedere. i. e prouincia, unde decedere non est per se mori, sed de loco, aut officio, aut prouincia cedere, sicut nec defungi est mori, sed a rerum functione abire; quod morientes faciunt Ego respondi Clodio. s. Lentulo me facturũ esse ita, ac quidẽ multo libentius, quã si illud, quod promiseram Phaniæ, esset faciendũ. Itaq. i. & ita, ego, &. i. simul, mutaui consilium & misi statim ad te literas scriptas manu mea; quas quidẽ ego intellexi ex literis tuis, esse perlatas ad te satis mature. i. tempestiue; aut cito. Hoc &c. Ego delector ualde hoc facto meo, quod prænarratum est. Enim pro quia, nihil potuit fieri amantius. i. magis amanter, aut cum maiore amore meo in te. Considera nunc uicissim tuũ,

scilicet factum. To non modo: idest non solum nũ fuisti ibi: scilicet Laodiceæ, ubi posses uidere me quamprimum: idest ualde cito, sed discessisti eo quo ego ne quidem idest non etiam, triginta diebus: .i. spatio triginta dierum, possem persequi .i. ad consumationẽ sequi, hoc est sequendo attingere te. Qui scilicet triginta dies essent constituti tibi, ut opinor, ad succedendum tibi idest quibus lege Cornelia decedendum tibi erat prouincia. Hoc, aut ut, factum tuum uideatur illis, qui ignorant quo animo sumus inter nos idest qui ignorãt beneuolentiam nostram mutuam, esse hominis alieni, ut dicam leuissime idest cum leuissima nota simultatis, aut hominis fugientis congressum meum, non coniunctissimi & amantissimi mei. Attamẽ literæ sunt redditæ mihi a te .s. scriptæ anteq̃ uenirem in prouinciam, quibus scilicet literis, etsi idest quanquam demonstrabas te proficisci Tarsum, idest ad urbem Ciliciæ, tamen afferebas mihi nõ dubiam, idest certam spem, conueniendi mei, idest quod cõuenires me cum interea, credo equidem, homines maleuoli. Nam hoc uitiũ scilicet maleuolentiæ & inuidiæ, patet idest extenditur late, & est in multis. sed tamen, idest nihilominus, quamuis maleuoli suspicari possent, nacti materiam probabilem sermonis, scilicet de nobis faciendi, aut quem de nobis habuerunt, ignari constantiæ meæ, conabantur alienare uoluntatem meam a te, qui dicerent te agere Tarsi Forum, scilicet iudiciale, statuere idest statuta condere, decernere, & iudicare multa, cum posses suspicari successum esse iam tibi. Quæ, scilicet iam dicta officia, forum, agere, statuere &c. solerent quidem idest certe, fieri, ab iis, qui putarent succedi, idest successionem fieri sibi breui tempore, idest ut Hubertinus intelligit. post breue tẽpus, nam quando decedendum est solent diligentissime reliqua munera prouinciæ explere, sed Appius sero id tunc fecisset, cum sibi successum esse suspicari debebat. Aliis uidetur hoc dicere Appium eo animo id facere quod putaret successionem Ciceronis breui tempore fore, idest parum duraturam, & ita noluisse intermittere munera prouinciæ. Ego nõ mouebar, scilicet a constanti amore, sermone horum, idest huiusmodi hominum, quinetiam (uelim credas mihi) ego putabam me leuari, idest deonerari, molestia, idest molesto negocio, si tu ageres, quid idest aliquid in prouincia scilicet gaudebam prouinciam esse factam mihi prope, idest quasi xi mensium ex prouincia annona .i. xi. mensium, quæ uidebatur mihi longa, gaudebam inquam si labor unius mensis esset detractus mihi absenti. Illud, dicam uere, mouet idest afficit dolore me, treis cohortes quæ sint plenissime, idest perfectissimæ abesse idest dimissas a te in tanta paucitate militum, nec me scire ubi sint, ut uidelicet eas reuocẽ. At idest sed, ego fero molestissime, quod nescio ubi uisurus sum te, & eo idest idcirco, scripsi ad te tardius, quod expectabam quotidie teipsum, cũ interea ne quidem idest non saltem, accepi ullas literas scilicet a te quæ, scilicet literæ docerent me, quid ageres, aut ubi uisurus essem te. Itaq; idest & ita, ego misi ad te uirum fortem & probatum mihi in primis, uidelicet Antonium perfectum, scilicet militum euocatorum idest qui per euocationem militant. Tria enim, ut Seruius docet, erant militum genera, legitimum unum, eorum qui singuli iurabant pro Repub. se esse facturos, & ii non discedebant nisi completo militiæ tempore: alterum tumultus, eorum uidelicet, qui orto tumultu ad unum bellum militabant, ut in bello Gallico & Italico: tertium euocationis, cum ad diuersa loca diuersi propter cogendos mittebantur exercitus. Cui scilicet præfecto euocatorum tu traderes cohortes, si uideretur tibi, idest ita faciendum, ut possem gerere aliquid negocii, dum idest donec tempus anni esset idoneum scilicet ad bellum gerendum. In quo, scilicet negocio gerendo, & amicitia nostra, & literæ tuæ fecerant, ut sperarem me esse usurum consilio tuo Sed plane idest omnino, ne quidem idest non saltem suspicari possum, ubi aut quando sim uisurus te. Ego curabo, ut æqui & iniqui intelligãt me esse amicissimum tibi. tu uideris dedisse iniquis nonnihil loci .i. occasionis, & quasi ansam, existimandi idest iudicandi, secus idest aliter de animo tuo in me. si tu correxeris id, erit ualde gratum mihi. Et ut possis habere rationem idest modum quo loco conuenias me, lege Cornelia salua idest intra trigesimum diem, ego ueni in prouinciam prid. Cal. Sext. i. ultimo die Iulii, & facio iter in Ciliciam per Cappadociam. Ego moui castra ab Iconio oppido illo Cappadociæ, prid. Calen. Sept. i. ultimo die Augusti, nunc tu constitues, & ex diebus, & ex ratione itineris, si putabis me esse conueniendum, quo loco & quo die, is scilicet conuentus noster possit fieri commodissime. Vale.

SEBAS. CORR. Constituti essent} postquam successor in prouinciam uenisset. {In prouinciam ueni prid. Cal. Sext.} Laodiceam, quæ non erat in Appii prouincia, sed inter τρεῖς διοικήσεις Asiaticas Ciceroni attributas: & ideo Ciceronẽ Appius salua lege Cornelia poterat conuenire.

BERN. RVTL. Sed Eo discessisti, quo ego te ne prosequi quidem possem. xxx. diebus, qui tibi ad succedendum lege, ut opinor, Cornelia constituti essent} sensum quidem excogitauit interpres non omnino absurdum, cui tamen uerba non sine satis consentanea. Vide igitur, num decedendum legi possit. quod cum iam coniecissem, animaduerti etiam Mediolanenses seruare codices, ut sit, Ad decedendum, ubi primum successor tuus prouinciam attigisset. In quo me conturbat, quod ad finem epistolæ se in prouinciam uenisse, ait prid die Cal. Sext. castra uero mouisse ab Iconio prid Cal. Septembris, ut iam fuerit triginta dies in prouincia: & tamen deliberat cum Appio, ut salua lege Cornelia coram uenire liceat. Neq; uero dubium, quin integra sit lectio loci eius, huius ambigua. nam & lib XV. in literis, quas ad Catonem Romam scribit: Legato, inquit, imperaui, ut eas quinq; cohortes ad reliquum exercitum duceret, coactoq; in unum locum exercitu, castra in Lycaonia apud Iconium faceret. quod cum ab eo diligenter esset factum, ego in castra ad VII. Cal. Septembres ueni. cum interea superioribus diebus ex senatusconsulto & euocatorum firmam manum, & equitatum satis idoneum, & populorum liberorum regumq; & sociorum auxilia uoluntaria comparauissem. interim, cum exercitu lustrato, iter in Ciliciam facere cœpissem Cal. Septemb. legati a rege Commageno, &c. Et ante ad Catonem: Cum ad legati missi ab Antiocho Commageno uenissent in castra ad Iconium ad III. Nonas Septemp. &c. Quo loco non semel ostendit se in prouinciam uenisse prid. Cal. Sextiles. nisi uero dicas, latiorem decretam Ciceroni, quam Appio prouinciã, aut certe hic in dierum numero peccatum quæ est uel creberrima apud plerosq; autores ueteres menda.

PHIL. MELI. Expostulatio est, quare defugerit congressum, & diutius iusto prouinciam tenuerit. {Cum meum factum} Propositio: Reprehendo tuum factum, quod fugisti congressum. {Ego n. Brundusii} Narratio {Lege Cornelia} constituit tempus decedendi ex prouincia: qua præcipiebatur, ne ultra triginta dies magistratus cõmoraretur in prouincia, post exactum spatium prouinciæ. {Præfectum euocatorum.} Euocati dicuntur ueterani, quibus iam missione facta licebat esse otiosis, & tamen postea sponte militabant. {De tuo in me animo.} {Figurata reprehensio.} {Et ut habere rationem.} Conclusio, in qua est petitio, ut adhuc illum conueniat, ut deliberent, quæ uideantur apta esse.

ARGVMENTVM.

Decesserat Appius ex prouincia, & iam Romam se receperat, unde ad Ciceronem legatos cum literis plenis querimoniæ miserat, quod Cicero edicto impediuisset ædificationem, quam prouinciales facere cœperant in memoriam & gloriam Appii, ex suis tributis ex prouincia. Ad quod respondet Cicero plene, & se excusat callide, accusans Appium, quod prouinciam ita oppressisset, ut plures sint qui recusent, quam qui uelint pro ædificatione illa tributa soluere. Deinde purgat quod Appio honorificentiæ gratia non exierit obuiam afferto; multas rationes, quare id fecisset, & facere noluisset, si Appius non indicasset. Verum quia Appius Lentuli nobilitatem Ciceronis nouitati superbe prætulisset, id animose refellit Cicero.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Appius tumens nobilitate sua, erat enim hoc gentilicium illi, & ob id Ciceronem propemodum contemnens, multa indignitatis aduersum se exempla a Cicerone perpetrata, callide confingit, cum non haberet aliud quod ad Ciceronis expostulationem respondere. Hæc Cicero ita eleganter confutat, ut superbiam omnem, quam illi adscribebas, in eundem retorqueas.

M. T. CICERO PROCOS. S. D. APPIO PVLCHRO.

Pluribus uerbis te scribam, cũ plus otii nactus ero: hæc scripsi subito cũ Bruti pueri Laodiceæ me conuenissent, & se Romam properare dixissent. Itaque nullas iis præterquam ad te, & ad Brutum dedi literas. Legati Appiani mihi uolumen à te plenum querelæ iniquissimæ reddiderunt, quod eorum ædificationem literis meis impedissem. eadem epistola petebas, ut eos quamprimum ne in hyemem inciderent, ad facultatem ædificandi liberarem & simul peracute querebare, quod eos tributa exigere uetatem prius quam ego re cognita permisissem: genus enim quoddam fuisse impediendi, cum ego cognoscere non possem, nisi cum ad hyemem me ex Cilicia recepissem. ad omnia accipe: & cognosce æquitatem expostulationis tuæ. Primum cum ad me additum esset ab iis, qui dicerent à se intolerabilia tributa exigi: quid habuit iniquitatis, me scribere, ne facerent ante, quam ego rem, causamq; cognoscerem? non poteram credo, ante hyemem: sic enim scribis. quasi uero ad cognoscendum ego ad illos, non illi ad me uenire debuerint.

debuerint . tam longe, inquis? quid? cum dabas * iis literas, per quas mecum agebas, ne eos impedirem, quo minus ante hyemem ædificarent . non eos ad me uenturos arbitrabare? tametsi id quidem fecerunt ridicule: quas enim literas afferebant, ut opus æstate facere possent, eas mihi post brumam reddiderunt sed scito, & multo plureis esse, qui de tributis recusent, quam qui exigi uelint, & me tamen, quod te uelle existimem, esse facturum . de Appianis hactenus. A Pausania, Lentuli liberto, * accenso meo, audiui, cum diceret, te secum esse questum, quòd tibi obuiam non prodissem . scilicet contempsi te: nec potest fieri me quicquam superbius . cum puer tuus ad me secunda fere uigilia uenisset, is'que te ante lucem Iconium mihi uenturum nuntiasset, incertum'que, utra uia, cum essent duæ: altera Varronem tuum familiarissimum, altera Q. n. Leptam præfectum fabrum meum tibi obuiam misi: mandaui utrique eorum, ut ante ad me excurrerent, ut tibi obuiam prodire possem . currens Lepta uenit mihi'que nuntiauit, te iam castra prætergressum esse . confestim Iconium ueni . cætera iam tibi nota sunt . an ego tibi obuiam non prodirem? primum Appio Claudio? deinde imperatori? deinde more maiorum? deinde, quod caput est, amico? præsertim cum in isto genere multo etiam ambitiosius facere soleam, quam honos meus, & dignitas postulet sed hæc hactenus illud idem Pausania dicebat te dixisse: Quid? Appius Lentulo, Lentulus Appio processit obuiam, Cicero Appio noluit? Quæso, etiam ne tu has ineptias homo mea sententia summa prudentia, multa etiam doctrina . plurimo rerum usu, addo urbanitatem, quæ est uirtus, ut Stoici rectissime putant, ullam Appietatem, aut Lentulitatem ualere apud me plus, quam ornamenta uirtutis existimas? cum ea consecutus, nondum eram, quæ sunt hominum opinionibus amplissima: tamen ista uestra nomina nunquam sum admiratus: uiros eos, qui ea uobis reliquissent, magnos arbitrabar . postea uero quàm ita & accepi, & gessi maxima imperia, ut mihi nihil neque ad * honorem, neque ad gloriam acquirendum putarem: superiorem quidem nunquam, sed parem uobis me speraui esse factum . nec mehercule aliter uidi existimare uel Cn. Pompeium, quem omnibus, qui unquam fuerunt, uel P. Lentulum, quem mihi ipsi antepono . tu si aliter existimas nihil errabis, si paulo diligentius (ut, quid sit * ἐξοχὴ, quid, sit * εὐγένεια, intelligas) Athenodorus Sandonis filius, quid de his rebus dicat, attenderis . sed ut ad rem redeam, me tibi non amicum modo, uerum etiam amicissimum existimes uelim . profecto omnibus meis officijs officiam, ut ita esse uere possis iudicare . tu autem si id agis, ut minus mea causa, dum ego absum, debere uidearis, quàm ego tua laborarim, libero te ista cura . * πὰρ' ἐμοί γε καὶ ἄλλοι, οἵ κέ με τιμήσουσι, μάλιστα δὲ μητίετα Ζεύς . si autem natura es * φιλαίτιος, illud non perficies, quo minus tua causa uelim: hoc assequere, ut quam in partem accipias, minus laborem. hæc ad te scripsi liberius, fretus conscientia officij mei, beneuolentiæq́; quam à me certo iudicio susceptam quoad tu uoles, conseruabo. Vale.

*a.l. has.

*a.l. & à Cesonio audiui. uel, in accessu meo audiui.

*a.l. honorem enim ad gratiam.

*i. excellentia.

*i. nobilitas.

*i. apud me quidē, et alii, qui me colēt, maxime uero cōsiliarius Iuppiter.

*i. querulus.

ASCENSIVS.

PLuribus uerbis &c. Discedendo Appius ex prouincia cum Apameæ esset, inde ad Ciceronem legatos miserat cum literis plenis querelarum . quod Cicero edicto impediuisset ædificationem, quam Apamæani cœperant, in gloriosam memoriam Appii, exactis tributis ea prouincia. Ad quod respondet Cice. se purgans, & Appium callide accusans, quod prouinciam oppresserit. Deinde purgat, quod Appio non ierit obuiam, refellitq́; quod Lentuli nobilitatem suæ nouitati tantopere prætulerit Appius. Ordo est. Ego scribam ad te pluribus uerbis: scilicet quam nunc, cum nactus ero plus otii . Ego scripsi hæc subito, cum pueri, idest serui Bruti conuenissent: idest uenissent ad me Laodiceæ: idest in ea urbe Antiochiæ, & dixissent se properare: idest properanter iter parare Romam. Itaque: idest & ita, ego nullas: idest non ullas, non dedi iis: idest eis ullas literas præterquā ad te, & ad Brutum. Legati Apamæani: idest ab Apamæa urbe Antiochiæ. Sunt tamen qui Appiani legunt, sed errant, ut patebit in Epistola, quæ incipit. Vix tandem. reddiderunt mihi a te, scilicet missum, uolumen: idest libellum plenum querelæ iniquissimæ, idest iniustissimæ, quod, idest quia ego impediuissem literis meis ædificationem eorum: scilicet legatorum. uidetur potuisse dicere suam. Tu petebas eadem epistola, ut liberarem, idest liberos facerem, & potestatem eis facerem ad facultatem ædificandi, idest ut possint ædificare, quamprimum, idest ualde cito, statim uisis literis tuis, ne incederent in hyemem, quia magna ædificia fieri non solent, & querebare: idest querebaris simul peracute: idest multum subtiliter, quod ego uetarem eos exigere tributa, scilicet ad ædificationem perficiendam (erat autem in honorem Appii cœpta) prius, idest antequam ego permisissem re cognita, hoc est, quod non prius exigerem, quam permisissem, & nollem permittere nisi re cognita. Autem: idest sed, querebare, idest querendo dicebas, fuisse quoddam genus: idest formam, aut rationem impediendi: idest me non aliud quæsiuisse, quam ut impedirem ædificationem, cum ego non possem cognoscere: scilicet rem, nisi cum ad hyemem recepissem me ex Cilicia, in hyeme autem, ut dixi, ædificatio minus apte fieret. Accipe: supple responsum ad omnia, & cognosce æquitatem, quam nullam putas, expostulationis tuæ, idest manifestæ postulationis iniuriarum de me primum cum aditum: idest accessum esset ad me, ab iis: scilicet Cilicibus, qui dicerent tributa intolerabilia: idest grauissima exigi a se, quid iniquitatis habuit me scribere: idest quod scriberem, ne idest ut non facerent antequam cognoscerem rem, & causam? Credo, sic enim scribis, non poteram supple cognoscere rem, & causam ante hyemem: & est per ironiam dictum, unde addit. Quasi uero ego debuerim ire ad illos, scilicet legatos, qui pecuniam exigebant, & illi non debuerint uenire ad me. Inquis, idest scio, quod iam dicis, ueniarent illi ad te, tam longe? Quid? modus interrogandi, cum dabas iis literas, per quas mecum agebas, ne impedirem eos, quo minus, idest ut non, ant, quia ædificarent ante hyemem, non arbitrabare eos uenturos ad me? Tametsi, idest nihilominus tamen, etiam si non arbitratus esses, ipsi fecerunt quidem, idest uenerunt ad me, ridicule, idest stulte, ita ut rideri possent. Enim idest quia, ipsi reddiderunt mihi post brumam, idest breuissimum tempus lucis, hoc est post medium hyemis, eas literas, quas afferebant, ut possent facere opus æstate scilicet durante. Sed scito, & idest simul, plures multo esse, qui recusent, scilicet exactionem de tributis, quam qui uelint supple ea exigi, & tamen, idest nihilominus, me esse facturum, quod existimem te uelle. Hactenus supple respondi, aut scripsi de Apamæanis, idest legatis. Ego audiui a Pausania liberto Lentuli, ac a Cæsonio, cum dicerent idest audiui eos dicentes, te questum, idest conquestum esse secum, quod non prodissem obuiam tibi, scilicet redeunti e prouincia. Scilicet idest scire licet, quamobrem quia contempsi te, nec quicquam potest fieri superbius me. Cum puer idest seruus tuus, uenisset ad me secunda uigilia noctis, & is nunciasset te uenturum Iconium, idest in eam urbem Cappadociæ, ante lucem, & incertum supple esset utra uia, idest qua duarum uiarum, scilicet uenturus esses, cum duæ scilicet uiæ essent, ego misi altera uia obuiam tibi, Varronem familiarissimum tuum, & altera scilicet uia Leptam, præfectum meum fabrum pro fabrorum, & mandaui utriq; eorum, ut excurrerent, idest extra ordinem, ac pompam præcurrerent ad me, ut possem prodire obuiam tibi. Lepta currens uenit & nunciauit mihi, te iam prætergressum esse castra scilicet Romana. Ego ueni confestim, idest cum festinatione Iconium, idest in eam urbem Cappadociæ Cætera sunt iam nota tibi quasi dicat scis quod per te steterit, quo minus te conuenerim. An idest utrum uerisimile est quod ego non prodirem obuiam, primum Appio Clodio scilicet Pulchro? quasi dicat homini nobilissimo, deinde imperatori, deinde more maiorum, idest ex uetere instituto, deinde quod est caput, idest præcipuum momentum rei, amico, præsertim cum soleam facere in isto genere scilicet officiorum, etiam multo ambitiosius, idest copiosius & curiosius, quam honor meus & dignitas supple mea postulat. Sed hæc hactenus supple sint dicta. Illud &c. Idem Pausania scilicet libertus Lentuli dicebat te dixisse illud. Quid ni? idest cur non ita fieret, est ironia. Appius, supple processit obuiam Lentulo redeunti e prouincia, cum ille succederet, Lentulus processit obuiam Appio scilicet ex ad eum redeunte, hoc est nobilissimos nobilissimo, Cice. homo nouus, noluit, scilicet procedere obuiam Appio. Quæso, idest quæro a te, tu ne, supple effutiuisti has idest huiusmodi ineptias, homo, cum sis homo, mea sententia, idest quantum ego de te sentio, summa prudentia, idest habens summam prudentiam, etiam multa doctrina, idest habens multam doctrinam, & plurimam, usu rerum addo urbanitatem, idest asteismon, hoc est morum honestatem, quæ in urbibus potius quam in agro est quæ scilicet urbanitas est uirtus, ut Stoici putant, idest censent rectissime, existimas, idest iudicas tu, illam Appietatem, idest nobilitatem & gentilitatem Appiorum, aut Lentulitatem, idest nobilitatem Lentulorum, ualere plus, idest esse maioris æstimationis apud me, quam ornamenta uirtutis? quasi dicas longe erras, nam cum nondum consecutus eram ea, quæ sunt amplissima opinionibus, idest secundum opiniones hominum uidelicet consulatum & triumphos tamen, id-

est nihilominus. ego nunquam sum admiratus scilicet tanquam rem admiratione dignam, ista scilicet quæ iactatis nomina uestra, sed supple arbitrabar uiros, qui reliquissent uobis ea scilicet nomina præclara, magnos, nam nisi illi magni fuissent, non reliquissent posteris suis nomina præclara Vero, idest sed postea, quam ego accepi, idest audiui, & gessi imperia maxima. ita ut putarem nihil deesse mihi, neque ad honorem supple acquirendum, neque ad gloriam acquirendam, speraui me esse factum nunquam quidem superiorem, sed parem uobis. Nec mehercule ego uidi uel Cn. Pompeium, quem antepono omnibus, qui unquam fuerunt, uel Lentulum quem antepono mihi ipsi, existimare, idest censere & iudicare aliter scilicet quam quod par uobis factus essem. Tu o Appi si existimas, idest iudicas aliter, nihil errabis, si ut intelligas quid sit ἐξοχὴ eroche, idest excellentia, quid supple sit εὐγένεια, idest nobilitas & bona natiuitas. attenderis, idest animaduerteris. quid Athenodorus filius Sandonis, additur autem id, quia ut Stra. refert fuit etiam alter Cordylion dictus: hic autem Sandonis filius fuit præceptor Cæsaris dicat de his rebus, quia nobilitatem uirtute metiebatur, dicebatque, quod Iuuena. Tota licet ueteres exornent undique ceræ Atria, nobilitas sola est, atque unica uirtus. sed ut redeam ad rem, id est quod ad utilitatem faciat: Ego uelim supple ut existimes, me nō modo, idest non tantum, amicum tibi, uerum etiam amicissimum. Profecto ego efficiam omnibus officiis meis, ut tu possis iudicare ita esse uere. Tu autem si agis, idest prætendis id, ut tu uidearis debere minus supple laborare mea causa. dum, idest douec ego absum, quā ego laborarim pro laborauerim tua supple causa, ego libero te ista cura, idest sum contentus, ut mea causa non labores: nam, ut inquit Agamemnon Homericus ad Achillem iratum in primo Iliados παρ᾽ ἔμοιγε, idest apud me καὶ ἄλλοι, idest & alii supple sunt οἵ κέ με τιμήσουσι qui me honorabunt μάλιστα δὲ, maxime autem μητίετα consiliarius Ζεύς Iuppiter quasi dicat Cicero. si tu minus honorabis, me honorabunt alii, si autem es natura, idest per naturam φιλαίτιος, id est querulus, tu non perficies quo minus, idest ut non uelim scilicet laborare, aut prodesse in causa tua, aut sic quo, idest ut uelim minus supple propterea in causa tua, sed supple tu assequere, idest obtinebis hoc, ut laborem, idest curem minus in quam partem accipias scilicet hæc a me scripta, siue in bonam, siue in malam. Ego scripsi has ad te liberius: idest multum libere, aut liberius, quam par est, fretus conscientia officii mei, & beneuolentiæ supple meæ. quam susceptam certo iudicio u me, conseruabo quoad idest quandiu tu uoles.

VICTORIVS.

LEgati Appiaui mihi uolumen, &c.} Magna semper uarietate scriptus est hic locus, cum nonnulli Apamæani pro Appiani legerent: sed falso, ut puto: nam & Appiani ubiq; habent ueteres codices: & hos populos esse prouinciæ, cui Cicero præerat, docet Plin. lib. V. cap. XXIX. his uerbis: Alter conuentus a Synnada accipit nomen: conueniunt Lycaones, Appiani, Cercopeni, Dorylæi, Midæi, Iulienses, & reliqui ignobiles populi XV. Cum igitur uetustissimorum codicum lectio ratione, & optimorum autorum testimonio confirmetur, non uideo cur temere mutanda sit. {A Pausania Lentuli liberto, ac Cæsonio audiui} Nos scripsimus. {Accenso meo} non tamen sic penitus est in antiquis: nonnihil enim mendi hunc locum occupauit: ibi enim. {A Pausania Leutuli Liberto accenso meo} scriptum est. uulgata lectio omnino deprauata est. {Ac Cæsonio} de uno enim tantum loquitur, ut ex sequentibus uerbis manifesto colligitur. uolui antiquam scripturam omnibus proponere, ut siquis nostram non probaret, comminiscatur aliā, si potest, meliorem: nullius enim industriæ inuidemus, pollicemurque semper notum facturos, siquando ab antiqua scriptura discesserimus: cupio enim si minus ingenium: at fidem, & ingenuitatem nostram commendari. Alii, in accessu meo legunt: quod minus placet. nisi enim Pausanias aliquo Ciceronis ministerio coniunctus esset uix mihi uerisimile uidetur Appium cum eo tam libere questum esse de Ciceronis iniuriis: sed quia hæc tenues coniecturæ sunt, totam hāc rem eruditiori iudicio relinquemus. Quod autem Accensi, Consules, & Prætores sequi soliti essent in castra, & cur sic appellati, quia ab antiquis grammaticis docte, & diligenter declaratum est, nihil attinet repetere. {Vt mihi nihil, neque ad honorem, neque ad gloriam acquirendam deesse putarem} Nostram lectionem magis probatum iri puto eandem cum antiqua: {Nihil esse adquirendum} .i. me omnia iam adeptum esse, & consecutum, ut nihil amplius ad honorem, & gloriam acquirere debeam. Illis enim aliquid ad honorē, & gloriam adhuc acquirendum est, qui nondum plene & honorē, & gloriam adepti sunt quamuis multum in eis processerint. Communis lectio durior, & cōfusior. {Si paulo diligentius, & quid sit ἐξοχὴ, quid sit εὐγένεια intelligas, &c.} Nos nostrā lectionem a ueteribus libris accepimus ne parua quidem immutatione facta. existimamus autem hanc esse non paulo meliorem: certe locus planus est, & clarus, cum ante obscurissimus plurimis mendis esset. Vocis illius græcæ ἐξοχὴ nullum uestigium est in antiquis codicibus. usurpat eam scribe Cice ad Atticum lib. III. ἐξοχὴ in nullo est: pecunia omnium dignitatem exæquat. Non tamen nobilitatem intelligit, dicit enim candidatos ita inter se pares, ut nulla re alii alios excedant: si enim ulla erat generis inæqualitas, eam pecunia adæquabat. Credebat Appius nobilitatem esse non posse, ubi non esset εὐγένεια, qui familiæ suæ antiquitatem, & splendorem iactaret in contemptum Ciceronis nouitatis. Aliter sentit Cicero, qui sibi licet obscuris parentibus orto, postquam honorifice adeptus esset & gessisset summa imperia, nihil neque ad honorem, neque ad gloriam deesse putabat, ut nobilissimis hominibus par esset dignitate: de qua re si ille aliter existimet, recte facturum illum dicit, si paulo diligentius animaduerterit, quid Athenodorus Stoicus de his rebus iudicet. potest enim aliquis εὐγένειαν habere, nec tamen nobilis esse cum plerique ex bonis & illustribus parentibus nati, inertissimi: flagitiosissimique reperiantur, quos uere nemo nobiles appellare posset. Qui enim recte intelligunt, & non uulgi opinionibus ducuntur, uirtutem esse, quæ ueram nobilitatem faciat, & non claros natales putant: multitudo autem decipitur, quæ credat omnes ex clarissimis familiis ortos debere nobiles dici, cum potius εὐγενεῖς appellandi sint: nobiles autem solum illas esse existimandum est, qui egregiis suis factis dignitatem, gloriamque sibi parauissent, etiam si eorum maiores ignoti fuissent. Meminit autem Athenodori Sandonis Plutarchus in uita Publicolæ his uerbis: [Greek illegible] quem puto eundem esse cū hoc de quo hic Cicero. Præterea Strabo lib. XIIII. qui Athenodoros duos Tursenses fuisse tradit in Stoicorum disciplina claros, quorū unus Cordylion appellatus sit, qui cum M. Catone uixit domique eius obiit, alter uero Sandonis, quem etiam Cananitam uocatum esse docet a pago quodam: Hunc autem Cæsarem Augustum erudiuisse, magnosque honores apud eum consecutum esse: uixit autē ad extremam usque senectutem. Plura autem de hoc narrat, quæ cum ad hunc locum nihil faciant omittemus.

Ex post. eiusdem.

ADdo urbanitatem, quæ est uirtus, ut Stoici rectissime putant.} Multum huic nomini tribuisse Stoicos ostendit etiā Plutarchus in Commentario, quo declarauit, quomodo deceat adolescentes legere poetas, diuersam enim & penitus contrariam uim apud illos habere ἀστεῖον nomen alteri, quod est ἀμαθὴς intelligitur ab eo, qui locum eum Plutarchi accurate animaduertit: differit autem quemadmodum Stoici nihil commune esse iudicarent uirtuti, ac uitio: & quemadmodum Vrbanus apud illos (ita autem uocabant uirtute præditum) omni culpa uacaret, & omnes res recte facere posset. Imperitus autē (id erat apud illos uitiosus) omnibus obnoxius esset, & in omni semper negotio laberetur. uerba ipsius hæc sunt: πολλὰ μὲν τοῖς Στωικοῖς χαίρειν φράζοντα, μήτε τὸ φαῦλον ἀστεῖον προσειπεῖν μήτε καὶ χρυσοῦν ἀξιοῦντα. ἀλλὰ πάντως μὲν καὶ ... ἁμαρτωλὸν εἶναι τὸν ἀμαθῆ περὶ πάντα δ᾽ αὖ κατορθοῦν τὸν ἀστεῖον. Hæc annotasse mirifice utile esse credo ad huius loci perspicuitatem, qui aliter obscurissimus esset.

SEBAS. CORR.

LEgati Apamæam} Al. Appiani, hic, & paulopost: quæ lectio uiris doctis magis probatur. Et si utraque defendi potest: qd in Ciceronis prouincia utrique essent populi. {Aedificationē} Alicuius statuæ in Appii honorē. {Ea Cilicia recepissem} in Asiā. Tam longe inquit: ex Phrygia, siue Lycaonia in Ciliciam. {Vrbanitate} In uetere libro, humanitatem legimus. {ἐξοχὴ} excellentia. {εὐγένεια} nobilitas. Alii legunt, ut quid sit εὐγένεια, quid sit nobilitas intelligas {Athenodorus} philosophus Stoicus, cognomine Cananita. {Παρ᾽ ἔμοιγε καὶ ἄλλοι οἵ κέ με τιμήσουσι μάλιστα δὲ μητίετα Ζεύς. Apud me quidem & alii, qui me colant, maxime autem consiliarius Iupiter. {φιλαίτιος} querulus.

BERN. RVT.

LEgati Appiani mihi uolumen a te plenum querelæ iniquissimæ reddiderunt} Vide ne Apamæani, uel Apamæi potius. nā secunda ab hac epistola ait, alteras de ædificatione Apamæorum impedita legi permultus. Non ignoro, Apamæam fuisse his locis urbem celeberrimam, sed & Appianos legimus in eadem prouincia diuersos. qua de re Plinii uerba apposui: Alter conuentus, inquit a Synnada accipit nomen: conueniunt Lycaones, Appiani, Cercopeni, Dorylæi, Midæi, Iulienses, & reliqui ignobiles populi. XV. Tertius Apamæam uadit, ante appellatam Celenas, dein Cibothō. certe utrobique idem legendum, ne sibi ipse repugnet. nā interpres cum Appiani legat, ab Apamæa tamen imperitissime accipit. {Etsi Athenodorus Sandonis filius quid de his rebus dicat, attenderis} Etsi, abundat: nisi malis, ut, quod ante est, expungere.

PHILI. MELĀ.

EPistola quidem est iudicialis generis: nam tota in confutandis iis, quæ ab Appio obiecta erant, & in expostulatione de innere consistit. {Pluribus uerbis, & Hæc scripsi, &c.} Excusationes. {Legati Apamæani} Narratiō. {Primum enim} Propositio. {Non poteram credo} Purgatio. {A Pausania Lentuli} Alia purgatio ex locorum distantia. {Cum puer tuus} Excusatio, quod nō prodierit obuiam. {An ego tibi} Argumentum uoluntatis. {Quæso ēt} Locus communis de nobilitate. Quasi diceret: Puerile est, nobilitatem opponere ornamentis uirtutis.

Etsi

ARGVMENTVM.

Hæc epistola fere tota est responsiua epistolæ Appii: præterquam in fine: Conquestus enim fuerat primum, quod Cicero uultus iudicio significasset se non esse amicum Appii: quod Cicero dicit se non intelligere, cum nihil eiusmodi fecerit. Deinde conquestus fuerat, quod Cicero legatos impediuisset, qui Appium uenturi erant laudatum in senatu. de qua re se diligenter excusat. Addiderat Appius, quod famæ suæ in prouincia detraxisset: id Cicero pernegat, innuens ab Appio excogitatum: aut si ab aliquo maleuolo audierit, leuem esse quod crediderit. Postremo gratum sibi dicit, quod de rebus urbanis sit admonitus: rogatque ut cum Hortensio agat, ne prouincia prorogetur in annum. Docetque Appium ubi sit, & quid noui stas in Cilicia.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Et hæc epistola in refutandis Appii falsis insimulationibus, utpote de suspicione taciturnitatis, de legatis prohibitis, de fama imminuta, consistit. Sed ita tamen refutat, ut non tam Appio mendacium impingat, quam falsis delatoribus, quibus citius quam decebat uirum probum, aures concessisset. Monet tamen sub finem, ut amicitiam tueatur & defendat.

M. T. C. PROCOS. S. D. APPIO PVL. 8

Etsi, quantum ex literis tuis intelligere potui, uidebam te hanc epistolam, cum ad Vrbem esses, esse lecturum, refrigerato iam leuissimo sermone hominum prouincialium: tamen, cum tu tam multis uerbis ad me de improborum oratione scripsisses, faciendum mihi putaui, ut tuis literis breui responderem. sed prima duo capita epistolæ tuæ tacita mihi quodammodo relinquenda sunt: nihil enim habent, quod aut definitum sit, aut certum nisi me uultu, & taciturnitate significasse tibi non esse amicum, idque pro tribunali cum aliquid ageretur, & nonnullis in conuiuiis intelligi potuisse. hoc totum nihil esse, possum intelligere: sed cum sit nihil, nec quid dicatur quidem intelligo: illud quidem scio, meos multos, & illustreis, & ex superiore, & ex æquo loco sermones habitos cum tua summa laude, & cum magna significatione nostræ familiaritatis, ad te uere potuisse deferri. Nam quod ad legatos attinet: quid à me fieri potuit aut elegantius, aut iustius, quàm ut sumptus egentissimarum ciuitatum minuerem sine ulla imminutione dignitatis tuæ, præsertim ipsis ciuitatibus postulantibus? nam mihi totum genus legationum tuo nomine proficiscentium notum non erat. Apameæ cum essem, multarum ciuitatum principes ad me detulerunt, sumptus decerni legatis nimis magnos, cum soluendo ciuitates non essent. hic ego multa simul cogitaui, primum, te, hominem non solum sapientem, uerum etiam (ut nunc loquimur) urbanum, non arbitrabar genere isto legationum delectari. idque me arbitror Synnadis pro tribunali multis uerbis disputauisse: primum, Appium Claudium senatui, populoque Romano non Myndensium testimonio (de ea enim ciuitate mentio facta est) sed sua sponte esse laudatum: deinde me ista uidisse multis accidere, ut eorum causa legationes Romam uenirent, sed his legationibus non meminisse ullum tempus laudandi, aut locum dari: studia mihi eorum placere, quod in te benemerito grati essent, consilium totum uideri minime necessarium: si autem uellent declarare in eo officium suum, laudaturum me, siquis suo sumptu functus esset officio: concessurum, si legitimo: non permissurum, si infinito: quid enim reprehendi potest? nisi quod addis, uisum esse quibusdam edictum meum quasi consulto ad istas legationes impediendas esse accommodatum. iam non tam mihi uidentur iniuriam facere ii, qui hæc disputant, * quam si cuius aures ad hanc disputationem patent. Romæ composui edictum. nihil addidi, nisi quod publicani me rogarunt, cum Samum ad me uenissent, ut de tuo edicto totidem uerbis transferrem in meum. diligentissime scriptum caput est, quod pertinet ad minuendos sumptus ciuitatum: quo in capite sunt quædam noua salutaria ciuitatibus, quibus ego magnopere delector. hoc uero, ex quo suspicio nata est, me exquisiuisse aliquid, in quo te offenderem, tralatitium est: neque enim eram tam desipiens, ut priuatæ rei causa legari putarem qui & tibi non priuato, & pro re non priuata sua, sed publica, non in priuato sed in publico orbis terræ * consilio, idest in senatu ut gratias agerent, mitterentur. * neque eum edixi, nequis iniussu meo proficisceretur, exclusi eos, qui me in castra, & qui trans Taurum persequi non possent: nam idest maxime in tuis literis ridendum: quid enim erat: quod me persequerentur in castra, Taurum'ue transirent? cum ego Laodicea usque ad Iconium iter ita fecerim, ut me omnium illarum diœcesium, quæ cis Taurum sunt omniumque earum ciuitatum magistratus, legationesque, conuenirent. nisi forte postea cœperunt legare, quàm ego Taurum transgressus sum: quod certe non ita est: cum enim Laodiceæ, cum Synnadis, cum Philomeli, cum Iconii essem, quibus in oppidis omnibus commoratus sum? omnes iam istius generis legationes erant constitutæ. atque hoc tamen te scire uolo me de isto sumptu legationum aut minuendo, aut remittendo decreuisse nihil, nisi quod principes ciuitatum à me postulassent, ne * in uenditionem tributorum, & illam acerbissimam exactionem, quam tu non ignoras, capitum, atque hostiorum inducerentur sumptus minime necessarii. ego autem cum hoc suscepissem, non solum iustitia, sed etiam misericordia adductus, ut leuarem miseris perditas ciuitates, & perditas maxime per magistratus suos: non potui in illo sumptu non necessario negligens esse, tu, cum istiusmodi sermones ad te delati de me sunt, non debuisti credere. si autem eo genere delectaris, ut, quæ tibi in mentem ueniant, aliis attribuas: genus sermonis inducis in amicitiam minime liberale. ego si in prouincia de tua fama detrahere unquam cogitassem, non ad generum tuum Lentulum, neque ad libertum tuum Brundusii, neque ad præfectum fabrum Corcyræ, quem in locum me uenire uelles, retulissem. quare potes, doctissimis hominibus autoribus, quorum sunt de amicitia generanda præclarissime scripti libri, genus hoc totum orationis tollere. DISPVTABANT: ego contra disserebam. Dicebant: ego negabam. an mihi de te nihil esse dictum unquam putas? ne hoc quidem, quod cum me Laodiceam uenire uoluisses, Taurum ipse transisti? quod iisdem diebus meus conuentus erat Apameæ, Synnadis, Philomeli, tuus Tarsi? non dicam plura, ne, in quo te obiurgem, id ipsum uidear imitari. Illud dicam, ut sentio: si ista, quæ alios loqui dicis, ipse sentis, tua summa culpa est: sin alii tecum hæc loquuntur, tua tamen, quod audis, culpa nonnulla est. mea ratio in tota amicitia nostra constans, & grauis reperietur. quod siquis me astutiorem fingit: quid potest esse callidius, quàm cum te absentem semper defenderim, cum præsertim mihi usu uenturum non arbitrarer, ut ego quoque absens à te defendendus essem, nunc committere, ut tu iure optimo me absentem deserere posses? unum genus excipio sermonis, in quo persæpe aliquid dicitur, quod te putem nolle dici: si aut legatorum tuorum cuipiam, aut præfectorum, aut Tribunorum militum male dicitur: quod tamen ipsum non mehercule adhuc accidit, ut me audiente, ut aut grauius diceretur, * aut in plu reis, quam me cum Corcyræ Clodius est locutus, eum in eo genere maxime quereretur te aliorum improbitate minus felicem fuisse. hos ego sermones quod & multi sunt, & tuam existimationem, ut ego sentio, non offendunt, lacessiui nunquam, sed non ualde repressi. siquis est qui neminem bona fide in gratiam putet redire posse: non nostram is perfidiam coarguit, sed indicat suam:

*a.l. q̃ is.

*a.l. concilio.

*a.l. neque cum.

*a.l. indictionem.

*a.l. aut impurius.

*simulq; non de me is peius, quam de te existimat. sin autem quem mea instituta in prouincia non delectant: & quadam dissimilitudine institutorum meorum, ac tuorum lædi se putat, cum uterque nostrum recte fecerit, sed non idem uterque secutus sit: hunc ego amicum habere non curo, liberalitas tua, ut hominis nobilissimi, latius in prouincia patuit: nostra si angustior, & si de tua prolixa, beneficaq; natura *limauit aliquid posterior annus, propter quandam tristitiam temporum, non debent mirari homines, cum & natura semper ad largiendum ex alieno fuerim restrictior, & temporibus, quibus alij mouentur, iisdem ego mouear, me esse acerbum sibi, ut sim dulcis mihi. De rebus urbanis quod me certiorem fecisti, cum per se mihi gratum fuit, tum quod significasti tibi omnia mea mandata curæ fore: in quibus unum illud te præcipue rogo, ut cures, nequid mihi ad hoc negotij aut oneris accedat, aut temporis: Hortensiumq; nostrum collegam, & familiarem roges, ut, si unquam mea causa quicquam aut sensit, aut fecit, de hac quoque sententia bima decedat: qua mihi nihil potest esse inimicius. De nostris rebus quod scire uis: Tarso Non. Oct. Amanum uersus profecti sumus, hæc scripsi postridie eius diei, cum castra haberem in agro Mopsuhestiæ. siquid egero, scribere ad te: neque domum unquam ad meos literas mittam, quin adiungam eas quas tibi reddi uelim. De Parthis quod quæris, fuisse nullos puto: Arabes qui fuerunt admisto Parthico ornatu, dicuntur omnes reuertisse. hostem esse in Syria negant ullum, Tu uelim ad me quam sæpissime & de tuis rebus scribas, & de meis, & de omni Reipubli. statu. de quo sum sollicitus, eo magis, quod ex tuis literis cognoui, Pompeium nostrum in Hispaniam iturum. Vale.*

*a.l. elimabit.

ASCENSIVS.

Etsi respondet epistolæ Appii, qua multa obiecerat, quæ purgat, uti legenti facile patebit. Ordo autem est. Etsi: idest quanquam ego uidebam quantum potui intelligere ex literis tuis, te lecturum supple esse hanc epistolam cum uenisses ad urbem: scilicet Romam, sermone leuissimo, idest inconstantissimo, hominum prouincialium, qui inique conquesti fuerunt de Cice. refrigerato, idest temperato & sedato iã, tamen cum tu scripsisses ad me tam multis uerbis, de oratione, idest locutione hominum improborum, ego putaui faciendum mihi, idest me debere facere, ut responderem breui, idest breuiter, uel breui supple epistola, uel responsione, literis tuis. Sed duo prima capita, idest principales sententiæ epistolæ tuæ, relinquenda sunt mihi quodam modo tacita enim, idest quia nihil habent, quod sit, aut diffinitum, idest determinatum, aut certum, nisi me significasse uultu & taciturnitate, idest eo quod uultum iratum haberem, & nihil dicerem, me supple non esse amicum tibi, idq; idest & id potuisse intelligi pro tribunali, idest ante tribunal, cum aliquid ageretur, & nonnullis, idest quibusdam conuiuiis. Ego inquit Cice. possum intelligere hoc totũ nihil esse, idest ex uana suspicione esse ortum sed cum sit nihil scilicet in te, nec quidem idest non etiam, aut non saltem, intelligo, quid dicatur. Quidem idest certe, ego scio illud multos sermones meos habitos & illustres, idest claros, & ex superiore loco, idest cũ in sede magistrali sederem, & in loco æquo, idest plano, cum ut priuatus loquerer cum summa laude tua, & cum magna sollicitudine, idest anxietate, & significatione familiaritatis nostræ, potuisse deferri, idest delatorie afferri ad te, uere idest ueraciter. Nam quod attinet ad legatos, qui communibus sumptibus uolebant Romam proficisci, ut Appium publice laudarent, quid potuit fieri a me, aut elegantius, idest decentius, aut iustius, quam ut minuerem, sumptus, idest expensas ciuitatum egentissimarum, sine ulla imminutione dignitatis tuæ, præsertim ipsis ciuitatibus postulantibus supple illud quasi dicat nihil. Nam totum genus legationum, idest legatorum proficiscentium, idest abeuntium tuo nomine, non erat notum mihi, idest non erat approbatum a me, cum nescirem iustam rationem earum cum ego essem Apameæ, idest in ea urbe Antiochiæ, aut (ut alii dicunt) Phrygiæ sed Stra. dicit sic. Antiochensib. ad Austrum Apamæa est, in mediterraneo sita Et pauloante de Antiochensi prouincia, quæ est pars Syriæ loquens, dicit. Vocatur etiam tetrapolis ea insignibus urbibus quæ ibi sunt, & si plures sint, maxime tamen iiii. sunt, Antiochia apud Daphnem, & Seleucia in Pieria, & Apamæa, & Laodicea, quæ propter concordiam sorores dicebantur. Eas Seleucus condidit. Maxima ab eius patre Antioco Antiochia dicta est, minutissima ab eo, Apamæa uero ab eius uxore, Laodicea autem a matre nominata est. Alibi tamen dicit Apameam, & Laodiceam Phrygiarum urbium maximas. Sed Phrygia generaliter ea quoque pars dicitur. Principes multarum ciuitatum detulerunt ad me, idest clam insinuauerunt mihi, sumptus nimis magnos decerni, idest decreto adiudicari, legatis scilicet Romam ituri, cum ciuitates non essent soluendo, idest ut soluant. Ego cogitaui multa simul, hic idest in hac re, aut hoc tempore primum arbitrabar te hominem, non solum sapientem, uerumetiam, ut nunc loquuntur, urbanum, idest politum sermone & moribus, non delectari isto genere legationum, scilicet quæ in unum ea haurirent egentissimas ciuitates. Et ego arbitror me disputasse id multis uerbis pro tribunali, idest in tribunali Synnadis, idest in eo oppido Cariæ, ubi uis est marmorum, quæ Synnadica inde dicuntur. Alii Phrygiæ quoque eam addicunt: quia uicina sunt loca. Phrygiaque maior ea complectitur. Est autem forma ablatiui pluralis. Primum supple dixi disputando, App. Clau. esse laudatum senatui & Popu. Roma. idest a senatu & Popu. Roma. aut coram Sena. & Popu. Roma. non testimonio Myndensium: idest legatorum e Myndo oppido Cariæ, mentio enim legationis mittendæ facta est in eo oppido, sed sua sponte, idest sine alicuius intercessione. Nam Senatus de Republi. benemeritos sponte laudare solebat. deinde supple dixi, me uidisse ista accidere multis, ut legationes uenirent Romam, causa eorum scilicet laudandorum, sed dixi me non meminisse, ullum tempus aut locum laudandi dari his, idest huiusmodi legationibus. Sicut Agrecius dicit memini exigit præsens tempus, ut memini uidere non uidisse, & hic dari non datum esse. Idque Cicero. fere obseruat. Valla tamen in Raudensem improbat. Certum autem est Virg. in Georgi. dixisse. Memini Corycium uidisse senem. & Persium, memini somniasse, sed frequentius est per præsens locutio. Dixi supple studia eorum, qui ire, aut mittere uolebant, placere, quod essent grati in te benemerito sed supple dixi consilium totum: scilicet de mittendis legatis uideri minime necessarium. Si autem uellent declarare officium suum in eo, scilicet consilio, aut incepto, dixi supple me laudaturum, siquis functus esset officio: scilicet legationis Romam tui laudandi gratia, suo, idest proprio sumptu, non ciuitatum egentium, & dixi concessurum, si supple functus esset suo sumptu legitimo, idest rationabili, qualem leges permittunt, & supple dixi me non permissurum si infinito scilicet sumptu, quia cederet in detrimentum Republi. cui expedit, ut unusquisque re sua bene utatur. Disputaui autem, publice, aut fateor me disputasse publice, quid enim potest reprehendi, scilicet in meo facto, nisi quod addas uisum esse quibusdam edictum meum, esse accommodatum, idest applicatum, quasi consulto, idest consilio præuio ad istas legationes impediendas. Iam uero ii, qui hæc disputant, idest uariis sermonibus agitant, non uidentur mihi facere iniuriam, tantum idest in tantum, quam idest quantum, supple is si cuius, idest siquis talis sit, quod eius aures patent ad hanc disputationem, tacite notat Appium, qui detractores libenter audit, modestius tamen dicit si cuius, quam si diceret, ut multi legunt. quam ii quorum &c. aut, Is cuius &c. Ego composui edictum Romæ, idest cum adhuc Romæ essem, nec quicquam de legationibus istis suspicarer, & nihil addidi, nisi id quod publicani, idest qui publica uectigalia conducunt & tractant, rogarunt me cum uenissent ad me Samum, idest in eam urbem insulæ eiusdem nominis, sed urbs etiam Samæ dicitur, insula tantum Samos, ut transferrem: idest transmutarem, de edicto in meum scilicet edictum, scriptum diligentissime, totidem uerbis, quot esset scriptum in tuo edicto, hoc est, ut quod erat in tuo edicto, ponerem aliter, in quo capite sunt quædam noua salutaria ciuitatibus, quibus ego delector magnopere. Vero pro sed, hoc ex quo suspicio nata est, me exquisiuisse, idest excogitasse aliquid, in quo offenderem te, est tralatitium, idest seu translatitium, idest fictitium & falso in me translatum, ex malitia eorum qui talia cogitant & faciunt. Neque enim eram tam desipiens, ut putarem supple eos legari causa rei priuatæ, qui mittebantur ut gratias agerent, & ibi non priuato, sed publico magistratu functo, & non pro re priuata sua, idest sibi propria, sed supple & non scilicet gratias agerent, in priuato scilicet loco, sed in pub. consilio urbis terræ, idest in senatu scilicet Roma. Neque enim cum edixi, idest in pub. mandato iussi, nequis proficisceretur scilicet Romam iniussu, idest sine iussu meo, exclusi eos, qui non possent persequi, idest ad finem usque sequi (non enim semper in malum accipitur) me in castra, & qui non possent persequi me trans Taurum scilicet montem. quia qui nequis dicit, omnes includit sub uetatione sua. Nam idest maxime ridendum in literis tuis. Scripserat enim Appius mordendo Cicero. quod cum prohibuisset quenquam iniussu suo proficisci Romam, non prohibuerit proficisci secum in castra & trans Taurum, immo dicit Cicero. generalem se fecisse prohibitionem, neque opus fuisse, ut legationes mitterentur secum aut in castra, aut trans Taurum. Quid enim erat, quod idest propter quod persequerentur in castra, ne pro uel, transirent Taurum, nomen est maximi montis Armeniam a Cilicia dirimentis. cum ego fecerim iter a Laodicea, idest ab ea urbe Antiochiæ, aut Syriæ, seu

Phrygiæ maioris, usque ad Iconium oppidum Cappadociæ, ita ut magistratus & legationes omnium diœcesium idest iurisdictionum, ac gubernationum, a uerbo διοικέω, quod est guberno, unde secunda per ce scribitur, & tertia a Græcis per η, & ita ambæ sunt longæ: ἡ διοίκησις diœcesis, dispositio, gubernatio, iurisdictio, quæ sunt eis idest citra Taurum, & omnium illarum ciuitatum, conuenirent me, scilicet agendi mecum de rebus suis gratia, nisi forte legati supple cœperunt legati, idest mitti postea quam ego transgressus sum. Taurum, quod certe non est ita. Cum enim essem Laodiceæ, cum essem Apameæ, cum, repete essem, Synadis, cum, scilicet essem Philomeli, cum essem Iconii, quæ sunt oppida iam nota in prouincia sita: Iconium quidem in Cappadocia, Philomelum in Phrygia: scilicet maiore, quod situm est in magna planicie a Septentrione: cætera prius dicta sunt. Synnada quidem urbs est Asiatica ad Cariæ fines, & ut Strab. dicit, non magna est, ad quam planicies iacet uleis consita. L X. fere stadiorum. Vlterius est Dorci uicus & Synnadici lapidis fodina. De declinatione autem nequid hæsites, quia Cice. Synnadis aduerbialiter dicit: credam uti ablatiuo plurali, ut sit nominatiuus Synnada synnadorum. Calepinus tamen dicit apud Sydonium declinari Synnas synnadis, quod hoc dici non posset, nam ab eo nominatiuo diceretur hoc Synnade, aut Synnadi, non Synnadis, in quibus omnibus oppidis ego commoratus sum: idest moram traxi, omnes legationes istius generis, scilicet quæ mitterentur tui laudandi gratia, erant constitutæ: idest translatæ. Atque ego nolo te tamen scire, hoc me nihil decreuisse, idest decreto constituisse, de isto sumptu legationum, aut minuendo, aut remittendo, scilicet illis, qui eo onerabantur, nisi quod principes ciuitatum postulassent mane: idest matutino tempore eius diei quo decreueram, ne sumptus minime, idest omnino non necessarii decernerentur in uenditionem tributorum: interdum enim tributa uendantur, & qui ea emunt, acerbissime exigunt, & illam acerbissimam exactionem capitum, atque ostiorum: idest de singulis capitibus, atque ostiis domus, quam tu non ignoras, quia eius tempore uigebat, aut ab eo, aut eius gratia instituta erat. Ego autem cum suscepissem, idest faciendum recepissem hoc: scilicet ne fierent sumptus non necessarii, adductus: scilicet ad hoc non solum iustitia, quæ nimiam exactionem prohibet, sed etiam misericordia, ut leuarem: idest deonerarem miseriis ciuitates perditas, idest pereuntes, & perditas maxime per magistratus suos, non potui negligens esse in illo sumptu non necessario: scilicet uetando. Tu cum sermone istiusmodi: scilicet detractionis & inimicitiarum generatiui, essent delati ad te de me, non debuisti credere. Si autem delectaris hoc genere, idest fictionum, aut sermonum, ut attribuas aliis, idest dicas tibi dicta esse ab aliis, quæ ueniant tibi in mentem: idest quæ putaris dicta, aut facta esse potuisse, tu inducis in amicitiam genus sermonis minime, idest nequaquam liberale, idest libero homine dignum. Si ego cogitassem nunquam detrahere de tua fama in prouincia, non tulissem ad Lentulum generum tuum, idest ad iudicium & uoluntatem generi tui Cn. Lentuli, neque ad Libertum tuum, scilicet Phaniam Brundusii, cum adhuc essem Brundusii, quæ est urbs Italiæ, neque ad præfectum fabrum pro fabrorum, Corcyræ, idest cum essem Corcyræ, aut in Corcyra insula, in quem locum uelles me uenire: scilicet ad conueniendum te, aut, ut conueniar a te. Quare tu potes doctissimis hominibus autoribus id est id approbantibus, quorum, scilicet autorum libri sunt, idest extant scripti præclarissime de amicitia gerenda, tollere hoc totum genus orationis, scilicet quale est dicentium. Supple homines, aut inimici disputabant, scilicet de alicuius perfidia. Ego differebam, id est diuersa ab eis asserebant contra. Ipsi dicebant scilicet aliquid mali de te aut, de alio, ego negabam. Talia enim solent dicere, qui nolunt uideri amici cum nō sint, quia fingunt se refellisse ea quæ nunquam dicta sunt, ut non ipsi, sed alii ea dixisse putentur, sic tamen ut licet dicant se contradixisse, putent inimicos illorum, de quibus talia dicta narrant, uere censere. non omnes intelligunt hunc locū. An o Appi, putas nihil unquam esse dictum mihi de te? ne quidem idest non saltem hoc quod cum uoluisses me uenire Laodiceam, ipse transisses Taurum, & quod meus conuentus, idest iurisdictio erat Apameæ, Synadis, Philomeli, & tuus conuentus erat. Tarsi iisdem diebus, quod argumentum erat te nolle prouincia, decedere. Non dicam plura, ne uidear imitari id ipsum in quo ego obiurgem te. Ego dicam illud ut sentio, si ipse, idest tu, sentis, idest ex sententia tua asseris ista quæ dicis alios loqui, est tua summa culpa, sin autem, idest sed si, alii loquuntur hæc tecum, tamen tua culpa est nonnulla, idest ex aliqua parte, quod audis, scilicet tales. Mea ratio, idest forma faciendi & dicendi reperietur constans & grauis in tota amicitia nostra. Quod siquis fingit me astutiorem idest callidiorem, quod potest esse incallidius, idest magis non callidum. hoc est stultius & simplicius, quam cum ego defenderim sempe te absentem, præsertim cum ego non arbitrabar usu uenturum, idest euenturum mihi. ut ego essem defendendus a te absens, ego committerem nunc ut tu posis optimo iure. i. æquissimis rationibus deserere me absentem, idest existentem in prouincia. Ego excipio unum genus sermonis, idest nihil dico de eo in quo aliquid dicitur per sæpe, quod putem te nolle dici, idest ut dicatur. si aut quispiam legatorum tuorum: idest qui tui in prouincia legati fuerant, aut tribunorum militum, male dicit scilicet de te. Quod ipsum, idest male dicere de te me hercule, non accidit adhuc me audiente, ut supple quicquam diceretur, aut grauius, idest molestius. aut impurius, idest obscœnius scilicet de te, quam Clodius, idest Lentulus est locutus mecum Corcyræ, cum quereretur, idest conquereretur, maxime in eo genere scilicet sermonis te fuisse minus felicem scilicet in gubernanda prouincia, improbitate, idest propter improbitatem aliorum, hoc autem dicendo significauit non bene rexisse prouinciam. non infelix est, qui bene regit. Ego nunquam lacessiui, idest prouocaui hos, idest huiusmodi sermones de te, quod ipsi sunt & simul multi, & ita non erant lacessendi, idest carpendi aut prouocandi, cum gratis fierent, & quod non offendunt existimationem: idest autoritatem tuam. nescio an rectius legatur æstimationem tui, ut ego sentio, sed ego non repressi ualde: idest permisi eos fieri Siquis est, qui putat neminem posse redire in gratiam bona fide, idest sine deceptione, is non coarguit perfidiam nostram, quia non sumus tales aut non scit nos tales etiam si sumus, sed indicat suam scilicet perfidiam. simulque, idest & simul is, idest talis non existimat. i. iudicat. peius de me quam de te. Sin autem, idest sed si mea instituta. i. mores mei in prouincia, non delectant quem. i. aliquem, ac putat se lædi quadam dissimilitudine institutorum meorum i. morū meorū, aut rerum institutarum a me, Cum uterque nostrum fecerit recte, sed uterque nostrum non sit secutus idem, ego non curo habere hunc, idest huiusmodi amicum. Liberalitas tua patuit latius in prouincia, at hominis nobilissimi, si nostra supple liberalitas erit aut patebit angustior idest strictior & minus lata, & si annus posterior: idest qui tuum annum secutus est. Tacite autem taxat profusionem Appii. quia sicut agricolis raro sunt duæ messes fertiles continuæ. eo quod prioris abundantia fœcunditatem terræ exhaurit. ita cum Ap. anno suo, quem fertilem esset, tantum pecuniæ exhauserit, non est mirandum si posterior sit sterilis, limitabit: idest arctabit & restringet aliquid de tua natura idest tuo ingenio prolixa, idest larga. Vnde Comicus. Accipit nemo prolixius, quod tamen ad tempus referri potest, & benefica. i. inclinata ad benefaciendum, limitabit dicit propter quandam tristitiam idest infelicitatem & infœcunditatem temporum, quia sicut læta dicimus quæ fœcunda sunt, ita tristia quæ sterilia. sane argute uitia Appiana in tempora transfert. homines non debent mirari, cum ego fuerim semper restrictior idest parcior &, idest simul natura, idest per naturam & indolem meam ad largiendum ex alieno, quod App. fecit. Et, idest simul moueat: idest commoueat iisdem temporibus: scilicet tristibus, quibus alii mouentur, me esse acerbum sibi, ut sim dulcis mihi, idest ut non lædam conscientiam meam largiendo de alieno. Vnde quia non largior, quibus App. largitus est, sum illis acerbus, aut mihi quia recte sententiæ conscius sum, dulcis sum. Sunt qui in emendatis codicibus scriptum asserant, non esse acerbum, ubi nos legimus me esse acerbum, dicantque sensum aliter stare non posse, sed ego contra sentio. quod fecisti me certiorem de rebus urbanis. Cum scilicet ita sit quod fuit gratum mihi per se, tum supple magis fuit gratum quod, idest quod significasti omnia mandata mea fore tibi curæ In quibus, scilicet mandatis, ego rogo te illud unum præcipue, ut cures nequid aut oneris aut temporis, idest prorogationis. Accedat idest addatur mihi, ad hoc negocii, scilicet prouincialis, & supple ut roges Hortensium collegam nostrum in auguratu, & familiarem, ut si unquā aut sensit, aut fecit quicquam mea causa, decedat quoque, idest etiam de hac sententia bima idest biennii mihi prorogandi, qua scilicet sententia nihil potest esse mihi inimicus, idest magis contrarium. Quod uis scire de rebus nostris: Nos sumus profecti Amanum uersus, semper postponitur uersus, & est Amanus mons inter Ciliciam & Antiochiam. Tarso, ex ea urbe Ciliciæ, nonis Octobris. Ego scripsi hæc postridie eius diei, idest die sequente nonas Octobreis, cum haberem castra in agro Mushestiæ, quæ in Asia est. Scribam ad te si egero quid idest aliquid neque mittam unquam literas domum ad meos, quin adiungam, supple literas quas uelim reddi tibi. Id quod quæris de Parthis, an scilicet uenerint contra Romanos, ego puto nullos scilicet Parthos fuisse, & Arabes qui fuerunt Parthico ornatu admisso, quia partim uestiti erant more Parthico, dicuntur omnes reuertisse supple in patriam. Negant scilicet homines aut exploratores, ullum hostem esse in Syria. Ego uelim: supple ut tu scribas ad me quam sæpissime idest ualde sæpe, & de tuis rebus, scilicet priuatis, & de meis, & de omni statu reipublic. de quo sum solicitus, eo magis quod cognoui ex literis tuis Pompeium nostrum scilicet communem amicum, iturum in Hispaniam.

Limitauit aliquid posterior annus. } Alii (elimabit) Vetusti hic codices nonnihil mendi continent: quod tamen, ut puto facile tolli potest: sic enim in illis legitur. { Limauit abit & cætera Sunt autem (ni fallor) quatuor ultimæ literæ bis repetitæ: cum fortasse librarius eandem dictionem ut diuersam imperite bis scripsisset: credo enim in aliquo exemplari Limabit } scriptum fuisse: olim autē (nam sæpe B pro V ponebāt,

ut ex uetustis lapidibus colligitur) quempiam fortasse, ne id aliquẽ falleret, putaretq; esse futuri temporis supra extremam partem illius dictionis. {Limabit, auit} scripsisse, quod librarius qui inde descripsit, ut restitutum, & necessarium uerbum accepit, prioremq; dictionem integram scripsit. ita nimia, & curiosa diligentia non parũ peccati admisit. Limitauit autem omninu puto mendosum esse. Limitare enim esse existimo limites & terminos collocare: liminauit autem hic minuit μεταφορικῶς omnes inutiles sumptus quasi contemnendo. {In agro Mosihestiæ} Græci hanc urbem μόψου ἑστίαν appellant, hanc intelligit Cicero libro primo, de Diuinatione, Amphilocus & Mopsus Argiuorum Reges fuerunt, sed iidem augures: iisque urbes in ora maritima Ciliciæ Græcas condiderunt. Appianus in Syriacis ἑστίαν μόψου appellat, ἀλλὰ καὶ τοῦδε τὸ λῆμμα ... [illegible] ... κατὰ τὸ γυμνάσιον. Nos quia scimus sæpe Romanos Græca nomina locorum aliquantulum diuerse a Græca uoce appellasse, & cum sic in antiquis codicibus inueniremus: ne tantulum quidem ab illis deflectere noluimus.

Ex poste. eiusdem.

ET quadam dissimilitudine institutorum meorum ac tuorum lædi se putat.} Si accurate perspicies, bone lector, hunc locũ uidebis. {Te putat} legi debere, te inquam o Appi: de illo. n. agitur. & quidam suspicabantur, nullam aliam ob rem tanta continentia, & æquitate uti in prouincia Ciceronem, nisi ut Appii furta, & improbitatem argueret, demumq; ut existimationem illius uiolaret. quos tamen Cicero ipse diligenter refellit, & in his epistolis, & ad Atticum. Nihil enim aliud significat totus ille locus ad Cælium XXVIII. Genus institutorum, & rationum mearum, &c. & ille ad Atticum. CCCLXXIX. Hanc nonnulli amici Appii ridicule interpretantur, qui me idcirco putent bene audire uelle, ut ille male audiat, & recte facere non meæ laudis, sed illius contumeliæ causa.

PAVL. MANV.

CVm ad urbem esses.} Antea, isses nos esses, castigauimus ex libris manuscriptis, & ex aliis ipsius Ciceronis locis: inquit enim ad eundem Appium scribens. XLIII. ad Vrbem te otiosissimum esse arbitrabar, & ad Atticum lib. VII. CXIII. Trebatius quidem scripsit, se ab illo. IX. Cal. Feb. rogatum esse ut scriberet ad me, ut essem ad urbem, & alibi. dicebatur autem de iis, qui cum potestate prouinciali reuersi, aut in prouinciam profecti nondum essent, autor Pedianus.

SEBAS. CORR.

VVltu, & taciturnitate} Vultu taciturnitatis, in duobus libris ueteribus legimus. {Vrbanum} Fauorem & urbanum Cicero noua credit, inquit Quintilianus lib. VIII. cap. III. {Diligentissime scriptum caput est} in tuo edicto. {Tralatitium est} de tuo edicto in meum: tantum abest, ut a me sit compositum, ut te offenderem. Et si scimus tralatitium aliter exponi posse. {Eram tam desipiens} Desipiens enim fuissem, si edictum meum cõposuissem, ad legationes impediendas accommodatum: quas scirem non priuatæ rei causa, sed publicæ mitti. {Proficisceretur} aliquo legatus. {Persequi non possent} Nisi ueteres libri omnes ita haberent contenderem legendum esse, persequi possent. {Ridendum} quod scribis, me eos exclusisse. {Conuenirent} Proficiscenti igitur mihi non fuerunt necessariæ legationes illæ. {Nisi forte} nisi post discessum decretæ sunt legationes: quod prorsus est falsum, cum multo ante decretæ fuissent, ut ita sit concludendum: Ante meum discessum legationes fuerunt decretæ, me proficiscentem non sunt secutæ: mea igitur causa nullæ huiusmodi legationes sunt decretæ. {Capitum} Hinc ad Atticum ita scribit, Audiuimus nihil aliud, nisi imperata ἐπικεφάλαια soluere non posse. {Lentulum} Epistola. IIII. huius libri. {Libertum tuum} Phaniam. {Præfectum fabrum} Clodium. {Synnadis} Synnade, in duobus ueteribus libris legitur. sicut & lib. V. ad Atticum. {Præfectorum} Quorum unus Scaptius habuit turmas equitum, quibus inclusum in curia Senatum Salamine obsedit, ut fame Senatores quinque necarentur. {Mea instituta} Quæ, inquit ad Atticum scribens, nonnulli amici Appii ita interpretantur, ut me idcirco putent bene audire uelle, ut ille male audiat, & recte facere, non meæ laudis, sed illius contumeliæ causa. {Nostrum collegam} in auguratu. {Bima} duorum annorum, nam Sestius ad me scripsit, Hortensium de proroganda nostra prouincia dixisse nescio quid, qui mihi tamen in Cumano diligentissime se, ut annui essemus, defensurum receperat. {Mopsuhestiæ, urbis a Mopso uate conditæ, etsi Mothestiæ etiam legitur. {In Hispaniam} prouinciam suam, quam Petreius, Afranius, & Varro administrabant.

BERN. RVTII.

VT de tuo edicto totidem uerbis transferrem in meum diligentissime scriptum: caput est, quod pertinet ad minuendos sumptus ciuitatum} Puto melius distingui, Transferrem in meum diligentissime scriptum caput est, & reliqua. Quamuis ne interpres quidem a nobis sit. {In quo te offenderem, tralatitium est} Labitur interpres in re iam, ut spero, nulli non cognita. Est enim, arbitror, ex eruditioribus iam nemo, qui nesciat, Tralatitium edictum dici proprie, quod ex præcessoris in successoris edictum transferretur, non nouum, neq; ab eo tum primum excogitatum, ut hodie quoq; in plerisq; fieri uidemus. Inde tralatitium, quicquid usitatum consuetumq; est. {Neq; enim eram tam desipiens, ut priuatæ rei causa legari putarem, &c.} Hæc si ex persona Appii cõtra Ciceronem dicta accipias, planus est locus: quasi diceret Appius, cum sumptus ciuitatum edicto minuisses, quis non uidet hos quoq; legationum istarum comprehensos, quod scilicet non ignorabat Cicero, publicæ impensæ esse, nam interpres quidem, ut solet, nihil uidet. {Neq; ad præfectũ fabrum Corcyræ} Intelligit. L. Clodium præfectum fabrum Appii: nõ Leptam suum, ut interpres ariolatur. Discas id supra ex pene proximis epistolis duabus. {Me esse acerbum sibi, ut sim dulcis mihi} Nihil muto, ne stultitiam Clerici sequar, qui ex uerbis sensum nescis exprimere, uel expressum potius colligere: est enim: Non debent mirari, me esse acerbum. non, ut ille putat, Mouear non esse acerbum. Erat autem acerbus aliis, cum nihil ex prouincialium bonis, præsertim publicis, ad quorundam libidinem abuti sineret, dulcis sibi, in acquirenda gloria, officioq; sapientissimi atq; optimi proconsulis præstando.

PHILI. MELA.

HAec epistola non est ex illis, quæ sunt compositæ πραγματικῶς est epistola generis iudicialis. Breue exordiũ est, quod habet extenuationem suspicionum Appii, qua significat eũ cum in urbem uenerit, re ipsa intellecturum eas nihil esse. Ad primũ crimen opponit suspicionibus & obscuris signis publicas laudationes. Secundum crimen de legatis est inficiatio: se non impedisse legatos sed minuisse sumptus. Ratio habet syllogismum: Non solum iustitia sed etiam misericordia est, minuere sumptus egentissimarum ciuitatum: Ciuitates istæ sunt egentissimæ, & postulant minui sumptus: Ergo recte feci. Orditur autem Cicero a minore: narrat ciuitates postulasse ut decretum proponeret. Postea addit maiorem, in qua alludit ad locum communem de iustitia. Tertio reprehendit figuratam expostulationem, quæ non deceat inter amicos. Postremum argumento ab utili facit uerisimile, quod non uoluerit offendere Appium: Quia nunc mihi tua beneuolentia opus est, &c. {Etsi quantum} Exordium de causa respondendi. {Refrigerato iã} idest ubi ultro abiicies suspiciones contra me conceptas. {Sed prima duo} Reiectio. {Nam quod ad legatos} Propositiu de legatis: estq; conclusio syllogismi. {Nam mihi totum genus} Ratio: ciuitates postularunt. Estq; sumpta ratio ex causa necessaria, & est minor syllogismi. {Vrbanum} idest non ambientem, fugitantem istas ineptas laudationes. {Sua sponte} idest per se, & propria uirtute. {Neque enim cum edixi} Verba illa sunt sumpta ex epistola Appii. {Ego autem cum hoc suscepissem} Maior syllogismi, in qua alludit ad locum communem. {Si autem hoc genere.} Reprehensiu translationis. {Genus hoc tota} obliquum scilicet cum in tertiam personam transfertur reprehensio. {Disputabant.} Ista dicuntur μεμψιμοιρικῶς. {Quod siquis} confutatio suspicionis, ab inutili. {Siquis est.} Fuerunt enim simultates quædam inter Appium & Ciceronẽ, propter Clodium. Hic igitur recte reprehendit illum, quod non bona fide redierit in gratiam, quia ut quisq; est suspiciosissimus, ita est perfidissimus. {Sin autem quem mea, &c.} Ratio dissimilitudinis, ex utriusq; persona: Tu es nobilis, debes ergo esse munificus. {Liberalitas tua.} Collatio nobilium & mediocrium. {Ad largiendum ex alieno.} Alludit ad locum communem: Debemus esse liberales de nostro, non de alieno. {Sententia bina.} idest, quod debeam prouinciam tenere per biennium. {De Parthis.} Quia iam tum impendebat bellum Parthicum.

ARGVMENTVM.

Multa conquestus fuerat de Cicerone Appius, ut in superioribus epistolis uidimus: sed postquam in urbe redierat, & amorem Ci. in se intellexerat, aud eas scriptas literas ad eum: unde nunc locatur, & amice cum eo agit.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Redit quasi in gratiam cum Appio, posteaquam intellexit, quo animo erga se ille esset.

M. T. C. IMP. APPIO PVLCHRO S. D. 9

VIx tandem legi literas dignas Appio Clodio, plenas humanitatis, officii, diligentiæ, aspectus uidelicet Vrbis tibi tuam pristinam urbanitatẽ reddidit. nam quas ex itinere ante, quam ex Asia egressus es. ad me literas misisti, unas de legatis à me prohibitis proficisci, alteras de Apameorũ ædificatione impedita, legi perinuitus.

a.l.conscientiæ meæ. *a.l.incideri.* *i.Epicureum.* *alias cōmittere, ut scrib.*

tui.itaq; *cōſcientia meæ conſtantis erga te uoluntatis reſcripſi tibi ſubiratus.iis uero literis lectis,quas Philotimo liberto meo dediſti.cognoui,intellexiq; in prouincia multos fuiſſe, qui nos, quo animo inter nos ſumus,eſſe nollent: ad urbem uero ut acceſſeris uel potius ut primum tuos uideris,cognoſſe te ex iis, qua in te abſentem fide,qua in omnibus officiis tuendis erga te obſeruantia, & conſtantia fuiſſem,itaque quanti illud me æſtimare putas, quod eſt in tuis literis ſcriptum? ſiquid* acciderit,quod ad meam dignitatem pertineat,etſi uix fieri poſsit,tamen te parem mihi gratiam relaturum.tu uero facile facies: NIHIL eſt enim, quod ſtudio, & beneuolentia uel amore potius effici non poſsit. Ego etſi & ipſe ita iudicabam: & fiebam crebro à meis per literas certior: tamen maximam lætitiam cepi ex tuis literis de ſpe minime dubia,et planè explorata triumphi tui: neque uero ob eam cauſam,quo ipſe facilius conſequerer(nam id quidem* Ἐπικούρειον eſt) ſed mehercule, quod tua dignitas, atque amplitudo mihi eſt ipſa cara per ſe. quare quoniam plureis tu habes, quam cæteri, quos ſcias in hanc prouinciam proficiſci, quod te adeunt ferè omnes, ſiquid uelis: gratisſimum mihi feceris, ſi ad me, ſimul atque adeptus eris. quod & tu confidis, & ego opto, literas miſeris. longi ſubſellii(ut noſter Pompeius appellat)iudicatio, & mora ſiquem tibi item unum, alterumve diem abſtulerit(quid enim poteſt amplius?)tua tamen dignitatis ſuum locum obtinebit. Sed ſi me diligis, ſi à me diligi uis, ad me literas, ut quamprimum lætitia afficiar, mitto. Et uelim, reliquum quod eſt promisſi, ac muneris tui, mihi perſoluas. cum ipſam cognitionem iuris auguralis conſequi cupio: tum mehercule tuis incredibiliter ſtudiis erga me, muneribusq; delector. quod autem à me tale quiddam deſideras: ſanè mihi conſiderandum eſt, quoniam te remunerer potisſimum genere: nam profectò non eſt meum, qui in ſcribendo (ut ſoles admirari) tantum induſtriæ ponam, * comittere, ut in ſcribendo negligens fuiſſe uidear: præſertim cum id non modo negligentis,ſed etiam ingrati animi crimen futurum ſit.uerum hæc uidebimus. Illud, quod polliceris, uelim pro tua fide, diligentiaq;, & pro noſtra non inſtituta, ſed iam inueterata amicitia cures,enitare, ut ſupplicatio nobis quam honorificentisſime quam primum decernatur. omnino ſerius miſi literas, quam uellem. in quo cum difficultas nauigandi fuit odioſa: tum in ipſum diſceſſum ſenatus incidiſſe credo meas literas. Sed id feci adductus autoritate, & conſilio tuo, idq; à me rectè factum puto, quod non ſtatim, ut imperator appellatus ſim,ſed aliis rebus additis, æſtiuisq; confectis, literas miſerim, hæc igitur tibi erunt curæ, quemadmodum oſtendis: meq; totum, & mea, & meos commendatos habebis. Vale.

ASCENSIVS.

VIa tandem multa queſtus fuerat de Cicerone Appius, ut ſupra uidimus,ſed poſtquam in urbem redierat,& fauorem Cice.in ſe intellexerat:amicas ſcripſit literas.unde nunc familiarius omiſſa ſimultate ad eum ſcribit dicens.Ego uix,ideſt cum difficultate,legi tandem literas dignas Appio Clodio:ideſt quæ ſcriberentur ab Appio Clodio,utpote plenas humanitatis,officii,diligentiæ. Videlicet, ideſt uidere licet,unde id euenerit,quia aſpectus urbis,ſcilicet Romæ reddidit tibi urbanitatem,ideſt comitatem & ciuilitatem priſtinam i.quam habueras prius quam urbe exiueras.Nam ego legi perinuitus: ideſt ualde inuitus literas:ſcilicet binas, quas miſiſti ad me, ea itinere priuſquam egreſſus es ex Aſia,unas de legatis prohibitis a me,proficiſci,ſcilicet Romam,alteras de ædificatione Apameorum impedita:ſcilicet ut quærebaris,a me.Ea hoc loco patet ſupra legendū eſſe Apameaoi legati,non Appiani Itaque ideſt & ita,ego ſubiratus,ideſt aliquantulum iratus tibi,conſcientia mea,ideſt propter cōſcientiam meam uoluntatis conſtantis erga te:ideſt quia mihi conſcius eram nihil in te peccaſſe,uero,ideſt ſed,his literis quas dediſti Philotimo liberto meo lectis, cognoui intellexiq; multos fuiſſe in prouincia qui nollent nos eſſe ideſt uellent nos non eſſe eo animo ideſt ea beneuolentia inter nos,quo & qua ſumus. Vero pro ſed, ubi acceſſeris ad urbem,uel potius ut primum uideris tuos.ſ.amicos & neceſſarios intellexi ſupple te cognoſſe pro cognouiſſe, alii legunt cognoſcere,ex iis ſcilicet tuis,qua fide,ideſt fidelitate fuiſſem, in te abſentem,qua obſeruantia & conſtantia fuiſſem erga te in tuendis,ideſt protegendis & conſeruandis omnibus officiis, quæ ſcilicet amicus amico debet,Itaq; ideſt & ita.quanti putas me æſtimate ideſt appretiare illud quod eſt ſcriptum in literis tuis. Siquid inciderit quod pertineat ad meam dignitatem, ideſt quod noris ad meam dignitatem pertinens te poſſe facere etſi,ideſt quanquam uix poſſet fieri ſcilicet ut referas mihi parem gratiam, tamen ideſt nihilominus,te relaturum ſupple eſſe mihi parem gratiam.q.d.nimirum maximi,Verū ideſt ſed,tu facies facile ſcilicet id quod uix fieri,poſſe dixeras,enim ideſt quia,nihil eſt quod non poſsit effici ſtudio & beneuolentia,uel potius amore.Etſi ipſe ideſt ego per me iudicabā ita,& fiebam crebro ideſt frequenter certior per literas a meis ſcilicet datas ad me,tamen ego cepi maximam lætitiam ex literis tuis de ſpe triumphi tui minime dubia & explorata ideſt tanquam explorata & perfecta.Neque uero ſupple cepi maximam lætitiam de ſpe triumphi tui,ob eam cauſam,quo,ideſt ut ipſe,ideſt ego conſequerer ideſt obtinerem facilius ſcilicet triumphum in conſimili negocio.Nā quidem ideſt certe,id ſcilicet lætari de bonis amici,quatenus ad ſuum commodum faciant, eſt ἐπικούρειον ideſt epicureum & ad Epicureos pertinens,qui omnia ad ſuam uoluptatem & commoda propria metiuntur bona,ſed mehercule,ob eam, ſupple cauſam lætabar,quod dignitas tua atque amplitudo ipſa eſt cara mihi per ſe ideſt etiam ſine reſpectu commodi mei.Dicit prius-raro Ciceronem componere pronomen ipſe & ſe:unde non dixit per ſeipſam ſed ipſa per ſe.Quare quoniam tu habes plures quam cæteri, quos ſcias proficiſci in hanc,ubi ego ſum prouinciam,uidelicet in Ciliciam,quod ideſt quia fere omnes uenientes ſcilicet in Ciliciam adeunt te ſcilicet ſciſcitātes ſiquid uelis,tu feceris mihi gratisſimum, ſi miſeris ad me literas.ſimulatq; ideſt ſtatim poſtquam aut eodem tempore,quo adeptus eris id quod & tu confidis ſcilicet te adeptu rum eſſe,& ego opto,uidelicet triumphum.Iudicatio & mora longi ſubſellii ideſt plurimorum qui in ſubſelliis ſunt,qui & multi ſunt & diu conſultant,cum ſi perperam iudicent, facile reprehendantur,ut Pompeius noſter ſcilicet communis amicus appellat, ſi abſtulerit tibi quem ideſt aliquem diem ſcilicet priuſquam triumphus item ideſt ſimiliter,adhuc unum diem,ue pro uel, alterum,ideſt tertium:quid enim poteſt amplius ſcilicet auferre.q.d. nihil. tamen dignitas tua tenebit ſuum ideſt ſibi debitum locum ideſt ſtatutum triumphum.Sed ſi tu diligis me,& uis diligi a me,mitto ad me literas, ut afficiar lætitia ideſt læter,quamprimum ideſt ualde cito. Etiam uelim perſoluas mihi reliquū quod eſt promisſi ac muneris tui,hoc eſt quod de augurali ſcientia te perfecturū promiſiſti, quod tamen quia priuſquam promitteret,non debebat,addit ac muneris, In ſuperioribus ante conſtat librum de augurali ſcientia appium Ciceroni dicatum miſiſſe.Nam ſupple cum ita ſit,quod cupio conſequi ipſam cognitionem iuris augurii,tum mehercule,ſupple multo magis eſt quod delector incredibiliter ſtudiis tuis erga me & muneribus tuis,quod autem deſideras a me quiddam tale ideſt literarum munus tibi nuncupatum,ſane ideſt ualde conſiderandū eſt mihi quonam genere potisſimum ideſt E plurimis, ego remunerer ideſt referendo munus donem te.Nam profectò,non eſt meum ideſt officii mei,qui ponam(ut ſoles admirari)tantum induſtriæ,ideſt ſtudio & operæ,in ſcribendo,committere ideſt pati,ut uidear fuiſſe negligens in ſcribendo,præſertim cum id futurum ſit crimen, non modo ideſt non ſolum,animi negligentis,ſed etiam ingrati, uerum, ideſt ſed,nos uidebimus hoc,ideſt qui de hoc agemus. Illud quod polliceris &c.Sunt qui putent de augurali adhuc libro proficiendo loqui,& ita legunt.Enitare autem &c.quaſi dum precetur, alii utrūq; ad ſupplicationem referunt ſic.Ego uelim cures & ſupple enitare, illud quod polliceris ſcilicet te curaturum,pro fide & diligētia tua & pro noſtra amicitia,non inſtituta,ideſt incepta ſupple nuper,ſed iam inueterata ideſt longa conſuetudine firmata. Vt ſupplicatio,i. ut dicūt totius populi,ut nunc fit in proceſsione generali gratiarū actio pro re bene geſta,decernatur ſcilicet per ſenatuſconſultū nobis quam honorificentisſime quamprimum ego miſi ſcilicet ad ſenatum de uictoria omnino ſerius,ideſt tardius,quam uellem literas, In quo ſcilicet in mittendis literis,cum ſcilicet ita fuerit quod difficultas nauigandi fuit odioſa,ideſt moleſta nobis,tum ſupple magis odioſum fuit,quod credo literas meas incidiſſe in ipſum diſceſſum ſenatus,ideſt cum uacationes fierent in ſenatu,non enim ſemper ſenatus cogebatur,alii aliter intelligunt.Sed feci id,ideſt ſeruius miſi literas meas,adductus ideſt perſuaſus & ad hoc inductus autoritate,& conſilio tuo,& puto id factum a me rectum,quod non miſerim ſtatim,ut ſum appellatus ſcilicet ab exercitu pro iuſta uictoria imperator.Obtenta enim legitima uictoria ſolebat exercitus ducem ſuum ſalutare imperatorem,& non aliter literas ſcilicet ad ſenatum aliis rebus additis & æſtiuis confectis, ideſt eo quod aliæ res etiam honore dignæ ſint additæ, & æſtiua iam ſint confecta, ut non ſit timor de nouo bello. Igitur hæc erunt tibi curæ, ideſt ad curam, quemadmodum oſtendis, & habebis me totum & mea: ſcilicet negocia aut bona,& meos ſcilicet amicos & neceſſarios cōmendatos,ſcilicet tibi.

SEBAS. CORR.

ET si uix fieri posset} Ita scripserat Appius. [illegible] Epicureū. {Longi subsellii} Senatus, ut quidē sentio. Nam, ut senatores oēs sedere possent in senatu, necesse erat ut lōga essent subsellia, qualia in senatu Veneto conspicimus {Quod est promissi} de libris auguralibus. {Discessum senatus} ex curia diebus comitialibus p quos lege Pupia haberi Senatus non poterat. Epist. IIII. li. I. {Consilio meo} ne statim post primam uictoriam literas mitterem. {Appellatus sum} apud Issum. Epist. X. lib. II. {Aliis rebus additis} uictis præsertim Pindenissis, qui Saturnalibus mane se mihi dederunt. {Aestiuisq; confectis} Hinc, inquit alibi, exercitum in Hyberna agri male pacati deducendum Q. fratri dabam.

BERN. RVTI.

LOngi subsellii, ut noster Pompeius appellat, iudicatio & mora} Quantum intelligo, aut aliter delirat interpres, nec se tamē explicat. Quam fuit (mea sententia) prudentius, aut silere, aut ingenue fateri quod nescias? Ego ad illā prouinciæ Cæsaris difficilem diuturnamq; ac tandem Reipu perniciosam quæstionē puto pertinere Cælius in literis, quas paulo ante hoc tēpus ad Ciceronem dedit, Marcellus (inquit de consule) idem illud de prouinciis urget, neque adhuc frequentem senatum efficere potuit: aliisq; item literis Subsellia dicuntur, ubicunque a pluribus sedetur. Varro de re rustica lib. I. In æde sacra. Ad subsellia, inquit, sequentibus nobis procedit. Et lib III. Ibi Appium Clodium augurem sedentem inuenimus in subsellüs: quum de uilla publica loqueretur. Hic senatorū intelligit, a iudicio metaphora. Nemo est, puto, qui nesciat, quantos ea deliberatio de successore Cæsari mittendo tumultus excitarit, quamq; diu uersata sit in Republica. {In quo cum difficultas nauigandi fuit odiosa. tum in ipsum discessum senatus incidisse credo meas literas} De discessu senatus non miror angi atque errare interpretem, qui in multo planioribus sæpe labatur. Hoc uero ne mihi quidem parum attulit laboris & molestiæ. tandem huc descendi, ut putem, a Cicerone significari comitiales dies, totumq; id tempus quo senatum haberi non licebat id erat ab Idibus circiter Ianuariis, per totum usque Febrarium. Ipse ad Lentulum: Senatus haberi, inquit, ante Cal. Febr. per legem Pupiam, id quod scis, non potest, neque mense Februario toto, nisi perfectis aut reiectis legationibus, itemq; alibi ad Q fratrem. Ne rusticationem illam interpretis accipiam, facit, & quod ineptum id uidetur, & quod non in Augustum mensem. sed in Ianuarium inciderunt hæ Ciceronis literæ. Nam in his epistolis, quas ad Catonem lib. XV. legimus, de rebus suis gestis in Cilicia, apparet, circiter. XV. Calen. Ianua. datas ad senatum de his rebus literas, quas, nunc significat: ut fere non nisi ad comitiales dies peruenire Romam quiuerint, quod & Cælii literæ ad Ciceronem indicant: Non diu, inquit: sed acriter nostuæ supplicationes torserunt, incideramus enim in difficilem nodum: Nam Curio tui cupidissimus, cui omnibus rationibus comitiales eripiebātur, negabat se ullo modo pati posse, decerni supplicationes. Quod uero addit Crescentinas, consilio Appii in ipsum discessum senatus a Cicerone literas suas potissimum collatas, per ridiculum est. Ego non dubito consilium id Appii fuisse, ut non statim appellatus imperator daret ad senatum literas, supplicationesq; pro re bene gesta sibi decerni postularet Cicero, sed egregio insuper aliquopiam edito facinore. De comitialibus alibi.

Ex poste. eiusdem.

IN Quo cum difficultas nauigandi fuit odiosa, tum in ipsum discessum Senatus incidisse credo meas literas} Etsi aliquantū de die differre possit, confirmatur tamen nostra sententia ad Atticum lib. V. ubi enumeratis rebus a se in Cilicia gestis: Nunc, inquit, publice literas Romam mittere parabam, uberiores erunt, quam si ex Amano misissem. Et in eadem: Redeo ad urbana, quæ ego diu ignorans, ex tuis iucundissimis literis ad. V. Cale. Ianua. deniq; cognoui. Et de discessu libro. XII. Siquis requirit a te, cur Romæ non sim, quia discessus est Et paulopost: Ego hinc, ut scripsi antea, postridie Iduum Ianuarii.

PHIL. MELA.

HAec est ualde Rhetorica. Prior pars est breuis Principio habet literarum approbationē, secūdo gratulationem, tertio petitionem: partim demonstratiui, partim suasorii generis est. {Vix tandem legi} Exordium [illegible], quæ exordia sunt gratissima, cum uelut ab epiphonemate ordimur. {Itaq; quāsi illud} Conclusio, quæ habet quandā particulam epistolæ Appii. {Longi subsellii}. i. suffragatio ignobilium senatorum, qui ualent tantum numero suffragiorum. {Sed si me diligis} Flagitatio scripti, & uicissim simile munus pollicetur. {Cum ipsam cognitionem &c.} id est, utrū illa diuinatio aliquam habeat rationem in natura. {Vt supplicatio} Supplicationem decernere est, quando aliquis rem bene gesserat in prouincia, petebat ut haberentur processiones.

ARGVMENTVM.

Cum intellexisset Cicero Appium esse ambitus accusatum, eum hac epistola consulatus est, dicens se ita confidere & in eius innocentia, & in præsidio amicorum eius, ut non dubitet istum laborem, & uexationem accusationis fore et honori. Et quia inuidorum quoq; maligna obtrectatione triumphum obtinere Appius nequibat, quem scripserat se confidere adepturum esse. hortatur eum Cicero ut æquo animo id ferat: se autem pollicetur omni studio defensurum eius nomen, & dignitatem in prouincia. Neque propterea se dicit posse rogari citra iniuriam. Rogat deinde Appium, ut det operam nequid temporis sibi prorogetur in prouincia, ut possit Romæ suum fauorē, & studium ei præstare. Et quoniam scripserat Appius, se cognouisse incredibilem beneuolentiam omnium ordinum erga se: respondet Cicero se minime de hoc mirari: cum talis sit, qui mereatur fauorem omnium bonorum. Multis postremo uerbis se excusat Cicero, asserens non se impediuisse legationem quæ Romam mitteretur ad laudandum Appium in senatu, afferens rationes cur id neque facere noluerit, neque debuerit. Negotium pro labore solicito sui purgandi accipit.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Et hac epistola plenum testimonium de sua erga Appium uoluntate facit, cum significat sibi illius dignitatem non aliter curæ fore ac scriptum. Hortatur idem Appium, ut improborum conatus fortiter ferat. Postremo excusat se de falsa illa suspicione legationis prohibitæ.

M. T. CICERO IMP. APPIO PVLCHRO. S. P. D. 10

CVM est ad nos allatum de temeritate eorum qui tibi negotium facessserent, etsi grauiter primo nuntio commotus sum, quòd nihil tam præter opinionem meam accidere potuit: tamen ut me collegi, cætera mihi facillima uidebantur, quod & in te ipso maximam spem & in tuis magnam habebam: multaq; mihi ueniebant in mentem, quamobrem istum laborem tibi etiam honori putarem fore. Illud planè molestè tuli, quòd certissimum, & iustissimum triumphum hoc inuidorum consilio esse tibi ereptum uidebam. quod tu si tanti facies, quanti ego semper iudicaui faciundum esse: facies sapienter, & ages uictor ex inimicorum dolore triumphum iustissimum: ego enim planè uideo fore * neruis, opibus, sapientiaq; tua; uehementer ut inimicos tuos pœniteat: intemperantiæ suæ. De me tibi sic contestans omneis deos, promitto, atque, confirmo: me pro tua dignitate (malo enim dicere, quam pro salute) in hac prouincia, cui tu præfuisti, rogando, deprecatoris; laborando, propinqui; autoritate, cari hominis (ut spero) apud ciuitates, grauitate, imperatoris suscepturum officia: atque parteis. omnia uolo à me & postules & expectes. uincam meis officiis cogitationes tuas. Q. Seruilius perbreueis à te mihi literas reddidit, quæ mihi tamen nimis longæ uisæ sunt: iniuriam enim mihi fieri putabam, cum rogabar. nollem accidisset tempus, in quo perspicere posses, quanti ego te, quanti Pompeium, quem unum ex omnibus facio, ut debeo, plurimi, quanti Brutum facerem: quanquam in consuetudine quotidiana perspexisses, sicuti perspicies. sed quoniam accidit: siquid à me prætermissum fuerit, commissum facinus, & admissum dedecus confitebor. Pontinius, qui à te tractatus est præstanti, ac singulari fide, cuius tui beneficii sum ego testis, præstat tibi memoriam, beneuolentiamq;, quam debet. qui, cum maximis rebus suis coactus à me inuitissimo decessisset; tamen, ut uidit tua interesse, conscendens iam nauem Ephesо Laodiceam reuertit. talia cū te studia uideam habiturum esse innumerabilia: planè dubitare nō possum, quin tibi amplitudini ista solicitudo futura sit. si uero effeceris, ut * Censor creeris; & si ita gesseris Censuram, ut & debes, & potes: non tibi solum, sed tuis omnibus uideo in perpetuum summo te præsidio futurum. Illud pugna, & enitere, nequid nobis temporis prorogetur: ut, cum hic tibi satisfecerimus, istic quoque nostram in te beneuolentiam nauare possimus. Quæ de hominum, atque ordinum omnium erga te studiis scribis ad me, minime mihi miranda, & maxime iucunda acciderunt: eademq; ad me perscripta sunt à familiaribus meis. itaque capio magnam uoluptatem, cum tibi, cuius mihi amicitia non solum ampla, sed etiam iucunda est, ea * tribui, quæ debeantur; tum uero etiamnum remanere in ciuitate nostra studia propè omnium consensu erga forteis & industrios uiros: quæ mihi ipsi una semper, tributa merces est laborum,

*a.l. neruis opum,

*a.l. Censores creētur.

*a.l. tribui uideo, quæ.

& uigilarum

& uigiliarum mearũ. illud uero mihi permirum accidit, tantam te meritatem fuiße in eo adolescente, cuius ego salutem duobus capitis iudicii summa contentione defendi, ut tuis inimicitiis suscipiendis obliuisceretur patroni omnium fortunarum, ac rationum suarum: præsertim cum tu omnibus uel ornamentis uel præsidiis redundares, illi (ut leuissime dicam) multa deessent: cuius sermo stultus, & puerilis, erat iam antea ad me à M. Cælio familiari nostro perscriptus: de quo item sermone multa scripta sunt abs te. ego autem citius * cum eo, qui tuas inimicitias suscepisset, ueterem coniunctionem diremissem quam nouam conciliassem: neque enim de meo erga te studio dubitare debes: neque id est obscurum cuiquam in prouincia, nec Romæ fuit. sed tamen significatur in tuis literis suspicio quædam, & dubitatio tua: de qua alienum tempus est mihi tecum expostulandi, purgandi autem mei necessarium: ubi enim ego cuiquam legationi fui impedimento, quo minus Romam ad laudem tuam mitteretur? aut in quo potui, si te palàm odissem, minus quod tibi obesset, facere? si clam, magis aperte inimicus eße? quod si essem ea perfidia, qua sunt ij, qui in nos hæc conferunt: tamen ea stultitia certe non fuissem, ut aut in obscuro odio apertas inimicitias, aut in quo tibi nihil nocerem, summam ostenderem uoluntatẽ nocendi. ad me adire quosdam memini, qui dicerent, nimis magnos sumptus legatis decerni: quibus ego non tam imperaui, quam censui, sumptus legatis quam maxime ad legem Corneliam decernendos. atque in eo ipso me non perseuerasse testes sunt rationes ciuitatum: in quibus quantum quæque uoluit legatis tuis datum, induxit. te autem quibus mendaciis homines leuissimi onerarunt? non modo sublatos sumptus, sed etiam à procuratoribus eorum, qui iam profecti essent, repetitos, & ablatos; eamq́; causam multis omnino non eundi fuisse. quererer tecum, atque expostularem, nisi (ut supra scripsi) purgare me tibi hoc * tuo tempore, quam accusare te mallem, idq́; putarem esse rectius. itaque nihil de te, quod credideris de me: quamobrem non debueris credere, pauca dicam. nam si me uirum bonum si dignum iis studiis, eaq́; doctrina, cui me à pueritia dedi, si satis magni animi, non minimi consilii in maximis rebus perspectum habet: nihil in me non modo perfidiosum, & insidiosum, & fallax in amicitia, sed ne humile quidem, aut ieiunum debes agnoscere. sin autem me astutum, & occultum. lubet fingere: quid est quod minus cadere in eiusmodi naturam poßit, quam aut florentissimi hominis aspernari beneuolentiam; aut eius existimationem oppugnare in prouincia, cuius laudem domi defenderis; aut in ea re animum ostendere inimicum, in qua nihil obsis; aut id eligere ad perfidiam, quod ad iudicandum odium apertissimum sit, ad nocendum leuissimum? quid erat autem, cur ego in te tam implacabilis essem; cũ te ex fratre meo ne tunc quidem, cum tibi propè necesse esset eas agere parteis, inimicum mihi fuisse cognouissem? cum uero reditum nostrum in gratiam uterq; expetisset: quid in consulatu tuo frustra mecum egisti, quod me aut facere, aut sentire uoluißes? quid mihi mandasti, cum te Puteolis prosequerer, in quo non expectationem tuam diligentia mea uicerim? quod si id est maxime astuti, omnia ad suam utilitatem referre: quid mihi tandem erat utilius, quid commodis meis aptius, quam hominis nobilissimi, atque honoratissimi coniunctio, cuius opes, ingenium, liberi, affines, propinqui mihi magno uel ornamento, uel præsidio esse possent? quæ tamen ego omnia in expetenda amicitia tua, non astutia quadam, sed aliqua potius sapientia secutus sum. quid illa uincula, quibus quidem libentissime astringor, quanta sunt? studiorum similitudo, suauitas consuetudinis, delectatio uitæ, atque uictus, sermonis societas, literæ interiores. atque hæc domestica. quid illa tandem popularia? reditus illustris in gratiam, in quo ne per imprudentiam quidem errari potest sine suspicione perfidiæ: amplissimi sacerdotii collegium, in quo non modo amicitiam uiolari apud maiores nostros fas non erat, sed ne cooptari quidem sacerdotem licebat, qui cuiquam ex collegio esset inimicus. quæ ut omittam tam multa, atque tanta: quis unquam tanti quenquam fecit, aut facere potuit aut debuit, quanti ego Cn. Pompeium socerum filiæ tuæ? etenim si merita ualent: patriam, liberos, salutem, dignitatem, memet ipsum mihi per illum restitutum puto. si consuetudinis iucunditas: quæ fuit unquam amicitia consularium in nostra ciuitate coniunctior? si ulla amoris atque officii signa: quid mihi ille non commisit? quid non mecum communicauit? quid de se in senatu, cum ipse abesset: per quenquam agi maluit? quibus ille me rebus non ornatissimum uoluit amplissime? qua denique ille facilitate, qua humanitate tulit contentionem meam pro Milone, aduersantem interdum actionibus suis? quo studio prouidit, ne qua me illius temporis inuidia attingeret, cum me consilio, cum autoritate, cum armis denique texit suis? quibus quidem temporibus hæc in eo grauitas, hæc animi altitudo fuit, non modo ut Phrygi alicui, aut Lycaoni, quod tu in legatis fecisti, sed ne summorum quidem hominum maleuolis de me sermonibus crederet. huius igitur filius cum sit gener tuus, eumq́; præter hanc coniunctionem affinitatis, quam sis Cn. Pompeio carus, quamq́; iucundus, intelligam: quo tandem animo in te esse debeo? cum præsertum eas ad me is literas miserit, quibus, etiam si tibi, cui sum amicissimus, hostis essem, placarer tamen, totumq́; me ad eius uiri ita de me meriti uoluntatem, nutumq́; conuerterem. sed hæc hactenus: pluribus, enim etiam fortasse uerbis, quam necesse fuit, scripta sunt. Nunc ea, quæ à me * perfecta. quæq́; instituta sunt, cognosse. atque hæc agimus, & agemus magis pro dignitate, quam pro periculo tuo: te enim (ut spero) propediem Censorem audiemus: cuius magistratus officia, quæ sunt maximi animi, summiq́; consilii tibi diligentius, & accuratius, quàm hæc, quæ nos de te agimus, cogitanda esse censeo. Vale.

*a.l.ab eo.

*a.l.toto.

*a.l.profecta, quæq́; constituta.

ASCENSIVS.

CVm est ad nos Cum intellexisset Cic. Appium ambitus accusari, consolatur eum dicens, se confidere eam curã & iniuriam aliquando ad honorem eius facturum. Et quia triumphum sibi inuidorum obtrectatione ereptum questus erat, hortatur magno id animo ferat, pollicetur se eius nomen in prouincia protecturum. Rogat deinde Appium, ut det operam nequid sibi tempus ad prouinciam prorogetur. Dicitq; se non mirari fauorem omnium ordinum in Appium, cum eo dignissimus sit. Postremo accuratissime attestatur se non impediuisse legationem prouincialium ad laudandum Appium in senatu mittendam, ut eum ordine patebit. Ordo est. Cum, idest quando allatum est ad nos. Sunt qui legant cum nobis allatum est, cuius eadem est sententia. sed forma dicendi minus Ciceroniana, de temeritate eorum qui facesserint idest fecerint tibi negocium idest curam & molestiam purgandi te de crimine ambitus: quo accusabantur, qui largitionibus, precibus, minis, promissis, alijsq; corruptionibus, magistratum petebant, cuius conuicti de saxo Tarpeio, ut Mallius Capitolinus olim, præcipitabantur. Etsi: idest quanquam commotus sum grauiter primo nuncio, quod: idest quia, nihil potuit accidere, tam. idest tantum, contra opinionem meam. quam supple illud tamen, ut idest postquam collegi me: idest uires animi mei ex ea commotione. Cætera: idest quæ restarent, scilicet ut absoluaris, uidebantur mihi facillima, quod habebam maximam spem in teipso: idest innocentia ac dignitate, tua & magnam spem in tuis: scilicet amicis & necessariis, & multa ueniebant mihi in mentem: idest occurrebãt cogitationi meæ, quamobrem: idest ob quæ putarem istum laborem .s. purgandi, fore: idest futurum esse tibi, etiam idest insuper, honori: idest ad honorem. Ego tuli, idest passus sum, illud plane: idest omnino moleste quod uidebam triumphum certissimum & iustissimum esse ereptum tibi, hoc consilio inuidorum. Quod, idest quam ereptionem triumphi factam esse tibi, si tu facies: idest æstimabis tanti, quanti ego iudicaui semper faciendum esse, hoc est minimi: Quia Cicero nunquam in talibus felicitatem constituit, nec triumphum inter expetenda locauit, tu facies sapienter, & tu uictor: idest uoti compos spernendo, sicuti Christiani boni uincunt mundum, ages triumphum iustissimum ex dolore inimicorum: scilicet tuorum, quibus dolebit quod tibi non doleat, & quod tam constanter contumeliam erepti triumphi feras. Ego enim uideo fore opus plane, idest omnino, neruis: idest uiribus, constantia, & sapientia tua uehementer, ut pœniteat inimicos tuos, intemperantiæ. idest immodestiæ, aut potius petulantiæ & insolentiæ. Ego obtestans: idest in testimonium uocans omnes deos promitto atque confirmo

tibi de me susceptum pro dignitate tua, malo enim dicere sic, quã pro salute: scilicet tua, idest quam dicere me susceptum pro salute tua, non enim putat salutem in periculo esse, aut si putat, euitandi mali hominis gratia dicere nõ uult, in hac prouincia cui tu præfuisti, officia atque parteis: idest munera & debita obsequia deprecatoris: idest precantis, ne culpæ detur, rogando, scilicet pro te. officia propinqui, scilicet consanguinitatæ, laborando: scilicet pro te, officia hominis chari, ut spero, scilicet me esse apud ciuitates, autoritate, idest per autoritatem meam intercedendo, & officia, ac parteis imperatoris, grauitate, idest per grauitatem, qua utar in te laudando. Ego nolo supple, ut postules, & expectes omnia, scilicet officia a me ego uincam, idest superabo, cogitationes tuas officiis meis, idest plus faciam pro te quam cogitare poteris. Quintus Seruilius reddidit mihi a te: scilicet datas perbreueis literas, quæ tamen uisæ sunt mihi nimis longæ, ego enim putabam iniuriam fieri, cum rogabar: scilicet a te. Ego nollem: supple, ut tempus accidisset, in quo posses perspicere: idest clare uidere, quanti ego facerem te, quanti ego facerem Pompeium, scilicet socerum filiæ tuæ, quem unũ præ omnibus, ego facio, ut debeo plurimi, quanti facerem Brutum, quanquam perspexisses in quotidiana consuetudine: idest conuersatione, scilicet cum in urbe fuissem & perspicies: scilicet quoniã adero. sed quoniam: supple tale tempus accidit, siquid: scilicet officii, fuerit prætermissum a me, ego confitebor facinus, idest factum turpe commissum, & dedecus admissum, scilicet a me, idest me incurrisse in ipsum. Pontinus. Argumento a beneuolentia Pontini sumpto, argumentatur multorum studiis rem Appii adiutum iri Fuerat is Pontinus cum Appio in Cilicia, & cum discedere pararet, quia intellexit Appii interesse, uti illic diutius eius nomen defensurus maneret, ab itinere reuersus est. Ordo est. Pontinus (opinor publicanum esse) qui tractatus est a te in Cilicia: scilicet præstanti, & singulari fide, cuius beneficii tui, idest in eum ego sum testis præstat, idest exhibet tibi memoriam, idest gratitudinem, sicut memores gratos dicimus, & beneuolentiam quam debet, qui cum coactus maximis rebus suis decessisset a me inuitissimo, quia uoluissem eum retinere: tamen, ut idest postquam. uidit: idest cognouit. interesse tua: idest in re, & utilitate tua, esse reditum suum in prouinciam. conscendens iam nauem: scilicet ut in Italiam transfretaret. reuertit: idest rediit Epheso Laodiceam Cum ego uideam te habiturum esse innumerabilia talia studia. idest fauores in te Ego nõ possum plane: idest omnino dubitare quin ista solicitudo sit futura tibi amplitudini, idest ad amplitudinem, & maiorem dignitatem. Si uero efficis, ut censores creentur, & si tu gesseris censuram: ergo uidetur consequens esse, si censores creentur, Appium censorem fore, quod ex eo forte argumentatur Cicero, quod nouis Appium id maximopere contendere, aut quia qui anno prætorio prouinciam laudabiliter rexerit, censuram fere adeptus sit ita ut debes ne a maioribus tuis præcipue ab Appio Cæco. degeneres, & potes, quia uir prudens, ego uideo id futurum summo præsidio, non solum tibi: sed: supple etiam omnibus tuis. Sunt qui legant summo te præsidio, ut sit. Videoque futurum summo præsidio, & cætera sed decentius dicitur quæsturam laudabiliter gessisse, futurum Appio præsidio, quam ipsum Appium sibi. Pugna: idest quasi pugnando contende, & enitere illud: uidelicet ne quid temporis prorogetur nobis: scilicet in prouincia, ut cum satis fecerimus tibi hic, ubi nunc sumus, possimus nauare: idest grauiter exercere, nostram beneuolentiam in te quoque: idest etiam istic, scilicet Romæ, ubi tu es Ex loco potuit Valla facile agnoscere, quid de hic, & istic præcipit. Et quæ tu scribis ad me de studiis omnium hominum, atque ordinum erga te, acciderunt mihi minime miranda, quia miramur quorum causam ignoramus, aut quæ tam magna sunt, ut uix agnoscamus, aut tam bona, ut inuenimur, & acciderunt maxime iucunda, & eadẽ sunt perscripta ad me a familiaribus meis. Itaque capio magnã uoluptatem, cum scilicet ita sit, quod capiam uoluptatem ea tribui, quæ debeantur tibi cuius amicitia est mihi nõ solum ampla, idest honorifica, sed etiam iucunda. tum uero .i. tunc magis uerum est, quod uoluptatem capiam, studia, scilicet hominũ, remanere etiam nunc, quasi dicat, in perditissimis temporibus, in ciuitate nostra, erga fortes & industrios, idest solertes uiros, prope .i. quasi, consensu omnium, quæ merces, scilicet quod studia hominũ fere sint erga fortes & industrios: est tributa semper mihi ipsi, una idest sola, laborum & uigiliarum mearum. Vero, idest sed, illud accidis mihi permirum, idest ualde mirum, tantam temeritatem fuisse in eo adolescente, cuius salutem idest, uitam ego defendi summa contentione in duobus iudiciis capitis, idest in quibus agebatur de periculo capitis eius, uidelicet Vatinii, ut ipse obliuisceretur tuis inimicitiis suscipiendis idest dum tuas inimicitias susciperet, patroni, idest protectoris omnium fortunarum & rationum, uidelicet mei, quasi dicat Cicero, si ad me respexisset, cum sciret me sibi summum esse amicum: non suscepisset secum inimicitias, præsertim cum tu redundares omnibus uel ornamentis, uel præsidiis, & supple multa deessent illi, ut dicam leuissime, idest minime grauiter in eum, quia si uerõ uelles aperte dicere, diceret illi omnia deesse. Cuius scilicet adolescentis, utpote Vatinii sermo stultus & puerilis erat iam antea perscriptus ad me a Marco Cælio familiari nostro, de quo item sermone multa scripta sunt abs te, idest a te, sed abs uenuste præponiturq; & t. Ego autẽ supple si Romæ fuissem citius diremissem, idest soluissem & dirupissem, ueterem coniunctionem cum eo, qui suscepisset tuas inimicitias, citius inquam, quam conciliassem nouam. s. cum eo, si non fuisset coniunctus. Neque enim debes dubitare de studio meo erga te. neque id: scilicet studium meum in te est obscurum cuiquam in prouincia, nec fuit: scilicet cum illic essem, obscurum cuiquam Romæ. Sed tamen suspicio quædam significatur tuis literis, & dubitatio tua, de qua tempus est alienum: idest importunum, expostulandi tecum: idest arguendi te iniuriarum, quod inique suspiceris, ac dubites: tempus autem purgandi mei: idest ut me purgẽ est necessarium. Nam quæ obiecit, uera non erant. Vnde dicit. Enim idest quia, ubi fui ego impedimento cuiquam legationi, quo minus, idest ut non mitteretur Romam ad tuam laudem? Aut si ego odissem te palam, in quo potui minus facere, quod obesset, idest noceret tibi, essem iam magis aperte inimicus? quod si essem ea perfidia, qua sunt ii, qui conferunt hæc in nos, tamen ego certe non fuissem ea stultitia, ut aut ostenderem in odio obscuro, si obscure te odissem, inimicitias apertas, aut ostenderem summam uoluntatem nocendi, supple in eo, in quo nihil nocerem tibi, ut in impedienda legatione. Ad me &c. Memini, hoc uerbum, ut dixi, præsente gaudet, idest memoriam teneo quosdam adire, idest quod quidam adirẽt me, qui dicerent nimis magnos sumptus decerni, idest decreto prætorio iis tribui legatis: scilicet Romam mittendis quibus ego non tam imperaui: idest iussi autoritate imperatoria. quam idest quantum. censui: idest probaui, & iudicaui tanquam consilii dator, sumptus decernẽdos q̃ maxime. s. fieri posset, aut proxime ad legẽ Corneliã .i. secũdũ legẽ Corneliã q̃ diffiniebat sumptus legatis decernẽdos. Atq; me non perseuerasse: idest permansisse, in eo ipso, scilicet iudicio, aut consilio meo, testes sunt rationes, idest supputationes ciuitatum, in quibus: scilicet rationibus, quæq; ciuitas induxit, idest inscripsit supple tantum quantum uoluit gratum supple esse legatis, non quantũ lex Cornelia uelit. Autem pro sed: quibus: idest qualibus mendaciis homines leuissimi: idest uanissimi onerarunt te, uidelicet sumptus legatorum, non modo, idest non solum sublatos: idest subductos & imminutos, sed etiam repetitos, & ablatos a procuratoribus eorũ, qui iam profecti essent, idest discessissent, & eam causam fuisse multis omnino non eundi? Quærerer tecum, idest de te, atque expostularem tecum idest agerem de iniuriis, nisi ut supra scripsi, nollem purgare me tibi hoc tempore tuo, scilicet aduerso, & periculoso, cum potius iuuandus ab amico, quam accusandus sis, quam accusare te, & nisi putarem id, scilicet ut me purgem, esse rectius, quam ut te accusem. Itaque nihil supple dicam de te, quod credideris, scilicet non credenda de me, & supple dicam pauca, quamobrem non debueris credere, scilicet talia de me. Nam si tu habes perspectum. idest euidenter cognitum & exploratum in maximis rebus, me: supple uirũ bonum, & dignum iis studiis & ea doctrina, cui dedidi: idest addixi me a pueritia, sit: supple perspectum habes me esse uirum satis magni animi & non minimi consilii in maximis rebus, quod superiori quadrat, uidelicet particulæ perspectum, tu nihil debes agnoscere in me, non modo, idest non solum. perfidiosum, idest plenum perfidiæ, & insidiosum, & fallax in amicitia, sed ne quidem, idest non, saltem humile, idest uile, & abiectum. Nunquam enim humile laudatur a ueteribus, aut ieiunum, idest timide & dissimulanter dictũ, aut factum, ut uiri minus integri solent. Sin autem, idest sed, si libet, scilicet tibi fingere, non enim id uere dicere posset, me supple uirũ etiam astutum, idest uersipellem, & perniciose callidum, & occultũ, idest tectum & fraudulentum quid est quod minus posset cadere in naturam huiusmodi, scilicet tam astutã & duplicem, quã, aut aspernari beneuolentiam hominis florentissimi, qualis erat Appius, aut oppugnare in prouincia existimationem, idest autoritatem, aut æstimationem, idest famam eius, cuius laudem defenderis domi aut ostendere animum inimicum in ea re, in qua nihil, idest in nullo, obsis, idest? Id Cicero callide non semel asserit, ut saltem id credidisse putetur, nam Appius credidit plurimum obfuisse, si enim legati ipsum laudatori Romam uenissent forte ambitus accusatus non fuisset. Aut eligere id ad perfidiam, scilicet exercendam: quod sit apertissimum, aut potius apertissimum ad indicandum, idest prodeodum odium latens: scilicet prius in animo, &: supple leuissimum, idest minimi momenti & ualoris ad nocendum? Autem: idest sed quid erat, cur idest quamobrem ego essem tam implacabilis in te? cum cognouissem ex fratre meo: scilicet Quin. Cicerone, te ne quidem, idest non saltem tunc fuisse inimicum mihi, cum esset tibi prope: idest quasi necesse agere eas partes: scilicet inimici, hoc est cum agerem reum Publium Clodium propinquum tuum, nam hic Appius dictus est Clodius, cognomento pulcher. Cum uero uterque nostrum expetisset reditum in gratiam: idest reconciliationem: quid egisti mecum, modestius dicat, quam quid petisti a me in consulatu tuo: idest cum consul esses frustra, idest sine obtentione eius, quod uoluisses me facere, aut sentire? quasi dicat, nihil. Quod mandasti mihi cum prosequerer: idest honorifice sequerer te, Puteolis, idest cum essemus Puteolis urbe Italiæ, in quo ego non uicerim .i. superauerim diligentia mea expectationem tuam? quasi dicat, nihil.

nihil. quod fit, idest supple hominis astuti, maxime referre omnia ad utilitatem suam quid tandem erat mihi utilius, quid aptius commodis meis, quam coniunctio hominis nobilissimi, atque honoratissimi, cuius opes, ingenium, liberi, affines, propinqui, possent esse mihi magno, uel ornamento, uel præsidio? quasi dicat, nihil. Quæ tamen omnia ego secutus sum in expetenda amicitia tua, non astutia quadam, idest malitiola calliditate, sed potius sapientia. Quid illa uincula, scilicet necessitudinis, quibus ego astringor libentissime, quanta sunt? quasi dicat, maxima nimirum, uidelicet, similitudo studiorum, suauitas consuetudinis, delectatio uitæ, atque uictus, idest conuictus, societas sermonis literæ interiores, idest secretiores, ut de re augurali, aut alia quæuis arcana, atque est domestica, scilicet negocia? Quid tandem supple sunt dicenda, aut censenda, illa popularia, idest populo nota, & plausibilia, uidelicet reditus in gratiam, idest reconciliatio nostra, illustris, idest clara & perspicua omnibus. in quo, scilicet reditu, ne quidem, idest non etiam aut saltem, potest errari, scilicet ab aliquo, idest error aliquis committi per imprudentiam idest licet esset per imprudentiam, & non per malitiam, sine suspicione perfidiæ, quia siquid peccetur post reconciliationem, licet per ignorantiam factum fuerit, putabitur per perfidiam factum. Itē collegium, idest compar munus & societas sacerdotii amplissimi. s. auguralis, in quo scilicet collegio, non modo. idest non solum, fas non erat apud maiores nostros amicitiam uiolari, idest ut uioletur, sed ne quidem, idest non saltem, aut non etiam licebat, optari idest eligi sacerdotem, qui esset inimicus cuiquam e collegio. Notum est eleganter inter ne, & quidem id poni, cui quid conuenire maxime uidetur, & tamen non conuenit, ut ne Deus quidem facta infecta facere potest, ne optare quidem licebat & cætera hac autem Cicero frequenter, & eleganter utitur. Quæ scilicet popularia, aut necessitudinum uincula, ut omittam tam multa, Atque tanta, idest tam magna: scilicet alia. Quis unquam fecit, aut facere potuit, aut debuit unquam tanti quenquam, quanti supple feci Cn. Pompeium socerum, idest patrem mariti filiæ tuæ. Etenim si merita ualent: idest ad aliquem magni faciendum, ut certe ualere debent: Ego puto patriam, qua donatus erat, liberos, salutem, dignitatem memetipsum restitutum mihi per illum. Si iucunditas consuetudinis supple ualet ad hoc, quæ amicitia consularium supple uirorum, idest eorum, qui aliquando consulatum gesserunt fuit unquam in nostra, idest Romana ciuitate coniunctior, quam scilicet nostra, idest mea, & Pōpeii, quasi dicat, nulla. Si ulla signa amoris atque officii, repete ualent ad hoc, Quid ille, scilicet Pompeius, non commisit, idest credidit, ac mandauit mihi? quasi dicat, nihil, & ita omnia commisit: quid non communicauit mecum? quasi dicat, etiam nihil, & ita omnia communicauit mecum. Quid maluit agi per quenquam alium, scilicet quam per me, de se in senatu cum ipse abesset? quasi dicat, nihil per quencunque. In quibus rebus, ille scilicet Pompeius nō uoluit me ornatum amplissime? quasi dicat, in nullis non uoluit, & ita omnibus uoluit. Lege potest sine negatione in eadem tamen sententia sic. In quibus rebus ille uoluit me ornatum amplissime. quasi dicat, in omnibus. Et sic quadrat cum sequenti particula, priore modo quem magis sequor cum præcedentibus. Denique idest ut simul multa dicam, ac tandem concludam, qua felicitate? quasi dicat, maxima: qua humanitate, idest mansuetudine, ille tulit, idest passus est contentionem meam pro Milone, aduersantem interdum actionibus suis? quasi dicat, etiam maxima. Pompeius autem, propter affinitatem cum Clodianis interdum pro Clodio egerat. Quo studio, idest, qua diligentia, supple Pompeius prouidit, idest prospexit & cauit, ne qua inuidia, idest molestia illius temporis, attingeret me: cum texit idest protexit me, consilio scilicet suo, cum texit me autoritate scilicet sua, denique cum texit me armis supple suis: non est igitur ordo, texit eum armis suis; sed cum, idest quando. pro quo ēt quum scribitur, texit armis suis & cætera, quasi dicat, maximo animi sui studio Quibus quidem temporibus, scilicet propter factiones multorum periculosas, hæc: idest huiusmodi grauitas, & hæc altitudo animi fuit in eo, non modo ut non crederet de me alicui Phrygi, aut Lycaoni, idest nato in Phrygia, aut Lycaonia quod tu fecisti in legatis, scilicet quos illi credidisti a me prohibitos. sane Phrygia, & Lycaonia regiones sunt Asiæ, & plurimæ urbes, in quibus se Cicero egisse in superioribus commemorauit, sunt Phrygiæ, sed nec quidem, quod tamen magis debuisset, credidit maleuolis sermonibus hominum summorum de me. Priusquam cætera prosequar, aperiendus est mihi locus de usu negationum: nam cum Laurentius Vlla argutissime doceat has particulas non solum non tantum affirmatiuam constituere orationem, nisi altera subdatur negatio, dū enim dico, non modo te diligo sed etiam amo, non nego me diligere te, sed tantum diligere, & ita negatio non cadit in uerbum, sed in particulam restrictiuam: Gulielmus tamen Budæus uir acutissimo ingenio, & multa exercitatione præditus, quamplurimis exemplis probat summos uiros dictis particulis tanquam negatiuis usos, ut uidere est in annotationibus Pandectarum. id autem mirum est aut Vallam non animaduertisse, aut illos commisisse, nisi dicamus Vallam putasse errore imperitorum librariorum negationem sublatam, quæ tamen repetenda non est, ubi principali uerbo negatio præponitur, ut loco, sed ne summorum quidem, tunc enim negatio pro utraque clausula agere censebitur: quapropter cum repetit, & putem sic loqui potuisse si noluisset, non modo, ut non Phrygi alicui aut Lycaoni &c. Phryges autem & Lycaones, ut Cretes, & cæteri fere Græci mendaces sunt, unde Græca fide mercari apud comicos est præsenti pecunia: Græcis enim propter mendacia & perfidiam non creditur. Igitur, idest ut ad rem redeam, filius huius Pōpeii, cui tantum tribuo, cum sit gener tuus, idest maritus filiæ tuæ, cumq; intelligam, quam idest quantum carus, quamq;, idest, & quā tum iucundus sit Cn. Pompeio præter hanc coniunctionem affinitatis, quia filius eius tibi gener est, quo tandem animo debeo esse in te præsertim cum is scilicet Pompeius miserit ad me eas, idest eiusmodi literas, quibus idest cuiusmodi, etiam si essem hostis tibi, cui sum amicissimus, tamen idest nihilominus placarer idest fierē amicus, & tranquillo in eum animo, & conuerterem me totum ad uoluntatem, & nutum idest signum uoluntatis eius idest talis uiri meriti, ita idest taliter de me. sed hæc supple scripta sunt hactenus idest in hanc usque partem, & in hunc locum aut hoc tempus. Sunt enim scripta fortasse pluribus uerbis, quam fuit necesse. Nunc idest deinceps cognosce ea, quæ sint perfecta idest consummata a me. Quæq; idest & ea quæ sint instituta idest incepta. Atque nos agimus, & agemus hæc magis pro dignitate scilicet tua, idest ut nihil detrahatur de dignitate tua, quam pro periculo tuo, idest ut euites periculum salutis tuæ, quod nullum putamus tibi impendere, enim pro quia, nos audiemus propediem, idest statim, quia prope est dies (ut spero) te censorem, cuius censoræ, magistratus, idest magistralis honoris & potestatis, officia, quæ sunt maximi animi, ne scilicet formidet potentes notare. & summi consilii, ne in meritos notet, ego censeo esse cogitandi tibi, idest a te diligentius, idest maiore opera, & accuratius idest maiore cura, quam hæc, quæ nos agimus de te, idest ut accusationem ambitus expugnes, aut quam hæc, quæ nos in prouincia agimus, idest disputamus, de te, de quibus, supra conquestus erat q non amice agerentur a Cic. Censor dicit arbiter morum & rerū, quia officii erat mores taxare, & ab ordine proprio si meruerint amouere, & ornamenta. ut equos & phaleras adimere, præterea quantum aliquis licite possideret æstimare, & pro ea censum imponere.

EGo enim plane uideo fore neruis opus, sapientiaq; tua} Nostra lectio accepta est ex uetustis codicibus, quam nos longe meliorem putamus: id enim uulgata uerba mihi uidentur significare, quod non esse satis accommodatum sensui arbitror, Video tibi opus fore neruis sapientiaq; tua: idest, iudico te omne studium tuum, & laborem ponere debere, ut inimici tui doleant se tibi molestos fuisse. quasi dicat, nisi enim omnibus neruis conatere, nō eos pœniteret, idest, non posses illos ulcisci: quod nullo modo mihi placet. Nos sic hunc locum intelligimus: Ego plane & perspicue uideo fore, ut uehementer doleant inimici tui, se in te tam petulātes fuisse: atque id quidem existimo fretus potentia, copiis & sapientia tua: eos enim in te neruos & opes uideo, ut possis dignitatem tuam tueri, & illos, quod tibi molesti fuerint, facile ad pœnitentiam reducere. Nam quod paulopost est: {Constans Deos omnes} e uetustis pariter exemplaribus eruimus, meliore profecto sentētia. Metaphora a litibus sumpta, quæ contestatæ dicebantur, cum uerba illa pronunciata essent: {Testes estote contestans citansque testes cunctos deos: nec enim deos orare, sed potius in testimonium uocare oportebat.{ Ad me adire quosdam memini. {Nimirum ex Epicteto} qui dicerent Tres hæ dictiones, quas nos reposuimus, in omnibus sunt antiquis exemplaribus, etsi eas nonnulli conati sunt delere linea circunducta tanquam uacent: quod semper nonnulli facere consueuerunt, ut omnia a se non intellecta improbent, & expungant, homines parua eruditione, & nullo iudicio præditi. Verba omnino hæc incorrupta sunt, & sententiam etiam Ciceronis non parum adiuuant. cum enim totam rem diligentius explicet, & locum etiam ipsum, unde ad se uenerant, narret maiorem fidem uerbis suis comparat, & cum tam longe domo uenisse ostendit, arguit rem, de qua questum uenerant, non paruum ipsis detrimentum attulisse, quæ coegerit eos tam longe a suis finibus ad proconsulem adire. Est autē Epictetus Phrygia minor, quasi possessus iusto & antiquo regno adnexa. Strabo libro. XII φρυγίας γὰρ ἡ μὲν καλεῖται μεγάλη, ἧς αἱ μίδας ἐβασίλευε, καὶ ἧς μέρος οἱ γαλάται κατέσχον, ἡ δὲ μικρὰ ἡ ἐφ' ἑλλησπόντῳ, καὶ ἡ περὶ τὸν ὄλυμπον ἡ καὶ ἐπίκτητος καλουμένη, quo nomine alibi etiā idē autor, eandem prouinciam appellat: sed certam rem non oportet pluribus testibus confirmare. { Atque hæc agimus} Ante hæc uerba. {Multa desunt} scripsimus: quis enim nō uideat hunc locum esse mutilatum, & decurtatum: desiderariq; explicationem eorum omnium beneficiorum, quæ Cicero in Appium contulerit, quæq; conferre instituisset? Non erimus in hoc longiores, satis enim rem signasse fuit: siquis nobis felicior locum hunc ex antiquiore & minus lacero exemplari restituere potuerit, is a me & studio si omnibus magnam gratiam inierit.

VICTORIVS.

NImirum Ex Epicteto} Mirantur nonnulli quod dixerim, in omnibus quos uidi manu scriptis, tria hæc uerba esse, cum ipsi in nullis inuenerint: quod tamen sine causa faciunt, illa

Ex post. eiusdem.

enim merito admirationem mouere debent, quorum causa obscura est, & facile explicari non potest: huius rei ratio procliuis, & aperta est, quia tantæ uetustatis, ac probitatis codices nacti non sunt. Q d si illi, qui & eruditi satis, & diligentes sunt, ea repudiarunt, postquã a me declarata & confirmata sunt, mirantur librarios imperitos, & negligentes homines, quamuis in libris, unde describebant, inuenerint, ea reliquisse? Omnes qui nescirent Epictetum regionem esse, monstra uerba illa putarent. Cum autem tantopere displicere debeant non uideo, nec ipsi aliquid afferunt. Nam barbara sunt, & parum digna? aut illarum sententia absurda est? Atqui docebo aliis in locis, cum de simili re ageret, Ciceronem eodem pacto locutum esse: nam de puritate harum uocum ambigi non potest. In Verrem. L X X X I. De qua expugnatione cum legan ad C. Neronem in Asiam, Samo uenissent: eandem enim uim hic habet Samo, quod supra ex Epicteto. Neq; ego tam impudens, aut stultus essem, qui hæc fingerem, quæ facile redargui possunt: semper enim præ me tuli ex duobus maxime hæc exemplaribus accepisse, quorum alterum est in Diui Marci, alterum in nobilissima Mediceæ familiæ bibliotheca. illa autem omnibus diei horis ab unoquoque uideri, ac tractari possunt. Conferebam iam hunc libellum, quum Lodouicus Faber, ac Donatus Ianoctius humanissimi, atque eruditissimi uiri, hunc industria sua ac, diligentia laborem meum adiuuare. uolentes, ut qui his ingenuis literis ualde delectantur, & mihi honoriq; meo amicissimi sunt ad me scripserunt, se quoq; hæc sæpe suis sedibus inuiste ex turbata uerba in duobus manu scriptis exemplaribus reperisse, qui sunt optimi, ac liberalissimi hominis Ioannis Gaddij, quod mihi audire iucundum fuit: illa enim Romæ posita in illustri, ac studiosis hominibus semper aperte, atque hospitali domo, fidem meam defendent, & me ab omni crimine uindicabunt. {Quæ a me profecta, atque instituta sunt} Mediceus codex profecta, habet, & alter etiam non melius, quorũ autoritatem secuti ita & nos legimus Huius autem nominis in hoc loco uis aperta est: quo etiam sensu accepit in epistola ad Catonem, cum inquit: A me autem hæc sunt profecta, quæ ego in beneficii loco non pono, sed in ueri testimonii, ac iudicii. In eiusdẽ aũt illud in se habet alterius uerbi uim quod quidã malunt: nã nisi perfecta, & absoluta essent, nõ recte dici possent profecta, sed adhuc essent instituta, & inchoata. Sed hæc minuta, & pusilla sunt: illud momenti maioris, quod nostram animaduersionem fidem non probant, qua iudicamus, quædam paulopost deesse. Illa autem mirifice nobis placet, & (ut audio) aliis doctis, & ingeniosis uiris: nam quod illi arbitrantur in Cõmentario de iis rebus egisse Ciceronem, quem ad Appium miserit hoc uerum esse nullo pacto credere possum: nam statim, inquit, atque hæc agimus, & agemus, & c. quasi Cõmẽtarius inter hæc & superiora uerba inculcari posset, aut de Cõmentario in his epistolis unquã Cicero locutus sit.

PAVL. MANV.

SI Clam, magis aperte inimicus esse} Cum antea legeretur, sic iã magis aperte inimicus essem: Petrus Danesius Parisiensis, uir doctrinæ singularis, cuius ego iudicium tanti facio, ut tum demum aliquid probem, cum ipsi probaui, animaduertit corruptum esse locum, & sententiam secutus, nihil adiuuantibus uetustis libris ex ingenio felicissime correxit. {Ad me autem adire quosdam memini, nimirũ ex Epicteto, qui dicerent} Licet alii credant quod Iubet, ego tres illas dictiones, nimirum ex Epicteto, Ciceronis esse non existimo, neque hactenus in uetustis codicibus inueni: ut mirari nõ satis possim, Florentinis qui uenerit in mentem affirmare, in omnibus eas esse libris manu scriptis: cum ego in nullis hactenus quidem legerim, quanquam & multos, & uetustissimos habuerim. {Quæ a me perfecta, quæq; instituta sint, cognosce} Florentini, quæ a me profecta. nos ueterem lectionem conseruamus: dicit enim, exponere se uelle non solum, quæ pro Appio iam perfecerit, sed etiam quæ instituerit. exposuit autem, opinor, in commentario, quem literis adscriptum mittebat.

SEBAS. CORR.

DE Temeritate eorum} Dolabellæ. Epistola. V I. lib. V I I I. {Ereptum uidebam} Appius enim introierat in urbem, triumphiq; postulationem abiecerat. {Tanti facies} minimi. {Promitto atq; confirmo} Sic ẽt ad Atticũ: Pro Appio nos hic omnia faciemus, honeste tamen, sed plane libenter, nec enim ipsum odimus, & Brutum amamus, & Pompeius a me mirifice contendit. {Põtinius} legatus meus. {Tractus est} quum tu Coss. illi in petitione triũphi ea Allobrogibus uictis, contra Catonem & Seruilium prætores fauisti. {Sum ego testis} Nam Pontinum ad triumphum uolui adesse. {A me inuitissime decessisset. Epist. V. lib. II. {Laodiceam reuertit} Vt tibi memoriam, beneuolentiamq; præstare posset. {Gesseris Censuram} eam sane quidem postea gessit cum L. Pisone. {Nattare} Nouare, habent libri ueteres. {A familiaribus meis} a M Cælio. præsertim illud Appium hic nos omnes absoluimus. {Ea tribu} Al. eandem tribu. {In eo adolescente} P. Dolabella. {Contentione defendi} Hinc epist. I I. lib. V I. ita scribit. Dolabella mihi debebat, quod nõ defueram eius periculis. {Perscriptus} Epist. V I. lib. V I I I. {Quã nouam} ex Tulliæ nuptiis. Eam ob rẽ Cic. certus homines ad mulieres misit, qui Romam uenerunt factis sponsalibus. {Quosdam memini} Al. quosdam memini, nimirum ex Epicteto Epictetus autem Phrygia minor dicitur a Strabone. {Legem Corneliam} qua L. Sylla in decernendis sumptibus omnes Asiæ ciuitates pro portione in prouincias descripsit. {Induxit} Al. induxit: quod est uerbum ad rationes magis accommodatum. {Eas agere partes} propter Clodium fratrem. {Cognouissem?} in exilio. {Vterq; e aperuisset} autore Pompeio, ut scribit. Quintilianus Cicero ad Q. fratrem sic scribit: Non faciam, ut Appium offendam, ne imploret fidem Iouis Hospitalis: Graios omnes conuocet, per quos mecum in gratiam redijt. {Aduersantem interdum} M. Cælio Trib pleb. intercessore. {Actionibus suis?} legibus, & suspicionibus de Milone. {Inuidia attingeret} quũ nonnulli P. Clodium meo consilio interfectum dicerent, & T. Munacius Plancus. Quintusq; Pompeius se mihi diem dicturos minarentur. {Armis denique texit suis} exercitus in foro, & in omnibus templis collocato. {Hominum} Fortasse, & Q. Pompeii C. Sallustij. & T. Munatii Planci {Literas miserit} quibus a me mirifice contendit, ut hic omnia pro te faciam. {Cognosce} Nisi cognosces legas, multa hic desint necesse est. uel certe, Cognosce ex commentario, uel nuntiis, quos misi.

BERN. RVTL.

CAetera Mihi facillima uidebantur} Præter scilicet id, quod subiicit de erepto triumpho. quod iste Clericus non percipit. Acceperat autem Cicero ex Cælii literis, Appium triumphi spem abiecisse. Simulatq; (inquit) Dolabella accessit ad tribunal, Appius introierat in urbem, triumphiq; postulationem abiecerat. has enim literas eas putamus esse, quas se supra ad Cælium Cicero dicit ex eius literis ad Appium dedisse. {Pro tua dignitate: malo enim dicere, quam pro salute} Quod arbitror de dignitate potius agi, quam de salute. neque enim uereri, ne de salute periclitetis: sed hanc tibi contentionem non nisi ad dignitatem quandam, si uiceris arbitror propositam ut & mox: Dubitare nõ possum, quin tibi amplitudinis ista solicitudo futura sit. Item: Atque hæc agimus, & agemus magis pro dignitate, quã pro periculo tuo. te enim, ut spero, propediem censorem audiemus. Et ad Lentulum: Illustrabit, mihi crede, tuam amplitudinem hominum iniuria In quo garrit Hubertinus. {Pontinius, qui a te tractatus est præstanti, ac singulari fide} Non in prouincia, ubi si cum Appio fuisset, non dixisset supra Cicero, Ego C. Pontinium legatum meum Brundusii expectabã, Sed aliud quodpiam in eum Appii officium innuit, quod & Cicero sciret collatum, testisq; eius esset. nam & id significat Romæ magis præstitum. {Tantum temeritatisq; fuisse in eo adolescente} Dolabellam dubio procul notat Hubertinus uero non modo excogitare ex se nihil potest, sed ne ex propositis quidem uerum eligere. Qui Cælianam Epistolam libri octaui, cuius initium, Non dubito, legerit eamq; qua ad Cælianam Cicero rescribit libro superiori quæ incipit, Raras tuas, & quæ, Non potuit: in nostram sententiam manibus pedibusq; decurret. Denique ne sibi quidem satis constat Clericus, qui in earum alteram recte pene sensit, de toto isto negotio accusati Appii. {Quam nouam conciliassem} propter scilicet nuptias Tulliolæ cum Dolabella, quas Appius suspicatus erat futuras, ut factæ postea sunt. Tametsi Cælius in illa epistola uehementer laborat moneretq; Ciceronem, ne id emanare sinat. {Quæ tamen cum ego omnia in expetenda amicitia tua} Non ego omnia, legendum. id facilius, & (ut puto) operarii culpa deprauatum. ut & supra, In studiis, pro iis, habent recte cætera exemplaria. {Ne qua me illius temporis inuidia attingeret} Non tam quia Milonem defenderet, quã quod eius consilio, ac mandato cæsum Clodium suspicio fuit, ut ipse innuit sibi obiectum, in Miloniana, secunda Philippica, & Plutarchus in eius uita. {Nũc ea quæ a me perfecta, quæq; instituta sunt, cognosce} intelligimus multa uel ab epistola ista ab esse, quæ pro Appio fecisset parassetq; Cicero. uel commentarium forte rerum earum adnexum literis, aut nuntium cum mandatis missum.

PHIL. MELÆ.

QVum Est ad me allatum} Hæc quæ sequitur, est magis rhetorica, estq; in ea etiam compositio accuratior. Principio est querela, & consolatio. queritur enim fieri iniuriam Appio a Dolabella. Postea consolatur eum, ut æquo animo id ferat. & admiscet breuem rationem, sumptam ea loco cõmuni. Secundo, defert suum officium. Tertio, de Pontinio. Quarto, de tempore administrationis: Quinto, gratulatur ei ciuium studia, & addit translationem: dicit se Reipublicæ causa gratulari. Sexto, uituperat Dolabellam. Septimo, est purgatio sumpta ex suasoriis locis, honestatis scilicet & utilitatis. Estq; tota de rhetorica. {Etsi grauiter} Querela. {Tamen ut me collegi} Consolatio, ex facili. {Illud planc} alia querela. {Quod tu si} Consolatur ex honesto. {De me tibi sic} Secundus locus. cõsolatur a suis officiis, auxilio, & cætera. {Quintus Seruilius} Ad aliam epistolam breuis responsio, de officio. {Pontinius qui} Tertius locus: redit autem ad auxilia. {Illud pugna } Quartus locus, de temporum administratione. {Quæ de hominum} Quintus locus: gratulatio, pertinens ad consolationem. {Itaq; capio} Ratio gratulationis: gaudeo quód sint aliqui, qui bonis ciuibus beneuolunt. {Illud uero mihi} Sextus locus. Aliud negotium de Dolabella. {Neque enim de meo} Principale negotium. {Sed tamen significatur} Septimus locus: Purgatio ex impulsione. {Vbi enim ego} Inficiatio. {Quod si essem} Ratio ex utili. {Ad me adire} Redit ad inficiationem. quanquam uolui moderari sumptus, tamen non feci. {Quæreret secum} Probat se non

esse

esse fucatum amicum.{Itaq; nihil de re}Generalis purgatio, & primum argumentum est a sua persona {Quid erat autem} A meritis & persona Appii. {Quum uero reditum} A prioribus officiis. {Quod si idest}Ex impulsione, seu utilitate.{Quid illa uincula}A similitudine studiorum.{Quæ ut omittam}Ab amicis Appii: Pompeio sum amicus, ergo & tibi.{Sed hæc hactenus}Præcisio.

ARGVMENTVM.

Primum dicit Cicero sibi gratissimum, iucundissimumq; fuisse, quod ex literis Appii intellexit, quod tamen antea ex nuntiis & fama cognouerat, eũ absolutum esse maiestatis, hoc est criminis ambitus: cuius, ut supra uidimus, fuerat accusatus: & eo magis se esse lætatum, quod intellexit eum ab uniuersa Repub. esse defensum: & quod Pompeii & Bruti singularem fidem, & beneuolentiam laudauit. Deinde alteris eius literis respondens significat, gratissimum quoque sibi fuisse, quod Appius formam Reipub. ad se misisset epistola sua expressam, ut facile potuerit, cognoscere quo in statu esset Respu. & quo animo esset Appius erga eam. postea uero dicit se in tantis negociis non expectare libros augurales, quos promiserat, sed orationes eius expetere. Demum purgat, quod stomachosas uisus erat scripsisse literas.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Principium est gratulatorium, quod accusatione aduersariorum non succubuerit. Deinde laudat Appium, & confirmat, quod bene de repub. sentiat & erga eam optime sit affectus, postremo ueniam petit, si forte quid stomacho maiore ad Appium scripserit.

M. T. C. IMP. APPIO PVLCHRO (VT SPERO) CES. S. D. 11

CVm essem in castris ad fluuium Pyramum, redditæ mihi sunt uno tempore à te epistolæ duæ, quas ad me Q. Seruilius Tarso miserat. earum in altera dies erat adscripta Nonas Apr. in altera, quæ mihi recentior uidebatur, dies non erat. respondebo igitur superiori prius: in qua scribas ad me de absolutione maiestatis. de qua etsi per multum ante certior factus eram literis, nuntiis, fama denique ipsa (nihil enim fuit clarius: non quo quisquam aliter putasset: sed nihil de insignibus ad laudem uiris obscure nunciari solet) tamen eadem illa lætiora fecerunt mihi tuæ literæ: non solum, quia planius loquebantur, & uberius, quàm uulgi sermo: sed etiam, quia magis tibi uidebar gratulari, cum de te ex te ipso audiebam complexus igitur sum cogitatione te absentem: epistolam uero osculatus, etiam ipse mihi gratulatus sum: quæ enim à cuncto populo, à senatu à iudicibus ingenio, industriæ, uirtuti tribuuntur: quia mihi ipse assentior fortasse, cum ea esse in me fingo, mihi quoque ipsi tribui puto. nec tã gloriosum exitum tui iudicii extitisse, sed tam prauam inimicorum tuorum mentem fuisse mirabar. De ambitu uero quid interest inquies, * an de maiestate? ad rem nihil: alterum enim non attigisti, alteram auxisti. ueruntamen est maiestas (ut Sylla uoluit) ne in quemuis impune declamare liceret. ambitus uero ita apertam uim habet, ut aut accusetur improbe, aut defendatur: qui enim facta, aut non facta largitio ignorari potest? tuorum autem honorum cursus cui suspectus unquam fuit? me miserum, qui non affuerim: quos ego risus excitassem? Sed de maiestatis iudicio duo mihi illa ex tuis literis iucundissima fuerunt: unum, quòd te ab ipsa Repub. defensum scribis: quæ quidem etiam in summa bonorum, & fortium ciuium copia tueri taleis uiros deberet, nunc uero eo magis, quòd tanta penuria est in omni uel honoris, uel ætatis gradu, ut tam orba ciuitas taleis tutores complecti debeat: alterum, quòd Pompeii, & Bruti fidem beneuolentiamque mirifice laudas. lætor uirtute, & officio cum tuorum necessariorum, meorum amicissimorum, tum maxime alterius omnium seculorum, & gentium principis, alterius iampridem iuuentutis, celeriter (ut spero) ciuitatis. De mercenariis testibus à suis ciuitatibus notandis, nisi iam aliquid factum est per Flaccum, fiet à me, cum per Asiam decedam. nunc ad alteram epistolam uenio. Quòd ad me quasi formam communium temporum, & totius Reipubli. misisti expressam: prudentia literarum tuarum ualde est mihi grata: uideo enim & pericula leuiora, quàm timebam, & maiora præsidia, siquidem (ut scribis) omnes uires ciuitatis se ad Pompeii ductum applicauerunt. tuumque simul promptum animum & alacrem perspexi ad defendendam Rempub. mirificamq; cepi uoluptatem ex hac tua diligentia, quòd in summis tuis occupationibus mihi tamen Reipub. statum per te notum esse uoluisti. Nam auguraleis libros ad commune utriusq; nostrum otium serua: ego enim à te cum tua promissa per literas flagitabam, ad urbem te otiosissimum esse arbitrabar, nunc tamen, ut ipse polliceris, pro auguralibus libris orationes tuas confectas omneis expectabo. Tullius, cui mandata ad me dederas, non conuenerat me: nec erat iam quisquam mecum tuorum, præter omneis meos, qui sunt omnes tui. Stomachosiores meas literas quas dicas esse, non intelligo. bis ad te scripsi me purgans diligenter, te leuiter accusans in eo, quod de me cito credidisses. quod genus querelæ mihi quidem uidebatur esse amici: sin tibi displicet, non utar eo posthac. sed si, ut scribis, eæ literæ non fuerunt disertæ. scito meas non fuisse: ut enim Aristarchus Homeri uersum negat, quem non probat: sic tu (libet enim mihi iocari) quod disertum non erit, ne putaris meum. Vale, & in censura, si iam es censor (ut spero) de proauo multum cogitato tuo.

*a.l. an maiestatē ad te nihil

ASCENSIVS.

CVm essem &c. Gratulatur primum quod absolutus sit maiestatis uniuersæ pene reipub. suffragio. Deinde alteris eius literis respondens gratias agit formam reipub. ab Appio sibi expressam: Et quia in magno negocio fuit Appius, non petit ab eo libros augurales, quos supra perficiendos monebat, sed orationes eius. Purgans demum quod uisus est scripsisse ad Appium literas stomachosas Ordo est. Cum ego essem in castris apud fluuium Pyramum, qui est in Cilicia, duæ epistolæ tuæ sunt redditæ mihi uno tempore, quas Quintus Seruilius miserat Tarso idest ex ea urbe Asiæ Dies scilicet qua data, erat adscripta in altera earum, uidelicet nonarum Aprilium, in altera quæ uidebatur mihi recentior, dies non erat scilicet adscripta Respondebo igitur prius superiori scilicet in qua, dies adscripta erat. In qua scribis ad me de absolutione maiestatis scilicet affectatæ. De qua scilicet absolutione, & si idest quanquam certior factus erã permultum scilicet temporis ante literis, idest per literas, nunciis, idest per nuncios, deniq; idest tandem, fama ipsa, idest per famam ipsam. Nihil enim fuit clarius, idest euidentius aut illostrius nunciatum, non supple ita fuit clare nunciatum, quod quisquam putasset aliter scilicet futurum, sed quod nihil solet nunciari obscure de uiris insignibus, idest insignitis laude, aut non segnibus ad laudem, quia sunt etiam insignes ad uitia. tamen literæ tuæ fecerunt mihi eadem illa scilicet a tot nunciata, lætiora, idest iucundiora, non solum: quia scilicet literæ tuæ loquebantur planius, idest manifestius, eo quod in plano sita melius uidentur quam inter colles. uberius, idest abundantius quam sermo uulgi, sed etiam quia ego uidebar magis gratulari tibi, cum idest quando, ego audiebam scilicet tam læta, de te ex te ipso. Igitur ego complexus sum cogitatione.i. per imaginationem, te absente. Vero pro sed, ego osculatus sum epistolam, & ipse.i. egomet. gratulatus sum mihi.i. felicitati quæ mihi in tua felicitate, speranda erat. Quæ enim tribuuntur ingenio, idest bonæ indoli & in nobis ingenitæ, industriæ, idest solertiæ, exercitatione acquisitæ aut auctæ, & uirtuti iam ratione stabilitæ, a cuncto populo, a senatu, a iudicibus, qui omnium suffragiis absolutus fuerat, ego puto tribui, quoq; idest etiam mihi ipsi, quia ipse, idest ego assentior, idest blandior fortasse mihi, cum ego fingo, idest imaginor ea, scilicet iam dicta ingenium, industriam & uirtutem esse in me. Nec mirabar tam gloriosum exitum iudicii scilicet de te habiti fuisse, sed supple mirabar mentem tuorum inimicorum, fuisse tam prauam, iniquam & peruersam Tu uero, quia ego prius dixi, quod tu epistola ad me scribis de absolutione maiestatis, inquies, quid interest de ambitu scilicet sim accusatus & absolutus, ac idest quam aut an de maiestate quasi dicat nihil, unde & Ci respondet. Nihil supple interest ad rem, idest ad litem & negocium tuum, cum utrinsque sis innocens. enim, idest quia tu non attigisti alterum scilicet ambitum & auxisti alterum scilicet maiestatem. quã tam gloriose gessisti. alii exponunt ad rem idest molem criminis, quia conuictus maiestatis,

non minus punitur, quam ambitus, sed facilius est conuincere ambitus quam maiestatis. Maiestatis enim reus est, qui arguitur ambitione quadam affectasse maiestatem, aut decerni sibi aut prorogari indecenter. Ambitus uero, qui largitionibus, precibus, minis, pollicitationibus & alijs corruptionibus, ad magistratum uiam affectat. Vnde ambitio & crimen maiestatis in animo est, ambitus in opere ipso & rebus exterioribus, & ideo quia de occultis non est agendũ sine testibus, Sylla noluit declamationes fieri in reum maiestatis, reum autem ambitus licebat unicuique agere, dum in probationibus non deficeret. Vnde addit. Veruntamen maiestas est supple talis ut Sylla noluit, idest lege cauit & sanciuit, & ne, idest ut non liceret declamari, idest declamatione fieri de crimine maiestatis, in quemuis, idest quemlibet, impune. idest passim sine punitione. Declamatio autem est ad utranque partem de crimine & absolutione alicuius, & de faciendo aut non faciendo aliquo negotio disputatio quam exercitationis gratia rhetorum discipuli facere solebant, non sine clamore, ut induerent animos & formam in ueris causis agendis. uero: idest sed ambitus habet uim ita apertam. idest manifestam ut aut censeatur improbe, utpote, quando accusatur innocens, aut defendatur improbe: scilicet a patrono manifesti criminis. Enim: idest quia. qui: idest quomodo potest largitio facta, & non facta, idest an facta an non facta sit ignorari? quasi dicat nullo modo, cum fiat publice nec paucis, imperium enim aut dominatio non potest, a paucis dari Sed dubium est dum largitiones fiunt quo animo fiant, quod coniectura quadam ex uerbis & cæteris factis largientis perspicitur. Autem pro sed, cursus: idest continuatio, honorum: idest magistratuum tuorum, cui fuit unquam suspectus? quasi dicat, nulli. Me miserum. Modeste ne excandescere uideatur subiicit particulam o, qui non affuerim: scilicet in absolutione tui. Quos risus ego excitassem: scilicet in accusatores tam temerarios? quasi dicat, maximos. Sed de iudicio maiestatis, quo scilicet absolutus erat, illa duo fuerunt mihi iucundissima ex literis tuis. Vnum quod scribis te defensum ab ipsa republic. quæ: scilicet respubli. hoc est omnes eius gubernatores, deberet tueri: idest protegere talesuiros scilicet qualis tu es, quidem: idest certe, etiam in summa copia ciuium bonorum, & fortium, nunc uero supple debet eo magis, quod tanta penuria: idest paucitas & difficultas inueniendi talesuiros, est in omni gradu uel honoris, idest tam magistratuum quam priuatorum uel ætatis: idest tam senum quam iuuenum, ut ciuitas tam orba: idest priuata patronis, debeat, complecti, idest fouere tales tutores. Alterum: scilicet mihi iucundum fuit, quod laudas mirifice fidem & beneuolentiam Pompeii & Bruti. Lætor uirtute & officio: idest propter uirtutem & officium, cum: scilicet ita sit quod tuorum necessariorum: scilicet Pompeii & Bruti, qui sunt tibi affines & ita necessarii, & amicissimorum meorum, cum maxime, scilicet lætor uirtute & officio, alterius: scilicet Pompeii, principis omnium seculorum & gentium: idest omnium hominum, qui sunt aut fuerunt in quauis natione, & supple uirtute & officio alterius, scilicet Bruti, iampridem: idest iam a plusculo tempore, principis supple iuuentutis, scilicet Romanæ, & supple futuri celeriter ut spero, principis ciuitatis, scilicet totius, excepto tamen Pompeio, hoc est lætor primum tantum uirtutis & officii esse in uiris tibi maxime necessariis & mihi amicissimis, deinde; & multo magis in uiris & summis & principibus, altero totius mundi & omnium temporum, altero nunc iuuentutis, & mox totius ciuitatis futuro. De testibus idest quod scribis, de testibus mercenariis, idest mercede conductis ad dandum cõtra te falsum testimonium, notandis scilicet nota infamiæ a ciuitatibus suis, nisi aliquid factum est iam per Flaccum, scilicet præsidẽ illis a me constitutum, fiet a me, cum decedam, scilicet de prouincia per Asiam. Venio nunc ad alteram epistolam. Quod misisti, scilicet in altera illa epistola, ad me, quasi formam, idest designationem & speciem temporum communium & totius reipublic. expressam, idest expresse descriptam: prudentia literarum tuarum est mihi ualde grata. Video enim & pericula leuiora, quam timebam, maiora præsidia, scilicet reipub. supple quam sperabam, siquidem, idest quoniam, aut si duæ sunt particulæ, quidem, scilicet certe, si ut scribis, omnes uires ciuitatis applicauerunt, se ad ductum, idest auspicium, felicitatem & prudentiam ducendi Pompeii, & prospexi simul tuum animum promptum & alacrem, idest acrem & strenuum, ut sumus in rebus, quas alacres facimus, ad defendendam, rempub. & cepi mirificam uoluptatem ex hac diligentia tua. Si dicas, ergo hic ad secundam quoque personam respicit: dicam unam rẽ a duobus possideri posse, & ita ad diuersos fieri respectum. Vnde Cice. ad diligẽtiam Appii, quia ab eo profecta est, dicit, hac quasi dicat quæ in his literis, quas teneo, scripta est: quod in summis occupationibus tuis, uoluisti tamen, idest nihilominus, statum reipublicæ esse notum mihi per te. Nam serua, idest concedo ut serues illos augurales, quos supra perfici petiit, ad otium commune utriusque, idest donec & tibi scribendi & mihi legendi eos dabitur otium. Ego enim cum flagitabam: idest exigebam per literas a te tua promissa, scilicet de perficiendis libris auguralibus, arbitrabar te esse otiosissimum ad urbem, idest in urbe. Raro tamen ad pro in ponitur, sæpius pro apud, quo circa posset dici ad urbem, idest circa res urbanas. Nunc tamen expectabo, ut ipse idest tu polliceris, orationes tuas omnes confectas, idest absolutas libris auguralibus, idest loco auguralium. Tullius, cui dedisti mandata ad me, idest quæ mihi diceret, non conuenerat me, idest non uenerat allocuturus mecum, nec quisquam tuorum scilicet familiarium erat iam mecum, præter omnes meos, qui sunt omnes tui. Ego nõ intelligo quas literas meas dicas esse stomachosiores, idest ex nimis magno stomacho, idest indignatione scriptas. Ego scripsi ad te bis, purgans diligenter scilicet de crimine perfidiæ ac læsæ amicitiæ, accusans leuiter te in eo quod credidisses cito de me. Quod genus querelæ uidebatur quidem, idest certe mihi esse amici, idest pertinere ad amicum hominem, quia reconciliatoria est amicitiæ potius, quam offensiua talis querela. Sin idest sed si, id genus querelæ, displicet tibi, non utar eo amplius posthac, idest post hoc tempus. Sed si ut scribis, hæ literæ scilicet stomachosiores non fuerunt disertæ, scito non fuisse meas. hoc iocose & confidenter dicit. Vt enim Aristarchus negat uersum supple esse Homeri, quem non probat, idest non approbat, sic tu, (libet enim mihi iocari,) quod non erit disertum, ne putaris: idest nolim ut putes meum supple, esse. Vale & cogitato multo de proauo tuo: scilicet Appio Cæco, qui clarissimam gessit censuram, in censura, idest in gerenda censura, si etiam censor, ut spero scilicet te esse.

SEBAS. CORR.

APpio pulchro, ut spero, Cens } Cum L. Pisone. { De absolutione Maiestatis } Q. Hortensio paucis ante mortem diebus cum M. Bruto defendente { Inimicorum tuorum } Dolabellæ. { An de maiestate? } absolutus sim? { Alterum. } Ambitum, de quo nondum absolutus es. { Alteram } maiestatem, de qua te absolutum scribis. { Auxisti } tantum abest ut minueris. { Sylla noluit } lege Cornelia maiestatis. { Ne in quemuis, Vt in quemuis, legunt eruditi { Impune } quoniam in ambitu illa est quasi pœna, ut aut accusetur improbe, aut defendatur. { Facta } Hæc defenditur improbe. { Non facta largitio } Hæc accusatur improbe. { Cui suspectus unquã fuit? } Ergo dubitandum non est, quin etiam de ambitu absoluendus sis, cum improbe fueris accusatus. { Pompeii } qui tibi fauit. { Bruti } qui te cum Hortensio defendit. { De mercenariis testibus } mercede a tuis aduersariis contra te conductis. { Per Flaccum } Videtur esse is L. Flaccus. qui Cicerone Coss cum C. Pontino Prætor fuit. { Tullius } Cum Cicerone quidem erat M. Tullius scriba, & L. Tullius legatus, sed hic unus ex amicis Appii esse uidetur. { De proauo } Appio Claudio Cæco, qui solus toto quinquennio censor fuit, quoniam C. Plautius Venox collega intra annum & sex menses, se magistratu abdicauit.

BERN. RVTI.

QVia mihi ipse assentior fortasse } Assentior probo: quod & interpres: { Veruntamen est maiestas, ut Sylla uoluit: ne in quemuis impune declamari liceret. } Diutius torsit me loci huius perplexa obscuritas, cũ interpretis ineptias non probarem postremo uenit in mentem, legi oportere uel, Ne nõ in quemuis, &c. uel, Vt in quemuis. quod & subiecta ostendunt. Tanta est enim principibus, qualem se gessit in occupata Repub. Sylla, cura solicitudoque imperii, ut unicuique licere uelint, impune maiestatis quemuis reum facere, quo magis ad eam rem omnes incitentur. At ambitus cæterorumque iudiciorum nemo citra improbitatis crimen calumniator appareat. Quasi enim bono animo esse Appium hoc ipso iubet, quod si maiestatis absolutus est, in quo gratis & sine periculo inimici eius aduersati sunt, in iudicio tamen ambitus speret, non tam acriter impugnaturos: quin destituros potius, cum scirent nec illum unquam ambisse, & se improbitatis infamiam subituros, absoluto Appio. Maiestatis hodieque tanta est suspicio, ut apud plerosque populos torquere hominem eius rei acquirendæ gratia, uel sine indiciis, arbitrio prætorum sit. Declamare uero dixit, non intra domesticos parietes aut in schola ficte accusare, ut uidetur sentire Clericus, sed proprie accusare. usus tamen eo uerbo ea ratione, quod cum palam esset, Appium maiestatem nunquam læsisse, fictionem habere ea accusatiuo uidebatur. Lege alioqui Iulia maiestatis (nam Corneliam nos in libris ciuilis iuris non habemus) cauetur, ut famosi qui alias accusare prohibentur, ad hanc accusationem admittantur, serui dominos, liberti patronos impune huius tantum criminis postulent, mulieres etiam audiantur, post mortem quoque rei ea quæstio agitetur, hæreditas nocentis fisco uendicetur. autores Papinianus, Modestinus: Vlpianus. Monetarii accusator ex constitutione Constantini de calumnia non tenetur, nec is qui rei sacræ alienatæ reum fecerit. Illud addimus, quum eadem lege Iulia teneatur, qui ex prouincia post successoris aduentum non discesserit, Corneliam illam. X X X. dierum maiestatis fuisse uideri. { Aut defendatur } scilicet improbe. nanque aut reus aut accusator, uter eorum succubuerit, notator ut improbus, quod eam rem aperte fieri conuenit, non, ut maiestatis crimen plerũque, occultissime, quod ne ipsum quidem assequitur interpres.

PHIL. MELA.

HVius Epistolæ duo sunt diuersa argumenta. Primum enim gratulatur Appio, quod liberatus sit periculis iudiciorum. Deinde agit gratias, quod miserit descriptã conditionẽ, seu formam Reipub. { Quum essem in castris } Narratio breuis. { Respondebo igitur } Propositio: Gratulor tibi, quod uiceris in iudicio.

{ Tamen

{Tamen eadem illa} Emphasis, & ... {Sed etiam quia} Propositio, ornata gestu. {Complexus sum igitur} Ratio propositionis: Gratum est mihi: ... honorem haben. {Ambitus uero} Relectio de iudicio ambitus. {Sed de maiestatis} Amplificatio gratulationis, a circunstantiis. {Alterum quod} uideris esse fucosam prædicationē, & fucatas laudes. {Quod ad me ... } Propositio noua, seu altera pars epistolæ, qua agit ei gratias ... miserit formam & statū Reipublicæ. {Nam auguralis} Illa sunt uaria, quæ sequuntur. {Sed ... elegantissimus locus.

ARGVMENTVM.

In priore parte huius epistolæ gratulatur Cicero Appio de absolutione ambitus. Deinde purgat diligenter, quod Tullia filia sua data sit nuptum Dolabellæ homini inimicissimo ipsi Appio, excusatq; præcipue absentiam suam, qua matrimonium illud erat contractum. Et postremo affirmat se propter affinitatem illam nihil alienatum ab Appio, immo maiora facturum ad euitandam suspicionem, quam fecisset.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Grauiter ferens Appius Tulliolam Ciceronis Dolabellæ, infestissimo Appii inimico desponsam, expostulauerat cum Cicerone, ob id excusationem pa rans, totam culpam in absentiam suam reiicit, & deinde Appii animum in amicitia confirmat.

M. T. CICERO IMP. APPIO PVLCHRO. S. D. 12

Gratulabor tibi prius (ita enim rerum ordo postulat) deinde ad me conuertar. Ego uero uehementer gratulor de iudicio ambitus: neque id, quod nemini dubium fuit, absolutum te esse: sed illud, quod quo melior ciuis, quo uir clarior, quo fortior amicus es, quoque plura uirtutis & industriæ ornamenta in te sunt, eo mirandum est magis nullam ne in tabellæ quidem latebra fuisse absconditam maleuolentiam, quæ te impugnare auderet. non horum temporum, non horum hominum, atque morum negocium. nihil iam sum pridem admiratus magis. De me autem suscipe paulisper meas parteis, & eum te esse finge, qui ego sum: si facile inueneris, quod dicas, noli ignoscere hæsitationi meæ. ego uero uelim mihi, Tulliæq; meæ (sicut tu amicissime, & suauissime optas) prospere euenire ea, quæ me insciente facta sunt à meis: sed ita cecidisse, ut agerentur eo tempore, spero omnino cum aliqua felicitate, & opto: uerumtamen plus me in hac spe, tua sapientia, & humanitas consolatur, quàm opportunitas temporis. itaque, quemadmodum expediam exitum huius institutæ orationis, non reperio: neque enim tristius dicere quicquam debeo ea de re, quam tu, ipse omnibus optimis prosequeris. neque non me tamen mordet aliquid: in quo unum non uereor, ne tu parum perspicias, ea, quæ* gesta sunt, ab illis esse gesta, quibus ego ita mandaram, ut cum tam longe abfuturus essem, ad me ne referrent, agerent, quod probassent. in hoc autem mihi illud occurrit: quid tu igitur si affuisses? rem probassem. de tempore, nihil te inuito nihil sine consilio egissem tuo. uides me sudare, iandudum laborantem, quomodo ea tuear, quæ mihi tuenda sunt,* & te non offendam. leua me igitur hoc onere: nunquam enim mihi uideor tractasse causam difficiliorem. sed tamen sic habeto nisi iam tunc omnia negotia cum summa tua dignitate diligentissime confecissem: tametsi nihil uidebatur ad meum erga te pristinum studium addi posse, tamen hac mihi affinitate renuntiata, non maiore equidem studio, sed acrius, apertius, significantius dignitatem tuam defendissem. decedenti mihi,* & iam imperio annuo terminato, ante diem III. Non. Sexti. cum ad Sydam naui accederem, & mecum Q uin. Seruilius esset, literæ à meis sunt redditæ, dixi statim Seruilio (etenim uidebatur esse commotus) ut omnia à me maiora expectaret. quid multa? beneuolentior tibi, quàm fui, nihilo sum factus, diligentior quidem ad declarandam beneuolentiam multo: nam ut uetus nostra simultas antea stimulabat me, ut cauerem, ne cui suspicionem fictæ reconciliatæ gratiæ darem: sic affinitas noua curam mihi affert cauendi, nequid de summo meo erga te amore detractum esse uideatur. Vale.*

*a.l. ea in rem.

*a.l. gesta sunt, ab aliis.

*a.l. ut te

*a.l. imperio.

ASCENSIVS.

Gratulor &c. Gratulatur Appio de absolutione ambitus, purgatq; quod Tullia se absente data sit nuptum Dolabellæ homini Ap. inimicissimo, & pollicetur propter illam se nihil de amicitia Appiana detracturum. Ordo est. Ego gratulor, aut gratulabor tibi prius, idest priore parte epistolæ, deinde conuertar ad me, idest ad rem meam purgandam. ordo enim rerum postulat, ita: sic fieri ut prius de amicis, deinde de nobis agamus Ego uero gratulor supple tibi uehementer, te absolutum esse de iudicio ambitus: idest in quo causam dicebas de ambitu: idest maiestate malis artibus attentata, neq; id quod nemini dubium fuit, scilicet futurum, uidelicet te absolutum esse, mirandum, sed est illud quod quo: idest quanto melior ciuis es, quo, idest quanto uir clarior, quo, idest quanto, amicus fortior, idest constantior es, eo est mirandum magis, nullam, idest non ullam maleuolentiam, quæ auderet, scilicet tam impudenter oppugnare te, non fuisse absconditam, ne quidem, idest non saltem in latebra: idest angulo aliquo. Tabellæ, idest libelli accusatorii, hoc est quod ipsa præ uerecundia, siquam habuisset, se non absconderit in aliquo loco abdito tabellæ accusatoriæ & diffamatoriæ, sed palam te accusare ausa sit Non enim negocium quod factum est tibi, fuit horum temporum, in quibus uirtuti adhuc locus & honos est, & boni florent, nō horum hominum qui boni fere sunt & tibi fere necessarii, atq; morum supple horum hominum & temporum, & ita ego nihil sum admiratus magis iam pridem: idest iam a plusculo tempore, scilicet quam quod inuenti sint tam impudentes, ut auderent non modo per occultam delationem, sed etiam per manifestam accusationem in publico iudicio te ambitus postulare, quo Cice. satis assentanter dicit, præcipue cum antea ei de eadem re gratulatus sit, sed uidetur Appius assentationis appetens, & potuerunt superiores literæ non esse, perlatæ, idq; Ciceronem ueteri. De me autem. aggreditur secundam partem epistolæ dicens. Autem, idest sed de me, idest quantum ad nuptias filiæ meæ attinet, suscipe paulisper, idest per paulum tēporis, partes meas, scilicet purgatiuas, finge te esse eum qui ego sum, si tu inueneris facile, quid dicas, idest respondeas ad purgandum factum ipsum ad damnandum, noli ignoscere: idest parcere aut ueniam dare hæsitationi, idest perplexitati & tarditati meæ in loquēdo. Ego uero, idest certe, uelim ea quæ facta sunt a meis me insciente, euenire prospere mihi & Tulliæ meæ, idest filiæ, hoc est nuptias eius cum Dolabella sicut tu optas amicissime & suauissime, moris enim est, dum de nouis nuptiis aut loquimur aut scribimus, dicere feliciter, unde Iuuena. dictum est, feliciter aut dii bene uertant, aut quas dii secundent, quod & Appius uidetur scripsisse magis ex more, aut per Ironiam quam ex animo. Cicero tamen callide interpretatur ex animo scriptum sed cecidisse: idest casu euenisse, ita ut agerentur eo tempore, scilicet quo abessem, aut quo dissensiones orirentur inter principes Dolabella enim Cæsari adhæsurus uidebatur, Appius & Brutus Pompeio, spero omnino & opto, supple cecidisse cum aliqua, sed incerta mihi felicitate, ueruntamen sapientia & humanitas tua consolatur me plus in hac spe: scilicet de felicitate nuptiarum quam opportunitas temporis, quia difficile est in dissensione principum ciuitatis feliciter uiuere. Itaq; non reperio quemadmodum expediam: idest expedite faciam exitum, idest finem huius orationis institutæ, idest inceptæ, de nuptiis filiæ. Neque enim debeo dicere quicquam tristius in eam rem, idest nuptias filiæ, quam tu ipse prosequeris ominibus, idest precationibus, auspiciis, optationibus, uotis optimis, nam dum boni & prudentes uiri bona precantur & optant aliquibus cœptis omen est: idest indicium boni euentus, neq; non, idest attamen aliquid mordet, idest tristitia afficit me, In quo non uereor, idest non dubito, unum, uidelicet ne, idest aut quin. Notum est cum uerbis uerendi timendiq; idem facere negationem & affirmationem, ut uereor ne facias & ut facias, perspicias, id est cognoscas parum, ea quæ gesta sunt de contractu matrimoniali, esse gesta ab illis, scilicet amicis & necessariis meis quibus ego, scilicet discedens mandaram ita, cum essem abfuturus iam longe, scilicet ab eis, ne referrent ad me, idest ne consulerent me, supple illi agerent, quod probassent. In hoc autem, scilicet dicto, ad ostendendum meo consilio non esse factum, occurrit, idest obiicitur, hoc obiici potest mihi illud. Igitur o Cicero. quid tu supple fecisses si affuisses? Respondet. Ego probassem, idest approbassem rem idest contractum matrimonialem. Sed sup-

ple quia dicis hoc tempore tam periculosu non debuisse fieri, ego nihil egissem te inuito, & nihil egissem sine consilio tuo de tempore: scilicet nuptiarum celebrandarum. Vides me sudare: idest angore quodam opprimi, iandudum: idest ab eo tempore quo incepta est mentiu de nuptiis filiæ, laborantem quomodo tuear, idest defendam, ea quæ mihi sunt tuenda: idest defendenda, & non offendam: idest lædam te igitur leua: idest libera me hoc onere quasi dicat quod portare uix possum. Ego enim nunquam: idest non unquam, nun uideor mihi tractasse unquam causam difficiliorem. Tamen habeto sic: idest pro certo teneto, nisi ego confecissem iam: idest perfecissem iam tunc: scilicet cum talia mihi nunciata sunt diligentissime omnia negocia cum summa dignitate tua, tametsi nihil uidebatur posse addi ad pristinum studium meum erga te, tamen hac affinitate: scilicet cum Dolabella inimico tuo nunciata mihi: idest si fuisset prius nunciata, equidem idest ego equidem defendissem dignitatem tuam, scilicet in prouincia, non maiore studio, quia id fieri non potuisset: sed acrius, apertius, significantius: idest cum maiore euidentia, eo quod suspectus fuissem. Sed supple literæ sunt redditæ a meis, mihi decedenti: scilicet de prouincia, & anno imperio iã terminato ante nonas Sextileis: idest Augusti mensis, quia uenerat in prouinciam pridie Calendas sextiles, ut supra dixit, cum accederem naui, idest in naui, ad Sydam urbem Lyciæ, aut portum eius unde hic & prius præpositionem posuit, & Quintus Seruilius esset mecum. Dixi statim Seruilio, ideo statim, etenim, idest quia ipse uidebatur esse commotus, quod talem nuncium accepissem ut expectaret a me omnia: scilicet officia maiora: scilicet quam prius. Quid multa supple dicam? ego nihilo, idest in illo sum factus beneuolentior tibi quam fui, quia putat id fieri non potuisse, sed supple factus sum multo diligentior ad beneuolentiam declarandam. Nam ut, id est quemadmodum, uetus simultas nostra: idest latens odiũ & æmulatio, stimulabat idest urgebat me antea, ut cauerem ne darem ei, idest alicui, suspicionem gratiæ reconciliatæ, idest iterum initæ & renouatæ, ficte, idest simulanter & non uere, sic affinitas, scilicet cũ Dolabella, affert mihi nouam curam cauendi, nequid uideatur esse detractum de summo amore meo erga te. Vale.

PAVL. MANV. Ante diem III. Non. Sext.} Perinde est, ac si dixisset III. Non. Sext. id ea libri XVI. epistola V. ad Tyronem intelligi facile potest. ante diem III. Non. ueteres dicebant, idest die tertio ante Nonas. nam cum dicitur III. Non. concisa locutio est, quæ integra esset, si diceres III. die ante Non. qua non admodum utebantur antiqui, sed eius loco, ante diem III. Non.

SEBAS. CORR. Mirandum est magis.} quoniã talibus uiris, qualis es, tu, multi solent inuidere, proptereaq; his in suffragiis, præsertim occultis, aduersari. {Tabellæ quidem latebra} Lu. Cassius Longinus Trib. ple. C. Mar. & C Flac Coss. legem tulit, ut Populus per tabellam suffragium ferret, qua in re latebra data est populo, in qua bonis ignorantibus, quid quisq; sentiret, tabella uitiosum in iudiciis occultaret suffragium. {Me insciente} Nam quum primum intellexissem id agi, certos homines ad mulieres miseram, qui Romã uenerunt factis sponsalibus. {Facta sunt a meis} Terentia, & M Cælio. {Eo tempore} quo te Dolabella accusabat. {Felicitate} ea spe, te & Dolabellam reconciliandi. {In hac spe} reconciliandi. {Opportunitas} quæ sit, ut ego alterius amicus, alterius socer, hoc tuo tempore sim inter uos quasi interpres. {Esse commotus.} Ex his meorũ literis de nuptiis.

BERN. RVTIL. Nullam, ne in tabellæ, quidem latebra fuisse absconditam maleuolentiam, quæ te impugnare auderet} Delirat Clericus. nihil enim minus dicit Cicero, quam quod ille retur. Sensus est: Quum plerique inuidere optimis uiris soleant, eo magis miror, te omnibus suffragiis absolutum, neque quenquam extitisse, qui suum erga te odium uel in tabella iudiciaria, in qua occulte poterat impugnare dignitatem tuam ac salutem, ausus sit offendere, solent enim qui oderunt, neq; tamen apertas gerere inimicitias audent, in suffragiis plerunq; abditioribusq; iudiciis inimicis obesse. de tabellis iudiciariis multis locis Cicero, aliiq; in quibus aut condemnarent, aut absoluerent, aut ampliarent. {Quam opportunitas temporis} Propter bella ciuilia, scilicet imminentia potius quã propter suam absentiam dicit. {Neq; enim tristius quicquam dicere eandem rem} Ea de re, ut in aliis, melius. At, quod est in sequentibus literis, in quo gratias agit Appio, pertinet ad supplicationes Ciceroni decretas, in quo Appius non mediocriter laborasset, ut & ante pro Appianis supplicationibus Cicero, de quo ne somniant quidẽ interpretes, id ex Cælianis colligas literis, huius initio, Non diu, sed acriter.

PHIL. MELA. Ista Epistola primum habet gratulationem, cum amplificatione scilicet cum admiratione. Deinde sequitur excusatio, in qua transfert causam affinitatis contractæ cum Dolabella, in mulieres. {Gratulor tibi} Propositio. {Ego uero uehementer} Amplificatio {Nihil tam sum} ἐπιφώνημα. {De me autem} Alia causa. {Ego uero uelim} Imprecatio, coniuncta cum sua excusatione. {Itaque quemadmodum} Excusatio iunctæ affinitatis cum inimico Appii, & colligit uaria argumenta, quæ neq; explicat, neq; confirmat, neq; diluit, sed obliq; omnia agit {In hoc autem} Præcisio. {Sic habeto} De officio suo id quod est principale in hac causa. {Tamen hoc mihi} Elegans inuersio.

ARGVMENTVM.

Gratias quodammodo agit Appio, quod interea dum in Cilicia ageret, in familiam suam plurima contulerat beneficia: unde hæc epi. tota plena est beneuolentiæ. Nam profitetur se idem uelle, & nolle constituisse cum Appio. Taciteq; innuit se inducturum Dolabellam ad consensionem. Et demum dicit se sperare Appium censorem esse.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Officium suum Appio commendat, & id rursum ut faciat Appius, propter Dolabellæ inimicitias monet.

M. T. CIC. IMPER. APPIO PVLCHRO. S. D. 13

Quasi diuinarem tali in officio fore mihi aliquando expectandum studium tuum: sic, cum de tuis rebus gestis agebatur, inseruiebam honori tuo. dicam tamen uere: plus, quàm acceperas, reddidisti: quis enim ad me non perscripsit, te non solum autoritate orationis, sententia tua, quibus ego à tali uiro contentus eram, sed etiam opera, consilio, domum ueniendo, conueniendis meis, nullum onus officij cuiquam reliquum fecisse? hæc mihi ampliora multo sunt, quàm illa ipsa, propter quæ hæc elaborantur: INSIGNIA enim uirtutis multi etiam sine uirtute assecuti sunt: talium uirorum tanta studia assequi sola uirtus potest. itaque mihi propono fructum amicitiæ nostræ ipsam amicitiam, qua nihil est uberius, præsertim in iis studijs, quibus uterq; nostrum deuinctus est, nam tibi me profiteor & in Repub. socium, de qua idem sentimus; & in quotidiana uita coniunctum cum iis artibus, studiisq;, quæ colimus. uelim ita fortuna tulisset, ut, quanti ego omneis tuos facio, tanti tu meos facere posses: quod tamen ipsum nescio qua permotus animi diuinatione, non despero. sed hoc nihil ad te: nostrum est. onus illud uelim sic habeas, quod intelliges; hac re nouata additum potius aliquid ad meum erga te studium, cui nihil uidebatur addi posse, quã quicquam esse detractum cum hæc scribebam, Censorem iam te esse sperabam: eo breuior est hæc epistola, & ut aduersus magistrũ morum modestior. Vale.

ASCENSIVS. Quasi diuinarem, Gratias quodammodo agit Appio, q se absente plurima in familiam suam beneficia contulerat, quocirca profitetur se cum Appio in omnibus conaturum annixurumq; ut Dolabellam in communes partes trahat. Et demum dicit se sperare Appium Censorem esse, unde epistola tota beneuolentiæ significatiua est. Ordo autem est. Ego inseruiebam honori tuo, cum agebatur, idest disceptabatur de rebus tuis gestis, scilicet in prouincia, sic, quasi diuinarem studium tuum fore aliquando expetendum mihi in tali, idest consimili officio, ubi fore cum futuro uidetur adhærere. Sed, tu reddidisti plus quam acceperas, scilicet beneficiu. Quis enim non perscripsit? quasi dicat nemo, hoc est unusquisq; perscripsit ad me, te nullum onus officii fecisse cui quam reliquum, idest reliquisse cuiquã faciendum, cum tu uniuersum solus obires, nõ solum autoritate orationis & sententia, quibus eram, idest fuissem, ut in Serm. decies centena dedisses, Nil erat, idest fuisset in loculis. Virg. in Georgi. Laurus erat, pro esset. contentus a tali, idest tam excellenti uiro, sed etiam opera, consilio, ueniendo domum, scilicet meam, & supple conueniendis, idest uisitandis colloquendi gratia, meis, scilicet familiaribus. Hæc, scilicet officia tua sunt, idest reputantur aut æstimantur, mihi ampliora multo, quã illa ipsa, scilicet supplicationes aut triumphos, propter quæ laboratur, idest cum labore fiunt. Enim pro quia, multi assecuti sunt insignia uirtutis, ut honores seu magistratus, & triumphos. Sine uirtute, quia alii ui, alii malis artibus, alii fortuna, sed sup. sola uirtus potest assequi tãta studia taliũ uirorũ, accurate loquitur, quia magni uiri interdũ indignis leuia studia impendunt, &

tanta

tanta studia interdum conferuntur, sed non a talibus uiris. Itaque ego proponn, idest constituo mihi fructum: idest ultimum finẽ capetendæ amicitiæ, ipsam amicitiam. i. nihil amplius peto in amicitia quam ipsam amicitiam, qua. s. amicitia nihil est uberius. i. abundantius præsertim in iis studiis. s. auguralis & legalis scientiæ, quibus uterque nostrũ deuinctus. i. obligatus est. Nam ego profiteor me tibi, &. i. simul socium in rep. de qua sentimus idem, & coniunctum sup. fore in uita quotidiana, cum iis artibus & studiis quæ colimus. Ego uelim fortuna tulisset ita ut posses facere omnes meos tanti, q̃ti ego facio omnes tuos. hoc dicit propter Dolabellam generũ suũ Appii inimicum. quod ipsum. s. te posse omnes meos tanti facere, tamen, idest nihilominus non despero. s. aliquãdo fore nescio qua diuinatione. i. qui præsagio animi. Sed hoc nihil ad te sup. pertinet, onus hoc est nostrum. i. nobis ad curandum est ut ita fiat. Velim sup. ut habeas. i. certum teneas, illum. s. quod iam dicam, uidelicet quod intelliges, ac re nouata. i. per hanc rem nouatam, potius aliquid additum, quam detractum esse ad meum studium erga te, e ni. s. studio, nihil uidebatur posse addi. Ego sperabam cum scribebam hæc, te iam esse censorem, eo. l. & propterea hæc epistola est breuior, & modestior. i. temperatior in uerbis, ut. s. esse debet, aduersus. i. erga magistrum morum, hoc est censorem.

E Xpetendum studium tuum} ad obtinendas supplicationes. {Hæc mihi ampliora} huiusmodi studia {Quã illa, ipsa} Supplicationes. {Meos facere posses} quod facere tamen posses, nisi unus esset Dolabella, quem odisses. {Nostrum est onus} reconciliandi. SEBAS. CORR.

E St elegantissima Epistola, estq; gratiarũ actio. Agit enim gratias, quod Appius ornauerit Ciceronem in ferendis sententiis. {Quasi diuinarem} Ea ordium sumptum a collatione officiorum Ciceronis & Appii, in eodem genere. {Dicam tamen} Narratio. {Quia. n.} Propositio amplificationi. {Insignia enim} Ratio, ea loci communi. {Nam tibi me} Vicissim defert officium. {Quod tamen ipsum} Hæc dicit propter Dolabellam. {Hac renouata} idest contracta cum Dolabella. Ista autem omnia tecte dicit. PHILI. MELÃ.

M. T. C. EPISTOLARVM FAMILIARIVM TERTII LIBRI FINIS.

MARCI TVLLII CICERONIS

EPISTOLARVM FAMILIARIVM,

LIBER QVARTVS.

ARGVMENTVM.

Reuersus Cicero e prouincia, offendit motus ciuilis belli inter Cæsarem & Pompeium: qui utriusque amicos concili ans sibi, Pompeium mitigare satagebat ut compositis rebus triumpharet: qua spe deposita, in Campanum agrum secessit, raroq; in urbem rediit: cum in certus esset utrius partes sequeretur. Nam Pompeii opes in iustiore causa fractas uidebat, Cæsaris in minus iusta florentes. Quocirca tandem a Repu. & Pompeio contra Cæsarem stetit, ei manifeste significans nihil sibi Repu. charius. Itaque cum abesset ab urbe, scripsit ad eum Trebatius, Seruium desiderare eum, ut de Reipu. commodis inter se agerent: cui respondens nunc Cicero, innuit id sero futurum, se facturum tamen, ubi Seruio conueniens uidebitur.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Suasoria est epistola, ut Seruius omnem curam iuuandæ Reipu. deponat.

M. T. C. SER. SVLPITIO S. D. 1

CAius Trebatius familiaris meus ad me scripsit, te ex se quæsisse, quibus in locis essem: molesteq; ferre, quod me propter ualetudinem tuam, cum ad urbem accessissem, non uidisses: & hoc tempore uelle te mecum, si propius accessissem, de officio utriusque nostrum communicare. Vtinam Serui saluis rebus (sic enim est dicendũ) colloqui potuissemus inter nos: profecto aliquid opis occidenti Reipub. tulissemus: cognoram enim iam absens, te hæc mala multo ante * prouidentem, defensorem pacis & in Consulatu tuo, & post Consulatum fuisse. ego autem cum consilium tuum probarem, & idem ipse sentirem, nihil proficiebam: serò enim ueneram: solus eram: rudis esse uidebar in causa: incideram in hominum pugnandi cupidorum insanias. nunc, quoniam nihil iam uidemur posse opitulari Reipub. siquid est in quo nosmet ipsis consulere possimus, non ut aliquid ex pristino statu nostro retineamus, sed ut quam honestissime lugeamus: nemo est omnium, qui cum potius mihi, quam tecum communicandum putem: nec enim clarissimorum uirorum, quorum similes esse debemus, exempla, neque doctissimorum, quos, semper coluisti, præcepta te fugiunt. atque ipse antea ad te scripsissem, te frustra in senatum, siue potius in conuentum senatorum esse uenturum, ni ueritus essem, ne eius animum offenderem, qui à me, ut te imitarer, petebat. cui quidem ego, cum me rogaret, ut adessem in senatu: eadem omnia, quæ à te de pace, & de Hispaniis dicta sunt, ostendi me esse dicturum. rem uides, quomodo se habeat: orbem terrarum imperiis distributis ardere bello: Vrbem sine legibus, sine iudiciis, sine iure, sine fide, relictam direptioni, & incendiis. itaque mihi uenire in mentem nihil potest, non modo quod sperem, sed uix iam quod audeam optare, sin autem tibi homini prudentissimo uidetur utile esse, nos colloqui: quanquam longius etiam cogitabam ab Vrbe discedere, cuius iam etiam nomen inuitus audio; tamen propius accedam. Trebatio mandaui, * siquid tu eum uelles ad me mittere, ne recusaret: idq; ut facias, uelim; aut siquem tuorum fidelium uoles. ad me mittas: ne aut tibi exire ex Vrbe necesse sit, aut mihi accedere. ego tibi tantum tribuo, * & quantum mihi fortaße arrogo: ut exploratum habeam, quicquid nos communi sententia statuerimus, id omneis homines probaturos. Vale.

*a.l. prudentẽ,

*alias. l. si quidem.

*alias. l. tantum.

CAius Trebat. &c. Reuersus e Cilicia offendit Cice, motus belli ciuilis inter Cæsarem & Pompeium, attamen utriusque amicos ad concordiam solicitans Pompeium mitigare satagebat, ut compositis rebus triumpharet. Qua spe deposita in Campanum agrum secessit, raroq; in urbem radut, cum incertus esset uerius partes sequereretur. Nam ASCENSIVS.

Pompeii opes in iustiori causa fractas uidebat, Cæsaris in minus iusta florentes. Quocirca tandem pro reipublic. cum Pompeio contra Cæs. stetit, ei manifeste significans mihi sibi Republi. charius. Itaque cum abesset ab urbe, scripsit ad eum Trebatius, Seruium Sulpitium desiderare eum dum de reipublic. commodis inter se agerent, cui respondens innuit id sero futurum, sed facturum tamen, ubi Seruio conueniens uideatur. Ordo est. Caius Trebatius familiaris meus, qui sub Augusto postea propter legalem scientiam in honore fuit, scripsit ad me, te quæsisse ex se in quibus locis essem, & supple. se ferre moleste, quod non uidisses me cum ad urbem accesissem, propter ualetudinem tuam, scilicet malam, & scripsis te uelle hoc tempore communicare mecum de officio utriusque nostrum, scilicet circa reipublic curam, si accessissem propius, scilicet ad urbem, aut ad te. O serui utinam potuissemus colloqui inter nos rebus; scilicet publicis & nostris saluis. Sic enim est dicendum, hoc est dixi rebus saluis, quia mihi saluæ non uidentur: profecto nos tulissemus aliquid opis, idest auxilii, reipublic. occidenti: idest tendenti ad interitum. Ego enim absens cognoram pro cognoueram, te prouidentem hæc mala, multo ante, scilicet quam euenirent, fuisse defensorem: idest protectorem pacis: & idest tum in consulatu tuo, & idest tum post consulatum, scilicet tuum. Ego autem cum probarem consilium tuum, & ipse: idest egomet, aut per me sentirem idem, nihil proficiebam: idest utilitatis faciebam. Enim pro quia, ueneram, scilicet e prouincia, sero, idest nimis tarde, ego eram solus: scilicet in ea sententia, uidebar esse rudis: idest minus expertus in causa, incideram: scilicet improuisus in insanias hominum: idest Cæsaris, & Pompeii, cupidorum pugnandi, alii legunt. rudis, & si uidebar, incideram tamen in hominum & cætera. Sed id minus placet non enim illud tamen congruit cum propior particula, non enim ideo minus uidebatur incidere posse in insanias illas, quod rudis esset. unde potius legam, incideramque. uel rudis, ne esse uidebar, incideram & cætera. Nunc quoniam nihil, idest non aliquid Nos non uidemur posse iam opitulari Republi. idest auxiliari aliquid: idest in aliquo, siquid est in quo possimus, aut possumus consulere, idest consulto prodesse, & opitulari nobismetipsis, non supple id dico, ut retineamus, idest quasi sperem non posse retinere aliquid ex pristino, idest priore & prius a nobis habito, statu nostro, sed ut lugeamus: scilicet statum nostrum, ac Respu. quam honestissime, idest ualde honeste. nemo est omnium, scilicet mortalium, qui cum: idest cum quo, ego putem potius communicandum supple esse. mihi supple consilium meum, quam tecum. Nec enim exempla uirorum clarissimorum, idest nobilissimorum, quorum similes esse debemus: scilicet in moribus (unde in genitiuo dixit) neque præcepta doctissimorum: idest nobilissimorum, quorum similes esse debemus, scilicet in scientiam tuam, hoc est te non latent: illis autem duobus maxime prudentes euadimus. Atque ipse, idest ego, scripsissem antea ad te, te uenturum esse frustra in senatum, siue potius in conuentum senatorum. Non enim senatum iam putat cum libertas decernendi ablata sit, ni, idest nisi essem ueritus. ne offenderem animum eius, scilicet Cæsaris, qui petebat a me, ut inuitarem se, scilicet ad ueniendum in senatum. cui scilicet Cæsari, quidem, idest certe, cum rogaret me ut adessem in senatu, ostendit me esse dicturum: idest decreturum. omnia, quæ dicta sunt a te, de pace, & de Hispaniis, scilicet administrandis per legatos, non per Pompeium ipsum, ut uolebat Cæsar. Tu uides rem, idest statum Reipublicæ quomodo habet, aut habeat se, utpote uides orbem terrarum ardere bello, imperiis distributis, scilicet Cæsarianis, & Pompeianis, & uides urbē. s. Romā relictā direptioni & incendiis sine legibus, sine iudiciis, sine iure, sine fide. Itaq; nihil potest uenire mihi in mentem. i. nihil possum cogitare, non modo, idest non solum, quid sperem, idest sperare debeam, sed iam uix supple in mentem uenit, quid audeam optare. ut supra dixi, cum in plus se extendat, minoris difficultatis est optare, quam sperare. Optamus enim omnia, quæ utilia sunt. speramus duntaxat ea, quæ ob merita nostra, aut ex benignitate eius, a quo ea speramus, nobis contingere posse confidimus. Sin autem, idest sed si, nos colloqui, uidetur tibi homini prudentissimo esse utile, quanquam ego cogitabam discedere ab urbe, etiā, idest adhuc longius, quam sim, cuius, scilicet urbis, ego audiam inuitus etiam nomen, tamen accedam propius. Ego mandaui Trebatio, si tu uelles eum mittere, quid, idest aliquid, ad me, ne se excusaret, scilicet mittere illud, & uelim, ut facias, id, idest mittas ad me aliquid per Trebatium, aut si uoles mittas ad me, quem, idest aliquem tuorum fidelium, ne necesse sit, aut tibi exire ex urbe, aut mihi accedere, scilicet urbem. Ego tribuo tibi tantum, scilicet prudentiæ & autoritatis, quantum arrogo, idest arroganter sumo, fortasse mihi ut habeam exploratum, idest certissimum, quicquid nos statuerimus, sententia communi, omnes homines probaturos id.

SEBAS. CORR.

AD Vrbem} ex Cilicia rediens prid. Non. Ianuas. {Accesissem} non introiissem, triumphum ex rebus in Cilicia gestis expectans. {Hæc mala} bellum ciuile inter Pompeium, & Cæsarem. {In consulatu tuo} quem cum M. Claudio Marcello gessisti. {Sero enim ueneram} Epist. X. lib. X V I. {Pugnādi cupidorum} quum ego clamarem, nihil esse bello ciuili miserius. {Nunc quoniam} Pompeio iam ex Italia pulso, & Cæsare in Hispania contra Petreium, & Afranium bellum gerente. In conuentum senatorum} Nam plurimi, & optimi quique cum Pompeio erant profecti. {Vt te} qui Romæ esses, & in Senatum ires. {Inuitaret} Romam redirem, in Senatum uenirem. {Petebat} & præsens a præsente, & literis. {Ostendi me esse dicturum} Senatui non placere, an Hispanias iri, nec exercitus in Græciam transpotari. {Propius accedam} e Campania, & maritima ora, quæ me, ut uoluit Pōpeianus habet ἐπισκοπὸν. {Quantum} Tanum, multi legunt.

BERN. RVTI.

QVum Ad urbem accesissem} Primum scilicet ex Cilicia, nō ex prædiis, ut interpres. {Qui a me, ut te imitaret, petebat} inuitarem, in aliis est quibusdam codicibus: idq; magis probamus. quid enim profuisset Cæsari, Ciceronem inimicaturum Seruium, dicturumque de Hispaniis contra Cæsaris rationem, uenire in Senatum. itaque quum petisset Cæsar a Cicerone, ut ueniret in urbem, ut non modo ipse Senatum ueniret, sed inuitaret etiam Seruium, noluit, si non obsequi, ne dehortari quidem.

Ex post. eiusdem.

QVi a me, ut te imitaret, petebat} Nihil muto; quod uideo pluribus locis ad Atticum (id quod & epistola hæc satis arguit) ad Cæsaris primum Romam aduentum in Senatum ab ipso habitum uenisse Seruium Sulpitium: & quod Cicero non leuiter queritur, filium ad circunsedendum Pompeium Brundusii miserat. ad Atticum: Quid S. Seruii filius? quot in his castris fuerint, quibus Pompeius circunsederetur? Et subiecta epistola: Sed erit iniustissimus Seruius, qui filium misit ad affligendum Cn. Pompeium aut certe capiendum. Et lib. X. Cæsar mihi ignoscit per literas, quod non uenerim, seseque in optimam partem id accipere dicit. facile patior, quod scribit, secum Tullium & Seruium questos esse, quia non idem quoque sibi, quod mihi, remisisset, homines ridiculos, qui quum filios misissent ad Cn. Pompeium circunsedendum, ipsi in senatum uenire dubitarent. }Quæ a te de pace & de Hispaniis dicta sunt} Colloquium suum Formianum cum Cæsare tum primum uiso post motum ciuile bellum ita scribit. Veni igitur, & age de pace. meo ne, inquam, arbitratu? an tibi, inquit, ego præscribam? sic inquam, agam, senatui non placere in Hispanias iri, nec exercitus in Græciam transportari: multaque, inquam, digna eo deplorabo. tum ille: Ego uero ista dici nolo. ita putabam, inquam, & cætera. Literarum harum meminit eodem libro: Iniecta autem mihi spes quædam est, uelle mecum S. Sulpitium colloqui, ad eum misi Philotimum libertum cum literis. si uir esse uolet, det clara synodia: sin autem erimus nos, qui solemus. Et non multo post: Hic ego Seruium expecto. rogor enim ab eius uxore & filio, & puto opus esse.

PHIL. MELA.

HAe Eppistolæ possunt intelligi ex libro de cibo epistolarum ad Atticum. Hæc autem non tam est deliberatio, quam querela. Initio narrat, & proponit Seruii petitionem postea addit uotum. Deinde respondet ipsius petitioni, siue addis querelam, in qua capomt se nihil consilii uidere. {Caius Trebatius} Narratio. {Vtinam Serui.} Votum ante propositionem. {Cognoram ei} Ratio uoti. {Pugnandi cupidorum} eorum scilicet, qui erant apud Pompeium. {Nunc quoniam} Propositio: Cupio tecum deliberare. {Nec enim clarissimorum} Rationes: Quia es peritus. {Res uides} Querela, quæ habet amplificationem horum malorum {Sin autem} Redit ad propositionem, ut constituat, ubi colloqui uelint.

ARGVMENTVM.

Sicut in superiore epistola uidimus, Seruius Sulpitius, cupiebat loqui cum Cicerone de Officio communi in tumultu bellorum ciuilium: de qua re scripserat ad Ciceronem breuiter per Philotimum, sperans eundem plura cum Cicerone communicaturum; sed is literas per alium misit, quod in huius principio reprehendit Cicero: deinde dicit, quod Posthumia Seruii uxor, & Seruius eius filius laudent, si ad se in Cumanum ueniret Seruius. Deinde quia Seruius consuluerat, quid esset optimum factu in Rep. id dicit esse difficillimum dictu, si utilitati consulendum sit: facillimum uero si honestati, in modo pro Rep. honeste decertandum, & discedendum ab urbe: sed consultandum Seruio, ad quæ loca se potissimum cōferat: quod si iam deliberatum habeat, quid agendum putet, non opus est ad Ciceronem ueniat: si cum Cicerone id consultare uelit, eum in Cumano expectet.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Consulit Seruio, ut ab urbe discedat.

M. T. C.

M. T. C. SER. SVLPITIO S. D. 2

*AD Tertium Calendas Maias, cum essem in Cumano, accepi tuas literas: quibus lectis, cognoui non satis prudenter fecisse Philotimum, qui, cum abs te mandata haberet (ut scribis) de omnibus rebus, ipse ad me non uenisset, literas tuas misisset: quas intellexi breuiores fuisse, quòd eum perlaturum putasses. sed tamen, postquam literas tuas legi, Posthumia tua me conuenit, & Seruius noster: his placuit, ut tu in Cumanum uenires: * quod etiam, mecum, ut ad te scriberem, egerunt. Quod meum consilium exquiris: id est tale, ut capere facilius ipse possim, quam alteri dare: quid enim est, quod audeam suadere tibi homini summa autoritate, summaque prudentia? si, quid rectissimum sit, quærimus: perspicuum est. si, quid maxime expediat: obscurum. sin hi sumus, qui profecto esse debemus, ut nihil arbitremur expedire, nisi quod rectum, honestumque sit: non potest esse dubium, quid faciendum nobis sit. Quod existimas meam causam coniunctam esse cum tua, certe similis in utroque nostrum, cum * optime sentiremus, error fuit, nam omnia utriusque consilia, ad concordiam spectauerunt. quæ cum ipsi Cæsari nihil esset utilius: gratiam quoque nos inire ab eo, defendenda pace, arbitrabamur. quantum nos fefellerit, & quem in locum res deducta sit, uides: neque solum ea perspicis. quæ geruntur, quæque iam gesta sunt, sed etiam qui cursus rerum, qui exitus futurus sit. ergo aut probare oportet ea, quæ fiunt; aut interesse, etiam si non probes. quarum altera mihi turpis, altera etiam periculosa ratio uidetur.*

Restat ut discedendum putem: in quo reliqua uidetur esse deliberatio, quod consilium in discessu, quæ loca sequamur. omnino cum miserior res nunquam accidit, tum ne deliberatio quidem difficilior. nihil enim constitui potest, quod non incurrat in magnam aliquam difficultatem. tu, si uidebitur, ita censeo facias: ut si habes iam statutum, quid tibi agendum putes, in quo non sit coniunctum consilium tuum cum meo, supersedeas hoc labore itineris. sin autem est, quod mecum communicare uelis, ego te expectabo. tu, quod tuo commodo fiat, quamprimum uelim: uenias, sicut intellexi et Seruio, & Posthumiæ placere. Vale.

al. qui. · *al. idem*

ASCENSIVS.

AD tertium Calend & cætera Accusat Philotimum quod ad se non uenerat cum mandatis Sulpitianis: deinde dicit uxorem, & filium Seruii consulere, ut in Cumanum ad se ueniat. Tum de Reipublic. auxilio, quam difficile sit, disputat, & demum quo consilio ad se in Cumanum uenire possit explanat. Ordo est. Ego accepi literas tuas III. Calend. Maias: idest biduo ante primum diem Maii, cum essem in Cumano: scilicet agro, quibus lectis cognoui Philotimum fecisse non satis prudenter. Qui cum haberet mandatum abs te supple. loquendi mecum, de omnibus rebus, ut scribis, ipse: idest quod dicunt in persona, non uenisset ad me, & supple, misisset literas tuas, quas, intellexi fuisse breuiores, quod putasses eum perlaturum, & ita reliqua dicturum. Sed tamen postquã legi literas tuas Posthumia tua: scilicet uxor conuenit me: idest uenit ad me, & Seruius noster: quia tuus filius & mihi charus, supple conuenit me. placuit iis, scilicet uxori, & filio, ut tu uenires in Cumanum, scilicet agrum, qui etiam egerunt mecum: idest induxerunt me, ut scriberem ad te. Quod tu exquiris, scilicet per literas tuas, consilium meum est id scilicet consilium meum tale, ut ipse idest ego, possim facilius capere, scilicet consilium, quam dare alteri Quid enim est, quod audeam suadere homini summa autoritate, & summa prudentia quasi dicat nihil. Si quærimus: idest disquirimus, quid sit rectissimum. scilicet factu. id supple. est perspicuum: idest euidens, quia rectissimum est in Repub. etiam usque ad mortem stare Si supple, quærimus, quid expediat. idest utile sit, maxime obscurum supple, est. Sin idest sed si, nos sumus, qui debemus profecto esse. utpote ii: idest tales, ut arbitremur nihil expedire: idest utile esse nisi quod sit rectum & honestum, non potest esse. dubium, quid sit faciendum nobis: idest quid facere debeamus quasi dicat certum est, quod debeamus pro Repub. certare usque ad mortem. Quod tu existimas meam causam esse coniunctam cum tua Certe similis error fuit in utroque nostrum, cum sentiremus idem. Nam omnia consilia utriusque spectauerunt: idest attenderunt, ad concordiam, scilicet Cæsaris & Pompeii. Quanquam nihil esset utilius ipsi Cæsari, bello: idest quam bellum, tamen supple nos arbitramur nos inire quoque: idest etiam gratiam ab eo, scilicet Cæsare, defendenda pace: idest defendendo pacem. Vbi notabis grammaticus Cicer. malle loqui per ablatiuos plurales in designatione sequelæ positos, quam per gerundium cum casu ab eo recto, sed frequentius per ablatiuos plurales, ut in præfat. offic. legendis nostris, pro legendo nostra &c. Tu uides quantum: scilicet opinio aut spes fefellerit nos, & in quem locum: idest statum res deducta sit. Neque perspicis solum, quæ geruntur, quæque: idest & quæ gesta sunt, sed etiam qui cursus, & quis exitus rerum sit futurus. Ergo oportet, scilicet te, qui es in urbe, & quemlibet alium, aut probare: idest approbare, & consensu confirmare, ea quæ fiunt: scilicet in urbe, & præcipue in senatu, aut interesse, idest præsentem esse, etiam si non probes: idest non approbes ea. quarum, scilicet rationum ac conditionum, altera ratio, scilicet probantis ea, quæ fiunt, cum non sit, probanda, uidetur mihi esse turpis, altera ratio, scilicet eius, qui interest iis quæ non probat, uidetur etiam periculosa, quia iram prouocat eorum, qui probari cupiunt. Restat: idest reliquum est, ut putem discedendum: scilicet a Roma. ubi sine turpitudine, aut periculo uitæ esse non liceat, in quo, scilicet quod restat, hoc est in discedendo, uidetur deliberatio esse reliqua: idest relicta, quod consilium & quæ loca sequamur in discessu: idest discedendo, cum: scilicet ita sit, quod res miserior: idest quam patriam fugere, & nescire quo te recipias, nunquam accidit nobis, tum, scilicet multo uerius est, quod ne quidem, idest non etiam deliberatio accidit supple nunquam difficilior. Nihil enim potest constitui, idest deliberari, statui, quod non incurrat, idest celeriter incidat in aliquam magnam difficultatem. Si uidebitur scilicet consultum & utile, ego censeo supple ut facias ita, ut si habes iam statutum, idest decretum, quid putes agendum tibi, in quo scilicet agendo consilium meum non sit coniunctum cum tuo, supersedeas, idest non utare hoc labore itineris scilicet ueniendi ad me, sin autem, idest sed si, est supple aliquid, quod uelis communicare mecum ego expectabo te scilicet in Cumano. Ego uelim tu uenias quamprimum, idest ualde cito, quod fiat tuo commodo, sicut intellexi placere & idest simul, Seruio, scilicet filio tuo, & idest simul, Posthumiæ scilicet uxori tuæ.

SEBAS. CORR.

PHilotimum} libertum meum, quem ad te, cum superioribus literis miseram. {Perspicuum est} rectissimum id esse, ab eo stare, qui Rempub. tuetur. {Obscurum} quum nihil sit incertius belli exitu: & propterea nesciamus, uter sit uicturus. {Nisi quod rectum} Lege tertium librum de Officiis. {Faciendum nobis sit} Quin ad Pompeium sit eundum. {Quum optime sentiremus} ego quidem in Campania, tu uero Romæ in Senatu. {Res deducta sit} Hispania, & toto pene orbe terrarum bellis ardente. {Qui exitus} quam funestus. {Probare oportet} te, & reliquos, qui Romæ sunt. {Turpis} probare, quæ fiunt, etiam si non sunt probanda. {Periculosa} interesse, & non probare, quoniam Cæsarem offendas, necesse est. {Difficultatem} Adriatico mari occupato a Dolabella, Cretensi a Curione, Sardinia a Valerio, tota pene Italia, a M. Antonio.

BERN. RVT.

NIHIL Enim constitui potest} Constitui, cætera habent exemplaria, omnia recte.

PHILI. MELA.

DEliberatio est, an sit fugiendum ex Italia, & sequendus Pompeius. Initio narratiuncula est in qua distribuit locos honestatis & utilitatis. Postremo constituit de discessu, & addit querelam, quæ habet amplificationem difficultatis. {Ad tertium Calen.} Narratio {Quod meum consilium} Propositio, nescio quid consulam {Siquid rectissimum} idest si uolumus honeste facere, sequamur Pompeium: sin uolumus utilitatis habere rationem, hic manebimus. Est autem diuisio. {Ergo autem probare} Conclusio diuisionis, in qua omnia membra reiiciuntur {Probare oportet} scilicet si hic manebimus. {Omnino quum} Addit aliud membrum querelam uidelicet.

ARGVMENTVM.

Cum præesset Ser. Sulpitius Achaiæ, post bellum Pharsalicum, grauiter angebatur multa per Cæsarem imperiose geri in urbe, quod cum Cicero ex multis intellexisset, eum hac epistola consolatur, adducens multas causas consolatorias, inter quas præcipue enumerat rectam conscientiam, & studia literarum, quibus ostendit acquiescendum esse. Postremo scribit Seruium Sulpitii filium studiosum liberalium artium, seque ab eo uehementer diligi.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Conquestio de iniuria suorum temporum: mox consolatio a recta conscientia, & bonarum artium studio. postremo filii commendatio, quo pari uoluptate aliqua a doloribus afficias.

M. T. C. SER. SVLPITIO S. D.

*Vehementer te esse solicitum, & in communibus miseris præcipuo quodam dolore angi, multi ad nos quotidie deferunt. quod quanquam minime miror, & meum quodammodo agnosco: doleo tamen te sapientia præditum propè singulari, non tuis nobis delectari potius, quàm alienis malis laborare. me quidem, etsi nemini concedo qui maiorem ex pernicie, & peste Reipub. molestiam traxerit: tamen multa iam consolantur, maximeq; conscientia consiliorum meorum; multo enim ante tanquam ex aliqua specula prospexi tempestatem futuram: neque id solum mea sponte, sed multo etiam magis monente, & denuntiante te: etsi enim absui magnam partem Consolatus tui, tamen & absens cognoscebam, quæ esset tua in hoc post fero bello cauendo, & prædicendo sententia; & ipse affui primis temporibus tui Consolatus, cum accuratissime monuisti senatum collectis omnibus bellis ciuilibus, ut & illa timerent, quæ meminissent: & scirent, cum superiores, nullo tali exemplo antea in Repub. cognito, tam crudeles fuißent, quicunque postea Rempubli. oppresßisset armis, multo intolerabiliorem futurum; NAM quod exemplo fit, id etiam iure fieri putant, * & aliquid atq; adeo * multa addunt, & afferunt de suo. quare meminisse debes eos, qui autoritatem, & consilium tuum non sunt secuti, sua stultitia occidisse. cum tua prudentia salui esse potuissent. dices; Quid me ista res consolatur in tantis tenebris, & quasi * parietinis Reipub. est omnino uix consolabilis dolor, tanta est omnium rerum amisßio, & desperatio recuperandi: sed tamen & Cæsar ipse ita de te iudicat, & omnes ciues sic existimant, quasi lumen aliquod extinctis cæteris elucere sanctitatem, & prudentiam, & dignitatem tuam. hæc tibi ad leuandas molestias magna esse debent. Quòd autem à tuis abes, id eo leuius ferendum est, quòd eodem tempore à multis. * ac magnis molestiis abes: quas ad te omneis perscriberem: nisi uererer, ne ea cognosceres absens, quæ quia non uides, mihi uideris * meliore esse conditione, quàm nos, qui uidemus. hactenus existimo nostram consolationem recte adhibitam esse, quoad certior ab homine amicissimo fieres iis de rebus, quibus leuari possent molestiæ tuæ, reliqua sunt in te ipso, neque mihi ignota, nec maxime solatia, & (ut quidem ego sentio) multo maxima: quæ ego ipse experiens quotidie sic probo; ut ea mihi salutem afferre uideantur. te autem ab initio ætatis memoria teneo summe omnium doctrinarum studiosum fuisse, omniaq;, quæ à sapientissimis ad bene uiuendum tradita essent, summo studio, curaq; didicisse: quæ quidem uel optimis rebus & usui, & delectationi esse possent. his uero temporibus habemus aliud nihil, in quo acquiescamus. nihil faciam insolenter: neque te tali uel scientia, uel natura præditum hortabor, ut ad eas te referas arteis, quibus à primis temporibus ætati studium tuum dedisti. tantum dicam, quod te spero approbaturum: me, posteaquam illi arti, cui studueram. nihil esse loci: neque in curia, neque in foro uiderim, omnem meam curam, atque operam ad philosophiam contulisse. tuæ scientiæ excellenti, ac singulari non multo plus, quam nostræ, relictum est loci. quare non equidem te moneo: sed mihi ita persuasi, te quoque in iisdem uersari rebus, quæ etiam si minus prodessent, animum tamen à solicitudine abducerent. Seruius quidem tuus in omnibus ingenuis artibus: in primisque in hac in qua ego me scripsi acquiescere, ita uersatur, ut excellat: à me uero sic diligitur, ut tibi uni concedam, præterea nemini: mihique ab eo gratia refertur; in quo ille existimat, quod facile appareat, quod me colat, & obseruet, tibi quoque in eo se facere gratissimum. Vale.*

**a.l.sed.*
**a.l.multum.*
**a.l.perditiuis, uel parte tinis & a.l.habet perpetuis uel paricidiis.*
**a.l.&*
**a.l.melioris conditionis.*

ASCENSIVS.

Vehementer &c. Cum præesset S. Sulp. Achaiæ post bellum Pharsalicum, grauiter angebatur multa per Cæsarem imperiose geri in urbe, quod cum Cice. ex multis intellexisset, cum hac epistola consolatur, adducens multas causas consolatorias, inter quas præcipue adducit rectam conscientiam & studia literarum, quibus ostendit acquiescendum esse. Postremo scribit S. Sulpitii filium studiosum liberalium artium, ipsumq; a se, & se ab eo uehementer diligi. Ordo est. Multi deferunt ad nos quotidie, idest denunciant nobis te esse solicitum uehementer & angi, idest angustiari & premi, quodam dolore præcipuo, idest singulari & præter cæterorum dolores magno, in miseriis communibus. Quod quanquam miror minime, & agnosco scilicet in dolore tuo, quodammodo meum scilicet dolorem, quia æqualis & de consimili causa est, doleo tamen te præditum sapientia, prope idest quasi, singulari, idest tam magna ut tibi soli contingat, non delectari potius tuis bonis scilicet animi, hoc est uirtutibus & scientiis, quam laborare, idest angi, malis, idest uitiis, alienis, ut Cæsaris tyrannide. Quidem, idest certe etsi, idest quanquam, nemini concedo, qui idest ut is traxerit maiorem molestiam, idest cruciatum animi, ex pernicie, idest ærumna & peste, idest calamitate Reipublicæ tamen multa consolantur iam me, & maxime conscientia consiliorum meorum, hoc est, quia mihi conscius sum nihil me consuluisse Pompeio, aut alteri, ob quod hæc mala subsecuta sint. Enim pro quia ego prospexi tanquam ex aliqua specula, idest loco alto ad speculandum apto, multo ante, scilicet quam ueniret, tempestatem futuram. Neque supple feci, id idest perspexi tempestatem futuram, solum, idest solummodo, mea sponte, idest propria natura & instigatione, seu ut dicunt, meo solius instinctu, sed etiam multo magis, te monente & denunciante, idest significante futurum, quasi ex certo augurio, ut pullarii denunctare solebant. Enim, idest quia, etsi idest quanquam absui scilicet ab urbe magnam partem, idest durante magna parte (Vnde manifeste patet Ciceronem tempus continuum in accusatiuo libenter ponere) consulatus tui, idest temporis, quo consul eras, tamen & idest partim, absens, idest cum abessem, cognoscebam, quæ idest qualis sententia tua esset in cauendo, idest fugiendo, & prædicendo, idest denunciando hoc bello pestifero scilicet Cæsaris & Pompeii, quo respu. periit, & idest partim, affui primis temporibus consulatus tui, cum idest quando, monuisti accuratissime, idest cum summa cura & diligentia senatum, idest patres conscriptos, omnibus bellis ciuilibus collectis, idest simul commemoratis, in oratione & admonitione tua monuisti dico, ut scilicet patres conscripti, & idest simul, timerent illa, idest similia eorum, quæ meminissent, idest memoria tenerent iam transacta, & scirent, quicunque postea, idest temporibus futuris, oppressisset armis Rempu. futurum intolerabiliorem multo: scilicet quam superiores, cum superiores: scilicet oppressores Reipu. ut Sylla & Marius, fuissent tam crudeles, nullo tali exemplo cognito in Repub. idest licet nullum haberent, cuius crudelitatem imitarentur, eo quod primi libertatis oppressores erant, & ita magis debebant uereri uiolare tam atrociter Rempoblicam quam qui aliorum exempla sectarentur. Nam supple fere omnes homines, putant, id quod fit exemplo: idest ad exemplum, fieri etiam iure, sed ipsi addunt & afferunt aliquid, atq; adeo: idest ad hoc usq;, quod multa addunt de suo: idest proprio ingenio, atq; more. Quare tu debes meminisse eos, qui non sunt secuti autoritatem & consilium tuum, occidisse: idest periisse stultitia sua, cum potuissent esse salui, prudentia tua: idest per prudentiã tuam. Dices: idest respondebis. Quid: idest in quo, ista res consolatur me in tantis, & quasi perpetuis tenebris: idest obscurationibus, & uppresionibus Reipublicæ? Respondet Cicero. Dolor de amissione Reipublicæ est omnino uix consolabilis: idest consolatione mitigabilis, tanta est amissio omnium rerum, & desperatio recuperandi supple earum, aut eas, sed tamen: idest nihilominus, & idest tamen, Cæsar ipse, scilicet caput omnium malorum, iudicat ita de te, & omnes ciues existimant sic sanctitatem: idest incorruptionem uitæ, & prudentiam, & dignitatem tuam elucere: idest manifeste lucere, tanquam aliquod lumen, scilicet magnum, cæteris: scilicet luminibus, aut talibus uiris extinctis. Hæc scilicet, quæ de te creduntur, debent esse tibi magna, idest magni momenti, ad molestias, scilicet animi tui leuandas, idest mitigandas & minuendas. Quod autẽ abes a tuis (erat enim in Achaia) supple id ferendum, idest patiendum & tolerandum est leuius, idest facilius, ideo quod abes eodem tempore, a multis & magnis molestiis, quas scilicet molestias, ego perscriberem ad te omnes, nisi uererer, ne idest ut tu absens cognosceres ea scilicet mala urbis, quæ quia non uides, uideris mihi esse meliore conditione, idest statu uitæ, quam nos, qui uidemus sup. ea. Ego existimo nostram consolationem esse adhibitam scilicet recte, idest decenter, idest ad hunc finem. quoad, idest quatenus, aut quatenus, fieres certior, idest scientior, ab homine amicissimo, de iis rebus,

tus, quibus molestiæ tuæ, possent leuari, idest minui. Reliqua solatia sunt in te ipso nec minima, nec ignota mihi & quidem, idest certe, ut ego sentio, multo: idest longe maxima, quæ scilicet solatia ipse, idest ego experiens quotidie probo, idest comprobo sic, ut ea, idest consimilia uideantur afferre mihi salutem. Autem idest sed, ut rem de qua loquor aperiam, ego teneo memoria, te fuisse ab initio ætatis, hoc est ab ineunte ætate studiosum summe, idest summopere, omnium doctrinarum, scilicet liberalium, & didicisse summo studio, & cura, scilicet summa, omnia quæ essent tradita a sapientissimis ad uiuendum bene. quæ scilicet tradita a sapientissimis, quidem, idest certe, possent esse, uel, idest etiam optimis, idest in lætissimis rebus, & idest simul usui, idest utilitati, &, idest simul, delectationi, idest uoluptati. uero pro sed, nos nihil habemus aliud, in quo acquiescamus, idest contenti simus, his temporibus, scilicet malis. Ego nihil faciam insolenter, idest supra modum & superbe, neque hortabor te præditum tali, uel scientia, scilicet acquisita, uel natura, idest naturali prudentia, ut referas te ad eas artes, quibus dedisti, idest addixisti: studium tuum a primis temporibus ætatis, scilicet tuæ. Ego dicam tantum, idest tantummodo, supple id, quod spero te approbaturum, uidelicet me contulisse omnem curam meam atque operam ad philosophiam postquam uiderim mihi loci esse, neque in curia, idest in senatu, neque in foro scilicet iudiciali, illi arti scilicet oratoriæ, aut bene dicendi cui studueram. Solebant autem orationes in tribus locis fieri, in senatu, ad patres conscriptos, in iudicio ad iudices & in concione ad quirites, unde orantes supple compellant, aut patres conscriptos, aut iudices, aut quirites, idest Populum Romanum. Non multo plus loci, idest experimentis & usus, relictum est scientiæ tuæ, scilicet legali, excellenti ac singulari, quam nostræ, scilicet oratoriæ, & causidicæ. Quare equidem, idest ego quidem, non moneo te, sed persuasi ita mihi, idest iudico ita mihi uisum esse, te quoque uersari, idest utile esse, si etiam tu uerseris in iisdem rebus, scilicet philosophicis, quæ scilicet res, etiam si prodessent minus, idest non satis, tamen abducerent animum a solicitudine. Quidem, idest certe, quasi dicat, quicquid tu facturus sis: Seruius tuus, scilicet filius, uersatur in omnibus artibus ingenuis, idest ingenuo dignis, hoc est liberalibus, & in primis in hac supple arte, hoc est in philosophia, in qua scripsi, scilicet pauloante, me acquiescere, idest contentum esse, & quietem animi inuenire. Vero pro sed, ipse diligitur sic a me, ut concedam, idest locum dem, tibi uni, idest soli, præterea, idest præter te, nemini. hoc est, ut plus tamen diligatur a te, sed a nemine altero, & gratia refertur mihi ab eo, idest quantum amoris a me accipit tantum refert, & ita non minus me diligit, quam diligatur a me. In quo scilicet facto, hoc est in gratia referenda & in mutuo amore mihi præstando. ille existimat supp. id quod facile apparet idest euidens satis est, se in eo, quod colat, & obseruet me, facere quoque, idest etiam tibi gratissimum.

VICTORIVS. IN tantis tenebris, & quasi perpetuis Reipub.} Nos emendauimus. {Parietinis} sunt autem parietinæ, parietum ruinæ, muri semiconsumpti, ut in epistola ad C. Memmium, Peteremq; ut nescio, quid illud Epicuri parietinarum sibi concederes. In tertio libro Tuscul. Magisq; me mouerant Corinthi subito aspectæ parietinæ, quam ipsos Corinthios. Etsi eo quoque loco mendosi sunt uulgati codices: habent enim parietum ruinæ, pro parietinæ: manu tamen scripti antiquiores ueram lectionem retinent. No. Marcellus Sisennæ hunc locum adducit ex hist. lib. III. Post uillarum macerias, ac parietinas quinque cohortes in insidiis reliquit. Appellat autem parietinas Cice. Reipu μεταφορικῶς quasi ruinas, & reliquias quæ ne uideretur dura, & parum uerecunda translatio, particula illa. {Quasi} mitigat. uerecundior est certe ea ipsa, quam protulit Seruius, qui dixit cadauera oppidum. Est autem in antiquo illo, quem omnium optimum inuenimus. {Paretinis} ut si T in I permores, nihil desideretur: quia rarior est uox, ideo tam facilem lapsum, & tam paruum erratum nulli hactenus animaduerterunt. Quidam autem. {Parricidiis} reponere ausi sunt: quam recte, iudicent doctiores.

SEBAS. CORR. COnsulatus tui} Venimus enim, inquit ad Atticum scribens, in prouinciam Laodiceam, Sulpitio & Marcello Coss. prid. Calen. Sext. {Superiores} Marius, Sylla & reliqui. {Eos Pompeium, Domitium, Scipionem, & Catonem. {Consilium tuum} Ne, agentes de successore ante tempus mittendo, Cæsarem irritarent. {Salui esse potuissent} nisi bellum, Cæsarem prouocantes, excitassent. {Perpetuis Alii, parricidiis. alii parietinis legunt. {A tuis abes} in Achaia. {Solatia} ut bonarum artium studia. {Illi arti} oratoriæ {Tuæ scientiæ} iuri ciuili, & pontificio. {In iisdem uersari rebus} philosophicis.

PHIL. MELA. COnsolatio Est} orditur enim a breui narratiuncula. deinde subiicit suum exemplum, quomodo se consoletur ipse, & in d[illegible] Seruium habere easdem consolationis causas, quia eadem c[illegible] [illegible]. Secunda ratio sumpta est ab ipsius Serui incolumit[illegible]. Tertia ratio sumpta est ex loco communi de studiis, quod levationem maximam adferat animis doctrina. Cæterum post interfectum Pompeium ista sunt scripta. {Vehementer te esse} Consolatoria propositio: Audio te dolere, &c. {Me quidem} Transfert in se. {Multo enim maior} Primum argumentũ ex consolatione recti, quæ est summa consolatio, ducta ex loco honestatis. {Dices, quid me} Occupatio. Illud malum maius est, quam ut ullam recipiat consolationem. {Sed tamen, & Cæsar} Secundum argumentum, a propriis ornamentis. {Quod autem a tuis} Dilutio, de absentia quia ipse aberat proconsul in Achaia. {Reliqua sunt} Tertium argumentum, simpliciter ex loco communi ductum est de studiis Philosophiæ.

ARGVMENTVM.

Cum ex Achaia, cui præfectus erat Seruius, sæpe eodem exemplo literas ad Ciceronem dedisset, & Cic. id se mirari significasset, excusauerat factum suum Seruius dupliciter. Primo quod uerebatur, ne non perlatæ essent priores, ideoque posteriores eodem exemplo dedisse; deinde aut per iocum, aut per modestiam loquens, dicit se id fecisse inopia sermonis, qua nesciebat rem unam uarie significare, quod Ciceroni facillimum censet, utpote oratori copiosissimo. Harum excusationum dicit se Cicero priorem accipere, hoc est approbare: posteriorem non posse credere: cum sit tam peritus dicendi, & tã copiosus in scribendo. Deinde, quia scripserat, quo consilio Achaicum negotium susceperit, laudat illud Cicero: cum rem futuram prudenter præuiderit. Scribit tamẽ de benignitate Cæsaris erga Marcellum & cæteros: ut Seruium a reditu non deterreat: filiumq; eius laudat.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Respondet excusationi Seruii, & illius negotium præ se extollit. Narrat item, qua ratione in pristinum locum per Cæsaris beneficia Marcellum restituerit. Postremo & Seruii filiiq; illius eruditionem & probitatem laudat. itaque missa est epistola.

M. T. C. S. D. SER. SVLPITIO. 4

*ACcipio excusationem tuam. qua usus es cur sæpius ad me literas uno exẽplo dedisses; sed accipio ex ea parte, quatenus aut negligentia, aut improbitate eorum, qui epistolas accipiant, fieri scribis, ne ad nos perferantur. Illam partem excusationis, qua te scribis orationis paupertate (sic enim appellas) iisdem uerbis epistolas sæpius mittere, nec agnosco, nec probo. & ego ipse. quem tu per iocum (sic enim accipio) diuitias orationis habere dicis, me non esse uerborum admodum inopem agnosco; * εἰρωνεύεσθαι enim non necesse est: sed tamen idem, nec hoc * εἰρωνευόμενος facile cedo tuorum scriptorum subtilitati, & elegantiæ. Consilium tuum quo te usum scribis hoc Achaicum negotium non recusauisse, cum semper probauissem, tum multo magis probaui lectis tuis proximis literis: omnes enim causæ, quas commemoras iustissimæ sunt, tuaq; & autoritate, & prudentia dignissimæ. Quòd aliter cecidisse rem existimas, atque opinatus sis: id tibi nullo modo assentior. sed quia tanta perturbatio, & confusio est rerum ita perculsa, & prostrata fœdissimo bello iacent omnia, ut is cuique locus, ubi ipse sit, miserrimus esse uideatur: propterea & tui te consilii pœnitet, & nos, qui domi sumus, tibi beati uidemur. at contra nobis non tu quidem uacuus molestiis sed præ nobis beatus. atque hoc ipso melior est tua quam nostra conditio; quod tu, quid doleas, scribere audes; nos ne id quidem tuto possumus; nec id uictoris uitio, quo nihil moderatius, sed ipsius uictoriæ, quæ ciuilibus bellis semper est insolens. uno te uicimus quòd de Marcelli collegæ tui salute, paulo ante, quàm tu, cognouimus: etiam mehercule, quod quemadmodum ea res ageretur, uidimus: nam sic fac existimes, post has miserias, idest postquam armis disceptari cœptum est de iure publico, nihil esse actum aliud cum dignitate: nam & ipse Cæsar accusata acerbitate Marcelli (sic enim appellabat) laudataq; honorificentissime & æquitate tua, & prudentia, repente præter spem dixit se senatui roganti de Marcello ne hominis quidem causa negaturum. fecerat autem hoc senatus, ut, cum à L. Pisone mentio esset facta de Marcello; & cum C. Marcellus se ad Cæsaris pedes abiecisset: cunctus consurgeret, & ad Cæsarem supplex acce-*

* .i. dissimulare.
* .i. simulans.

deret. noli quærere: ita mihi pulcher hic dies uisus est, ut speciem aliquam uiderer uidere quasi reuiuiscentis Reipublic. itaque cum omnes ante me rogati gratias Cæsari egissent, præter Volcatium (is enim si eo loco esset. negauit se facturum fuisse) ego rogatus mutaui meum consilium: nam statueram, non mehercule inertia, sed desiderio pristinæ dignitatis, in perpetuum tacere fregit hoc meum consilium & Cæsaris magnitudo animi, & senatus officium, itaque pluribus uerbis egi Cæsari gratias; meq́; metuo ne etiam in cæteris rebus honesto ocio priuarim: quod erat unicum solatium in malis. sed tamen, quando effugi eius offensionem, qui fortaße arbitraretur, me hanc Rempub. non putare, si perpetuo tacerem: modice hoc faciam, aut etiam intra modum; ut & illius uoluntati, & meis studiis seruiam: nam etsi à prima ætate me omnis ars, & doctrina liberalis, & maxime philosophia delectauit: tamen hoc studium quotidie ingrauescit credo & ætatis maturitate ad prudentiam, et his temporum uitiis, ut nulla res alia leuare animum molestiis posit. à quo studio te abduci negociis, intelligo ex tuis literis: sed tamen aliquid iam noctes te adiuuabunt. Seruius tuus. uel potius noster summa me obseruantia colit: cuius ego cum omni probitate, summaq́; uirtute, tum studiis, doctrinaq́; delector. is mecum sæpe de tua mansione, aut decessione communicat. Adhuc in hac sum sententia, nihil ut faciamus, nisi quòd maxime Cæsar uelle uideatur. res sunt eiusmodi, ut si Romæ sis, nihil te præter tuos delectare posit. de reliquis nihil melius ipso est. cæteri, & cætera eiusmodi, ut, si alterutrum necesse sit, audire ea malis, quàm uidere. hoc nostrum consilium nobis minime iucundum est qui te uidere cupimus: sed consulimus tibi. Vale.

ASCENSIVS.

Accipio excusationem. Purgauerat se Seruius Sulpitius, quod multas eiusdem exempli literas misisset, quia dubitaret an priores essent perlatæ, & quod inopia sermonis alterius exempli scribere nequiret, quarum excusationum priorem Cic. accipit non posteriorem: laudat deinde consilium Seruii, quo Achaicum negotium nō recusauerat, hortaturq; eum tacite Cæsaris clementiæ confidere, & filium rursus laudat Ordo est. Accipio idest approbo excusationem tuam, qua usus es, cur dedisses ad me sæpius literas eodem exemplo idest eadem forma uerborum, sed accipio idest approbo eam ex ea parte, quatenus scribis, fieri aut negligentia aut improbitate eorum qui epistolas acciperant: scilicet perferendas, ne perferantur ad nos Ego nec nosco idest deprehendo in scriptis tuis, nec probo illam partē excusationis, quam tu scribis te mittere sæpius epistolas iisdem uerbis, paupertate, idest inopia, sic enim appellas, orationis: idest rationis dicendi. Ego ipse, quem tu dicis per iocum, ego enim accipio. i. intelligo sic: scilicet te id dicere, habere diuitias orationis: agnosco me non esse admodum: idest ualde, inopem uerborum. enim: idest quia, non est necesse εἰρωνεύεσθαι: idest ironice ac dissimulanter loqui, sed tamen idem: scilicet ego, nec εἰρωνευόμενος: idest ironice loquens, sed uere, & ex animo, hoc: scilicet quod dicam, cedo facile. i. fateor me succumbere, subtilitati & elegantiæ tuorum scriptorum quasi dicat syncere loquens, nec te inopem sermonis, nec ditiorem quam ego sim æstimo Cum ego semper approbassem hoc consiliū tuum quo usum, idest cum sis eo usus, scribis te non recusauisse hoc negotium Achaicum: idest quod publice geris in Achaia: tum probaui multo magis proximis literis tuis lectis. Omnes enim causæ, quas commemoras, sunt iustissimæ & dignissimæ tua autoritate & prudentia: idest quæ a te tali uiro approbarentur, aut quæ te tam prudentem & magnum uirum ad hoc adducerent. Quod existimas rem cecidisse aliter atque: idest quam sis opinatus, ego nullo modo assentior, idest astipulor & concedo tibi id, sed quia tāta perturbatio & confusio rerum est, omnia iacent ita perculsa & postrata fœdissimo, quia ciuili & inter affines, bello, ut is locus uideatur cuiq; miserrimus ubi ipse sit: ppea. i. & ideo, &. i. simul pœnitet te cō silii tui, &, i. simul, nos q sumus domi, uidemur tibi beati. At. i. sed supple tu uideris nobis contra. i. econtrario, nō quidē uacuus molestiis . i. omnino sine molestiis, sed beatus præ nobis, idest respectu nostri, idest Atque tua conditio idest fortuna aut forma uiuendi, est melior quam nostra, hoc ipso idest propter hoc ipsum, quod tu audes scribere quid doleas, nos ne quidem. idest non saltem possumus id scilicet scribere quid doleamus, tuto idest sine periculo, nec id sup. accidit uitio uictoris scilicet Cæsaris, quo nihil supple est moderatus idest temperantius, utens uictoria sed supple uitio ipsius uictoriæ, quæ est semper insolens idest immoderata & superba supple in bellis ciuilibus, eo quod dom semper habet, qui uictor est, occultos hostes reliquos. Nam uicimus te: idest beatitudinem tuam superauimus, uno idest una re, quod cognouimus de salute Marcelli collegæ tui scilicet in consulatu, cui Cæsar ignouit, paulo: idest modico ante quam tu etiam, me hercle quod uidimus, quemadmodū ea res idest reconciliatio Marcelli agebatur. Nam e xistimes idest cēseas sic, nihil aliud actum esse cum dignitate, post has miserias idest postquam ceptum est disceptari armis de iure publico idest imperii Romani, unde Luca. Iusq; datum sceleri. Nam & ipse Cæsar, acerbitate: idest pertinaci constantia Marcelli, ipse enim Cæsar appellabat supple constantiam Marcelli, sic. i. acerbitatem, castigata. i. reprehensa, & æquitate & prudentia tua, laudata honorificentissime, dixit repente præter spem se ne quidem, idest non saltem causa hominis: idest licet Marcellus nimis acerbus esset, se negaturum senatui roganti de Marcello. i. reductione Marcelli in urbem cum bona uenia Cæsaris. Autē: idest sed, senatus fecerat hoc scilicet quod diceret, ut cum mentio facta esset de Marcello a Luc. Pisone. Et cum Marcellus scilicet Lucius frater Marci Marcelli abiecisset se ad pedes Cæsaris scilicet Iulii, ipse scilicet senatus, consurgeret cunctus idest simul totus, & accederet supplex ad Cæsarem. Noli quærere supple quomodo Cæsar senatum ad se accedentem acceperit, quia hic dies quo hæc contigerunt, uisus est mihi ita pulcher, ut uidere scilicet mihi, uidere aliquam speciem idest representationē & effigiem, quasi reuiuiscentis idest iterum uitam capientis & renascentis reipu. Itaque cum omnes rogati, scilicet sententiam ante me idest ante quam ego, egissent gratias Cæsari, de reuocatione M. Marcelli præter Volcatium. Is enim negauit se esse facturum, idest redditurum ad Cæsarem, aut eius gratiam si esset eo loco scilicet quo Marcellus, scilicet in eo statu. Sunt qui intelligant in eum locum idest in senatu, & negauit se facturum, ut ageret gratias, sed turpiter errant: quomodo enim rogari poterat sententiam si non erat in senatu? Rogatum autem fuisse indicat particula præter. Ego rogatus scilicet sententiam de reditu Marcelli, mutaui consilium meum. Nam statueram tacere in perpetuum scilicet in senatu, idest nullam sententiam dicere. non mehercule, scilicet ita iudicante ac tractante ut uerum dico supple id statueram inertia, idest propter inertiam idest carentiam artis & industriæ, sed desiderio dignitatis pristinæ, idest prius habitæ. Et, idest simul magnitudo animi Cæsaris, & idest simul officium senatus, qui ita pro Marcello intercessit, fregit hoc consilium meum, de perpetuo silentio in senatu habendo. itaq; egi Cæsari gratias pluribus uerbis, scilicet quam constitueram, aut pluribus, idest uerbis multis. Neque propterea quod semel sententiam dixi, metuo me priuari ocio honesto, idest uacatione a negocio reip. decenti etiam in cæteris rebus quod, scilicet otium, erat unum idest solum solatium in malis. Sed tamen quoniam effugi offensionē eius scilicet Cæsaris qui arbitraretur fortasse me non putare. i. censere, hanc quæ nunc est, sup. est rempu. si tacerem perpetuo, ego faciam hoc modice. i. parce loquar in senatu, aut etiā intra, alii legūt infra aut citra. i. non usq; admodū. i. iustam mensuram. sed sicut dicimus extra modū pro supra modū, ita intra modū pro infra modū, ut seruiam. i. inseruiam & obsequar, &. i. simul, uoluntati eius, &. i. simul, studiis meis Nā & si. i. quāquā, omnis ars & doctrina liberalis & maxime philosophia. s. moralis, delectauit me a prima ætate, tamē hoc studiū. s. philosophiæ, ingrauescit. i. fit grauius & maioris autoritatis quotidie, credo &. i. simul maturitate ætatis ad prudentiam, quia iuuenes autore philosopho sunt philosophiæ moralis inutiles auditores, eo quod mores probatos eis nō sapiūt, & his uitiis. i propter hæc uitia temporum, quæ tanta sunt ut nulla alia res, præter philosophiam posit leuare animum a molestiis. Consulto in multis locis ab expositione Hubertini discedo. Is enim ita exponit, hoc studiū eloquentiæ & agendi gratiat, Sed errat. Nam ideo intra modum dicit se dicturū sententiā in ut studiis suis inseruiat non quidē eloquentiæ sed philosophiæ moralis. Quæ studia licet illi in prima ætate iucunda fuerunt, tamen eorū autoritas & amor cū ætate crescit, præsertim ea malitia temporum qua nō licebat in senatu & iudicus eloquentiā exercere. A quo studio. s. philosophiæ, ego intelligo ex tuis literis, te abduci negociis. i. per negocia, sed tamen noctes quæ longiores tunc fiebant adiuuabunt te iā. i. deinceps, aliqd . i. in aliquo. Nō ergo de eloquentiæ, sed philosophiæ studio locutus est: non enim eloquentia noctu exercetur. Seruius tuus. s. filius, uel potius noster, scilicet communis filius tuus per naturam, meus per amorem paternum, colit. i. ueneratur me summa obseruantia. Cuius . s. Seruii tui, ego delector cum. i. ita sit quod delector, omni probitate, & summa uirtute, tū sup multo uerius est, quod delector studiis, & doctrina. Is. s. Ser. communicat. i. cum familiaritate loquitur mecū sæpe de mansione, aut decessione tua. s. in, aut de prouincia. Ego sum adhuc in hac sententia, ut nihil faciamus, nisi quod Cæsar uideatur uelle maxime. Res sunt eiusmodi. i. ita se habent, ut si sis Romæ, nihil posit delectare te præter tuos de reliqs. i. inter reliquos, qui nō sunt tui nihil est melius ipso Cæsare, cæteri. i. homines, cætera. s. negocia sup. sunt, eiusmodi. i. talia, ut si sit necesse alterutrum . i. unum duorum, sup. uidere, aut audire ea, tu malis. i. magis uelis audire, ea, quam uidere. Hoc cōsilium nostrum. s. quo deterremus te, a

uidendis

uidendis, quæ Romæ fiant, est minime, idest omnino non iucundũ nobis, qui cupimus uidere te, sed nos consulimus .i. prospicimus, & utile consilium damus tibi. Vale.

EX POSTER. VICTO.

MOdice hoc faciam aut etiam intra modum} Aul. Gellius Libro XIII. cap. Mentionem huius loci fecit his uerbis, sed postea in libro M. Tullii epistolarum ad Ser. Sulpitium, sic dictum esse inuenimus, Intra modum, ut intra Cal. dicunt, qui dicere citra Cal. nolunt. Quem locum eo libentius adduxi, quia ostendit, quomodo ueteres citare soliti sint testimonia horum librorum: neq; enim tunc Primus, Secundus, Tertius appellabatur: sed liber nomen sumebat ab eo, ad quem prima epistola scripta esset, quod nos uetustatis amatores obseruauimus.

SEBAS. CORR.

Εἰρωνεύσθαι} dissimulare, εἰρωνευόμενος dissimulãs {Collegæ tui} in cõsulatu {Acerbitate} qua in cõsulatu aduersus Cæsarẽ ipsum usus fuerat: Atq; in primus, quũ mittendũ illi successorem censuit. {Aequitate tua} qui iniquum esse censuisti, mittere successorem nondum finito tempore. {L. Pisone} Cæsaris socero. {C. Marcellus} ipsius M Marcelli frater. {Volcatium} L. Volcatiũ Tallium. {Eo loco} in Senatu, ubi Senatoris dignitas est seruanda, {Facturum fuisse} ut ad Cæsarem supplex accederet, & gratias ageret. {Egi Cæsari gratias} in oratione pro M Marcello. {Otio perualuit} mutato semel tacendi consilio. {Melius ipso est} Cæsare.

BERN. RVTI.

ACeusata acerbitate Marcelli} qua usus esset contra Cæsarẽ in consulatu latronem enim eum appellabat, Pompeium cõtra Cæsarem imperatorem nominauit, delectum habere iussit: Nouocomensem uirgis cædi, ut is sciret frustra eam Coloniam ciuitate Rom. a Cæsare donatam: de prouinciis, idest de successore Cæsari mittendo nunquam quieuit autores Cælius, Liuius, Plutarchus, Appianus, cæteri. Non enim ad illam pertinaciam pertinet, ut ait Clericus, qua patria carebat. {Is enim, si eo loco esset, negauit se facturum fuisse} Quid si eo loco, quo erat M. Marcellus .i. ea conditione acciperes, uel Eo loco .i. si Marcellus, ut adhuc fecerat eo loco ubi erat, Romam migrare nollet? ut epistolis ad eum infra patet: nam interpretis sensus subineptus. Item supra. {Postquam armis disceptari ceptum est, de iure publico nihil esse actum aliud cum dignitate} Distinctio hæc satis refellit Clerici sensum est autem de iure publico, quia disputatum forte eo die in senatu est, rectene mitteretur in Gallias Cæsari successor, num recte spreta tribunitia intercessio cæteraq; id genus. Ea partitione Iurisconsultorum ius aliud publicum, aliud priuatum: publicum quod ad statum Reipublicæ Romanæ spectat. {Fecerat autem hoc senatus, ut, quũ a L. Pisone} Non consilium ante captum inter senatores, sed factum ipsum significat, neq; ut causæ est, sed facti coniunctio. {Tamen hoc studiũ quotidie ingrauescit} scilicet philosophiæ, non (ut Clericus) eloquentiæ.

PHIL. MELI.

EXordium sumitur a reprehensione cuiusdam loci in epistola Seruii de genere orationis. deinde sequitur narratio de Marcello. Sed huic facit aditum quadam collatione. Seruius deplorauerat statum prouinciæ. ipse uicissim urbis statum deplorat. Deinde attexit correctionem de Marcello. {Accipio excusationẽ} Exordium ex diuisione: probo excusationem aliqua ex parte, alia ex parte non probo. εἰρωνεύσθαι, dissimulare. εἰρωνευόμενος, dissimulans. {Et elegantiæ} Elegaux, zeyrlich, quod est sine immodico luxu, ubi omnia sunt propria & munda. Elegantia autem peculiariter conspicit proprio generi orationis. {Consilium tuum} Narratio. {Vno te uicimus} alia narratio. {De iure pub'ico} postquam ea res quæ iure debebat d[illegible] adiecari, armis diiudica[illegible] est. {Præter Volcatiũ} Volcatius fuit Stoicus, similis Catoni Vticensi. {Negauit se facturum} scilicet ut supplex fieret Cæsari {Itaque pluribus uerbis} Ra[illegible] noui consilii, cur iterum incipiat dicere ueterum more. {Et meis [illegible]diis} Nam optimos illos libros de diuinatione, & de natura deorum, quæ est uera & erudita philosophia, scripsit illo ipso tempore. {Seruius tuus} Consuluerat Ciceronem Seruius Sulpitius utrũ deberet ex prouincia decedere. Cicero respondet, nihil faciendum contra uoluntatem Cæsaris.

ARGVMENTVM.

Consolatoria est hæc epistola, non quidem Cic. sed Seruii Sulp. usqueadeo tamen Ciceronianæ in stylo similis, ut, quod ait Valla, dempto nomine, uix internosci at: dico uix, quia nonnihil dissimilis est. Consolatur autem hac epistola Seruius Ciceronem, dolentissime ferentem mortem Tulliæ filiæ suæ: quæ primo Pisoni Crassipedi, deinde Dolabellæ nupserat: mulier adeo Lepida, & adeo iucunda, ut Cicero eam animam suam appellaret; ea autem diem obiit iam rep. occupata, & oppressa a Cæsare. Super cuius ut dixi, insperato obitu, cum Cicero inconsolabiliter dolere uideretur, argutissime, & doctissime consolatur eum Seruius.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Perfectum consolationis exemplum est ista epistola, eiuscemodi argumentis instructa, ut non solum dolores lenire quoslibet, sed & plane tollere possit.

SER. SVLPITIVS M. CICERONI. S.

POsteaquam mihi renuntiatum est de obitu Tulliæ filiæ tuæ: sanequam pro eo, ac debui, grauiter, molesteq; tuli: communemq; eam calamitatem existimaui; qui si istic affuissem, neque tibi defuissem, coramq; meum dolorem tibi declarassem. etsi genus hoc consolationis miserum, atque acerbũ est, propterea quia p quos id fieri debet propinquos ac familiares, ipsi pari molestia afficiuntur, neque sine lachrymis multis id conari queunt; ut magis ipsi uideantur aliorum consolatione indigere, quam aliis posse suum officium præstare; tamen quæ in præsentia mihi in mentem uenerunt, decreui breui ad te perscribere; non quòd ea te fugere existimem: sed quod forsitan dolore impeditus, minus ea perspicias: quid est, quòd tantopere te commoueat tuus dolor intestinus? cogita quemadmodum adhuc fortuna nobiscum egerit; ea nobis erepta esse, quæ hominibus non minus, quàm liberi, cara esse debent, patriam honestatem, dignitatem, honores omneis. hoc uno incõmodo addito, quid ad dolorem adiungi potuit * aut qui non in illis rebus exercitatus animus callere iam debet, atque omnia minoris æstimare? an illius * uicem (credo) doles? quoties in eam cogitationem necesse est ut tu ueneris, ut nos sæpe incidimus, hisce temporibus non pessime cum iis esse actum, quibus sine dolore licitum est mortem cum uita commutare. quid autem fuit, quod illam hoc tempore ad uiuendum magnopere inuitare posset? quæ res? quæ spes? quod animi solatium? ut cum aliquo adolescente primario coniuncta ætatem ageret? licitum est tibi (credo) pro tua dignitate ex hac iuuentute generum deligere, cuius fidei liberos tuos te tuto committere putares. an ut ea liberos ex sese pareret, quos cum florenteis uideret, lætaretur? qui rem à parente traditam per se tenere possent, honores ordinatim in Repub. petituri essent, in amicorum negotiis * liberalitate sua uterentur? quid horum fuit quod non prius, quam datum, ademptum sit? at uero malum est liberos amittere. malum nisi hoc peius sit: hæc sufferre, & perpeti. quæ res mihi non mediocrem consolationem attulit, uolo tibi commemorare, si forte eadem res tibi minuere dolorem possit. Ex Asia rediens, cum ab Aegina Megaram uersus nauigarem, cœpi regiones circumcirca prospicere. post me erat Aegina, ante Megara, dextra Piræeus, sinistra Corinthus; quæ oppida quodam tempore florentissima fuerunt, nunc prostrata & diruta ante oculos iacent. cœpi egomet mecum sic cogitare: Hem, nos homunculi indignamur si quis nostrum interiit, aut occisus est, quorum uita breuior esse debet, cum uno loco tot oppidorum cadauera proiecta iaceant. uis ne tu te Serui cohibere, & meminisse, hominem te esse natum? crede mihi, cogitatione ea non mediocriter sum confirmatus. hoc idem, si tibi uidetur, fac ante oculos tibi proponas. modo uno tempore tot uiri clarissimi interierunt: de imperio præterea tanta diminutio facta est: omnes prouinciæ conquassatæ sunt: in unius mulierculæ animula si iactura facta sit, tantopere commoueris? quæ si hoc tempore non suum diem obiisset; paucis post annis tamen ei moriendum fuit, quoniam homo nata fuerat. etiam tu ab hisce rebus animum, ac cogitationem tuam auoca: atque ea potius reminiscere, quæ digna tua persona sunt: illam, quamdiu ei opus fuerat, uixisse: unà cum Republ. fuisse: te patrem suum prætorem, Consulem, Augurem uidisse: adolescentibus primariis nuptam fuisse: omnibus bonis propè perfunctam esse: cum Respublic. occideret, uita excessisse. quid est quod tu aut illa cum fortuna hoc nomine queri possitis? denique noli te obliuisci Ciceronem esse, & eum, qui aliis consueueris præcipere & dare consilium; neque imitari malos medicos, qui in alienis mor-

*alias aut quid? non illis rebus.

*a. uicẽ, credo.

*a. l. libertate.

bis profitentur se tenere medicinæ, scientiam, ipse se curare non possunt: sed potius, quæ aliis tute præcipere soles, ea tute tibi subii ce, atque apud animum propone. NVLLVS dolor est, quem non longinquitas temporis minuat, atque molliat. hoc te expectare tempus tibi turpe est, ac non ei rei sapiētia tua te occurrere. quòd siquis etiam inferis sensus est: qui illius amor in te fuit, pietasq; in omneis suos, hoc certe illa te facere non uult. da hoc illi mortuæ; da cæteris amicis, & familiaribus, qui tuo dolore mærent: da patriæ; ut, siqua in re opus sit; opera, & consilio tuo uti possit. denique, quoniam in eam fortunam deuenimus, ut etiam huic rei nobis seruiendum sit, noli committere, ut quisquam te putet non tam filiam, quam Reipublic. tempora, & aliorum uictoriam lugere. plura me ad te de hac re scribere pudet, ne uidear prudentiæ tuæ diffidere. quare si hoc unum proposuero, finem faciam scribendi. uidimus ali quoties secundam pulcherrime te ferre fortunam: magnamq; ex ea re te laudem adipisci: fac aliquando intelligamus, aduersam quo que te æque ferre posse, neque id maius, quàm debeat, tibi onus uideri, ne ex omnibus uirtutibus hæc una tibi uideatur deesse. quod ad me attinet cum te tranquilliore animo esse cognouero de iis rebus, quæ hic geruntur, quemadmodumq; se prouincia habeat, certiorem faciam. Vale.

ASCENSIVS.

POstquam &c. Audita morte Tulliæ filiæ Cice. consolatur eum Seruius Sulpi. cuius est hæc consolatoria epistola usque adeo Ciceronianis in stilo similis, ut quod Valla ait, sublato nomine uix internoscas. Ordo est Postquam renunciatum est mihi de obitu Tulliæ filiæ tuæ, ego tuli supple eum sane quam, idest perquam grauiter & moleste, proen ac: idest quod debui & existimaui: idest iudicaui eam: scilicet amissionem liberorum supple esse communem calamitatem omnium parentum. Qui, scilicet ego, si affuissem istic: idest Romæ aut ubi tu es: neque defuissem tibi: idest tibi affuissem auxilio, & cō solationi, & declarassem tibi coram: idest in præsentia, meum dolorem. Etsi, idest quanquam genus hoc consolationis est minimum, atque acerbum, quia de grauissima iactura, propterea quia ipsi per quos ea: scilicet genera, aut officia consolationis debent fieri, utpote, per propinquos ac familia res. Respondet eleganter præcedenti, nam in communi loquela diceretur propinqui ac familiares: afficiuntur pari: idest æquali molestia, neque possunt conari id: idest consolari propinquum in morte liberorum sine multis lachrymis, ut ipsi uideantur magis indigere consolatione aliorum, quam præstare aliis officium suum, scilicet consolandi sibi caros, tamen ego decreui perscribere ad te breui, scilicet epistola, aut oratione, ea quæ uenerunt supple mihi in mentem, in præsentia, idest modo. nota q alii legunt quo sed, minus placet: idest quia existimem supple ea, quæ uenerunt mihi in mentem, fugere: idest latere te, sed quod impeditus dolore perspicitias ea forte minus, idest non satis, aut minus, idest non perspicias ea, aut minus supple, quam ego. Quid est quod: idest propter quod, dolor intestinus, idest intra uiscera tua inhærens, commoueat: idest conturbet, & afficiat tantopere, idest tam uehementer te? Cogita quemadmodum fortuna egerit adhuc nobiscum, uidelicet, ea erepta esse nobis, quam debent esse cara hominibus non minus, quam liberi, utpote, patriam, honestatem, scilicet uitæ, dignitatem: scilicet personæ, honores omneis ab aliis impendi solitos, hoc uno incommodo: scilicet de morte filiæ, quod respectu superiorum paruum censet, addito, quid potuit adiungi, idest addi ad dolorem quasi dicat parum aut nihil, quia tantus esse debuit, ut non admittat accessionem, aut qui, idest quis animus exercitatus in illis rebus scilicet malis & multis ac diuturnis, non debet iam callere, idest obdurescere & callum contrahere. q. d. nullus non debet, & ita omnis debet, atque debet æstimare. i. appretiari, omnia minoris supple quam illa. An credo (quod per Ironiam Inserit) doles. i. dolenter fers, in uicem idest sortem, illius, scilicet filiæ tuæ defunctæ? Quotiet necesse est. q. d. frequentissime: supple ut tu ueneris: scilicet ordinate propter obiecta tibi præsentia. Vt nos incidimus, scilicet casu, quando aduersa urbis afferuntur, aut occurrunt nobis sæpe, in eam cogitationem, idest ut cogitemus non pessime, immo bene actum esse, hisce idest huiusmodi tam malis temporibus, cum iis, quibus licitum est commutare mortem cum uita, idest accipiendo mortem dare uitam, sine dolore, scilicet alio, utpote amissæ patriæ, honoris, dignitatis &c. Quid autem fuit, quod posset inuitare, idest illicere, magnopere illam scilicet filiam tuam ad uiuendum? res? quæ spes? quod solatium animi? quasi dicat nulla, & nullum. An supple ut ipsa coniuncta, scilicet matrimonio, duo enim uiri eius mortui fuerant. Credo inquit Seruius, licitum est tibi pro dignitate tua, idest quæ est dignitas tua, deligere: idest de multis legere, generum, idest maritum filiæ, si adhuc uiueret, cuius fidei tu putares committere tuto liberos tuos, & te. An supple idem, ut ea pareret ex sese: scilicet ipsa, liberos, quos cum uideret florentes: scilicet in ciuitate libera, letaretur? qui possent tenere per se, idest sine præsidio alterius, rem traditam a patre: idest patrimonium auitum, & qui essent petituri ordinatim: idest ex ordine, honores, idest magistratus, & supple qui uterentur in negociis amicorum libertate sua: idest libere suos defenderent quasi dicat frustra hæc speres, unde addit. Quid horum fuit, scilicet sperandum filiæ, quod non sit prius ademptum, idest ablatum, quia impeditum ne daretur, quam datum? quasi dicat nihil. At uero &c. Obiicit alia dolenda, quæ mox purgat dicens. At, idest sed, uero idest pro certo. malum est amittere liberos: idest legitimam prolem, unde hic & in Terentio de unica filia liberi dicuntur. Malum supple sit nisi hoc sit peius, uidelicet sufferre & perpeti hæc, scilicet dicta incommoda de amissione libertatis, & honoris Ego uolo cōmemorare tibi, quæ res attulit mihi nō mediocrem, idest excellentem consolationem, si forte eadē res posset minuere tibi dolorem. Ego rediens ex Asia, cum nauigarem ab Aegina urbe Aeaci in Aegeo mari circa Peloponnesum Epidaurico litori proxima, in qua habitasse dicuntur Myrmidones, ex formicis secundum fabulas homines facti, dictaque prius erat Oenopia unde Ouidius Oenopiam ueteres appellauere, sed ipse Aeacus Aeginam matris de nomine dixit. Megaram uersus idest ad eā urbem olim in Attica claram cœpi circumspicere regiones circum circa: scilicet quæ iacebant in circuitu. Aegina: scilicet urbs erat post me, Megara erat ante me, Piræeus urbs, & porticus in Attica olim non longe ab Athenis, erat supple dextra supple parte. Corintus urbs in Achaia olim florentissima, prius Cercyra, ac demum a Corintho Orestis filio, a quo erat instaurata Corinthus dicta, supple erat sinistra, scilicet parte florentissima, nunc iacet ante oculos: scilicet hominum prostrata. Egomet cœpi cogitare mecum sic. Hem, indignantis particula, nos homunculi, indignamur, idest ægre patimur, siquis nostrum interiit: scilicet propria morte, aut occisus est, quæ mors est uiolenta, quorum uita debet esse breuior, cum cadauera, idest reliquiæ, & ruinæ, tot oppidorum, iaceant proiecta uno loco: hoc est spatio paruum distante. O Serui alloquitur seipsum, uisne tu cohibere: idest continere intra terminos mortalitatis tuæ, te & meminisse te esse natum hominem idest animal mortale? Crede mihi o Cic. supple ego sum confirmatus, idest firmior factus ad mortem meam aut meorum, æquo animo ferendam non mediocriter, immo summe aut excellenter ea, idest eiusmodi cogitatione de interitu oppidorum præstantium. Fac si uidetur tibi, scilicet utile, aut faciendum, supple ut proponas tibi ante oculos, scilicet mentis, hoc idem, scilicet urbium desolationem, supple & quod &c. aut hoc. s. quod dicam, item idest consimiliter, aut hoc idem: idest consimile, uidelicet. Tot uiri clarissimi interierūt modo, idest paulo ante uno tempore, scilicet conflictus Pharsalici, & ex illo etiam alii, ut Pompeius & Cato, qui postea perierunt. Præterea tanta diminutio facta est de imperio, scilicet Romano. Omnes prouinciæ sunt conquassatæ, idest frequenter concussæ. commoueris, idest conturbaris, tu tantopere, si iactura, idest perditio facta est, in animula, idest uita, unius mulierculæ, scilicet filiæ tuæ, omnia diminuit ad leuandum dolorem iacturæ. Quæ, scilicet muliercula, hoc est filia tua, si non obiisset, idest consummasset, diem suum, idest tempus uitæ suæ, tamen. i. nihilominus moriendum fuit, idest necesse fuit ei mori. post. i. postmodum, paucis annis, idest intra paucos annos: quoniam fuerat nata homo. Vbi homo de muliere dicitur. Etiam tu auoca idest adhuc cogitationem tuam ab hisce: idest huiusmodi rebus quæ te cruciant, atque reminiscere potius ea, quæ sunt digna persona tua, idest uiri consularis, & oratoris clarissimi, philosophiq; præstantis, reminiscere itaque illam uixisse quandiu fuerat opus: idest utile ei fuisse: scilicet in uita, una, idest simul cum repub. s. Romana, uidisse te patrem suum consulem supple & augurem idest sacerdotem in collegio augurum: fuisse nuptam adolescentibus primariis, scilicet in urbe, utpote Crassipedi, & Dolabellæ, esse prope, idest quasi, perfunctam omnibus bonis, quia bonis naturæ, cum esset elegans & facunda. bonis fortunæ, ut honoribus, diuitiisq: bonis animi, ut uirtute & scientia, præterea bonis matrimonii, liberis & fide matrimoniali, excessisse uita cum respub. occideret. Quid est quod tu posses, aut illa, idest filia tua possit queri cum fortuna hoc nomine idest causa talis mortis? quasi dicat, nihil. Denique noli obliuisci te esse Ciceronem, & eum qui consueueris præcipere aliis, & dare consilium, neque imitare medicos malos, qui profitentur se tenere scientiam medicinæ in morbis alienis, & non ipsi possunt curare. Sed potius tute, idest tu ipse, subiice tibi ea quæ tute: idest tu ipse. soles præcipere aliis, atque propone supple ea, apud animum: scilicet tuum. Nullus dolor est: idest iam magnus, quem non longinquitas temporis minuat, atque molliat: idest mitiget. Turpe est tibi, scilicet uiro prudenti expectare hoc tempus: scilicet longum, ac te non occurrere ei rei: idest mitigationi doloris per longinquitatem temporis, hoc est præuenire illam rationem mitigandi doloris sapientia tua, idest per sapientiam tuam. Quod siquis sensus: idest perceptio rerū, quæ hic fiant,

hic fiant, est etiam inferis, qui amor: idest is enim fuit amor illius: scilicet filiæ tuæ in te, & supple quæ pietas, hoc est ea pietas fuit illius in omnes suos, illa certe non uult te facere hoc: idest expectare mitigationem doloris ea longinquitate temporis. Da, idest concede, hoc scilicet, ut dolorem mitiges illi, scilicet iam caræ filiæ tuæ mortuæ, & cæteris amicis & familiaribus, qui mœrent tuo dolore, da patriæ, ut si opus sit in qua: idest aliqua re, ipsa possit uti opera, & consilio tuo. Deniq; quoniam deuenimus in eam fortunam, scilicet miseram, ut etiam seruiendum: idest prospiciendum sit etiam huic rei: noli committere, ut quisquam putet, te lugere non tam filiam, quam tempora reipublicæ scilicet calamitosa, & uictoriam aliorum, præcipue Cæsaris Plura &c. pudet me scribere plura ad te de hac re: idest de consolatione tui ob mortem filiæ, ne uidear diffidere prudentiæ tuæ. Quare ego faciam finem scribendi, si idest postquam, proposuero hoc unum. Nos uidimus aliquoties te ferre pulcherrime fortunam secundam, idest prosperam, ut in consulatu, & reditu ab exilio, & te adipisci, idest acquirere magnam laudem ex ea re, fac supple ut intelligamus aliquando, idest tandem, te posse ferre æque: idest æquo animo, aut æqualiter, ac secundam, Aduersam supple fortunam: neque: idest & non fac, ut & intelligamus, id uideri tibi onus maius, quam debeat, ne hæc una uirtus, scilicet magnanimæ patientiæ, uideatur deesse tibi ex omnibus uirtutibus, hoc est, cum alias omnes habeas. Quod: idest quæ res, aut quanti ñ, seu quatenus attinet ad me, ego faciam te certiorem de iis rebus, quæ geruntur hic hoc est in prouincia & quemadmodum prouincia scilicet Achaia se habet, tunc supple certiorem te faciam, cum cognouero te esse animo tranquilliori, idest habere animum tranquilliorem.

VICTORIVS,

IN Epistola priore Sulpitii, Etsi genus hoc consolationis minimum, atque acerbum est} Nos. {Miserum} scripsimus, nonnihil a uetusto codice adiuti: sed tamen in illo hæc uox lacerata est. {Mirum} enim legitur: nos mediam syllabam a librariis relictam putamus. Hanc etiam lectionem aut inuenerunt in antiquo exemplari, aut certe excogitauerunt Germani: habent enim eam illorum codices Basileæ anno M. D. XXVIII. impressi. ut enim apparet ex multis lectionibus, quas in margine libri collocauerunt, unum quoddam egregium omnium epistolarum exemplar uidentur illi habuisse, quodq; plurimis locis cum nostro concordet, & ut rem, ut est, exponamus, a nullo fere alio formis excuso, eo excepto, ullam opem accepimus. Cum autem eius sæpe castigationes cum nostra antiqua lectione congruere animaduertimus, fidentius ita emendare ausi sumus. eo autem studio & diligentia illi optimis libris perquirendis se multos annos dediderunt, ut e tenebris non paucos eruerint, eaq; liberalitate eruditos & ingeniosos uiros, quorum opera in corrigendis libris uterentur, prosecuti sunt, ut magnam utilitatem Latinæ linguæ attulerint, & si uerum fateri uolunt humaniorum studiorum amatores, non aliunde tantum auxilii ipsorum studiis suppeditatum est: quicquid enim fere his temporibus aut emendatum exiit, aut reconditum latebrisq; in lucem prodiit, inde profectum est. Alii. {Durum} emendarunt: quod quia tam longe ab antiquis exemplaribus discedit, negligimus. Nostra lectio ualde sententiæ congruit. Est enim miserum sane, cum ipse consolatione egeas, pariq; in luctu uerseris, officio quasi cogi, aliorum lachrymas abstergere. Quod autem nos emendaueramus. {Confieri} librariorum incuria in. {Confiteri} turpiter commutauit, sed hic, & huiuscemodi errores, quæso ne nobis uitio dentur: nec enim præsentes impressioni adfuimus, & tanta est horum operariorum negligentia, ut nulla sedulitas satis esse possit ad eorum peccata corrigenda. {Hem nos homunculi indignamur} Non pigebit rem parui momenti notare, unusquisq; ut uult, accipiat. Scias optime lector in illo Mediceo codice, quem omnium probatissimum iudicamus, esse. {Homunculi} quod fortasse erratum librarii putaremus, nisi in aliis antiquissimis exemplaribus uocem hanc legi accepissemus. uidimus nos Terentianum codicem Angeli Politiani, illum inquam, quem ipse olim Venetiis cum Petri Bembi codice contulit, suaq; manu accuratissime emendauit, qui locum hunc in Eunucho sic legit, Ego homuncio non facerem? exemplar sane ipsum non uidi, fidem tamen habeo diligentiæ Politiani. manu enim sua summa cura, & studio se id opus peregisse narrat. Mirifice autem laudat antiquitatem eius codicis Politianus, literisq; simillimis earum, quibus quondam Pisanæ, nunc uero Florentinæ Pandectæ scriptæ sunt, exaratum dicit, iam tumq; optimæ Bembi indoli blanditur, & fauet, quem etiam sibi diligenter operā suam in ea collatione, quāuis pene puerum præstitisse dicit, eaq; de illo auguratur, quæ postea uberrime præstitit: est enim uir is, qui propter egregias suas, & admirabiles ingenii, & animi dotes, & ab omnibus laudatur, & citra ullam assentationis suspicionem laudari potest, sed non capiunt hæ contractiores paginæ debitas tanto uiro laudes. Si igitur sic etiam optimus ille codex habet, diligentius res animaduertenda est, a grammaticis enim etiam hæ res consideratæ in corruptis codicibus non inueniuntur, ut his duobus locis deleta erat hæc uox, nisi ex uetustis exemplaribus eruta esset. Sunt autem nonnulla in hac epistola aliquanto antiquiora, ut. {Confieri,} etsi Virgilius etiam ea uoce usus est, & {Oppidum} pro oppidorum, quod item ab antiquo codice acceptum est, & infra. {Apisci} pro adipisci: quam uocem sæpe & Lucretius, & Tacitus usurpant.

Ex post. eiusdem.

AN illius uicem (credo) doles?} Non uideo cur immutari scriptura debeat, habet enim recepta, quæ eadem est cum antiqua, idoneum, & accommodatum sensum. Cum supra exposuisset, nihil esse quod magnopere lugere deberet, quod filiam amisisset, ex persona ipsius, quia maiora commoda amiserit, & tanta, ut hoc additum non magnam uim ad dolorem afferre possit, nūc declarat ex persona filiæ, nihil etiam esse, cur tantum dolorem suscipiat. nihil enim illa, aut non multum damni fecit, quod tam miseris temporibus e uita discesserit.

PAVL. MANV.

AN illius uicem (credo) doles?} Forte melior lectio, At illius uicem credo doles: ut per ironiam sine interrogatione dicta sint.

SEBAS. CORR.

LIcitum est tibi} cui necesse pene fuerit Dolabellam iuuenem perditum diligere. {Credo} Hoc uerbum habet. {Ac cogitationem tuā auoca} Omnes libri ueteres, quos ego in manibus habui, ita habent, Ad cogitationem tuam aduoca: præter unum, in quo Cognitionem, non autem Cogitationem legimus. {Adolescentibus primariis} C. Pisoni, Crassipedi, & Dolabellæ, ut in Quæstura ostendimus. {Vt quisquam} Cæsarianus.

BERN. RVTI.

SAne quam pro eo ac debui, grauiter molesteque tuli} Pro eo ac debui, nihil est aliud, quam sicut debui Sane quam, multum, ut & Cælio libro octauo pluribus locis, Brutoque, quicquid Hubertinus nugetur. {Quod tantopere te commoueat tuus dolor intestinus} domesticus, non ut interpretes. sic enim dictum est quo modo bellum intestinum, idest quod domi & in ciuitate nostra fit. {Vt eam aliquo adolescente primario coniuncta ætatem ageret? licitum est tibi, credo, pro tua dignitate ex hac iuuentute generum deligere} Qui hæc citra ironiam dici putat, nihil intelligit.

PHIL. MELA.

COnsolatoria est} orditur autem a commemoratione sui doloris. Deinde addit, se scripturum ei consolationem. Hinc sequitur propositio. Post primum argumentum sumitur a maiori: Maiora amisimus, ergo hoc quoque feramus. Secundum a temporum miseriis, quibus erepi felicitas quædam est. Tertium ab exemplis urbium, quibus probat communem conditionem mortalitatis, a bonis, quæ contigerant antea. Quartum a Ciceronis prudentia. Quintum est πάθος, a uoluntate filiæ. Et sunt pleraque breuia & truncata membra, in hac epistola. {Posteaquam mihi} Narratio. {Etsi genus} Propositio. {Quid est quod} Argumentum a maiori. {An illius uicem} A temporum miseria, & miseriis Tulliæ futuris, si tali tempore uixisset. {Deniq; noli} A persona Ciceronis. {Nullus dolor est} Collatio causarum, quæ dolorem minuunt, temporis & rationis.

ARGVMENTVM.

Respondet superiori epistolæ Serui Sulpitii, quem non sine causa dicit optasse, in suo grauissimo casu, propterea quod si absens literis suis profuit, multo magis præsentia sua profuisset: dicit tamen aullum consolationis officium prætermissum a Seruio Serui filio. Deinde commemorat ea, quæ faciunt dolorem suum acerbiorem, & intolerabiliorem de morte filiæ. postremo multis de causis dicit, se cupere uidere, & alloqui ipsum Seruium: & præcipue ut inter se conferant, & constituant quomodo utrique traducendum sit illud tempus, quo resp. erat in potestate Cæsaris: ut etiā scribit in prima epistola huius quarti.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Quamuis Serui consolationem acceperit, reddit tamen alias causas ut doloribus cedat.

M. T. C. S. D. SER. SVLPITIO. 6

EGo uero Serui uellem, ut scribis, in meo grauissimo casu affuisses: quantum enim præsens me adiuuare potueris & consolando, & prope æque dolendo: facile ex eo intelligo, quod literis tuis lectis aliquantulum acquieui: nam & ea scripsisti quæ leuare luctum possent: & in me consolando non mediocrem ipse animi dolorem adhibuisti. Ser-

uius tamen tuus omnibus officijs quæ illi tempori tribui potuerunt, declarauit, & quanti ipse me faceret, & quam suum talem erga me animum tibi gratum putaret fore: cuius officia iucundiora scilicet sæpe mihi fuerunt, nunquam tamen gratiora. me autem non oratio tua solum, & societas penè ægritudinis, sed etiam autoritas consolatur. turpe enim esse existimo, me non ita ferre casum meum, ut tu tali sapientia præditus ferendum putas. sed opprimor interdum, & uix resisto dolori, quod ea me solatia deficiunt, quæ cæteris, quorum mihi exempla propono, simili in fortuna non defuerunt; nam & Qu. Maximus, qui filium consularem, clarum uirum, & magnis rebus gestis, amisit; & L. Paulus. qui duos septem diebus; & uester Gallus, & M. Cato. qui summo ingenio, summa uirtute filium perdidit; iis *temporibus fuerunt, ut eos tum ipsorum dignitas consolaretur ea, quam ex Republic. consequebantur. mihi autem, amissis ornamentis iis quæ ipse commemoras, quæq; eram maximis laboribus adeptus, unum manebat illud solatium. quod ereptum est. non amicorum negotijs, non Republic. procuratione impediebantur cogitationes meæ. nihil in foro agere licebat. aspicere curiam non poteram. existimabam id, quod erat, omneis me & industriæ meæ fructus: & fortune perdidisse. sed cum cogitarem hæc mihi tecum, & cum quibusdam esse communia: & cum frangerem iam ipse me, cogeremq; illa ferre toleranter: habebam quò confugerem, ubi conquiescerem, cuius in sermone, & suauitate omneis curas, doloresq; deponerem, nunc autem hoc tam graui uulnere etiam illa, quæ * consenuisse uidebantur, recrudescunt: non enim, ut tum à Republic. mœstum domus excipiebat, quæ leuaret; sic nunc domo mœrens ad Rempublic. confugere possum, ut in eius bonis acquiescam: itaque & domo absum, & foro, quod nec eum dolorem, quem à Republic. capio, domus iam consolari potest, nec domesticum Respubli. quo magis te expecto, teq; uidere quamprimum cupio. maior mihi lauatio afferri nulla potest, quam coniunctio consuetudinis, sermonumq; nostrorum. quanquam sperabam tuum aduentum (sic enim audiebam) appropinquare. ego autem cum multis de causis te exopto quamprimum uidere, tum etiam, ut ante, commentemur inter nos. qua ratione nobis traducendum sit hoc tempus, quod est totum ad unius uoluntatem accommodandum & prudentis, & liberalis & (ut perspexisse mihi uideor) nec à me alieni, & tibi amicissimi. quod cum ita, sit magnæ tamen est deliberationis, quæ ratio sit ineunda nobis, non agendi aliquid, sed illius *concessu, & beneficio quiescendi. Vale.

*a.l. tempo. fue. ut eorum lum, uel eorũ tum

*a.l. consanuisse.

*a.l. consensu.

ASCENSIVS.

EGo uero &c. Respondet superiori epistolæ Seruii Sulpitii, eumq; præsentem sibi fieri mire exposcit, ut de ratione uitæ inter se consultent, ut cum ordine latius patebit. Ordo autem est. O Serui, ego uero, idest pro certo, & citra simulationem, uellem supple ut affuisses, ut scribis, in meo dolore grauissimo, scilicet de morte filiæ. Enim pro quia, ego facile intelligo quantum potueris: idest potuisses me adiuuare præsens, idest si præsens fuisses. Alii legunt præsentia, supple tua, quod quadrat etiam particula literis, & consolando, & dolendo prope: idest quasi, æque: idest æqualiter, atque ego intelligo, inquam ex eo, quod acquieui aliquantulum literis tuis. Nam tu, &: idest simul scripsisti ea, quæ possent leuare: idest diminuere luctum & ipse: idest tute adhibuisti, non mediocrem, sed ingentem dolorem animi, in me consolando. Tamen: idest licet, præsens non fuisti, & absens satis fecisti. Seruius tuus: scilicet filius, declarauit omnibus officiis, idest quæ potuerunt tribui illi tempori &, idest simul, quanti ipse faceret me, & quam, idest quantum, putaret talem animum suum erga me, fore, idest futurum gratum tibi. Cuius, scilicet filii tui officia fuerunt, scilicet: idest quod scire licet, cum sit audens, sæpe iucundiora mihi, quia in re læta, in qua est iucunditas, tamen nunquam fuerunt gratiora: idest acceptiora & utiliora mihi. Autem: idest sed, non solum oratio tua, & pene: idest quasi, societas: idest æqualitas ægritudinis: scilicet animi ex dolore, sed etiã autoritas tua consolatur me. Ego enim existimo turpe me non ferre ita casum meum, ut te præditus: idest præ cæteris deo & natura, ac studio tuo donatus tali sapientia, putas ferendum, supple esse. Sed ego opprimor: scilicet dolore interdum, & uix: idest cum difficultate resisto dolori, quod ea solatia, idest eæ res consolatoriæ, deficiunt, idest deserunt me, quæ non defuerunt in simili fortuna cæteris, quorum propono mihi exempla. Nam & Quintus: scilicet Fabius Maximus, qui amisit filium consularem, idest qui consulatum gesserat, uirum clarum, idest illustrem magnis rebus gestis idest postquam magnas res gesserat. Et Lucius Paulus scilicet Macedonicus, qui Persam regem in triumphum duxit, qui septem diebus, idest spatio septem dierum, amisit duos: scilicet filios. precatus deos, ut siquid detrimenti Reipub. pararent, in domum suam deflecterent. Et Gallus noster scilicet familiaris, & M. Cato, qui perdidit filium, summo ingenio, & summa uirtute, idest habentem summum ingenium, & summam uirtutem, fuerunt, scilicet omnes dicti, iis, idest talibus temporibus, ut dignitas ipsorum quam consequebantur ea Repub. consolaretur, tum, idest tunc, eos. Autem: idest sed, unum illud solatium, quod ereptum est: uidelicet filia indulgentissima, manebat: idest reliquum, aut reliqua erat mihi, iis ornamentis, quæ ipse, idest tu commemoras, hoc est consulari, & augurali dignitate, & quæ eram adeptus maximis laboribus amissis: scilicet per occupationem Reipub. a Cæsare, Cogitationes meæ non impediebantur negotiis amicorum, non impediebantur pro curatione Reipub. quia nihil libebat supple mihi agere in foro scilicet iudiciali pro amicis, & non poteram præ indignatione aspicere curiam, idest senatum, ubi pro Repub. stare solebam: Ego existimabam, idest iudicabam, id quod erat scilicet me perdidisse omnes fructus, & idest simul, industriæ idest naturalis artis, & fortunæ meæ, idest per fortunam, acquisitos. Sed cum ego cogitarem hæc scilicet incommoda, & damna, esse mihi communia tecum, & cum quibusdam, scilicet aliis bonis, & cum ipse, idest egomet, frangerem iam me, idest propositum meum dolendi de amissione honorum, & bonorum, non filiæ, & cogerem me ferre toleranter, idest patienter, illa, idest tam insignia aduersa, uidelicet amissionem fructuum industriæ, & fortunæ, ego habebam scilicet ante mortem filiæ quo, id est ad quam, confugerem, scilicet solatium habiturus, & ubi, idest in qua, conquiescerem, idest tranquillitatem animi inuenirem, & in cuius sermone & suauitate scilicet sermonis & morum, ego deponerem, idest exuerem, & reiicerem omnes curas & dolores. Autem, idest sed, nunc scilicet post mortem filiæ, etiam illa, quæ uidebantur consenuisse, idest antiquata, & e memoria per longitudinem tẽporis deleta, Recrudescunt, idest recentia, rursus fiunt, & in priore ægritudine, hoc uulnere tam graui, scilicet de morte filiæ accepto. Non enim &c. Ordo est. Enim, idest quia, ut idest quemadmodum, domus, idest familia, & præcipue filia excipiebat me, tum idest tũc ante mortem filiæ, & stante Repub. mœstum, idest reuersum mœstum a Repub. idest siquid aduersi in Repub. audissem, excipiebat, inquit, quæ idest talis quæ, aut, quæ idest ut leuaret me scilicet ab ea ægritudine, sic ego mœrens nunc domo propter mortem filiæ non possum confugere ad Rempub. ut acquiescam, idest tranquillitatem animi accipiam, in bonis eius. Itaque, idest & ita, ego absum & domo, & foro, quod idest quia, nec domus potest iam consolari, idest consolando leuare, eum dolorem quem capio a Repub. nec Respub. potest consolari dolorem domesticum, idest quem capio domi ob mortem filiæ. quo, idest quocirca, ego expecto te magis, scilicet quam expectarem, si aliunde consolationem inuenirem, & cupio uidere te quamprimum, idest ualde cito. Maior, ratio, scilicet ad consolationem nulla potest afferri mihi, quam coniunctio consuetudinis, idest frequentis conuersationis, supple tuæ & sermonũ nostrorum, quanquam, idest tametsi, sperabam aduentum tuum propinquare, audiebam enim sic. Ego autem cum, scilicet ita sit, quod exopto te uidere quamprimum, de multis causis: idest ob multas causas, tum, idest multo magis, etiam ut commentemur, idest comminiscendo disquiramus inter nos, ante, scilicet, quam tempus, aut opportunitas elabatur, qua ratione: idest uia & modo, hoc tempus sit traducendum, idest transigendum nobis, quod tempus est accõmodandum: idest conformandum totum ad uoluntatem unius, scilicet hominis utpote Cæsaris, & prudentis, quia modeste & sagaciter usus est uictoria, & liberalis, quia clementer multis etiam gratis ignouit, & ut uideor perspexisse, nec, idest non etiam alieni a me quia Cæsar Ciceronem monuerat, ut a bellis ciuilibus abstineret, & post uictoriam eum sæpe amice ad curiam inuitarat, & amicissimi tibi, quia sæpe absentem laudarat. Quod cum sit ita, tamen est magnæ deliberationis, quæ ratio sit ineunda, idest incipienda nobis, non agendi aliquid sed quiescendi, concessu, idest per concessum, & beneficio, idest per beneficium illius, scilicet Cæsaris.

VICTORIVS.

IIs temporibus fuerunt, ut eos tum ipsorum dignitas consolaretur} Nos emendauimus. {Eorum luctum} nec tamen hæc integra est lectio in antiquo exemplari, etsi eius non parua uestigia sint sic enim ibi scriptum reperias. {Vt eorumlum,

rumlum, ipsorum dignitas consolaretur} omnino corrupte, nisi eam aliquantulum adiuues. Nos hanc ueram esse huius loci lectionem arbitrati sumus. quia tamen parua quadam licentia usi sumus. rectũ nobis uisum est lectorem admonere, ut si hanc nostram opinionem non probauerit, possit ipse meliorem excogitare. Nos raro admodum tantum nobis tribuimus, ut aliquid, quod non in uetustis codicibus inuenerimus receperimus, siquando tamen id accidet, ut aliquantulum, non longe tamen a uetustis uestigiis discesserimus, semper ingenue fatebimur: sæpe autem in optimis etiam, & uetustissimis exemplaribus, dictiones nonnullæ luxatæ, & debilitatæ reperiuntur, ut infra etiam in hac ipsa epistola locus hic, quem nos non tamẽ soli, sic legimus, Maior mihi leuatio adferri nulla potest. prior syllaba dictionis illius. {Leuatio} defecerat, ut. {Vatio} tantum esset in bonis codicibus, hincq; fortasse natus erat error, ut fere in omnibus impressis codicibus. {Ratio} legeretur. sed quia hæc clara eas stimauimus, rationemq; omnem nostram, qua usi sumus, ea posuimus, non erimus longiores. {Nunc autem hoc tam graui uulnere etiam illa, quæ consenuisse uidebantur, recrudescunt} Nos scripsimus cum antiquis exemplaribus. {Consanuisse} quæ omnino elegãtior est locutio, ut maneat in translatione uulnerum, quod facit etiã in uerbo recrudescunt.

SEBAS. CORR.

Q. Maximus} Q. Fabius Max. Verrucosus, Ouicula, Cunctator, V. Coss. & Dictator, qui filio mortuo laudationem in foro dixit, & postea scriptam edidit, adeo forti animo filii mortem tulit. {Filium consularem} Q. Fabiũ Maxi. uel, ut Ci. uocat, Marcum, qui cum T. Sempronio Grac Coss. fuit. {Rebus gestis} Arpis in Apulia captis. {L. Paulus} Lege Liuiũ lib. xlv. ut Val. Maximum, & alios mittam. {Vestet} ea uetera gente Sulpitia {Gallus} C. Sulpitius Gallus, qui cum M. Claudio Marcello Coss. fuit, de quo in Quæst plura diximus. {M Cato} Censorius. {Summa uirtute filium} Marcum Prætorem designatum. {Eos tum} Alii malunt ex antiquis libris legere, Eorum luctum. {Consenuisse} Legitur etiam, consanuisse. {Domo absum} in prædiis manens. {Vottis} Cæsaris.

PHIL. MELS.

EGo uero Serui} Hæc epistola est propemodum confutatio & responsio ad epistolam Seruii. Exordium sumptum est a comprobatione officii & literarum Seruii. Deinde sequitur propositio, quæ habet concessionem, qua prædicat se hanc consolationem admittere {Vellem, ut scribis} Concessio: Vellem te affuisse, & multum profecisti consolando. {Sed opprimor interd.} Correctio, quod magis, quam cæteri doleat, propterea quia accedat hæc calamitas ad publicam Et est inuersio consolationis Tullianæ, hoc modo: Antea lugens Rempub. recreabar huius sermone, nunc amisi utrunque, & uetera recrudescunt. {Non enim ut cum} Expolitio inuersionis. {Ego autem cum mul.} Conclusio, quod ipsum expectet.

ARGVMENTVM.

Marcellus collega Seruii Sulpi. qui in consulatu in initio belli ciuilis fuerat secutus Pompeium, & cum eo apud Pharsaliam in fugam uersus, Athenas se contulit, ubi perpetuum exilium agere decreuerat: quia non putabat sibi tutum Romæ fore, ubi Cæsar hostis suus regnaret. Verum cum Cicero, & alii multi essent a Cæsare humane in urbem excepti, agebat Cum Cæsare de Marcello restituendo: ad quod respondit Cæsar, se id non grauatim facturum: sed suspectam habere uoluntatem Marcelli in se, an uidelicet restitui uelit. Quod cum Marcello indicasset Cicero: ille persistebat in proposito, a quo eum nunc dehortatur idem Cicero: docens etiam illic esse periculum: cũ sub Cæsaris sit potestate, & eo grauius, quod Cæsari magis absens, quam præsens sit suspectus.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Suadet Marcello, ut relicta sua sententia, qua perpetuum exilium sibi decreuerat, Romam redeat, & Cæsaris humanitate fruatur.

M. T. C. S. D. M. MARCELLO. 7

*ETsi eo te adhuc consilio usum intelligo, ut id reprehendere non audeam, non quin ab eo ipse dissentiam sed quòd ea te sapientia esse iudicem ut meum consilium non anteponam tuo: tamen & amicitiæ nostræ uetustas, & tua summa erga me beneuolentia, quæ mihi iam à pueritia tua cognita est, me hortata est, ut scriberem ad te, quæ & saluti tuæ conducere arbitrarer, & non aliena esse ducerem à dignitate. Ego eum te esse, qui horum malorum initia multo ante uideris, qui consulatum magnificentissime, atque optime gesseris præclare memini. sed idem etiam illa uidi, neque te consilium ciuilis belli ita gerendi, neque copias Cn. Pompeij, nec genus exercitus probare, semper'que summe diffidere. qua in sententia me quoque fuisse, memoria tenere te arbitror. itaque neque tu multum interfuisti rebus gerendis: & ego id semper egi, ne interessem. non enim iis rebus pugnabamus, quibus ualere poteramus, consilio, autoritate, caussa, quæ erant in nobis superiora sed lacertis, & uiribus, quibus pares non eramus. uicti sumus igitur, aut, si uinci dignitas non potest, fracti certe, & abiecti. in quo tuum consilium nemo potest non maxime laudare, quòd cum spe uincendi, simul abiecisti certandi etiam cupiditatem; ostendisti'que, sapientem, & bonum ciuem initia belli ciuilis inuitum suscipere, extrema non libenter persequi. qui non idem consilium, quod tu, secuti sunt, eos uideo in duo genera esse distractos: aut enim renouare bellum conati sunt, & hi se in Africam contulerunt: aut, quemadmodum nos, uictori sese crediderunt. medium quoddam tuum consilium fuit, qui hoc fortasse humilis animi diceres, illud pertinacis. fateor à plerisque, uel dicam ab omnibus sapiens tuum consilium à multis etiam magni, ac fortis animi iudicatum: sed habet ista ratio, ut mihi quidem uidetur: quendam modum: præsertim cum tibi nihil deesse arbitrer ad tuas fortunas omneis obtinendas, præter uoluntatem: sic enim intellexi, nihil aliud esse, quod dubitationem afferret ei, penes quem est, potestas, nisi quòd uereretur, ne tu illud beneficium omnino non putares. de quo quid sentiam, nihil attinet dicere, cum appareat, ipse quid fecerim. sed tamen si iam ita constituisses, ut abesse perpetuo malles, quàm ea. quæ nolles, uideres; tamen id cogitare deberes, ubicunque esses, te fore in eius ipsius, quem fugeres, potestate. qui si facile passurus esset, te carentem patria, & fortunis tuis quiete, & libere uiuere: cogitandum tibi tamen esset, Romæ'ne, & domi *tuæ, cuiusmodi res esset, an Mitylenis, aut Rhodi malles uiuere. sed cum ita late pateat eius potestas, quem ueremur, ut terrarum orbem complexa sit, non ne mauis sine periculo domi tuæ esse quàm cum periculo alienæ? equidem etiam si oppetenda mors esset, domi, atque in patria mallem, quàm in externis, atque alienis locis. hoc idem omnes, qui te diligunt, sentiunt: quorum est magna pro tuis maximis, clarissimis que uirtutibus multitudo: habemus etiam rationem rei familiaris tuæ quam dissipari nolumus: nam etsi nullam potest accipere iniuriam quæ futura perpetua sit, propterea quòd neque is, qui tenet Rempublic. pateretur, neque ipsa Respublic. tamen impetum prædonum in tuas fortunas fieri nolo. ii autem qui essent, auderem scribere, nisi te intelligere confiderem, hic te unius solicitudines, unius etiam multæ, & assiduæ lachrymæ C. Marcelli, fratris optimi deprecantur. nos cura, & dolore proximi sumus, precibus tardiores, quòd ius adeundi, cum ipsi deprecatore eguerimus, non habemus. gratia tantum possumus, quantum uicti. sed tamen consilio, studio Marcello non desumus. à tuis reliquis non adhibemur. ad omnia' parati sumus. Vale.

*a.l. tuæ, cuiuscuiusmodi.

ASCENSIVS.

ETsi &c. Marcellus collega Seruii Sulpitii in consulatu, Pompeianas partes secutus, post Pharsalicam cladem se Athenas contulit, ut ibi reliquum uitæ ageret, uerum cum Cicero. & alii multi pro eo intercessissent, annuit Cæsar, modo ille redire uellet, quod ut uelit, nunc agit Cice. hac epistola, dicens. Etsi o Marcelle, ego intelligo te usum adhuc, idest in hoc usque tempus, eo, idest tali consilio, ut non audeam reprehendere id, non quin, idest quod non ipse, idest ego dissentiam, ab eo scilicet consilio tuo, sed quod iudicem te esse ea sapiẽtia, ut non anteponam tuo consilio, meum. s. consilium, tamen uetustas amicitiæ nostræ, & summa beneuolentia tua erga me, quæ cognita est mihi iam a pueritia tua, non dicit mea, quia minor erat

Marcellus,hortata est me,ut scriberem ea ad te,quæ arbitrarer con ducere: idest utilia esse,saluti tuæ,& quæ ducerem : idest existima-rem,esse non alienau dignitate tua,idest nihil factura contra digni tatem tuam. Ego memini præclare , idest egregie te esse eum : idest talem,qui uideris initia horum malorum multo ante: scilicet quam euenerunt,& qui gesseris consulatum magnificentissime,atq; opti-me.Sed supple ego idem uidi.idest animaduerti etiam illa , uideli-cet,neq; probare,idest approbare,& laudare consilium belli ciuilis gerendi,ita ut gestum est,neq; copias:idest potentias exercitus, nec genus exercitus Cn.Pompeii.& diffidere semper,summe: idest sum mopere in qua sententia ego arbitror te tenere memoria,me quoq;: Idest etiam me fuisse. Itaq; idest & ita,neq; tu interfuisti multum re bus gerendis,& ego egi semper id,ne interessem scilicet rebus bel-licis gerendis.Enim idest quia,nos non pugnabamus, idest certaba mus,iis rebus,quibus poteramus ualere,uidelicet consilio autorita-te,causa,quæ scilicet tria dicta erant superiora,idest meliora,& prio ra,in nobis,sed supple pugnabamus,idest pugnabatur,lacertis,idest robustis brachiis,& uiribus,quibus non eramus pares . Igitur quia pares non eramus uicti sumus,aut si dignitas non potest uinci , nos certe sumus fracti,idest debilitati,& abiecti. In quo nemo potest nō laudare,idest quisque cogitur laudare maxime consilium tuū,quod abiecisti cum spe uincendi etiam cupiditatem certandi,& ostendi-sti,scilicet per factum tuum ciuem sapientem & bonum suscipere in uitum initia belli ciuilis,& non persequi libenter extrema , in qui-bus est multorum innocentum trucidatio,ut uictor securior uiuat. Ego uideo eos,qui non sunt secuti idem consilium , quod tu , scili-cet secutus es,esse distractos,idest diuisos in duo genera. Aut enim conati sunt renouare bellum scilicet contra Cæsarem, ut Cato Vti-censis. Iiq;:idest & ii,contulerunt se in Africam ad Iubam regem, ut crediderunt se esse uictos quemadmodum nos supple credidi-mus,hoc est,ego credidi. Non enim,licet ad Marcellum loquatur, Marcellum demonstrat,quod nouum uideretur ignorantibus in pri ma persona licere pluraliter de uno loqui,in secunda non licete . quod autem Marcellum non demonstret,patet ex eo,quod subdit. Con-silium tuom fuit quoddam medium,quia neque se plane uictum fa-tebatur,neque renouare bellum probabat,utpote,qui duceres,idest existimares fortasse hoc idest posterius dictum scilicet se uictum fa-teri supple esse animi humilis,idest abiecti , illud scilicet renouare bellum pertinacis scilicet animi esse . Fateor tuum consilium iudi-catum,supple esse a plerisque,uel dicam ab omnibus sapiens : idest sapientis hominis & a multis etiam:idest insuper : supple iudicatū esse,animi magni,ac fortis,quod ad eam rem plus facit . Nam sa-piens inquantum sapiens , sapit quid faciendum , magnanimus & fortis , quod sapit,audet. Sed ista ratio , idest consideratio consilii tui . habet (ut quidem uidetur mihi) quendam modum: idest quan dam mensuram,aut formam faciendi.præsertim cum arbitrer nihil deesse tibi,præter uoluntatem ad obtinendas omnes fortunas,idest opes tuas. Ego enim intellexi sic,uidelicet,nihil aliud esse,quod af-ferret dubitationem ei:scilicet Cæsari,penes quem est potestas, nisi quod ueretur ne,idest ut tu non putares,idest æstimares omnino , il lud,scilicet recipere fortunas tuas,beneficium,supple esse. De quo, scilicet consilio tuo quid sentiam,nihil attinet dicere , cum appa-reat,quid ipse,idest ego fecerim:quasi dicat non uidear aliud con-sulturus quam ipse fecerim,recepi autem fortunas meas a Cæsare . Sed tamen si tu constituisses,idest proposuisses iam ita,ut malles ab esse,scilicet ab urbe,perpetuo,quam uidere ea quæ nolles, tamen tu debes cogitare id ubicunque es,quia tunc ferre mundi monarcha erat Cæsar,te fore in potestate eius,quem fugeres , idest fugere uel-les. Qui,scilicet Cæsar si idest tametsi,passurus esset facile te caren tem patria,& fortunis tuis uiuere,scilicet extorrem , quiete & libe-re,idest sine persecutione,tamen cogitandum esset,tibi , ne , pro an malles uiuere Romæ & domi tuæ cuiusmodi , idest qualis res, idest utilitas tua esset,uidetur tamen scribendū cuiuscuiusmodi,idest cu iuscunque modi,hoc est qualiscunque res esset siue perdita siue sal ua,an Mitylenis,idest in ea urbe in Mitylene insula in mari Ae-geo,quæ & Lesbos dicitur clarissima,aut Rhodi. In ea urbe Rho-di insulæ,nunc quoque præclara. Sed cum potestas eius scilicet Cæ saris quem ueremur,pateat ita late,ut sit complexa orbem terrarū: tione mauis,idest magis uis esse domi tuæ sine periculo, quam sup ple domi alienæ cum periculo? Ex hoc loco reor Vallam sumpsisse genitiuum domi admittere tantum adiectiua quæ loco congruant, ut meæ,tuæ suæ,nostræ,uestræ,alienæ,propriæ. ubi est mauis,legen dum credam malis,idest magis uelis . equidem , idest ego quidem etiam si mors esset oppetenda,idest fortiter subeunda,mallem , sup-ple oppetere mortem,aut uiuere domi atque in patria, quam in lo-cis externis,atque alienis. Omnes qui diligunt te sentiunt hoc idē scilicet faciendum tibi , quorum scilicet te diligentium , est magna multitudo pro tuis maximis & clarissimis uirtutibus. nos. etiam ha bemus rationem,idest bonum respectum , rei tuæ familiaris , quam nolumus dissipari. Nam & si,supple res tua familiaris , nullam po-test accipere,idest pati iniuriam,quæ sit perpetua propterea quod neque is scilicet Cæsar quem tamen,ut inuisum Marcello non no-minat,qui tenet Rempub. patietur scilicet iniuriam tibi perpetuam fieri. neque ipsa Respub. patietur,tamen nolo impetum prædonum, ut erant satellites Cæsariani,fieri in fortunas tuas. Autem,idest sed, ego auderem scribere,qui essent ii scilicet prædones, nisi cōsiderem se intelligere,scilicet quæ sint solicitudines unius , idest solius etiā si non essent plurium,etiam multæ,& assiduæ lachrymæ unius,ui-delicet Caii Marcelli,fratris,scilicet tui optimi,deprecantur te hoc idest ne patiaris fortunas tuas diripi. Non sumus proximi , idest si-millimi fratris tui,aut facto eius ,cura & dolore,scilicet pro te susce ptis sed supple sumus tardiores scilicet quam frater tuus precibus scilicet faciendis pro te Cæsari,quod ipsi,idest nosmet , eguerimus scilicet ante ueniam obtentam,deprecatore,idest qui pro nobis in-tercedat,aut,ut alii legunt,deprecatione,idest intercessione alicu-ius pro nobis,non habemus ius adeundi scilicet Cæsaris,aut Cæsa-rem. Nos possumus erga Cæsarem tantum gratia , idest per gratiam nostram,quantum,supple possunt uicti . Sed tamen non desumus Marcello scilicet fratri tuo,consilio:& supple studio . nos non ad-hibemus scilicet ad consilium a reliquis tuis scilicet amicis,sed sup ple parati sumus ad omnia,idest etiam ad alia consilia danda, si ex poscerent.

VICTORIVS.

SE uictos esse crediderunt} Nos legimus . {Victori sese credi-derunt} alio uerbi illius significatu, & a grammaticis notato, & ab optimis autoribus usurpato . Est enim , inquiunt , cre-dere,fidei se committere:credunt enim se alicui,qui in illius pote-statem se tradunt,& in ea loca deueniunt,ut in eorum arbitriū sint: sicut ii,qui,aut in Italiam redierant,aut in iis locis manserant, quæ Cæsaris præsidiis tenerentur . Simili , uel eadem potius sententia usus est ad Marium scribens,quamuis ibi committere , non credere dixerit, Certe nihil fuit prætcrea,si te uictori nolles, aut non aude-res committere . Nam eundem fere significatum esse utriusque uer bi hoc præcipue Terentii loco in Eunu declaratur: Cum enim Py-thias dixisset de uirgine uitiata Quid facerem? ita ut iussi, soli cre-dita est:respondet Thais, Scelesta,ouem lupo commisisti. Est autem hoc loco unius tantum literæ peccatum in antiquis codicibus {Vi-ctore} enim,cum {Victori} legi debeat,in illis est. sæpe autem hæ uo cales immutatæ in antiquis exemplaribus inueniuntur,ut uos alibi accuratius notabimus.

SEBAS. CORR.

GEsseris} cum Seruio Sulpitio . {Neque te} qui bellum du-cendum censebas . {Copias} neque magnas , neque belli-cosas . {Exercitus} collectitii . { Diffidere } desperantem uictoriam . {Me quoque fuisse} Episto. III.lib.VII. {Ne inter-essem} Episto. XVIII.lib.IX. {Tuum consilium} Mitylenas se-cedendi. {Et hi} ut Cato,& Scipio. {Se uictus esse} Nonnulli le-gunt, Victori sese. {Affert ei} Cæsari . Illud restitutionem . {Ipse quid fecerim} qui me uictori commiserim. {Sed tamen si } Al. sed ta metsi. {Cuiusmodi} Alii reponūt, Cuiuscuiusmodi {Mitylenis} ubi manes,a Cratippo instructus omni copia. {Quem ueremur} Leges etiam Quam,ut ad potestatem referas. {Ii autem} M. Antonius , & Alii Cæsariani . {Proximi} C. Marcel. fratri,cui uni cedimus,præ-terea nemini . {Adeundi} ad Cæsarem . { Deprecatione } Dola-bellæ , Trebatii , Pansæ , Hircii , Balbi , & Oppii . Legitur & De-precatore.

BERN. RVTI.

CVIusmodi Res esset} Quid si, Cuiuscuiusmodi , uel Cuius-cunque modi res esset. nam alioqui nullus sensus.

PHIL. MELA.

QVanquam uidetur hæc epistola esse longior, tamen non ha-bet tantum argumentorum quantum præcedens, & est fe-re tota narratio quædam. Suasoria autem est . Et or-ditur a comprobatione consilii Marcelli . Deinde se-quitur narratio,quæ continet enumerationem altius repetitam con siliorum Marcelli de initio ciuilis belli , & de deponendis armis. Postea addit suum consilium quo figurate hortatur eum,ne recuset redire Romam . Argumenta sunt sumpta a periculo , item a re fa-miliari Marcelli . Est eleganter scripta hæc epistola , quæ habet multas sententias ciuilibus bellis,& multum habet urbanitatis . {Etsi eo te} Exordium a circunductione : Non sapientia . sed ami-citia fretus scribo. {Ego eum te esse} Narratio, complectens res ge-stas & consilia Marcelli {Sed habet ista ratio} Consilium suum ex-ponit. {Sed tametsi iam} A periculis.

ARGVMENTVM.

Argumentum ex superiore colligitur. nam cum M. Marcellus abesset, di cit Cicero se non audere, neque monere eum, neque consolari & adducit eius dicti rationem. Deinde pollicetur se præstaturum ipsi Marcello ac necessariis eius quocunque possit, ac demum hortatur, ut uelit in patriam reuerti, quod cur faciat, docet.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Iterum suadet, ut mutata sententia in patriam reuertatur: idq; propter tempora & loci conditionem, & Cæsaris erga bonos uiros uoluntatem.

M. CICERO S. D. M. MARCELLO. 8

NEque monere te audeo præstanti prudentia uirum, nec confirmare maximi animi hominem, uirum'que fortisſimum, cõſolari uero nullo modo; nam ſi ea, quæ acciderunt, ita fers, ut audio; gratulari magis uirtuti debeo, quam conſolari dolorem tuum. ſin te tanta mala Reipubli. frangunt; non ita abundo ingenio, ut te conſoler, cum ipſe me non poſsim, reliquum eſt igitur, ut tibi me in omni re eum præbeam, præſtemq́;, ut ad omnia, quæ tui uelint, ita ſim præſto, ut me non ſolum omnia debere tua cauſa quæ poſſum, ſed ea quoque, quæ non poſſum, putent. illud uel tu me monuiſſe, uel cenſuiſſe puta, uel propter beneuolentiam tacere non potuiſſe; ut, quod ego facio, tu quoque in animum inducas, ſi ſit aliqua Reſpublic. in ea te eſſe oportere, iudicio omnium, teq́; principem, neceſsitate cedentem tempori: ſin autem nulla ſit, hunc tamen aptiſsimum eſſe etiam ad exulandum locum: ſi enim libertatem ſequimur; qui locus hoc dominatu uacat? ſin qualemcunque locum; qui eſt domeſtica ſede iucundior? ſed mihi crede, etiam is, qui omnia tenet, fauet ingeniis, nobilitatem uero, & dignitatem hominum, quantum ei res, & ipſius cauſa concedit, amplectitur. ſed plura, quàm ſtatueram. redeo ergo ad unum illud, me tuum fore cum tuis, ſi modo erunt tui: ſin minus, me certe in omnibus rebus ſatis noſtræ coniunctioni, amoriq́; facturum. Vale.

ASCENSIVS.

NEque more &c. Argumẽtum quadrat cum ſuperiore, ut cum ordine patebit, qui talis eſt. Neque audeo monere te uirum prudentia præſtanti, nec ſupple audeo confirmare hominem maximi animi, & uirum fortisſimum, indifferenter ergo dicimus uirum præſtanti prudentia, & præſtantis prudentiæ. Nam poſtquam dixit uirum præſtanti prudentia adiecit, hominem maximi animi. Vero pro ſed nullo modo, ſupple audeo conſolari, ſcilicet talem uirum. Nam conſolamur deſolatos, & animi egentes. Nam ſi fers ea, quæ acciderunt, ita, ut audio, ideſt accipio, & intelligo te ea ferre, ego debeo magis gratulari uirtuti ſingulari ſcilicet tuæ quam conſolari dolorem tuum. Sin ideſt ſed ſi, tanta mala, ideſt incommoda Reipu. frangunt te, ego non abundo ingenio, ita, ideſt uſqueadeo, ut conſoler, ideſt poſsim conſolari te, cum ipſe, ideſt egomet non poſsim, ſcilicet conſolari me. Igitur cum neque audeam te conſolari, ſi conſolationis non indigens, neque poſsim, ſi indiges, reliquum, ideſt relictum eſt, ut præbeam, & præſtem tibi me in omni re eum, ideſt talem, ut ita ſim præſto ad omnia quæ tui uelint, ut putent (ſunt qui putem legant) me debere cauſa tua, ideſt propter te non ſolum omnia ſupple, quæ poſſum, ſed etiam ea quoque, quæ non poſſum. Illud tamen &c. Tamen puta, ideſt exiſtima, me monuiſſe, uel ſi monere te non debuiſſem: cenſuiſſe, ideſt iudicaſſe pro opinione, multum, ideſt abundanter, uel ſi etiam cenſere non debui, non potuiſſe tacere, propter beneuolentiam ut quod ego facio, qui tempori cedo, tu quoque inducas animum, ut facias ſupple idem. monuiſſe, inquam, uel cenſuiſſe, uel nõ potuiſſe tacere illud, ſi aliqua ideſt qualiſcunque Reſpu. ſit, te oportere eſſe in ea, iudicio, ideſt ſecundum iudicium hominum, teq; ideſt & te, oportere eſſe in ea principem, ideſt precipuum, & quod dicunt principalem, cedentem temporis neceſsitati, ideſt quia aliter non poſſet eſſe. Sin autem, ideſt ſed, ſi nulla ſit ſcilicet fortuna Reipub. tamen, ideſt nihilominus, hunc locum ſcilicet in quo ego ſum, hoc eſt Romam, eſſe locum aptisſimum etiam ad exulandum, ut in ea ſis tanquam in exilio, eo quod procul a Repu Probat aſſumptum ſuum, dicens Enim, ideſt quia, ſi nos ſequimur, ideſt ſectamur, ideſt quærimus libertatem, quis locus uacat hoc dominatu ſcilicet Cæſaris? quaſi dicat nullus. Sin, ideſt ſed ſi ſequimur ſupple qualemcunq; locum, quis, ſcilicet locus, eſt iucundior, ſede domeſtica, ideſt propriæ domus? quaſi dicat nullus. Multi textus habent, qui locus & qui eſt, ſed apertior locutio eſt quis. Scio tamen ſequente dictione incepta per, ſ, literam, uenuſte dici, qui pro quis: ut, nec, qui ſim, quæris Alexi Et, Sed tamen ille Deus qui ſit, da Tityre nobis, Sed o Marcelle, crede mihi, etiam is ſcilicet Cæſar, qui tenet omnia ſcilicet in poteſtate ſua, fauet ingeniis. Vero pro ſed, amplectitur nobilitatem, & dignitatem hominum, quantum res, ideſt utilitas, aut opportunitas, & cauſa ipſius rei, concedit, ideſt permittit. Sed plura ſupple ſcripſi quam ſtatueram ſupple ſcribere. Ergo quia non ſunt plura dicenda, aut ſcribenda ego redeo ad illud unum, me fore tuũ cum tuis ſcilicet amicis, & neceſſariis, ſi modo, ideſt dummodo ſupple aliqui erunt tui, ſim minus, ideſt ſi non ſupple aliqui erunt tui, ideſt ſi nunquam recuperabis res tuas, & ita nulli erunt tui, redeo ſupple ad illud, me ſatisfacturum certe in omnibus rebus coniunctioni noſtræ, & amori ſupple noſtro.

VICTORIVS.

ILlud tamen multum me monuiſſe} Ego non longe ab antiquis codicibus, pro. {Multũ} (uel tu) ſcripſi nõ enim eſt, ne in illis quidem integra, & incorrupta hæc lectio: in una enim litera lapſus eſt librarius: duoq; monoſyllaba in unam dictionem coniunxit, {Vultu} enim ſcripſit, cum. {Vel tu} foret ſcribendum. ſed hæc minutia, quæ tamen reſtituta, in tanto ſcriptore non ingrata fore arbitror.

SEBAS. CORR.

VT audio} te a Cratippo inſtructum ferre. {Putent} Putem, etiam leges {Cenſuiſſe puta} quanuis ego non audeam.

BERN. RVTI.

ILlud Tamen multum me monuiſſe, uel cenſuiſſe puta, uel propter beneuolentiam tacere non potuiſſe} Vide num malis. Illud tamen unum me non monuiſſe, ſed uel cenſuiſſe puta, & cætera quia dixit initio. Neque Monere te audeo præſtanti prudentia uirum.

PHIL. MELA.

SVaſoria eſt Exordium ſumptum eſt, uerecunde a rectionibus, & diuiſionibus, donec perueniat eo, ut polliceatur officiũ. Deinde ſubiicit conſilium de reditu. Rationes breues ſunt. a periculis, & commodis, & a clementia Cæſaris ſumptæ. {Meque mouere te. {Propoſitio, per διλημμα. {Nã ſi ea} Ratio ex dilemmate. {Reliquum eſt} Defert officium. {Illud tamen} Correctio, ut reddire nolit. {Teq; principem} A perſona ſua, qui ſit. {Hunc tamen aptiſſ.} A locorum conditione ſimili. {Etiam is qui} a perſona Cæſaris.

IO. RIV. Attend.

LIbro Quarto Epiſto. VIII. cunctis in exemplaribus, quæ quidem ipſe uiderim, uerba quædam deſunt. Locum ſubiiciã, ut eſt in manu ſcripto exemplari: {Vt ad omnia, quæ tui uelint, ita adſim præſto, ut me non ſolum omnia debere tua cauſa, quæ poſſum, ſed ea etiam, quæ non poſſum, putent} Vbi ſane perperam in recentioribus omiſſa ſunt illa uerba, {Quæ poſsim} ſine quibus ſententia minus apte cohæret. Et mehercle miror, Aldum iſta, hominem diligentisſimum, non obſeruaſſe, cum hoſce Epiſtolarum libros ederet. Quanquam nequid hic diſsimulem, multa ille quoq; perperam (pace uiri dixerim) cum in his, tum in illis ad Atticum epiſtolis excudit: quale eſt quod annotauimus, illud ad Plancum: Vt hoc, quod te tua ſponte facturum eſſe certo ſcio, honoris noſtri cauſa libenter, non prolixe, ſed celeriter facias. quum legendum ſit: Libenter, prolixe, celeriter facias. Qua de re diligenter in caſtigationibus noſtris. Tale illud quoque, Nemo doctus unquam (multa autem de hoc genere ſcripta ſunt) mutationem conſilii inconſtantiam dixit eſſe. Hæc uera lectio. Sed quam ſit apud illum hic locus male diſtinctus, conſtat.

ARGVMENTVM.

Rurſus hortatur Marcellum, ut omnino uelit in patriam reuerti: nec tam moleſte ferat, omnia ad ſolum Cæſarem eſſe relata: cuius modeſtiam & clementiam in uictoria laudat, oſtenditq; utilius eſſe, quod Cæſar uicerit, quam Pompeius, quem dicit futurum fuiſſe multo crudeliorem: monetq; uitanda pericula uitæ, quia ubicunq; ſit, in Cæſaris poteſtate ſit futurus.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Eiuſdem eſt argumenti cum ſuperioribus duabus: in hac tamen efficaciora & magis urgentia argumenta ſunt, ut propemodum M. Marcellum redire cogat.

M. T. C. S. D. M. MARCELLO 9

ETſi perpaucis ante diebus dederam Qu. Mutio literas ad te pluribus uerbis ſcriptas, quibus declarauerã, quo te animo cenſerem eſſe oportere, & quid tibi faciendum arbitrarer: tamen cum Theophilus libertus tuus proficiſceretur, cuius ego fidem erga te, beneuolentiamq́; perſpexeram: ſine meis literis eum ad te uenire nolui. Iiſdem igitur de rebus etiam hortor, quibus ſuperioribus literis hortatus ſum: ut in ea Repub. quæcunque eſt, quamprimum uelis eſſe. multa uidebis fortaſſe, quæ nolis: non plura tamen, quam audis quotidie. nõ eſt porrò tuum, uno ſenſu ſolum oculorum moueri: cum illud idẽ auribus percipias, quod etiam maius uideri ſolet minus laborare. At tibi ipſi dicendum erit aliquid, q; nõ ſentias: aut faciendũ, quod nõ probes. Primum TEMPORI *cedere. i. neceſsitati parere ſem-*

*per ſapientis eſt habitum . deinde non habet , ut nunc quidem eſt, id uitij res . dicere fortaſſe , quæ ſentias , non licet : tacere plane licet , omnia enim delata ad unum ſunt . is utitur conſilio ne ſuorum quidem , ſed ſuo . quod non multo ſecus fieret , ſi is Rempub. teneret , quem ſecuti ſumus , an qui in bello, cum omnium noſtrum coniunctum eſſe periculum ſuo cerneret , certorum hominum minime prudentium conſilio uteretur : eum magis communem cenſemus in uictoria futurum fuiſſe , quàm incertis in rebus fuiſſet ? & qui nec te Conſule tuum ſapientiſſimum conſilium ſecutus eſſet : nec fratre tuo conſulatum ex autoritate tua gerente , uobis autoribus uti uoluerit : nunc omnia tenentem noſtras ſententias deſideraturum cenſes fuiſſe ? OMNIA ſunt miſera in bellis ciuilibus : quæ maiores noſtri ne ſemel quidem , noſtra ætas ſæpe iam ſenſit ſed MISERIVS nihil , quàm ipſa uictoria: quæ , etiam ſi ad meliores uenit tamen eos ipſos ferociores . impotentioresq́; reddit : ut , etiam ſi natura tales non ſint , neceſſitate eſſe cogantur . MVLTA enim uictori , eorum arbitrio, per quos uicit , etiam inuito facienda ſunt . an tu non uidebas mecum ſimul , quàm illa crudelis eſſet futura uictoria ? igitur tunc quoque patria careres , ne , quæ nolles , uideres ? non ? inquies : ego enim ipſe tenerem opes , & dignitatem meam . at erat , tuæ uirtutis , in minimis res tuas ponere , de Repub. uehementius laborare . deinde , qui finis iſtius conſilij eſt ? nam adhuc & factum tuum probatur , & ut in tali re , etiam fortuna laudatur: factum, quòd & initium belli neceſſario ſecutus ſis , & extrema ſapienter perſequi nolueris: fortuna, quòd honeſto ocio tenueris & ſtatum , & famam dignitatis tuæ . nunc uero nec locus tibi ullus dulcior eſſe debet patria : nec eam diligere minus debes , quòd deformior , eſt , ſed miſereri potius nec eam multis claris uiris orbatam , priuare etiam aſpectu tuo . denique , ſi fuit magni animi non * iſſe ſupplicem uictori ; uide , ne ſuperbi ſit, aſpernari euſdem liberalitatem : & ſi ſapientis eſt carere patria , duri non deſiderare : & ſi republica non poſſis * frui , ſtultum eſt nolle priuata . caput illud eſt , ut , ſi iſta uita tibi commodior eſſe uideatur , cogitandum tamen ſit , ne tutior non ſit . magna gladiorum eſt licentia : ſed in externis locis minor etiam ad facinus uerecundia. mibi ſalus tua tantæ curæ eſt, ut Marcelli, fratri tuo aut pàr, aut certe proximus ſim. Tuum eſt conſulere temporibus, & incolumitati, & uitæ & fortunis tuis. Vale.*

*a.l.eſſe.

*a.l.frui, ſtulti nol.

ASCENSIVS.

ETſi perpaucis. Hortatur rurſus Marcellum ad patriam reuerti, nec tam moleſte ferre quod Cæſa. omnia ceſſerint, cum Pompe. uictoria moleſtior fuiſſet: monetq; uitanda pericula, quæ, ubicunq; eſſet, niſi in Cæſa. gratia ſit, magna ſint. Ordo eſt Etſi: ideſt quanquam, dederam perpaucis diebus ante: ſcilicet harum dationem . Qu. Mutio ad te literas ſcriptas, pluribus : ideſt multis uerbis, quibus ſupple literis ego declaraueram quo animo ego cenſerem oportere te eſſe, & quid arbitrarer faciendum tibi, tamen cum Theophilus libertus tuus proficiſceretur. ſcilicet hic ad te, cuius: ſcilicet Theophili, ego perſpexeram fidem: ideſt fidelitatem & beneuolentiam erga te, nolui eum uenire ad te ſine literis meis. Igitur ego hortor te etiam atque etiam ideſt accuratiſſime, de iiſdem rebus, quibus: ideſt de quibus, ego hortatus ſum te literis ſuperioribus, ut uelis eſſe quamprimum: ſcilicet ualde cito in ea Repub ſcilicet quam Cæſar tenet: quæcunque eſt: ideſt ſiue aliqua, ſiue nulla. Tu uidebis fortaſſe multa, quæ nolis: id eſt uelis non uidere, tamen nõ uidebis plura, quam audis quotidie. porro: ideſt ſed, non eſt tuum: ideſt tuæ naturæ, aut dignitatis, moueri, ideſt turbari, ſolum: ideſt duntaxat, uno ſenſu oculorum : ideſt in iis, quæ uides, cum percipias illud idem auribus, ideſt audiendo ſupple illud, quod uideri ſolet etiam maius: ideſt euidentius , laborare: ideſt in periculo eſſe minus . At : ideſt ſed, aliquid dicendum erit tibi ipſi: ſcilicet in curia, quod non ſentias : ſcilicet dicendum: aut aliquid erit faciendum, quod non probes: ideſt approbes faciendum. Primum cedere tempori: ideſt parere neceſſitati, eſt habitum; ideſt exiſtimatum, ſemper ſapientis: ſcilicet uiri factum. Deinde quidem: ideſt certe, ut nunc eſt, res non habet id uitii : ideſt mali, quod obiici ſolet. nam fortaſſe ſupple dices mihi. Non licet Romæ dicere quæ ſentias. Reſponſio. licet plane : ideſt omnino tacere . Omnia enim ſunt delata: ideſt redacta ad unum, ideſt poteſtatem unius ſcilicet Cæſa. Is utitur conſilio ne quidem, ideſt non ſaltem ſuorum, ſed ſuo ſcilicet unius, quod fieret non multo ſecus, ideſt aliter ; ſi is ſcilicet Pomp quem ſumus ſecuti teneret Rempub. ut tenuiſſet, ſi in Pharſalico conflictu uiciſſet. Et quia dicere poteſt Marcel. id male de Pomp. ſuſpicari, probat illud ex euidenti coniectura, dicens. An cenſemus eum ſcilicet Pomp qui cum in bellu periculum omnium noſtrum eſſet coniunctum ſuo ſcilicet periculo , uteretur minime conſilio cæterorum hominum prudentium, cenſemus , dico, eum fuiſſe futurum magis communem, ideſt communicantem conſilia ſua, in uictoria, ideſt ſi uſus fuiſſet uictoria , quam fuiſſet in cæteris rebus ſuis? quaſi dicat id non eſſe cenſendum . Et cenſes eum ſupple qui nec te conſule, ideſt cum eſſes conſul, & ita a primario dignitatis in urbe ſecutus eſſet conſilium tuum ſapientiſſimum , ideſt licet ſapientiſſimum, nec uoluerit uti fratre tuo ſcilicet Cn. ſeu Lu. Marcello gerente conſulatum ex autoritate : ideſt approbationē tua, nobis autoribus, ideſt id factum eius approbantibus , cenſes inquam eum nunc tenentem omnia, ideſt habentem omnia , ſi modu habuiſſet, ut Cæſar tunc habebat in poteſtate ſua : fuiſſe deſideraturum, ideſt expectaturum ſententias noſtras, ideſt quid nos ſentiremus in ſenatu de iis, quæ ipſe ex ſententia ſua facere conſtituiſſet? quaſi dicat id non eſſe cenſendum. Omnia ſunt miſera, ideſt miſeranda, non tam quantum ad eos, qui inferunt , quam qui ea patiuntur, ſed tamen etiam quodammodo quantum ad inferentes , quia cum multos habeant inimicos in ciuitate ſua, coguntur tyrannum agere in bellis ciuilibus, quæ: ſcilicet bella ciuilia, aut potius miſera , quæ contingunt in bellis ciuilibus, maiores noſtri, ne quidem ideſt non ſaltem ſemel ſupple ſenſerunt, ætas noſtra ſenſit iam ſæpe , ſub Sylla & Mario, ſub Sertorio Carbone, & Perpenna ac Cinna , ſub Cæſare & Pompeio, ſed nihil ſup. eſt in bellis ciuilibus miſerius quam ipſa uictoria: quæ uictoria etiam ſi uenit ad meliores ſcilicet pro re publica, tamen reddit, ideſt efficit eoſipſos ferociores & impotentiores, ideſt minus ſibi imperantes, & ſe ab illicitis minus cohibentes poſt uictoriam, ut etiam ſi non ſint tales ſcilicet feroces & impotentes, natura, ideſt per naturam, cogantur eſſe tales neceſſitate. Enim: ideſt quia. multa facienda ſunt uictori etiam inuito arbitrio, ideſt ad arbitrium eorum, per quos uicit . An tu non uidebas ſimul mecum, quam ideſt quantum, crudelis illa uictoria eſſet futura? quaſi dicat maxime. Igitur careres, ideſt carere deberes , quoque , ideſt etiam tunc patria, ne uideres quæ tu nolles ſcilicet uidere? Inquies ideſt reſpondebis mihi. Non ſupple carerem tunc patria . Ego enim tenerem opes ſupple meas & dignitatem meam . Obiectio. At ideſt ſed, erat uirtutis tuæ, ideſt pertinebat ad uirtutem tuam ponere tua in minimis, ideſt inter minima reputanda, & ſupple laborare uehementius de repub. Denique, aut potius deinde, ideſt ut ſecundo loco obiiciam qui, ideſt quis finis iſtius ſcilicet tui conſilii eſt ? Nam & factum tuum probatur adhuc, & fortuna tua laudatur etiam adhuc, ut in tali re ſcilicet in qua nihil plene laudabile contingit Factum inquam tuum probatur , quod ſecutus ſis neceſſario initium belli ſcilicet contra Cæſarem, & nolueris ſapienter, ideſt in quo feciſti ſapienter, perſequi extrema ſcilicet belli ciuilis , ut illi , qui in Africa perierunt Fortuna ſupple tua laudat, quod tenueris ſupple in ocio honeſto, quia literario, utpute Athenis, & ſtatum ſup. tuum, & famam dignitatis tuæ. Nunc uero, nec ullus locus debet eſſe tibi dulcior patria, ideſt quã patria, nec debes diligere eam minus ſupple propterea quod eſt deformior, ſcilicet quam prius , ſed miſereri potius: ſupple eius nec priuare eam orbatam, ideſt ſpoliatam, ſcilicet multis claris uiris etiam aſpectu tuo , ſcilicet quin eam aſpicias, aut aſpectu tui quo aſpiciaris, aut potiſſimum aſpectu tuo, ideſt facie & præſentia tua Denique ſi fuit magni animi , non eſſe ſupplicem uictori, uide ideſt animaduerte, ne: ideſt an ſit , aut uide , ideſt caue ne ideſt ut non ſit, ſuperbi ſupple animi , aſpernari , ideſt contemnere liberalitatem eiuſdem, ſcilicet uictoris. Et ſi eſt ſapientis carere ſcilicet patienter patria, eſt duri, ideſt pertinet ad durum, & immitem, non deſiderare ſupple patriam. Et ſi non poſſis frui reipub. ſtultum eſt nolle ſupple frui priuata ſupple re. Illud , ſcilicet quod modo dicetur, eſt caput ideſt principale momentum, ut ſi iſta ſcilicet in ocio, & terra peregrina uita uideatur tibi eſſe iucundior , tamen cogitandum ſit ſupple tibi ne ſit non tutior, ſcilicet quam eſſet in urbe. Magna eſt licentia gladiatorum : nam facile poſſet aliquis Athenas mitti, unde occidaris, & reuera paulopoſt a Magio Chilone familiari ſuo, pugione interemptus eſt , ſed minor etiam uerecundia ad facinus, ſcilicet tale perpetrandum eſt in locis externis. Salus tua eſt mihi tantæ curæ, ut ſim Marcello, ſcilicet C. aut Lucio fratri tuo, aut par, ideſt æqualis in cura tali, aut certe proximus. Tuum eſt ideſt ad te pertinet. Raro aut nunquam legitur tua cum uerbo eſt Conſulere, ideſt conſilio proſpicere, temporibus , ideſt ne tempora iſta periculoſa tibi noceant, & incolumitati, & uitæ, & fortunis tuis, ne, ſcilicet eis noceatur. Vale.

VICTORIVS.

AN Qui in bello eſſ omniũ noſtrom cõiunctum eſſet periculum ſuo} Nonnulli emendarunt, {Coniunctum eſſe periculum ſuo cerneret} Nos quãuis hanc lectionem ſecuti ſimus, fatemur tamen, etſi quædã eius ueſtigia ſint in antiquiſſimo, & pro

batiſſimo

batissimo illo codice, non tamen sic omnino ibi legi. Vt autem reddita possint, hunc ne, an uulgatæ magis credendum sit, statuere: hic cum fide antiquam exponemus. Sciant igitur e duabus dictionibus quæ immutatæ sunt, priorem {Esse} inquam, ita in antiquis legi: posteriorem autem, {Cerneret} non integram in illis esse, sed eius tantum postremam syllabam, scilicet {Et} debeatne igitur ex hac syllaba diuinari totam illam dictionem deesse, an hanc particulā abūdare existimandum sit, suum unusquisq; iudicium consulat. Nos, etsi hanc magis probauerimus (nec enim illam recepissemus, nisi meliorem credidissemus) non tamen eam pertinaciter defendimus: in rebus enim incertis, nihil pro certo asserimus: quod autem in antiquis. {Esse} legitur, non. {Esset} adiuuat hanc recentem lectionem.

PAVL. MANV.

Coniunctum esse periculum suo cerneret} Alii hanc lectionem uidentur suspectam habuisse. nos eam in uetusto codice Ioannis Scalæ, & in aliis manu scriptis libris inuenimus.

SEBAS. CORR.

Q. Mutio} Multi ueteres libri habent, nuntio. {Id utili} ut dicendum sit aliquid, quod non sentias: aut faciendum, quod non probes. {Is utitur} cōsilio} Cæsar. {Quod nō multo secus fieret} in peruertere lib. sic legimus: Quod multo secus fieret, secus autem fieret, quoniam Pompeius, si Remp. teneret, non suo, ut Cæsar, sed certorum hominum, ut consueuerat, consilio uteretur. {Si is Remp. teneret} Pompeius. {Certorum hominum} Libonis, L. Luceii, & Theophanis, atque Labieni. {Incertis in rebus} Cæteris in rebus. habet uetus liber. {Secutus esset} quando tibi Coss. finienti prouincias Gallicas Calend. Mart. restitit. {Fratre tuo} C Marcello. {Gerente} cum L. Lentulo Cruscello: uel, ut alii nolunt, cum L. Paulo {Nobis autoribus} suadentibus uel iniquissimam pacē iustissimo bello anteferendam, & ob id Cæsari Cisalpinam Galliam Illyricumq; & sex militum milia usq; ad secundi consulatus petitionem concedenda. Non desunt tamen, qui, Vobis autoribus, legant {Quam illa} Pompeii. {Crudelis} iam tum in bello Domitio, Scipione Lentuloq; Spintere de Cæsaris sacerdotio contendentibus: Aliis quoq; domos, bonaq; eorum, qui in castris erant Cæsaris, petentibus. Lege etiam epist. III. libri. VII. {Persequi nolueris} ut Cato, & Scipio {Honesto ocio} Mitylenis usurpatione, & renouatione doctrinæ: {Isse} Al. fuisse.

BERN. RVTI.

Non est porro tuum, uno sensu solum oculorum moueri, quū illud idem auribus percipias, quod etiam maius uideri solet minus laborare} Puto legendum, Quumq; illud idem, &c. interpretum enim suppletionem non sequimur. {Et extrema sapienter persequi nolueris} Vt Cato, ut Pompeii, ut alii, qui cæso Pōpeio bellum renouarunt. Ad præterita enim, non (ut interpreti placet) futura spectat: nihilq; minus cogitabat Marcellus, quam bellum hoc tempore Cæsari inferre. Item supra: {Qui in bello, quum omnium nostrum coniunctum esset periculum suo, certorum hominum minime prudentium consilio uteretur} Plutarchus locuples horum temporum historiæ solus relictus autor, in Pompeio: Incusat, inquit, & ipsum Cicero, quod Themistoclis militiam magis imitatus esset quam Periclis, quum res ipsæ huius magis, quam illius gestæ similitudinem agerent. de fuga scilicet Pompeii a Brundusio agens. Et in Cicerone, consilium Pompeii de relinquēda urbe uehementissime improbauit, Et mox: Sed quum (inquit de castris Pompeii) deteriora opinione cuncta offendisset, neque consilium belli ita gerendi, neq; copias Cn. Pōpeii, neq; genus exercitus cōprobasset, pacē primo, deinde quod Pompeius ab ea sententia ualde abhorrebat ut bellū traheret, suadere instit. in quibus quū non multum sibi obtēperaretur, & præterea rapacitas atq; crudelitas multorū, quos emendare non licebat, eū offenderet, quasi pœnitentia adductus, quod eo accessisset, omnia contēnere, & sese quantū poterat a rebus gerendis alienare cœpit {Qui nec te consule tuū sapientissimū consiliū sequutus esset} Id forte respicit, quod est apud Liuii Epitomē: Præterea inquit, contentiones cōtinet inter Coss. de successore C. Cæsari mittendo, agente in senatu M Marcello consule, ut Cæsar ad petitionē consulatus ueniret, quū is lege lata in id tēpus consulatus prouincias obtinere deberet. Plutarchus in Pompeio: Amici Cæsaris dignum existimauere, & de Cæs. rationem habendā esse, qui pro Romano imperio tot bella tractabat. aut. n. dignū eū dicebant secundo potiri cōsulatu, aut militiæ tēpus sibi prorogandum, ne dux alius ei succedens, gloriā laborum ipsi auferret. cires id quū altercatio orta esset, Pōpeius, ueluti ex beneuolentia pro Cæsare inuidiā esset excusaturus, se literas habere a Cæsare inquit, quibus optabat successorē, & se ab expeditione liberari: ius tamē petendi consulatum dari sibi, licet absenti, æquū esse censere his quū obsisteret Cato, Catonisq; factio, iuberentq; Cæsarē dimisso exercitu priuatū uenturū, quod cōmode obtinere posset, Pōpeius nulla contentione facta, sed uelut uictus, suspicionē de se maiorē præbuit, quod ægre in Cæsarē sentiret, Appianus: Sic contumeliose in eū (inquit de Cæsare & M. Marcello) inuectus Marcellus, monet successorē ante tēpus in prouinciā illi subrogari. quæ omnia Pōpeius orationis placabilitate & beneuolentiæ simulatione cōposuit, non æquum esse inquiens, uirū splēdidum & in multis patriæ suæ utilē contumeliis appetere, ob tam modicū tēporis adempti spatium, deinde perspicuū omnibus fecit, Cæsarē dignitatē statim cū tēpore deponere oportere. Sed & Cælius ad Ciceronē: Illa præterea Cn. Pompeii sunt animaduersa, quæ maxime confidentiā attulerunt hominibus ut diceret, se ante calē. Martias non posse sine iniuria de prouinciis Cæsaris statuere: post calend. Mart. se non dubitaturū quum interrogaretur, si qui tum intercederent? dixit hoc nihil interesse utrum Cæsar senatus dicto audiens futurus non esset, an pararet: qui senatum decernere non pateretur, quid si, inquit, alius & consul esse, & exercitum habere uolet? at ille quā clementer: quid si filius meus fustem mihi impingere uolet? his uocibus, ut existimarent homines Pōpeio cum Cæsare esse negotium, effecit. Itaq; iā, ut uideo, alterutrā ad conditionē descendere uult Cæsar, ut aut maneat, neq; hoc anno sui ratio habeatur: aut si designari poterit, decedat. Curio se cōtra eū totum parat, & reliqua. Itē post: Pōpeius, tanquā Cæsarem non impugnet, sed quod illi æquum putet, constituat, ait Curionē quærere discordias. ualde autē non uult, & plane timet Cæsarem consulē designari, priusquā exercitum & prouinciam tradiderit. Quæ idcirco adscripsi, ut ostenderē, hoc ipsum esse, in quo noluerit M Marcelli consilium sequi Pōpeius s. ut Cæsari etiā decedenti ex prouincia secundi consulatus petitio daretur. Alioqui locus ille Ciceronis ab interprete illatus, non satis rē explanat. {Nec, fratre tuo consulatū ex autoritate tua gerente, nobis autoribus, uti uoluerit} Ad illa respicere arbitror, quæ ita Plutarchus in Cæsare scribit. gesta consulibus C Marcello M. Marcelli fratre. & L. Paulo Lentulo: Delatis, inquit, a Cæsare literis, quibus modesta satis deprecabatur (petebat enim, ut omissis cæteris, Cisalpina tantum Gallia Illyricumq; sibi cum duabus regionibusq; ad secundi petitionem consulatus cōcederetur) Cicero quidē orator, nuper ex Cilicia reuersus, utriusq; amicos concilians, Pōpeiū mitigare non desistebat. qui, quum cætera concederet, exercitus illi denegabat. Cicero quoq; Cæsaris amicos inducesat, ut prædictis contenti prouinciis, & sex tantummodo millibus militum, in pacē amicitiamq; conciliarentur. inclinante Pōpeio, qui cum consule Lentulo cōspirabant, nequaquā sciuere, Antoniumq; & Curionē e Curia propulsantes, summa eū ignominia ex urbe eiecerunt Et paulo infra. Pōpeium alioqui attonitum, alii aliis, sermonibus perturbabant eum nanq; pœnas dare. qui contra se, ac Remp. Cæsaris uires auxisset: alii acrius increpabant, quod quum Cæsar ea sua uoluntate cederet, & modestas pacis conditiones afferret, Lentulū per insolentiā restitisse permisisset. Et in Pōpeio: Ciceroq; nuper e Cilicia profectus cōciliationē amborū agitabat, ut Cæsar Gallia decedens, reliquo dimisso exercitu, cum duabus legionibus apud Illyricos alterum expectaret consulatū quibus de dignante: Pompeio, persuasi sunt beneuoli Cæsaris, alteram legionem etiam dimitti. sed aduersante Lentulo, iterumq; acclamante Catone, falli eos, Pōpeium decipi, concordiæ, finis nemo datus. Eandem rem, quāuis nō satis consentane, nec fideliter, ut solet, Appianus scribit. Additum uero, Ex autoritate tua, nobis autoribus: quia quum in omnibus antea aduersatus esset Cæsari. C Marcellus, M uero in plerisq; autoritate demum Ciceronis ex prouincia reuersi permotus Marcum, C. quoque fratrem ab illa atroci in Cæsarem ad mitiorem sententiam deduxit {Quod honesto ocio tenueris & statum & famam dignitatis tuæ} Cicero in Bruto de Marcello: Maximeq; laudandus, inqt, qui hoc tēpore ipso quum liceat, in hoc communi nostro & quasi fatali malo consolatur se eum conscientia optime mentis tum etiam usurpatione & renouatione doctrinæ uidi n Mitylenis nuper uirum, atq; (ut dixi) uidi plane uirum. itaq; quum eum antea tui similē in dicendo uiderim, tū uero nunc a doctissimo uiro, tibiq; (ut intelleat) amicissimo Cratippo instructum omni copia multo uidebā similiorē. Quæ ideo subieci, quod & ad sensum pertinebans, in quo fallebatur, aut certe titubabat interpres: & quod mirum uideri posset his, qui Marcellorum in Cæsarem odium quoddam fere perpetuum legissent.

Ex post. e usdem.

Qui nec te consule tuum sapientissimum consilium secutus esset} Vide num id intelligat, quod est apud Ciceronem ad Atticum, ubi uitia Pompeii fomentaq; Cæsarianæ audaciæ ac potentiæ colligit. M q; Marcelli Coss. inquit finienti prouincias Gallias Calend. Martii, restitit. Quod uero ad belli consilia, eodem lib. multa.

PHIL. MELĀ.

Suasoria & hæc est quia hæ omnes habent idem argumentum} Orditur ab occasione scribendi. Deinde est propositio, ut redeat. Sequuntur confutationes. Primo, de aspectu. huic opponit simile incommodum de fama, Secundo, de periculis in dicenda sententia. hæc primum extenuat, deinde addit instantiam, incommodi. Victore Pompeio si tum eras rediturus, & nunc redeat Et hic inseritur amplificatio: de bellorum ciuilium uictoriis Tertio, additur ratio, quæ significat fore, ut pertinacia eius reprehendatur, nisi redeat, Et additur πάθος a patria. Quarto sumit ratio a multis caussis turpitudinis. Superbia est, aspernari uictoris beneficia. item, Duri est, non desiderare patriam. item, Stultum est, negligere rem familiarem. {Etsi per paucis} Exordium ab occasione scribendi, per certum tabellarium. {Iisdem igitur} Propositio, ut redeat. {Multa uidebis} Diluuio eorum, quæ offenderent fortasse præsentem. {An qui io bello} Instantia, {Vti uoluerit} Quia Pompeius ipse adiuuit Cæsarem ut adderetur ei quinquenniū. {Omnia sunt} [illegible] {Sed misc

tius{Excusatio personæ, sumpta a conditione rei, scilicet a natura bellorum ciuilium. {An tu non uidebas} Repetit instantiá. {Istius consilii}. s. quod non perieris, sicut Cato, Scipio, & alii multi. {Núc uero} Confirmatio, in qua sunt argumenta ut redeat.

IOAN. KIVI.

IN Epistola, quæ proxime sequitur, sic locum illũ leges. {An qui in bello, cum omnium nostrum coniunctum esse periculum, suo & certorum hominum minime prudentium consilio uteretur, cũ magis communem consensus in uictoria futurum fuisse, quam incertis reb. fuisse?} Vbi perperam alii, Cæteris in rebus fuisset: est esse debeat, Incertis, pro, adhoc dubiis, uidelicet nondum parta atq; explorata uictoria Est n. sensus: Qui incerta uictoria nihil consilia nostra moratus, est, quid eum diiudicata iam belli fortuna factorũ fuisse credimus? Facit nobiscum exemplar in pergamenis descriptum, cuius nobis copiam fecit clariss. Equ. Guntherus a Bunanu. Est etiá perperam hic locus in codicibus aliis distinctus, non absq; perturbatione sensus.

ARGVMENTVM.

Eiusdem fere est argumenti cum superiore. Hortatur enim paucis ad suos quamprimum redeat, ut quibus expectatissimus sit. petitq; ab eo certior fieri, quid factum sit.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Eiusdem est argumenti cum proxima.

M. CICERO M. MARCELLO. S. 10

ETsi nihil noui, quod ad te scriberem, habebam; magisq; literas tuas iam expectare incipiebam, uel te potius ipsum: tamen cum Theophilus proficisceretur, non potui nihil ei literarum dare. Cura igitur ut quamprimum uenias: uenies enim mihi crede, expectatus, neque solum nobis idest tuis: sed prorsus omnibus, uenit enim mihi in mentem. subuereri interdum, ne te delectet tarda decessio. quod si nullum haberes sensum, nisi oculorum; prorsus tibi ignoscerem, si quosdam nolles uidere. sed cum leuiora non multo essent, quæ audirentur, quam quæ uiderentur; suspicarer autem multum interesse rei familiaris, tuæ, te quamprimum uenire, idq; in omneis parteis ualere, putaui ea de re te esse admonendum. sed quoniam, quod mihi placeret, ostendi: reliqua tu pro tua prudentia considerabis: me tamẽ uelim, quod ad tempus te expectemus, certiorem facias. Vale.

ASCENSIVS.

ETsi Eiusdem fere argumenti est cum superiore: hortatur enim Marcellum, quamprimom domum redire Ordo est. Etsi idest, quanquam, nihil noui habebam, quod, scriberem ad te, & incipiebam magis expectare literas tuas, uel potius teipsum tamen cum Theophilus, scilicet familiaris tuus proficisceretur, scilicet Roma ad te, non potui nihil literarum dare, idest quin aliquid literarum darem ei. Igitur, quia te tantopere expectamus, cura ut uenias quamprimum. Enim, idest quia crede mihi, tu uenies expectatus, idest desyderatus. & optatus neq; solum nobis, idest tuis, quia nos tui sumus, sed prorsus, idest omnino omnibus. Venit enim mihi in mentem idest cogitando compellor, suberen, idest aliquantulum uereri interdum, ne decessio. s. ab Athenis, tarda, idest sera, delectet te, hoc est, ne tædio afficiaris Romam reuerti, quod si nullum haberes sensum nisi oculorum, ego ignoscerem prorsus, idest omnino tibi, si, scilicet nunc nolles uidere quosdam, ut reipub. oppressores. Sed cum ea, quæ audirentur, scilicet a te, essent non multo leuiora, quam quæ uiderentur scilicet si Romæ esses: autem, idest sed suspicarer interesse, idest ad utilitatem pertinere, rei familiaris tuæ, te uenire, scilicet domum quamprimũ idq; ualere, idest, utile esse, in, idest ad omnes partes: putaui te esse admonendum de ea re. Sed quando aut quoniam, ostendi supple id quod placeret mihi, tu considerabis reliqua, idest an recte sentiam, pro tua prudentia, idest secundum prudentiam tuam. Velim tamen facias me certiorem ad quod tempus, expectemus, idest, expectare debeamus te. Vale.

VICTORIVS.

ETsi nihil noui, quod ad te scriberem, habebam} In Mediceo, quæ extrema hic est dictio, non legitur. nec alia pro illa restituitur quod uitio librarii factum est qui in exscribenda epistola omisit, quod ante in capite libri, dum indicem faceret posuerat: ita enim legendum est Etsi nihil erat noui, quod ad te scriberem, magisq; literas tuas: & quæ sequuntur.

SEBAS. CORR.

DIscessio} Decessio magis placet, ut in ueteribus libris legitur. {Quosdam} Cæsarianos, in uictoria nimis insolentes.

PHIL. MELL.

SVasoria epistola, quæ suadet ut redeat. Et accedunt obiter quædam [illegible], confutationes & rationes breuissimæ. Etsi nihil} Exordium ab occasione scribendi. {Tamen cum} propositio. {Neq; solum} Occupatio {Sed cũ leuiora.} [illegible]. Illic audis tristiora, item, hic poteris res tuas seruare.

ARGVMENTVM.

Quid Ciceronis epistolæ apud Marcellum ualuerint, declarat Marcellus ipse hac epistola, significans se ab eis persuasum Romam uenturum: & uelle uenire, ubi clarissimorũ uirorũ consuetudine uti posset, & maxime Cic. quẽ sibi amicissimũ fuisse cognouit: grataq; sibi esse docet, quæ pro se acta erãt.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Collatione declarat Marcellus, suam erga Ciceronem uoluntatem, & quod consilio Ciceronis acquiescere uelit significat.

M. MARCELLVS M. CICERONI. S. 11

PLurimum ualuisse apud me tuã semper autoritatem, cum in omni re, tum in hoc maxime negotio potes existimare, cum mihi C. Marcellus frater amantissimus mei non solum consilium daret, sed præcibus quoque me obsecraret: non prius mihi persuadere potuit, quam tuis est effectum literis ut uterer uestro potissimum consilio. Res quemadmodum sit acta uestræ literæ mihi declarant. Gratulatio tua etsi est mihi probatissima, quod ab optimo sit animo, tamen hoc mihi multo iucundius est, & gratius, quod in summa paucitate amicorum propinquorum, ac necessariorum qui uerè meæ saluti fuerent, te cupidissimum mei, singularemq; mihi beneuolentiã præstitisse cognoui. Reliqua sunt eiusmodi. quibus ego, quoniam hæc erant tempora, facile, & æquo animo carebam. hoc uero eiusmodi esse statuo, & ut sine talium uirorum & amicorum beneuolentia. neque in aduersa, neque in secunda fortuna quisquam uiuere posit. itaque hoc ego mihi gratulor. tu uero ut intelligas homini amicissimo te tribuisse officium, re tibi præstabo. Vale.

ASCENSIVS.

PLurimum & cætera Quid Cice epistolæ apud Marcellõ ualuerint, Marcellus ipse hac epistola significat, dicens se ab eo persuasum Romam uenturum, & quæ pro se acta essent cum Cæsare, grata habere. Ordo est O Cicero, tu potes existimare. i. iudicare, tuam autoritatem ualuisse semper plurimom apud me, cum scilicet ita sit, quod potes existimare illud in omni re scilicet alia, tum maxime in hoc negocio, scilicet domum redeundi. Cum Caius Marcellus supple meus, amantissimus mei, non solum daret mihi consilium, sed quoque. i. etiam obsecraret, idest ob sacra oraret me precibus, nõ potuit prius persuadere mihi quam effectum est literis tuis, ut uterer potissimũ consilio uestro, scilicet amborum. Literæ uestræ i. tuæ & fratris, declarant mihi quemadmodum res, idest reconciliatio mea aut ueniæ datio, sit acta, scilicet in senatu, cum Cæsare. Gratulatio tua, & si. i. quanquam, est mihi probatissima, idest maxima approbata quod. i. quia, sit ab optimo animo, tamen hoc est mihi iucundius, & gratios multo, quod cognoui in summa paucitate amicorum, propinquorum ac necessariorum, qui fauerent uere, idest non ficte, saluti meæ, te cupidissimum mei, & præstitisse mihi beneuolentiam singularem. Reliqua scilicet bona, quæ ante habebam, sunt eiusmodi, quibus i. quod eis, ego carebam facile, & æquo animo, quoniam hæc, idest huiusmodi erant tempora, scilicet tam mala. Vero, idest sed, ego statuo hoc scilicet quod mihi præstitistis, esse eiusmodi, ut quisquam neque posit uiuere in fortuna aduersa neque in fortuna secunda, idest prospera, sine beneuolentia talium uirorum, & amicorum. itaque ego gratulor mihi in hoc. Vero pro sed, ego præstabo scilicet effectu ipso, ut intelligas te tribuisse homini amicissimo, uidelicet

SEBAS. CORR.

C deliicet mihi,officium,ideſt opportunum beneficium. Conſilio}ut domum redirem.{Sit acta}Epiſtola.I I I I .huius libri.

PHIL. MELA.

NArratio eſt,qua ſignificat Marcellus ſe rediturum in urbē. Initio autem apte amplificat autoritatē Ciceronis per collationem:ut in alus rebus,ita uel maxime in hoc negotio cerni poſſe,quantum Ciceroni tribuat.Deinde ſequitur amplificatio officii Ciceronis a tempore,quod tali tempore fidem præſtiterit,Concluſio habet [illegible] alus rebus ſe carere poſſe,ſecum talibus amicis ſe libentisſime futurum eſſe.Tranſlatio eſt ualde arg[illegible] confert cauſam reditus non in rerum ſuarum cupiditatem,ſed in amicorum deſiderium quæ cauſa eſt multo humanior & dignior boni uiro.{Plurimum ualuiſſe}Exordium ex comprobatione conſilii Ciceronis.{Cum mihi C.Marcellus } Narrationes breuisſimæ.{Gratulatio tua}Altera,cum amplificatione.

ARGVMENTVM.

Vt in ſuperiori uidimus,M.Marcellus perſuaſus a Cicerone,decreuerat Romam reuerti,& cum Cæſare uiuere:uerum,cum diſceſſiſſet ex Græcia: & adhuc Athenis parum abeſſet:a P.Magio Chilone familiari ſuo,pugione interemptus eſt:quod cum Seruius Sulp.qui Achaiæ præerat intellexiſſet Ciceroni dolenter hac epiſtola denunciat,ſignificans,quid pro communi amico egerit.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Cædem Marcelli nunciat Ciceroni Sulpitius,& quibus officiis mortuum proſecutus ſit,declarat.

SER. SVLPITIVS CICERONI S. 12

*ETſi ſcio non iucundisſimum nuntium me uobis allaturum, tamen, quoniam CASVS, & * natura in bonis dominatur; uiſum eſt faciendum, quoquo modo res ſe haberet, uos certiores ut facerem. Ad V.Calend.Iun.cum ab Epidauro Piræeum naui aduectus eſſem,ibi Marcellum collegam noſtrum conueni; eumq́; diem, ibi conſumpſi, ut cum eo eſſem. poſtero die, cum ab eo digreſſus eſſem. eo conſilio ut ab Atheuis in Bœotiam irem,reliquamq́; iuriſdictionem abſoluerem; ille, uti aiebat,* ſupra Maleas Italiam uerſus nauigaturus erat. poſtridie eius diei, cum ab Athenis proficiſci in animo haberem;circiter horam decimam noctis Poſthumius familiaris eius ad me uenit; & mihi nunciauit, M.Marcellum collegam noſtrum poſt cœnæ tempus à P.Magio Chilone familiaris eius, pugione percuſſum eſſe, & duo uulnera accepiſſe, unum in ſtomacho, alterum in capite ſecundum aurem: ſperare tamen eum uiuere poſſe: Magium ſeipſum interfeciſſe: poſtea ſe à Marcello ad me miſſum eſſe, qui hæc nunciaret, & rogaret, * uti cogerem medicos. coegi & è ueſtigio eò ſum profectus prima luce, cum non longe à Piræeo abeſſem;puer Acidini obuiam mihi uenit cum codicilis,in quibus erat ſcriptum, paulo ante lucem Marcellum diem ſuum obiiſſe. ita uir clarisſimus ab homine teterrimo acerbisſima morte eſt affectus: & cui inimici propter dignitatem pepercerant, inuentus eſt amicus,qui ei mortem afferret. ego tamen ad tabernaculum eius perrexi, inueni duos libertos, & pauculos ſeruos: reliquos aiebant profugiſſe metu perterritos, quod dominus eorum ante tabernaculum interfectus eſſet coactus ſum in eadem illa lectica, qua ipſe delatus eram meisq́; lecticariis in urbem eum referre: ibiq́; pro ea copia, quæ Athenis erat, funus ei ſatis amplum faciendum curaui. ab Athenienſibus, locum ſepulturæ intra urbem ut darent, impetrare non potui, quòd religione ſe impediri dicerent; neque tamen id antea cuiquam conceſſerant. quod proximum fuit, uti in quo uellemus gymnaſio eum ſepeliremus, nobis per miſerunt. nos in nobilisſimo orbis terrarum gymnaſio Academiæ locum delegimus: ibiq́; eum combuſſimus: poſteaq́; curauimus, ut iidem Athenienſes in eodem loco monumentum ei marmoreum faciendum locarent. ita,quæ noſtra officia fuerunt,pro collegio, & propinquitate et uiuo, & mortuo omnia ei præſtitimus Vale. Data prid.Calend.Iun.Athenis.*

*a.l.fortuna.

*a.l.ſuprema æſtate.

*alias uti medicos coegi.

ASCENSIVS.

ETſi ſcio &c. Deflet M Marcelli necē a P.Magio Chilone familiari eius acceptam,recitatq; ſtudium ſuum in communis amici ſepultura dicens Etſi, ideſt quanquā ſcio me allaturum uobis,ſcilicet qui Romæ eſtis, nuncium non iucundisſimum, modo triſtisſimum, tamen quoniam caſus & natura dominatur in bonis, quia etiam boni aut caſu aut natura cogente ſæpe pereunt:uiſum eſt, ſcilicet mihi faciendum,facere:ideſt ut facerem uos certiores,quoquo: ideſt quocunque modo res haberet ſe.Cum ego aduectus eſſem naui ab Epidauro urbe Achaiæ:Aeſculapii ſacello inſigni, Piræeum, ideſt ad portum illum Athenienſium:ad,ideſt circiter v.Calend Iunii, ego conueni,ideſt adiui,colloquendi & uiſendi gratia, ibi: ſcilicet in Piræeo,Marcellum collegam noſtrum, ſcilicet quondam in conſulatu,& conſumpſi eum diem ibi,ut eſſem cum eo,ſcilicet Marcello Cum digreſſus eſſem ab eo die poſtero: ideſt ſequenti, cum quo conueneram,eo conſilio ut irem ab Athenis in Bœotiam, quæ Atticæ uicina eſt regio,& abſoluerem reliquam iuriſdictionem, ſcilicet prouinciæ ſuſceptæ, ille,ſcilicet Marcellus, nauigaturus erat, ut aiebat,Italiam uerſus ſupra Maias,ideſt Maio menſe peracto,cuius adhuc ſex aut ſeptem reſtabant dies Huber.quia dies in plurali maſculinum eſt,cenſet de Diebus intelligendum non eſſe, & licet apud nullum idoneum erat,probet locum maiorum nomine ſignificari Ego contra ſentio nam licet uſitatius in maſculino utamur, tamen non futilis autor dixit: Venit poſt multas una ſerena dies. Præterea ſicut per Calend.nonas,& idus dies ſignificamus, ſic & per maias,omnes maii menſis dies ſignificatos intelligo,non tamen dixero dies maias,ſicut nec Calendas,ſed maiarum ut Calendarū. Quidam textus bis habent ſupra maias,ſic ut ab Atheuis ſupra maias in Bœotiam irem &c.quod ſi eſt,non poteſt accipi pro loco,ſed pro tempore,ſed non putem bis legendum,eo quod Seruius iam digreſſum ſe dicit,ut ſcilicet ſtatim non ſupra maias in Bœotiam iret, nam addit.poſtridie eius diei,ideſt die,ſequente eum diem,cum haberem in animo proficiſci ab Athenis,Poſthumius familiaris eius, ſcilicet Marcelli:aut familiaris meus,uenit ad me, circiter horam decimam noctis,ſcilicet poſt meridiem computando horas,& nunciauit mihi M.Marcellum collegam noſtrum percuſſum eſſe poſt tempus cœnæ,a Publio Magio Chilone familiari eius, pugione.i. gladio acuto quo punctim uulnera fiunt,& accepiſſe duo uulnera, unum in ſtomacho,alterum in capite,ſecundum,ideſt pone & poſt aurem,tamen ſperare eum poſſe uiuere. Magium interfeciſſe ſeipſum,aut deſperatione uitæ,aut dolore quod ebrius amicum ſic uulneraſſet,repete & mihi nunciauit ſe poſtea miſſum a Marcello ad me,ergo familiaris Marcelli erat qui, ideſt ut nunciaret mihi hæc, & rogaret ſupple me,uti:ideſt ut,cogerem:ideſt congregarem,& in unum locum compellerem,medicos,ſcilicet manuales, ideſt chirurgicos.coegi,ſupple eos,& ſum profectus eo,ideſt Athenas,ad Marcel.e ueſtigio,ideſt continuo,quaſi non mutato ueſtigio, prima luce ideſt prima parte diei,aut diluculo ipſo,cum non abeſſem longe a Piræeo.ſ.portu, puer ideſt ſeruus Acidini,uiri utrique noti,uenit obuiam mihi cum codicillis,ideſt tabulis, in quibus erat ſcriptum Marcellum obiiſſe diem ſuum paulo ante lucem.Ita uir clarisſimus effectus eſt morte acerbisſima ab homine deterrimo,ideſt perditisſimo,& inuentus eſt amicus ſaltem ſimulatus aut ebrius, qui afferret ei mortem,cui inimici ut Cæ.pepercerant propter dignitatem, ſcilicet eius Ego tamen:ideſt licet,obiiſſe intellexeram, perrexi ad tabernaculum,ideſt diuerſorium & hoſpitium eius extra urbem,inueni ſupple illic duos libertos:ſupple eius & pauculos ſeruos, aiebant:ſcilicet quia derant reliquos, ſcilicet ſeruos profugiſſe, ideſt procul fugiſſe,perterritos metu, quia dominus eorum interfectus eſſet ante tabernaculum,ſcilicet ſuum. Nam ſerui tenebantur corpora ſua pro domino obiicere Coactus ſum,ſcilicet officio, eum,ſcilicet Marcello referre in urbem,ſcilicet Athenas,in illa eadem lectica,qua ipſe,ideſt ego eram delatus,ſcilicet a Piræeo, & lecticariis meis,ideſt qui me portare in lectica, ideſt inſtrumento ad modum cathedræ ad portandum hominem in humeris ſuis apto,portabantur enim tunc a ſeruis potentiores,ut nunc a iumentis, ut corpora ſanctorum in ſupplicationibus circunferuntur. Et ego curaui ibi,ideſt in urbe.funus:ideſt pompam funebrem,faciendum ei, ſatis amplum pro ea copia:ſcilicet hominum,quæ erat Athenis Ego nō potui impetrare ab Athenien.ut darent ſupple ei locum ſepulturæ intra urbem,quod dicerent ſe impeditos religione, quia prohibitū erat quenquam,qui non eſſet ciuis natus,in urbe ſepeliri,neque tamen,hoc eſt licet ſuperſtitioſum uideretur,aut quæſitæ occaſionis, tamen non conceſſerant id cuiquam antea.Permiſerunt nobis,ſup. id quod fuit proximum,ſcilicet ad honorem ſepeliendi, intra urbē, uti,ideſt ut ſepeliremus eum,in quo uellemus gymnaſio, ideſt exercitatorio literario,quæ fere extra urbem erant,& nos delegimus lo-

eum in nobilissimo gymnasio orbis terrarum, scilicet in gymnasio Academiæ, in quo Plato docuerat, cum distaret ab urbe mille passus, & spinis horreret, unde Horat. in epistolis. Atque inter syluas Academi quærere uerum. Dictam autem uolunt Academiã ab Academo heroe, & eius loci quem Platoni concessit dominn, & combussimus eum, scilicet Marcellnm ibi, & curauimus postea, ut iidẽ Athenien. locarent, idest mercede statuta opificibus darent monumentum marmoreum faciendum ei: scilicet Marcello in eodem loco. Itaque nos præstitimus ei: scilicet Marcello & uiuo & mortuo, supple ea quæ fuerunt officia nostra pro collegio, quia in consulatu collega illius fuerat: collegæ autem, ut concorditer rem gessisse uiderentur, semper deinceps inter se amabantur & propinquitate. s. sanguinis. Vale. Adscriptum in quibusdam est D. datum aut data est Epistola pridie Calend. Iunias Athenis.

VICTORIVS.

INscriptio posterioris epistolæ Sulpitii hæc est in prisco illo codice: {Seruius Ciceroni salutem Pluribus uerbis.} Considerent eruditi, & ingeniosi uiri, uacent ne hæc uerba, quæ ipsi non acceptimus, & ut parui omnino momenti, & ut suspecta, quia in nullis alus epistolis huiuscemodi aliquid uidimus: adnotauimus tamen, ut siquis ea probarit, possit in suum codicem restituere. Quod autem statim legitur in epistola. {Quoniam Casus & natura} (quæ se recte habent uerba, & fere in omnibus impressis eodem modo legũtur) quia nonnulli labefactare & peruertere ausi sunt, nõ potuimus dissimulare: hi enim pro. {Natura} (fortuna) reposuerunt, & contra ueterum codicum fidem facientes, & nulla necessitate receptã lectionem immutantes. loquitur enim ea opinione illorum qui naturam non alicuius gratia, & certo proposito sibi fine, neque quod melius ita sit, sed temere, & fortuito agere putabant: quam Aristoteles libro II. naturalis ascultationis diligenter oppugnat. Qui fuerint huius opinionis autores, & defensores, Simplicius eo loco his uerbis docet, ταύτης δὲ δοκοῦσι τῆς δόξης τῶν μὲν ἀρχαίων φυσικῶν ὅσοι τὴν ὑλικὴν αἰτίαν εἶναι τῶν γενομένων φασὶν, καὶ τῶν ὕστερον οἱ ἐπικούρειοι. Sic etiam loquitur autor Rhetoricorũ ad Herennium, quisquis fuerit, libro tertio, In uituperatione si erunt hæc corporis commoda, male his usum dicemus, quæ casu, & natura tanquam quilibet gladiator habuerit, etsi illinc quoque eam dictionem delere conati sunt, & in eius locum. {Fortuna} ponere: uerumtamẽ in antiquis, & in Aldinis etiam codicibus. {Natura} legas. {Supra Maias Italiã uersus} Locus hic semper corruptus est habitus, multiq; multis modis eum corrigere eggressi sunt: nos tantopere in hac re dubii sumus, ut nihil asserere audeamus, faciliusq;, quid nobis nõ placeat, quam quid probemus, pronuntiare possumus: in tanta autem obscuritate, & ueri ignoratione uulgatam lectionem retinere, tutius nobis uisum est, quam nouam aliquam, & eam parum firmã reponere. In omnibus enim manu scriptis nulla uarietate (supra Maias) scriptum esse animaduertimus: quod quanuis non probemus (quid enim significent ea uerba, non intelligimus) tamen nisi ueriorem scripturam restitueremus, cur mutaremus, causa non fuit. Nonnulli nuper ita castigationem illam peruulgatam. {Supra maleas} amauerunt, ut ita scribere in libris. quos formis excuderunt, non dubitarint: nec eos sane reprehendimus, quanuis imitati non simus. audiuimus enim doctis uiris hanc emendationem ualde probati: in causa autem fuit, quod singulari potius numero animaduertimus locum illum appellari, promontoriumq; Maleæ dici, & a Græcis, & a Latinis autoribus. Nauigationem autem fuisse quampiam ualde celebrem quam ὑπὲρ μαλέας appellabant, plures autores tradunt, sic autem (nisi fallor) eam uocabant, quia si e Piræeo, exempli causa, in Italiam nauigandum erat, duo erant cursus, unus, quẽ ὑπὲρ μαλέας dicebant, quia necesse esset id promontorium nauibus superare, qui erat sane breuior, sed pericula quædam cõtinebat propter angustias illas. Tunc enim dicitur quis supra promontorium transmittere, quum non longinquum ab eo cursum tenet, sed prope illud nauigat: Alter autem, cum perpelagus aliquis nauigat, & longe se remouet a terra. Sunt autem insulæ quædam e regione Maleæ promontorii non ualde ab eo distantes, inter quas & promontoriũ, qui transibãt, ὑπὲρ μαλέας nauigare dicebantur: quem cursum fortasse Marcellus tenere in sua nauigatione constituerat Plut. in Arato ualde hanc rẽ aperit: ἀφείχθη μὲν ἄνω ἀπὸ μεθώνης ὑπὲρ μαλέας ὡς τῷ διὰ τοῦ πόρου δρόμῳ χρησόμενος πνοῆς δὲ μέγα πνεῦμα, καὶ πολλὴν θάλασσαν ἐκ πελάγους καταιγίσαντος ἀντὶ τοῦ κυβερνήτου παραφερόμενος μόλις ἥψατο τῆς ἀδρίας πολεμίας οὔσης. Præterea Plinius iunior in epistola ad Traianum sic de ea nauigatione loquitur, Nuntio tibi me Ephesum cum omnibus meis ὑπὲρ μαλέας nauigasse, quanuis contrariis uentis retentus. Auunculus item eius in historiæ naturalis lib. IIII. cap. XIIII. hanc eandem rem uidetur innuere de insula Cythara loquens, Hæc sita est a Maleæ promontorio, V. mil. pas. ancipiti propter angustias ibi nauium ambitu. Cum autem Latini etiam in homines Græcis uerbis hanc nauigationem appellare sint soliti, quod testimonio Plinii in epistolis probatur, suspicari posset aliquis etiã Sulpitium ὑπὲρ μαλέας scripsisse, sed imperitos postea librarios locum deprauasse, cum in aliquo fortasse exemplari præpositionem illam Latina uoce, quam significar, declaratam legissent, unde postea creditum sit. {Maleas} numero multitudinis accusandi casu, ut præpositio illa requirit, dictũ & sic locum tantopere paulatim contaminatum esse, ut nihil inquinatius fuerit. Hæc autem leuis quædam est coniectura. negari non potest locum ualde perturbatum fuisse, ideoq; nihil statuere de eo tutum existimauimus Strabo tamen numero multitudinis. {Maleas} appellat, sed nescio an potius urbem aliquam in ea regione eodem nomine appellatã intelligat. hæc eius e lib. VIII. uerba sunt. εἶτα ἡ ὄνου γνάθος λιμένα ἔχουσα, εἶτα βοιὰ πόλις, εἶτα μαλέαι, στάδιοι δ' ἐκεῖθεν εἰς αὐτὰς ἀπὸ τῆς ὄνου γνάθου πεντακόσιοι, καὶ ἑκατόν. ἔτι δὲ, καὶ ἄσωπος πόλις ἐν τῇ λακωνικῇ. Præpositionem autem {In} ante uocem illam. {Italiam} reposuimus, qui eam in uetustioribus codicibus inuenimus, & ita etiam locutum Hirtium obseruauimus, de bello ciuili, cum scripsit, Ad Cordubam uersus: quare non mirandũ est etiam Sulpitium In Italiam uersus dixisse. {Et rogarem uti cogerem medicos: coegi, &c} Mediceus & quique optimi codices. {Cogerem} non habent: quare cum hanc uocem retinuerim, uisum est mihi nunc antiquam lectionem notam facere, si forte ea melior esset, ut uerbum illud potius intelligi bis debeat, quam scribi. Animaduerti enim aliis locis, cum idem uerbum repetitur, quemadmodum hic (coegi) semel tantum poni: quanuis prior sententia sine uerbo imperfecta uideatur, tamen absolutam esse intelligi enim idem uerbum, quod sequitur eo tempore & persona conformatum, quod cõueniat superiorum nominum structuræ. Huius sermonis elegantis, ut arbitror, & familiaris plura exempla suppeterent, nisi ut deminutus, mancusq; a recentioribus improbatus esset, & addito quod desiderari credebant, suppletus atque corruptus: nisi tamen ueteres libri & hic, & aliis non paucis locis deprauati sunt integer est sermo, & usitatus. nam si ipsius fides habenda est, sic locus ille libri XVI. Epist ad Atticum dictus fuit, De duobus primis præclare disseruit, de tertio pollicetur se deinceps, sed nihil scripsit Necnon ille etiã in lib XIII. Varroni scribis te simulac uenerit: dati igitur iã sunt. & non ut uulgo leguntur in excusis: prior enim ita suppletus est. De tertio pollicetur se deinceps scripturum, sed nihil scripsit. alter uero sic, Simulat uenerit, ei daturum, dati igitur iam sunt. Qui hũc modum dicendi probarint, poterunt otiosam illam uocem delere, & ad fidem ueterum codicum hunc etiam locum reuocare, qui recepta lectione contenti sunt, eam etiam in nostro codice inueniẽt. {In nobis dominatur} Mediceus quoque liber. {In bonis} habet. nulla certa adferri possunt argumenta, quæ doceant hoc, aut illo modo necessario legi debere, & utraq;, quantum ego intelligo, lectio defendi potest.

SEBAS. CORR.

ME Vobis} Al. me tibi: quod mihi maxime placet, nisi forte Seruius pluribus scribat, id quod indicari potest ea inscriptione, quæ est in ueteribus libris huiusmodi: Seruius Sulpitius Ciceroni S. D. pluribus uerbis. etsi ita perturbata est, ut difficilis sit coniectura. {Casus} in multis, ut nunc in Marcello. {Natura} in omnibus, quoniam huius finem mortem esse dicunt. {In bonis immo etiam in malis. ut forte legendũ sit, In nobis. {Ad. V. Cal. Iun.} Al. Ad. X. Cal. Iun. {Collegam} in consulatu. {Supra maias} Varie legunt docti: Suprema estate, supremo Maio, supra Maleas, ὑπὲρ μαλέας Eligat quisque, quod magis probat, donec melius inueniatur. {Noctis} in XII. horas more Romano omnibus anni tẽporibus diuisæ. {Chilone familiari} cliente ægre ferente, alios quosdam amicos sibi a Marcello præferri. {Cogerem} Hoc uerbum libri ueteres non habent. {Inimici} Cæsar. {Perterritos} me quæstioni trãderentur. {In urbem} Athenas. {Impediri} nam lex. XII. tabularum, de Solonis legibus trãslata ita habet, in urbe ne sepelito, neue urito. {Nobilissimo orb terr. gymnasio} propter Platonem. {Pro collegio consulatus.

BERN. RVTI.

SVpra Maias Italiam uersus nauigaturus erat} Interpretes suprema æstate legunt. Quid si supremo Maio? {Circiter horã decimam noctis Posthumius familiaris eius ad me uenit} Quũ subueriat. Et e uestigio eo sum profectus prima luce, quum non longe a Pyræeo abessem, puer Acidini obuiam mihi uenit cum codicillis, in quibus erat scriptum, pauloante lucem Marcellum diem suũ obiisse, non uidentur congruere tempore tempora. scimus enim, Maio mense ad finem non ante decimam modo, sed octauam quoque horam noctis illuscere. Denique interpretes quoque noctis uerbum non uidentur habere: quod & nos expungendum ea ratione putamus. Erat hora decima, quam nos uigesimam secundam hodie numeramus, coniunctis diei noctisq; horis. {Reliquos aiebant profugisse, metu perterritos, quod dominus eorum ante Tabernaculum interfectus esset} Non erat ille metus, quem putat interpres, ne scilicet ipsi quoque interficerentur, quum iam se cæsor ille peremisset: sed qa suspicio esse poterat, ne a seruis aut cæsus, aut derelictus uideretur dominus. Nam & quæstio de seruis acerbissima in domini nece, & supplicium in eos, qui non accurrissent, defendissentq; dominum, constitutum erat iure ciuili. de quibus etiamnum apud Iustinianum, titulo, qui est ad Syllanianum, senatusconsultum, nõ pauca legere est.

Ex post. eiusdem.

CIRCITER. Horam decimam noctis Posthumius familiaris eius

tis eius ad me uenit} Nihil muto, horam enim non æquinoctialem, sed temporariam intelligit. Nox enim quocunque anni tempore ueteribus duodecim distinguebatur horis. inæqualibus non solum cum diei, sed inter se quoque noctis horas pro temporum scilicet anni ratione. Cuius me rei admonuit politissimæ eruditionis uir Antonius Thylesius Consentinus, qui cum mihi magna est familiaritas. Inde & Plinius, quum de noctis, ac diei spatiis agit, horas nominat æquinoctiales, ne. s. ciuiles illas, atque inuentitias intelligeremus. Hinc & Cicero ad Atticum Ante diem VIII. Cal. Decemb. hæc ego scribebam, hora noctis nona. Intelligit enim tres horas temporarias ante lucem, non septem æquinoctiales circiter, ut nunc.

PHIL. MELI.

ETsi Scio} In exordio præmunit animus, mentione locis communis de inconstantia rerum humanarum. Deinde consumitur epist. tota in narratione de morte Marcelli. {Itaq; uir clarissimus} ἐπιφώνημα.

ARGVMENTVM.

Publius Figulus Nigidius cum doctrina singulari, tum autoritate: & dignitate maxima, inter Romanos ciues secutus Pompeianas, & ita Reip. partes, uicto Pompeio, & oppressa Rep. non sponte, sed cogente Cæsare exulabat: angebaturq; uehementer, non tam de sua, quàm de Reip. calamitate. Quocirca Cicero hac epistola eum nititur consolari, multis rationibus adductis: pollicetur q; ei operam, & gratiam, & autoritatem apud Cæsarem, & Cæsarianos, pro ipso quamprimum restituendo.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Consolatur Figulum, quod patria careat, & officium illi suum apud Cæsarem promittit.

M. CICERO P. NIGIDIO FIGVLO, S. D. 53

QVærenti mihi iandiu quid ad te potissimum scriberem, non modo certa res ulla, sed ne genus quidem literarum usitatum ueniebat in mentem: unam enim partem, & consuetudinem earum epistolarum, quibus secundis rebus uti solebamus, tempus eripuerat: perfeceratq; fortuna, ne quid tale scribere possem, aut omnino cogitare. relinquebatur triste quoddam, & miserum & his temporibus consentaneum genus literarum. id quoque deficiebat me: in quo debebat esse aut promissio auxilii alicuius, aut consolatio doloris tui. quod pollicerer, non erat: ipse enim pari fortuna abiectus, aliorum opibus casus meos sustentabam. sæpiusq; mihi ueniebat in mentem, queri, quod ita uiuerem, quam gaudere, quòd uiuerem. quanquam enim nulla me ipsum priuatim* perculit insignis iniuria; nec mihi quidpiam tali tempore in mentem uenit optare, quod non ultro mihi Cæsar detulerit: tamen nihilominus eis conficior curis, ut hoc ipsum, quòd maneam in uita, peccare me existimem: careo enim cum familiarissimis multis quos aut mors eripuit nobis, aut distraxit fuga, tum omnibus amicis, quorum beneuolentiam nobis conciliarat per me quondam te socio defensa Respubl. uersorq; in eorum naufragiis, & bonorum direptionibus: nec audio solum. quod ipsum esset miserum, sed etiam id ipsum uideo, quo nihil est acerbius, eorum fortunas dissipari, quibus nos olim adiutoribus illud incendium extinximus; & in qua urbe modo gratia, autoritate, gloria floruimus, in ea nunc iis quidem omnibus caremus, obtinemus ipsius Cæsaris summam erga nos humanitatem: sed ea plus non potest, quàm uis & mutatio omnium rerum, atque temporum. itaque orbus iis rebus omnibus quibus & natura me, & uoluntas, & consuetudo assuefecerat; cum cæteris, ut quidem uideor, tum ipsi mihi displicio: natus enim ad agendum semper aliquid dignum uiro, nunc non modo agendi rationem nullam habeo, sed ne cogitandi quidem; & qui antea aut obscuris hominibus, aut etiam sontibus opitulari poteram: nunc P. Nigidio uni omnium doctissimo, & sanctissimo, & maxima quondam gratia, & mihi certe amicissimo ne benigne quidem polliceri possum. ergo hoc ereptum est literarum genus. Reliquum est ut consoler, & afferam rationes quibus te à molestiis coner abducere. at ea quidem facultas uel tui, uel alterius consolandi, in te summa est, si unquam in ullo fuit. itaque eam partem, quæ ab exquisita quadam ratione, & doctrina proficiscitur, non attingam, tibi totam reliquam. quid sit forti, & sapiēti homine dignum, quid grauitas, quid altitudo animi, quid acta tua uita, quid studia, quid artes, quibus à pueritia floruisti, à te flagitent; tu uidebis. ego quod intelligere, & sentire quia sum Romæ, & quia curo, attendoq;, possum, id tibi affirmo, te in istis molestiis, in quibus es hoc tempore, non diutius futurum; in iis autem in quibus etiam nos sumus, fortasse semper fore. uideor mihi perspicere, primum ipsius animum qui plurimum potest. propensum ad salutem tuam nō scribo hoc temere. quo minus familiaris sum, hoc sum ad inuestigandum curiosior, quo facilius, quibus est iratior, respōdere tristius possit; hoc est adhuc tardior ad te molestia liberandū. familiares uero eius, & ii quidem, qui illi iucundissimi sunt, mirabiliter de te, & loquuntur, & sentiunt, accedit eodem uulgi uoluntas, uel potius consensus omnium. etiam illa, quæ minimum nunc quidem potest (sed possit, necesse est) Respublic. quascunque uires habebit, ab iis ipsis, quibus tenetur; de te propediem (mihi crede) impetrabit. Redeo igitur ad id, ut iam tibi etiam pollicear aliquid, quod primo omiseram. nam & amplectar eius familiarissimos, qui me admodum diligunt, multumq; mecum sunt: & in ipsius consuetudinem, quam adhuc meus pudor mihi clausit, * insinuabo: & certe omnes uias persequar, quibus putabo ad id, quod uolumus, * peruenire posse. in hoc toto genere plura faciam, quàm scribere audeo. cætera, quæ tibi à multis prompta esse certo scio, à me sunt paratissima. nihil in re familiari mea est, quod ego malim meum esse quam tuum. hac de re, & de hoc genere toto, hoc scribo parcius, quod te id, quod ipse confido, sperare malo esse usurum tuis. Extremum illud est, ut te horter, & obsecrem animo ut maximo sis; nec ea solum memineris, quæ ab aliis magnis, uiris accepisti; sed illa etiam quæ ipse ingenio studioq; peperisti. quæ si colliges; & sperabis omnia optime; &, quæ accident, qualiacunque erunt, sapienter feres. sed hæc tu melius, uel optime omnium. Ego quæ pertinere ad te intelligam, studiosissime omnia, diligentissimeq; curabo: tuorumq; tristissimo meo tempore meritorum erga me memoriam conseruabo. Vale.

*a.l. pepulit.

*a.l. insinuabor.

*a.l. perueniri.

ASCENSIVS.

QVærenti. P Figulus Nigidius uir doctrina singulari, Pōpeio (cuius partes secutus erat) uicto, exulabat, angebaturq; cum sua, tum Reipub. calamitate, quocirca consolatur eum Cicero, pollicetur q; operam suam in ipso restituendo Ordo est. Non modo nulla res certa, sed ne quidem, idest non etiam, aut non saltem usitatum genus literarum, ueniebat in mentē idest occurrebat mihi, quærenti, idest disquirenti, iandiu, quid potissimum scriberem ad te. Etenim, idest quia, tempus eripuerat unam partem, & consuetudinem earum literarum, quibus solebamus uti rebus secundis idest cum essent secundæ, & fortuna, scilicet aduersa perfecerat, ne possem scribere, quid: idest aliquid tale, scilicet lætum, & iocundum, aut omnino cogitare Quoddam genus literarum triste & miserum, & consentaneum his temporibus relinquebatur, scilicet mihi: sed id quoque deficiebat, idest relinquebat me, in quo debebat esse, aut promissio auxilii alicuius, aut consolatio doloris tui, nam non erat, quod pollicerer. Enim. i. quia, ipse: idest ego, abiectus pari fortuna, qua tu, sustentabam casus meos: idest me inter multos casus opibus: idest potentus, & auxilus aliorum, & ueniebat mihi in mentem sæpius queri, idest ut querar, quod uiuerem ita, idest tam misere, quam gaudere, quod uiuerem. Quanquam enim nulla insignis iniuria pepulit, idest percussit, me ipsum priuatim. i. peculiariter. Nec quicquā uenit mihi tali tēpore in mentem, optare, idest ut optem, quod Cæsar non detulerit. i. præsentauerit mihi ultro. i. etiam prius, quam rogarem: tamen ego nihilominus conficior idest consumor, eis idest eiusmodi curis, ut existimem me peccare, ipsum idest propter idipsum, aut in eo ipso, quod maneam in uita, Etenim idest quia, careo cum, scilicet ita fit, quod multis familiarissimis, quos aut mors eripuit nobis, aut fuga distraxit idest in diuersa loca traxit, tum supple multo euidentius

est,quod careo omnibus amicis, quorum Respub. defensa quondā per me,te socio,conciliarat nobis beneuolentiam,& uersor, idest assiduus sum,in naufragiis eorum,& direptionibus bonorum:nec solum audio,quod ipsum,scilicet audire,esset miserum, sed etiam uideo,quo nihil est acerbius,fortunas eorum dissipari,quibus non solum adiutoribus nos extinximus illud incendium , scilicet quod a coniuratis paratum erat.Et in qua urbe nos floruimus,modo , idest pauloante,gratia,autoritate,gloria.in ea nunc quidem caremus omnibus his scilicet gratia,autoritate,gloria.Nos obtinemus summam humanitatem ipsius Cæs qui,scilicet caput totius rei est erga, idest aduersum nos,sed ea,scilicet humanitas Cæsaris,non potest plus q̄ uis,idest uiolentia,& mutatio omnium rerum,atque tempoꝛū. Quibus urbis innuit perplexitatem,in qua quilibet tyrannus est , qui tamersi clemens per naturam sit,tamen quia occupando temp.omnes offendit,cogitur,si uiuere uult,suos in subiectione tenere, quod sine austentate non possit,cum nesciat quales sint suorum in se animi. Ideo autem Cæsarem laudat,ut Nigidio spem reditus faciat. Ita que ego supple orbus,idest priuatus,omnibus iis rebus,quibus & natura,& uoluntas & consuetudo assuefecerat me,cum, scilicet ita sit quod,ut quidem uideor,displiceo cæteris,tum multo magis est,q̄d displiceo mihi ipsi Etenim,idest quia,ego natus,idest per naturam aptus ad agendum semper aliquid dignum uiro , habeo nunc non modo nullam rationem agendi,sed ne quidem, idest non saltem,cogitandi,& qui poteram antea opitulari,idest opem ferre,aut hominibus obscuris,idest ignobilibus,aut quorum innocentia in obscuro erat,aut etiam sontibus,idest manifeste nocentibus,ut Miloni,& Vatinio,nunc ne quidem,idest non saltem,possum polliceri , scilicet aliquid opis,Publio Nigidio uiro doctissimo,& sanctissimo omnium,& quondam maxima gratia,idest qui quondam maximā gratiam habuerat,& certe,idest quod indubitatum est,amicissimo mihi.Ergo hoc literarum genus, scilicet quo opem polliceamur , est ereptum.Reliquum est,idest id solum restat,ut consoler, scilicet te, & afferam rationes,quibus coner abducere te a molestiis . At,idest sed,ea quidem facultas consolandi,uel te,uel alterius,est summa.i. maxima,in te,si fuit unquam in ullo,scilicet homine. Itaq; ego non attingam eam partem, scilicet consolatoriam , quæ proficiscitur.i. oritur ab ratione quadam exquisita,idest cogitata,ac singulari, & a doctrina ,quia ea in te summa est,& ideo relinquam tibi supple eā totam. Tu uidebis,idest considerabis per te ipsum, quid sit dignum homine forti,& sapiente,idest quid faciendum sit decenter homini forti,& sapienti in re aduersa,& quid grauitas : quid altitudo animi:quid uita tua acta : quid studia , scilicet tua : quid artes,scilicet tuæ,quibus floruisti a pueritia:flagitent : idest acriter deposcant a te.Ego quod possum intelligere,& sentire,idest percipere sensu,quia sum Romæ,& quia curo,& attendo,scilicet animum ad eam rem,affirmo tibi id,te non futurum diutius in istis molestiis,scilicet exilii, in quibus es hoc tempore & supple fore,idest futurum esse fortasse semper in iis,scilicet molestiis,in quibus etiam nos sumus,uidentes, scilicet Rempublicam ad unum reuolutam. Ego uideor mihi perspicere,idest clare uidere,primum animum Ipsius , scilicet Cæsaris, qui potest plurimum,propensum.:idest inclinatum ad salutem tuā. Ego nō scribo hoc temere,idest inconsiderate,& sine ratione , quia, quo,idest quanto,ego sum minus familiaris,scilicet Cæsari , hoc.i. tanto,sum,curiosior ad inuestigandum,idest scrutandum animum eius.Quo:idest ut,possit respondere tristius , supple iis , quibus est iratior,idest dare responsum tristius:hoc:idest ideo: est adhuc tardior ad liberandum te molestia quasi dicat contentus fuerit te petentem ueniam tristi responso afflixisse,daturus mox ueniam. Vero, idest sed familiares eius,& quidem idest certe ii,qui sunt iucundissimi illi,&:idest simul loquuntur,&:idest simul sentiunt mirabiliter de te.Voluntas uulgi,uel potius consensus omniū accedit , idest additur,eodem idest ad confirmationem eiusdē rei.Etiā illa.s.Resp. quæ nunc quidem potest minimum,sed necesse est.supple ut possit, scilicet plurimum,quascunque uires habebit,ab iisipsis, quibus tenetur,scilicet Cæsarianis impetrabit,crede mihi propediem : idest statim,aut intra paucos dies,de te scilicet restituendo patriæ . Igitur ego redeo ad id,ut pollicear etiam tibi aliquid,quod omiseram primo,quia dixerat se nihil polliceri posse.Nam,& idest simul,complectar familiarissimos eius, scilicet Cæsaris,qui scilicet familiarissimi eius diligunt me admodum,idest ualde,& sunt multum mecū, & idest simul,insinuabo idest ingeram me in consuetudinem ipsius, scilicet Cæsaris,quam scilicet cōsuetudinem eius,pudor meus clausit mihi adhuc,& certe persequar omnes uias, idest omnia media, quibus putabo posse peruenire ad id,quod uolumus.Ego faciam plura in hoc toto genere,scilicet ambiendi pro se,quam audeo scribere.Cætera,scilicet auxilia,quæ ego scio certo esse prōpta idest parata tibi a multis sunt paratissima a me. Nihil est in re mea familiari.q̄ ego malim esse meum, quam tuum. Ego scribo parcius, idest magis sobrie, & de hac re,& de toto genere,scilicet subueniendi per rem suam amico,quod malo,idest magis uolo te sperare te usurum, esse tuis,scilicet rebus,id quod,idest quam rem,ipse, idest ego confido. illud scilicet,quod nunc dicam,est extremum,ut horter & obsecrē te,ut sis animo maximo,nec memineris solum ea,quæ accepisti.i.didicisti ab aliis magnis uiris,sed etiam illa,quæ ipse,idest tu peperisti idest excogitasti,& inuenisti ingenio,& studio, scilicet proprio, quæ scilicet a te parta,si colliges.i.ad animum reduces tuum , &.i. simul sperabis omnia optime,& feres,idest patieris,aut portabis sapienter,quæ accident qualiacunque erunt. Sed tu sup diceres hæc melius,scilicet quam ego. uel optime omnium Ego curabo studiosissime,& diligentissime omnia,quæ intelligam pertinere ad te, & cōseruabo.s.apud me , memoriam tuorum meritorum erga me,tēpore meo tristissimo,idest quo exulabam.

VICTORIUS.

TAmē nihilominus tis cōficior curis} Dictio illa.{Nihilominus}in antiquis diminuta est:pro . {Nihilominus eis}ibi. {Nihil eis}scriptum.unde ridicule nonnulli. {Achilleis}legi debere putarunt. Nos communem,& receptam lectionem secuti sumus,quia meliorem ipsi ex illis uerbis excogitare non potuimus: rem tamen notare placuit,ut si quis uelit,laboret in ueritate requirenda,nec miretur,quare hic locus diuersis modis legatur. {Vt te horter & obsecrem} Nos emendauimus . {Orem & obsecrem} sic enim fere est in antiquis exemplaribus,& est hæc Ciceronis familiaris locutio.

Ea post. eiusdem.

VT te horter & obsecrem}Ea est In Mediceo libro scriptura, ut inde utraque lectio duci possit:neutram enim ille integram habet , & utriusque non parua uestigia retinet : ita enim habet . {Vt te hortem & obsecrem}quam olim ueriorem esse censuetimus,quibusque argumētis usi,omnibus notum:nihil tamen decerno.

PAUL. MANU.

CErta Res nulla}Scripsimus,ulla , ut In antiquioribus libris legitur. locutionem esse usitatam intelliget , qui uiderit ea, quæ diximus in illum epistolæ penultimæ libri primi locū Non modo præmiis.{Vt te horter & obsecrem Nihil muto sic,enim in VIII.uetustissimis exemplaribus scriptum esse uideo. Florentinorum tamen lectionem non improbo.& si eam in libris manu scriptis ipse quidem nondum inueni.

SEBAS. CORR.

TE Socio}quippe qui indicium dicta , interrogata responsa perscripseris. {Dissipari}a M. Antonio,& reliquis Cæsarianis. {Plus non potest}quoniam multa uictori , eorum arbitrio,per quos uicit,etiam inuito faciēda sunt. {In te summa est} qui nobilium Pythagoreorum disciplinam quodammodo extinctam renouasti. {Fortasse semper fore} Al. fortasse nō semper fore. ut sit quasi prognosticon de Cæsaris morte ut illud ad Atticum: Nullo modo posse uideo stare istum diutius,quin ipse per se, etiam languentibus nobis,concidat. {Familiares eius}Balbus,Oppius, Hirtius,& reliqui. {Horter}Alii legunt , Orem . {Peperisti} quæ multa quidem fuerunt, sed propter obscuritatem subtilitatemque , in uulgus non proinde exierunt: ut scribit Gellius lib. XIX. cap. XIIII. {Meo tempore}exilii.

BERN. RUTI.

IN Quo Debebat esse aut promissio auxilii alicuius}In quo,scilicet me. non,ut interpres. {Sed ea plus non potest , quam uis & mutatio omnium rerum,atque temporum}Non sequor interpretis sensum,sed hoc dicit: quamuis humanum in me se Cæsar præbeat,tamen necessario & quadā belli ciuilis consuetudine efficitur, ut mea causa nolit quibusdam ignoscere. Deniq; illa est sententia,q̄ sæpe expressit,ad Marcellum supra his uerbis:Omnia sunt misera in bellis ciuilibus,quæ maiores nostri ne semel,quidem,nostra ætas sæpe iam sensit.sed miserius nihil quam Ipsa uictoria : quæ etiam si ad meliores uenit,tamen eos ipsos ferociores impotentioresq; reddit,ut etiam si natura tales non sint,necessitate esse cogantur. multa enim uictori eorum arbitrio,per quos uicit,etiam inuito facienda sunt. {Sed possit,necesse est}aliquid scilicet , neq; enim temere de Cæsaris cæde,ne suspicionem quidem istam literis commisisset. neque uero tam cito scire,quæ constituta essent,si tamen adhuc erāt, potuit. Itaque ad laudem potius pertinet Cæsaris,quam secus. nam & ab eo senatus de Marcello impetrauit:quod tamen post hæc arbitror factum. {In iis autem,in quibus etiam nos sumus,fortasse semper fore}Probo hanc potius , quam interpretum scripturam , sensumque.

PHIL. MELA.

HAec Sequens est Ciceroniana splendida,magnifica Consolatoria est,& tota uersatur in perpetua distributione. Initio instituitur reiectio per distributionē. Nec lætum tempus literarum,nec aptum tristi tempori inuenio.id cum sit duplex,alterum reiicitur,alteri attexitur ratio,quæ continet grauissimam querelam præsens status,quæ etiam distributione cōstat : Careo amicis,dignitate,& potentia. Sequitur altera pars de consolatione,quæ est duplex. Reiicit enim consolationem,quæ sumitur a doctrina: Instituit alteram,in qua bene promittit de reditu . Atq; hæc est ueluti principalis propositio epistolæ . Adducuntur rationes ex uoluntate Cæsaris,& forma Reipublicæ. In conclusione pollicetur ei sua officia. {Quærenti mihi iandiu} Exordium ab enumeratione , in qua repudiat duo genera literarum: de secundis rebus,& de promittendo auxilio. hanc partem auget commemoratione suæ calamitatis. {Ergo hoc ereptum}Conclusio exordii. {Reliquum est } Transitio. {Atq; ea quidem}Occupatio. potes teipsum doctrina cōsolari {Ego quod intelligere}Propositio consolationis,ex utilitate & exitu calamitatis. {Videor mihi}Prima ratio,a Cæsaris uoluntate. {Accedit eodem}

eodem} Secunda ratio, a Reipub. conditione. {Redeo igitur} Correctio quod aliquid promittat. {Extremum illud est} Consolatio, ex locis honestatis.

ARGVMENTVM.

Hic Plancus is est, ad quem lib. x. multæ extant Ciceronis epistolæ, sed scriptæ post cædem Cæsaris. hæ autem duæ scriptæ sunt feruentibus bellis. Respondet itaque Planco, qui gratulatus fuerat, quod Cice. dignitatem suã retineret apud Cæsarem: quod hic ostendit non ita esse. Et quia optauerat feliciter euenire, quod egerat Cice. dicit se id quoque confidere, pollicens demum Planco se, & operam suam omnem.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Gratulatus Ciceroni Plancus fuerat, quod dignitatem pristinam apud Cæsarem retineat: quod certis de caussis negat Cicero, sed alteram gratulationem iustam habet: postremo officium suum Planco commendat.

M. CICERO S. D. CN. PLANCO. 14

*B*Inas à te accepi literas, Corcyræ datas: quarum alteris mihi gratulabare, quòd audisses me meam pristinam dignitatem obtinere: alteris dicebas, te uelle, quæ egissem, bene, ac feliciter euenire. Ego autem, si dignitas est bene de Repub. sentire, & bonis uiris probare, quod sentias; obtineo dignitatem meam, sin autem in eo dignitas est, quod sentias, aut re efficere si possis, aut denique libera oratione defendere: ne uestigium quidem ullum est reliquum nobis dignitatis: agiturque præclare, si nosmetipsos regere poßimus, ut ea, quæ partim iam adsunt, partim impendent, moderate feramus; quod est difficile in eiusmodi bello, cuius exitus ex altera parte cædem ostentat, ex altera seruitutem, quo in periculo non nihil me consolatur, cum recordor, hæc me tum uidisse, cum secundas etiam res nostras, non modo aduersas pertimescebam; uidebamq́; quanto periculo de iure publico disceptaretur armis: quibus si ii uicissent, ad quos ego pacis spe, non belli cupiditate adductus accesseram, intelligebam tamen, & iratorum hominum, & cupidorum, & insolentium quàm crudelis eßet futura uictoria: sin autem uicti essent; quantus interitus esset futurus ciuium partim amplissimorum, partim etiam optimorum: qui me hæc prædicentem, atque optime consulentem saluti suæ, malebant nimium timidum, quàm satis prudentem existimari. Quòd autem mihi de eo, quod egerim, gratularis: te ita uelle, certo scio: sed ego tam misero tempore nihil noui consilij cepissem, nisi in reditu meo nihilo meliores res domesticas, quàm Rempubli. offendißem. quibus enim pro meis immortalibus beneficijs carissima mea salus, & meæ fortunæ esse debebant: cum propter eorum scelus nihil mihi intra meos parietes tutum, nihil insidijs uacuum uiderem: nouarum me necessitudinum fidelitate contra ueterum perfidiam muniendum putaui, sed de nostris rebus satis uel etiam nimium multa. De tuis uelim ut eo sis animo, quo debes esse, idest ut nequid tibi præcipue timendum putes: si enim status erit aliquis ciuitatis: quicunque erit, te omnium periculorum uideo expertem fore: nam alteros tibi iam placatos esse intelligo, alteros nunquam iratos fuisse. De mea autem in te uoluntate sic uelim iudices, me, quibuscunque rebus opus esse intelligam, quanquam uideam quis sim hoc tempore, & quid poßim, opera tamen, & consilio, studio quidem certe, rei, famæ saluti tuæ præsto futurum. Tu uelim, & quid agas, & quid acturum te putes, facias me quàm diligentissime certiorem. Vale.

ASCENSIVS.

BInas &c. Scribitur ad Cn. Plancum, ad quem lib. x. cũ plures scribentur post cædẽ Cæsaris: hæc autẽ scripta est feruentibus bellis ciuilibus. Respondet autẽ Planco, qui gratulatus fuerat Cic. quod dignitatẽ suã retineret apud Cæs. quod Ci. ostendit aliter esse. Et quia optauerat feliciter euenire, quod Ci. egerat, dicit se id quoq; confidere, pollicens demũ Planco se & operã suã omnem. Ordo est Ego accepi. s. a te binas literas. i. duas epistolas, datas Corcyræ. i. in ea insula, quæ est uicina Adriatico mari, quia tamẽ in genitiuo posuit, putem esse nomẽ urbis in ea insula: quarũ. s. literarũ alteris, tu gratulabare mihi quod audisses me obtinere pristinã dignitatẽ meã. s. apud Cæsa. alteris dicebas te uelle ea, quæ egissem euenire bene & feliciter. Ego autẽ si dignitas est bene sentire de Rep. & probare, quod sentias bonis uiris. i. sententia bonorũ uirorũ, obtineo dignitatẽ meã. Sin autẽ. i. sed si, dignitas est in eo, uidelicet, aut posse efficere te, quod sentias, aut denique defendere, quod sentias uoce libera, ne quidẽ. i. nõ saltẽ, ullũ uestigiũ dignitatis est reliquũ nobis, agitur. s. nobiscũ præclare, si possumus regere nosmetipsos, ut feramus moderate ea, quæ partim adsunt & partim impendent. i. imminẽt, quod est difficile in eiusmodi bello cuius exitus ostentat ex altera parte. s. Pompeiana. cædẽ. i. occisionẽ omniũ eorũ, qui cõtra Rẽp. cũ Cæs. steterint, & sup. ostentat seruitutẽ, ex altera sup. parte, uidelicet Cæs. qui si uictor esset in seruitutẽ redacturus uidebatur. Ergo dices, Ci. sentit Pomp. crudeliorẽ fore ipso Cæs. certũ est, quod superbior fuerit, quia noluit parẽ pati in Rep. & Cæs. parẽ quidẽ sed nõ superiorem ferre poterat, & forte benignior etiã erat Cæsar per naturã, sed causæ diuersitas hanc opinionẽ de exitu belli. Sic. n. Pompeius uicisset, senatus decreto omnes Cæs. hostes iudicati fuissent, si Cæs. cũ solus regnaret, facile quibus imperaret, pepercisset, In quo periculo nõ nihil. i. in aliquo cõsolatur me, cũ recordor me uidisse & cognouisse hæc. s. mala. tum. i. tunc, cũ. i. quando, ego pertimescebam etiam res nostras secundas. i. prosperas, nõ modo. i. nedum aduersas, & uidebam quanto periculo disceptaretur armis de iure publico. i. ad rẽp. pertinente, quibus. s. armis, si ii. i. Pompeiani uicissent ad quos ego accesseram adductus spe pacis. i. ut traherẽ Pomp. ad concordiã, nõ cupiditate belli: tamẽ. i. nihilominus, intelligebam, quã quantũ crudelis esset futura uictoria, hominũ iratorũ. s. ob illatã iniuriã, & cupidorũ. s. rerum, honorũ, aut uindictæ & insolentiũ. i. superbe agentiũ Sin autẽ. i. sed si, uicti essent. s. Pompeiani, intelligebam quantus interitus esset futurus, partim ciuiũ amplissimorũ, partim etiã optimorũ, qui malebant me prædicentem hæc, atq; consulentẽ optime saluti suæ, ut uidelicet potentiæ Cæs. cedant, existimari. i. iudicari, aut existimare. i. iudicare, nimiũ timidũ, quã satis prudentem. Quod autem gratularis mihi de eo, quod egerim. s. de nuptiis cũ noua uxore, scio certo. i. pro certo, te uelle ita. Sed ego nihil noui cõsilii cœpissem tã misero tẽpore. s. bellorũ ciuiliũ nisi offendissem in reditu meo. s. e Cilicia prouincia res domesticas, quas uxor dissipauerat, nihilo. i. nullo meliores, quã remp. Enim quia sup. uidelicet Q. frater, qui in Ci. orationẽ scripserat, quã Cæsari recitaret, & Quinti fratris filius, qui de nece Ci. patrui sui cogitarat, & Terentia, quæ impudice uixerat & patrimoniũ dissiparat, unde eam repudiauit quã Salln. Ci. inimicus factus, ut ea eius secreta sciret, quæ criminaretur duxit: quibus mea salus & meæ fortunæ debebant esse carissimæ pro immortalibus beneficiis meis, cũ uiderẽ nihil mihi tutum intra parietes meos. i. in propria domo, & nihil uacuũ insidiis. Propter scelus eorũ quia Cato nullam censuit adulteram, quæ non eadem si posset, uenefica esset Putaui me muniendum fidelitate nouarum necessitudinum: idest affinitatum cum noua uxore. contra perfidiam ueterum: scilicet necessitudinum. Sed satis supple scripsimus de rebus nostris, uel etiam nimium multa ut de tuis: idest ut scribam de tuis, ego uelim, sis eo animo, quo debes esse: idest ut nequid, idest aliquid, non putes aliquid timendum tibi præcipue: idest singulariter, aut præ cæteris: si enim aliquis status ciuitatis scilicet Romanæ erit, siue sub Pomp. siue sub Cæsa. ego uideo te fore, idest futurum, expertem: idest immunem omnium periculorum Nam intelligo alteros, scilicet Cæsa. esse iam placatos tibi: idest remisisse iram in te suam, alteros: scilicet Pompeianos, nunquam fuisse iratos: scilicet tibi. Autem: idest sed, ego uelim iudices sic de mea uoluntate in te, quanquam uideam, qui idest qualis sim: alii legunt quis sim, sed honestius ad euitandum sibilum deponitur S, ut in Buc. Sed tamen iste deus, qui sit da Tityre nobis, & Despectus tibi sum, nec, qui sim, quæris Alexi. hoc tempore: scilicet tam periculoso, & mihi aduerso, & quid possim quasi dicat uideo, quod minimum, tamen quibuscunque rebus intelligam opus esse, supple tibi, opera, & consilio, certe quidem, studio, idest indubitanter studio, si parum opera, aut cõsilio possem, futurum præsto, idest paratum, & auxiliarem rei famæ, supple & saluti tuæ. Tu uelim, supple ut facias me certiorem, quam diligentissime, & quid agas scilicet modo, & quid putes te acturum scilicet deinceps. Admonui supra ex Laurentio Val. in orat. soluta, raro, aut nunquam dici facio te certum, sed certiorem.

SEBAS. CORR.

CN. Plãcio} pro quo ea tat oratio {Dignitatem obtinere} post impetratam a Cæsare ueniam {Quæ egissem} de nouo matrimonio. {Ex altera parte} Pompeiana. {Ex altera} Cæsariana.

{Iratorum}Cæsari & omnibus qui cum Cæsare erant. {Cupidorũ} quippe qui iam tum bello uix dum cœpto, honores, domos, bonaq; eorum, qui in castris erant Cæsaris, peterent. {Insolentium} qui ne de pace quidem quenquam loqui paterentur. {Quod egerim} acce pta uxore Publia: quam tamen Popiliam uocat Quint. li. VI. cap. IIII. {Noui consilii} de accipienda uxore. {In re4 meo} ex castris Pom. {Eorum} Terentiæ. {Veterum} necessitudinum.

BERN. RVTI. QVanto Periculo de iure publico disceptaretur armis} Quid significaret Ciceroni his locis ius publicum, supra ostẽdimus, contra interpretis opinionem.

PHILI. MELÁ. ORditur a narratiuncula, quæ continet argumenta literarũ Planci. postea refellit Planci literas de dignitate. idq; amplificat definitione dignitatis, & conscientia consiliorum. Postea respondet ad gratulationem deducta uxore. Credo hanc epistolam scriptam esse, ante profectionem ultimam Cæsaris in Italiã; & antequam ciuile bellum plane erat finitum. Cicero tum repudiata Terentia, duxit aliam uxorem. {Binas a te} Narratio. {Ego autem} Concessio. {Sin autem} Correctio. {Quo in periculo} Amplificatio, de consiliis suis. {Quod autem mihi} Altera pars epistolæ, de gratulatione. {De tuis uelim} Tertium negotium. consolatio.

ARGVMENTVM.

Scripserat Plancus quanto amore Ciceronem prosequeretur: quod quia perspectum habuerat, dicit maluisse scripsisse, quanto animo ferret calamitatem publicam, monens, ut nihil sibi præcipue timeat.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Monet Plancum, ut publicas calamitates, quemadmodum cæteri, fortiter ferat.

M. CICERO S. D. CN. PLANCIO. 15

ACcepi perbreueis tuas literas: quibus id, quod scire cupiebam cognoscere non potui; cognoui autem id, quod mihi dubium non fuit: nam quàm fortiter ferres cõmuneis miserias, non intellexi: quam me amares, facile perspexi: sed hoc sciebam: illud si scissem, ad id meas literas accommodassem. sed tamen etsi antea scripsi, quæ existimaui scribi oportere; tamen hoc tempore breuiter commonendum putaui, ne quo periculo te proprio existimares esse: in magno omnes, sed tamen in communi sumus. quare non debes aut propriam fortunam, & præcipuam postulare, aut communem recusare. quapropter eo animo simus inter nos quo semper fuimus. quod de te sperare, de me præstare possum. Vale.

ASCENSIVS. ACcepi &c. Argumentum perspicuum est. Ordo autẽ est. Ego accepi literas tuas perbreues, idest ualde breues, quibus non potui cognoscere, id quod cupiebam scire: cognoui autem id quod non fuit mihi dubium. Nã non intellexi quam, idest quantum fortiter ferres miserias communes. perspexi facile, quam idest quantum amares me, sed sciebam hoc scilicet posterius dictum, si scissem illud idest prius dictũ, uidelicet quam fortiter ferres communes miserias, accommodassem literas meas ad id. Sed tamen idest nihilominus, & si i. quanquam, scripsi antea, quæ existimaui oportere scribi, tamen putaui te commonẽdum breuiter hoc tempore, ne existimares te esse in quo idest aliquo periculo proprio: nos sumus omnes in magno scilicet periculo, sed tamen communi. Quare non debes postulare, aut fortunam propriam, aut præcipuam idest præeminente, aut recusare, idest renuere communem scilicet fortunam. Quapropter simus inter nos eo animo, hoc est beneuolo, quo fuimus semper: quod, scilicet ita fore, ego possum de te sperare, & præstare idest exhibere & efficere de me.

BERN. RVT. AVt propriam fortunam, aut præcipuam postulare, aut communem recusare} Aut secundum abundat.

PHIL. MELÁ. NArratiuncula est, in qua breui partitione utitur, qua literas Planci partim probat, partim reprehendit. Postea addit breuem consolationem. {Accepi perbreueis} Narratio, continens repetitionem epistolæ ad se missæ, in qua quid desideret, exponit. {Quare non debes} Consolatio.

M. T. C. EPISTOLARVM FAMILIARIVM QVARTI LIBRI FINIS.

MARCI TVLLII CICERONIS

EPISTOLARVM FAMILIARIVM,

LIBER QVINTVS.

ARGVMENTVM.

Epistola hæc prima acerbe quidem est in Ciceronem scripta: sed ideo præposita, ut sequentibus, quibus se purgabit Cicero, argumentum aperiat. Scribitur a Metello agente imperatorem in Hispania, qui audierat fratrem suum Lucium Metellum ob dictum, idest, uerbum unum, a Cicerone oppugnari.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Expostulatio Metelli cur præter reconciliationẽ, fratrẽ illius accusaret.

Q. METELLVS Q. F. CELER PROCOS. S. D. M. T. CICERONI. 1

SI VALES, bene est. Existimaram pro mutuo inter nos animo, & pro reconciliata gratia, neque me absentem ludibrio læsum iri, nec Metellum fratrem ob dictum capite ac fortunis per te oppugnatum iri: quem si parum pudor ipsius defendebat: uel familiæ debebat nostræ dignitas, uel meum studium erga nos, rem'que pub. satis subleuare. nunc uideo illum circumuentum, me desertum à quibus minime conueniebat. Itaque in luctu & squalore sum, qui prouinciæ, qui exercitui præsum qui bellum gero. quæ quoniam nec ratione, nec maiorum nostrorum clementia administrastis: non erit mirandum, si nos pœnitebit. Te tam mobili in me, meos'que esse animo, non sperabam. Me interea nec domesticus dolor, nec cuiusquam iniuria à Republica abducet. Vale.

ASCENSIVS

SI uales &c Hæc quinti libri epistola acerbe quidem est in Cice. scripta, sed ideo præposita, ut sequentium, quibus se purgabit Cicero, argumenta aperiat. Scribitur a Quin. Metello imperatore in Hispaniis agente, qui intellexerat fratrem suum a Cicerone ob dictum ac uerbum unum grauiter oppugnari. Ordo est. Si uales bene est, idest recte se res habet Ego existimaueram pro mutuo animo inter nos, & pro gratia reconciliata, idest propter beneuolentiam & reconciliationem, neque supple me absentem læsum iri, idest offendendum esse, ludibrio, scilicet tuo præcipue in fratrem. Nec Metellum fratrem, scilicet meum oppugnatum iri, per te, capite ac fortunis, idest eiusmodi accusatione, ubi ageretur de periculo uitæ ac rerum eius. Quem, scilicet fratrem meum, si pudor ipsius defendebat parum, scilicet a te, uel dignitas familiæ nostræ, uel studium meum erga uos, scilicet te & fratrem tuum, aut omnes qui Romæ estis, & erga rempubli. pro qua in Hispania bellum gerebat, debebat subleuare, scilicet ab onere talis oppugnationis satis. Nunc uideo illum, scilicet fratrem meum circumuentum, idest insidiis captum & seductum, & me desertum, scilicet auxilio & ope, aut honore, supple ab illis, a quibus conueniebat, idest condecens erat minime, idest nequaquã quasi dicat a te, de quo optime meriti sumus. Itaque, idest & ita, ego sum in luctu & squalore, quasi dicat talis sum, qualis frater, qui capite oppugnabatur: tales enim rei, ut iudicum aut populi misericordiam promererentur squalida, & demissa barba & uestibus situ & pædore uictis e carcere prodibant: ego inquit, qui præsum prouinciæ, qui præsum exercitui, & qui gero bellum pro republi. in Hispania, ut dixi. Tales autem debebant apparere læti & maiestatis ac dignitatis pleni. Quæ, scilicet prouinciam, exercitum & bellum, quoniam nec administratis, idest tractatis ratione, nec clementia maiorum, idest qualis erat priscis Romanis maioribus nostris in absentes non erit mirandum si pœnitebit uos. Pluraliter loquitur inuidiose, quasi a multis lædatur, non tamen honoris gratia ad unum Ciceronem pluraliter loquitur, quod Galli linguam suam sequentes, facile dicerent: sed licet præcipue Ciceronem taxet, tamen ad iudices omnes loquitur. Etiam non sperabam supple uos esse in me, & meos, præsertim in fratrem, animo mobili, idest tam uariabili. Interea scilicet dum tales eritis: nec dolor domesticus, nec iniuria cuiusquam abducet me a repub. idest procuratione salutis eius. Facile apparet a perturbato & iracundo homine epistolam scriptam, præsertim cum uera non sint quæ scribat.

SEBAS. CORR.

PRocoss. } Propræt. quibusdam magis placet, quod hic Metellus eo tempore nondum fuisset Coss. Sed tamen legimus eos etiam, qui prouincias consulares regerent, procoss appellatos, quamuis nondum. Coss. fuissent. Hic uero Metellus tunc Galliam prouinciam consularem regebat, quam Cicero in concione deposuerat. Sunt tamen qui præt. in Hispania ulteriore fuisse uolunt. {Me absentem} Galliam administrantem. {Metellum fratrem} Quin. Metellum Nepotem Tribunus plebis. {Ob dictum} non licuisse ciues Romanos in dicta causa condemnari: uel, quod non ita placet, ex Asia Pompeium cum exercitu reuocandum, qui dissensiones urbanas componeret. {Meum studium} tempore coniurationis Catilinæ, quum Prætor essem. {Te tam} in omnibus fere libris legitur, Etiam: ut magis Ciceronem mordeat. quasi dicat, sicut es in alios.

BERN. RVT.

NEc absentem ludibrio læsum iri} Alii, Me absentem ludibrio læsum iri. Ego utrunque seruo, Nec me absentem &c. {Etiam mobili in me meosque esse animo non sperabam} Te tam, pro etiam, iampridem putaui reponendum: ut sit, Te tam mobili, &c. Quare autem proconsulem quam propætorem Metellum inscribere maluerit Manutius, alii uiderint. ego certe consulem fuisse eum non arbitror adhuc. certe hoc tempore propætor, quod in sequentibus ostendit literis.

Ex post. eiusdem.

TE tam mobili in me meosque esse animo non sperabam} Metellus hic consul fuit cum L. Affranio tertio (ni fallor) post Cicero consulem anno. autor ipse ad Atticum lib. primo episto. XII. XIII. XIIII. & XV.

PHILI. MELA.

SI uales} Narratio, in qua Metellus expostulat cum Cicero. quod fratrem inclementius tractauerit. Quantum autem excellant Ciceronis epistolæ, ex collatione huius epistolæ cum Ciceronis epistolis, intelligi potest. & uidemus quod interfit non tantum inter genus dicendi sed etiam in decoro, & quatenus ad sententiam. Neque enim in sententiis est illa urbanitas, quæ est in Ciceronis epistolis. In oratione autem quicquid est arrogans & superbum, dedecet: qualis est hæc epistola. {Existimaram} Expostulatio, seu accusatio, habens breuem narrationem & querelam.

ARGVMENTVM.

Respondet Cicero particulatim epistolæ superiori ipsius Metelli, & primum probat animum Metelli, ac amorem fuisse mutuum, nec se habuisse ipsum ludibrio: nec gratiam reconciliatam agnoscit, cum nunquam fuerit imminuta. Nec se fratrem eius oppugnasse capite, & fortunis ob dictum aliquod, sed se aduersus eum defendisse cum dictitaret Ciceronem eadem pœnis afficiendum, qua ipse affecisset ciues Romanos, Lentulum uidelicet & Catilinam. ostendit præterea se usum erga fratrem eius omni humanitate, & clementia, seque amicitiam conseruaturum, rogans ut eodem sit in se animo.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Defensio Ciceronis contra Metelli expostulationem. Constitutio partim legitima. quod inimicum ulcisci liceat: partim inficiatoria. quod nulla iniuria Metellum fratrem affecisset, tantum de illius improbitate questus esset. postremo Metelli animum mitigat, & amicitiam suam cum eo quandiu uelit, constare posse dicit.

M. T. CICERO Q. METELLO Q. F. CELERI PROCOS. S. D.

*SI tu, exercitusq; ualetis, bene est. Scribis ad me te existimasse pro mutuo inter nos animo, & pro reconciliatá gratia, nunquam te à me ludibrio læsum iri; quod cuiusmodi sit, satis intelligere non possum: sed tamen suspicor ad te esse allatum, me, in senatu cum disputarem, per multos esse, qui Rempubli. à me conseruatam dolerent, dixisse: à te propinquos tuos, quibus negare non potuisses, impetrasse, ut ea, quæ statuisses tibi in senatu de mea laude esse dicenda, reticeres. quod cum dicerem, illud adiunxi: mihi tecum ita dispertitum officium fuisse in Reipubli. salute retinenda, ut ego urbem à domesticis insidijs, & ab intestino scelere, tu Italiam, & ab armatis hostibus, & ab occulta coniuratione defenderes: atque hanc nostram tanti, & tam præclari muneris societatem à tuis propinquis labefactatam: qui, cum tu à me rebus amplissimis, atque honorificentissimis ornatus esses, timuissent, ne qua mihi pars abs te uoluntatis mutuæ tribueretur. hoc in sermone cum à me exponeretur, quæ mea expectatio fuisset orationis tuæ, quantoq; in * errore uersatus essem: uisa est oratio non iniucunda; & mediocris quidem est risus consecutus, non in te, sed magis in * errorem meum; & quòd me abs te cupisse laudari, aperte, atque ingenue confitebar. iam hoc non potest in te non honorifice esse dictum, me in clarissimis meis, atque amplissimis rebus tamen aliquod testimonium tuæ uocis habere uoluisse. Quod autem ita scribis, pro mutuo inter nos animo: quid tu existimes esse in amicitia mutuum, nescio: equidem hoc arbitror, cum par uoluntas accipitur, & redditur. ego si hoc dicã, me tua causa prætermisisse prouinciam, tibi ipse leuior uidear esse: meæ enim rationes ita tulerunt; atque eius mei consilij maiorem in dies singulos fructum, uoluptatemq; capio. illud dico, me, ut primum in concione prouinciam deposuerim, statim, quemadmodum eam tibi traderem, cogitare cœpisse. nihil dico de sortitione uestra: tantum te suspicari uolo, nihil in ea re per collegam meum me insciente esse factum. recordare cætera, quàm cito senatum illo die facta sortitione coegerim; quàm multa de te uerba fecerim; cum tu ipse mihi dixisti orationem meam non solum in te honorificam, sed etiam in collegas tuos contumeliosam fuisse. Iam illud S. C. quod eo die factum est, ea perscriptione est, ut, dum id extabit officium meum in te obscurum esse non possit. postea uero quàm profectus es, uelim recordere, quæ ego de te in senatu egerim: quæ in concionibus dixerim: quas ad te literas miserim.*

*a.l. mœrore.

*a.l. mœrorem.

quæ cum omnia collegeris; tu ipse uelim iudices, satis'ne uideatur his omnibus rebus tuus aduentus, dum proxime Romam uenisti, mutuo respondisse. Quod scribis de reconciliata nostra gratia: non intelligo, cur reconciliatam esse dicas, quæ *nunquam immutata est. Quòd scribis, non oportuisse Metellum fratrem tuum ob dictum à me oppugnari: primum hoc uelim existimes, animum mihi istum tuum uehementer probari, & fraternam plenam humanitatis, ac pietatis uoluntatem, deinde si qua ego in re fratri tuo Reipubli. causa restiterim; peto, ut mihi ignoscas: tam enim sum amicus Reipubli. quàm qui maxime. si uero meam salutem contra illius impetum in me crudelissimum defenderim: satis habeas, nihil me etiamnum tecum de tui fratris iniuria conqueri. quem ego cum comperissem omnem sui tribunatus conatum in meam perniciem parare, atque meditari: egi cum Claudia uxore tua, & cum uestra sorore Mutia, cuius erga me studium pro Cn. Pompeij necessitudine multis in rebus perspexeram, ut eum ab illa iniuria deterrerent. atque ille, quod te audisse credo, prid. Calend. Ianua. qua iniuria nemo unquam in aliquo magistratu improbissimus ciuis affectus est, ea me Consulem affecit, cum Rempubli. conseruassem: atque abeuntem magistratu, concionis habendæ potestate priuauit. cuius iniuria mihi tamen honori summo fuit: nam cum ille mihi nihil, nisi ut iurarem, permitteret; magna uoce iuraui uerissimum, pulcherrimum'que iusiurandum: quod populus *item magna uoce, me uere iurasse. iurauit. hac accepta tam insigni iniuria: tamen illo ipso die misi ad Metellum communeis amicos, qui agerent cum eo, ut ab illa mente desisteret. quibus ille respondit, sibi non esse integrum: etenim paulo ante in concione dixerat, ei, qui in alios animaduertisset in dicta causa, dicendi ipsi potestatem fieri non oportere. hominem grauem, & ciuem egregium qui quâ pœna senatus, consensu bonorum omnium, eos affecerat, qui urbem incendere, magistratus, ac senatum trucidare, bellum maximum conflare uoluissent: eadem dignum iudicaret eum, qui curiam cæde, urbem incendijs, Italiam bello liberasset. itaque ego Metello fratri tuo præsenti restiti: nam in senatu Calendis Ianua. sic cum eo de Republi. disputaui, ut sentiret sibi cum uiro forti, & constanti esse pugnandum. Ad III. Non. Ianua. eum agere cœpisset; tertio quoque uerbo orationis suæ me appellabat: mihi minabatur; neque illi quicquam deliberatius fuit, quàm me, quacunque ratione posset, non iudicio, neque disceptatione, sed ui, atque *impressione euertere. huius ego temeritati si uirtute, atque animo non restitissem: quis esset, qui me in consulatu non casu potius existimaret, quàm consilio fortem fuisse? hæc si Metellum cogitare de me nescisti: debes existimare, te maximis de rebus à fratre esse celatum. sin aliquid impertiuit tibi sui consilij: lenis à te, & facilis existimare debeo, qui nihil tecum de his ipsis rebus expostulem. & si intelligis non me dicto Metelli, ut scribis, sed consilio eius, animo'que in me inimicissimo esse commotum. Cognosce nunc humanitatem meam: si humanitas appellanda est in acerbissima iniuria remissio animi, ac dissolutio. nulla est à me unquam sententia dicta in fratrem tuum, quotiescunque aliquid est actum: sedens ijs assensi, qui mihi lenissime sentire uisi sunt. Addam illud etiam: quod iam ego curare non debui: sed tamen fieri non moleste tuli: atque etiam, ut ita fieret, pro mea parte adiuui: ut S.C. meus inimicus, quia tuus frater erat, subleuatur, quare non ego oppugnaui fratrem tuum: sed fratri tuo repugnaui: nec in te, ut scribis, animo fui mobili, sed ita stabili, ut in mea erga te uoluntate, etiam desertus ab officijs tuis permanerem. Atque hoc ipso tempore tibi pene minitanti nobis per literas, hoc rescribo, atque respondeo. ego dolori tuo non solum ignosco, sed summam etiam laudem tribuo: meus enim me sensus quanta uis fraterni sit amoris, admonet. à te peto, ut tu quoque æquum te iudicem dolori meo præbeas: si acerbe, si crudeliter, si sine causa sum à tuis oppugnatus, ut statuas mihi non modo non cedendum, sed etiam tuo, atque exercitus tui auxilio in eiusmodi causa utendum fuisse. Ego te mihi semper amicum esse uolui: me ut tibi amicissimum esse intelligeres, laboraui, maneo in uoluntate, &, quoad noles tu, permanebo: citius'que amore tui fratrem tuum odisse desinam, quàm illius odio quicquam de nostra beneuolentia detrahatur. Vale.

*a.l. nunq̃ imminuta

*a.l. idẽ.

*a.l. oppressione.

ASCENSIVS.

SI tu &c. Respondet particulatim epistolæ superiori, refelliique singula fere eius dicta probans nec animum nec amorem Metelli fuisse mutatum, nec se habuisse ipsum ludibrio, nec gratiam reconciliatam, nec se fratrem eius ob dictum capite oppugnasse, sed se aduersus eum defendisse, cum dictitaret ea pœna Ciceronem affici debere, qua ipse ciues Romanos affecisset, uidelicet Catilinam, Lentulum, Cethegum, & cæteros coniuratos. At contra significat se usum erga fratrem. Metelli omni humanitate & clementia, seque Metelli amicitiam conseruaturum, rogans ut simili in se sit animo. Ordo est. Si tu & exercitus ualetis: bene, idest recte res se habet. Scribis ad me, te existimasse pro mutuo inter nos animo, & pro reconciliata gratia, te nunquam læsum iri, idest lædendum fuisse, a me ludibrio, idest contumeliosa irrisione, præsertim in facto: cum iocus sit in uerbis, quod. s. scriptū aut dictum tuum, cuiusmodi sit, non possum intelligere satis, sed tamen suspicor esse allatum ad te, idest tibi denunciatum, me dixisse in senatu, cum disputarem, idest disputando assererem, permultos esse, qui dolerent rempub. seruatam supple esse a me, propinquos tuos, quibus non posses scilicet decenter negare, hoc est fratrem tuum, impetrasse a te, ut taceres ea. quæ statuisses dicenda, supple esse, tibi, idest a te, in senatu de laude mea, hoc est eos impediuisse, ne a te laudarer. Quod cum dicerem, adiunxi illud: officium fuisse mihi in retinenda salute reipub dispertitum, idest diuisum tecum, ut ego supple defenderem urbem scilicet Romam ab insidiis & ab scelere intestino, idest quod a ciuibus oriri posset, utpote ab incendio ædium ac cæde bonorum, tu defenderes Italiam, & ab hostibus armatis scilicet autore Catilina, sub Mallio quodam. Nam Q. u. Metellus Celer, ad quem hæc scribuntur, tempore belli Catilinarij prætor erat in agro Piceno, cui permissum erat exercitum comparare, ut scribit Sallust. & ab occulta coniuratione, idest ne aliæ ciuitates conspirarent, atque supple adiunxi, hanc societatem nostram tanti, idest tam magni & tam præclari muneris, utpote conseruationis Reipub Romanæ, labefactatam, idest debilitatam, & dissolutam a propinquis tuis. fratrem ubique tangit. qui, cum tu ornatu esses a rebus amplissimis atque honorificentissimis, quia prætura & autoritate exercitus deligendi, timuissent ne qua pars uoluntatis, idest beneuolentiæ mutuæ tribueretur mihi abs te, idest a te. Cum in hoc sermone exponeretur, a me, quæ idest qualis, aut quanta expectatio mea orationis tuæ esset, idest quantopere expectassem orationem tuam de laude mea: & In quanto errore uersatus essem oratio supple mea uisa est scilicet audientibus, non iniucunda, & risus quidam non mediocris consecutus est non, in te, sed in errorem meum. Et quod confitebar aperte atque ingenue, idest simpliciter & sine dissimulatione, ut ingenuum decet me cupisse laudari abs te, propter quem risum forte Metellus se ludibrio habitum scripserat, in quo errauit, unde addit. Iam hoc non potest esse dictum in te, non honorifice, me uoluisse habere aliquod testimonium uocis, idest orationis tuæ, tamen idest tametsi, in clarissimis atque amplissimis rebus meis quasi dicat quæ laudibus non egerent. Quod autem ita scribis pro mutuo inter nos animo, nescio quid tu estimes mutuum esse in amicitia. Equidem, idest ego quidem arbitror hoc scilicet mutuum esse in amicitia, cum par, idest similis, & æqualis uoluntas accipitur, & redditur. Ego si dicam uidelicet me prætermisisse, prouinciam scilicet Hispaniam, tua causa, ut scilicet tu eam obtineres ipse, idest ego uidear tibi esse leuior, idest nimis leuis & inconstans in amicitia, & iactantior in dicto. Rationes enim meæ, idest dispositiones, & conditiones status mei, tulerunt, idest exegerunt, ita scilicet ut tibi prouinciam permitterem, atque capio in dies singulos maiorem, fructum, & uoluptatem eius consilii mei. Ego dico, idest affirmo illud, me ut primum deposuerim in concione, idest recusauerim prouinciam cœpisse statim cogitare, quemadmodum ego traderem eam tibi. Ego nihil dico de sortitione uestra, idest tua, & collegæ, ego tantum, idest duntaxat, nolo te suspicari nihil esse factum a te per collegam meum. s. Caium Antonium, qui mecū consul fuit, me insciente, & ita nō minus per me, quā per collegam prouinciam sortitus es. Recordare, idest reduc ad memoriam cætera, quam citu coegerim. i. congregari fecerim, senatum illo die sortitione: scilicet prouinciarum facta, quam multa uerba fecerim de te.

Cum

Cum tu ipse dixisti mihi orationem meam fuisse, non solum honorificam in te, sed etiam contumeliosam in collegas tuos, idest competitores. Iam, continuatiua est particula, illud senatusconsultum, quod factum est ea die, est ea præscriptione, idest habet eam præscriptionem idest titulum, ut dum, idest donec, id scilicet senatusconsultum, extabit scilicet scriptum in publicis actis, officium meũ non possit esse obscurum in te. Vero, idest sed, uelim recordere, quæ ego egerim in senatu de te postea quam profectus es, quæ ego dixerim de te, in concionib. quas, idest quantum amicabiles ego miserim literas ad te. Quæ, cum collegeris idest ad memoriam reduxeris omnia, uelim supple ut tu ipse iudices, ne, idest an, tuus aduentus, cum aduenisti proxime idest breuissime post Romam, uideatur respondisse mutuo, satis omnibus his rebus, idest officiis meis in te. q. d. scio quod nequaquam. Non intelligo supple id quod scribis de gratia nostra reconciliata, cur dicas supple gratiam nostram recõciliatam, quæ nunquam imminuta est. Quod scribis non oportuisse Metel. fratrem tuum oppugnari a me ob dictum, ego uelim existimes primum hoc, istum animum tuum, scilicet in fratrem tam pium, & uoluntatem fraternam plenam humanitatis, ac pietatis, probari. i. comprobari, & placere mihi uehementer. Deinde supple uelim, q̃ a superiore repetitur, alii addiderunt peto: si ego restiterim fratri tuo, in qua. i. aliqua re, causa reip. ut ignoscas mihi. Ego. n. sum tã i. tãtopere amicus Reip. q̃. i. quãtopere sup. is est q maxime est amicus eius. Si uero defenderim salutem meam cõtra impetũ eius crudelissimum in me, habeas satis scilicet esse me nihil conqueri tecum etiã num de fratris tui iniuria, quem scilicet fratrem tuum, cum ego cõperissem parare, atque meditari. idest exercere, omnem conatum tribunatus sui in perniciem meam, egi cum Claudia, seu Clodia, uxore tua, & cum Mutina sorore uestra, cuius studium, idest fauorem erga me, ego perspexeram. i. cognoueram in multis rebus pro necessitudine Cn. Pompeii, idest quæ erat nobis cum Pompeio, ut deterrerent eum ab illa iniuria, scilicet mihi inferenda. Atque ille, scilicet frater tuus (quod credo te audiuisse.) affecit pridie: idest die præcedente, Calend. Ianu. hoc est ultimo Decemb. me consulem ea iniuria, qua nemo ciuis improbissimus, idest licet esset improbissimus, affectus est unquam in aliquo magistratu, idest dum gereret aliquem magistratum, licet infimum, affecit inquam me iniuria, cũ conseruassem rempub. atque priuauit me abeuntem magistratu, scilicet consulari, potestate concionis idest orationis ad populum eum uocatum habendæ, cuius iniuria fuit tamen, idest nihilominus, sup. mihi summo honori. Nam cum ille scilicet frater tuus, nihil permitteret mihi, scilicet agere, aut dicere, nisi ut iurarem, scilicet iuste contra coniuratos processisse, ego iuraui magna uoce, ut omnes audirent, iusiurandum, idest iuramentum uerissimum, atque pulcherrimum, idest honestissimum, quod populus idem scilicet cui coactus sum iurare, aut quod idem populus iurauit magna uoce, me iurasse uere. Hic, idest hoc tempore & loco, ego tam insigni iniuria accepta, idest postquam tuam insignem iniuriam acceperam, tamen idest nihilominus, misi illo ipso die ad Metellum, scilicet fratrem tuum, amicos communes, scilicet nobis, qui agerent cum illo, idest rogarent, & monerent illum, ut desisteret ab illa mente, idest uoluntate tam iniqua in me, quibus ille respondit non esse integrum sibi, idest se non habere amplius integram potestatem: scilicet desistẽdi. Etenim, idest quia, ipse dixerat pauloante in concione idest oratione ad populum habita, non oportere potestatem ad dicendũ fieri ei ipsi, qui animaduertisset in alios, idest acriter puniuisset alios scilicet coniuratos, causa indicta, idest non purgata, hoc est non dato reis ad se purgandum loco. Hominem, ironia est, quæ ut non uideatur ex ira nasci, non adiecit particulam o idest o hominem grauem, & ciuem egregium, uidelicet Metellum fratrem. Est (ut dixi) ironia. qui iudicaret dignum eadem pœna, qua senatus affecerat consensu omnium bonorum eos, qui uoluissent incendere urbem: trucidare idest truculenter occidere magistratus: scilicet annuos, & senatum, idest patres conscriptos, & uoluissent conflare: idest construere bellum maximum, eum, qui liberasset curiam: scilicet patrum conscriptorum cæde: & liberasset urbem incendiis, & Italiam bello. Itaq; ego restiti. Metello fratri tuo præsenti. Nã ego disputaui in senatu Calend. Ianuarii de repu. sic, ut sentiret pugnandũ esse sibi cũ uiro forti, & cõstãti, q̃ idẽ est, ac si dicat Cic. mecũ disputat. Cum scilicet Metel. frater tuus, agere, idest disceptare, cœpisset ad tertium nonas Ianua appellabat me tertio quoque uerbo, idest tribus uerbis orationis suæ semper uno, & minabatur mihi. Neq; quicquam fuit deliberatius ei, idest magis deliberate constitutum ab eo scilicet fratre tuo, quam euertere me, quacunq; ratione posset, non iudicio, neq; disceptatione, sed ui, atq; impressione, idest uiolento impetu. Si ego non restitissem uirtute, atq; animo temeritati huius, idest huiusmod inimici: qui non existimaret me fuisse fortem in cõsulatu scilicet meo potius casu, quam consilio, idest proposito deliberato quasi dicat nullus. Si tu nescisti Metellum scilicet fratrem tuum, cogitare hæc de me, tu debes existimare te esse celatum, idest occultationem tibi factam a fratre scilicet tuo de rebus scilicet maximis. Sin autem, idest sed si, supple frater, impertiuit tibi, idest communicauit, te cum aliquid consilii sui, ego debeo existimari a te lenis, & facilis, idest inconstans, & minime strenuus, qui non expostulem tecum, idest agam tecum iniuriarum de ipsis rebus, idest propter ipsas res. Et si intelligis me non esse commotum dicto, idest solo uerbo Metelli scilicet fratris tui (ut scribis) sed consilio eius, & animo inimicissimo in me. cognosce nunc humanitatem meam, si remissio ac dissolutio, idest fractio animi in iniuria acerbissima, est appellanda humanitas quasi dicat potius appellabitur ignauia. aut inertia, seu pusillanimitas. nulla sententia est dicta unquam a me, in idest contra fratrem tuum quotiescunq; aliquid est actum scilicet in fratrem tuum. ego sedens & ita parum intentus assensi his, qui uisi sunt mihi sentire leuissime, idest facillime, & minimum grauiter in fratrem tuum. Ego addam etiam illud, quod ego non debui, iam scilicet animo eius cognito, curare, sed tamen tuli fieri, idest ut fieret, non moleste, idest non grauate. atq; etiam adiuui pro mea parte, ut fieret, uidelicet ut inimicus meus, qui erat frater tuus, subleuaretur, idest ab accusatione liberaretur, S. C. idest decreto totius senatus. Quare ego non oppugnaui fratrem tuum, sed repugnaui fratri tuo. Oppugnat enim ille, qui prior inuadit, & aggreditur. Repugnat uero ille qui oppugnanti resistit. Expugnat autẽ, qui quos oppugnat, uincit, & capit. Nec fui in te (ut scribis) animo mobili, idest uariabili hoc est non habui animum mobilem, sed fui animo ita stabili, ut ego desertus ob officiis tuis permanerem in mea uoluntate, idest beneuolentia erga te: atq; rescribo, atq; respondeo hoc ipso tempore tibi pene minitanti nobis per literas. Rescribo inquã quæ sequuntur. Ego non solum ignosco dolori tuo, quem de fratris aduersitate cepisti, sed tribuo, supple ei etiam summam laudem. Etenim, idest quia sensus meus, idest proprium ingenium & propria natura, admonet me, quanta, idest quam magna sit uis, idest potestas amoris fraterni. Expertus enim eras in Quintum fratrem suum, peto. i. (quod dicenti) requiro, quoq; a te, ut præbeas te iudicem æquum dolori meo, si ego oppugnatus a tuis, acerbe, si crudeliter, si sine causa. Vt statuas, idest in animo tuo iudices. non modo non cedendum, supple fuisse mihi, sed etiam supple me fuisse tuendum, idest protegendum, in eiusmodi causa scilicet: pro rep. auxilio tuo, atq; exercitus tui. Ego uolui te esse semper amicum mihi, & laboraui ut intelligeres me esse amicissimum tibi. maneo in uoluntate, & permanebo quoad: idest donec uoles, & ego desinam citius amore tui, idest propter amorem meum in te, odisse fratrem tuum, quam quicquam detrahatur de beneuolentia nostra odio illius. Notum est odisse licet præteritæ sit uocis, etiam præsentis esse significationis, a uerbo odi: nam odio in usu peritorum non est, nisi forte odias semel apud Cic. pro oderis scriptum uelis.

VICTORIVS.

Immutata est} Nos. {Imminuta est} uetustus enim codex imminuta est, & hic enim, & multis locis prima litera huius monosyllabi. {Est} uocali præcedente eliditur, ut in hac ipsa epistola infra, Si humanitas appellanda est in acerbissima iniuria. Vbi etiam V pro B scriptum est, quod ex multis antiquorum monimentis colligitur sæpe priscos usurpasse, & paulopost Nulla est a me unquam sententia. {In annuo magistratu} Nonnulli. {In aliquo magistratu} legunt. Nos cum meliores codices hoc loco corruptos inuenerimus, uulgatam lectionem immutare, etsi nobis parum probatam, noluimus. Quid enim prodest si non synceriorem, & clariorem reponas, receptam quamuis parum firmam repudiare? Vetus ille codex, quem omnium longe optimum cognouimus. {In animo} habet, quã scripturam uolui hic notare, etsi proculdubio deprauatam. ut possint ex his uestigiis studiosi ueram lectionem indagare, & suo loco inuentam reponere. Vnusquisq; igitur nunc in ueritate peruestiganda se exerceat. In eodem etiam codice, & altero pari fere bonitate paulo ante hunc locum, dictio illa. {Credo} uariata est, & fortasse corrupta: illic enim. {Quod te audisse certo} legitur. Quæ nisi desit. {Scio} aut alia uox, quæ sensum eius loci perficiat, proculdubio peccatum fuisse librarii dicendum est: etsi ille quomodocunq; negligens fuit, aut aliquam dictionem omittendo, aut. {Certo} pro. {Credo} scribendo.

Ex post. eiusdem.

Egi cum Claudia uxore tua} Hæc est Clodia illa P. Clodii soror, quam in oratione pro Cœlio Cice. uexat multis contumeliis. Impudica enim fuit, & existimata est cum P. fratre stupri consuetudinem habuisse. Appellabant ipsam uulgo Quadrantariam, quod cum amatorem suum grandem pecuniam illa poposcisset, callidi ingenii adolescens, qui sine damno rei familiaris uellet libidinem suam explere quadrantes abiectissimam pecuniam ex ære, ut argenteos numos, in loculos ei immisit: qua re cognita, & fabula peruulgata, illa postea ita appellata semper est. Tangit hanc rem obscure Cicero pro Cælio, cum inquit, nisi forte mulier potens quadrantaria illa permixtione familiaris facta erat balneatori, & toto illo loco. DCXXII. Audita, & peruulgata, & percelebrata sermonibus res est: nam quod in fine inquit, Nisi omnia quæ cum turpitudine aliqua dicerentur, in istam quadrare apte uiderentur, allusit illo uerbo ad hoc nomen Quadrantariam. Plutarchus totam historiam narrat in Cicerone. Et ut obscurissimum Quintiliani iocum interpretari conemur, arbitramur nos

Quadrantatiam Clytemnestram Claudiam hanc esse, quam Quadrantariam appellauerit Cælius ex fabula supra exposita. Clytemnestram autem, quia illa coniugi suo Q. Metello mortem attulisse credita est, quemadmodum Clytemnestra Agamemnoni, quanuis hæc ferro, illa ueneno grassata in maritum sit. Agit de hac suspicione Cicero in oratione pro M. Cælio. D C X I X. cũ inquit: Proh Dii immortales, cur interdum in hominum sceleribus maximis, aut conniuetis &c. nam in fine huius loci apertius adhuc. Ex hac igitur domo progressa ista mulier de ueneni celeritate dicere audebit? nonne ipsam domum metuet, nequam uocem eiiciat? non parietes conscios? non noctem illam funestam, ac luctuosam perhorrescet? Verba Quintiliani sunt hæc in V I I I. libro cap. de tropis, cũ de ænigmatibus loqueretur. Et oratores nonnunquam, ut Cælius: Quadrantariam Clytemnestram. ita enim legi debet, non ut in uulgatis Cæcilius. Cæcilius enim Poeta Comicus fuit, non orator. Sed aliis etiam in locis apud Ciceronem, ut quondam ostendimus, hæc nomina inter se commutata fuerant. Ex uerbis quoque Ciceronis paulo ante citatis magnum mendum sustulimus. {In anono magistratu} Vt quondam docui, Mediceus codex. {In unimo magistratu} habet: aliorum iudicium non reprehendo: sed quia unicuique licet, quid ipse sentiat, proferre, suspicor legendum esse. {Inani magistratu} deleta posteriore parte mediæ uocis, priore autem cum primo monosyllabo copulata: ita enim & antitheton erit, & parua immutatio fiet. natum hic esse mendum arbitror ea principio consequentis dictionis. {Nec in te, ut scribis, animo fui mobili, sed ita stabili} Omnes sciunt stabilem animum mobili oppositum esse, quod testimonio etiam hoc Ciceronis confirmatur: non tamen omnes spondeos stabiles mobilibus trimetris opposuisse Horatiũ in libello de arte poetica nouerunt. Corruptus enim locus ille est, & pro mobilibus. in cunctis impressis codicibus Nobilibus legitur, cum quidam manuscripti. {Mobilibus} retineant. quam ueram esse illius loci lectionẽ, qui attente eum legent, facile animaduertent: tradit enim non multo ante cœptum esse inseri trimetris spondeum, cum apud antiquos poetas in eo genere carminis raro reperiretur. Appellat autem mobilia trimetra, quæ ea iambis ac pedibus, qui syllabas breues habent constarent. labuntur enim illa, & miram celeritatem in se continent. Siquis lente hanc castigationem probaret, & uulgata lectione teneretur, autoritate Aristotelis uictus sententiam mutare debebit, qui in primo lib. περὶ ποιητικῆς iambica & tetrametra κινητικὰ, idest mobilia appellauit, cum antea heroicum metrum στασιμώτατον, idest maxime stabile appellasset, quod multos in se spondeos recipit.

PAVL. MANV.

MVtia} Pompeii magni uxore, Scæuolæ filia, quam postea dimissam, quod adulterium cũ Cæsare commisisset, M. Scaurus Syllæ priuignus in matrimonium duxit. Pedianus. L X I X. Suetonius. X I I I I. {Te audisse credo} Ita legitur in octo uetustis codicibus. hoc autem ideo dicimus, nequis credat ex ingenio sic esse locum emendatum, propterea quod alii in duobus, quos ipsi habuerint, uetustis libris aliter legi dixerint. {In aliquo magistratu} Vetustiores codices habent, in animo: ex quo legendum esse minimo, existimat Vbaldinus Bandinellus: quam & nos ueram huius loci lectionem esse credimus. more enim suo contrariis contraria reddidit, cum dixit, Ego Consul, qui Rempub. conseruaram, ea sum affectus iniuria, qua minimo magistratu nemo unquam improbissimus ciuis.

SEBAS. CORR.

PRopinquos tuos} Metellum Nepotem fratrem. {Coniurationе defenderes} prætor a me Cos. in agrum Gallicanum. Picenumq; ad habendum delectum præmissus. {In errore uersatus essem} Frustra expectans a te laudari. In mœrore uersatus essem, hic, & paulo post, In mœrorem meum, in omnibus fere libris paulo uetustioribus leges. {Non iniucunda, & mediocris} Al. non iucunda, sed mediocris. {Prætermisisse prouinciam} Galliam. {Rationes ita tulerunt} ut urbem defenderem. {De sortitione nostra} Legitur & nostra, hoc est, mea & C. Antonii: in qua primo mihi Macedonia, & illi euenit Gallia. {Collegam meum} C. Antonium. {Me insciente} Imo permittente, ut hac indulgentia illum a suspicione coniurationis reuocarem. {In collegae tuos} Q. Pompeium Rufum, C. Pontinum, L. Valerium Flaccum & C. Cosconium. {Ea perscriptione est} Al. ea præscriptione est. {Immutata est} Al. imminuta est. {Reipublicæ causa restiterim} Nam dum me apud populum de coniuratorum morte accusabat, totum Senatum, qui censuit, accusabat. {Meam salutem, quoniam me reum faciebat. {Claudia uxore tua} Quadrante, P. Clodii sorore. {Vestra sorore Mutia} Pompeii uxore. {In aliquo} Leges, in annuo, in animo, in minimo. {Nisi ne iurarem. {De more, iussu me Consulatum gessisse. {Magna uoce iuraui} Rempublicam atq; hanc urbem mea unius opera esse saluam. {Causa, dicendi} Al. Causa, ad dicendum. {Præsenti restiti} Nam postea uictus a me, abiit in Asiam ad Pompeium. }Sedens iis assensi} Vt M. Catoni, qui Senatum retinuit, ne Metellum ignominia afficeret. {Ab officiis tuis} Quæ erant, ut tu fratris consilii conscius, uel illũ inhiberes, uel me, ut cauerem, moneres.

BERN. RVTI.

QVa Iniuria nemo unquam in annuo magistratu improbissimus ciuis affectus est} Aliquo magistratu, quod in aliis est exemplaribus, facile probo. quid enim est, in annuo magistratu? {Siqua ego in te fratri tuo Reipub. causa restiterim} illud idẽ notat, quod & paulo post, quum ait: Pro mea parte adiuui, ut senatusconsulto meus inimicus, quia tuus frater erat, subleuaretur. non autem illam Ciceronis in improbos ciues animaduersionem, quam sequenti clausula complectitur. Hoc uero quid sit, nondum satis cõpertum habeo, sed accusatum facile reor Metellum, aut nota quapiam affectum: De iureiurando hoc suo, in Pisonem meminit: sed & Plutarchus.

Ex post. eiusdem.

SIqua ego in te fratri tuo Reipu. causa restiterim} Orationem suam Metellinam nominat libro ad Atticum primo, sed & Plutarchus orationem Ciceronis in Metellum.

PHIL. MELÃ.

PArtim purgatio,} partim recriminatio est. suntque quatuor propositiones. Ad primam respondet per infitiationem. Narrat enim quædam, ex quibus intelligi potuit se honorifice de Metello sentire. Secunda propositio habet recriminationem, quod Metellus non reddiderit parem uoluntatem: Atque ibi sua officia commemorat. Tertia, breuis infitiatio est, de reconciliatione. Quarta, defensio est, quare cum fratre concertauerit. argumentum a magnitudine iniuriæ, aduersus quam iure se tueri debuerit. Conclusio est elegantissima: habet enim inuersionem, item argutissimam concessionem, qua, sibi quoque concedi postulat defensionem. {Si tu, exercitusq;} Purgatio, Narrat autem factum, in quo transfert in se dicti sui reprehensionem. {Sed tamen} Prima propositio. {Quod quum} infitiatio. {Visa est oratio} Ironia. {Iam hoc in te} Inuersio, quod ipsi fuerit honorifica oratio Ciceronis. {Quod autẽ ita scrib} Secunda propositio. {Ego si hoc} Commemoratio officiorũ. {Quæ cũ omnia} Conclusio. {Quod scribis de} Tertia propositio. {Quod scribis non oportuisse} Defensio: & hoc est principale negotium, estq; primum hic concessio. {Si uero meam} Concessioni opponit rationem facti sui. {Atq; ille} Narratio facti, affecit me iniuria. {Hominem grauem} Ironia, & est ἐπιφώνημα. {Huius ego temer. {Ratio quare Metello aduersatus sit. {Si humanitas appellanda} Bona correctio. {Nulla est a me} Signa moderationis. {Quare ego non} Principalis conclusio, & est primum inuersio ualde elegans. {Ego dolori Concessio, non improbo studium tuum erga fratrem. {A te peto} [illegible]. {Ego te mihi} Clausula, qua defert officium.

ARGVMENTVM.

Reconciliata gratia, etiam spreto fratre, Ciceroni rem suam commendat: quam ad Lælium perscripserat.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Agnoscit improbitatem fratris Metellus, & cur Ciceroni non plura scribat, rationem dicit.

Q. METELLVS NEPOS S. D. M. CICERONI.

*HOminis importunissimi contumeliæ, quibus crebris concionibus me onerat, tuis erga me officijs leniuntur: & ut sunt *leues huiusmodi homines, à me despiciuntur: libẽterq; commutata persona, te mihi fratris loco esse duco. de illo ne meminisse quidem uolo: tametsi bis eum inuitum seruaui. De me, meisq; rebus, ne uobis multitudine, literarum molestior essem, ad Lollium perscripsi, de rationibus etiam prouinciæ quid uellem fieri, ut is uos doceret, & commonefaceret. Si poteris, uelim pristinam tuam erga me uoluntatem conserues. Vale.*

*a. l. leues ab huiusmodi hom.

ASCENSIVS.

HOminis &c. Hoc epistolio Metellus reconciliata gratia forsitan epistola superiore, etiam contempto fratre, commendat Cicero, rem suam, quam ad Lælium præscripserat, dicens Contumeliæ, idest contumeliosæ de te querelæ, hominis importunissimi, uidelicet fratris mei, qui cum tecum in gratia esse, mihi & gratum, & iucundum sit: discordiam interserere nititur, quibus onerat, idest usq; ad fastidium me fatigat, crebris concionibus, idest literis tam prolixis, & accurate scriptis, quasi ad populum contra te oraret, leniuntur, idest mitigantur, tuis officiis, idest officiosis dictis & factis erga me, & huiusmodi homines tam frater, quam alii, ut sunt leues, idest faciles & inconstantes, despiciuntur a me. & libenter duco, idest reputo te esse mihi loco

hi loco fratris, persona scilicet fratris commutata, scilicet in tuam, ut tu sis mihi fratris loco. & ille, quia leuis, & iniurius in te, sit mihi pro hoste habendus, ne te immeritum habueram Ego ne quidem, id est non saltem, uolo meminisse, idest mentionem amplius facere de illo. tametsi seruaui. cum bis inuitum, idest nolentem seruari, sed se se periculo committere gestientem, siue in foro, siue in bello ignotum est, Ego perscripsi ad Lælium de me, & rebus meis, ne essem molestior, idest plus, quam decet molestus uobis, hoc est tibi, & cæteris amicis multitudine literarum, ut is doceret uos, & commonefaceret quid uelim fieri de rationibus prouinciæ. Velim si poteris, supple id facere, ut supple conserues pristinam uoluntatem, tuam erga me.

SEBAS. CORR.

Q. Metellus Nepos} qui post Consulatum in Hispaniã Pro cos. est profectus: {Hominis importunissimi} P. Clodii. {Concionibus} Romæ quidem habitis, sed ad me in Hispaniam perlatis. {Me oner.} quod te reuocarim. {Fratris} P. Clodii, qui meus est frater. id nos in quæstura probauimus. {Seruaui. {cum illum Aedilem faciendum curaui, ut iudicium de ui uitaret: ad quod illum bis Milo uocauit, Nec me hic temporis ratio mouet, quoniam epistolæ per tempora non sunt digestæ, ne miretur quispiam hanc sequenti esse præpositam. {Lælium} Al. Lolium.

BERN. RVT.

DE meis Rebus, ne uobis multitudine literarum molestus essem, ad Lælium perscripsi. de rationibus prouinciæ, quid uellem fieri, ut is uos doceret, & commonefaceret} Melius: De rationibus etiam prouinciæ, &c. Cum uero initio hominem importunissimũ nominet, tametsi uideo de fratre Metello non inepte accipi, ut conciones literas uerbosiores intelligas, quo modo placuit interpreti: tamen non incommodius alium quempiam interpretabimur, qui Metello isti maledicerer Romæ in concionibus, contra defendente Cicerone: ut per similitudinem leuitatis, ad hoc inimico suo ad fratrem orationem conuerterit. Nam, quod ad superiorẽ illum de longo subsellio locum attinet, quasi parum ineptisse pigeret, absurdius multo, quam fecerat, interpretari uoluit.

PHILI. MELá.

ISta Nihil habet, nisi breuem quandam accusationem fratris. & est rhetoricum schema, quod transfert Ciceronem in locum fratris. {Hominis importuniss.} Narratiuncula, quomodo tractetus a fratre, & quomodo ipse contra affectus sit.

ARGVMENTVM.

Dicit se maximam spem de se restituendo posuisse in Metello, ob literas eius, quas a fratre suo, & Pomponio acceperat: sed intellexisse illum mutasse animum, & se deserere: quod ne faciat, rogat, & ut accurat interea dum potest. Scripsit autem has dum a Clodio, & Clodianis in exiliũ missus erat.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Metelli auxilium in rebus suis aduersis expostcit.

M. C. S. D. Q. METLLO NEPOTI COS. 4

Literæ Qu. fratris, & T. Pomponii necessarii mei tantum mihi spei dederant, ut in te non minus auxilii, quam in tuo collega mihi constitutum fuerit. itaque ad te literas statim misi, per quas, ut fortuna postulabat, & gratias tibi egi, & de reliquo tempore auxilium petii. postea mihi non tam meorum literæ, quam sermones eorum, qui hac iter faciebant, animum tuum immutatum significabant. quæ res fecit, ut tibi literis obstrepere non auderem nunc mihi. Qu. fratrer meus mitissimam tuam orationem, quam in senatu habuisses, perscripsit: qua inductus, ad te scribere sum coactus: & abs te quantum tua fert uoluntas, peto, quæsoq́, ut tuos mecum serues potius, quam propter arrogantiam, & crudelitatem tuorum me oppugnes. tu, tuas inimicitias ut Republic. donares, te uicisti. alienas ut contra Republic. confirmes adduceris? quod si mihi tua clementia opem tuleris, omnibus in rebus me fore in tua potestate tibi confirmo. sin mihi neque magistratum, neque senatum, neque populum auxiliari, propter eam uim, quæ me cum Rep. uicit licuerit: uide, ne cum uelis reuocare tempus omnium seruandorum, cum, qui seruetur, non erit, non possis. Vale.

ASCENSIVS.

Literæ &c Verum est, quod Comicus dicit, rerum esse uicissitudinem. in superiori epistola, cum Cicero adhuc in Senatu staret, & Metellus in Hispaniis ageret, eguit Metellus opera Ciceronis, qua is illi, qua erat humanitate, & prudentia præditus, non grauate impensam, nũc cum factione Clodii ob cædem ciuium exularet Dyrrhachii, repetit dicens se maximam spem de restitutione sui in Metello posuisse ob literas, quas acceperat, se intellexisse illum mutasse animum, & se uelle deserere, quod ne faciat, rogat, & ut accurat, interea dum potest Ordo est. Literæ Quinti fratris: scilicet mei, Titi Pomponii necessarii mei, dederunt mihi tantum spei, ut non minus auxilii fuerit constitutum .i. animo conceptum, mihi in te, quã in collega tuo scilicet Lentulo. de quo in prima primi libri epistula dictum est. Itaq; .i. & ita ego misi statim literas ad te, per quas, ut fortuna postulabat, quia (ut dicitur in Hecyra Terentiana) profecto (ut puto) hoc si est omnibus nobis, ut res dant sese ita magni, atque humiles sumus: &, idest simul, egi tibi gratias, &: idest simul, petii auxilium: scilicet tuum, de: idest pro reliquo tempore. Postea non tam literæ meorum, quam sermones, eorum, qui faciebãt iter hac, idest per hũc locum ubi sum, hoc est, ut plures uolunt, per Dyrrhachium, significabant mihi animum tuum immutatum, quæ res fecit, ut non auderem obstrepere: idest inuite audituro strepitum facere, literis meis, Nunc Quintus frater meus, scripsit mihi orationem tuam mitissimam: idest placatissimi animi indicem, quam habuisses in senatu, qua oratione, idest cuius orationis fiducia, ego inductus, sum coactus, idest compulsus, ne præter officium facerem, scriberem ad te. peto abs te, quantum uoluntas tua fert, idest patitur: scilicet rogari, & quæso: idest oro, ut serues potius tuos .i. necessarios, ut fratrem, & Clodium mecum quam oppugnes me propter arrogantiam, idest superbam crudelitatem tuorum. Tu uicisti teipsum, idest iram tuam, ut donares Reipu .i. ob amorem, & utilitatem Reip. inimicitias tuas scilicet quas concepisti in me, & adduceris, idest sinis, aut sines te adduci, ut confirmes alienas, scilicet inimicitias, ut Clodianas, contra Remp. Quod si tuleris mihi opem, clementia tua: idest propter clementiam tuam. ego confirmo idest firmiter, promitto, me fore in potestate tua in omnibus rebus. Si neque licuerit idest licitum fuerit magistratum, idest eos, qui publicum gerunt honorem, neque senatum, idest ordinem patruum conscriptorum, auxiliari mihi propter eam uim idest uiolentiam, quæ uicit me cum Rep. hoc est tribunitiam uim, quam Clodius exercuit, uide ne cum uelis reuocare tẽpus omnium reseruandorum idest iterum seruandorum, quod uulgo dicitur Saluandorum, non possis, supple reuocare: cum is, qui seruetur, non erit. q. d. cum Clodius effecerit, quod Catilina conatus fuerat.

SEBAS. CORR.

Q. Metello Nepoti Coss.} Sic enim legendum est ex omnibus fere libris ueteribus. nam consuli Cicero eaul scribit. {Literæ Q. fratris} Sic ad Atticum. De Metello scripsit ad me frater, quantum speraret, pefectũ esse per te. {T. Pomponii} Attici: ad quem lib. I I I. sic scribit: Accepi a te epistolam in qua de Lentuli studio, de Metelli uoluntate, de tota Pompeii ratione perscribis. {In tuo collega} P. Lentulo. {Crudelitatem tuorum} P. Clodii fratris. {Tuas inimicitias} quas mecum in tuo tribunatu ex Reip dissensione susceptas, in templo Iouis Opt. Max. diremisti te, & temporibus, & Respub. permissurum. {Alienas} P. Clodii. {Propter eam uim} Tribunitiam Clodii, & consularem Pisonis, & Gabinii: qualis erat tua, si impedias.

BERN. RVT.

TV tuas inimicitias, ut Respub. donares, te uicisti, alienas ut contra Remp. confirmes, adduceris?} Non frustra reor apponit uerba Cice. ipsius in oratione in Pisonem, ad hanc rẽ pertinentia. Legem inquit, Comitiis Centuriatis tulit P. Lentulus consul de collegæ Q. Metelli sententia, quem mecum eadẽ Resp. quæ in Tribunatu eius diiunxerat, in consulatu uirtute optimi, ac iustissimi uiri sapientiaq; coniunxit. itaq; & pro consuli perperam a Manutio inscriptum, ut qui consul esset hoc tempore. Inimicitias uero alienas non tam fratris Metelli intelligit, quam Clodii, cuius sororem in matrimonium duxerat. autor Plut. & Cice. supra: Egi cũ Claudia uxore tua. Sane Balearicum Metellum istum, ad quem scribit Cice. magno errore habitum ab interprete existimo, cum de rebus eius consulis ad Baleares gestis meminerit is, qui ea Liuio Epitomen fecit, uel lib. L X. at huius Lentuliq; consulatus, C I I I I. non hercle magis, quam C. Antonius, ad quem sunt insequentes literæ, is, qui in Cæsarianis partibus ad Illyrios profligatus sit. quia frater ille M. Antonii triumuiri fuit, de quo non semel in Philippicis Cicero, at hic patruus, Ciceronis in consulatu collega.

Ex poste. eiusdem.

TV, tuas inimicitias ut Respub. donares, te uicisti: alienas, ut contra Rempub. confirmes, adduceris?} cætera belle adnotata sunt priore labore nostro unum illud emendamus, non tam peccatum nostrum, quam aliorum multorum: autoritate quorũ nixi, cura eorum impressos codices sequuti sumus. Itaq; & hæc epistola, ni fallor, & locus ille ea oratione in Pisonem, non ad Metellum eum, ad quem sunt suprascriptæ epistolæ, sed ad fratrem eius inimicum quondam in suo tribunatu Cic. consuli, uel egredi ẽdi po eius consulatum, pertinent. Et si uereor, ne in nomine alterutrius sit

erratum. neq; enim utrunque puto Quintum appellatum, sed hūc uere Quintum fratrem uero eius, Afranii in consulatu collegam, Marcum, aut Lucium. ut duos tamen intelligat, Clodium propter fratris cum eo affinitatem, de qua ita ad Atticum Cicero, Sed soror (inquit sub Clodii persona) quæ tantum habeat consularis loci, unum mihi solum pedem dat Noli, inquā, de uno pede sororis quæri, licet etiam alterum tollas Non consulare, inquies, dictum. fateor. sed ego odi illam male consulatem. Ea est enim seditiosa, ea cum uiro bellum gerit, neque solum cum Metello, sed etiam cum Fabio, quod eos mihi esse amicos moleste fert. Alioqui cum Lentulo fuisse consulem illum inimicum suum, indicat ad Atticum, cum ait. Spem ostendis secundum Comitia, quæ ista est, eodem Trib pleb. & inimico Coss. designato? & infra: Lentulus suo in nos officio, quod & re, & promissis declarat, etiam literis spem nobis non nullam affert Pompeii uoluntatis, sæpe enim tu ad me scripsisti, eum totum esse in illius potestate. De Metello scripsit ad me frater, quantum sperarer, perfectum esse per te. Et alia epist. Eaque, quæ ad spem putas pertinere, de Lentuli studio, de Metelli uoluntate, de tota Pompeii ratione perscriptis. Et proxima: Et fuit omnino difficile, non obsequi uel amicissimo homini Lentulo uel Metello, qui simultatem humanissime deponeret.

PHIL. MELA.

NArratio Est, de uarietate uoluntatis Metelli erga Ciceronē, cum esset ab exilio reuocandus. Addita est autem petitio, ut reuocationem adiuuet. Ille. Metellus habuit Clodiam, sororem Clodii, quam postea amauit Cælius. Non obiurgat eum, sed tamen indicat quid sentiat {Literæ Q. fratris} Narratio, quæ continet causam ad eum scribendi. {Peto} Petitio. {Quod si mihi} Ratio petitionis, a gratitudinde.

ARGVMENTVM.

C. Antonius collega Ciceronis in consulatu tempore coniurationis Catilinæ, ne forte contra coniuratos negligentius ageret, prouinciam, unde uberior prouentus erat expectandus, uolens accepit: uerum ubi intellexit, quo animo a Cicerone factum esset, ægre tulit: & scripsit Ciceronem in se multa, & dixisse, & fecisse iniqua. Quam rem nunc partim purgat, & partim negat Cicero.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Commendatoria est epistola. Verum cum Ciceroni data esset occasio experiundi animum Antonii, ingratitudinem illius & animum beneficiorum immemorem egregie perstringit.

M. CICERO S. D. C. ANTONIO. M. F. IMP. 5

ETsi statueram nullas ad te literas mittere, nisi commendatitias, non quod eas intelligerem satis apud te ualere: sed ne iis, qui me rogarent, aliquid de nostra coniunctione imminutum esse ostenderem: tamen cum T. Pomponius, homo omnium meorum in te studiorum, & officiorum maxime conscius, tui cupidus, nostri amantissimus, ad te proficisceretur, aliquid mihi scribendum putaui, præsertim cum aliter ipsi Pomponio satisfacere non possem. Ego si abs te summa officia desidere, mirum nemini uideri debeat; omnia enim à me in te profecta sunt, quæ, ad tuum commodum, quæ ad honorem, quæ ad dignitatem pertinerent. pro iis rebus nullam mihi abs te relatam esse gratiam, tu es optimus testis. contra etiam esse aliquid abs te profectum, ex multis audiui; nam comperisse me, non audeo dicere, ne forte id ipsum uerbum ponam. quod abs te aiunt falsò in me solere conferri. sed ea, quæ ad me delata sunt, malo te ex Pomponio, cui non minus molesta fuerunt, quam ex meis literis, cognoscere. meus in te animus quam singulari officio fuerit, & senatus & populus Roma. testis est. tu quam gratus erga me fueris, ipse existimare potes. quantum mihi debeas, cæteri existiment. ego quæ tua causa antea feci, uoluntate sum adductus. posteaq; constantia: sed reliqua, mihi crede, multo maius meum studium, maioremq; grauitatem. & laborem desiderant: quæ ego si non profundere ac perdere uidebor, omnibus meis uiribus sustinebo, sin ingrata esse sentiam, non committam, ut tibi ipse insanire uidear ea quæ sunt, & cuiusmodi, poteris ex Pomponio cognoscere. atque ipsum tibi Pomponium ita commendo, ut, quanquam ipsius causa confido te facturum esse omnia: tamen abs te hoc petam, ut siquid residet in te amoris erga me. id omne in Pomponii negotio ostendas. hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

ASCENSIVS.

ETsi statueram. Diximus supra epistolas Cicer. non esse collectas pro ratione temporis, sed personarum, nā huius epistolæ argumentum contigit longe ante superiores a Metello, & ad Metellum epistolas, quia quo tempore Cic. adhuc consulatum gessit. Vnde C Antonius Ciceronis in consulatu collega: cum, Ciceronis persuasione rem extra urbem in agro Pistoriensi gereret, eo consilio, ut minus periculi ab eo, cum foris esset, Resp. immineret, & ut melius coniuratos opprimeret, primum id æquo animo tulit, arbitrans & uberiorem, & non minus honorificam eam, esse conditionem, sed ubi consilium Cice. resciuit, ægerrime tulit, scripsitq; Cic. in se multa iniqua dixisse, atque fecisse, quæ Cicero partim purgat, partim negat. Ordo est. Etsi: idest quanquam statueram nullas, idest non ullas, non mittere ad te ullas literas, nisi commendatitias: idest quibus tibi aliquem commendarem, non quod intelligerem eas ualere satis apud te, sed ne ostenderem, scilicet renuendo, iis qui rogarent me, scilicet ut se commendarem tibi, aliquid esse imminutum de cōiunctione nostra, idest uinculo amicitiæ nostræ, Tamen cum Titus Pomponius homo maxime conscius omnium studiorum, & officiorum meorum in te, & cupidus tui, & amantissimus nostri proficisceretur ad te putaui aliquid scribendum mihi, præsertim cum non potuissem satisfacere aliter ipsi Pomponio. Si ego desiderem abs: idest a te, summa officia, supple id nemini debeat uideri mirum, omnia enim quæ pertinerent ad commodum tuum, quæ ad honorem tuum, quæ ad dignitatem tuam, profecta sunt a me in te, & supple tu es optimus testis nullam gratiam est relatum mihi abs te. Audiui ex multis, aliquid esse profectum abs te, contra: idest in contrarium. Nam non audeo dicere me comperisse, ne forte ponam ipsum uerbum, quod aiunt solere conferri falso abs te in me, dicentes, scilicet quod dicere soles te comperisse multa mala a me in te profecta, quod uere dicere non potes. Sed malo, idest magis uolo, te cognoscere ex Pomponio, cui fuerunt non minus molesta scilicet quam mihi quā ex literis meis, ea quæ delata sunt ad me. Et idest simul, Senatus & populus Rom. testis est, quam: idest quantum, singulari officio animus meus fuerit in te. Tu potes existimare, idest iudicare, ipse idest per teipsum, quā, idest quantum, gratus fueris erga me, cæteri existiment, idest iudicent quantum debeas mihi Ego sum adductus, supple ad ea facienda, quæ feci antea, scilicet quam te ingratum offenderem, causa, idest in causa tua, uoluntate, idest beneuolentia mea in te & postea, idest quæ postea feci, supple sum adductus constantia, scilicet mea, ne arguar inconstantiæ Sed crede mihi, reliqua, idest ea quæ restant tibi peragenda, desiderant: idest expetunt, studium meū multo maius, scilicet quam, quod hactenus impendi, & grauitatem, & laborē, supple multo maiorem, quæ: scilicet studium, grauitatem, laborem, si non uidebor profundere, ac perdere, ego sustinebo, idest faciam, ut persistant erga te omnibus uiribus meis. Sin autem, idest sed si, ego sentiam esse ingrata, scilicet tibi, ego non committam, idest non efficiam id, ut ipse, idest egomet uideat tibi insanire, ut faciunt, qui in ingratos grata conferunt beneficia, siquidem ipsorum gratia, & non dei potius id præcipientis, aut consulentis faciunt, Tu poteris cognoscere ex Pomponio, scilicet Tito, quæ & cuiusmodi sint ea, scilicet quæ restant, Atque ego commendo tibi ipsum Pomponium, ita ut quanquam ego confido te esse facturum omnia causa ipsius, tamen ego petam abs te hoc, ut siquid amoris erga me residet. i. reliquum manet in te, ostendas in omne in negocio Pomponii. Tu nihil potes facere mihi gratius hoc: idest quam sit hoc.

SEBAS. CORR.

C. Antonio} in consulatu collegæ, nunc in Macedonia Procoss. {T. Pomponius} Atticus {In te profecta sunt} Concessio Macedoniæ, prouinciæ sorte meæ, communicatio Galliæ: iam pactione quoque meæ: & defensio contra suspicionem, quæ fuit, te cum Catilina coniurasse. {Delata sunt} Valerio interprete nunciante, Thylloq; scribente, se audisse, te in pecuniis cogendis dictitare partem mihi quæri, & a me custodem communis quæstus Hilarum libertum esse missum. {Singulari animo} in iis, quæ paulo ante diximus. Hoc ipsum in oratione pro P. Sextio indulgentiam uocat. {Reliqua} quæ imminent, ut accusatio coniurationes: & quod Pompeiam prodromi nunciant aperte, Pompeium acturum, tibi succedi oportere: eodemq; tempore aget prætor ad populum, quod contra Dardanos auare, & ob id infeliciter rem gesseris.

BERN. RVTL.

CVm T. Pompeius homo} Pomponius legendum, & alii codices & subiecta indicant. {Sed reliqua (mihi crede) multo maius meum studium maioremq; grauitatem & laborem desiderant}

desiderant} Sequentis epistolæ uerba consentiunt, Antonium, & si eius in me officia omnes desiderant, tamen in senatu grauissime ac diligentissime defendi, senatumq; uehementer oratione mea, atque autoritate commoui. Idq; forte significat, quod est apud eum, qui ex Liuio Epitomen fecit C. Antonius inquit, proconsul in Thracia panum, prospere rem gessit, ut de puniendo forte eo, uel reuocãdo ex prouincia, actum sit in senatu.

Ex post. eiusdem.

SEd Reliqua (mihi crede) multo maius meum studium, maioremq; grauitatem & laborem desiderant} De Antonii periculo uerba sunt Ciceronis ad Atticum libro primo: Nam mihi Pompeiani prodromi nunciant, aperte Pompeium acturum, Antonio succedi oportere, eodemq; tempore aget prætor ad populum. Res eiusmodi est, ut ego nec per bonorum, nec per popularem existimationem honeste possim hominem defendere, nec mihi libeat, quod uel maximum est etenim accidit hoc, quod totum cuiusmodi sit, mando tibi, ut perspicias Libertum ego habeo sane nequam hominem Hilarem dico ratiocinatorem, & clientem tuum. De eo mihi Valerius interpres nunciat, Thyliusq; se audisse scribis hæc, esse hominem cum Antonio. Antonium porro in cogendis pecuniis dictitare, partem mihi quæri, & a me custodem communis quæstus libertum esse missum. Non sum mediocriter commotus, neque tamen credidi, sed certe aliquid sermonis fuit. Totum inuestiga, cognosce, perspice, & nebulonem illum, si quo pacto potes, ex illis locis amoue. Ex libro. I I. Sed heus tu, ecquid uides Cal. uenire? Antonium nõ uenire: Indices cogi? nam ita ad me mittunt. Nigidium minari, in concione se iudicem, qui non affuerit, compellaturum. uelim tamen, si quid est de Antonii aduentu, quod audieris, scribat ad me. Sed & libro I I I. pluribus locis inimicum sibi C. Antonium esse ostendit, ut cuius metu exul in Græciam, illo obtinente prouinciam, non auderet accedere.

PHIL. MELE.

EXpostulatoria est. Exordium sumptum est ab occasione scribendi, reliqua pars est narratio, in qua commemoratis suis quibusdam beneficiis, accusat Antonii ingratitudinem, in conclusione hortatur eum, ut malit gratus & amicus esse. {Etsi statueram} Exordium a causa quare scribat {Ego si abs te} Propositio, continens ea postulationem Non tetulisti bonam gratiam. {Meus in te animus Repetitiones. {Sed reliqua} Comminatio.

ARGVMENTVM.

Hæc epistola ad Lentulum, ad quem epistolæ primi libri scriptæ sunt, missa est: & errore quodam inter has collocata. Significat autem se accepisse a Decio librario, quod Lentulus nollet sibi succedi id autem non credidisse, donec uxor sua Terentia a Cornelia uxore Lentuli id quoque intellexisset & deinde diligenter operam dedisse, ut ita fieret. Deinde se emisse domum a M. Crasso gratulationem Lentuli probat, iocoq; se ære alieno oppressum dicit.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Officium suum in procurando successore exponit & ut Crassi ædes emerit nuncias. ubi locum interseris, quo ad coniurationem Catilinæ alludit.

M. CICERO S. D. P. SEXTIO L. F. PROCOS. 6

**alias. Librarius*

CVm ad me Decius * libertus tuus uenisset, egissetq; mecum, ut operam darem, ne tibi hoc tempore succederetur: quanquam illum hominem frugi, & tibi amicum existimabam, tamen, quod memoria tenebam, cuiusmodi ad me literas antea misisses, non satis credidi homini prudenti, tam ualde esse mutatam uoluntatem tuam. sed posteaquam & Cornelia tua Terentiam conuenit, & ego cum Qu. Cornelio locutus sum: adhibui diligentiam, quotiescunque senatus fuit, ut adessem, plurimumq; in eo negotii habui, ut Qu. Fusium Trib. pleb. & cæteros, ad quos tu scripseras, cogerem mihi potius credere, quam tuis literis. omnino res tota in mensem Ianua. reiecta erat, sed facile obtinebatur. Ego tua gratulatione commotus, quod ad me pridem scripseras uelle te bene euenire, quod de Crasso domum emissem, emi eam ipsam domum millibus numum XXXV. aliquanto post tuam gratulationem. itaque nunc me scito tantum habere æris alieni, ut cupiam coniurare, siquis me recipiat. sed partim odio inducti me excludunt, & aperte uindicem coniurationis oderunt: partim non credunt & à me insidias metuunt, nec putant ei numos deesse posse, qui ex obsidione fœneratores exemerit. omnino * semissibus magna copia est. ego autem meis rebus gestis hoc sum assecutus, ut bonum nomen adeptus existimer. Domum tuam, atque ædificationem omnem perspexi, & uehementer probaui. Antonium, etsi eius in me officia omnes desiderant, tamen in senatu grauissime, ac diligentissime defendi, senatumq; uehementer oratione mea, atque autoritate commoui. Tu ad me uelim literas crebrius mittas. Vale.

**alias. l. Semissium*

ASCENSIVS.

CVm ad me &c Hæc epistola secundum Hubertinum, & uetusta quædam exemplaria ad Lentulum proconsulẽ scripta est habens in superscriptione, P Lentulo, ubi Aldinum exemplar habet P. Sext. quod cur potius sequamur in fine huius particulæ dicam. Docet autem quid egerit pro Sextio in senatu, dicitq; se emisse domum Crassi, ob quam se ære alieno oppressum ioco dicit. Ordo est Cum Decius librarius: scilicet tuus: idest scriptor librorum tuorum, uenisset ad me, & egisset mecum, idest rogasset, aut monuisset, me, ut darem aperã: idest diligenter curarem, ne succederetur tibi: scilicet in prouinciã, hoc tempore, quanquam existimabam illum, scilicet. Decium hominem frugi, idest non uanum, sed sedulum & amicum tibi, tamen, quod, idest quia tenebam memoria, cuiusmodi literas misisses antea ad me quia petentes, ut tibi succedatur Ego non satis credidi, uolũtatem esse mutatam, tam ualde, homini prudenti uidelicet tibi, cui non est committendum, ut dicat non potabam &c Sed posteaquã, & Cornelia tua, scilicet uxor conuenit Terentiam, scilicet uxorem meam & ego locutus sum cum Q. Cornelio: adhibui diligentiam, ut adessem quotiescunque senatus fuit, & habui in eo plurimum negotii: idest difficultatis, & ut cogerem Qu. Fusium Trib. pleb. & cæteros, ad quos tu scripserat, credere potius mihi, quam literis tuis. Res tua reiecta est: idest dilata omnino nunc in mensem Ianu. sed obtinebatur facile, scilicet ut tibi non succederetur Quia uero Lẽt. successit Appius, & Appio Cice. non putem Lentulo, sed Sextio scriptam. Hubertinus tamen nescio quomodo exponit. obtinebatur, ut tibi daretur successor, qui tamen legit prius ne succederetur, idest ne daretur, inquit, tibi successor, cum legendum esset, ut succederetur secundum illius sententiam. Sed uide sequentia. Ego tua gratulatione &c manifeste arguit ad Lentulum non scriptam esse hanc epistolam. Non emit enim domum Crassi cum Lentulus esset in prouincia, sed ante quam in exilium abisset. Lentulo autem scripsit ab exilio reuocatus. scribitur ergo ad Sextium Ordo est: Ego cõmotus gratulatione tua, quod scripseras pridem ad me te uelle bene uenire: idest prospere succedere, quod emissem domum de Crasso ditissimo illo ciue, qui in Parthis postea periit, emi eam ipsam domum aliquanto post tuam gratulationem, triginta quinq; millibus numum, pro numorum Hubertinus legit sestertiis, sunt qui numorum scribant, sed cum nomine numerali apta est syncope. ITAQVE scito me habere nunc tantum æris alieni: idest tantum debiti contraxisse, ut cupiam coniurare: idest facere coniurationem, cum aliis debitoribus multi æris in omnes diuites, ut fecerat Catilina cum Lentulo, & Cethego aliisq; præcipue, ut Sallustius asserit ob æs alienum subleuandum, Loquitur autem Cicero ironicos, immo satis dicaciter & insolenter quibusdam uidetur quæsisse occasionem taxandæ coniurationis a se oppressæ, si quibusdam: scilicet perditorum hominum recipiat me: scilicet in societatem coniuratorum, sed supple tales homines excludunt me, scilicet a coniuratione facienda, aut societate sua: partim: idest pro parte, inducti odio scilicet in me sumpto, eo quod coniuratos persecutus sum, & oderunt aperte, supple me uindicem: idest ultorem coniurationis partim: idest pro parte, non credunt, scilicet me cupere cõiurare, & metuunt insidias a me, quasi uelim eos indicare, nec putãt numos posse deesse ei qui exemerit, hoc est mihi, qui exemerim: idest ex obsidione: scilicet coniuratorum, qui iam animo diuitum domos obsidebant. fœneratores: idest ad fœnus, & usuram dare solitos, & qui dederant Catilinæ, ac sociis eius. Magna copia, idest potestas huius, scilicet coniurationis faciendæ, aut huiusmodi, scilicet recipientium cupientem coniurare, est hominis emisi, idest qui nihil emit, aut molitur quod pluris sit semissi: idest dimidio assis. Ego autem assecutus sum meis rebus gestis, ut existimer adeptus bonum nomen, scilicet hominis iusti & potentis. Ego perspexi domum tuam, atque omnem ædificationem, quia locauerat eam ædificandam, & probaui, idest commendaui, eam uehementer. Ego defendi Antonium s. Caium collegam meum, in senatu grauissime & diligentissime, etsi: idest quanquam, omnes desiderant, idest omnes dicunt, non extare officia eius in me. Desideramus enim, quæ absunt, & non extant. Vnde in bello legimus tot sunt desiderata militum millia: idest oc-

eisa esse,& periisse,& commonl,scilicet ad faciendum,quod orabã senatum uehementer oratione mea. Ego uelim supple ut tu mittas ad me literas crebrius,quod etiam Lentul.non conuenit, qui satis crebro scripserat.

VICTORIVS.

EMi eam ipsam domum millibus numum X X X V.}Nos antiquam scripturam reposuimus,sed suspicamur hunc locum non uacare mendo:nec enim est hoc precium domus illius, quæ inuidiam Ciceroni faciebat.in codice, qui est in Diui Marci bibliotheca,aliquantulum spatii inane relictum est,ubi uulgares codices.{Milibus numum}habent,illic Mediceus contractius spatiũ habet,& angustius Sed etiam dubitari potest,quia.{Domum}est extrema dictio lineæ,etsi non tam producta sit lineæ illa, ut æqualis sit alius an.fortasse relictum sit a librario,non quia desit,sed,quia numerum illum integrum,locus ille non caperet: quem cum ipse interrumpere & frangere nollet,citius ad initium alterius lineæ properarit,Cupio hunc locum diligentius animaduerti a peritioribus. nos ut in antiquo precipue illo scriptum inuenimus,sic & ipsi locũ descripsimus,& quæcunq; suspiciones ortæ sunt,significamus:existimamus enim aliquam notam deesse,& eam uel ante, aut supra collocatam numerum hunc augendi uim habuisse:nam etiam uulgata lectio non idoneum precium illius domus significat. Budæus etiam,cuius iudicium in his rebus magni apud omnes esse debet (is enim hæc acute,& per diligenter tractauit) numerum hunc in quinatum esse censet,legiq; debere arbitratur Tricies quinq; sestertium. Eius opinionem confirmant nostri uetustiores codices, qui duabus illis dictionibus uacant,in quibus maxime uitium esse putat,ut aliqua fortasse(ut diximus)nota desideretur, quæ his numeris apposita pecuniam eam redderet. aut per hos numeros(quod uia uerisimile est)summa illa ingens pecuniæ significetur. Ipse qd sentiat de hoc loco.lib.I I I.de asse & part.exposuit. {Homini semissis magna copia est}Et hic locus diligenter etiam considerandus est.alii legunt.{Omnino semissium}Vetusti codices, {Omni semissibus}Nos lectionem eam secuti sumus,quæ parum a priscis exẽplaribus discederet,& sententiam eãdem retineret:ut. {Semissibus} enim clari sunt,& certi uetusti codices: Vox illa.{Omnino} quam restituimus,non integra in illis legitur,ut nonnihil scrupuli etiam restet. Mentionem facit huius loci Hermolaus in I I.editione Plynianarum castigationum lib.X I I I I.cap.I I I I.qui eandem fere, quam nos,emendationem probat.Quæ sit in ueteribus exemplaribus scriptura, uoluimus nos notum facere, cum uideamus adhuc hunc locum titubare.

Ex poste. eiusdem.

ACtiones Expostulant}Ita legendum est, quemadmodum & uetusti codices habent:non ut Manutii in priore,& in posteriore sua editione scripserũt, Actione expostulant. In Verrem C X V. Actionem eius rei postulant.

SEBAS. CORR.

PSextio L.F.}Vel hic,P.F.uel in epistola X V I I I. huius libri L.F.legendũ uidetur,cum idem sit Sextius.{Procoss.} Memini me alibi legere,Quæst.& sane P.Sextius C.Antonii in Italia consulis,& in Macedonia proconsulis Quæstor fuit. sed in Macedonia,reuocato Antonio.fortasse relictus,hic a Cicerone Procos dicitur. {Libertus tuus} Al.librarius tuus. {Cornelia tua}C.Scipionis filia.{Q.Fusium Trib.ple.}M.Pisone & M.Messalla Coss{Facile obtinebatur}ne tibi hoc tempore succederetur. {Millibus numum X X X V.}Diebus X X X V.in per uetere libro legimus.{Omnino semissibus}Varie legitur:Omni semissibus,Homini semissis,Omnino semissium,Omnino e missibus,Homini semissi.& deniq; in uetustissimo libro,Ennii semissibus:ut forte interpretandum sit,semiuiris,quos Ennius & ueteres semissis appellarunt,sicut & Varinius in Epistola I X.huius libri. {Ego xuce}quasi dicat, non semissis homo. {Bonum nomen}cui homines pecunias et edere possint,sed id duntaxat,cum illi interim pecunias habeant. {Antonium}collegam meum Coss.& procos.tuum reum coniurationis. {Defendi}illo ipso die,quo Clodius est adoptatus.

BERN. RVTI.

NEc Putant ei numos deesse posse,qui ex obsidione fœneratores exemerit.homini semissibus magna copia est}Hermolaus Barbarus in Plynianarum castigationum editione posteriore,lib X I I I I.cap.I I I I.legit Omnino,uel omni. quasi diceret,non deesse,qui sibi cæterisq; omnibus uel sub usuris semissibus credant.Ego qui locum antea asterisco notassem,ista Hermolai annotatione ualde non sum commotus,neq; mihi dum in loci sensu satisfacio. Sane & Adeptus uerbum idem Hermolaus expungit in subiecto colo.aliumq;inde,quæ interpretis sensum inuehit:quẽ & nos dubio procul amplectimur,etiamsi id uerbum retineatur, & per iocum intelligi tradit. Lectioni quidem eius manuscripti quoq; codicis fides astipulatur. Cæterum non ad Lentulum, ut idem retur,est epistola hæc:sed,nisi fallor,ad Sestium,quem defendit in iudicio.id confirmat Corneliæ nomen. Illum enim secundis nuptiis Cornelii Scipionis filiam in matrimonium duxisse, testatur in oratione pro eo.Si enim scriberetur ad Lentulum,in primum operis librum cum cæteris collata esset. In quo etiam interpres minus iam turpiter,quando cum tanto uiro errauit. Nec tamen ut est ab Aldo factum,P.Sextio.L.F.proconsuli,sed quæstori inscribi oportuit, puto.cum enim in eadem oratione & quæstorem Antonii collegæ sui estatur fuisse in Italia,& in Macedonia quoq; quo ad eum hanc tscriptum arbitror.nam & alioqui de Antonio in fine meminit literarum:ut iam sit recte collocata apud proximam hæc epistola. {Sed facile obtinebatur}ne tibi succederetur hoc tempore:contra quam interpres.

PHIL. MELA.

HAbet duas breues narratiunculas: alteram de successione, alteram de emptione.& obiter sunt ioci quidam Et hic Sextius est,pro quo postea habuit orationem,qui etiã ex prouincia rediens damnatus est,sicut Antonius {Cum ad me} Narratio.{Ego tua gratulat.} Alia narratio. {Qui ex obsidione}idest, qui effeci,ne Catilina faceret impetum in facultates diuitum.

ARGVMENTVM.

Quo tempore coniurationem repressit Romæ Cicero, Cn. Pompeius Mithridatem deuicit,unde literas ad senatum dederat:e quibus nunc Cicero dicit,se sperare otium e bellis externis Deinde,quia in literis ad se datis, Pompeius parum honorifice meminit de re bene gesta ab ipso Cic. significat in ea se desiderare gratulationem eius:iucundas tamen fuisse literas, præsertim cum putet gratulationem omissam ne offendat maleuolos.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Ne alienaret a se Pompeii uoluntatem,clam illum perstringit, & propemodum accusat de ingratitudine:quod fortia illius consilia & facta in coniuratione Catilinæ fracta non agnouisset.

M. TVL. M. F. CICERO C. D. CN. POMPEIO CN. F. MAGNO IMP. 7.

SI Tu, exercitusq; ualetis, bene est. Ex literis tuis,quas publice misisti, cepi unà cum omnibus incredibilem uoluptatem: tantam enim spem otii ostendisti,quantam ego semper omnibus,te uno fretus pollicebar. sed hoc scito tuos ueteres hostes,nouos amicos uehementer literis perculsos,atque ex magna spe deturbatos iacere.ad me autem literas quas misisti,quanquam exiguam significationem tuæ erga me uoluntatis habebant.tamen mihi scito iucundas fuisse.nulla enim re tam lætari soleo,quam meorum officiorum conscientia.quibus siquando non mutuo respondetur,apud me plus officii residere facillime patior:illud nõ dubito.quin.si te mea summa erga te studia parum mihi adiunxerunt Respub.nos inter nos conciliatura,coniuncturaq; sit.ac ne ignores,quid ego in tuis literis desiderarim,scribam aperte.sicut & mea natura,& nostra amicitia postulat. Res eas gessi quarum aliquam in tuis literis & nostræ necessitudinis,& reipub.causa gratulationem expectaui, quam ego abs te prætermissam esse arbitror,quod uerebare,ne cuius animum offenderes.sed scito,ea,quæ non pro salute patriæ gessimus orbis terræ iudicio,ac testimonio comprobari.quæ,cum ueneris,tanto cõsilio tantaq; animi magnitudine à me gesta esse cognosces,ut tibi multo maiori.quam Africanus fuit.me non multo minorem,quam Lælius,facile,& in Repu.& in amicitia adiunctum esse patiare. Vale.

ASCENSIVS.

SI tu &c Quo tempore coniurationem repressit Romæ Cicero,Cn.Pompeius Mithridatem Ponti regem deuicit:unde literas ad senatum dederat,e quibus nunc Cic. dicit se sperare otium a bellis externis. Deinde, quia in literis ad se datis Pomp.parum honorifice meminit de re bene gesta ab ipso Cice.significat se in ea re desiderare gratulationem eius, iucundas tamen fuisse literas, præsertim cum putet gratulationem omissam ne offendat maleuolos. Ordo est. Si tu, & exercitus tuus ualetis,bene est Ego cepi una cum omnibus, scilicet aliis,incredibilem uoluptatem ex literis tuis,quas misisti publice.s. ad senatum publice legendas. Tu enim ostendisti tantam spẽ ocii, scilicet ab externis bellis futuri,quantum ego pollicear semper omnibus,fretus idest confisus & adiutus te uno, idest solo. Sed scito hoc,hostes tuos ueteres,amicos nouos,idest qui fortunam sequentes se tandudum amicos simulant, perculsos,idest attonitos & stupefactos uehementer literis scilicet tuis,atque iacere deturbatos.i.

conturbatione

conturbatione deiectos,ex magna spe,quam conceperant de interitu tuo.antem,idest sed,scito has literas,quas misisti ad me, quanquam habebant exiguam,idest exilem & modicam significationem idest notificationem uoluntatis tuæ,scilicet bonæ erga me, tamen fuisse mihi iucundas. Enim,idest quia,ego nulla,idest non ulla,non soleo lætari ulla re,tam idest tantopere,quam idest quantopere,cõscientia meorum officiorum idest decenter factorum. Quibus: scilicet officiis meis siquando, idest aliquando,non respondetur mutuo idest nõ satisfit ab his,quibus ea impendi,patior facillime,idest æquissimo animo,plus officii residere.i. quasi ociosum esse apud me. Ego non dubito illod quin si summa studia mea erga te,adiunxerunt parum mihi te: Respub.sit nos conciliatura, & coniectura inter nos. Ac ne ignores,quid ego desideraurim idest non inuenerim inuenisse tamen noluerim,in literis tuis,scribam aperte, sicut & natura mea,quæ nihil simulare nouit,& amicitia nostra, quæ omnia manifesta esse uult postulat. Ego gessi eas, idest tam insignes res: scilicet in oppressione coniuratorum,quarum ego expectaui in tuis literis aliquam gratulationem,causa & idest simul, necessitudinis nostræ & idest simul. Respub.quam scilicet gratulationem, ego arbitror esse prætermissam a te.quod uerebare idest timebas, ne offenderes:idest læderes.cuius idest alicuius animum. sed scito ea', quæ nos gessimus pro salute patriæ,comprobari iudicio & testimonio orbis terrarum. Quæ,scilicet gesta mea, cum ueneris, scilicet Romam,tu cognosces esse gesta a me tanto consilio & tanta magnitudine animi,ut patiare facile,me non multo minorem,idest inferioris uirtutis quam Lælius, nobilissimus amicus Scipionis, supple fuit: adiunctum esse tibi multo maiori quam Africanus, scilicet Scipio,ab Africa deuicta sic dictus,fuit in repub.& in amicitia. Modeste se Lælio non multo minorem dicit: sed tamen satis iactanter gesta sua commemorat.

SEBAS. CORR.

PVblice misisti}ex Asia,de Mithridatico bello cõfecto.{Tuos ueteres hostes nouos amicos}Cæsarem intelligere possumus & si difficilis est coniectura. {Res eas gessi} In consulatu. {Africanus Minor,Scipio Aemilianus dictus. {Lælius} cognomento Sapiens,qui de amicitia apud Ciceronem disputat.

BERN. RVT.

TVos ueteres hosteis,nouos amicos uehementer literis perculsos}Ne Lucullum Crassumq; intelligam mouet, & qđ Lucullum non ita multo ante inimicum sibi comparauit: sed illa ipsa causa,quod ei successisset in prouincia,quasiq; gloriam laborum præripuisset,ut scribit in utriusque uita Plutarchus.Crassum uero non ante sibi conciliauit,quam Romam reuersus a bello Mithridatico,idq; Cæsaris opera.idem, Appianusq; autores. Vt potius Veteres amici noui hostes appellandi fuerint. Nam & alioqui Crassus quoque,ut Pompeius, Syllanus denique in primo consulatu collega,simultates ueteres deposuerant,quæ tamen postea reuixerint,usque eam Cæsaris reconciliationem:ut teste in uitis eorum Plutarcho, Nec est tamen alter,quem innui suspicer, nisi Cæsarem forte.nam & alioqui cum Crasso simultate potius atque æmulatione,quam odio inimicitiisq; certauit: ut ait Plutarchus.

PHIL. MELá.

VEerecunda expostulatio est Orditur autem a gratulatione, postea uerecunde reprehendit ipsius literas,quod non comprobet res gestas contra Catilinam. Estq; Rhetorica in primis distributio,quod inquit, Pompeium si non propter priuatam amicitiam,tam propter ea quod eadem in repub.sentit,secum coniunctum fore. Cicero prætor ualde,ornauit Pompeium, & in consulatu quoque quia imperium belli Mithridatici eripuit Lucullo, & tradidit Pompeio.{Si tu exercitusq;}Narratio,habet gratulationem de literis ipsius publice scriptis. Deinde reprehensionem priuatarum literarum.

ARGVMENTVM.

Inter Ciceronem & Crassum post amicitiam magnam inciderat simultas non parua,immo & dissensio studiorum, & odium propter defensionem Gabinii,quam Crassus susceperat contra Ciceronem: cum eum antea oppugnasset,ut uisum est lib. 1.tandem tamen cohortantibus Pompeio, & Cæsare, reconciliata est inter eos gratia,ita ut pene e domo Ciceronis profectus sit Crassus ad Parthicum bellum: ad quem Cicero nunc scribit: se ita pro eius honore, & dignitate contendisse in senatu,ut omnes intellexerint suum erga eum studium: ostenditq; ea quæ audierat non esse uera, sed a maleuolis ficta: unde pollicetur, se illi constantem amicum fore: rogat ut talis sibi sit Crassus: & de rebus omnibus ad se scribat.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Prædicat animum suum erga Crassum, & quam officiosus esse cupiat, scribit.

M. T. CICERO M. LICINIO P. F. CRASSO S. D. 8

QVantum meum studium extiterit dignitatis tuæ uel tuendæ, uel etiam augendæ, non dubito, quin ad te omnes tui perscripserint: non enim fuit aut mediocre, aut obscurum, aut eiusmodi, quod silentio posset præteriri. nam & cum Consulibus, & cum multis consularibus tanta contentione decertaui, quanta numquam antea ulla in causa: suscepiq; mihi perpetuam propugnationem pro omnibus ornamentis tuis: ueteriq; nostræ necessitudini iandiu debitum,sed multa uarietate temporum interruptum officium cumulate reddidi. neque mehercule unquam mihi tui aut colendi,aut ornandi uoluntas defuit: sed quædam pestes hominum laude aliena dolentium, & te nonnunquam à me alienarunt, & me aliquando immutarunt.tibi sed extitit tempus optatum mihi magis,quam speratum ut florentissimis tuis rebus, mea perspici posset & memoria nostræ uoluntatis, & amicitiæ fides. sum enim consecutus,non modo ut domus tua tota,sed ut cuncta ciuitas me tibi amicissimum esse cognosceret. Itaque & præstantissimo omnium fœminarum uxor tua, & eximia pietate.uirtute, gratia tui Crassi meis consiliis,monitis,studiis,actionibusq; nituntur: & senatus populusq; Roma.intelligit,tibi absenti nihil esse tam promptum, aut tam paratum, quam in omnibus rebus, quæ ad te pertineant,operam curam,diligentiam, autoritatem meam. quæ sint actaq; agantur,domesticorum tibi literis declarari puto. De me sic existimes,ac tibi persuadeas uehementer uelim non me repentina aliqua uoluntate,aut fortuito ad tuam amplitudinẽ meis officiis amplectendam incidisse,sed ut primum forum attigerim spectasse semper,ut tibi possem quam maxime esse coniunctus. quo quidem ex tempore,memoria teneo,neque meam tibi obseruantiam,neque mihi tuam summam beneuolentiam. ac liberalitatem defuisse siqua interciderunt non tam re,quam suspicione * uiolata,ea cum fuerint & falsa, & inania sint euulsa ex omni memoria,uitaq; nostra. Is enim tu uires, & eum me esse cupio, ut, quoniam in eadem Republic.tempora incidimus,coniunctionem,amicitiamq; nostram utrique nostrum laudi speren fore. Quamobrẽ tu quantum tuo iudicio tribuendum nobis esse putes statues ipse, & ut spero,statues ex nostra dignitate: ego uero tibi profiteor atque polliceor eximium, & singulare meum studium in omni genere officii: quod ad honestatem. & gloriam tuam spectet.in quo, etiam si multi mecum contendent,tamen cum reliquis omnibus,tũ Crassis tuis iudicibus omneis facile superabo: quos quidem ego ambos unice diligo,sed in Marco* beneuolentia impari: hoc magis sum Publio deditus,quod me quanquam à pueritia sua semper, tamen hoc tempore maxime sicut alterum parentem & obseruat & diligit.has literas uelim existimes fœderis habituras esse uim, non epistolæ,meq; ea,quæ tibi promitto ac recipio,sanctissime esse obseruaturum,diligentissimeq; facturum. quæ à me suscepta difensio est te absente dignitatis tuæ,in ea iam ego non solum amicitiæ nostræ,sed etiam constantiæ meæ causa permanebo. quamobrem satis esse hoc tempore arbitratus sum hoc ad te scribere: me, siquid ipse intellegerem,aut ad uoluntatem,aut ad commodum, aut ad amplitudinem tuam pertinere,mea sponte id esse facturum: sin quidpiam aut à te essem admonitus,aut a tuis,effecturum,ut intelligeres nihil neque te scripsisse,neque quenquam tuorum ad me frustro detulisse: quamobrem uelim ita & ipse ad me scribas de omnibus,minimis,maximis,mediocribusq; rebus,ut ad hominem amicissimum: & tuis præcipias,ut opera,consilio, autoritate gratia mea sic utantur in omnibus publicis,priuatis,forensibus, domesticis,tuis,amicorum,hospitum, clientum tuorum negociis, ut, quoad eius fieri posit, præsentiæ tuæ desiderium meo labore minuatur. Vale.

*a.l.uiolenta.

*alias: beneuolentia pari.

ASCENSIVS.

QVantum. Inter Cice.& Crassum post amicitiam magnã inciderat simultas magna, præsertim ob defensionem Gabinii,tandem per intercessionem Cæsaris & Pompeii sic facti sunt amici,ut Crassus in Parthicum bellũ fere ex hortis Crassipedis generi Cice.sit progressus,ad quem nunc Cice.scribit,se ita pro eo in senatu contendisse,ut omnes intellexerint suum erga Crassum studium,ostenditq;, quæ Crassus audierat,non esse uera,pollicens se illi constantem seruaturum uoluntatem,rogansq; ut talem erga se seruet,scribatq; de rebus suis

omnibus. Ordo est Ego non dubito, quin omnes tui scripserint ad te, quantum studium meum extiterit: idest eminuerit aut fuerit dignitatis tuæ, uel tuendæ: idest protegendæ, uel etiã augendæ Enim idest quia, supple studium meum nõ fuit aut mediocre, sed indigẽs, aut obscurum, idest occultum, aut eiusmodi: idest tale quod possit præteriri: idest aboleri silentio. Nam ego decertaui: scilicet pro te, &: idest simul cum consulibus, & cum multis cõsularibus: idest qui prius consulatum gesserant, tanta contentione, quanta nunquam. s. decertaui antea in ulla causa, & suscepi mihi, idest ad placitum meũ perpetuam propugnationem, idest decertationem pro omnibus ornamentis tuis, & reddidi cumulate, idest abundanter officium debitum ueteri necessitudini nostræ: idest coniunctioni quasi necessariæ animorum, sed interruptum multa uarietate temporum. quasi dicat non culpa nostra sed temporum. Neq; mehercule uoluntas tui aut colendi, aut ornandi: idest honorandi defuit mihi unquã. Sed quædam pestes hominum, idest quidam homines pestiferi, qui non merentur homines dici, dolentium laude aliena, &, idest simul alienarunt, idest alienum fecerunt nonnũquam, idest interdum te a me & immutarunt me aliquando tibi, idest ut alius tibi uiderer. Sed tẽpus optatum mihi magis quam speratum non enim sperare poterat, cum non haberet præsentia ad hoc merita, nec euidentes uidelicet causas, optabat tamen quia bonum quodlibet optabile est. extitit, idest emersit & exortum est. ut rebus tuis florentissimis. i. in summa felicitate tua, &, idest simul, memoria mea nostræ uoluntatis, idest beneuolentiæ pristinæ, & fides amicitiæ, idest in amicitia conseruanda, posset perspici, idest clare uideri & agnosci Sum enim consecutus, idest obtinui, ut non modo, idest non solum domus tua tota, sed supple etiam, ut cuncta, idest uniuersa ciuitas: scilicet Romana, cognosceret me esse amicissimum tibi. Itaque & idest simul, uxor tua præstantissima: idest quæ est præstantissima omnium fœminarum & Crassi, scilicet filii tui, eximia pietate, uirtute, gratia. i. q habent eximiam pietatem, scilicet in te, eximiam uirtutem & gratiam in oculis omnium, nituntur, idest suffulciuntur consiliis, monitis, studiis & actionibus meis. &, idest simul, senatus & populus Romanus intelligit, nihil esse tam promptum aut tam paratum tibi absenti quam operam, curam, diligentiam, autoritatem meam, in omnibus rebus quæ pertineant ad te. Ego puto declarari tibi literis domesti: eorum quæ sint acta, & quæ agam, scilicet pro te. Ego uelim uehementer supple ut existimes, idest iudices de me ac persuadeas tibi, me non incidisse aliqua uoluntate repẽtina, idest subitanea aut fortuito, scilicet casu, ad amplectendam idest prosequendam amplitudinem tuam officiis meis, sed ut primum attigerim forum: scilicet iudiciale spectasse idest tetendisse ad hoc semper, ut possem esse quã maxime coniunctus tibi. Quo quidem tempore teneo memoria, neque obseruantiam meam, idest meam uenerationem, & cautionem, ne te lædam, defuisse tibi, neque summam beneuolentiam ac liberalitatem tuam defuisse mihi. Siqua, idest aliqua, scilicet discordiæ semina interciderunt non tam re quam suspicione uiolenta: ea cum fuerint & falsa, & inania, sint euulsa ex omni idest tota memoria & uita nostra. Tu enim es is: idest talis uir, & ego cupio eum esse: idest talem, ut quoniam incidimus in eadem tempora Reipublicæ ut simul Rempublicam tractemus, ego sperem coniunctionem & amicitiam nostram fore: idest futuram esse, utrique nostrum laudi, idest ad laudem, quia honestum est bonos inter se amare & iuuare. Quamobrẽ tu ipse statues, idest constitues in animo tuo. quantum putes: idest putare debeas, tribuendum nobis, iudicio tuo: idest secundum iudicium tuum, & ut spero, tu statues supple illud, ex dignitate nostra: idest secundum dignitatem nostram Ego uero profiteor tibi atque polliceor eximium & singulare studium meum, in omni genere officii, quod spectet ad honestatem & gloriam tuam. In quo etiam si multi contenderit mecum, tamen superabo facile omneis, scilicet contendentes mecum, cum: scilicet sit, quod superabo reliquis omnibus iudicibus, idest ita iudicantibus, tum: idest multo euidentius, Crassis tuis: scilicet filiis, iudicibus, quos ambos: scilicet liberos tuos. Ego diligo unice, idest ut unicos filios diligerem, sed beneuolentia impari: idest minore in Marco, scilicet filio tuo. ego sum deditus, idest addictus magis Publio, scilicet filio tuo, quam Marco, hoc: idest propter hoc quod quanquam, supple obseruauit & dilexit me semper a pueritia scilicet sua, tamen obseruat & diligit me maxime hoc tempore, sicut alterum parentem idest patrẽ. Has &c. Velim supple ut existimes has literas habituras esse uim: idest potestatem fœderis: scilicet tecum icti, non epistolæ, scilicet duntaxat, & me obseruaturum esse sanctissime & diligentissime ea quæ promitto, ac pro, idest recipio tibi. Recipere enim interdum est promittere, interdum reseruare, interdum seruare, unde cautere receptui, interdum accipere debita. Ego permanebo non solum causa amicitiæ nostræ, sed etiam causa constantiæ meæ, idest ut constans sim, & uideat, in ea supple defensione dignitatis tuæ, quæ suscepta supple est a me, te absente. Quamobrem ego arbitratus sum, satis esse hoc tempore, scribere ad te, hoc, scilicet sequentia, si ipse: idest ego, intelligerem quid: idest aliquid pertinere, aut ad uoluntatem supple tuã aut ad commodum supple tuum, aut ad amplitudinem tuam, me facturum esse id sponte mea, idest quod dicunt proprio instinctu. Sin autem, idest sed si, essem admonitus, aut a te, aut a tuis supple me effecturum, ut intelligeres, nihil neque te scripsisse, neque quenquam tuorum detulisse, idest denunciasse ad me frustra Quamobrem uelim supple ut, &: idest simul, esse, idest tute, scribas ad me de omnibus rebus minimis, maximis, & mediocribus, ut: idest tanquam ad hominem amicissimum, &: idest simul, præcipias tuis: scilicet necessariis & amicis, ut utantur sic opera, consilio, autoritate, gratia mea, in omnibus negociis tuis publicis, quæ magistratum concernunt & rempub. priuatis, quæ ad rem priuatam spectant. forensibus, quæ in foro iudiciali aguntur, domesticis: idest familiaribus, & supple amicorum, hospitum, clientum tuorum, ut desiderium præsentiæ tuæ minuatur quoad eius: idest quatenus id possit, fieri labore meo idest per laborem meum, cum faciam fere quæ tu si adsis.

SEBAS. CORR.

Vel Tuendæ} contra Atteium Trib pleb & reliquos aduersarios. Epi. VIII. lib. I. {Cum Coss.} L. Domitio Aenobarbo, & Appio Claudio Pulchro. {Nostræ necessitudini} Quæ ante coniurationem Catilinæ fuerat. {Interruptum} maxime tempore cõiurationis. {Hominum} Catonis & aliorum. {Vxor tua} Tertuia. {Tui Crassi} Marcus, & Publius iunior, qui a Cæsare e Gallia cum mille equitibus remissus nondũ patrem fuerat secutus. {Forum attigerim} eloquentiam auspicaturus die ut uocant, tyrocinii. {Quam suspitionẽ} Nam a P. Clodio infestissimus esse meis fortunis prædicabaris. {Violata} Al. uiolenta {A pueritia sua semper} tanquam magistrum.

BERN. RVT.

Neque tuam summam beneuolentiam ac liberalitatem defuisse} Erat Crassus in amicos liberalis adeo, ut omnibus semper eius domus pateret, pecuniam insuper sine ullo fœnore mutuo traderet &, cum se militari gloria inferiorem animaduerteret Pompeio, ciuilibus studiis quam maximam posset autoritatem & potentiam comparare nitebatur. Itaq; petentibus omnibus præsto aderat officiis, patrociniis pecuniarum etiam mutuis dationibus. Existimo autem in supplicationibus et decernendis laborasse Ciceronem. Idem certe Plutarchus est autor, initio multas Mesopotamiæ ciuitates se ei sponte dedentes, a Crasso in fidem ditionẽq; receptas, Xenodotiam etiam ut captam. quamobrem cum se Imperatorem appellatum iri putasset a militibus, spe sua frustratus sit. {Hoc magis sum Publio deditus, quod me, quanquã a pueritia semper, tamen hoc tempore maxime, sicut alterum parentem & obseruat & diligit} Non alienum puto Plutarchi uerba apponere quibus, & origo inimicitiarum cum Crasso, & consuetudo cum filio continentur. Coniurationis (inquit in Crasso) eius, quæ Catilina autore cepta, omnem pene funditus euertit Rempu conscium atq; participem fuisse Crassum, non parua suspicio fuit. nam ex coniuratis quidam, magna uoce Crassum compellans, auditus est, attamẽ eius uerbis nemo fidem adhibuit. Et M. Cicero coniurationis index aperte satis in oratione quadam in Crassum & Cæsarem, coniurationis illius non minima ex parte causam refert eam tamen orationem nũquam nisi post utriusq; mortem edere ausus est. In illa uero, quã de suo consulatu habuit, Crassum ad se noctu uenisse refert. epistolam a Catilina missam tenentem, qua illum quasi conscium ad firmandam coniurationem hortatur. atque hæc causa semper in posterũ Ciceronis inimicus Crassus est habitus. Quod uero palam illum nõ insectaretur, filius impedimento fuit: qui cum studiorum ac disciplinæ amantissimus esset, uehementer Ciceronem diligebat, eiusq; congressu ac familiaritate plurimum utebatur, adeo ut cum exilio damnatus esset Cicero, P. Crassi filius una cum eo uestem mutauerit, atque alios adolescentes complures idem facere compulerit tandem uero patrem etiam Ciceroni conciliauit.

PHIL. MELã.

M. Licinio. P. F. Crasso} iste [illegible] Tus diues qui fuit contra[illegible]onis, & uersatus est in foro cum Cicerone, ac in [illegible] adiuuit Ciceronem Periit in bello aduersus Parthos, unã cum filio. Defert hic ei sua officia, & excusat superiorum temporum simultates, & apponit præsens studium. post eõ memorat quanti semper eum fecerit ita uenit ad id quod est principale, ut deferat ac polliceatur officia sua. Addit epiphonema aptissimum de fide literarum. {Quantum meum studium} Sine exordio, propositio, diligenter defendi te. {Neque mehercule} Amplificatio, ex præcedentibus offensionibus, estq; antithesis: ante inciderũt offensiones, nũc sumus amici. {De me sic} Amplificatio, quod hæc amicitia uetus sit. {Quamobrem tu} conclusio quod uelit præstare fidem debitam in amicitia.

ARGVMENTVM.

Cum Vatinius gereret bellum in Illyrijs, & ob res bene gestas optasset sibi decerni supplicationes, sciretque æmulos sibi aduersari: rogauit hac epistola Ciceronẽ, ut quemadmodũ prius pro salute sua certauerat (a capitis enim periculo eum liberauerat) ita nunc pro honore certet. Deinde pollicetur, se daturum operam, ut Dionysius seruus fugitiuus Ciceronis inueniatur, & domino restituatur.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Petit Vatinius, ut dignitatem illius contra maleuolorum inuidiam, Cicero defendat.

P. Vatinius

P. VATINIVS IMP. M. CICERONI SVO S. D. 9

SI Vales, bene est: ego ualeo: Si tuam consuetudinem in patrocinijs tuendis seruas, P. Vatinius cliens ad te uenit, qui pro se causam dicter uult. non puto repudiabis in honore, quem in periculo recepisti. ego autem quem potius adoptem aut inuocem, quàm illum, quo defendente uincere didici? an uerear, ne qui potentißimorum hominum conspirationem neglexerit pro mea salute, is pro honore meo, pusillorum, ac maleuolorum * obtrectationes, & insidias non prosternat, atque obterat? quare si me (sicut soles) amas, suscipe me totum, atque hoc, quicquid est oneris. ac muneris, pro mea dignitate tibi tuendum, ac sustinendum puta. scis meam fortunam nescio quo modo facile obtrectatores inuenire, non meo quidem mehercule merito: sed quanti id refert, si tamen fato nescio quo accidit? si quis forte fuerit, qui nostræ dignitati obesse uelit: peto à te, ut tuam consuetudinem & liberalitatem in me absente defendendo mihi præstes. Literas: ad senatum nostris de rebus gestis quo exemplo miseram, infra tibi perscripsi. Dicitur mihi tuus seruus anagnostes fugitiuus eum *Vardæis esse: de quo tu mihi nihil mandasti: ego tamen, terra, mariq; ut conquireretur, præmandaui: & profecto tibi illum reperiam, nisi in Dalmatiam aufugerit, & inde tamen aliquando eruam. Tu nos fac ames. Vale. ad. III. Id. Quint. ex castris, Narona.

*a.l. obtrectationes, & iniurias.

*a.l. Vardacis.

ASCENSIVS.

SI Vales, &c. Vatinius Ciceronem rogat, ut pro rebus bene in Illyria gestis supplicationem sibi decernendam procuret, pollicetur q; se curaturum ut fugitiuus Ciceronis comprehendatur, dicens. Si uales o Cicero, bene est, ego ualeo: scilicet bene. Si tu seruas consuetudinē tuam in tuendis: idest protegendis patrocinijs: idest clientibus, patrocinio tuo commissis: Publius: Vatinius cliens, scilicet tuus, idest te aduocatum & patronum suum colens, uenit ad te, honestius dicit quā si dicat, ego Publius, &c. uenio qui uult causam dicier, pro dici, pro se, idest pro supplicatione sibi impetranda. ego non puto, sup quod repudiabis in honore, scilicet obtinendo aut in re honesta, quem recepisti, scilicet defendendum, in periculo, scilicet capitis. Autem, idest sed quem ego adoptem, aut inuocem potius quam illum, quo defendente didici uincere? quasi dicat nullum. An uereat ne qui neglexerit, idest parui fecerit, scilicet Cice. conspirationem hominum potentissimorum, scilicet mihi aduersantium pro salute mea, idest ut me saluum faciat, is non prosternat atq; obterat, obtrectationes & inuidias pusillorum ac maleuolorum, pro honore meo, scilicet augendo? quasi dicat nequaquam. Quare si amas me, sicut soles, suscipe me totum, atq; puta, idest existima hoc quicquid est oneris ac muneris, idest officii tuendum ac sustinendum, supple esse tibi, pro dignitate mea. Scis fortunam meam inuenire facile. nescio quomodo obtrectatores, idest maledicos. quidem, idest certe, mehercule, scilicet ita iudicante. non merito, idest peccato meo. sed quanti refert, idest interest. id, scilicet an merito, an immerito fiat. si tamen, idest nihilominus. accidit nescio quo fato, idest infortunio mihi ex astrorum aut Deorum dispositione impendente? permittit enim deus etiam bonis aduersa contingere, ut inde meliores euadant, sed malum culpæ a fato non dependet, sed arbitrio nostro. Si forte quis idest aliquis fuerit qui uelit obesse, idest nocere & obsistere dignitati nostræ, peto a te, ut præstes mihi tuam consuetudinem & liberalitatem in me absente defendendo. Ego perscripsi tibi infra, idest in inferiore parte tabellæ, literas supple meas, eo exemplo, quo exemplo, idest qua forma, miseram ad senatum, aut perscripsi tibi quo exemplo & cætera superior expositio plus placet. priore enim modo diploma, idest quod duplum dicunt & exemplum literarum suarum scripserit, posteriore tantum formam quo scriptæ essent. Seruus tuus fugitiuus, scilicet Dionysius nomine, Anagnostes, idest lector tuus, aut in mensa aut in lectica, non est ergo proprium sed officii nomen a uerbo ἀναγινώσκω quod est lego, unde ἀνάγνωσις Anagnosis lectio dicitur esse Vardaci, idest in eo oppido in Illyrus, de quo tu mandasti nihil, scilicet ut eum comprehendendum, ego tamen præmandaui, idest antequam eo perfugeret, ut conquireretur terra mariq; & profecto ego reperiam tibi, idest ad utilitatem tuam, illum, nisi aufugerit in Dalmatiam, seu Dalmatiam, quæ est pars Illyriæ, & tamen, idest licet, eo fugerit, ego eruam, idest auellam eum, aliquando, idest tandem, inde, idest ab eo loco. Tu fac supple ut ames nos. Vale. Ex castris Narona, idest in eo loco, ad tertium Idus quintiles, idest Iulias.

PAVL. MANV.

CVm Vardeis} Antea, Vardacis, legebatur. nos in libris manu scriptis, lectionem, quam impressimus, inuenimus. neq; de ea dubitandum quicquam censuimus, cum a Plynio Vardeos inter Dalmatiæ populos, in qua Vatinius bellum gerebat, numeratos uideremus.

SEBAS. CORR.

P Vatinius} a Cæsare in Illyricum cum tribus legionibus missos, ut tributa imponeret, & obsides acciperet. {Ad te uenit} Al. aduenit. {Pro se causam} de supplicationibus obtinendis. {In honore} imperatorem appellatum {In periculo} reum factum anno decimo fere ante Episto. VIII lib I. {Potentissimorum hominum} Catonis, Fauonii, & aliorum. {Tuus seruus} Dionysius episto. LXXVII. lib. XIII.

PHILI. MELÁ.

SI Vales} Initio proponit, deinde rationem subiicit ea prioribus officiis Ciceronis Vatinius fuit bellator, & ille est de quo. Prouerbium factum est, Vatinianum odium. {Pub. Vatinius} Narratio. {Quare si me} Petitio, seu propositio.

ARGVMENTVM.

Idem Vatinius ex eadem prouincia hanc ad Ciceronem dedit epistolam: in qua primum scribit, se nihil adhuc certi habere de Dionysio seruo fugitiuo Ciceronis, sperare tamen se eruturum illum aliquando e Dalmatia. Deinde quia Cicero, & Seruilius deprecati fuerant pro quodam pirata Catilio nomine, quem Vatinius bello ceperat, adducit multas causas, quare non debeat ei parcere: rogatq; Ciceronem ut causam suam defendat Romæ: quia potuissent supplicationes sibi decerni pro rebus in Dalmatia bene gestis. Sed Cæsar, qui debeat proponere in senatu de ea re, nihil adhuc proposuerat, quod iniquum censet, commemorans quædam præclare gesta: Deinde se totū Ciceroni ab eo defendendum tradit.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Respondet Ciceronis petitioni de Catilio pirata Vatinius, quem propter immensa scelera dimittere se non posse dicit: deinde supplicationes pro rebus gestis, ut a Cæsare referantur hortatore Cicerone, postulat.

P. VATINIVS IMP. M. CICERONI SVO S. D. 10

SI Vales bene est: ego quidem ualeo. De Dionysio tuo adhuc nihil extrico, & eo minus, quòd me frigus Dalmaticum, quod illinc eiecit etiam hic refrigerauit. sed tamen non desistam, quin illum aliquando eruam. sed tamen omnia mihi dura imperas. de Catilio nescio quid ad me scripsisti deprecationis diligentissimæ Apagete cum nostro Sex. Seruilio: nam mehercule ego illum quoque amo sed huiuscemodi uos clientes huiusmodi causas recipitis: hominem unum omnium crudelissimum. qui tot ingenuos, matresfamilias, ciueis R. occidit, * arripuit disperdidit, regiones uastauit? simius non semissis homo, contra me arma tulit, & cum bello cepit. sed tamen mi Cicero quid facere possum? omnia mehercule cupio, quæ tu mihi imperas. meam animaduersionem, & supplicium, quo usurus eram in eum, quem cepissem, remitto tibi. & condono. quid illis respondere possum, qui sua bona direpta, naueis expugnatas, fratres, liberos, parenteis occisos, actione expostulant? si mehercule Appij os haberem, in cuius locum suffectus sum, tamen hoc sustinere non possem. quid ergo est? faciam omnia sedulo, quæ te sciam, uelle. defenditur à Q. Volusio tuo discipulo, si forte ea res poterit aduersarios fugare, in ea maxima spes est. Nos, si quid erit istic opus. defendes. Cæsar adhuc mihi iniuriam facit. de meis supplicationibus, & rebus gestis Dalmaticis adhuc non refert: quasi uero non iustissimi triumphi in Dalmatia res gesserim. nam

*a.l. rapuit.

si hoc expectandum sit, dum totum bellum conficiam: uiginti oppida sunt Dalmatiæ antiqua: quæ ipsi sibi asciuerunt, amplius sexaginta. hæc nisi omnia expugno, si mihi supplicationes non decernuntur, longe alia conditione ego sum, ac cæteri imperatores. Vale.

ASCENSIVS. SI Vales. Idem Vatinius ea eadem prouincia hanc ad Cice. dedit epistolam, in qua primum scribit se nihil certi adhuc habere de Dionysio seruo fugitiuo, sperare tamen posse eum aliquando eruere e Dalmatia. Deinde quia Cice & Seruilius deprecati fuerant pro quodam Pirata Catilio nomine, quem Vatinius bello ceperat, adducit multas causas, quare ei non debeat parcere, rogatque Ciceronem ut causam suam defendat Romæ, quia potuissent supplicationes sibi decerni pro rebus in Dalmatia bene gestis, Sed Cæsar, qui debebat referre de ea re, nihil adhuc retulerat, quod iniquum censet, commemorans quædam præclare gesta. Deinde se totum Cice. ab eo defendendum tradit. Ordo est. Si uales, bene est, ego quidem ualeo. Ego nihil adhuc extrico, idest expedio, & extricis & inuolucris eruo, de Dionysio tuo, scilicet seruo fugitiuo idest nihil adhuc certi afferre possum, & en: idest tanto minus supple extrico aliquid, quod frigus Dalmaticum, quod eiecit: supple me illinc: idest e Dalmatia, refrigerauit, idest iterum frigus generauit, etiam hic scilicet ubi nunc sum, idest in hac parte Illyriæ quasi dicat propter frigus nihil hactenus potui agere, unde etiam pigrum a Virg. dicitur, quia pigros facit, sed non desistam quin eruam, idest extraham, quasi fecam e latebris, illum scilicet seruum tuum, aliquando, idest tandem. Sed tamen tu imperas mihi omnia dura, idest difficilia factu. Scripsisti nescio quid deprecationis diligentissime, idest quam diligentissime precatus es, ne animaduertam in Catilium, de Catilio, scilicet pirata a me capto. Apagete, Comicus & Plauto familiaris sermo, quo more supra dixit dicier pro dici. Videtur autem græcum uerbum ab apo & ago compositum. Nam & ago græce dicitur, ut sit apagete, idest amouete, procul agite, uos supple cum Sexto Seruilio nostro, nam mehercule ego amo quoque illum, scilicet Seruilium, quare dixerat nostro Seruilio. sed recipitis uos, scilicet tam sancti & prudentes uiri, causas huiusmodi clientis idest rei scilicet piratæ quasi dicat id non decere. Suscipitis inquam defendendum hominem unum idest solum crudelissimum omnium. Qui stuprauit tot ingenuas idest nulla seruitute sua, aut maiorum suorum notatas matres familias, & supple qui occidit tot ciues Romanos, qui arripuit, disperdidit scilicet tot ciues Romanos, & supple qui uastauit regiones. Simul uero homo semissis idest uix asse & dimidio eius æstimandus, unde prius homini semissis legendum dixi, tulit arma contra me, & cepi eum bello scilicet iusto. Sed tamen mi Cic. quid possum facere scilicet in hac re quidem idest certe ego cupio supple facere omnia, mehercle, quæ tu imperas. Ego remitto tibi, idest ad placitum tuum condono, meam animaduersionem idest iustam punitionem Catilii, & supplicium, quo eram usurus in eum quẽ cepissem, quid possum respondere illis qui actores idest cum sint actores & accusatores, expostulant idest iuste & manifeste postulant, Bona sua direpta, scilicet a Catilio, naues expugnatas, captas & uictas ab eo fratres, liberos, parentes occisos, scilicet ab eodem? quasi dicat nihil possum honeste respondere si eum absoluo. Mehercle, si haberem Appium, scilicet pulchrum, hominem cautillosum & cautum supple adiutorem aut defensorem, in cuius locum ego sum suffectus: idest substitutus, tamen nõ possem sustinere hoc, idest hanc iniquissimam absolutionem, aut expostulationem tam iustam in Catilium agentium. Ergo supple inquies quid est, scilicet reliquum. Ego faciam sedulo idest seorsum a dolo, diligenter omnia quæ sciam te uelle Sup. Catilius defenditur contra actores, a Quin. Volusio discipulo, tuo si forte ea res, idest fama patroni, poterit fugare aduersarios, scilicet eius, spes est maxime in eo. Tu defendes nos istic, idest ubi tu es, hoc est Romæ, siquid erit opus Cæsar facit mihi adhuc iniuriã de supplicationibus meis, & non refert adhuc, idest non affert in consultationem senatus, de rebus gestis, scilicet a me Dalmaticis, idest in Dalmatia, quasi uero non gesserim in Dalmatia res iustissimi triumphi, idest triumpho dignissimas. Nam si hoc scilicet referre de rebus meis sit expectandum, dum, idest donec conficiam: idest finiam, totum bellum, uiginti oppida sunt Dalmatiæ antiqua, quæ asciuerunt, idest attraxerunt sibi amplius sexaginta supple oppida quæ dicuntur Dalmatia noua, nisi ego expugno, idest capio, hæc omnia, supplicationes non decernuntur mihi? q. d. id iniquum esse. Ego sum si hoc sit, longe alia, qua deteriori conditione, ac idest quam cæteri imperatores.

VICTORIVS. QVi Tot ingenuas matres familias} Vetus omnino codex elegantiorem & synceriorem lectionem habet, quam nos accepimus: Non enim ingenuas matres familias appellas. Matres enim familias & probatas mulieres, & nobiles intelligimus, sed. {Ingenuos, matres familias,} separatim de diuersis generibus: ut Orat. V I. in Verrem: Mitto adhibitam uim ingenuis, matres familias uiolatas. Pueros enim ingenuos & honesto loco natos nefas erat & illis stuprare, nam in mancipiis, & libertinis quasi impune libidinem suam exercebant. Quod autem addit ciues Romanos, tribusque uerbis, tria hæc nefaria scelera exaggerat, oratorie est & grauissime dictum. cuius tam elegantis locutionis nullum in uulgatis codicibus uestigium inerat. {Simul uero semissis homo} Longe alia est in antiquis codicibus lectio, quam libenter arripuimus. {Simius nõ semissis} Simiolum etiam Cicero, quem irridet, appellat, & qui suis inimicitiis propter humilitatem eius & sordes indignus esset Græci quoque quos contemnunt, ita uocant, ut Aristoph. in Ranis οὐδ᾽ ὁ πίθηκος οὗτος ὁ νῦν ἐνοχλῶν ὁ κλειγένης ὁ μικρὸς ut duobus hic modis, Catilium ignominiose appellet, & uocando ipsum simium, & ne uilissimo quidem precio illum dignum esse dicendo.

BERN. RVT. INgenuas matres familias} Al. Ingenuos, matres familias. {Semissis} Semiuir. sed hic locus sic etiam legitur, Simius, non semissis homo. {Appii os} Audaciam, impudentiam. {In cuius} iampridem apud Euboicum sinum mortui. {Locum} in auguratu: nisi me coniectura fallit. Nam prouinciam qui significare posit, non uideo.

SEBAS. CORR. SImul uero semissis homo contra me arma tulit} Lectionem obiter eam idem Hermolaus recepit. Simius non semissis homo. Et semissem hominem dimidiatum, aut certe minorem spichameo accipit, ut & interpres, ut sit Simul, ubi primum: quamuis & libro. V I I. Hic simiolus, inquit, animi causa me, in quem inueheretur, delegerat. & Cælius, Quam illius Simiæ uultum subire. {Si mehercule Appium haberem, in cuius locum suffectus sum, tamẽ hoc sustinere non possem} Non sequor interpretationem Clerici, tu uide, ne id potius dicat: Si in uinculis haberem Appium præcessorem meum, a tot hominibus tantorum flagitiorum accusatum, uix possem sustinere prouincialium querelas, nedum possim perditum istũ atque infamem hominem dimittere. Nam ex iure ciuili dicimus, apud successorem accusari præcessorem licuisse, atque eo nomine dies L. noua, lege in administrata prouincia manere cunctos præsules, cæterosque quocunque nomine magistratus. {Ego post supplicationes mihi decretas in Dalmatiam profectus sum} Scio quantum angatur interpres, neque tamen proficit hilum. Ego non dubito, exigua syllaba locum resarciri, ac plane restitui. Profecturus, itaque lego. Nisi quis malit sententiam illam bis decretarum supplicationum sequi. id enim & priores literæ adiuuant, quinque ante mensibus de supplicationibus ut uideo, scriptæ. Astipulatur sententiæ nostræ, quod est in eisdem illis proximis literis: Et inde tamen aliquando eruam, quasi de redeundo in Dalmatiam, iam tum cogitaret: ut & forte mendosa et epistolæ sit ascripta dies. Interpres uero ne Cæsarem quidem intelligit hoc tempore consulem fuisse, neque hunc Vatinium alium ab illo odiosissimo teste. P. cuiusdam Vatinii meminit Plutarchus, qui contra Sparta cum infelicissime pugnarit. & si pro eo Publium Vorenum legimus in Epitome Liuii. {Quid illis respondere possum, qui sua bona direpta, naues expugnatas, fratres, liberos, parentes occisos, actiones expostulant,} melius Actione, uel Actionibus: quasi palam, & in iudicio. Alii codices, Authores. Manutiani, Actores, non omnino otiose habent: ut tamen negociorum potius gestores significet, quam causarum motores, ut uoluit Clericus.

Ea post. eiusdem. SImul uero semissis homo contra me arma tulit} Horatius quoque in sermonibus: Neque Simius iste, propter deformitatem, & paruitatem corporis: ut Porphyrio, & Acron. ut fere, Simius non, retineam.

PHIL. MELã. SI uales, &c.} Variæ narrationes sunt, & expostulationes. Et apparet istam epistolam scriptam in cõsulatu Cæsaris. {Ego post supplicationes} Hoc loco aliis initium est alterius epistolæ Vatinii ad Ciceronem: nobis coniungere libuit.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Narratio eorum, quæ in Dalmatia gesseris. Cæterum ab aliis cum epistola superiore hæc connectitur.

VATINIVS CICERONI S. 55

EGo post supplicationes mihi decretas, in Dalmatiam profectus sum! sex oppida ui oppugnando cepi: unum hoc, quod erat maximum quater à me iam captum: quatuor enim turreis, & quatuor muros cepi, & arcem eorum totam: ex qua me niues, frigora, imbres detruserunt: indigne que mi Cicero oppidum captum, et bellum iam confectum relinquere sum coactus. quare te rogo, si opus erit, ad

Cæsarem

Cæsarem meam causam agas, neq; tibi in omneis parteis defendendum putes hoc existimans neminem te tui amantiorem habere. Vale. De Narona.

ASCENSIVS. Go. Principium est nouæ epistolæ. Ego sum profectus in Dalmatiam post supplicationes decretas mihi, scilicet a senatu, ego cepi sex oppida oppugnando : supple ea, ui. Vnum : supple oppidum quod erat maximum, captum : supple est a me iam quater. cepi enim quatuor turres, & quatuor muros, & totam arcem, idest (quod dicunt) foetelitium eorum, ea qua : scilicet arce, niues, frigora, imbres, detruserunt me. & o mi Cicero coactus sum indigne : idest quod indigne ferendum est. relinquere oppidum captum, & bellum iam confectum. Quare rogo te, agas causam meam, ad : idest apud Cæsarem, si sit opus, & potes me defendendum tibi in omnes partes. existimans hoc, te neminem habere amantiorem tui. Vale. &c.

SEBAS. CORR. AD Cæsarem] apud Cæsarem Dictatorem : quo paulo post interfecto, Vatinius ab Illyriis superatus, Dyrrachium confugit. & postea uenienti M. Bruto portas aperuit, & exercitum tradidit.

ARGVMENTVM.

Non tamen superiori epistolæ sed alteri, qua Vatinius egerat Ciceroni gratias pro beneficiis in se impensis. quod factum Vatinii commendat in hac Cicero, & pollicetur se in ea uoluntate permansurum, & Pompeiam uxorem Vatinii se commendatissimam habiturum, rogatq; ut Vatinius ad illa scribat. Demum de fugitiuo persequendo rursum agit.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Commendationem Vatinii sibi cordi futuram scribit, & ut Dionysium fugitiuum inquirat, petit.

M. CICERO P. VATINIO IMP. S. 12

Rata tibi esse officia mea, non miror : cognoui enim te gratissimum omnium : idque nunquam destiti prædicare. nec enim tu mihi gratiam modo habuisti, uerum etiam cumulatissime retulisti. Quamobrem reliquis tuis rebus omnibus, pari me studio erga te, & eadem uoluntate cognosces. Quòd mihi fœminam primariam Pompeiam uxorem tuam commendas, cum Sura nostro statim tuis literis lectis locutus sum, ut ei meis uerbis diceret, ut quicquid opus esset mihi denunciaret : me omnia, quæ ea uellet, summo studio, curáque facturum : itaque faciam : eamque si opus esse uidebitur, ipse conueniam. tu tamen ei uelim scribas, ut nullam rem neque tam magnam, neque tam paruam putet. quæ mihi aut difficilis, aut parum me digna uideatur. omnia, quæ in tuis rebus agam, & non laboriosa mihi & honesta uidebuntur. De Dionysio si me amas, confice. quamcunque ei fidem dederis, præstabo. si uero improbus fuerit, ut est, duces eum captiuum in triumpho. Dalmatis Dii male faciant, qui tibi molesti sunt. sed (ut scribis) breui capientur, & illustrabunt res tuas gestas. semper enim habiti sunt bellicosi. Vale.

ASCENSIVS. Rata &c. Non respondet superiori epistolæ : sed alteri, qua Vatinius egerat Ciceroni gratias pro impensis beneficiis. pollicetur igitur se in officio, & uoluntate permansurum : monetque ut uxori scribat eam sibi commendatissimam esse, & demum monet ut fugitiuum persequatur, Dionysium uidelicet. Ordo est. Ego non miror officia mea esse grata, idest accepta tibi : cognoui enim te gratissimum : supple esse omnium : scilicet hominum. & ego nunquam destiti prædicare id, aliter tamen Appio scripsit. Etenim : idest quia, tu nec modo : idest non solum habuisti, scilicet in animo, gratiam mihi. uerum etiam retulisti : idest reddidisti, re ipsa : supple gratiam cumulatissime. Quamobrem tu cognosces pari me studio, & eadem uoluntate erga te : supple in reliquis rebus tuis omnibus. quod : idest quia. tu commendas mihi fœminam primariam, Pompeiam : scilicet nomine, uxorem tuam ego locutus sum statim lectis literis tuis : idest postquam legeram literas tuas, cum Sura nostro : scilicet familiari, ut diceret, ei : idest uxori tuæ. uerbis meis : idest nomine, aut ea mandato meo, ut : supple ipsa denunciaret mihi quicquid opus esset : supple illi, & me facturum : supple esse, omnia quæ ea uellet, summo studio, & cura : supple summa, & si uidebitur opus : idest operæpretium esse. ego ipse : idest egomet. conueniam eam : idest ibo ad eam. Tamen ego uelim : supple ut tu scribas ei, ut nullam rem putet neque tam magnam, neq; tam paruam, quæ uideatur mihi aut difficilis, si sit sane magna : aut parum digna me : idest opera mea, si sit nimium parua, & facilis. Omnia quæ agam in tuis rebus, uidebuntur mihi & non laboriosa : idest non difficilia, nec multi laboris, & honesta, Confice, idest consumma, & finē fac. De Dionysio, scilicet seruo fugitiuo, ut redeat, si amas me. quamcunque fidem dederis, idest quicquid ei promiseris de me, utpote quod eum non cædat, nec minus amet, aut propterea uituperet, & similia ego præstabo : idest exhibebo, & seruabo, supple eam. Si uero fuerit improbus : idest improbandus, & incorrigibilis, ut est, duces eum captiuum in triumpho. Dii malefaciant Dalmatis, qui sunt molesti tibi, sed (ut scribis) ipsi capientur breui. Ridicula est, & assentatoria imprecatio in hostes, propterea quod non sinunt se capi ad uoluntatem hostilis Imperatoris cupientis de eis triumphare, & illustrabunt, idest illustriores, & clariores facient, res tuas gestas, quia quanto uictoria fuerit difficilior, & quanto hostis fortior, & animosior, tanto corona, ac triumphus continget gloriosior, unde addit. Enim : idest quia. ipsi : idest Dalmatæ, habiti, idest æstimati, & reputati, aut inuenti sunt semper bellicosi. Et eam ob rem dicunt Alexandrum regem noluisse cum Amazonibus confligere, cū uictoria parum honoris, utpote de muliercul is, haberet, & fuga æternum dedecus. Blanditur ergo Cicero Vatinio. imitanda tamen est alioqui epistola.

SEBAS. CORR. TV mihi gratiam] pro defensione, & laudatione. {Habiti sunt bellicosi} & ideo magis illustrabunt res tuas, qui illos uiceris.

PHIL. MELA. COmparatio est gratitudinis, sicut solemus exordia sumere a probando, uelim probando id, quod alius fecit. Postea defert officium suum. {Grata tibi esse} Exordium a commemoratione officiorum. {Quod mihi} Narratio.

ARGVMENTVM.

L. Luceius uir dicendi peritissimus, Italici, ciuilisq; belli historiam conficiebat, in qua se facturum mentionem de Cice. & eius gestis significauerat. uerum cum Cice. auidissimus esset gloriæ, uideretq; Luceium rem differre, non ausus præ pudore ei coram dicere, hac epistola aperte petit, ut suarum gestarum commentarios perscribat, & breuiter commemorat, quæ quomodo ab eo scribenda censeat, quæ si ille penitus recusauerit scribere, asserit seipsum scripturum a se gesta non sine grauium uirorum exemplo, docetq; præter ingenii Luceii excellentiam esse alias causas, quare ab eo res suas tantopere cupiat perscribi, & tam festinanter, quæ legenti obuiam erunt.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Hanc epistolam Cicero ad Atticum, bellam uocat, in qua a Luceio historiographo rerum a se gestarum memoriam celebrari flagitat.

M. CICERO S. D. L. LVCEIO Q. F. 13

Oram me tecum eadem hæc agere sæpe conantem deterruit pudor quidam penè subrusticus : quæ nunc exponam absens audacius. epistola enim non erubescit. Ardeo cupiditate incredibili neque ut ego arbitror, reprehendenda, nomen ut nostrum scriptis illustretur, & celebretur tuis. quod & si mihi sæpe ostendis te esse facturum : tamen ignoscas uelim huic festinationi meæ : genus enim scriptorum tuorum & si erat semper à me uehementer expectatum, tamen uicit opinionem meam : meque ita uel cepit, uel incendit, ut cuperem quamcelerrime res nostras monumentis commendari tuis : non enim me solum commemoratio posteritatis ad spem quandam immortalitatis rapit, sed etiam illa cupiditas, ut uel autoritate testimonij tui, uel indi-

cio beneuolentiæ, uel suauitate ingenij uiui perfruamur, neque tamen, hæc cum scribebam, eram nescius, quantis oneribus premerere susceptarum rerum. & iam institutarum. sed quia uidebam Italici belli, & ciuilis historiam iam penè à te esse perfectam, dixeras autem mihi, te reliquas res ordiri: deesse mihi nolui, quin te admonerem ut cogitares, coniunctè'ne malles cum cæteris rebus nostra contexere, an, ut multi Græci fecerunt Callisthenes Troicum bellum, Timæus Pyrrhi, Polybius Numantinum, qui omnes à perpetuis suis historiis ea quæ dixi, bella separauerunt, tu quoque item ciuilem coniurationem ab hostilibus, externis'que bellis seiungeres. equidem ad nostram laudem non multum uideo interesse: sed ad properationem meam quiddam interest, non te expectare, dum ad locum uenias, ut statim causam illam totam, & tempus arripere, & simul si uno in argumento, una'que in persona mens tua tota uersabitur, cerno iam animo, quanto omnia uberiora atque ornatiora futura sint. neque tamen ignoro, quàm impudenter faciam, qui primum tibi tantum oneris imponam, (potest enim mihi denegare occupatio tua) deinde etiam ut ornes me postulem, quid si illa tibi non tantopere uidentur ornanda? sed tamen QVI semel uerecundiæ fineis transierit, eum bene, & nauiter oportet esse impudentem. itaque te planè etiam atque etiam rogo, ut & ornes ea uehementius etiam quàm fortasse sentis, & in eo leges historiæ negligas, gratiam'que illam, de qua suauissime quodam in procemio scripsisti, à qua te * affici non magis potuisse demonstras, quàm Herculem Xenophonteium illum à uoluptate. ea si me tibi uehementius commendabit, ne aspernere, amori'que nostro plusculum etiam, quàm concedit ueritas, largiare, quòd si te adducemus, ut hoc suscipias; erit (ut mihi persuadeo) materies digna facultate, & copia tua; à principio enim coniurationis usque ad reditum nostrum uidetur mihi modicum quoddam corpus confici posse. in quo & illa poteris uti ciuilium commutationum * scientia, uel in explicandis causis rerum nouarum, uel in remedijs incommodorum, cum & reprehendes ea, quæ uituperanda duces, & quæ placebunt exponendis rationibus comprobabis, & si liberius, ut consuesti, agendum putabis, multorum in nos perfidiam insidias, proditionem notabis. multam etiam casus nostri tibi uarietatem in scribendo suppeditabunt, plenam cuiusdam uoluptatis, quæ uehementer animos hominum in * legendo scripto retinere possit.: NIHIL est enim aptius ad delectationem lectoris, quàm temporum uarietates, fortunæ'que uicissitudines: quæ & si nobis optabiles in experiendo non fuerunt, in legendo tamen erunt iucundæ: HABET enim præteriti doloris secura recordatio delectationem: cæteris uero nulla perfunctis propria molestia, casus alienos sine ullo dolore intuentibus, etiam ipsa misericordia est iucunda. quem enim nostrum ille moriens apud Mantineam Epaminundas non cum quadam miseratione delectat? qui tum denique sibi auelli iubet spiculum, posteaquam ei percontanti dictum est, clypeum esse saluum: ut etiam in uulneris dolore, æquo animo cum laude moreretur. cuius studium in legendo non erectum Themistoclis fuga reditu'que retinetur? etenim ordo ipse annalium mediocriter nos retinet quasi enumeratione factorum. at uiri sæpe excellentis ancipites, uarij'que casus habent admirationem, expectationem, lætitiam molestiam, spem, timorem, si uero exitu n otabili concluduntur, expletur animus iucundissimæ lectionis uoluptate. quod mihi acciderit optatius, si in hac sententia fueris, ut à continentibus tuis scriptis, in quibus perpetuam rerum gestarum historiam complecteris, secernas hanc quasi fabulam rerum, euentorum'que nostrorum. habet enim uarios actus, multas'que actiones & consiliorum, & temporum. Ac non uereor, ne assentatiuncula quadam aucupari tuam gratiam uidear, cum hoc demonstrem, me à te potissimum ornari, celebrari'que uelle: neque enim tu is es, qui, quid sis, nesciat; & qui non eos, magis, qui te non admirentur, inuidos, quàm eos, qui laudent, assentatores arbitrere. neque autem ego sum ita demens, ut me sempiternæ gloriæ per eum commendari uelim, qui non ipse quoque in me commendando propriam ingenij gloriam consequatur: neque enim Alexander ille gratiæ causa ab Apelle potissimum pingi, & à Lysippo fingi uolebat, sed quòd illorum artem cum ipsis, tum etiam sibi gloriæ fore putabat. atque illi artifices, corporis simulachra ignotis nota faciebant; quæ uel si nulla sint, nihilo sunt tamen obscuriores clari uiri. nec minus enim est Spartiates Agesilaus ille * probibendus, qui neque pictam, neque fictam imaginem suam passus est esse, quàm qui in eo genere laborarunt: unus enim Xenophontis libellus in eo rege laudando facile omneis imagines omnium, statuas'que superauit. atque hoc præstantius mihi fuerit & lætitiam animi, & ad memoriæ dignitatem, si in tua scripta peruenero, quàm si in cæterorum, quòd non ingenium mihi solum suppeditatum fuerit tuum, sicut Thymoleonti à Timæo, aut ab Herodoto Themistocli: sed etiam autoritas clarissimi, & spectatissimi uiri, & in Reipubli. maximis, grauissimis'que causis cogniti atque in primis probati: ut mihi non solum præconium, quod, cum in Sigæum uenisset, Alexander ab Homero Achilli tributum esse dixit, sed etiam graue testimonium impertitum clari hominis, magni'que uideatur. placet enim Hector ille mihi Næuianus, qui non tantum laudari se lætatur, sed addit etiam, à laudato uiro. quod si à te non impetro, hoc est, si qua te res impedierit (neque enim fas esse arbitror, quicquam me rogantem abs te non impetrare) cogar fortasse facere, quod nonnulli sæpe reprehendunt: scribam ipse de me, multorum tamen exemplo, & clarorum uirorum. sed, quod te non fugit, hæc sunt in hoc genere uitia: & uerecundius ipsi de sese scribant, necesse est, si quid est laudandum: & prætereant, si quid forte reprehendendum est. accedit etiam, ut minor sit fides, minor autoritas multi denique reprehendant & dicant uerecundiores esse præcones ludorum gymnicorum, qui cum cæteris coronas imposuerunt uictoribus, eorum'que nomina magna uoce pronunciarunt cum ipsi ante ludorum missionem corona donentur, alium præconem adhibeant, ne sua uoce ipsi se uictores esse prædicent hæc, nos uitare cupimus, & si recipis causam nostram, uitabimus: id'que ut facias, rogamus. Ac ne forte mirere, cur, cum mihi sæpe ostenderis te accuratissime nostrorum temporum consilia, atque euentus literis, mandaturum, à te id nunc tantopere, & tam multis uerbis petamus: illa nos cupiditas, incendit, de qua initio scripsi, festinationis, quòd alacres animo, sumus. ut & cæteri uiuentibus nobis ex libris tuis nos cognoscant, & nosmetipsi uiui gloriosa nostra perfruamur. his de rebus quid, acturus sis, si tibi non est molestum, rescribas mihi uelim. si enim suscipis causam, conficiam commentarios rerum omnium. si autem differs me in tempus aliud, coram tecum loquar. tu interea non cessabis, & ea, quæ habes instituta, perpolies, nos'que diliges. Vale.

*a.l. allici

*a.l. sententia.

*a.l. legendo retinere,

*a.l. probandus.

ASCENSIVS.

Coram &c. L. Lucceius uir dicendi peritissimus Italici ciuilisque belli historiam scribebat, in qua se facturum mentionem gestorum a Cice. significauerat, uerum cum Cice. audidissimus esset gloriæ, uideretque Lucceium rem differre, stimulat eum, monetque, qua & quæ forma de se scribi uelit quæ si Lucceius recusauerit, ipse de se scripturus sit magnorum uirorum exemplo. Ordo est. Pudor quidam, pene: idest quasi, subrusticus, idest aliquantum rusticus & agrestis. rustici autem uerentur sæpe, ubi uereri non debeant, eo quod nesciunt quando bene faciant, deterruit me conantem sæpe hæc eadem agere: id est tractare tecum coram: idest in præsentia, quæ ego absens exponam: idest declarabo nunc audacius. Etenim, idest quia epistola non erubescit, & ita longe audemus plura scripto, quam uerbo petere. Ego ardeo: idest uror cupiditate incredibili, neque reprehendenda,

hendenda, ut ego arbitror, quia de re honesta, uidelicet ut nomen
nostrum illustretur: idest nobilitetur, & clarius fiat. Et celebre-
tur: idest celebre fiat scriptis tuis. quod, idest quam rem, etsi: idest
quanquam, ostendis mihi sæpe te esse facturum, tamen uelim, sup-
ple ut ignoscas huic festinationi meæ. enim: idest quia, genus scri-
ptorum tuorum, etsi idest quanquam erat semper spectatum, idest
optatum a me uehementer, tamen uicit: idest superauit, opinionem
meam idest elegantius & melius est quam opinabar, & uel cepit:
idest affecit quasi captiuum, uel incendit: idest inflammauit, me ita,
ut caperem rumores nostros: idest sermones, incertorum autorum,
qui habentur de rebus a me gestis, commendari: idest laudari, aut
committi, monumentis tuis: idest testimoniis scriptorum tuorum,
quæ legentem moneant rerum a me gestarum, quam pro per quam
celeriter. rarum genus locutionis, præsertim apud Cicer. in quo
quam pro ualde ponatur cum positiuo nam secundum Vallam
dicendum esset quam celerrime, nisi fortassis dicas, quam: idest o
quantum celeriter, sicut in Andria Terent. Reiecit se in eum flens
quam familiariter, idest o quantum familiariter ut exponit Valla,
cum possit dici quam pro per quam positum, ut hoc loco. Nõ enim
solum commemoratio posteritatis, idest eorum qui post nostrã æta-
tem futuri sunt, rapit me ad quandam spem immortalitatis: scilicet
famæ & nominis, sed etiam illa cupiditas, ut uiui perfruamur au-
toritate testimonii tui uel iudicio beneuolentiæ: scilicet tuæ, in me,
uel suauitate ingenii: scilicet tui, in contexendis historiis, uiui in-
quam, idest tantisper dum uiuamus. Nam non dubitat quin cessante
inuidia, ut, post obitum uirorum fieri solet, uirtus defuncto in ho-
nore sit. Neque tamen cum scribebam hæc, idest has literas, eram ne
scius; scilicet non ignorabam quantis oneribus rerum susceptarum
scilicet a te, ut eas perscribas, & in debitam formam historiæ dige-
ras, & institutarum, idest inceptarũ iam, unde instituere est quasi a
primordiis rerum erudire quenquam, & inde institutum dicitur
quasi propositum & inceptum instituta uero mores a principio ali
cuius ciuitatis instituti. Institutiones autem sunt formæ & rationes
instituendi ac præceptiones, ut Valla obseruauit: tu præmerere:
idest quasi obruere, hoc est quantæ molis sit rem talem perficere.
Sed quia uidebam historiam belli italici: idest socialis, quod cum
Italis a Romanis gestum est, & ciuilis, quod inter ciues Romanos
gestum est, de quo Appianus scripsit, esse iam pene: idest quasi per-
fectam a te dixeras autem mihi te uelle ordiri: idest ex ordine aggre
di, aut incipere reliquas res, nolui deesse mihi: idest honori meo.
quin admonerem te ut cogitares, ne: idest an malles: idest magis uel
les, contexere: idest sub uno filo & ductu orationis per modum
rhapsodiæ conscribere, nostra. idest res a nobis gestas cum cæteris
rebus, an ut multi Græci fecerunt utpote Callisthenes, supple fecit
seorsum bellum Troicum, Timæus supple bellum Pyrrhi Epirota-
rum regis cum Tarentinis contra Romanos bellum gerentis Poly-
bius Numantinum supple bellum, qui omnes separauerunt ea quæ
dixi bella, a perpetuis idest continuatis historiis suis, hoc est ea bel
la seorsum scripserunt, & in Rhapsodia aliorum non posuerunt, ut
nostris temporibus Ant. Sabellicus præter Rhapsodiam ab ordine
mundi, scripsit seorsum res Venetorum. tu quoque idest etiam, tu itẽ
idest similiter, seiungeres idest segregares, coniurationem ciuilem,
scilicet Catilinæ, & sociorum ab hostilibus, & a bellis externis. equi
dem scilicet ego quidem uideo interesse idest referre non multum
ad laudem nostram idest quantum sit ad laudem nostram, sed quid
dam idest quædam certa res, interest ad properationem meam, non
expectare, donec scilicet scribendo cætera, uenias ad locum, ubi ci-
uilia bella essent scribenda, & arripere statim causam illam totã: sci
licet suscepti ac oppressi belli ciuilis, & tempus idest quibus consili
bus oppressum sit. Et simul idest præter properationem meam, cui
sic facilius satisfiat, ego cerno iam animo: Cernere enim proprie ad
exteriora pertinet, unde adiecit animo, quanto omnia futura sint
uberiora atque ornatiora, si mens tua uersabitur tota in uno argumẽ
to: idest in una materia, & in una persona, significat personam suam
quasi uero collega nihil egerit. Neque tamen ignoro quam: idest
quantum, impudenter faciam qui primum imponam tibi tantum
oneris: occupatio enim tua potest mihi denegare: scilicet quod pe-
to, deinde qui postulem etiam ut ornes me: idest honorifice de me
scribas. Quid supple dicendum sit, si illa: scilicet quæ peto, non ui-
deantur tibi ornanda, idest laudibus decoranda, tantopere scilicet
ut ego postulem quasi dicat obmutescendum sit, sed tamen oportet
eum qui transiert semel fines uerecundiæ, idest qui semel inuerecũ
de egerit, aut petierit, esse impudentem bene: idest multum, & naui
ter: idest strenue aliquo rubore suffunderetur. Itaque quasi dicat
quia semel uerecundiæ fines transiui, ego rogo te plane: idest ma-
nifeste etiam, atque etiam, ut & idest simul ornes ea: scilicet quæ a
me gesta sunt, uehementius quam sentis fortasse, scilicet ornanda
esse, & negligas in eo leges historiæ quarum prima est, omnia uere
& nihil ad gratiam alicuius dicere, & ne aspernere: idest ne con-
temnas gratiam illam, de qua scripsisti suauissime in quodam pro-
œmio: scilicet quod multos subuertat, & a uero deflectat, a qua de-
monstras te non potuisse affici: idest moueri a uero magis quam Her
culem illum scilicet nobilissimum, Xenophontium, idest de quo
scribit Xenophon. Quomodo scilicet ut narrat in. I. Offi. Hercu-
les in desertum adductus, uidit duas uias, alteram uoluptatis, quæ
amœnissima erat, sed mortem habebat in exitu: alteram uirtutis,
quæ aspera & ardua in principio immortalitatem promittebat in
exitu, grauibus uerbis uoluptatem increpitans uirtutem est comple
xus: potuisset: scilicet affici a uoluptate, qui nullo modo affici po-
tuit, si ea, scilicet gratia commendabit me uehementius scilicet quã
deceat, & largiare: idest indulgeas, amori nostro plusculum: idest
aliquanto plus etiam quam ueritas concedit. Quod si adducemus
te, idest persuadebimus tibi, ut suscipias hoc scilicet bellum Catili-
narium perscribendum, erit ut persuadeo mihi materies digna fa-
cultate: idest facili potestate, & copia idest abundantia tua scilicet
in scribendo: enim, idest quia quoddam corpus modicum, idest
quoddam uolumen aut quiddam tractatus per se: uidetur mihi
posse confici, idest compleri a principio coniurationis, usq; ad re-
ditum nostrum: scilicet ab exilio, in quo scilicet corpore poteris
uti & idest etiam, illa sententia ciuilium coniurationum: idest quæ
lata est in coniurationes ciuiles. sunt qui legant scientia: idest
cognitione, uel in explicandis causis rerum nouarum: idest eu-
rum innouatæ sint a coniuratis: scilicet ob æs alienum, uel in re-
mediis incommodorum, quæ: scilicet secuta fuissent, repete ex-
plicandis, cum &: idest simul, reprehendes ea, quæ duces: idest
existimabis uituperanda, & supple. dum comprobabis, explican-
dis rationibus, idest explicando rationes, supple eorum, quæ place-
bunt. Et si putabis agendum liberius, ut consueuisti supple agere in
descriptione rerum, tu notabis perfidiam, insidias, proditionẽ mul-
torum in nos. Casus etiam nostri, idest uaria euenta, aut ærumnæ
suppeditabunt, idest subministrabunt tibi in scribendo uarietatem
plenam cuiusdam uoluptatis: quæ: scilicet uoluptas Posset retinere
uehementer animos hominum in legendo scripto, idest in eo quod
scriptum est. Nihil enim est aptius ad delectationem lectoris, quam
uarietates temporum, & uicissitudines fortunæ quæ scilicet uicissi
tudines, & si idest quanquam, non fuerunt optabiles nobis experiẽ
do, idest dum eas experiremur: erunt tamen iucundæ in legendo. id
est dum a nobis leguntur. Enim, idest quia, recordatio secura, idest si
ne timore & cura, doloris præteriti habet delectationem. Vero pro
sed etiam ipsa misericordia est iucunda cæteris: nulla, idest nonnul
la, non perfunctis ulla propria molestia, intuentibus, idest dum ui-
dent casus alienos sine ullo dolore. Quem enim &c. Probat iucun-
dam esse lectionẽ alienæ cladis, qua misericordia prosequamur exẽ-
plo Epaminundæ Thebani imperatoris fortissimi & philosophi acu
tissimi, qui contra Lacedæmonios uiriliter pugnans letale uulnus
accepit: relatusq; in castra quæsiuit, num scutum admisisset hostis:
quod ut saluum audiuit, osculatus est ipsum tanquam socium labo
ris deinde sciscitando audiens suos uicisse, lubens expirauit. Ordo
est. Enim, idest quia, Epaminundas ille scilicet nobilissimus impera
tor Thebanorum moriens apud Mantiniam, ut Strabo scribit Man
tineam. Est autem locus ubi prælium cum Lacedæmoniis commisit
quem nostrum non delectat cum quadam miseratione? quasi dicat
nullum non, & ita unumquemque delectat. Qui iubet scilicet ut
narratur in historiis, quæ rem quasi præsentem oculis legentium ex
hibent, unde præsenti utitur tempore: tum denique, idest tunc pri-
mum spiculum, idest telum acutum. auelli scilicet a corpore suo, po
stea quam dictum est ei percontanti, idest disquirenti, num clypeus
ablatus sit clypeum esse saluum: ita supple aueili spiculum ut etiam
moreretur in dolore uulneris æquo animo, cum laude Cuius studiũ
non tenetur erectum, idest uigilans & attentum in legendo, idest
dum legit historiam Themistoclis ducis Atheniensium fortissimi,
cuius adolescentiæ prima gloria & futuræ imperatoriæ uirtutis pri
ma indoles apparuit eo prælio, quo duce Miltia de Persæ sub Da-
rio rege uicti fusiq; sunt. Deinde dux belli aduersus Xerxem factus
non solum patriam, sed uniuersam Græciam a Barbarorum seruitu
te liberauit ut scribit Iustinus lib. I I. Is postea per inuidiam a suis
ciuibus in exilium actus, deinde cum magna omnium letitia reuo-
catus est Cuius inquam studium non tenetur erectum in legendo,
fuga, idest per fugam, & reditu idest per reditum honorificum The
mistoclis? quasi dicat nullius non retinetur, & ita uniuscuiusque re
tinetur & est aptum exemplum pro fuga redituque Ciceronis. Et-
enim ordo ipse: scilicet series, annalium, idest librorum, quibus
singulorum annos magistratus & gesta per seriem scribuntur. Hoc
enim exigit ordo historiæ, ut primum gesta prima scribantur, Poe-
teos sæpe contra. unde Flaccus, Ordinis hæc uirtus est & Venus,
aut ego fallor: Vt iam nunc dicat, iam nunc debentia dici, Pleraq;
differat, & præsens in tempus omittat: idest ut aliqua quo ordine
gesta sunt dicat poeta, aliqua longe postea: idest inuento loco breui
ter narrandi. retinet nos in legendo mediocriter quasi enumeratio-
ne fastorum librorum, in quibus totius anni per ordinem festa cum
causis eorum scribuntur. Talia enim pro cuiusque affectione & ut
dicunt deuotione libenter leguntur: At casus ancipites: idest du-
bii & uarii uiri excellentis habent sæpe admirationem, læti-
tiam, molestiam, quia affecti illis dolemus aduersis legen-
dis, spem timorem. Vero, idest sed si supple tales casus conclu-
duntur exitu notabili: idest insigni, ut de suo exitu prætendit Ci-

ce. sed finalem exitum non uidebat hæc scribens, animus explettur uoluptate lectionis iucundissimæ. Quod acciderit mihi: idest in historia mea optatus, si fueris io hac sententia, si secernas, idest separes a scriptis tuis continentib. idest continuatis, & perpetoo filo currentibus, in quibus complectens perpetuam, idest non interruptam historiam rerum gestarum, hanc quasi fabulam, idest ut fabulosam narrationem, quæ a poetis solet interseri ad uoluptatem legentium, rerum & euentorum, idest eorum quæ euenerunt nobis. Vt Valla notat in singulari dicitur hic euentus, tuis tui. in plorali hæc euenta, torum. sed etiam euentus legimus, & euenta sunt sæpe quæ euenerunt, euentus est modus eoemendi. Enim, idest quia supple hæc historia nostra, habet uarios actus. sicut in comoediis quoque solent esse actus, qui tunc finiuntur dum proscenium derelinquitur uacuum & multas actiones, scilicet in foro habitas, consiliorum & temporū, idest pro uarietate temporum, & quia uarios actus habet, bene quasi fabulam dixit. Ac non uereor ne uidear aucupari, idest captare, quo modo aucupes captant & inescaot aues, suaui aliquo bono proposito, quadam assentariuncula: idest leui assentatione, gratiam tuam, cum demonstrem hoc, uidelicet me uelle ornari & celebrari potissimum a te. Neque tu es is idest talis, qui: idest ut, sis nescius, & qui non arbitrare magis inuidos eos, qui non admirentur te, quam assentatores eos, qui laudent te. Neque autem Valla diceret. neque uero ego sum ita demens, ut uelim me commendari sempiternæ gloriæ, per eum, qui non consequatur quoque, idest etiam propriam gloriam ingenii in me commendando, idest laudando, aut commeodando gloriæ sempiternæ. Neque enim Aleaander ille: scilicet nobilissimus Macedonum Rex nolebat pingi: scilicet coloribus in tabella aut peplo seu muro, potissimum, idest præcipue, immo secundum quosdam solum ab Apelle nobilissimo & artificiosissimo pictore, causa gratiæ, idest beneuolentiæ, qua prosequebatur Apellem: & fingi, idest sculpi aut fundi seu conflari & ad uiuum in imagine exprimi, a Lysippo optimo plaste & statuario, repete causa gratiæ. sed quod putabat artem illorum fore gloriæ, idest ad gloriam, cum scilicet ita fuerit quod ipsis tum etiam sibi: unde Flaccus in epistolis. Edictum fecis nequis se præter Apellem Pigeret, aut alius Lysippo duceret ære. Atque illi artifices faciebant simulachra, idest effigies corporis nota, ignotis, idest externis & ignorantibus, quæ scilicet simulachra si uel, idest etiam, nulla sint: tamen clari uiri nihilo, idest in nullo sunt obscuriores. Nec enim Agesilaus ille, idest notissimus Spartiates, id est Lacedæmoniorum Rex, Spartæ genitus. nam Lacedæmon & Sparta seu Sparte una est ciuitas. Perhibendus, idest commemorandus est minus, qui neque passus est imaginem suam esse pictam neque fictam, quam supple ii, qui laborarunt multū in eo genere, idest qui se fingi, & piogi anxie curauerunt. Enim, idest quia, unus libellus Xenophontis superauit in eo rege laudando facile omnes imagines & statuas hominum, quod poematis tribuit Horatius dicens. Neque enim per ahenea signa: Quam per uatis opus mores, animique uirorum Clarorum apparent. Atque hoc fuerit mihi præstantius, idest efficacius, & ad lætitiam animi, & ad dignitatem memoriæ, si peruenero in tua scripta, idest si a te scriptus fuero, quam si supple peruenero in cæterorum supple scripta, quod non solum ingenium tuum fueris suppeditatum, idest administratum & impensum mihi, sicut ingenium suppeditatum est Thymoleonti a Timæo, qui Thymoleontem Corinthium uirum longe clarissimum, ut qui patriam tyrannide & Siciliam seruitute liberauerit, descripsit. Aut Themistocli ab Herodoto, qui Themistoclem descripsit. uult dicere, quod nō solum historia sua clarior & nobilior erit, quod a tali ingenio perscripta sit, ut historiæ Themistoclis & Thymoleontis clariores sunt propter ingenia describentium, sed etiam autoritas uiri clarissimi & spectatissimi & cogniti in republica, causis maximis & grauissimis, atque in primis probati, supple erit mihi suppeditata us non solom præconium: idest buccinano, quod: idest quale, Alexander: scilicet Magnus, cū uenisset in Sigæum: idest Sigæi maris promontorium, ubi erat sepulchrum Achillis dixit esse tributum Achilli ab Homero, dixit enim O felix Achilles, cui magni Homeri diuino ingenio, & ore cani contigit. Sed etiam graue testimonium clari & magni hominis, uideatur impertitum: idest impensum mihi. quod pulchrum esse docet dicens. Placet enim mihi Hector illæ Næuianus, idest qui a Næuio in fabula inducitur, qui non tantum lætatur se laudari, sed addit etiam, a laudato uiro. Valla tamen in epistola nuncupatoria elegantiarum dicit: ut ille apud Accium inquit. Gaudeo abs te laudari pater laudato uiro. unde oportet aut idem ab Accio dictum esse, aut memoriam Vallæ lapsam, cum Accium pro Næuio citet. Quod scilicet abs te laudari, si non impetro, hoc est siqua: idest aliqua res impedierit te: neque enim arbitror fas esse me rogantem non impetrare quicquam abs te idest a te: cogar fortasse facere id, quod nonnulli reprehendunt sæpe, hoc est ipse scribam de me, tamen supple id faciam exemplo multorum & clarorū uirorum. Sed, quod te non fugit, idest quod bene scis, hæc uitia sunt in eo genere: scilicet de se scribentium, quod scilicet necesse est supple ut ipsi scribant uerecundius de se siquid est laudandum, & prætereant siquid est reprehendendum. Accedit etiam ut minor sit fides, & supple minor autoritas, & supple denique, ut multi reprehendant & dicant præcones, idest commendatores tubicines publicos ludorom gymnicorum: idest palæstritarum, qui nudi sese exercent, esse uerecundiores scilicet quam rerum suarum descriptores, qui scilicet præcones gymnici eum, idest postquam, imposuerunt cæteris uictoribus coronas, & pronunciauerunt nomina eorum magna uoce, cum ipsi scilicet præcones donentur, scilicet si bene functi fuerint officio, corona, ante missionem, idest dimissionem & consummationem ludorum, adhibeaot alium præconem, ne ipsi prædicent sua uoce, se esse uictores, scilicet suo officio præconum. Nos cupimus uitare hæc scilicet uitia seipsos describendo, & uitabimus si recipis causam nostram, idest aggrederis onus describendi res nostras & rogamus ut facias id. Ac ne mirere forte, cur petamus a te id nūc tantopere & tam multis uerbis, cum ostenderis mihi sæpe te mandaturum literis, idest descripturum accuratissime consilia temporum nostrorum, atque euētus idest exitus fortuitos (unde patet apud Ciceronem quoque euentus dici) Responsio. Illa cupiditas incendit nos, de qua scripsi initio scilicet epistolæ, uidelicet festinationis, quia sumus alacres, idest arrecti & læti animo, & ut, idest simul, cæteri cognoscaot oos ex libris tuis, nobis uiuentibus, idest dum adhuc uiuimus, & nosmetipsi uidi idest adhuc uiuentes perfruamur gloria nostra, idest fructum ultimum & uoluptatē capiamus ex gloria nostra. Velim supple ut rescribas mihi quid acturus sis de his rebus, si non est molestum tibi scilicet rescribere. Si enim suscipis causam, id est negocium hoc perscribendum, ego conficiam commentarios, id est breuiaria & summaria, omnium rerum scilicet a me gestarū. Sin autem, idest sed si, differs me, idest uoluntatem meam aut res meas in aliud tempus, ego loquar tecum coram, idest facie ad faciē, quod nunc se dixit erubuisse, tu non cessabis, idest non eris ociosus interea, & perpolies, idest ad summam politionem perduces, ea quæ habes instituta, idest incepta, & diliges nos.

VICTORIVS.

A Qua te affici nō magis potuisse demonstras} Quidam pro {Affici, allici} legunt, quæ uarietates oriuntur ex ambigua, & corrupta antiqua lectione, in melioribus enim codicibus {Affectus} scriptum est: quam uocem nos etiam diligenter considerauimus, censuimusque rectius legi posse. {Flecti} non omnino nimis longe a priscorum exemplariorum uestigiis, & fortasse sententia nō inepta. Existimamus enim ut ferme colligitur ex uerbis Cice. Lu. de gratia in quodam procemio suarum historiarum scripsisse, ut se diceret libere, & uere historiam explicaturum: nec unquam potuisse tantum alicuius in se gratiam, ut a ueritate, & fide rerum gestarum discederet. quamuis. n. sæpe gratia hortata esset, ut amicorū rationē haberet in rebus exponēdis, ad seque uocasset, se ut dixerit nō magis potuisse flecti, & de uia recta deduci, q̄ Hercules a uoluptatis illecebris sibi ostensis, & propositis, flecti & arripi potuerit. Si cui nostra lectio minus placebit, ipse meliorem excogitet, ideo antiquæ lectionis omnibus copiam fecimus. ut quiuis iudicet, si nos coniectura fefellerit, & si queat, ipse meliorem inde eliciat. {Themistoclis fuga} Vetera exemplaria. {Themistocli} ratione ueteris declinationis, qua dandi casum in huiuscemodi nominibus pro generandi ponebant, ut Vlyssi pro Vlyssis, Achilli pro Achillis: sic etiam in nostro probatiore codice epist. ad Atticum, lib. XIII. Non uides ipsum illum Ari. discipulum, pro Ari. Item ad Att. lib. IX. Et L. consilia, ac Theopham persequamur. Ex eodem lib. etiam in uulgatis. Ariarathes Ariobarzani filius pro Ariobarzanis. Haec rem prisci, & recentiores grammatici adnotarunt, plurimis ex Virgilio, & ex oratoribus etiam, & historicis exemplis adductis.

Ex post. eiusdem,

M. C. S. D. L. Luceio. Q. F.} quod in Mediceo codice constāter seruatum animaduertimus, id ipsi quoque custodiuimus. {Lucceius} scilicet esse illius nomen non Luceius. Quod quamuis parui momenti esse uideatur, non multi quoque laboris est retinere, postquam antiquis monimentis fidem habere uolumus, præterquam quod semper hic per duo. {CC} scribitur, uidimus etiam Romæ in antiquo lapide hoc nomen ita scriptum esse.

D. M.
LVCCEIAE
SECVNDINAE
TI. CL. AV.
PRISCVS VITRICVS
VIX. AN. II. MEN. V.

SED alium etiam Aretii esse scimus in quo idem nomen eodē pacto scriptum sit. {Vnus enim Xenophontis libellus, in eo rege laudando} De Agesilao sermo est, & intelligit laudationem ipsius a Xenophonte confectam & appellatam Agesilaum, quæ ad nostra etiam tempora peruenit. Neque tamen ea est, ut quidam crediderunt, quæ inter uitas Plutarchi legitur, & mores, resque ab eo gestas continet, liber enim ille a Plutarcho scriptus est qui & ipse Agesilai uitam quemadmodum multorum clarissimorum uirorum edidit: sed una cum aliis Xenophontis commentariis legitur. Veneti tamen Plutarchi codices illam ut non ueram Plutarchi uita illi adposita habent, qui error ab eo ortus est, qui epistolam confecit, qua diuinum illud Plutarchi opus commendauit, in hac enim re falsus est multa quæ in ea uita leguntur, manifesto argumēt, illā Chæronei esse, & longe aliam ab ea, quam monimentis literarum

Xenophon

Xenophon prodidit{Verecundiores esse præcones,ludorum gymnicorum}Elegantissima sententia,qua etiam usus est doctissimus uir Plutarchus in commentario,quo docet quomodo quis possit suipsius laudes citra inuidiam prædicare:nec tamen a Cic. minus eleganter aut copiose exposita est Græci autoris uerba hæc sunt, quæ cum Latinis conferre inutile non erit,ἀλλ' ἄπου τοὺς γεγραμμένους ἐν τοῖς ἀγῶσιν ἔτι μοι σκώπτεις ἀναγορευομένους, τὸν αὐτὸν ἐπ τοῖς πρώτον περὶ σοφῶν ἀναγορεύοντας.

PAVL. MANV. IGnotis nota faciebant}Ignotis pro iis,qui non nouerant,actiue posuit,ut etiam Liuius lib. I I I notos gratia eorum,turbam in dignitas rei uirgini conciliant.& Curtius. L X I I I I. ignoti iumenta agebant.Plaut.autem in Pseudulo.C X C I I I I. Noui notis prædicas.notis,dixit,idest iis qui nouerant.itemq; Cicero in oratione pro M Cælio X X X V I I I.

SEBAS CORR. Lucceio}De hac epistola sic ad Atticum scribit:Epistolam, Lucceio quam misi,qua res meas ut scribat rogo,fac ut ab eo sumas:ualde bella est eumq;,ut approperet , adhorteris , & quod mihi se ita facturum rescripsit,agas gratias. {Leges historiæ} quæ sunt,ne quid falsi dicere audeat:deinde ne quid ueri non audeat:nequa suspicio gratiæ sit in scribendo,nequa simultatis. {Affici}Allici,nonnulli legunt.alii,Flecti.{Herculem Xenophontium} dicente tamen Prodico,ut scribit Cicero lib.I.de officiis . {Reditũ nostrum}ab exilio. {Ciuilium commutationum scientia} cum scias quare ciuiles commutationes fiant,ea scientia uti poteris , & ita ad rem accedere:quod postea fecit Sallustius . {Epaminundas } Lege Probum in uita {Rediturq;}quamuis non redierit Themistocles , ut scribit Plutarch.in uita:tamen qui legunt de fuga , ita retinentur, quasi is rediturus sit.Sunt tamen,qui hoc loco legant,Exituq; {Tributum esse dicit}hoc modo,o fortuna adolescens,qui tuæ uirtutis Homerum præconem inueneris.

BERN. RVTI. REs nostras monumentis commendari tuis}Rumores, quod habet interpres,non recipio.{In quo & illa poteris uti ciuilium commutationum scientia}Siue ita legas,siue, ut alii habent codices,ciuilium coniurationum sententia , quod & magis mihi quidem arridet.ita accipi oportet,ut legem quasi quandam dicat scribendarum coniurationum:ut scilicet subiicit , non ut garrit interpres.{Vel in explicandis causis rerum nostrarum}Alii melius nouarum.

Ex post. eiusdem. COram me tecum eadem hæc agere sæpe conantem deterruit pudor quidam pene subrusticus}De epistola hac ad Atticum.Epistolam,Lucceio quam misi, qua res meas ut scribat rogo,fac ut ab eo sumas.ualde bella est, eiq;, ut approperet,adhorteris:& quod mihi se ita facturum rescripsit,agas gratias.

PHILI. MELA. EXordium habet breuem excusationem impudentiæ, & quasi quandam culpæ confessionem. Deinde sequitur breuis narratio cum petitione,cui aspergit quædam argumenta. Deinde auget petitionem adhibita circumstantia Petit enim ut hanc historiam a reliquis separet,item ut splendidius ornet. De ornanda itẽ rum addit excusationem impudentiæ,uidelicet confessionem culpæ.Sequitur argumentum primum ab ipsa natura, quod sit futura iucunda propter uarietatem.& inseritur locus communis, quod delectent in historia mirabiles casus:idq; confirmat recitatis exemplis de Epaminunda & Themistocle.Secundum argumentum , a. præstantia artificis.id auget exemplo Alexandri,qui tantum a præstantissimis artificibus imagines suas fieri uoluit. Addit Amplificationem ex collatione:Et tamen magis sunt optandæ historiæ bene scriptæ,quam imagines.id probat Agesilai exemplo. Tertium argumentum,ab autoritate Lucceii,non solum artificis boni,sed etiam testis autoritate præstantis Addit exemplũ Hectoris Næuiani. Quartum argumentum,ab incommodis,si ipse scribat Conclusio repetit argumentum,quare hanc rem maturare uelit.{Coram me}Exordiũ a causa scribendi. {Ardeo cupid.}Narratio ac petitio . {Quod etsi mihi}amplificat causa cur ab ipso celebrari uelit . Secundo , quomodo uelit scribi,scilicet ut peculiare opus fiat;& seiunctũm telis quis.{Italici belli}idest Socialis belli {Ciuilis}scilicet quod excitauit Brutus,& deinde Sylla. {Nequa tamen ignoto}Occupatio,de illius excusationibus.{Itaque te}Alia circumstantia, quomodo uelit scribi,sed cum amplificationibus & laudib. {Multa etiam casus} Ratio,quia amplificationes uariorum casuum delectant . {Ac non uereor}Confirmatio petitionis ex Lucei utilitate. Quasi dicat: Tibi quoque honorificum est.Ergo addit exempla : Honorificentius est celebrari a Lucceio,quam ornari statuis.{Nec minus enim} Amplificatio.{Placet enim Hector}aliud exemplum,quo ostendit honorificum esse,ornari a Lucceio.{Cogar fortasse}Secundum argumentum,a suo incommodo uitando : Si tu non scripseris , me oportebit scribere , quod est incommodum . {Hæc nos uitare} Conclusio.

ARGVMENTVM.

Bellis ciuilibus, & Cæsaris tyrannide Republica afflicta, cum Cicero mæstissimus se in agrum,nec ruina uideret, abstulisset i scripsit ad eum Lucceius consolatorias literas,quibus nunc Cicero respondens,ait,se magnum fructum ex illis cepisse,& uelle acquiescere,& se ad literarum studia transferre,sicut Lucceius monuerat.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Quid fructus ex consolatione Lucceii acceperit,exponit.

M. CICERO S. D. LVCEIO Q. F. 14

*QVanquam ipsa consolatio literarũ tuarum mihi gratissima est , declarat enim summam beneuolentiam coniunctam pari prudentia : tamen illum fructum ex iis literis uel maximum cepi , quod te præclare res humanas contemnentem , & optime contra fortunam paratum , armatumq; cognoui . quam quidem laudem sapientiæ statuo esse maximam , NON aliunde pendere, nec extrinsecus aut bene,aut male uiuendi suspensas habere rationes:quæ cogitatio cum mihi non omnino excidisset(etenim penitus insederat)ui tamen tempestatum , & concussu calamitatum erat aliquantum labefactata,atque conuulsa:cui te opitulari & uideo; & id fecisse etiam proximis literis,multumq; profecisse sentio.itaque hoc sæpius dicendum,tibiq; non significandum solum sed etiam declarandum arbitror,nihil mihi esse potuisse tuis literis gratius ad consolandum autem cum illa ualent, quæ eleganter , copioseq; collegisti:tum nihil plus,quam quod firmitudinem , grauitatemq; animi tui perspexi:quam non imitari,turpissimum existimo. itaq; hoc etiam fortiorem me puto,quam te ipsum præceptorem fortitudinis,quod tu mihi uidere spem nonnullam habere , hæc aliquando futura meliora:casus enim gladiatorii,similitudinesq; eæ,tum rationes in ea disputatione à te collectæ,uetabant me Reipublic. penitus diffidere.itaque alterum minus mirum,fortiorem te esse cum aliquid speres:alterum mirum,spe ulla teneri. quid est enim non ita affectum,ut id non deletum,extinctumq; omne esse fateare? circunspice omnia membra Reipublic. quæ notissima sunt tibi : nullum reperies profecto,quod non fractum debilitatumve sit. quæ persequerer,si aut melius ea uiderem,quæ tu uides, aut commemorare possem sine dolore. quanquam tuis monitis, præceptisq; omnis est abiiciendus dolor. ergo & domestica feremus,ut censes,& publica paulo etiam fortius fortasse,quam tu ipse. qui præcipis:te enim spes aliqua consolatur,ut scribis:nos autem erimus etiam in omni desperatione fortes,ut tu tamen idem & hortaris,& præcipis:das enim mihi iucundas recordationes conscientiæ nostræ : rerumq; earum,quas te in primis autore gessimus:præstitimus enim * patriæ non minus certe,quam debuimus,plus profecto,quam est ab animo cuiusquam,aut consilio hominis postulatum . ignosces mihi de me ipso aliquid prædicanti:quarum enim tu rerum cogitatione nos leuare ægritudine uoluisti,earum etiam commemoratione lenimur. itaque ut mones,quantum potero,me ab omnibus molestiis, & angoribus abducam:transferamq; animum ad ea,quibus secundæ res ornantur,aduersæ adiuuantur:tecumq; & ero tantum , quantum patietur utriusque ætas,& ualetudo: &,si esse unà minus poterimus,quam uolumus,animorum tamen coniunctione iisdem studiis ita fruemur,ut nunquam non unà esse uideamur. Vale.*

*a.l.rau. put.

ASCENSIVS. QVanquam &c. Bellis ciuilibus & Cæsaris tyrannide Rep.afflicta,cum Cice.mœstissimus se in agrum , ne ea illa uideret,abstulisset,scripsit ad eum Lucceius consolatorias literas,quibus nunc Cice respondens ait se magnũ fructum ex illis cepisse,& uelle acquiescere,& se ad literarum studia transferre,sicut Lucceius monuerat Ordo est. Quanquam ipsa consolatio literarum tuarum est gratissima mihi : declarat enim summam beneuolentiam coniunctam pari prudentia , ubi gratia præpositionis ablatiuus regitur,tamẽ ego cepi ea literis tuis illum fructum,uel,idest etiam maximum,quod cognoui te contemnentem præclare res humanas,& paratum atque armatum optime

contra fortunā.Q uam laudem sapientiæ quidē statuo maximam s. non pendere.i.non esse suspensam ad salutē habendam aliunde.s. quā a se,nec habere rationes uiuendi bene aut male suspensas extrinsecus,unde illud Persianō,Nec te quæsiueris extra. Quæ cogitatio cū non excidisset mihi omnino.i.cō adhuc in memoria aliquatenus esset,etenim i.quia certe,ista insederat.i.sedē occupauerat,penitus,i.per interiora.i.cordis,tamen erat labefactata,atq; conuulsa aliquantulū,ui.i.uiolentia,tēpestatum i.malorū tēporum & concursu.i.subita accumulatione calamitatum.Cui.s.cogitationi ego uideo te opitulari & sentio te fecisse etiā proximis literis,& profecisse multū.Itaq;.i.& ita ego arbitror,hoc.s.quod sequitur,dicendō sup. esse sæpius ubiq;,non solum significandum.i.signis iudicandū,sed etiam declarandū.i.manifeste exprimendū,nihil potuisse esse gratius mihi tuis literis.Autē.i.sed,cum.s.ita sit,q illa,quæ collegisti.i. citasti,& adduxisti,seu allegasti eleganter & copiose,ualent ad cōsolandum.s.me,& quēlibet alium,cū sup.uerius est,quod nihil plus sup.ualet,ad consolandum me,quam quod,perspexi firmitudinem & grauitatem animi tui,quam scilicet firmitudinem animi tui,non imitari,ego existimo supple esse turpissimam.Itaq; idest & ita,ego puto me fortiorem quam te ipsum præceptorem fortitudinis,hoc.i. in hoc,aut propter hoc,quod tu uidere idest uideris mihi habere non nullam,idest aliquam spem,hæc futura,idest ut sint futura,aliquando:idest aliquo tempore futuro,meliora,scilicet quam nunc sint.Enim idest quia casus gladiatorum:idest quod adduxisti mihi de casibus gladiatorum,quorum nunc hi,nunc illi superiores fiunt,& hæ similitudines,tum idest multo magis,rationes collectæ,idest collegatæ,ate in ea disputatione scilicet de mutatione statuum et Reip.uetabant me diffidere penitus Reip i.restitutioni eius.Itaque alterum.s.duorum,quæ dicet,est sup.minus mirum te fortiorem esse sup.tunc,cum aliquid speres.Altero sup.est magis mirum,uidelicet te teneri nulla spe dico te fortiorem tunc oū fortiorē me,quia prius contrarium dixit Cicero,uidelicet se fortiorē esse,quam Luceium præceptorem fortitudinis,eo q ille nihil,ipse aliquid speret.quocirca possit hic subaudiri me ut sit alterū minus mirū est uidelicet me fortiorem esse,cō.s.ita sit,q tu aliquid speras,ego nihil,& hanc expositionē credā esse de mente Ciceronis,ut infra dicā:Ratio tamen superioris dicti subobscura est.Non fortior est,qui aliquid audet sine spe,sed potius temerarius,sed intelligimus propterea Ciceronem censere se fortiorem sine spe,non quod aliquid tenet,aut moliatur,sed q decreuit infractum animum tenere,& in philosophiā eo attentius incumbere,quod a foro sine spe reuertendi exclusus sibi uideatur.Probat mirum esse Luceium aliquid adhuc sperare,dicens.Quid.n.est non ita affectum.i.concussum & saucium,ut non fateare id omne deletum & extinctum?quasi dicat nihil.Circunspice omnia membra Reipu.quæ notissima sunt tibi.i.omnes fauentes Reipu.& libertati communi ciuium,& profecto nullum,scilicet mēbrum inuenies,q non sit fractum,& debilitatū,Videtur non debito ordine id,quod alterum includit,præponere,nam dices,si fractum,ergo debilitatum,sed possumus fractum dici,quod est concussum & debilitatum,etiam si non sit ruptum:ut Aeneid.secundo.Fracti animo fatisq; repulsi Ductores Danaum.fractum ergo.i.concussum,& pro.i debilitatum.Quæ scilicet membra,aut,quæ detrimenta,Reipublic.ego prosequerer,si aut uiderem ea melius,quā tu uides ea,aut si possem commemorare ea sup.sine dolore,quanquā omnis dolor est abiiciendus tuis præceptis,& monitis.i secundum præcepta & monita tua.Ergo nos feremus.i.tolerabimus & patiemur,&.i.simul domestica.s.incommoda,ut censes.i.iudicas ea ferenda,&.i.simul feremus publica.s.incommoda.aut mala,fortasse etiā fortius q̄ tu ipse,qui præcipis.s ea ferenda.Enim.i.quia aliqua spes consolatur te,ut scribis nos erimus fortes etiam in omni desperatione,tamen sic erimus fortes,ut tu hortaris,& præcipis.Hoc patet exponēdum illud fortiorem te esse sic.me esse fortiorem te.i.quā tu sis &c. Tu.n.das mihi iucundas recordationes conscientiæ nostræ,& earū rerū,quas gessimus te autore in primis.i.præcipue.Nos.n.præstitimus patriæ.s.conseruandæ in libertate,certe.i.indubitate,non minus,quā debuimus,& sup.profecto plusquā est postulatum animo,aut consilio cuiusquā hominis.Tu o Lucei ignosces mihi prædicanti aliquid de me ipso.Enim.i.quia,nos lenimus.i.demulcemur & cōsolamur,cōmemoratione i.enarratione & recitatione earū rerū,quarū rerū cogitatione tu uoluisti leuare.i.liberare,aut deonerare nos ægritudine.s.animi,hoc est ideo dabis ueniā prædicanti de me aliquid,qa sicut monuisti,ut recordarer,a me præclare gesta pro Rep. ad leuandum ægritudinem animi,sic eorum prædicatio & commemoratio lenit dolorē,aut animum meū.Itaq;,ut mones abducā me quātum potero ab omnibus molestiis,& angoribus,& transferā .i.traducā animum.s.meū,ad ea,quibus secundæ.i.prosperæ res ornantur,& aduersæ sup.res adiuuantur non ut maiores fiant,sed ut tolerentur,aut minuantur,hoc est ad philosophiā moralē,& ero tecum quantum ætas utriusq;.s.nostrū,& ualetudo patietur,quia & senes,& ualetudinarii ambo esse cœperant.Dicitur autē ualetudo,quia secunda producitur quasi a ualendo,nā a ualidus fieret ualitudo:etsi.i quanquā poterimus minus esse una.i.simul,quā uolumus,tamen fruemur iisdē studiis coniunctione animorum ita,ut nunquā non:idest semper uideamur esse una.

PAVL. MANV.

Itaque hoc etiam}Atq; hoc etiā,legēdū putat Hieronymus Ferrarius,sensu omnino meliore tamen nihil immutandū duxi,cū libri omnes manu scripti cum impressis consentiant.

SEBAS. CORR.

Fortiorē te esse}me ipso,qui nihil sperē.{Ergo & domestica} fratris,& eius filii iniurias,uxoris diuortium,& filiæ mortem. {Animum ad ex}studia literarum.

PHIL. MELA.

Orditur a comprobatione officii,& eius sententiæ,quæ præcipue ualet in consolando,uidelicet præstandum esse,ne pēdeamus a fortuna,sed simus contenti uirtute,quicquid acciderit.Estq; sumpta ad uerbum ex Platone,in oratione funebri Est autem elegans figura,q ait hanc sententiam sibi pene excussam esse in tantis calamitatibus:sed se rursus eam magis amplecti,admonitum Lucei literis.Deinde sequitur propositio,uelut conclusio exordii,Literæ tuæ sunt mihi gratissimæ.Postea instituitur collatio consolationum.Primum ait prodesse sibi tum argumenta,tum exemplum Lucei.Deinde reprehendit argumentum de spe,ait se fortiorem esse quia nihil spei habeat.Tertium argumentum consolationis sumptum a conscientia rerum gestarum approbat.Ergo abducā me a luctu,& transferā ad studia.Quanquā ipsa}Exordium,quid in literis Lucei maxime probet:s q ipse uideatur se contra fortunam munire sapientia.{Itaq; hoc sæpius}Conclusio exordii.{Ad consolandum autē}Propositio.Valet tua consolatio.Sed addit correctionem de spe.Hæc cōsolatio sumpta a spe,inanis est.Quid est.n.} Ratio,quare nulla spes sit.{Ergo & domestica}Conclusio correctionis,{Das,n.mihi }Repetitio consolationum,quas collegerat Luceius,a conscientia rerum gestarum Ciceronis.Itaq; ut mones}Conclusio principalis,abducam animum a dolore.

ARGVMENTVM.

Hac epistola dicit Luceius se probare consilium Ciceronis,si eo animo in rus se abduxerit,ut legendo,& scribendo alios iuuet in re literaria:sin ut se lacrymis dedat,damnare,quod ita lugeat casum Reip.quasi non prauiderit futurum Praterea docet muliebre esse lugere,& in mœrore esse,cum res immutari nequeant.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Suaserat Ciceroni ut in prædiis se oblectaret,leuationemq; malorum ex studio literarum quæreret:quod cum non faceret Cic.sed in querelis & lamentationibus perpetuus esset,grauiter Luceius illum accusat,sed ita tamen,ut aliquid consolationis intermisceat.

L. LVCEIVS Q. F. S. D. M. TVLLIO CICERONI. M. F. 15

Si uales,bene est:ego ualeo,sicut soleo paululo tamen etiam deterius quam soleo.Te requisiui sæpius,ut uiderem.Romæ quia postea non fuisti quam à me discesseras,miratus sum,quod item nunc miror.non habeo certum.quæ te res hinc maxime retrahat,si solitudine delectare,cum scribas,& aliquid agas eorum,quorum consuesti;gaudeo neque reprehendo tuum consilium:nam nihil isto potest esse iucundius,non modo miseris his temporibus,& luctuosis,sed etiam tranquillis,& optatis,præsertim uel animo defatigato tuo,qui nunc requiem quærit ex magnis occupationibus,uel erudito,qui semper aliquid ex se probat,quod alios delectet,teipsum laudibus illustret.sin autem,sicut hic dum eras,& lacrymis,& tristitiæ te tradidisti:doleo,quia doles,& angere:nec possum te,si concedis,quod sentimus,ut liberius dicamus,nō accusare.quid enim?tu solus aperta non uidebis?qui propter acumen occultissima perspicis?tu non intelliges te querelis quotidianis nihil proficere?non intelliges duplicari solicitudines,quas eleuare tua te prudentia postulat?quod si non possumus aliquid proficere suadendo,gratia contendimus & rogando,siquid nostra causa uis,ut istis te molestiis laxes,& ad conuictum nostrum redeas & ad consuetudinem,uel nostram communem,uel tuam solius,propriam.cupio non obtundere te,si non delectare nostro studio.cupio deterrere,ne permaneas in incepto,cum duæ res istæ

contrariæ me conturbent. ex quibus, aut in altera mihi uelim, si potes obtemperes, aut in altera non offendas. Vale.

ASCENSIVS.

SI uales &c. Hac epistola dicit Luceius se approbare cõsilium Cice. si eo se animo tu rus abduxerit, ut legendo & scribendo alios in re literaria iuuet, sin ut se lacrymis dedat, dãnare, quod ita lugeat casum Reip. quasi non præuiderit futurũ. Præterea docet inutile esse, cũ res immutari nequeant. Ordo est. Si uales, bene est. Ego ualeo sicut soleo, & etiã paulo. i. modico deterius. i. minus bene, quã soleo. Ego requisiui sæpius, ut uiderẽ te. Ego miratus sum, quod item. i. similiter miror nũc, te non fuisse Romæ, postea quã discesseras a me. Non habeo certum. i. exploratũ, aut perspectum, quæ res. i. quæ occasio te trahat, te maxime. i. præcipue hinc. i. ab urbe. Si delectare. i. delectaris solitudine cum scribas & agas aliquid eorũ, quæ consueuisti. s. agere (plurimi tamen textus habent, quorũ consueuisti sup. aliquid agere, sed Hubertinus legit, quæ) gaudeo, neque reprehendo consiliũ tuum. Nam nihil potest esse iucundius isto. s. genere uitæ cũ literis, & musis nõ modo his tẽporibus miseris & luctuosis, sed etiã tranquillis & optatis, præsertim uel animo tuo lugere, & in mœrore esse fatigato, qui quærit nũc magnis occupationibus requiẽ, uel erudito, qui semper promat aliquid ea se, quod delectet alios, & sup. illustret teipsum laudibus. Sin autẽ. i. sed si tradidisti te, & lacrymis, & tristitiæ, sicut dum eras hic. i. Romæ, doleo. quia tu doles, & angere. i. angeris, hoc est afficeris angore animi. Si tu concedis. i. permittis, ut dicã liberius, quod sentimus. s. ego, & reliqui amici tui, alioqui numerũ mutaret. Sed dicunt, Grammatici licitum esse in prima persona de uno, modo singulari, modo plurali, modo utroque numero loqui ueruntamen aptior est sermo, dũ numerus obseruetur idẽ quocirca multi leguna dicamus, sed potest, ut dixi, de se dicere dicam, & de se, ac aliis sentimus, præsertim cũ scribatur etiã ab illis, qui dicamus legunt, possum nõ possumus: non possum non accusare te. i. quin accusem te. Quid. n. principium accusandi sumptum a particula indignatiua, tu solus non uidebas aperta. i. manifestaria & euidenter futura, qui perspicis occultissima. i. abditissima, propter acumen. s. oculorum tuorum mẽtalium, non. n. de exteriore loquitur perspectione. Et sup. tu tam prudens homo non intelliges. i. permittetur, quod non intelliges te nihil. i. in nullo proficere. i. commodum facere, aut remedium mali inuenire, querelis quotidianis? q. d. id non esse uero simile, Tu non intelliges solicitudines duplicari. i. geminari, quas tua prudentia postulas te eleuare. i. imminuere? tracta metaphora a bilance, in qua res minoris ponderis eleuatur, unde quia minoris quoque æstimatur, solet eleuare pro diminuere, de laude, ac precio alicuius usurpari. Quod si nos non possumus proficere suadendo. s. tibi, ut a lugendo desistas, nos contendimus. i. instamus gratia. s. qua apud te ualemus, & rogãdo, si uis sup. facere, quid. i. aliquid causa nostra, ut laxes tã istia molestus, & redeas ad conuictum nostrum. i. ad cõmunionem uitæ, seu ad conuersationẽ nostrã Et ad consuetudinem. i. consuetam rationẽ uiuendi, uel nostrã communẽ. i. qua simul uti solemus, uel sup. ad cõsuetudinem tuam solius. i. unius, ac propriam. i. peculiarẽ tibi. Notũ est, quia in significatione actiua possessiua genitiui, mei, tui, sui, nostri, & uestri, qui tantũ passiue significant construi non possunt, pro illis possessiua pronomina pont, cum quibus uel cõtinue, uel coniũctionis interuentu cætera, quæ recte in genitiuo regi possunt, construuntur, ut mea unius opera, tua solius cura &c. Ego cupio nõ obtundere. i. non hebetare ta. i. auditũ tuũ mentalem. i. te non onerare multis uerbis. Si tu nõ delectare. i. delectaris studio nostro. i. quo nos delectamur. Ego cupio deterrere te ne permaneas in incepto. i. proposito, lugendi procul ab urbe. Cũ istæ duæ res cõtrariæ. i. nolle obtundere, & uelle eũ deterrere ab incepto, conturbent me, ex quibus. s. duabus rebus, ego uelim sup. ut, aut obtemperes mihi si potes in altera. i. non manendo in proposito, aut non offendaris in altera, scilicet dum a nobis obtunderis.

VICTORIUS.

QVia postea non fuisti quã a me discesseras} sic omnes uulgati codices nulla mendi suspicione. Ipsi antiquã lectionẽ secuti sumus, quam & genuinam, & probam putamus, ut intelligat postquam Roma discesserat, Cæsar. s. quanquam nomen Cæsaris non ponit. Nihil autẽ mirum uideri debet: de magnis. n. & principibus uiris sic loquimur. Dicit igitur Luceius Ciceronem Roma exisse, cum Cæsar discessisset, nec postea rediisse, dũ Cæsar abesset. Possemus infinita exẽpla ex epistolis ad Atticum citare, quæ nunc prætermittemur. Speramus tamen, rem claram sine tot exẽplorũ conseruatione fore. In epistolis ad Varronem. Est igitur aduentus in expectatione. Sic. n. olim locũ illum solitum esse legi eo loco docebimus. Aliqui autem dũ rẽ clariorẽ facere student, consuetum dicendi modũ corrumpunt. cũ. n. hanc loquendi rationẽ non alibi in ueteribus autoribus adnotassent, & nostris, etiã tẽporibus cõmunem esse non cogitarent, locũ Ciceronis deprauarunt. In eandẽque culpã inciderunt eodẽ errore decepti, qui nuper has epistolas Venetiis ediderunt. cũ. n. ante in uulgatis omnibus libris recte hic locus legeretur in epistolis ad Pætũ, Cum essem otiosus in Tusculano, propterea quod discipulos obuiam miseram, ut ii, me quãmaxime conciliarent familiari suo (sermo. n. proculdubio est de Cæsare: nec tamen nominatur, sicque legitur in cunctis & antiquis, & ante hunc impressis codicibus) hi, hic etiam. {Cæsari} reposuerunt. Nos cunctis his locis antiquam, & meliorem lectionem conseruauimus.

Ea post. eiusdem.

QVam discesserat} Antiqua hic olim a nobis, & elegans lectio restituta est, quã tamen quibusdam non probauimus, spero tamen aliam doctis aliis, & ingeniosis uiris probatum iri. Libro. VIII. epistolarum ad Atticũ Cicero eodẽ pacto locutus est Cũ. n. Pompeiu peccata colligeret, & omnis de eo sermo esset, nomen ipsius nunquam posuit. Alueras Cæsarem, eundem. repente timere cœperant, conditionem pacis nullã probarat, &c. Possemus & alia exẽpla adferre, sed hoc, quod ualdeque accõmodatũ est, contenti erimus & alios etiã fore arbitramus. Postquã autẽ illius elegantissimæ epistolæ, & cũ magno ardore animi scriptæ, mentionẽ fecimus ostendemus in Græcis uerbis, quæ in ipsa inclusa sunt, nihil uitii continere, nec illa Aristophanis esse, quẽadmodũ nonnulli crediderunt, qui ualde in hac re falsi sunt. quãuis autẽ huius rei maturũ tẽpus nondũ sit, semper tempestiuum esse puto, studiosos literarum adiuuare. In optimo nostro epistolarũ exemplari ita leguntur, ut a nobis exscripta sunt, necnon in cõmentariis Suidæ: quid mihi nõ paruum argumentũ est, illa recte habere. Animaduerti postea ipsa a Clemente usurpari in VI Stromate: & eodẽ pacto ibi legi, ut in epistolis Ciceronis, & in commentariis Suidæ, nã uetustos etiã libros Suidæ inspexi, eosque nihil ab excusis dissentire cognoui: quare his tot, tamque incorruptis testibus de synceritate illius lectionis credendũ puto Qui ea nuper ad Aristophanis lectionẽ redigere uoluerunt, non animaduerterunt hanc præclaram sententiam ab alio poeta accepisse Aristophanẽ, & eam ad sensum suũ exponendũ accõmodasse, quẽadmodũ crebro facit, & ut nonnullos etiã Latinos poetas facere notũ est. Quicquid autem sensui suo nõ quadrat, lepidissimus comicus cõmutauit Sed in extremo, quod planum facit, ueterem eam sententiã fuisse, & non ab ipso tunc primum prolatum, nam quod uerus ipsius autor dixerat καὶ τὸ δίκαιον [illegible] (id autem percipitur ex cõmentariis Clementis, & Suidæ, qui plura eius sententiæ, uerba quam Cice. adducunt) Aristophanes ita confirmauit, [illegible]. Post sententiam illam suis uerbis expositam. Clemens eruditissimus scriptor hæc adiungit, quæ uim intellectumque illius nõ paruum aperiunt. [illegible]. Verba autẽ ipsa, quæ sunt elegantissima, cum ad eum locum deuenie/mus, accuratius declarabimus, & omnem uim illorum studiose illustrabimus.

PAVL. MANV.

QVAM a me discesseras} Vetustos codices, quibus ego nunc multis ad harum epistolarum emendationem, utor, ita, ut impressimus, habere uidi. itaque aliorum lectionem non sequor.

SEBAS. CORR.

DIscesseras} in tua prædia, non multo post Tulliæ mortem. Alii legunt: Quam discesserat. s. Cæsar in Hispaniam contra Pompeii filios profectus. {Sicut hic dum eras} Romæ antequam ad Asturam proficisceretis.

PHILI. MELA.

SI uales} illa Luceii est exilior, & consumitur hæc epistola in dilẽmate: Si habes studiorũ causa, non uitupero. si habes, ut lugeas, reprehendo. Et sunt additæ rationes: Quia minus dolendũ est, cũ ea quæ acciderunt, præuidetimus. Item, Quia lacrymis nihil proficitur. Conclusio habet adhortationem, ut ad conuictum ipsorum redeat. {Te requisiui} Narratio. {Non habeo certum} Distributio. {Quod si non} Conclusio consolatoria, seu adhortatoria.

ARGVMENTVM.

Quia multis consolatoriis damnarat Luceius mœrorem Ciceronis, dicit Cicero se cognoscere amorem Luceii in se, sed eum non capere causam mœroris, quæ erat, quod nullum uideret remedium.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Querelis & hæc epistola referta est, præsertim propter collationem diuersorum temporum, ita grauiter Cicero angitur, quod in Rep. locum, pristinum habere nequeat.

M. CICERO L. LVCEIO Q. F. S. 16

OMnis amor tuus ex omnibus partibus se ostẽdit in his literis, quas à te proxime accepi, non ille quidem mihi ignotus, sed tamen gratus, & optatus, dicerem iucundus, nisi id uerbum in omne tempus perdidissem, neque ob eam unam causam, quam tu suspicaris, & in qua me lenissimis, & amantissimis uerbis utens, re gra-

*niter accusas: sed quod illius tanti uulneris quæ remedia esse debebant, ea nulla sunt. quid enim? ad amicos ne confugiam? quam multi sunt? habuimus enim ferè communeis: quorum alii occiderunt, alii nescio quo pacto obduruerunt. tecum*uiuere possem equidem, & maxime uellem. uetustas est, amor, consuetudo, studia paria. quod uinculum, quæ res deest nostræ coniunctioni: possumus ne igitur esse unà? nec mehercule intelligo, quid impediat. sed certe adhuc non fuimus, cum essemus uicini in Tusculano, in Puteolano: nã quid dicam in urbe, in qua, cum forum commune sit, uicinitas non requiritur. sed casu nescio quo in ea tempora nostra ætas incidit, ut cum maxime florere nos oporteret, tum uiuere etiam puderet. quod enim mihi poterat esse perfugium spoliato & domesticis & forensibus ornamentis, atque solatiis? literæ, credo, quibus utor assidue: quid enim aliud facere possum? sed nescio quo modo ipsæ illæ excludere me à portu, & perfugio uidentur, & quasi exprobare quod in ea uita maneam, in qua nihil insit, nisi propagatio miserrimi temporis. Hic tu ea me abesse urbe miraris, in qua domus nihil delectare possit, summum sit odium temporum, hominum, fori, curiæ? itaque sic literis utor, in quibus consumo omne tempus non ut ab his medicinam perpetuam, sed ut exiguam doloris obliuionem petam, quod si id egissemus, ego, atque tu, quod ne in mentem quidem nobis ueniebat propter quotidianos*metus: omne tempus unà fuissemus, neque me ualetudo tua offenderet, neque te mœror meus quod quantum fieri poterit, consequamur: quid enim utrique nostrum aptius? propediem te igitur uidebo. Vale.*

*alias ui uere posse eq. maxime

*alias, motus

ASCENSIUS.

OMnis amor &c. Quia multis uerbis consolatoriis damnarat Lucceius mœrorem Cic. dicit Ci. se agnoscere amorẽ Lucceii in se, sed cũ nõ capere causam mœroris, quæ erat, q nullũ uideret remediũ. Ordo est, Omnis. i. totus amor tuus ostendit se ex omnibus partibus in his literis quas accepi proxime a te, non quidẽ ille. s. amor tuus ignotus mihi sed tamen gratus & optatus, dicerem iucundus, nisi perdidissem id uerbum. s. iucundus, q non nisi rei læte cõpetit. Ex hoc autẽ loco accepit Valla differentiam, quã ponit inter iucundus & gratus, allegans, hæc Cic. uerba, ut gratũ sit utile & acceptũ, licet non habeat delectationem annexam, iucundũ tantũ uoluptuosum. Præterea signandũ q omnis pars orationis uerbum dicatur, nam iucundus, q nomen est, hic uerbum dicitur: in omne tempus. s. futurũ. Neq;, sup. perdidi illud uerbũ ob eã unam causam, quam tu: suspicaris scilicet q Resp. amissa sit Hubertinus exponit, q filia mortua sit, sed de filia nihil meminit in superiori epistola Lucceius, & in qua. s. causa, tu utens uerbis lenissimis & amantissimis, accusas me grauiter re. i. in sententia ipsa. Nã turpe est uiro forti lugere, q neq; uitare potuit prius quã euenirẽt, neq; emendare ubi euenerint, qualia erant incommoda Reip. sed q ea, quæ debebant esse remedia tanti uulneris. i. tanti doloris, sunt nulla. i. nõ extãt. Quid. n. i. nam, quid faciam? confugiã ne ad amicos, quã i. quantũ, multi sunt sup. amici? q. d. nimirum paucissimi. Etsi quærat Lucceius, cur id a se petat Cic. addit, ideo peto. n. i. quia, nos habuimus fere. s. omnes sup amicos cõmunes, & ita si scis, q pauci sint, tibi amici reliqui, facile est scias, quã pauci sunt mihi. Quorum. s. amicorum communium, alii. i. aliqui, occiderunt. i. mortui sunt, ab occido pe. breui. alii nescio quo pacto. i. modo, obduruerunt. i. durissimi facti sunt, ut non misereantur mei, & ita me dereliquerunt Equidẽ, ego quidẽ, possem uiuere tecum. Respicit, id q Lucceius rogauerat, ut ad conuictũ suũ redeat, & uellẽ maxime. s. uiuere tecum Nã sup. amor noster est uetustus, consuetudo sup. est uetusta, studia sup. nostra sunt paria. i. cõsimilia, & itaq uinculũ, quæ res deest coniunctioni nostræ? q. d. certe nullũ & nulla, Ergo possumus ne esse una i in uno loco? Nec mehercule, sup. ita iudicante, ut uerũ dico, intelligo. i. non perspicio, quid impediat s. nos una esse, sed certe. i. q euidenter scio, nos nõ fuimus adhuc. s. una cũ essemus uicini in Tusculano. s. agro, ubi Cicero erat, & Tusculanas scripsit quæstiones, & sup in Puteolano sup agro, ubi Lucceius erat. Nã qd dicã in urbe? idest cũ ambo essemus in urbe. s. Roma, in qua cũ forũ sit cõe, in q oẽs cõueniãt præsertim causidici, (nã de foro iudiciali intelligit) uicinitas nõ requiritur, & nõ erãt simul, quia nullus erat bonis uiris in foro locus Sed nostra ætas incidit nescio quo casu in ea tẽpora, ut cũ oporteret. i. deceret, & iustũ esset, nos florere maxime. s. in curia, & foro, cum omnibus perfuncti essent honoribus, puderet tũ. i. tunc, etiã uiuere, cũ sine dignitate uiuant. Quod. n. profugiũ, q dicunt refugium, poterat esse mihi spoliato. i. uiolenter exacto, & priuato, &. i. simul ornamentis domesticis i. quibus ornabar domi meæ, & forensibus. i. quibus ornabar prius in foro, & solatiis. s. domesticis, & forensibus? q. d. nullũ q per locum a maiore declarat. Credo sup. q literæ. s. poterant mihi esse profugium quibus. s. literis ego utor assidue, quid. n. possum facere aliud. i. quã literis incumbere? q. d. nihil, sed nescio quomodo: illæ ipsæ s. literæ, uidẽtur excludere me a portu, & profugio. i. a requie, & securitate, & quasi exprobare. i. probro dare, q maneam in ea uita, in qua nihil insit, nisi propagatio. i. extensio, tẽporis miserrimi. Tu miraris hic. i. in hac, conditione uitæ, & temporũ, me abesse ea urbe, in qua domus. s. propria nihil possit delectare, & in qua sup sit summũ odium, tẽporum, hominum, fori. s. iudicialis curiæ. s. senatus. Itaq; quia in urbe esse non licet, ego utor literis sic, in quibus consumo omne tẽpus, non ut petã ab his. s. literis. medicinam perpetuam, sed ut sup. petã exiguã. i. modicam obliuionẽ doloris. Quod. s. ita uti literis, si ego, atq; tu egissemus, q s. agere ne quidem. i. non saltẽ, ueniebat nobis in mentẽ, propter quotidianos metus, qui usum rationis impediebant, nos fuissemus omne tempus una. i. simul. Dixi signandum Cic. libenter uti accusatiuo temporis continui, sã cũ nota continuationis, ut hic omne quã sine ea, ut alibi sæpe. Neq; ualetudo tua. s. uaria & nõ bona, offenderet. i. læderet me, neq; mœror meus sup. offenderet te. Quod cõsequamur. i. obtineamus, quantũ poterit fieri, quid. n. aptius sup. est utriq; nostrũ? q. d. nihil. Igitur ego uidebo te propediẽ. i. mox, ita ut prope sit dies.

VEtustus est amor consuetudo, studia paria} In antiquis exẽplaribus (uetustas, amor) ut nos etiã scripsimus. Hæc enim est uera huius loci lectio, & sic ipse etiam alibi loquitur, ut in epistola ad D. Brutum de L. Lamia loquens, Magna uetustas, magna consuetudo intercedit.

VICTORIUS.

EXcludere me a portu, & persugio uidentur} Eadem metaphora usus est Plutarchus, & eadem uerba coniunxit. cum de domo Trib. pleb. loqueretur, cuius fores claudi leges non sinebant, sed & noctu, ac die patebant, ut quilibet omni tempore præsidio ipsius uti posset, in explicatione rerum. R. CCLII. ἵστε γὰρ οἰκίας αὐτοῦ κλεισθῆναι νενόμισται θύραν, ἀλλὰ καὶ νύκτωρ ἀνέῳγε, καὶ μεθ᾽ ἡμέραν ὥσπερ λιμὴν, καὶ καταφυγὴ τοῖς δεομένοις. Tanquam, inquit, portus quidam, ac perfugium cunctis, qui ope illorum indigerent.

Ex post. eiusdem.

QVam tu suspicaris} quemadmodum & alii, me Reip. tempora, & aliorum uictoriam lugere. {Illius tanti uulneris} ex morte filiæ accepti {Ea nulla sunt} quoniã domo mœrens ad Remp. confugere non possum, ut in eius bonis quæ nulla sunt, acquiescam. {Vetustus amor} Al. uetustas, amor. {Tum uiuere etiam puderet} nedum simul uiuere, & una esse.

SEBAS. CORR.

ALii nescio quo pacto obduruerunt} ad omnia, ut neq; Rẽp. neq; sui ipsius, neq; amicorũ meminisse uideantur, ut Marcellus & alii, non ut interpretes. {Sed casu nescio quo in ea tempora nostra ætas incidit, ut cum maxime florere nos oporteret; tum uiuere etiam puderet} Hæc est causa, cur nondum una fuerint, quasi. s. alterius alter conspectum pudore uitaret, qui in tantas miserias tamq; turpem seruitutem recidissent, non culpa Luccei, ut noluit Clericus. {Neq; ob eam unam causam, quam tu suspicaris} idest, quod ait in præcedenti epistola Lucceius: Non possum te, si concedis quod sentimus, ut liberius dicam, non accusare. quid. n. tu solus aperta non uidebas? &c. non ut Hubertinus. Nam respondere has superioribus literis argumento est, quod subiicit: Hic tu ea me abesse urbe miraris, & Neque me ualetudo tua offenderet, neque te mœror meus.

BERN. RUTIL.

EXordium ducitur a comprobatione officii. Propositio habet translationem: Non lugeo Remp sed filiam huius luctus nulla habeo solatia. Id confirmat enumeratione. Postea bellissima est prosopopoeia, quare ne literæ quidem leuent eius luctum. cui tamen addit correctionẽ se incumbere literis. {Omneis amor} Exordium, laudat officium, ac literas } Habuimus enim} Querela {Tecũ uiuere} Exaggeratio per distributionem: nec amici leuant luctũ, nec forum, nec literæ {Hic tu} Epilogus {Itaque sic literis} Correctio, de literis. {Quod si id} Conclusio: deinceps una simus.

PHILI. MELA.

ARGUMENTUM.

Consolatoria est hæc epistola, qua consolatur Titium ciuem Romanum dolentem super morte liberorum, quos sub dominatu Cæsaris amiserat, docens id non esse faciendum.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Conuenit hoc argumentum cum Sulpitiana, cum utraq; in consolatione doloris ob liberorum mortem accepti uersetur, iisdemq; propemodum argumentis utatur.

M. T. CICERO S. D. TITIO 17

ETsi unus ex omnibus minime sum ad te consolandum accommodatus, quod tãtum ex tuis molestiis cepi doloris ut consolatione ipse egerem: tamen cum longius à summi luctus acerbitate meus abeßet dolor, quàm tuus, statui nostræ

necessitudinis

necessitudinis esse meæq; in te beneuolentiæ, non tacere tanto in tuo mœrore tandiu, sed adhibere aliquam modicam consolationem, quæ leuare dolorem tuum posset si minus sanare potuisset. Est autem consolatio peruulgata quidẽ illa maxime. quam semper in ore, atque in animo habere debemus, HOMINES nos ut esse meminerimus, ea lege natos, ut omnibus telis fortunæ proposita sit uita nostra, neque esse recusandum quo minus ea, qua nati sumus, conditione uiuamus: ne ue tam grauiter eos casus feramus quos nullo consilio uitare possumus: euentisq; aliorum memoria repetendis, nihil accidisse nobis noui cogitemus. neque hæ, neque cæteræ consolationes, quæ sunt à sapientissimis uiris usurpatæ, memoriæq;, & literis proditæ, tantum uidentur proficere debere, quantum status ipse nostræ ciuitatis, & hæc perturbatio temporum perditorum: cum beatissimi sint, qui liberos non susceperunt, minus autem miseri, qui his temporibus amiserunt, quam si eosdem bona, aut denique aliqua Republic. perdidissent. quòd si tuum te desiderium mouet, aut si tuarum rerum cogitatione mœres: non facile exhauriri tibi istum dolorem posse uniuersum puto. sin illa te res cruciat, quæ magis amoris est, ut eorum, qui occiderunt, miserias lugeas; ut ea non dicam, quæ sæpissimè & legi & audiui, nihil mali esse in morte, in qua si resideat sensus, immortalitas illa potius, quam mors ducenda sit: sin sit amissus, nulla uideri miseria debeat, quæ non sentiatur: hoc tamen non dubitans confirmare possum, ea misceri, parari, impendere Reipublicæ quæ qui reliquerit, nullo modo mihi quidem deceptus esse uideatur. quid est enim iam non modo pudori, probitati, uirtuti, rectis studiis, bonis artibus; sed omnino libertati, ac saluti loci; non mehercule quenquam audiui hoc grauissimo & pestilentissimo anno adolescentulum aut puerum mortuum; qui mihi non à diis immortalibus ereptus ex his miseriis, atque ex iniquissima conditione uitæ uideretur, quare si tibi unum hoc detrahi potest, nequid iis, quos amasti, mali putes contigisse: permultum erit ex mœrore tuo diminutum: relinquetur enim simplex illa iam cura doloris tui, quæ non cum illis communicabitur, sed ad te ipsum proprie refert: in qua non est iam grauitatis, ac sapientiæ tuæ. quàm tu à puero præstitisti, ferre immoderatius casum incommodorum tuorum, qui sit ab eorum, quos dilexeris, miseria: maloq; seiunctus etenim eum semper te & priuatis in rebus & publicis præstitisti, tuenda tibi ut sit grauitas, & constantiæ seruiendum: nam quod allatura est ipsa diuturnitas, quæ maximos luctus uetustate tollit, id nos præripere consilio, prudentiaq; debemus: etenim si nulla unquam fuit liberis amissis tam imbecillo mulier animo, quæ non aliquando lugendi modum fecerit. certe nos quod est dies allatura, id consilio anteferre debemus, neque expectare temporis medicinam, quam repræsentare ratione possimus. His ego literis siquid profecissem, existimabam optandum, quiddam me esse assecutum: sin minus forte ualuissent, officio tamen esse functum beneuolentissimi, atque amicissimi: quem me tibi et fuisse semper existimes uelim, & futurum esse confidas. Vale.

ASCENSIVS.

Etsi unus Consolatur Ti. ciuem Ro. dolentẽ super morte liberorum suorum, quos sub dominatu Cæ. amiserat. docens id perperam ab eo fieri. Ordo est. Etsi idest quanquam, ego sum unus ex omnibus, minime accommodatus, idest aptus ad consolandum te, quod idest quia, ego cepi tantum doloris ex mœstitiis tuis, ut ipse, idest egomet, egerem consolatione: tamen cum dolor meus abesset longius ab acerbitate summi, idest maximi luctus, quam tuus, statui idest putaui esse necessitudinis nostræ & beneuolentiæ meæ in te, idest pertinere ad necessitudinem nostram & beneuolentiam meam in te, non tacere tandiu in tanto: idest tam uehementi dolore, tuo, sed adhibere aliquam consolationem meam quæ posset leuare: idest imminuere, dolorem tuum si minus: idest non satis, potuisset sanare: idest penitus abolere dolorem tuum, dum enim ægritudo sanatur, perit dum homo conualet. Est autem consolatio peruulgata, maxime quidem illa, quam debemus habere semper in ore, atq; in animo, ut meminerimus nos esse homines natos ea lege, ut uita nostra sit proposita omnibus telis fortunæ. Neque id esse recusandum, quo minus, idest ut non uiuamus ea conditione qua sumus nati, ue, idest uel, ne feramus tam grauiter eos casus, quos nullo consilio possumus uitare, & cogitemus repetendis memoria euentis, idest dum repetimus memoria euenta aliorum nihil noui accidisse nobis. Neque hæ, idest huiusmodi, neque cæteræ, scilicet tales consolationes, quæ sunt usurpatæ. idest in usum adductæ, & proditæ idest mandatæ memoriæ, & literis idest scriptis, a uiris sapientissimis, uidentur debere proficere, idest profectum facere, tantum quantum, status ipse ciuitatis nostræ & hæc perturbatio temporum perditorum, cum illi, qui liberos nõ susceperunt, idest sustulerunt, aut genuerũt, sint beatissimi. Autẽ. i. sed, illi supple qui amiserunt liberos suos his temporibus, sint minus miseri, quam si perdidissent eosdem, Rep. supple existente bona aut denique: idest saltem, aliqua, cum iam sit nulla. Quod si desiderium tuum, scilicet in filios tuos mouet: idest afficit te, aut si mœres, idest mœrore es, cogitatione rerum tuarum, ego puto istum dolorẽ non posse exhauriri tibi facile uniuersum: idest simul omnem. Sin. i. sed si, illa cruciat te, quæ est magis amoris ut lugeas miserias eorũ, qui occiderunt. idest liberorum tuorum, ut non dicam ea, quæ legi, & audiui sæpe, nihil mali esse in morte: idest in eo, quod est esse mortuum in qua, scilicet morte, si sensus: idest perceptio, & sensio resideat: idest permaneat, illa, scilicet res, quæ dicitur mors, dicenda sit potius immortalitas quam mors. Sin, idest sed si supple sensus sic amissus, nulla miseria debeat uideri, quæ non sentiatur. Recte concludit siumos, aut animas non mori: aut non pati si moriantur, sed non conuincit, quin nonnullorum animæ crucientur, non enim sequitur: habet immortalitatem, habet ergo beatitudinem. Hoc tamen. Tamen ego non dubitans possum confirmare hoc scilicet ea supple mala, aut incommoda misceri: idest conflari, parari impendere penultima longa, idest imminere Reipu. quæ, scilicet mala, is qui reliquerit, scilicet moriendo, uideatur mihi quidem nullo modo esse deceptus: idest defraudatus, conditione uitæ, cum meliorem adierit quam hæc esse possit, aut saltem malam euaserit. Enim: idest quia, quid loci est iam non modo. idest non solum, pudori, probitati, uirtuti, rectis studiis, bonis artibus, sed omnino libertati, ac saluti? quasi dicat nihil. Mehercule ego non audiui quenquam, adolescentulũ, aut puerum mortuum hoc anno grauissimo, & pestilentissimo, qui non uideretur mihi ereptus a diis immortalibus ex his miseriis, atque iniquissima conditione uitæ, in qua unus dominatur omnibus, nec locum probitati relinquit. Quare si hoc unum potest detrahi, tibi, nequid idest ut nihil mali putes contigisse his quos amasti, scilicet liberis tuis permultum erit diminutum idest detractũ ex mœrore tuo. Etenim, idest, quia iam idest tunc, cura doloris tui relinquetur, simplex, idest sine respectu liberorum, utpote, quæ non communicabitur cum illis scilicet defunctis, sed referetur proprie idest peculiariter & unice ad te. In qua, scilicet cura, iam non est grauitatis, ac sapientiæ tuæ, quam præstitisti idest exhibuisti a puerili ætate ferre immoderatius casum incommodorum tuorum, qui sit seiunctus idest separatus a miseria & malo eorum, quos dilexeris. Etenim tu præstitisti idest exhibuisti semper te eum idest talem, in priuatis, & in publicis rebus, ut grauitas sit tuenda tibi, & seruiendum sit tibi constantiæ, ut eam teneas. Nam nos debemus præripere consilio & prudentia id quod ipsa diuturnitas, quæ maximos luctus tollit, uetustate est allatura. Etenim si nulla mulier fit tam imbecillo idest debili animo, amissis liberis, quæ non fecerit aliquando idest tandẽ modum, idest finem lugendi, certe nos debemus anteferre id consilio, quod dies idest diuturnitas est allatura, neq; expectare medicinam temporis, quam possimus repræsentare idest in præsens exhibere ratione idest per rationem. Si ergo profecissem quid idest in aliquo, his literis, ego existimabam me esse assecutum quiddam optandum. Sin idest sed si forte, hæ literæ ualuissent minus idest non satis tamen existimabam me esse functum officio scilicet hominus beneuolentissimi atq; amicissimi, quem uelim, ut existimes me, & fuisse semper, & confidas esse futurum.

VICTORIVS.

Nam quod allatura est ipsa diuturnitas, quæ maximos luctus uetustate tollit, id nos præripere consilio, prudentiaq; debemus} Quiddam in his uerbis est, quod cum mutari iussissemus, in nostros etiam codices incuria librariorum irrepsit. {Præcipere} enim non {Præripere} legendum est, ea autoritate, & fide priscorum exemplariorum, & ratione ipsa id confirmante. Præcipere enim ante capere ut nos infinita exempla prætereamus huius ipsius autoris, pulcherrimum est in elegantissima illa M. Antonii epistola, quam Cic. in Philippicis exagitat. Sin autem aliud me fatum manet, præcipio gaudia suppliciorum uestrorum &c.

SEBAS. CORR.

Titio} P. Titio Trib. pl. interfecto Cæsare: & si hoc ipsum ita esse conicimus potius, quam affirmamus. {Ea misceri} M. Anto. omnia perturbante {Pestilentissimo anno} post Cæsaris mortem, ut omnia ad superiorem coniecturam accõmodemus. id nos præcipere} al. id nos præripere.

PHIL. MELI.

Exordiũ ducitur a difficultate & subiicit apta correctio, quæ continet propositionem, uidelicet quod scripturus sit quandam consolationem. Sequuntur argumenta. Primum a loco communi, de conditione mortalitatis. Secundum a miseriis Reipu-

uidelicet bene cum his agi, qui eripiuntur publicis calamitatibus, Tertium argumentum est δίλημμα, aut tua causa, aut filii causa doles. Filii causa non est dolendum. Primum quia in morte nihil mali est secundo quia talia sunt tempora, ut mors optanda uideatur. Hic addit πάθος, ait se gratulatum esse mortem plerisque, qui hoc tempore decesserunt. Deinde concludit alteram partem, ne sua causa doleat. Ratio sumitur ab officiis fortitudinis. {Etsi anus} Consolatoria, generis suasorii. Exordium autem habet πάθος, quia societas luctus est officiosa Postea addit correctionem, quare tamen scribat cõsolationem. {Est autem consolatio} Propositio, consolor te. {Homines nos} Argumentum primum a loco communi, seu a necessario: quia uitari non possunt ea, quæ sic natura constituta sunt. {Neque hæ} A temporum miseriis. {Quid si tuum} Dilemma aut tua causa, aut illorum causa dolet Et opponit tantum alteri parti correctionem. {Quid est enim} Redit ad tempora: prodest hoc tempore eripi e his tumultibus. {Quare si tibi} Conclusio dilemmatis: Si nihil mali accidit filio, illius causa non dolendum est. Sin tua causa doles, huic parti nunc opponit argumentum absumptum officiis fortitudinis. {Nam quod allatura} Ex maiore: Si tempus mitigat, ergo magis ratio mitiget. {His ego literis} Conclusio.

ARGVMENTVM.

Quo tempore Clodius Ciceronem acerrime insequeretur, eiiciendumque urbe satageret: Pub. Sextius Ciceroni amicissimus, una cum Milone aduersus Clodium, & Clodianos a Cic. stetit, & pro eo acerrime depugnauit, non uerbis modo, sed & armis, adeo ut grauiter uulneratus in têplo Castoris pro occiso derelictus sit Sextius. Deinde accusatus est, quod homines emisset, coegisset, parasset, quod pro salute Ciceronis fecisset. Cicero reuersus, eum eleganti sima oratione, quæ adhuc extat, defendit: tandem tamen in exitium missus est, quo ad eum scribens consolatur Cicero, excusans primo quod non sæpius scripserit, deinde filii ipsius Sexti pietatem laudat, & operam suam Sextio pollicetur, hortaturque constanti, ac forti sit animo.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Sextium, ut exilium forti animo ferat, hortatur.

M. CICERO S. D. P. SEXTIO P. F. 18

*NOn obliuione amicitiæ nostræ, neque intermissione cõsuetudinis meæ superioribus temporibus ad te nullas literas misi, sed quod priora tempora in ruinis Reipublicæ nostrisque iacuerunt, posteriora autem me à scribendo tuis iniustissimis, atque acerbissimis incommodis retardarunt. cum uero & interuallum iam satis longum fuisset, & tuam uirtutem, animique magnitudinem diligentius essem mecum recordatus: non putaui esse alienum institutis meis, hæc ad te scribere. Ego te P. Sexti & primis temporibus illis, quibus in inuidiam absens, & in crimen uocabare, defendi: & cum in tui familiarissimi iudicio, ac periculo * tuum nomen coniungeretur, quàm potui accuratissime te, tuamque causam tutatus sum: & proxime recenti aduentu meo cum rem aliter institutam offendissem, ac mihi placuisset, si affuissem, tamen nulla re saluti tuæ defui. cumque eo tempore inuidia annonæ inimici non solum tui, uerumetiam amicorum tuorum, iniquitas totius iudicii, multaque alia Reip. uitia plus, quam causa, ipsa ueritasque ualuissent: Publio tuo neque opera, neque consilio, neque labore, neque gratia, neque testimonio defui. quamobrem omnibus officiis amicitiæ diligenter à me, sancteque seruatis, ne hoc quidem prætermittendum esse duxi, te ut hortarer rogaremque, ut & hominem te, & uirum esse meminisse, idest ut & communem, incertumque casum, quem neque uitare quisquam nostrum, neque præstare ullo pacto potest, sapienter ferres: & dolori fortiter, ac fortunæ resisteres: cogitaresque, & in nostra ciuitate, & in cæteris, quæ rerum potitæ sunt, multis fortissimis atque optimis uiris iniustis iudiciis tales casus incidisse. Illud utinam ne uere scriberem, ea te Republic. carere, in qua neminem prudentem hominem res ulla delectet. De tuo autem filio uereor, ne si nihil ad te scripserim, debitum eius uirtuti * uideat testimonium non accepisse. sin autem omnia quæ sentio, perscripserim, ne refricem meis literis desiderium, ac dolorem tuum, sed tamen prudentissime facies, si illius pietatem, uirtutem, industriam, ubicunque erit, tuam esse tecum duces: NEC enim minus nostra sunt, quæ animo complectimur, quàm quæ oculis intuemur. quamobrem & illius eximia uirtus, summusque in te amor, magnæ tibi consolationi debet esse, & nos, cæterique, qui te non ex fortuna, sed ex uirtute tua pendimus, semperque pendemus, * & maxime animi tui conscientia, cum tibi nihil merito accidisse reputabis, & illud adiunges, HOMINES sapientes turpitudine, non casu, & delicto suo, non aliorum iniuria commoueri. Ego & memoria nostræ ueteris amicitiæ, & uirtute, atque obseruantia filii tui monitus, nullo loco deero neque ad consolandum, neque ad leuandum fortunam tuam. tu si quid ad me forte scripseris, perficiam, ne te frustra scripsisse arbitrere. Vale.*

*a.l. tuum crimen.

*a.l. uidetur a te. non dedisse.

*a.l. & maxime etiam si tuæ conscientiæ.

ASCENSIVS.

NOn obliuione. Quo tempore Clodius Cicer. acerrime persequebatur, eiiciendumque urbe satagebat, P. Sextius una cum Milone aduersus Clodium, & Clodianos restitit, non uerbis modo, sed armis, ita ut grauiter uulneratus in æde Castoris pro occiso derelictus sit. Deinde accusatus factionis, eleganti oratione, quæ adhuc extat a Cice. defensus est, post modum tamen in exilium missus, quo ad eum nunc scribit Cice. consolans eum, & primo se purgat quod nunc sæpius scripserit, deinde filii ipsius Sexti pietatem laudat, & operam suam Sextio pollicetur, hortaturque demum forti, ac constanti sit animo. Ordo est. Ego nullas. idest ullas, non dedi ad te ullas literas temporibus superioribus, non obliuione: idest non propter obliuionẽ amicitiæ nostræ, neque intermissione idest per temporis interruptionẽ, consuetudinis meæ, qua consueui ad amicos scribere, sed quod priora tempora: scilicet postquam prætermisi scribere ad te, iacuerunt in ruinis Reipu. & nostris Posteriora autem scilicet tempora retardarunt me a scribendo, iniustissimis atque acerbissimis incommodis. Cum uero & idest simul, interuallum iam satis longum fuisset, & recordatus essem mecum diligentius uirtutem tuam, & magnitudinem animi non putaui esse alienum institutis idest a moribus meis scribere ad te hæc scilicet quæ sequuntur Ego o P. Sexti defendi te &, idest simul, primis illis temporibus, quibus absens scilicet ab urbe uocabare scilicet ab inimicis tuis, in inuidiam idest odium & in crimen idest criminationem & accusationem de crimine, & idest simul cum tuum crimen coniungeretur in iudicio, ac periculo familiarissimi tui scilicet Milonis, qui in simili causa si fuisset conuictus, etiam Sextius conuictus fuisset, quia de similibus debet idem esse iudicium, tutatus sum te, & causam tuam, ut idest quantum potui accuratissime, & proxime recenti aduentu meo scilicet cum offendissem idest præter spem inuenissem rem idest litem tuam, institutam aliter, ac idest quam placuisset, si affuissem: tamen nulla re idest in nullo auxilio defui saluti tuæ idest in omni re affui & auxilio fui. Cum idest & cum scilicet ita fuerit, quod inuidia annonæ idest quã contraxisti ex liberali largitione annonæ non solum inimici tui scilicet Clo. uerumetiam amicorum tuorum, & supple iniquitas iudicii, quo condemnatus es, & multa alia uitia Reipub. idest eorum, qui Rep. tractabant, ualuissent plus quæ causa ipsa, & ueritas, nunquam defuit Publio tuo, scilicet filio neque opera, idest diligentia, neque consilio, neque labore, neque gratia, qua apud alios ualebam, neque testimonio quod de illo perhibebam. Quamobrem omnibus officiis amicitiæ seruatis diligenter & sancte, idest inuiolabiliter a me, ne quidem idest non saltem, aut non etiam, duxi idest existimaui hoc scilicet quod modo faciam, esse prætermittendum ni hortarer & rogarem, te ut meminisses te esse hominem & uirum idest ut ferres sapienter casum communem & incertum, quem quisquam nostrum, neque potest uitare, neque præstare ullo pacto, idest modo, hoc est uim fortunæ, in quam non habemus potestate. Et resisteres fortiter dolori ac fortunæ, & cogitares tales casus, ut exilia, incidisse iniustis iudiciis idest per iniusta iudicia multis fortissimis atque optimis uiris, quod in nostra ciuitate, ut Furio Camillo, utrique Africano, Cicero &c & in cæteris scilicet ciuitatibus, quæ potitæ sunt rerum scilicet imperio ut Themistocli, Aristidi, Theseo, & Alcibiadi apud Athenienses, apud Lacedæmonios Lycurgo, apud Carthaginienses Annibali. Illud autem utinam ne scriberem uere, te carere ea Repub. in qua ulla res neminem prudentem hominem possit delectare. Autem idest sed ego uereor ne si nihil scripserim ad te de filio tuo ego uideat non cepisse testimonium debitum idest non exhibuisse conueniens testimonium uirtuti eius. Sin autem idest sed si, ego perscripserim omnia, quæ sentio, uereor supple ut refricem idest renouem meis literis desiderium ac dolorẽ tuum. quia graue esset tam excellentis filii præsentia carere. Sed tamen facies

prudentissime

prudentissime, si ubicunq; eris duces, idest reputabis, pietatem, uirtutem, industriam illius esse tuam tecum. Nec enim minus nostra sunt, quæ complectimur animo, idest quæ contemplamur, quã quæ intuemur oculis scilicet exterioribus. Ergo intueor dicitur inspicere. Quamobrem, idest simul eximia uirtut illius scilicet filii tui, & summus amor in te, debent esse tibi magnæ consolationi, idest ad magnam consolationem, & nos cæteriq; qui pendimus, idest æstimauimus, & pendemus, idest æstimabimus semper te nõ ex fortuna tua, sed ex uirtute tua, & maxime amici conscientiæ tuæ supple debemus esse tibi consolationi cum reputabis nihil accidisse tibi merito, idest iuste & ob peccatum tuum, adiunges &, idest etiam illud homines sapientes commoueri turpitudine, idest si aliquid turpe admiserint, non casu Et commoueri delicto suo, non iniuria aliorum Ego mor. itus memoria ueteris amicitiæ nostræ, & uirtute, atq; obseruantia, idest reuerentia, erga me, filii tui, nullo loco deero, neq; ad consolandum neq; ad leuãdum fortunam tuam, idest infortunium tuũ. To si forte scripseris quid, idest aliquid ad me, perficiam ne arbitrere te scripsisse frustra.

SEBAS. CORR.

PRiora tempora} statim post te prei. des. ambitus, accusante T. Iunio damnatum, & me paulo ante ab exilio reuocatum. {Iacuerunt} P. Clodio Remp. & meam priuatam sæpius disturbante. {Posteriora autem} te iam multo ante expulso. {Absens} in Macedonia quæstor. {Tui familiarissimi} C. Antonii: quicquid a nobis alibi sit dictum. {Tutatus sum} ante meum exilium. {Aduentu meo} ab exilio. {Inuidia annonæ} cum homines quidam impulsu Clodii mea opera frumenti inopiam esse clamarent. {Inimici non solum tui} Clodiani. {Totius iudicii} de ambitu aut de ui, Cicerone defendente, absolutus fuit. {Cepisse} Al. dedisse.

BERN. RVT.

ET primis illis temporibus quibus in inuidiam absens & in crimen uocabare, defendi} Ad iudicium de ui, pro quo extat oratio, arbitror, pertinere nisi id forte repugnet, quod in ea oratione, uidere se præsentem P. Sextium reum dicit: ut ad illam potius C. Antonii, cuius erat quæstor in Macedonia, siue accusationem, siue molestiam, cõiunctam forte cum P. Sextii accusatione, respiciat. Quod uero subiicitur. {Cum in tui familiarissimi iudicio &c.} Ad illam causam, pro qua extet oratio. nam alioqui coniuncta utriusq; Milonis scilicet ac Sextii fuit de ui accusatio. Hoc uero post iemum iudicium, postquam ex prouincia Cicilia rediit Cicero, intentatum Sextio, eoq; demum in exilium pulsus est. De Antonii molestia illa, uidimus paulo ante in literis ad ipsum Antonium. hunceq; ipsum Sextium: ut iam aut illic Publii filio, aut hic Lucii, a Manutio inscribendum fuerit. nam eundem esse non dubitamus. {Inimici non solum tui} non Clodius, ut interpres, ante a Milone occisus: sed superstites amici eius. {Et maxime amici tuæ conscientiæ} Amici deprauatum uerbum: itaq; uel, Post amicos tua conscientia: uel, Animus tuæ conscientiæ, aut tale aliquid reponendum.

Ex post. eiusdem.

CVm in tui familiarissimi iudicio, ac periculo tuum crimen cõiungeretur} Est omnino iudicium illud de ui. Ipse ad Q. fratrem. Ad IIII. Iduum Febr. Sextius ab indice Cn. Nerio Pupinia de ambitu est postulatus. & eodem die a quodam M. Tullio de ui is erat æger domum (ut debuimus) ad eum statim uenimus, eiq; nos totos tradidimus, idq; fecimus præter hominum opinionem, qui nos ei iure succensere putabant, ut humanissimi, grauissimiq; & ipsi & omnibus uideremur. itaque faciemus. Et infra Sextius noster absolutus est III. Iduum Martii, &, quod uehementer interfuit Reipub. nullam uideri in eiusmodi causa dissensionem esse, omnibus sententiis absolutus est. Illud, quod tibi sæpe curæ esse intellexeram, necui iniquo relinqueremus uituperandi locum, qui nos ingratos esse diceret, nisi illius peruersitatem quibusdam in rebus, quam humanissime feremus scito hoc nos in eo iudicio consecutos esse, ut omnium gratissimi iudicaremur. Nam in defendendo moroso homine cumulatissime satisfecimus, & (id quod ille maxime cupiebat) Vatinium, a quo palam oppugnabatur, arbitratu nostro concidimus, Diis hominibusq; plaudentibus. quinetiã Paulus noster, cum testis productus esset in Sextium, confirmauit, se nomen Vatinii delaturum, si Macer Licinius cunctaretur, & Macer a Sextii subselliis surrexit. ac se illi non defuturum affirmauit. Quid quæris? homo petulans, & audax Vatinius, ualde perturbatus, debilitatusq; discessit.

PHIL. MELã.

COnsolatur Sextium, in quo iudicio damnatum ac primum commemorat sua officia, postea hortatur ut fortiter ferat iniuriam. Argumenta addit ab exemplis. & perturbatione Reipub. Admiscet quædam de filio, in quibus est aptissimũ πάθος. In fine repetit consolationem a loco communi: Viros bonos turpitudine, non iniuriis commoueri {Non obliuione} Consolatoria generis suasorii. estq; silentii excusatio. {Ego te} Commemoratio officiorum. {Quamobrem omnibus} Propositio consolationis. Estq; prima ratio ab exemplis similia accidisse bonis uiris multa. {Illa autem} Secunda ratio, a conditione Reipub. {Quamobrem &} Tertia ratio præcipua, de conscientia sumpta ex locis honestatis? Tunc merito dolemus, cum culpa nostra contracta est calamitas. {Tu si quid} Cõclusio, in qua defert officium.

ARGVMENTVM.

Consolatur T. Fabium hominem quidem nouum, sed qui præstanti uirtute, & industria ante Cæsaris tyrannidem ad summos honores euectus fuerat sed Cæsare regnante in exilio degebat in mœrore. Hortatur ergo, ut forti animo ferat communia damna, cum sint qui grauiora patiantur. Nam fortunas & liberos, atque amicos, adhuc incolumes habebat, omnesq; iudices de se bene iudicantes, uno duntaxat dempto.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Et hic ob inuidiam, & temporum iniurias exul erat: quamobrem consolando hortatur hominem Cicero, ut eum casum fortiter ferat, quem multi uiri præclari subierunt.

M. CICERO S. D. T. FABIO. 19

ETsi egomet qui te consolari cupio consolandus ipse sum propterea quòd nullam rem grauius iandiu tuli, quàm incommodum tuum: tamen te magnopere non hortor solum, sed etiam pro amore nostro rogo, atq; oro, te colligas, uirumq; præbeas, & , qua conditione omnes homines, & quibus *temporibus nati sumus, cogites, plus tibi uirtus tua dedit, quàm fortuna abstulit, propterea quòd adeptus es, quod non multi homines noui: amisisti, quod plurimi homines nobilissimi. ea denique uidetur conditio impendere legum, iudiciorum, temporum, ut optime actum cum eo uideatur esse, qui quàm leuissima pœna ab hac Rep. discesserit. tu uero qui & fortunas, & liberos habeas, & nos, cæterosq; necessitudine, & beneuolentia tecum coniunctissimos, quiq; magnam facultatem sis habiturus nobiscum, & cum omnibus tuis uiuendi, et cum unum sit iudicium ex tam multis, quod reprehendatur, ut quod una sententia eaq; dubia, potentiæ alicuius condonatum existimetur: omnibus his de causis debes istam molestiam quàm leuissime ferre. Meus animus erit ui te, liberosq; tuos semper, quem tu esse uis, & qui esse debet. Vale.

*a.l. têporibus nos nati.

ASCENSIVS.

ETsi egomet. Consolatur Titum Fabium, hominem quidem nouum, sed qui præstanti uirtute & industria ad summos honores ante Cæs. tyrannidem euectus fuerat, sed Cæsare regnante in exilio degebat in mœrore. Hortatur ergo ut forti animo ferat communia damna, cum sint qui grauiora patiantur. Nam fortunas & liberos, atq; amicos adhuc incolumes habebat & propter Cæsa. potentiam non ob peccatum aliquod exulabat. Ordo est. Etsi egomet, qui cupio consolari te, ipse uidetur uacare, aut met, aut ipse, sed ad emphasim utrumq; posuit, consolandus sum scilicet ab aliis, propterea quod nullam rem tuli, idest passus sum, tandiu grauius, idest molestius, quam incommodum tuum, tamen ego non solum hortor te magnopere. sed etiã rogo pro amore nostro, atq; oro supple ut colligas te idest uires animi tui, metaphora tracta a mente fracta sic ut fragmenta nullius sint momenti, & ita prostrata iaceat, ut nullus colligere uelit, & præbeas idest exhibeas supple te uirum & cogites qua conditione, quia ea, ut aliquando moriamur, & multa si diu uiuimus patiamur & quibus temporibus nate sumus, quia pessimis, in quibus omnibus nobis necesse est pati plurima. uirtus tua dedit tibi plus scilicet ueri boni & honoris, quam fortuna abstulit, propterea quod adeptus es, supple id quod non multi homines noui, idest qui primi in familia sua ad eum honorem peruenerunt, supple adepti sunt, hoc est summos quosq; magistratus. amisisti supple id quod multi nobilissimi, uidelicet administrationem Reipub. Denique idest ut, quod summum est, dicam, ea, idest talis, quia pessima conditio legum, iudiciorum, temporum, uidetur impendere, idest imminere, ut uideatur actum esse optime cum eo, idest optime contigisse ei, qui discesserit ab hac scilicet tam misera Repub pœna leuissima, quale est exilium. Tu uero, qui habes & fortunas, idest diuitias, & liberos, & nos cæteros cõiunctissimos, tecum necessitudine, & beneuolentia, & qui sis habiturus magnam facultatem, idest commoditatem uiuendi nobiscum, & cum omnibus tuis, & cum unum sit iudicium ex tã multis, quod reprehendatur. s. de exilio tuo, cum de omnibus eiectis in exilium tu unus iniuste eiectus iudiceris, id potius dicam, quam quod unus Cæsaris iudicio exulet, sed tamen propter Cæsarem id pronunciatum innuit dicens, & id. s. iudicium existimetur condonatum, idest indulgenter datum, una sententia, scilicet Cæsaris, cui contradicere non audebant, & ea, scilicet sententia dubia. i. non satis euidente

potentia,idest propter potentiam alicuius,uidelicet Cæsaris: Valla dixisset cuiusdam tu debeas de his omnibus causis,idest ob has omnes causas,ferre,idest tolerare,quam leuissime,idest facillime istam iniuriam.i.casus tibi illatam. Animus meus erit in.s.erga te,& liberos tuos semper,sup.talis,quem .i.qualem,tu uis sup.eum esse,& qui .i.qualis debet esse q.d.beneuolentissimus.

SEBAS. CORR.

TFabio} Is esse uidetur T.Fabius, qui Ciceronis fuit quæstor & postea cum P.Sestio Trib.Pleb.ut quos idem honorum cursus,& fortasse etiam idem casus eodem tempore coniunxit,eos epistolæ quoq; coniungant.{Virtus tua dedit} ut Quæsturam,& Tribunatum.{Fortuna abstulit}spē fortasse præturæ.{Qui esse debet}beneficiis a te Tribuno plebis in me collatis.

BERN. RVT.

IDq; una sententia,eaq; dubia potentia alicuius condonatum existimetur}Ego potentiæ,tertio casu puto legendum. Neq; uero pro certo affirmare ausim,post oppressam a Cæsare patriam scriptas hasce literas,nonnihil enim libertatis habere uidentur suspicantisq; magis esse futura mala,quam ferentis patientisq;.

PHIL. MELA.

ETsi egomet}Consolatio breuis est,sumpta ea commemoratione commodorum & incommodorum fortunæ. {Meus animus}Conclusio.

ARGVMENTVM.

T.Rufum,qui Ciceronis quæstor in Cilicia fuerat ante C.Cælium quem discedens quæstorem reliquerat,cohortatur,ut Pompeianis partibus adhæreat Reuersus enim e prouincia Cicero,offendit ciuiles discordias inter Cæsarem,& Pompeium. Simulq; docet uiri fortis,& boni ciuis partium esse,fouere pias causas,& Reipub.fauentes.dicitq; si eo sit animo,ad se ueniat.

GIBERTI LONCOLII LEMMA.

Hortatur Rufum,ut partes Pompeii sequatur.

M. CICERO RVFO S. 20

ETsi mihi nunquam dubium fuit, quin tibi essem charissimus : tamen quotidie magis id perspicio : exstat'que,id quod mihi ostenderas quibusdam literis, hoc te studiosiorem in me colendo fore , quam in prouincia fuisses(& si meo iudicio nihil ad tuum prouinciale officium addi potest) quo liberius iudicium esse posset tuum . itaque me & superiores literæ tuæ admodum delectauerunt, quibus & expectatum meum aduentum abs te amante. uidebam , & , cum aliter res cecidisset,ac putasses,te meo consilio magnopere esse lætatum : & his proximis literis magnum cepi fructum & iudicij,& officij tui; iudicij,quòd intelligo te,id quod omnes fortes , ac boni uiri facere debent,nihil putare utile esse,nisi quod rectum,honestumq; sit: officij,quòd te mecum,quodcunque cepissem consilij , polliceris fore: quo neque mihi gratius,neque ut ego arbitror , tibi honestius esse quicquam potest.mihi consilium captum iandiu est.de quo ad te,non quo cælandus esses nihil scripsi antea, sed quia communicatio consilij,tali tempore,quasi quædam admonitio uidetur esse officij , uel potius efflagitatio ad coeundam societatem,uel periculi, uel laboris.cum uero ea tua sit uoluntas,humanitas beneuolentia erga me; libenter amplector talem animum,sed ita(non enim dimittam pudorem in rogando meum)si feceris id , quod ostendis magnam habebo gratiam si non feceris,ignoscam,& alterum timori , alterum mihi te negare non potuisse arbitrabor:est enim res profecto maxima.quid rectum sit apparet:quid expediat,obscurum est, ita tamen,ut si nos ii sumus,qui esse debemus,idest studio digni, & literis nostris,dubitare non possimus,quin ea maxime conducant,quæ sunt rectissima.quare tu,si simul placebit,statim ad me uenies. sin idem placebit,atque eodem,nec continuo poteris:omnia tibi ut nota sint,faciam. quicquid statueris,te mihi amicum:sin id,quod opto, etiam amicissimum iudicabo. Vale.

ASCENSIVS.

ETsi mihi &c. Titum Rufum qui Cice.quæstor, idest publici æris quæsitor & receptor fuerat ante C.Cælium, quem discedens quæstorem reliquerat, cohortatur , ut Pompeianis partibus adhæreat . Reuersus enim est prouincia Cic.offendit ciuiles discordias inter Cæ.& Pompeium simulq; docet uiri fortis & ciuis boni partiū esse fouere pias causas,& Reipub fauentes dicitq;,si eo sit animo,ad se ueniat.Ordo est,Etsi idest quāquam,nunquam fuit dubium mihi quin essem charissimus tibi,tamen ego perspicio id quotidie magis,& id quod ostē deras mihi quibusdam literis,uidelicet te fore hic , idest in urbe mecum studiosiorem,idest diligentiorem in me colendo, quam fuisses in prouincia extat,idest apparet,& eminet,ut res,quæ extant,idest extra sunt,& non intus latent,& si meo iudicio nihil potest addi ad officium tuum prouinciale,idest quod in prouincia mihi impendisti,quo idest per quod,aut propter quod iudicium tuum scilicet de me colendo possit esse liberius,idest apertius & largius.Itaq; & idest simul literæ tuæ superiores,idest quas prius misisti, & quibus significasti te hic studiosiorem mei fore,delectarunt admodum, idest ualde me,quibus & idest tum uidebam aduentum meum , expectatum amantes,idest ot fit ab amante,abs te,& cum res cecidisset, idest accidisset aliter ac idest quam putasses uidebam te lætatum magnopere consilio meo,& idest simol , cepi magnum fructum , idest uoluptatem,& iudicii,& officii tui,his literis proximis,idest ultimo misis Iudicii inquam fructum capio , quod idest quia,ego intelligo te supple facere id quod omnes fortes & boni ciues facere debent, uidelicet durare nihil esse utile nisi quod sit rectum,idest iustum & honestum Officii supple froctum capio , quod tu pollicearis te fore mecum quodcunque,idest quicquid consilii cepissem. Quia quicquid resoluitur in quocunque,& non in quodquod:id enim non dicitur.ideo quodcunque dum ponitur,pro quicquid genitiuum regit tanquam substantiuum,ut hoc loco,dum pro quodquod adiectiue construitur,ut si diceret quodcunque consilium &c. Quo scilicet officio,aut facto,quicquam neque potest esse gratius mihi,neque,ut ego arbitror,honestius tibi Consilium est captum,idest initum mihi iandudum,idest a pluscule tempore,decreui enim partes Pompeianas sequi,de quo scilicet consilio meo,nihil scripsi ad te antea, non quod idest de quo,aut lege non quod,cælandus,idest occultandus esses.Noue id dictum uidetur:nam potius dicendum fuit, nō quod cælandum te aut tibi esset,sed quia communicatio consilii tali tempore uidetur esse quædam admonitio officii,uel potius efflagitatio, idest aspera ea postulatio ad coeundam,idest conciliandam societatem uel periculi uel laboris:Vero idest sed cum uoluntas, humanitas,beneuolentia tua sit ea,idest talis erga me,ego amplector , idest accipio libenter talem animum,idest se ultro offerentem . Sed ita, non enim dimittam pudorem meum,idest uerecundiam meam in rogando,hoc est non rogabo te impudenter,si feceris id,quod ostendis scilicet te facturum habeo supple tibi magnam gratiam,si non feceris ignoscam,idest ueniam dabo,& arbitrabor te non potuisse negare alterum scilicet non facere,quod ostendis , hoc est non sequi partes Pompeianas mecum,timori scilicet quem de Cæsaris potentia conceperis,& alterum scilicet si feceris,arbitrabor te non potuisse negare mihi Enim,idest quia,res est profecto,idest re uera, maxima,idest maximi momenti. Apparet,idest euidens est,quid sit rectū, idest decens & honestum,quid expediat:idest utile sit,& tutum,est obscurum:quia licet Cæsar uideretur potentior,quia tamen iniquiorem habebat,cum incertum erat an uictor euasurus esset, tamen ita est:scilicet obscurum,ut si nos sumus ii,qui debemus esse , idest digni studio,scilicet philosophico,& literis nostris, non possimus dubitare,quin ea conducant:idest utilia fiant,maxime quæ sunt rectissima:idest æquissima,& decentissima Quod si placebit simul,idest pariter tibi. Alii legunt:Quare tu &c.uenias statim ad me. Sin:idest sed si idem placebit,atque eodem modo:scilicet quo mihi , nec poteris supple facere,aut sequi continuo:idest statim,faciam,ut omnia sint nota tibi.Quicquid statueris:scilicet facere,siue timori,siue amori cedere,ego iudicabo te amicum mihi.Sin:idest sed si, supple statueris id,quod opto:idest sequi partes Pompeianas,iudicabo te etiam amicissimum mihi. Accurate inuitat hominem ad partes suas,ut si eas sectatus non sit , amicus tamen maneat , & se deserere erubescat.

VICTORIVS.

CIcero Rufo}Hos titulos epistolarum quemadmodum in antiquis exemplaribus inuenimus,ita scripsimus:id alii postea facere neglexerunt . Quod si res magni ponderis non est, non est fortasse tam leuis,quam quispiam existimaret. Ita frequenter scribere solitos esse ueteres duobus in locis,quod nunc meminerim,testatur Cicero,in quibus etiam non parum referre docet, prænomina ponantur , & tituli honorumque gradus , an nominibus tantum,qui scribit,utatur,alter est in epistola ad Volumnium C V. Quod sine prænomine , familiariter ut debebas , ad me epistolam misisti,&c.alter in oratione pro domo sua D.literas in concione recitasti,quas tibi a C Cæsare missas diceres . {Cæsar Pulchro}Cum etiam es argumentatus amoris esse hoc signum : cum nominibus tantum uteretur : neque adscriberet Proconsul , aut Tribu. Pleb. ita enim legendus ille locus est , non Proconsuli : pertinet enim ad Cæsarem uox illa , quemadmodum alia ad . {Pulchro} Tertium exemplum esse potest , siquis his contentus non sit , titulus

epistolæ

epistolæ M. Antonii, quæ in XIII. Phil. inclusa est. Huius autem & sequentis epistolæ nomina nuda sunt in priscis, & bonis libris. {Etsi mihi numquam dubium fuit} Si temporum ordo seruatus esset ab eo, qui has Cicero. epistolas retulit in uolumina, quædam (ut arbitror) nobis magis plana essent, neque in multis locis tantopere hæsitaremus. Hæc, nisi fallor, illam sequi debebat, cuius initium est: Quoquo modo potuissem. non præcedere. Obscurum est totum negotium, de quo hic agit: quid tamen sentiamus, libere pronunciabimus, freti æquitate lectorum. Cum illa non multo post, quam e prouincia Cicero rediit, scripta sit, hæc iam suscepto ciuili bello, & pulso ex Italia Pompeio, scripta est. Exornabat iam Tullius fugam, & in castra Pompeiana proficisci cogitabat, cupiebatque comitem habere illius consilii & itineris Rufum: de quo ipse Rufus in epistola sua spem aliquam Ciceroni dederat: quod tamen cum cupide Cicero optaret, modeste, cauteque rogat: quia res multum periculi, si emanasset, habebat, ideo obscure loquitur, ne si forte literæ in alienas manus incidissent, aliquid mali, molestiæque ex ea re susciperet. {Quare tu} Pene eandem scripturam habet Mediceus liber cum illa, quam Manutius in omnibus suis manu scriptis inuenisse se tradit. {Quæ} enim in eo legitur, non {Que,} quod minus a recepta lectione discrepat. nam si forte ex {Que, quare} fieri debet, duas literas addere necesse erit: si ex ea scriptura, quam nos inuenimus, unam. Quid tamē facere oporteat, doctiores cogitabunt.

PAVL. MANV. M. Cicero Rufo S. D.} Aut mendosus est huius, & sequentis epistolæ titulus, & pro Rufo, legendum Messinio, aut *Rufus Messinio cognomen fuit. Messinius quidem hic sit, necesse est: cuius fratrem fuisse M. Mindium, scribit lib. XIII. CCXIIII. quem epistola sequenti ad eundem hunc Rufum scribens fratrem eius esse dicit. {Quare tu} Ita in omnibus impressis: sed in omnibus manuscriptis, Quæ tu. docti locum diligentius considerent: ego, hoc adnotare, mei officii esse duxi.

SEBAS. CORR. Rufo} L. Messinius Rufus fuit Cice. in Cilicia Quæstor, unde paulo post Ciceronem decessit, & Romam uenit, Cicerone iam oræ maritimæ præfecto. {Meum aduentum} ex ora maritima, & Capua ad urbem. {Cecidisset} non uenissem. {Meo consilio} quod cepissem in ora maritima manendi, & postea Pompeium sequendi. {Nihil putare utile esse} Vtile enim uidebatur, Cæsarem sequi: honestum uero, Pompeium: sed sapientes utile ab honesto non separant. {Consilium captum iandiu est} eundi ad Pompeium. {Quod ostendis} te mecum fore. {Alterum timori} si non feceris. {Alterum mihi} si feceris. {Timori} qui impendet a Cæsare. {Atque eodem modo, nec} Al. atque eodem nec. Quidam uero legunt: Sed neque eodem modo, nec. {Sin id} ad me uenire.

BERN. RVT. Extatque id, quod mihi ostenderas quibusdam literis. hoc te studiosiorem in me colendo fore, quam in prouincia fuisses, etsi meo iudicio nihil ad tuum prouinciale officium addi potest, quo liberius iudicium esse posset tuum} Non significat, quod arbitratur interpres, sed per interpositione ea legenda sunt. & si meo iudicio nihil ad tuum prouinciale officium addi potest. Quo uero, quanto est: respicitque hoc uerbum, quod initio est. unde & sensus alius esse dubio procul apparet. {Te meo consilio magnopere esse lætatum} meo quod ego mihi cepissem: non, ut Clerieus, tibi dedissem. Et significat consilium diutius uel in prouincia, uel Athenis permanendi. nam subiicit, nullum datum a se consilium Fabio: ac ne occulte quidem quid sentiret ipse significatum ne admonere, uel efflagitare potius uideretur.

PHIL. MELA. Haec Epistola est satis bella, quia est scripta ad amicum fucatum cui non magnam habebat fidem. Orditur a commemoratione beneuolentiæ. deinde comprobat literas Rufi per distributionem laudat iudicium, & officium. Postea excusat, quare de consilio profectionis suæ ad Pompeium, nihil ad eum scripserit. {Etsi mihi} Exordium captat beneuolentiam a Rufi officiis, quæ prædicat. {Itaque me} Propositiones duæ de binis literis: posteriore placuerunt propter officium & iudicium. {Mihi consilium} Narratio, quid constituerit, an uelit se cum Cæsare, uel cum Pompeio coniungere. {Quare tu} Conclusio.

ARGVMENTVM.

Cum facienda esset ratio pecuniarum prouincialium inter quæstorem Rufum, & imperatorem Ciceronem, Cicero id muneris reliquerat seruo scribæ suo, & ipsi Rufo obeundum: cum obiissent, scripsit se Rufus in ea re læsum. Cicero ergo hac epistola purgat se, & seruum, dicens neutrius culpa esse læsum: deinde respondet ad quædam alia eiusdem epistolæ Rufi obiecta. Hæc autem epistola subobscura est, propterea quod res nota erat Rufo, nec operæpretium, ut aliis innotescat. Sunt tamen qui ab eius lectione supersedeant, censentes non legenda, quæ omnia plane intelligi non possint, aliis autem ne gata placent.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Rufus quæstor Ciceronis in Cilicia fuerat, hic cum rationem pecuniariam inire cum proconsule suo Cicerone cuperet, Cicero illi scribam misit, ut cum eo conferret, quam rem sinistre interpretatus Rufus, quod fraudis causa fieret, cum Cicerone expostulauerat: Ei expostulationi hæc præparata est purgatio.

CICERO RVFO S. D. 21

Quoquo modo potuissem, te conuenissem si eo, quo constitueras, uenire uoluisses. quare etsi mei commodi causa *commouere me uoluisti: tamen ita existimes uelim, me antelaturum fuisse, si ad me misisses, uoluntatem tuam commodo meo. Ad ea, quæ scripsisti, commodius equidem possem de singulis ad te rebus scribere si M. Tullius scriba meus adesset: à quo mihi exploratum est, in rationibus duntaxat referendis (de cæteris rebus affirmare non possum) nihil eum fecisse scientem, quod esset contra aut rem, aut existimationem tuam deinde si rationum referendarum ius uetus, & mos antiquus maneret, me relaturum rationes, nisi tecum pro coniunctione nostræ necessitudinis contulissem, confecissem'que, non fuisse. quod igitur fecissem ad urbem, si consuetudo pristina maneret: id quando lege Iulia relinquere rationes in prouincia necesse erat, easdem'que totidem uerbis referre ad ærarium, feci in prouincia, neque ita feci, ut te ad meum arbitrium adducerem sed tribui tibi tantum, quantum me tribuisse numquam pœnitebit: *totum enim scribam meum quem tibi uideo nunc esse suspectum, tibi tradidi, tuci M. Mindium fratrem tuum adiunxisti. rationes confectæ me absente sunt tecum ad quas ego nihil adhibui præter lectionem. ita accepi librum à meo seruo scriba. ut eundem acceperim à fratre tuo, si honos is fuit, maiorem tibi habere non potui: si fides, maiorem tibi habui, quàm pene ipsi mihi. si prouidendum fuit, nequid aliter, ac tibi & honestum, & utile esset, referretur. non habui, cui potius id negocij darem quàm scribæ meo. Illud quidem certe factum est, quod lex iubebat, ut apud duas ciuitates, Laodicensem, & Apamensem, quæ nobis maximæ uidebantur, quoniam ita necesse erat, ratione confectas, & consolutas deponeremus. itaque huic loco primum respondeo me, quanquam iustis de causis rationes deferre properarim, tamen te expectaturum, fuisse nisi in prouincia relictas rationes pro latis haberem. Quamobrem de Volusio quod scribis non est id rationum: docuerunt enim me periti homines in his cum omnium, peritissimus tum mihi amicissimus. C. Camillus, ad Volusium transferri nomen *à Valerio non potuisse, sed prædes Valerianos teneri. neque id erat H-S X X X. ut scribis: sed X I X. erat enim *curata nobis pecunia Valerij mancipis nomine: ex qua reliquum quod erat in rationibus retuli. sed sic me & liberalitatis fructu priuas, & diligentiæ & (quod minime tamen laboro) mediocris etiam prudentiæ: liberalitatis, quod mauis scribæ mei beneficio, quàm meo, legatum meum, præfectum'que maxima calamitate leuatos, cum præsertim non deberent esse obligati: diligentiæ quòd existimas de tanto officio meo, tanto etiam periculo nec *scisse me quicquam, nec cogitasse, scribam quicquid uoluisset, cum id mihi ne recitasset quidem, retulisset: prudentiæ, cum *rem à me ne insipienter quidem cogitatam putas, nam & Volusii liberandi meum fuit consilium: & ut multa tam grauis Valerianis prædibus, ipsiq; T. Mario depelleretur, à me inita ratio est: quam quidem omnes non solum probant, sed etiam laudant: & si uerum scire uis, hoc uni scribæ meo intellexi non nimium placere, sed ego putaui esse uiri boni, cum populis suum seruaret, consulere fortunis tot uel amicorum uel ciuium. Nam de Luccio est ita

*a.l. conuenire.
*a.l. tali.
*a.l. ipsiq; Valerio.
*a.l. cauta
*a.l fecisse.
*a.l. Rem à me non insipiēter excogitatā, ne cogitatā quidē putas.

*actum,ut autore Cn.Pompeio,ista pecunia in fano poneretur. id ego agnoui meo iussu esse factum.qua pecunia Pompeius est usus, ut tua,quam tu deposueras, Sextius. sed hoc ad te nihil intelligo. pertinere.illud me non animaduertisse moleste ferrem,ut adscriberem,te in fano pecuniam iussu meo deposuisse.nisi ista pecunia grauissimis esset,certissimisq́; monimentis testata, cui data quo S.C. quibus tuis,quibus meis literis P.Sextio tradita esset, quæ cum uiderem tot uestigijs impressa,ut in his errari non posset: non adscripsi id,quod tua nihil referebat:ego tamen adscripsisse mallem, quando id te uideo desiderare. sic ut scribis tibi id,esse referendum, idem ipse sentio:neq; in eo quicquam à meis rationibus discrepabunt tuæ. addes enim tu,meo iussu:quod ego nunquam addidi: nec causa est,cur negem:nec si esset,& tu nolles,negarem. Nã de H-S nongentis millibus certe ita relatum est,ut tu,siue frater tuus referri uoluit sed siquid est,*quando de Luccio parum prouisum est,*

**a.l. quando de Logæo parũ grauisum, uel gauisum uel gratiosum.*

quod ego in rationibus referendis etiamnum corrigere possim: de eo mihi,cum S.C.non sim usus,quid per leges liceat, considerãdum est. te certe in pecunia exacta ita efferre ex meis rationibus relatis non oportuit,nisi quid me fallit:sunt enim alij peritiores, illud caue dubites,quin ego omnia faciam,quæ interesse tua, aut etiam uelle te existimem,si ullo modo facere possim. Quod scribis de beneficijs,scito à me & Tribunos mil. & præfectos, & contubernales duntaxat meos delatos esse.in quo quidem ratio me fefellit: liberum enim mihi tempus ad eos deferendos existimabam dari:postea certior sum factus,triginta diebus deferri necesse esse, quibus rationes retulissem. sanè moleste tuli,non illa beneficia tuæ potius ambitioni reseruata esse,quàm meæ,qui ambitione nihil uterer. de centurionibus tamen,& de Tribunorum mil. contubernalibus res est in integro:genus enim horum beneficiorum definitum lege non erat. Reliquum est de H-S centum millibus:de quibus memini mihi à te Myrina literas esse allatas,non mei errati, sed tui: in quo peccatum uidebatur esse,si modo erat.fratris tui,& Tullij. sed cũ id corrigi non posset,quod iam depositis rationibus ex prouincia decessemus:credo me quidem tibi pro animi mei uoluntate, proq́; ea ipse facultatum,quantum habebamus, quàm humanissime potuerim,rescripsisse. sed neq; tum me humanitate mearum literarũ obligatum puto,neq; tuam hodie epistolam de H-S centum sic accepisse,ut ii accipiunt,quibus epistolæ per hæc tempòra molestæ sunt. simul illud cogitare debes, me omnem pecuniam, quæ ad me saluis legibus peruenisset:Ephesi apud publicanos deposuisse: id fuisse H-S. XXII. eam omnem pecuniam Pompeium abstulisse. quod ego siue æquo animo fero, siue iniquo, tu de H-S centum æquo animo ferre debes existimare,eo minus ad te uel de tuis cibarijs,uel de mea liberalitate peruenisse. quòd si mihi expensa ista H-S centum tulisses,tamen quæ tua est suauitas,quæq́; in me amor nolles à me hoc tempore æstimationem accipere: nam numeratum si cuperem,non erat. sed hæc iocatum me putato, ut ego te existimo. Ego tamen,cum Tullius rure redierit. mittam eum ad te,siquid ad rem putabis pertinere. Hanc epistolam cur non scindi uelim, causa nulla est. Vale.

ASCENSIUS.

QVomodo potuissem &c Cum facienda esset ratio pecuniarum prouincialium inter Quæstorem Rufum & Imperatorem Ci.Ci.id numeris reliquerat seruo scribæ, & cancellario,ut aiunt suo,& ipsi Rufo, aut potius ut hic dicet fratri eius obeundum,quod cum obiissent scripsit Rufus se in ea ratione læsum Cicc.ergo hac epistola purgat se & setnum dicens,neutrius culpa læsum. Deinde respondet ad quædam alia a Rufo in eadem epistola obiecta,præsertim de centum sestertiis prætermissis. Est autem epistola subobscura,q res nota erat Rufo,nec scriptam pluribus opus erat fuisse,nec operæpretium erat,ut aliis innotescat,quin etiam Ci.scindendam & annihilandam censet. unde sunt qui ab eius lectione supersedeant, aliis negata placet. Ordo est Ego conuenissem te.i.uenissem ad te,quomodo potuissem si uoluisses uenire eo quo constitueras.s.uenire. Quare etsi.i.quanquam,noluisti me commouere.i.disturbare causam commodi mei. alii legunt causa,ut sit noluisti commouere.i.impedire me,causa cõmodi mei.i.propter commodum meum. Tamen uelim existimes i.iudices de ea te sic me anteläturum.i.prælaturum fuisse.cõmodo meo uoluntatem tuam,si uenisses ad me Ad ea.i.quantũ ad ea,quæ scripsisti,equidem.i.ego quidẽ,possem scribere cõmodius ad te de singulis rebus,si Tullius scriba.i.cancellarius,& rationũ scriptor meus adesset.i.præsens esset mihi a quo.s.Tullio scriba meo exploratum est mihi.i.certum & euidens,duntaxat.i.solum modo,in rationibus referendis i.in reddendis,& recognoscendis supputationibus, non possum affirmare de cæteris rebus, quia in aliis non erat scrutatus curam eius exploratum inquam est mihi,eum nihil fecisse scientem .i.quod sciret,quod esset contra,aut rem.i.utilitatem, aut existimationem.i.autoritatẽ tuam. Deinde i.insuper,si uetus ius rationũ referendarum.i.discutiendarum,& mos antiquus maneret,me nõ fuisse relaturum rationes.i.quod dicunt,daturum computum, nisi contulissem.i.communicassem & fecissem tecum pro coniunctione necessitudinis nostræ. Igitur feci id,quod ego fecissem ad urbem.i.in urbe,cum quæstore urbano,si consuetudo pristina i.prisca & antiqua maneret:feci inquam in prouincia. Quando.i.quandoquidem, necesse erat.s.lege Iulia,relinquere rationes in prouincia, & referre easdem.s.rationes ad ærarium.i.fiscum Romanum totidem uerbis.i.ut nihil additum,nihilq; detractum sit Neq; feci ita ut adducerem te ad arbitrium meum i.coram te redderẽ,tales rationes, quales uellem,sed tribui tibi tantum.s.obseruantiæ,quantum nunquam pœnitebit me tribuisse. Tradidi.n.tibi s discutiendum totũ scribam meũ.s.Tulliũ,quem uideo esse suspectum nunc tibi. tu adiunxisti ei .s.scribæ meo,Marcum Mindium fratrem tuũ,& rationes sunt confectæ.i.consummatæ tecum me absente, ad quas ego nihil adhibui præter lectionem:ita.n.accepi librum a seruo meo scriba, ut acceperim eundem a fratre tuo,nullo.s immutato. Si is fuit honos, ego nõ potui habere tibi maiorem.s.honorem si fides.i. credulitas, & bona æstimatio de te sup fuit,ego habui tibi maiorem.s.fidem.i.plus tibi credidi,pene.i.quasi,q̃ mihi ipsi. Si fuit prouidendum nequid referretur.i.recenseretur,computaretur aliter,ac.i.quæ,honestum & utile esset tibi,non habui,sup.aliquem cui darem potius id negocii, q̃ Tullio scribæ.s.meo. Quidem.i.ut cætera omittam, certe illud factum est,quod lex.s.Iulia iubebat,ut deponeremus.i.custodiæ derelinqueremus,quoniam ita erat necesse.apud duas ciuitates.s.Laodicensem & Apamensem pro Apamensem,quæ uidebantur maximæ prouinciæ illius,rationes confectas & consolidatas.i.confirmatas. Itaq; respondeo primum huic loco me,quanquam properarim.i.festinauerim iustis de causis.i.ob iustas causas deferre.s.Romã rationes,tamen fuisse expectaturum te,nisi haberem.i.æstimarem rationes relictas in prouincia pro latis.i.tãquam latas. Quamobrẽ quod scribis de Volusio,non est rationum.i.nõ pertinet ad rationes, Enim .i.quia,homines periti,& in his C Camillus,cum.s.ita sit q est peritissimus omnium,tum.s.multo magis est amicissimus mihi,docuerunt nomen i.debitum,non potuisse transferri a Valerio ad Volusiũ & ita prædes.i.fideiussores Valerianos,teneri.i.obligatos adhuc esse,neq; id erat i.nõ tenebãtur ut scribit,sestertiis triginta.i. LXXV. libris sed nouemdecim sup.sestertiis.i.XLVII.libris,cum semisse: nam sestertius aut sestertium dicitur quasi semitertium i.duo cũ dimidio tertii,ut sestertia sint quinq; libræ. Enim.i qa,pecunia erat curata.i.cum cura aceruata nomine Valerii mancipis.i.qui eam rem a populo manum leuatam tenente redemerat,ea qua pecunia quod erat reliquum.i.non debitum Valerio,retuli in rationibus.i.ut dicunt,computis. Sed tu priuas me sic.s.sentiendo aut censendo de me,fructu liberalitatis & diligentiæ,& q licet sup.dico tamen minime laboro.i nequaquam curo,etiã mediocris prudentiæ. Liberalitatis inquã fructu me priuas,q mauis.s.dicere legatũ meũ, & Quintum Leptam præfectum meum leuatos.i.liberatos,maxima calamitate,beneficio scribæ mei.s.Tullii q̃ meo præsertim cũ ipsi nõ deberent esset obligati. Diligentiæ,quod existimas me nec scisse nec cogitasse quicquã de tanto officio meo & etiã de tanto periculo. Prudentiæ repete fructu me priuas,cũ putes rem ne cogitatam quidem a me non insipienter,aut lege actam,sic cum putes rem actam a me non insipienter,ne cogitatam quidẽ. Nã & consilium liberandi Volusii fuit meum,& ut mulcta.i.pœna tam grauis depelleretur, prædibus.i fideiussoribus Valerianis, & ipsi Tito Mario ratio.i.uia, est inita.i. inuenta a me,quam quidẽ.s.rationẽ omnes nõ solũ probant sed etiã laudant quod plus est Et si uis scire uerũ, ego intellexi hoc non placere nimium,uni.i.soli,scribæ meo,cui tamen Rufus iã accepta tulerat,dicens ab eo,non a Cic.acta Sed ego putaui esse uiri boni.i.pertinere ad uirũ bonũ,cũ seruaret populũ suũ, consulere.i. prospicere,debito consilio & prouidentia,fortunis & facultatibus tot amicorũ uel ciuiũ Nã actum est de Luccio ut autore Cn. Pompeio ista pecunia.s.quam mihi obiicis poneretur in fano.i.æde sancta in qua publica asseruabatur pecunia. Ego agnoui id omne factũ iussu meo,qua pecunia Pompeius est usus,ut tua.i.tanquam a te deposita,quã tamẽ Sextius deposuerat. Sed ego intelligo hæc nihil pertinere ad te. Ego ferrem illud moleste uidelicet me non animaduertisse,ut ad scriberem.s.ad rationes consolidatas,te deposuisse iussu meo pecuniam in fano,nisi ista pecunia esset testata.i.corroborata &

us & multa grauissimis & certissimis monumentis: idest testimonijs, cui data esses, quo senatusconsulto quibus literis tuis & quibus literis meis esset tradita Publio Sestio Quæ, scilicet omnia eum ui derem impressa tot uestigiis, idest tot sigillis signata, quæ imprimendo signantur non possit errari, idest error fieri in his, non scripsi id scilicet te iussu meo deposuisse eam pecuniam, quod nihil referebat, idest interest tua, ego tamen mallem ascripsisse, quando.i. quoniam, uideo te desiderare id. Sicut scribis id esse referendum, idest reddendum & computandum contra, deputatis, ut dicunt tibi, idest a te, ipse idest ego sentio idem neque rationes supple quæ, discrepabant quicquam idest in aliquo a rationibus meis. Tu enim addes scilicet adscripta de rationibus nostris meo iussu, scilicet te deposuisse aut fecisse quod ego nunquam addidi nec causa est cur negem: scilicet addi posse. nec si causa esset, & tu nolles, scilicet eam causam esse negarem. Nam de nongentis: idest nouies centum millibus sestertium: sunt qui sestertiis scribant, sed puto Ciceronem sestert. duntaxat scripsisse, aut aliis signis eam summam expressisse. Veruntamen quia numeralia petunt genitiuum syncopatū, & neutra habentia singularem in um, nolunt syncopari: ideo fere legimus expensum quadragies sestertium, ut sit singularis numeri: legi tamen potest sestertium per syncopam hoc loco, quia & sestertius dicitur. certe relatum est idest scriptum in lib. rationum ita, ut tu supuoluisti, sius ut frater tuus referri noluis. Sed siquid, est quando idest quoniam, parum gratiosum idest plausibile est de Logeo, idest quod scribis de Logeo idest rationatorio. λογεῖον enim rationatoriū seu locus referēdarum rationum dicitur, λόγος ratio, quod ego possum corrigere etiam nunc in rationibus referendis, de eo non sum usus mihi idest ad placitum aut commodum meum, senatusconsulto idest decreto senatus, sunt quid legant usuras, sed omnia sunt obscura cōsiderandū est quid liceat per leges, certe quicquid leges aut senatusconsulta permittant non oportuit efferre.i. extollere te ita.i. tantopere.in pecunia exacta ex meis rationibus relatis.i. iam redditis Nisi quid i. aliquid iuris fallit me sunt.n. peritiores in legali scientia, sup. quā ego. Caue dubites illud.s. quod sequitur: quin ego faciam omnia.s. quæ, restant adhuc, quæ existimem.i. iudicem, interesse.i. in re & utilitate esse tua, aut etiā te uelle, si possim facere ullo modo. Quod scribis.i. quantū ad id q scribis, de beneficiis.s. delatis non per te, Solebant n. imperatores peracta prouincia denunciare, qui se præclare gessissent in bellis, ut a senatu populoq; Romano præmiis donarentur, q cum faciebat imperator: dicebatur beneficiū facere ne ad hoc obligatus puteretur, id autē uoluisset Rufus per se factū fuisse unde dicit Cic. scito tribunos militares & præfectos, & contubernales duntaxat meos esse delatos.i. denunciatos a me, in quo quidē ratio.i. supputatio fefellit me, quia debuissem etiam Rufum & alios denunciasse, aut ratio.i. opinio, existimabam.n. liberum tempus ad deferendos i denunciandos eos, dari mihi postea sum factus certior necesse esse deferri triginta diebus.i. post triginta dies quibus i. post quos retulissem rationes. Tuli sane.i. ualde moleste, illa beneficia: scilicet denunciandi, non esse reseruata potius ambitioni, idest cupiditati honoris, tuæ, quam meæ, qui: scilicet ego, nihil uterer ambitione. Tamen res est in integro idest adhuc sui iuris sine præscriptione temporis de centurionibus, & contubernalibus: idest cohabitatoribus tribunorum militarum. Genus enim horum beneficiorum nō erat definitum: idest limitatum. lege. Reliquum.s. querelæ tuæ, est de centum millibus sestertium, aut de sestertiis centies mille, legunt tamen quidā de sestertiis centum millibus, forte signis delusi, cū scriptum fuerit C.M. Vallæ enim nō uideretur constare ratio congruitatis, ut dicatur millibus sestertiis, cū mille declinatum sit substantiuum genitiuum exigens. Visi tamen sunt Liuius, & quidā alii non multum differenter loqui ab eo quod est in euangelio, duodecim millia signati de quib memini literas esse allatas mihi a te Smyrna.i. ex eo oppido, in quo tunc eras, literas dico errati, non mei, sed tui, in quo uidebatur esse peccatum, si modo eras.s. peccatū fratris tui & Tullii, qui inter se rationes supputauerant, sed quō erit erratum Rufi.s. fratris & Tullii, nempe & Rufus, cui non debebat. Ciceroni imputabatur Alii legunt, erat ut sit, nō erat mei, sed tui, in quo &c. sed Cic. diceret meū & tuū &c. Sed si id.s. erratum, nō posset corrigi, q i. quia, decessimus ex prouincia rationibus depositis iam.s. apud Laodiceam & Apameā, credo quidē rescripsisse tibi q.i quantū, potui humanissime, pro uoluntate.i. beneuolentia animi mei, & pro ea spe facultatum.i. diuitiarū, quam habebamus tum.i. tunc, in propriis diuitiis, quas Terētia paulopost dissipauit. Scripsisse autē uidetur siquidē erratum fuerit in publicis rationibus, id se de proprio repositurum. Sed puta.i. existima, te obligatum.i. deuinctum nō fuisse tum.i. tunc, humanitate literarū mearū, neq; me accepisse hodie epistolam.s. tuam, de centum sestertiis non relatis, sicut ii quibus epistolæ sunt molestæ, per tempora.s periculosa, accipiunt.s epistolas, hoc est in deteriorem partem, simul debes cogitare illud me deposuisse Ephesi apud publicanos i. publicanorum uectigalium redemptores, omnē pecuniā, quæ peruenisset ad me.i. ad possessionem meam, saluis legibus, & debes cogitare id .s. pecuniæ fuisse uigintiduo millia sestertium, aut, & uicies mille sestertia. Sunt qui legunt solummodo uigintiduo sestertia, sed quomodo diceret eam omnem pecuniam, & Rufum debere de centum sestertiis, æquo animo ferre, quasi de longe minori summa, aut quomodo ad imperatorem non nisi uigintiduo sestertia pertinerent, & Pompeium abstulisse omnē eam pecuniā, quod siue ego fero æquo animo siue iniquo, tu debes ferre æquo animo, de sestertiis centum per errorem non abductis, & existimare communis, quia ablata erat tota pecunia, peruenisse ad te, uel de cibariis tuis, idest tibi ab Imperatore debitis. uel de liberalitate mea, quam tibi impendissem, quod si tulisses expensa mihi ista centum sestertia, idest si computasses ea tanquam expensa & a me recepta, hoc est si ea pro me exposuisses, & in rationem retulisses, tamen quæ idest ea, est suauitas tua, quiq; idest & qui, hoc est & is est amor scilicet tuus in me, tu nolles accipere æstimationem, idest ualorem, centum sestertium, a me hoc tempore scilicet tam calamitoso mihi, nam si cuperem numeratum supple reddere, non erit. Sed putato me iocatum, idest per iocum scripsisse hæc, ut ego existimo ts scilicet iocatum. Ego tamen cum Tullius scilicet scriba, redierit rure, mittam eū ad te, siquid putabis pertinere ad rem, idest commodum tuum. Nulla causa est cur non uelim hanc epistolam scindi, idest lacerari.

VICTORIVS.

IN posteriore epistola ad Rufum}{Si ad me uenisses} Quis non uideat, si diligenter consideret, legendum esse cum antiquis codicibus {Si ad me misisses?}.i. si mihi notum fecisses si misisses qui mihi id nunciarent. Ad D. Brutū, Mitte ad Lupū nostrū, ut is eas cēturias cōficiat. Et huius significationis huius uerbi plurima sunt apud Ci. exēpla, quæ nunc in re clara nō proferemus. Terē. in Eunucho, Misit porro orare, ut uenirem serio Si enim Rufus ad Ciceronem uenisset, morem gessisset ei Cicero nullo suo incommodo. Dicit autē se ante laturū fuisse illius uoluntatē suo cōmodo. quare penitus conuicta uulgata lectio explodatur. {Nō habui cui potius id negotii darem, quā Tullio Scribæ} Sic omnes uulgati & impressi: antiqui uero cuncti codices hoc loco corrupti, & diminuti aliqua dictione sunt. Nos autē & hic, & aliis multis locis rectius esse putauimus mutila, & imperfecta multa relinquere, ut in antiquis exemplaribus inueniuntur, quam ut a nonnullis suppleta & restituta sunt, legere: pauca autem admodum, & fortasse nomen Tullii rantum desideratur. {Confectas & cōsolidatas} Nos ut in antiquis {Cōsolutas} legimus. Quod autē paulopost ad Volusium transferri nomen: ueteres codices {Traferri} Qua ratione ad Atticum lib. XVI. {Tralatum} Hunc tu tralatum in Macrocolum: nec tamen sic in nostro scripsimus, ne omnia uelle immutare uideremur. tantum tē notasse antiquitatis causa placuit. Ille etiam locus in IIII. epistola ad Lentulum in ueteribus codicibus ita scriptus est, Causam enim frequenti Senatu non magna uarietate magnaq; inuidia eorum qui a te causam regiam alio traferebat, obtinebamus. Quod etiam aliis non paucis locis obseruauimus. Nam {Tralatio} pro {Translatio} boni codices semper habent in libris oratoris, Donatus etiam accuratissimus Terentii Interpres sic ueteres dixisse testatur, cum locum hunc in prologo Phormionis exponeret, {Et tradere hominem in otium Sic enim inquit Tradere ueteres sonabant, q nos lenius dicimus Tradere, ut Tralatum, quod nos translatum e contrario Consuetudinem autem ita pronunciandi ad ætatem usque M. Tullii productam esse uerisimile est: cum in uetustioribus cunctis eius libris ita fere semper scriptum sit Nam Ciceronē inter ueteres a Donato poni non mirum uideri debet, qui tot seculis post eum fuit. Retinuisse etiam quædam libenter Ciceronē ab antiquioribus usurpata notissimum est, ut postquam ita fere ubiq; in integrioribus exemplaribus scriptum inuenitur, ita legendum omnino censeam: si antoribus sermo qui eorum ætate uigebat, conseruādus est, & non ad posteriorem normam & consuetudinem conformandus. {Non insipienter actam, ne cogitatam quidem putes} Lacera aliquantulum sunt in his uerbis antiqua exemplaria. Quare uulgatam receptamq; lectionem secutus sum Hic tamen uisum est diligētius hanc rem considerare, uideteq; an ex uetere scriptum quantumuis mutila & decurtata legitima lectio coniectura elici possit, maxime cum alii etiam qui Manutiorum nomine has epistolas nuper Venetiis castigarunt, id facere tentauerint. Eam igitur primo cum fide proponam Sic autem in melioribus cunctis legitur, {Cum rem a me non insipienter excogitatam quidem putes} manifesto defectu. Quod si licet libere sententiā suā proferre, sic ego hūc locū restituēdū putarim, {Cū rem a me non insipienter excogitatā, ne cogitatā quidem putet} Ut similitudine duarum illarum pene earundem uocum deceptus librarius, in curta alteram cum monosyllabo, quod eam præcedebat, omiserit, qui lapsus frequens est, & quandoq; totius clausulæ damno stetit, Scoius, si ita legas meo iudicio optimus erit, ut queratur Cicero, mireturq; Rufum illam rem, quæ non solum a se cogitata, sit sed etiam acute & sapienter excogitata, in mētem sibi non uenisse, neq; a se cogitatam esse credidisse. Excogitare autem esse cogitando quod quærebatur inuenire, notissimum est. Sic autem castigarunt Veneti: {Cum rem a me ne insipienter quidem cogitatam putes} antiqua scriptura in duobus uerbis contaminata, & frigidiore sane sensu, nisi intelligas uoluisse Ciceronem ostēdere rem illam a se non tantum cogitatam, sed perspectam & animaduersam fuisse. Quare magis iudicium Rufi reprehendit, qui ab

ipso illam ne cogitatam quidem esse caistimauerit. Ostendit autem infra suo consilio gesta esse omnia.& a se initam rationem esse quomodo ea recte fieri posset. Quam etiam sententiam recepta lectio continet, quanuis a uetere scriptura recedat,& (ut puto) ab aliquo supplета sit, qui ea suo arbitrio locum hunc restituere uoluerit.
{Cum populum suum seruaret} Alii emendarunt. {Populis} Nos ut in antiquis libris inuenimus,& ut ratio ipsa docet. {Populus} hac sententia, Putaui esse boni uiri cum possem, nullo populi damno, commodare ciuibus,& eorum fortunas sustentare. {Nam de Luceio} Locus non nimium certus,& sane tota epistola obscurior,& fortasse mendosior: parum enim constans est scriptura etiam in melioribus caemplaribus Nos, ut in antiquo illo probatiore codice inuenimus, scripsimus. Luceii autem nomē in illo semper per duo c scriptum est: hoc loco alii. {Luceo reposuerunt, nescio quam recte. Locus autem qui infra est. {Cum de logeio parum gratiosum est} uidendum an huic respondeat. Fortasse enim λογεῖον appellat locum ubi rationes deponuntur. Quod si ita sit dubito an hic etiam {De logeio} scribendum sit: nihil tamen in dubia re certi asserimus: suspiciones nostras proponimus: quæ nobis ea parum firma scriptura oriuntur, quas cupimus eadem animi synceritate, qua proferimus, accipi,& examinari totamq; rem accuratius a peritioribus perpendi,& iudicari. Nam quod in posteriore loco quidam legunt (de Luceio) parum prouisum est {Logeio} habent omnes præter hunc nuper Venetiis impressum caeusi codices.& uulgata lectio in uoce illa {Prouisum} quam ipsi restituerunt, magis mihi placet, etsi in ea etiam dictione titubat antiquus codex. Totus enim locus sic est in illo melioris notæ. ne amplius lectorem suspensum teneam,& is nostræ hæsitationi ueniam det, cum uideat quot difficultatibus premamur. {Cum de logeo parum grauisum est} sed & antiqua scriptura,& sententia etiam magis conuenire mihi uidetur communi,& uulgatæ lectioni, quam huic nouæ,& ab aliquo pro suo ingenio excogitatæ. Nos nihil quod in medium afferamus, certius habemus.
{Quam tamen deposuerat Sextius} In ueteribus codicibus sic fere ut nos quoq; scripsimus, locus hic legitur, Qua pecunia Pompeius est usus, ut tua, quam tu deposueras ea tuis. Etsi nostri librarii pro. {Tu, tuum} peruerse, ut est negligens hominum genus scripserunt. Sextius sane pro. {Ea tuis} habet uetus ille codex, sed puto eandem literam, ultimam scilicet antecedentis dictionis,& primam huius, ut sæpe accidit, bis inutiliter esse repetitam Nam Sestius nomē uix unquam per x, scriptum inuenies in antiquis caemplaribus, de quo paulopost Sed tamen etsi nos antiquæ uiciniorem,& nostro iudicio meliorem lectionem secuti sumus, non adeo certa hæc esse iudicamus, at non uelimus totam rem in arbitrio eruditorum relinquere. {Smyrna literas esse allatas} Vetusti codices omnes Myrina, qđ nos rectum iudicamus: est autem Myrina Vrbs in insula Lemno, Stephano, Ptolemæo,& Strabone lib XIIII. autoribus. Ply etiam lib IIII. in descriptione Lemni, Oppida, inquit, habet Ephestiā & Myrinam, in cuius forum solstitio Athos eiaculatur umbras.

Ex poste. eiusdem.

ID cū lege Iulia relinquere rationes P.N E.E.Q.T.V.R.A. ærarium} De lege Iulia idem dicit in oratione in Pisonē DCLXI. quo loco inducit ipsum cum genero suo Iulio Cæsare ita loquētem: Rationes ad ærarium retuli continuo, sicut tua lex iubebat. neque ulla alia in re legi tuæ parui. {Quam darem} Cum fide olim antiquam lectionem reposuimus: quid autem nostri iudicii esset, non ualde aperuimus. alii quid ipsi coniicerent exposuerunt: quos qui probabunt sequi poterant: ea nobis nimis dura,& uiolenta uidentur. {Confectas & consolidatas} Cur non mendum tollam ex diuinatione in Verrem, nactus aliquam huius rei occasionem? cupio n. omni tempore, omniq; in negocio studiosos literarū adiuuare. Scias igitur locum illum mendose legi. LIIII. At enim solum. i. ut me Siculi maxime uelint: alterum illud credo obscurum est: legendum enim est: Solidum, hoc intellecto: cum enim planum fecisset antea se patronum fortunarum suarum Siculos maxime optare, idq; ita cōfirmasset, ut labefactari non posset, incipit de altero capite differere. Solidum id sit i firmum, stabile, quod de gradu & sede sua deiici non possit Quemadmodum etiam nos eleganter sermone nostro familiari dicimus: retinemus enim pene Latinam uocem, eaq; cum idem significare uolumus, passim utimur. {Legatum meum, præfectumq; Q. Leptam} Nihil ab ea, quæ in nostris impressis est lectione, discedendum puto: nec duas illas dictiones ullo pacto delendas censen Nam quod Manutii argumentum primum est, qui eas inducit, in antiquo libro illas nō esse, Mediceus codex eas habet,& nos olim illi uoci nominiq; illius caemplaris autoritatem secuti, prænomen addidimus. Alia item eiusdem argumenta nullo negocio tentari refelliq; possunt. {Vt tua quam tu deposueras Sextius} Sic etiam legitur, ne minima quidem uarietate, in Mediceo: quod olim quomodo nos præterierit, nescio: certe si id animaduertissemus, nō tantopere laborassemus {Addes etiam tu iussu meo, quod ego nunquā addidi} Suspecta mihi hæc lectio semper fuit præsertim cum in melioribus caemplaribus aliter scriptum sit,& tota etiam epistola non paruam obscuritatem in se habeat. Mediceus ita legit. {Quod ego qui non addidi} quod diligenter considerandum est. nihil tamen adhuc certi ex uetere scriptura elicere potui, nam per se etiam uox illa. {Nunquam} hoc in loco mihi parum probatur: etsi coniecturam nostram non contemnendam putamus, qui olim particulam. {Qui} superuacaneam iudicauimus, eamq; sustulimus. {Non} autem retinuimus. Nunc tamen, ut unusquisq; quid sui consilii sit sequi possit, antiquam scripturam omnibus proposuimus. {In pecunia caacta ita efferre} Ita nos quoq; olim scribi uolebamus ex melioribus codicibus in quo tamen una in litera nostri librarii peccarunt. prisca certe scriptura hæc est {In pecuniæ caactæ ita efferre} ut facile inde hæc lectio concinnari possit: rectam tamen esse iudicauimus, in re obscura lectori omnia indicare.

PAVL. MANV.

M. Tullius scriba meus} Hic est M. Tullius cognomēto, Laurea, Ciceronis libertus, qui Academiam uillam uersibus, quos recitat Plynius lib. XXXI. celebrauit. {Quam scribæ meo} Vetusti codices habent, quam darem. unus tamen est,& is quidem omnium fere optimus, in quo scriptum sit, quam tibi. ego ita conicio, cum olim in uetere libro scriptum esset, quam Tullio, descriptores fecisse, quam ut una litera, quemadmodum etiam in titulis epistolarum, Tullii nomen significaret. quod imperitiores postea cum ignorarent, scripsisse, quam tibi ut fortasse ita sis legendū, cui potius id negocii, quam Tullio darem. uoces illæ certæ, scribæ meo, uetustis in libris non leguntur. {Legatum meum, præfectumq; Q. Leptam} induxi has duas dictiones. Q. Leptam, primum quod in antiquo libro non fuit: deinde, quod Ciceronem, si præfecti nomen ponere noluisset, legati fuisse omissurum, uerisimile non est. postremo cur nomē ponat, cum ad Messinium Quæstorem suum scribat, qui & præfectum,& alios, qui cum Cicerone in Cilicia fuissent, optime nouerat? {Vt tua, quam tu deposueras, Sextius} Hæc est antiquissimi libri lectio, ex qua nihil immutandum, ut Florentini crediderunt. Est autem sensus, quam ego pecuniam deposui, Pompeius abstulit, quam tu, Sextius. quod uero de tua, qua Sextius est usus, sollicitus es, propterea quod adscriptū cuperes, a iussu meo esse depositā. de hoc (inquit) q; labores, nihil est: erit n. S.C. erunt tuæ literæ, quæ pecuniā istā Sextio traditā esse testabuntur. {In pecunia exacta ita efferre} Ex uarietate duorū codicū hæc lectio sumpta est, cuius hic est sensus. Prouinciæ rationes Ci retulerat. id eius Quæstor Rufus se absente fieri noluerat: pecuniæ. n. nescio quid a se in prouincia exactū in libro rationū scribi cupiebat, existimans, nisi id cū reliquis Ci rationibus referretur, eius rei potestatē se deinceps non habiturū. quod ei fuisset inuidiæ, quasi publicā pecuniam uoluisset auertere. itaq; cōmotus est Ci. autē nō esse ait, cur irascatur: nā licet ipse rationes iā retulerit, Rufo tamē facultatē nō adimi de pecunia referendi, quā exegisset in pecunia, inquit, a te exacta nō æquū fuit, ex eo q; ego meas rōnes retulerim, ut ita te efferres, itaq; mecū insolenter,& iracunde ageres, neq; n. cur id facias, causa ulla est: nisi qđ me fallit: sunt. n. alii peritiores. {Ea prouincia decessemus.} Vetusti codices omnes, decesimus, habēt. nos una litera i, in e, cōmutata decessemus pro decessissem e sensu scripsimus. alii codicis antiqui lectionem, quæ parua omnino diligentia restitui potuit, in suum librum coniecerunt.

SEBAS. CORR.

RAtionē referēdarū} ad urbē. {Ius uetus} ante legē Iuliam. {Totū n. scribā meū} Al. Tulliū. n. scribam meum. {M Mindiū} Epist. xavi.& xxvii. lib XIII. {Quod lex iubebat} Iulia. {Cōsolidatas} Al. cōsolutas. {Iustis de causis} instante bello ciuili {Te expectaturū fuisse, qui nondum de prouincia decesseras. {Prolatis} Alii legunt, Pro relatis, uel delatis. {De Volusio} Duos Volusios secū habuit Ci in prouincia. Cn. quē Attici quæstorē ipse appellat,& Q. quē in Cyprā misit ut ibi ius diceret. Sed utrū hic intelligat, ē cōsiderādū. {Legatū} Volusiū. {Præfectūq;} fabrū. {De Luceio} L. Luceo, quanuis Lyceo, uel Logeo nonnulli scribant: & in uetere libro, De lucro legatur. {Quem tum deposuerat Sextius} Nonnulli ita corrigunt, Quam tu deposueras ea tuis. {Nongētis} Al. nunc centum {Prouisum} Al gratiosum, uel grauisum legas: ut forte legēdum sit, gratum uisum. {In pecunia exacta ista} Al in summa pecuniæ exactæ ita. {Smyrna} Al Myrina.

BERN. RVTI.

IN prouincia relictas rationes prolatis haberem} Pro relatis, uel prodelatis, lego. {Quāobrē de Volusio quod scribis, non est id rationū} Vacat puto, quāobrem aliud. n. caput est, ut legi possit. Quod aurē de Volusio scribis Rationis certe malim scribi, q̄ Rationū, frequēs iuris cōsultis, etiā nō antiquissimis, uerbū rationis est. i. rationi cōsentaneū. sed quia hic de rationibus agebatur, inuersum est Volusiū uero interpres Insulsissime, nec ulla ratione legatū hūc existimat Cice. cū n. dicat Cice maxima calamitate & obligatione leuatos, legatum Leptamq;, hunc uero Volusium, si fieri potuisset, pro Valerio trahere in obligationē uolasse, quis non uidet somniare eū, qui eosdē putet esse? {Cū rem a me nō insipienter ne cogitatam quidē putas} Vide, nū ita malis: Cū rē a me ne insipiēter qdē excogitatā putas. hoc est. n. q; dixerat etiam mediocris prudentiæ fructu se a Rufo uerbis priuari quasi nescisse excogitare rationem Valerii liberandi. {Sed neq; me tuis humanitate literarum mearum obligatum puto} Alibi. Sed neq; me in humanitate,&c. Lego, Sed neq; mihi humanitate literarum mearum te obligatum puto: ea sensu. Epistolam uero hanc idcirco postulat scindi, non ea quam putat interpres causa, sed quia uidebatur nonnullam publicæ pecuniæ in

tis in amicorum gratiam diminutionem factam continere, ut de Valeriani prædibus, quod supra scriptum est. quare nescio quã prudenter atq; ex fide fuerit in uolumen relata a Tyrone, cum id Ciceroni sciret displicuisset. {Reliquum est de sestertiis centum millibus} Infra legitur Centum, non centum millibus. Ego centum tenendum arbitror. nam illa quantitas in immodicum crescit: nec ea est, propter cuius iacturam existimari possit, minas ad eum aut de suis cibariis, aut de proconsulis liberalitate peruenisse. {Id fuisse sestertia XXII.} Ne hæc quidem integras facis summa, cum innuat statim, maiorem fuisse, quam illam quæstoris centum sextertiorum. Nisi quis scribi malit, sestertiũ uicies bis, ut significet uiginti duo millia sestertiorum. {Nolles a me tempore existimationem accipere} Deest hoc, ut sit, hoc tempore. atque ita sane alii quidam seruant codices & subiecta demonstrant. Nam, inquit, numeratum si cuperem non erat. Est uero numeratæ pecuniæ æstimatio in res soli, mobilesq;, sicut & rerum in pecuniam numeratam.

Ex post. eiusdem. M. S.C.D. Rufo} Arbitror ad eũdem scriptas has, subiectasq; literas, quoniam lib. XIII. ad Sulpitium, L. Messinium, quæstorem suum fuisse scribit, ut L. Messinio Rufo, & hac & sequenti epistola inscribi potuerit. Sed & in eadem ad Sulpitium fratrem Messinii M. Mindium facit, quem hic Rufi istius.

PHIL. MELI. HAec non est ex illo genere, quæ sunt diligenter compositæ: estq; purgatio. {Quo modo potuiss.} Exordium, expostulatio cum non uenerit. {Ad ea quæ} Narrationes, de rationibus. {Sed prædes} Prædes sunt in contractibus, uades in capitalibus negotiis. {Mancipis nomine} Mancipes, qui tenuerunt conducta uectigalia, & certam pecuniam senatui tradiderunt. Est enim man. ... pecunia promittit se curaturum aliquid in Republica.

ARGVMENTVM.

In tumultu bellorum ciuilium, cum exercitus esset in Africa, rebus in potestatem Cæsaris Romæ redactis, L. Messinus mœrore oppressæ libertatis secesserat rus, ut interea molestiis urbanis leuaretur. Scripserat autem ad Cic. se cupidum esse eius uidendi. Itaque rescribens Cicero, dicit se ita arbitrari, cum & ipse sit eius uidendi cupidissimus. Nam si cum uim multorum amicorum haberet, tamen eius consuetudine oblectabatur: multo magis nũc ea effici debeat: cum tot amicis orbatus sit, præsertim cum in urbe nihil sit, quo delectetur præter literas: & rectam conscientiam, Deinde ad fortitudinem inuitat: & ut otio fruatur in agro admonet.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Hortatur Messinum, ut honestarum disciplinarum studio, tedium malorum & periculosorum temporum discuciat, & eum miseriis & luctibus oppressum, consolando quantum potest erigit. Suadet etiam ne in urbem redeat, sed dulci successu Musarum se oblectet.

M. T. CICERO S. D. L. MESSINIO 22

GRatæ mihi tuæ literæ fuerunt: ex quibus intellexi, quod etiam sine literis arbitrabar, uidendi mei te summa cupiditate affectum esse. quod ego ita libenter accipio, ut tamen tibi non concedam, nam tecum esse, ita mihi commoda omnia, quæ opto, contingant, ut uehementer uelim. etenim, cum esset maior & uirorum & ciuium bonorum, & iucundorum hominum, & amantium mei copia. tamen erat nemo, qui cum essem libentius, quam tecum, & pauci, quibuscum æque libenter: hoc uero tempore, cum alii interierunt, alii absint, alii mutati uoluntate sint, unum mediusfidius tecum diem libentius posuerim, quam hoc omne tempus cum plerisque eorum, quibuscum uiuo necessario. noli enim existimare, mihi non solitudinem iucundiorem esse, qua tamen ipsa uti non licet, quam sermones eorum, qui frequentant domum meam, excepto uno aut, ad summum altero. itaque utor eodem perfugio, quo tibi utendum censeo, literulis nostris: propterea etiam conscientia consiliorum meorum. ego enim is sum quemadmodum tu facillime potes existimare, qui nihil unquam mea potius, quam meorum ciuium causa fecerim: cui nisi inuidisset is, quem tu nunquam amasti, (me enim amabas) & ipse beatus esset, & omnes boni. ego sum qui nullius uim plus ualere uolui, quam honestum otium. idemq;, cum illa ipsa arma, quæ semper timueram, plus posse sensi, quàm illum consensum bonorum: quem ego idẽ effeceram: quauis tuta conditione pacem accipere malui, quam uiribus eum ualentiore pugnare. sed & hæc, & multa alia coram breui tempore licebit. neque me tamen ulla res alia Romæ tenet nisi expectatio rerũ Africanarum: uidetur enim mihi res in propinquum adducta discrimen. puto autem mea nonnihil intereße, quanquam id ipsum, quid intersit non sanè intelligo, ueruntamen, quicquid illinc nunciatum sit, non longe abesse à consiliis amicorum: est enim res ipsa iam in eum locum adducta, ut quanquam multum intersit inter eorum causas, qui dimicant, tamen inter uictorias non multum interfuturum putem. sed planè animus, qui dubiis rebus forsitan fuerit infirmior, desperatis confirmatus est multum: quem etiam superiores tuæ literæ confirmarunt: quibus intellexi quam fortiter iniuriam ferres, iunitq; me, tibi cum summam humanitatem, tum etiam tuas literas profuiße: uerum enim scribam: teneriore mihi animo uidebare, sicut omnes ferè, qui uita ingenua, in beata, & libera ciuitate uiximus. sed ut illa secunda moderate tulimus; si hanc non solum aduersam, sed etiam funditus euersam fortunam fortiter ferre debemus: ut hoc saltem in maximis malis boni consequamur, ut mortem, quam etiam beati contemnere debebamus, propterea quod nullum sensum esset habitura, nunc sic affecti non modo contemnere debeamus, sed etiam optare. Tu, si me diligis, fruere isto otio tibiq; persuade, PRAETER culpam, ac peccatum, quo semper caruisti, & carebis, homini accidere nihil posse quod sit horribile, aut pertimescendum. Ego si uidebitur recte fieri poße, ad te ueniam breui. siquid acciderit, ut mutandum consilium sit: te certiorem faciam statim. tu ita fac cupidus mei uiuendi sis, ut istinc te ne moueas tam infirma ualetudine, nisi ex me prius quæsieris per literas, quid te uelim facere. Me uelim, ut facis, diligas, ualetudiniq; tuæ, & tranquillitati animi seruias. Vale.

ASCENSIVS. GRatæ &c. In tumultu bellorũ ciuiliũ cũ exercitus esset in Africa rebus in potestatẽ Cæsar. Romæ redactis, L. Messinus mœrore oppressæ libertatis secesserat rus, ut inter ea molestiis urbanis leuaretur, scripserat autem se Ciceronẽ uidere uellet, ad quod Cicero amice rescribit dicens, Literæ tuæ fuerunt mihi gratæ, ex quibus intellexi, quod ẽt arbitrabar sine literis te affectũ esse summa cupiditate uidẽdi mei, q ego accipio libẽter, ita tamẽ ut nõ concedã tibi. i. non uincat a te in consimili cupiditate, utpote tui uidendi. Nã ita contingãt mihi omnia communia quæ opto. i. quæ ad remp spectant, quibus nihil gratius Ciceroni esset, uel omnia quæ opto eueniant mihi ita communia. i. mediocria, nisi cõmoda legendũ putemus, aut priorẽ rationẽ amplectandũ, ut uelim uehementer esse tecũ. Vt. n. i. nã, uidetur. n. una particula, nã ut aliter uacare uideretur. cũ. i. quãuis, esset maior copia & uirorũ, & ciuiũ bonorũ, & hominũ iucundorũ, & amantiũ mei. i. qui me amabant tamẽ nemo erat, qui cũ i. cũ quo, ego essem, libẽtius, q̃ tecũ, & pauci sup. erant, quibuscũ i. cũ quibus essem æque libẽter: sup ac tecũ uero i sed, hoc tẽpore, cũ alii. s. ex amicis interierunt, alii absint mutati uoluntate, quia fortunã secuti. mediusfidius i. ita me Hercules Ioũis filius iudicet, aut mediante fide mea, ego posuerim libẽtius. i. cũ uoluptate maiore tecũ unũ diẽ, q̃ hoc omne tẽpus cũ plerisq; eorũ, quibuscũ. i cũ quibus uiuo necessario, qa tẽpori inseruiẽdũ erat, aut qa alios nõ habebat. Ego. n. nolim te existimare solitudinẽ nõ esse iucũdiorẽ mihi, qua tamẽ ipsa nõ licet uti, q̃ sermones eorũ qui frequẽtãt domũ meã, excepto uno, aut ad summũ altero i. secõdo Itaq; i & ita quia nõ iubet uersari cũ iis hominibus q Romæ sunt. ego utor eodẽ profugio. i. lenimine curarũ, ad q profugio, quo cẽseo. i iudico, utẽdũ tibi, uidelicet literulis nostris . i. studiis philosophiæ potissimũ, quæ literulas uocat, aut modestiæ gratia, aut q illis tẽporibus modica esse permittebãtur, aut q plus literarũ censeat in causis forẽsibus expediẽdũ si liceat. Præterea. i. præter literulas nostras, utor ẽt. s. ad sedãdã animi molestiã, conscientia cõsiliorũ meorũ. i. eo q mihi conscius sum nihil cuiquã cõsuluisse, unde respub. iacturam fecerit. Et econuerso multa multis, quæ si sequi uoluissent, respubl. adhuc staret. Ego enim sum is quemadmodum tu potes existimare: idest iudicare facillime, qui nihil fecerim unquam potius causa mea, idest proprii commodi gratia, quam causa ciuium meorũ, quod dicit quia consul & Imperator iã tum fuerat, aut quia usitatum est ciuium meorum pro concionum

dici.Cui.s.mihi.nisi is.s.Clodius,ut opinor potius quam Cæsar, quē
tu nunquam amasti,amabas.n.me,inuidisset,& procurasset.i.mitten
dum in exilium,&.i.simul ipse esse beatus,& omnes boni. Alii le-
gunt beatus essesen quod de Cæsare intelligunt,qui tunc beatus ui
debatur,& ita non diceret beatus esset,sed esses uerū de Cæsare non
intelligi manifestum est,nunquam.n.Cic.apertas inimicitias cū Cæ
sare habuit,quocirca potuit quis,ut etiā plures supra uidimus,utros
que amasse,cum iam dictum sit,ideo Messinum nunquam amasse
illum,quod Ciceronem amabat.Ego sum sup.is qui nullius.i.non ul
lius.non nolui uim.i.potentiam aut uiolentiam ullius ualere plus-
quam otium honestum,ut est literarium,idemq;.i.ego idem,cum sen
si illa ipsa arma.s.Cæsaris,quæ timueram semper,posse plus quam il
lum consensum bonorum.s.ciuium,quem.s.consensum, ego idem ef
feceram:conuocatis.n.senatoribus Cic.ea fundamenta pacis iece-
rat,quæ nunquam interrumpi posse uidebantur, malui accipere pa
cem conditione,quamuis.i.quantumuis torta.i.uiolenta & iniqua,q̄
pugnare uiribus cum ualentiore.i.potentiore uiribus. Sunt qui le-
gant tota,ut sit quamuis tota conditione pacis.i. nihilo detracto de
conditionibus pacis,quas Cæsar proposuerit. Sunt etiam qui tū le-
gunt ibi,idemq; tum illa &c.sed plures cum legunt.Sed licebit sup.
nobis dicere aut disputare coram.i.in præsentia mutua,breui tempo
re.i.intra breue tempus,hæc.s.iam dicta & multa alia. Neque tamē
ulla alia res tenet me Romæ:nisi expectatio rerum Africanarum.i.
quid Cato & cæteri Pompeiani in Africa contra Cæsarem fecerint.
Enim.i.quia, res uidetur mihi adducta in discrimen.i. periculum
propinquum,ita ut paucis diebus de summa rerum in Africa con-
certandum sit. Autem.i.sed,ego puto nonnihil.i.aliquantulum in-
teresse.i.referre mea.s.utra pars uictoriam habitura sit, quāquam nō
intelligo sane.i.multū,quid idipsum.s.utra pars uicerit,intersit.i.di
scriminis habeat.Verūtamen quicquid nunciatū sit illinc.i. ex Afri
ca,ego uelim non abesse consiliis amicorum. Res n. adducta est in
eum locum,ut quanquam multum intersit.i.differētiæ sit inter cau
sas eorum,qui dimicant,quia melior est,Pompeianorum fuisse uicto
riam.Sed plane.i.omnino,animus.s.meus,qui fuerit.i permittamus,
ut fuerit,forsan infirmior,rebus dubiis.i.cum res essent dubiæ, con-
firmatus est multum rebus desperatis,quem sup.animum,literæ tuæ
superiores confirmarunt etiam,quibus s.literis:intellexi,quā i.quā
tum fortiter ferres iniuriam,& iuuit.i.delectauit me cum.s.ita sit,q
iuuit me summam humanitatem tuam profuisse.i.utilem fuisse tibi,
tum etiam sup.iuuit me literas tuas profuisse tibi Scribam.n.uerum.
Tu uidebare mihi fuisse animo teneriore.i multum tenero,aut tene
riorem,quam decuit,sicut fere nos omnes:sup.uidebamur fuisse,qui
uiximus uita ingenua.i.nulla seruitute notata, in ciuitate beata.i.
opulenta,ac felici,& libera. Sed ut tulimus.i.portauimus,modera-
te.i.temperanter,illa secunda.i.prospera,& læta,sic debemus ferre
fortiter,hanc fortunam non solum aduersam,sed etiā euersam fun-
ditus.i.a primis fundamentis,quantum ad libertatem.Vt consequa
mur in maximis malis,saltem hoc boni.ut debeamus nūc affecti sic
.s.desperatione salutis,aut libertatis,non modo.i.non solum contē-
nere,sed etiam optare mortem:quam.s mortem, nos debebamus cū
semuere etiam beati i cum essemus beati,propterea,quod ipsa nullū
sensum esset habitura quod dicit secundum Epicureos, quos tamē
alibi reprehendit,nisi forte putemus propterea dicere,quod beatis
tanta fuerit lætitia,ut tormenta mortis nō sentiant.Vnde nō dicit se
in morte,aut post mortem nullum sensum habiturus fuisse,sed mor-
tem ipsam.Tu si diligis me,fruere isto otio.i cape fructum, & uolu-
ptatem ex isto otio,quod nactus es,& persuade tibi nihil posse acci
dere,aut accedere.i.addi homini,quod sit horribile aut pertimescē
dum,præter culpam,ac peccatum.qua.s culpa,tu caruisti.i. uacuus
fuisti & carebis semper.Ego ueniam breui.s.tempore,ad te,si uidebi
tur posse fieri recte,siquid acciderit,ut.i.ita,ut consilium si mutan-
dum,ego faciam statim te certiorem.Tu fac sup. ut sis cupidus mei
uidendi ita,ut ne.i.non moueas te istinc.i ab isto loco. ualetudine
sup.tua,existente tam infirma nisi quæsieris prius ex me per literas,
quid uelim te facere idest ut tu facias.Velim,ut facies supple ut di-
ligas me,& seruias:idest inseruias ualetudini tuæ,& tranquillitati
animi scilicet tui.

VICTORIUS.

Ita mihi omnia} Mediceus liber,& alii ueteres.{Communia om
nia:} In quibus uerbis uitium inesse manifestum est:quomodo
illud emendari posse arbitrati sumus,spectari potest.& fortasse
non in elegantius,quam alii qui castigarunt, {Commoda omnia:}
magna.n.uis est illorum uerborum.{ Ita mihi omnia, quæ opto con
tingant}Cupimus.n.sæpe,precamurq; a Diis immortalibus nō no-
bis tantum commoda,sed amicis etiam & aliis qui nobis chari sunt,
non paruamq; ex ea re,si impetramus,uoluptatem capimus:Hone-
stius.n.est amicis,suisq; commoda quam sibiipsi optare, Hæc ratio
fecit,& alia etiam argumenta,ut priorem uocem deleremus,arbitra
mur.n.cum {Omnia}scribere uellet perperam librarium {Commu-
nia} scripsisse:cumq; erratum suum cognouisset.{Omnia postea scri
psisse,nec priorem uocem inducere curasse,quod multis locis facit.
{Vt.n.cum esset}Hæc est Medicei codicis,& aliorum etiam ueterū
lectio,quam tamen nonnulli damnant,qui olim & ipsi eam ualde
amauerant,etsi ut omnia componerent,infra suo ex ingenio lectio-
nem mutauerant.Quam restituerunt:lectionem, nullo modo pro-
bo.neq; hoc facio concertationis studio, sed quod ita uerum esse
existimo,siquis acute perspexit, si {Etenim} (quemadmodum illi
uolunt) legatur,uidebit multo minus uerba inter se cohærere, quā
si prisca lectio conseruetur.Quare peccasse nobis nō uidemur, qui
si aliquis error est,una cum antiquis libris peccare uolumus. Po-
tius animaduertendum est,an sit e genere eorum quæ speciem soloe
cismi habere uidentur,de quibus nos aliis in locis locuti accurate
sumus,& Paulus etiam in eo,quod sequitur,scholio egit.

PAVL. MANV.

Commoda omnia ita opinor,quam communia omnis itaque
olim impressimus,secuti libros aliquot manu scriptos,quo-
rum unum sane perantiquum Hieronymus Ferrarius habet.
{Etenim cum esset} Alii,ut enim,quam lectionem nos non admodū
probamus:particulæ enim,ut,quæ respondeat,uox non erit. Ex co
dice igitur Bernardini Maffei,etenim emendauimus.

SEBAS CORR.

Commoda omnia} Al.communia omnia. {Cum plerisq; eo-
rum}Cæsarianorum.{ Vti non licet}ne offendam Cæsarem,
si absim {Inuidisset is}uel Pompeius,ut quibusdam placet:
uel M.Cato, quem Cicero sibi inuidisse sæpe testatur.{Effeceram}
in consulatu.{Quamuis tota}in ueteribus libris fere semper scribitur,
quamuis iota.

BERN. RVT.

Vt Enim,cum esset maior & uirorum & ciuium bonorum &
iucundorum hominum}Etenim:sensus postulat. {Cui nisi
inuidisset is,quem tu nunquam amasti}Quid si Pompeium
intelligat?qui fœdus cum Crasso Cæsareq; inierit,ut resisteret, Cice
ronis Catonisq; factioni,nimium,ut ipsis uidebatur,libertatis cupi-
dæ posset.Nota est n.illa M.Tullii suspiratio:Vtinam Cn.Pompei
societatem cum Cæsare aut nunquam coisses,aut nunquam diremis
ses.Interpretum sensa non satisfaciunt.

PHIL. MELA.

Gratæ mihi tuæ literæ}Consolatoria est.Initio autem respō
det ad Messini literas,& in fine addit consolationem.Ordi
tur autem ab approbatione literarum istius,& proponit se si
militer affectum esse,& eius consuetudinem desiderare. Ratio ex
collatione,quia ne antea quidem cuiusquam cōsuetudo iucundior
fuit. Sequitur amplificatio ex contrario:Optarim in solitudine ui-
uere,quam nunc iā urbe.Huic affectui rursus apponit duas res, qui
bus se consolatur ipse,studia & conscientiam consiliorum, quæ po
stea pluribus uerbis explicat.In fine addit consolationem ex loco
communi:nihil metuendum esse ei,qui culpa careat. {Quod ego}
Exordium uicissim tecum esse cupio.{Vt enim cum} Ratio propo-
sitionis:Antea quoq; libenter tecum eram,quanto magis nūc {No
lim.n } Alia amplificatio {Itaq; ut ne}Narratio,quibus rebus se con
soletur tali tempore.s.duabus literis & conscientia. {Verum.n.scri-
bam } ἀντιστροφὴ ad Messinum, in qua incipit & ipsum confirmare,
recitato suo exemplo supra in narratione.{Tu si me}Ratio consola
tionis:Nihil est pertimescendum,præter culpam.

M. T. C. EPISTOLARVM FAMILIARIVM
QVINTI LIBRI FINIS.

MARCI

MARCI TVLLII CICERONIS

EPISTOLARVM FAMILIARIVM,

LIBER SEXTVS.

ARGVMENTVM.

Aulus Torquatus post pharsalicam cladem, dum inter Pompeianos, & Cæsarianos adhuc bella sæuirent, se, ut plerique alii, Athenas contulerat, ubi deflebat communes miserias, & ualde angebatur eum de rebus suis priuatis, erant enim accisæ, ac disperditæ, cum de rep. Eum itaque Cicero hac epistola cõsolatur fere iisdem rationibus, quibus supra Seruium Sulpitium, qui pauloante ob consimilem causam etiam Athenas se contulerat, nunc tamen abfu erat quod se dolere dicit Cicero Torquati causa, cum ex eius præsentia magnum fructum fuisset capturus. Operæprecium autem esset, pro huius epistolæ intellectione, legere epistolam prius ad Seruium scriptam, quæ incipit: Vehementer te esse solicitum &c.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Torquatum, qui cum aliis Pompeianis in eadem erat naui, consolando hortatur, ut tempestates reip. æquo, bonoq; animo ferat.

M. CICERO S. D. A. TORQVATO. 1

ETsi ea perturbatio est omnium rerum, ut suæ quemq; fortunæ maxime pœniteat, nemoq; sit, quin ubiuis, quam ibi, ubi est, esse malit: tamen mihi dubium non est quin hoc tempore, bono uiro Romæ esse miserrimum sit: nam & si quocunque in loco quisque est idem est et sensus, & eadem acerbitas ex interitu rerum & publicarum, & suarum tamen oculi augent dolorem, qui ea quæ cæteri audiunt, intueri coguntur, nec auertere à miseriis cogitationem sinunt: quare etsi multarum rerum desiderio te angi necesse est: tamen illo dolore, quo maxime te confici audio, quod Romæ non sis, animum tuum libera: etsi enim cum magna molestia tuos tuaq; desideras, tamen illa quidem, quæ requiris, suum statum tenent, nec melius, si tu adesses, tenerent, nec sunt ullo in proprio periculo. nec debes tu, cum de tuis cogitas, aut præcipuam aliquam fortunam postulare, aut communem recusare. de te autem ipso Torquate est tuum sic agitare animo, ut non adhibeas in consilium cogitationum tuarum desperationem aut timorem: nec enim is, qui in te adhuc iniustior, quam tua dignitas postulabat, fuit, non magna signa dedit animi erga te mitigati. nec tamen is ipse, à quo salus petitur, habet explicatam, aut exploratam rationem salutis suæ. CVMQVE omnium bellorum exitus incerti sint: ab altera uictoria tibi periculum nullum esse perspicio, quod quidem seiunctum sit ab omnium interitu: ab altera te ipsum nunquã timuisse, certo scio. reliquum est, ut te ipsum, quod ego quasi consolationis loco pono, maxime excruciet: commune periculum Reipublic. cuius tanti mali, quanuis docti uiri multa dicant, tamen uereor, ne consolatio ulla possit uera reperiri: præter illam, quæ tanta est quantum in cuiusque animo roboris est, atque neruorum si enim BENE sentire, recteq; facere, satis est ad bene, beateq; uiuendum, uereor, ne eum, qui se optimorum consiliorum conscientia sustentare possit, miserum esse, nefas sit dicere: nec enim nos arbitror uictoriæ præmiis ductos, patriam olim, & liberos, & fortunas reliquisse: sed quoddam nobis officium iustum, & pium & debitum Reipublic. nostræq; dignitati uidebatur, qui neque, cum id faciebamus, tam eramus amentes, ut explorata nobis esset uictoria. quare si id euenit, quod ingredientibus nobis in causam propositum fuit accidere posse: non debemus ita cadere animis, quasi aliquid euenerit: quod fieri posse nunquam putarimus. simus igitur ea mente, quam ratio, & ueritas præscribit: ut nihil in uita nobis præstandum præter culpam putemus, eaq; cum careamus omnia humana placate, & moderate feramus, atque eò pertinet oratio, ut perditis rebus omnibus, tamen ipsa uirtus se sustentare posse uideatur. sed si est spes aliqua rebus communibus, ea tu, quicunque status est futurus, carere non debes. atque hoc mihi scribenti ueniebat in mentẽ, me eũ esse, cuius tu desperationem accusare solitus esses. queq; autoritate tua cunctãtem, & diffidentẽ excitare. quo quidẽ tempore non ego causam nostram, sed consilium improbabam, serò enim nos ius armis aduersari uidebam, quæ multo ante confirmata per nosmetipsos erant, docebamq;, pilis, & gladiis, non consiliis, neque autoritatibus nostris, de iure publico disceptari. neque ego ea quæ facta sunt fore eum *dicebam, diuinabam futura, sed quod & fieri posse & exitiosum fore, si euenisset, uidebam, id ne accideret, timebam: præsertim cum, si mihi alterutrum de euentu, atque exitu rerum promittendum esset, id futurum, quod euenit: explorati possem promittere. iis enim rebus præstabamus, quæ nõ prodeunt in aciem, usu autem armorum & militum robore inferiores eramus. sed tu illum animum nunc adhibe quæso, quo me tũ esse oportere censebas. hæc eo scripsi, quod mihi Philargyrus tuus omnia de te requirenti, fidelissimo animo (ut mihi quidem uisus est) narrauit, te interdum solicitum solere esse uehementius, quod facere non debes, nec dubitare, quin aut aliqua Republic. sis futurus qui esse debes, aut perdita, non afflictione conditione, quàm cæteri: hoc uero tempus, quo exanimati omnes, & suspensi sumus, hoc moderatiorẽ animo ferre debes, quod & in ea urbe es, ubi nata, & alta est ratio, ac moderatio uitæ: & habes Seruium Sulpitium, quem semper unice dilexisti, qui te profecto & beneuolentia, & sapientia consolatur. cuius si essemus & autoritatem, & consilium secuti, togati potius potentiam, quam armati uictoriam subissemus. sed hæc longiora fortasse fuerunt, quam necesse fuit. illa, quæ maiora sunt, breuius exponam. Ego habeo cui plus, quam tibi, debeam neminem. quibus tantum debebam, quantum tu intelligis, eos mihi huius belli casus eripuit. qui sim autem hoc tempore intelligo. sed quia NEMO est tum afflictus, qui, si nihil aliud studeat, nisi id, quod agit, non possit nauare aliquid & efficere, & omne meum consilium, operam studium certe uelim existimes tibi tuisq; liberis esse debitum. Vale.

*a.l. docebam.

ASCENSIVS.

Tsi Etc. Aulus Torquatus post Pharsalicam cladem se Athenas contulit, ut plerique alii, interea dum bella ad huc sæuirent inter Cæsarianos & Pompeianos, ipse cõmunes miserias deflebat, & ualde de suis rebus angebatur. cum ergo Cicero hac epistola consolatur fere iisdẽ rationibus, quibus supra Seruium Sulpitium, qui pauloante ob consimilem causam etiam Athenas se contulerat: & eum a mœrore auocat, dicens: Etsi ea perturbatio est omnium rerum, ut quẽque pœniteat maxime fortunæ suæ, ut nemo sit quin malit esse ubiuis idest ubilibet, quam ibi, ubi est tamen non est dubium mihi, quin miserrimum sit bono uiro esse hoc tempore Romæ. Nam etsi quocunque in loco quisquis est, idem sensus est ei, & eadem acerbitas ex interitu rerum, & publicarum, & suarum scilicet priuatim, tamen oculi .i. uisus, augent dolorem, quia cogunt scilicet nos intueri: idest inspicere ea quæ cæteri audiunt, nec scilicet oculi sinunt, idest permittunt: supple nos auertere cogitationem a miseriis. Quare .i. quamobrem, etsi idest quanquam. necesse est te angi: idest premi, affici uehementer desiderio multarum rerum. tamen libera: idest solue, animum tuum illo dolore, quo audio te confici maxime, scilicet quod non sis Romæ Enim: idest quia, & si desideras cum magna molestia idest magna molestia animi concomitante: tuos: scilicet amicos & necessarios. & tua, scilicet bona tamen illa quidem quæ requiris: idest exigis, tenent statum suũ idest sibi debitum, nec tenerent melius si tu adesses, nec sunt in illo periculo proprio. Nec tu debes, cũ cogitas de tuis: scilicet amicis, & rebus, aut postulare, scilicet a deo, fortunam aliquam præcipuam, idest excellentem, aut recusare communem, scilicet fortunam. Autem idest sed. o Torquate tuum est, id est officii tui agitare animo sic de teipso: ut non adhibeas in consilium cogitationum tuarum desperationem: scilicet melioris fortunæ aliquando habendæ, aut timorem: scilicet de peiore. Nec enim is: uidelicet Cæsar qui fuis adhuc iniustior in te, quam dignitas tua postulabat, non dedit: hoc est dedit, nam nec non affirmatiua uox est magna signa, idest indicia, animi, scilicet sui mitigati erga te. Nec tamen is ipse: uidelicet Cæsar, a quo salus petitur. habet rationem .i. uiam, & modum salutis suæ explicatam, idest promptam, aut exploratam: idest euidentem, quod paulopost patuit in senatu quod tribus & uiginti uulneribus interemptus est. Cumq;: idest & cum, exitus omnium bellorum sint incerti, quia nondum finitum erat bellũ ciuile: quasi dicat: ego perspicio. idest intelligo clare, nullum periculum esse tibi ab altera uictoria. scilicet Cæsaris: qui tibi placato est animo. quidem: idest certe, quod periculum sis seiunctum: idest separatum ab interitu: scilicet libertatis omnium, & certo scio te nunquam timuisse ab altera: scilicet uictoria: utpote Pompeianorũ. Reliquum est: idest restat, ut commune periculum reipu. excruciet maxime teipsum, quod: scilicet solum a communi periculo cruciari, ego pono quasi loco consolationis Cuius, tanti mali, quanuis .i. licet docti uiri, uidelicet philosophi, aut docti, ciues, dicant multa scilicet remedia, aut legamus multas, ut fit, quanuis dicant multas sup. consolationes ab eo quod sequitur: tamen uereor ut ulla consolatio uera possit reperiri, hoc est uereor nullam ueram posse reperiri. Idẽ enim efficit uerbum uereor, cum negatione, & sine ea, præter illam: scilicet consolationem, quæ est tanta. quantum roboris: idest fortitudinis, atque neruorum: idest uirium firmarum, est in animo cuiusque. Si enim sentire bene, & facere recte est satis ad uiuendum bene, & beate, secundum Stoicos, qui in uirtute beatitudinem ponunt, non uereor ne nefas sit dicere eum esse miserum, qui possit sustentare sese conscientia, idest eo quod sibi conscius est optimorum consiliorum, Nec enim arbitror nos ductos: idest inductos, præmiis uictoriæ, idest quam uictoria talis afferre solet, reliquisse olim: scilicet dum Pompeium secuti sumus, patriam & liberos, & fortunas, idest diuitias, sed uidebatur nobis quoddam officium iustum, & pium, & debitum reipub & dignitati nostræ. qui nec cum faciebamus id .i. cum de derelinquebamus nostros, & nostra, eramus tam amentes .i. insani, ut uictoria esset: idest reputaretur nobis explorata: idest certa Quare si id, quod propositum fuit posse accidere nobis ingredientibus causam: idest quod uidebamus ante, oculos, hoc est Cæsarem uictorẽ fore, euenit, nos non debemus cadere animis, ita, quasi, aliquid euenerit, quod putarimus nunquam posse fieri. Igitur simus ea mente, idest habeamus eam mentem, quam ratio, & ueritas præscribit, idest statuit nobis, ut putemus: idest existimemus nihil præstandum, idest emendandum a nobis, in uita: scilicet ista: idest eorum quæ contingunt uita nostra durante, præter culpam: scilicet nostram, & cum careamus ea scilicet culpa (ergo caremus etiam iis, quæ habere nolimus,) feramus omnia humana idest quæ omni homini accidere possunt incommoda, placate, & moderate. Atq; hæc ratio: scilicet mea pertinet eo: idest ad id, ut perditis omnibus rebus: idest licet omnes res sint perditæ, tamẽ ipsa uirtus uideatur posse sustentare sese. Sed si aliqua spes est rebus idest de rebus communibus, tu non debes carere, scilicet spe, quicunque status est futurus. Atque ueniebat mihi scribenti hæc in mentem: idest cogitationem, me esse eum cuius desperationem tu solitus esses accusare, quemq;: idest & quem (sunt enim quæ partes) tu solitus esse excitare tua autoritate, cunctantem, idest hæsitantem, & diffidentem: idest quasi desperantem de repu. Quo quidem tempore, scilicet quo tu me accusabas sic, & excitabas, ego non improbabã causam nostram, quæ semper iusta uisa est, sed consilium supple nostrorum. quia dixi nos male consultos esse, qui tantæ Cæsaris potentiæ aduersaremur, cum tamen iustissima esset ratio belli contra eum, unde addit dicti sui rationem dicens Enim: idest quia ego uidebam, idest intelligebam, nos aduersari sero idest nimis tarde, iis armis, quæ erant confirmata per nosmetipsos multo ante, quia tunc cum Cæsari decretum est imperium in Gallia, & dolebam disceptari de iure publico idest de principatu Romano, pilis, idest telis longis, Romanorum propriis, & gladiis, non consiliis, neque autoritatibus nostris, Neque ego, cum dicebam ea fore idest futura esse, & diuinare, quæ facta sunt, uidelicet nunc, diuinabam idest quasi diuino inflatus spiritu prædicebam futura, sed timebam ne id accideret, quod uidebam, & idest simul, posse fieri, & fore exitiosum idest perniciosum, si euenisset, præsertim cum si promittendum, esset nihil alterutrum idest alterum duorum, de euentu, atque exitu rerum, possem promittere exploratius idest certius id, quod euenit, uidelicet Cæsarem uicturum in cõflictu Pharsalico, aut simili, si contigisset confligere cum Pompeianis. Nos enim, qui Pompeium secuti sumus, præstabamus idest meliores eramus his idest huiusmodi rebus, quæ non prodeunt in aciẽ, idest contra armatam manum hostium. Autem: idest sed, nos eramus inferiores usu armorum, & robore militum. Sed quæso tu adhibe hunc illum animum, quo censebas me oportere esse tunc. Ego scripsi hæc eo idest propterea, quod Philargyrus (nomen est liberti ipsius Torquati, quando autem appellatiuum est, dicitur amator argenti, hoc est auarus,) tuus scilicet libertus, narrauit mihi requirenti omnia de te: narrauit dico animo fidelissimo, ut quidem uisa est mihi, scilicet narrare, quia fraus interdum occultitur. te solere esse interdum solicitum uehementius idest uehementer, aut uehemẽtius, quam deceat, quod non debebes facere, nec dubitare, quin sis futurus supple is, qui debes esse, aliqua rep. s. futura, aut repu. supple perdita idest si sit perdita, futurus si conditione idest ista in uitæ, non afflictiore quam cæteri. Vero idest sed, tu debes ferre hoc tempus, quo nos omnes sumus exanimati, idest priuati animo Et suspensi idest stupefacti, animo moderatiore, scilicet quam, reliqui hoc, id est propter hoc, quod idest quia, tu et: idest simul in ea urbe, scilicet Atheniensi, ubi ratio & moderatio uitæ est nata, & alita idest nutrita. Et: idest simul, habes Seruium Sulpitium, quem dilexisti semper unice, qui profecto consolatur se, & beneuolentia, & sapientia, cuius si nos essemus secuti autoritatem & consilium, nos subissemus potius togati: idest in pace potentiam, quæ armati uictoriam. Sed hæc, scilicet consolatoria uerba, fuerunt fortasse longiora quã fuit necesse, ego es ponam breuius illa, quæ sunt maiora. Ego neminem habeo, cui debeam plus, quam tibi, & casus belli eripuit mihi eos, quibus debebam, scilicet si uiuant, tantum quantum tu intelligis. Autem, idest sed ego intelligo. qui idest qualis, & quam miser sim hoc tempore: sed quia nemo est tam afflictus, qui si nihil studeat aliud quam id, quod agit ubi, studeo cum accusatiuo construitur, nõ possit, & ita quilibet possit nauare & efficere aliquid: scilicet aduersus Cæsarem: Ego uelim supple ut existimes, omne consilium meum operam scilicet meam omnem certe. idest haud dubie, studiũ supremum omne esse debitum tibi, & liberis tuis.

VICTORIVS.

SI enim bene sentire recteq; facere satis est ad bene beateq; uiuendum, non uereor ne eum qui se optimorum consiliorum conscientia sustentare possit, miserum esse nefas sit dicere} negatiuam particulã ante {Vereor,} Vetus ille codex non habet. Quæ tamen si non sit, sententiam non corrumpit potest enim cum interrogatione locus legi, quasi dixerit. uereri debeo? & cætera. Nos nihil immutauimus, siquis uetere lectione magis delectatur, eam reponit.

SEBAS. CORR.

A. Torquato} Is in causa Milonis quæsitor fuit. {Nec enim is} Cæsar. {Fortunas reliquisse} Pompeium sequens {Veritas præscribit} Virtus præscribit, in omnibus fere libris legitur. {Consilium improbabam} relinquendi Italiam, & pugnandi. {Iis armis aduersari} Cæsaris. {Per nosmetipsos} Pompeio prouinciæ Cæsaris propagatore. {Iis enim rebus} dignitate, & autoritate. {Suspensi sumus} expectatione belli Africani {In ea urbe} Athenis. {Seruium Sulpitium Achaiæ præfectum. {Autoritatem, & consilium} Epi. III. lib. IIII. {Togati} Cæsaris, quoniam depositis armis Coss. esset factus. {Armati} Cæsaris. {Quam tibi} cuius quantum studium & quam insigne fuerit erga me temporibus illis, quæ nota sunt omnibus, scire necesse est: inquit lib. II. de Finibus.

BERN. RVT.

SI enim bene sentire recteq; facere satis est ad bene beateq; uiuendum, non uereor, ne eum qui se optimorum consiliorum conscientia sustentare possit. miserum, esse nefas sit dicere} Videtur una abesse negatio, aut una abundare, ut legi debeat, Vereor ne eum, &c. uel. Non uereor, ne non eum, & reliqua: uel, Non nefas sit dicere, Alioqui si primam scripturam recipimus, significarit, certum habeo, nefas non esse miserum dicere: quod Ciceronis sententiæ repugnat, ea est enim istiusmodi orationis uis, atque proprietas, quod frequenti autorum usu, ipsiusq; in primis Ciceronis sancitur: etsi plerisque locis corruptis, quibusdam uero etiam eruditis hominibus

minibus dissentientibus.{Togati potius potentiam, quam armati ui ctoriā subuissemus}.{Togati atq; armari, scilicet Cæsaria. sunt enim secundi casus. Potentiam uero togati dixerit propter secundum cō sulatum, quem, si exercitum prouinciamq; traderet, dari sibi omnino Cæsar uolebat. autores omnes. sd Cæcinnam ipse paulo post. Esset hic quidem clarus in toga & princeps, sed tantas opes, quantas nunc habet, non haberet.

PHIL. MELA.

SVnt in hoc lib. multæ suauissimæ epistolæ, ualde rhetoricæ. Hæc autem consolatoria est, & oritur a loco, ut Torquatus, facilius ferat se domo abesse. Deinde consolatur Torquatū, spe quadam proposita. Tertio instituit consolationem, ex loco communi: Bonum uirum oportet culpam præstere, non fortunam: Nos officio adducti bellum gessimus, non spe uictoriæ, sed scientes exitum incertum esse: Igitur moderate feramus. Addit exemplum Torquati. olim meam imbecillitatem tu reprehendebas, nunc igitur quoq; confirmo ipse.{Etsi ea perturbatio} Argumentatio habet consolationem de loco: Romæ esse est miserrimum. Igitur tu ne doleas te abesse.{De te autem} Secundum argumentum a spe reditua.{Nec tamen is} Nona consolatio de Repub. argumentum sumitur ex loco honestatis.{Reliquum est} Propositio.{Quod ego quasi} Occupatio.{Cuius tanti mali} Maior.{Si enim bene} Minor.{Quare si id} Cōclusio: Bonus uir debet recte sentire, & facere, & fortiter ferre exitum qualiscunque futurus sit: Nos id fecimus: Igitur non doleamus {Atq; hæc mihi} Amplificatio ex ueteri robore & constantia Torquati: olim fuisti fortis, si nunc quoq;.{Quod & in ea urbe} Cō solatio de loco, ab Athenarum laudibus.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Et hæc est consolatio eiusdem cum superiore argumenti, non esse cuiquam priuatum de tanto casu Reip. dolendum, cum omnes ex æquo boni habeant, quod conquerantur.

M. CICERO S. D. A. TORQVATO. 2

PEto à te, ne me putes obliuione tui rarius ad te scribere, quam solebam, sed aut grauitate ualetudinis, qua tamen iam paulum uideor leuari, aut quod absim ab Vrbe, ut, qui ad te proficiscantur, scire non possim. quare uelim ita statutum habeas, me tui memoriam summa cum beneuolentia tenere, tuasq; omneis res non minori mihi curæ, quam meas esse. Quòd maiore in uarietate uersata est adhuc tua causa, quam homines aut uolebant, aut opinabantur: mihi crede, non est pro malis temporum, quod moleste feras: necesse est enim, aut armis urgeri Rempublicam sempiternis aut his, positis, recreari aliquando, aut funditus interire. si arma uolebunt: nec eos, à quibus recesseris, uereri debes, nec eos, quos adiuuisti. si armis aut conditione positis, aut defatigatione abiectis, aut uictoria detractis, ciuitas respirauerit: & dignitate tua frui tibi, & fortunis licebit. sin omnino interierint omnia, fuerit q; is exitus, quem uir prudentissimus M. Antonius iam tum timebat cum tantum instare malorum suspicabatur: misera est illa quidem consolatio, tali præsertim ciui, & uiro, sed tamen necessaria, NIHIL esse præcipue cuiquam dolendum in eo, quod accidat uniuersis. quæ uis insit in his paucis uerbis (plura .n. committenda epistolæ nō erant) si attendes, quod facis: profecto etiam sine meis literis intelliges, te aliquid habere, quod speres: nihil, quod aut hoc, aut aliquo Reipub. statu timeas, omnia si interierint, cum superstitem te esse Reipub. ne (si liceat) quidem uelis, ferendam esse fortunam, præsertim quæ absit à culpa, sed hæc hactenus. Tu uelim scribas ad me, quid agas, & ubi futurus sis, ut, aut quò scribam, aut quo ueniam, scire possim. Vale.

ASCENSIUS.

PEto. Argumentum est, quales superiores epistolæ. Adducit enim Cicero multas rationes, quibus probat nihil esse, quod Torquatus merito moleste ferat, quod non sit adhuc consecutus id, quod uolebat, & quod causa eius sit obseruata in maiore uarietate, quam quis opinatus esset. Purgat autem in principio, quod raro ad eū scripserat, dicens: Peto a te. ne putes me scribere ad te rarius, quam soleam, obliuione, idest propter obliuionem tui, sed aut grauitate ualetudinis, idest ægritudinis, qua tamen ego uideor leuari: idest liberari, iam paululum, idest modicum, aut modicule, aut supple ideo q absum ab urbe, ui non possim scire, qui proficiscantur ad te scilicet Athenas. Quare ego uelim, ut supple habeas statutum, idest constitutum, & firmatum me tenere memoriam tui, cū beneuolentia summa idest maxima, & omnes res tuas esse mihi non minori curæ, quā meas scilicet res. Quod .s. ut scribis, causa tua uersata est adhuc in maiore uarietate, quā homines aut uolebant, aut opinabantur; crede mihi non est, supple, aliquid tibi pro mali: idest secundum mala temporum quod feras: idest ferre debeas moleste. Necesse est enim aut rempu urgeri armis sempiternis, aut remp. recreari aliquando, his, scilicet armis, positis: idest depositis, aut supple eā interire funditus idest a fundo, uel ad fundum usq; Si arma ualebunt, nec debes uereri eos, scilicet Cæs. & Cæsarianos, a quibus recesseris, nec eos, quos adiuuisti uidelicet Pompeianos: si aut armis positis: idest depositis. conditione: idest pactione, aut abiectis defatigatione, aut detractis uictoria, scilicet alterius, partis ciuitas: scilicet Romana respirauerit, licebit tibi frui & dignitate tua, & fortunis tuis. Si omnia .s. repu. tua interierint omnino: idest ex omni parte, & is exitus: scilicet bellorum fuerit, quem Marcus Antonius orator insignis qui fuit auus illius Marci Antonii, qui triumuir Ciceronem postea pro scribendum curauit, & proscriptum comprehendendum ac trucidandum præcipue ob Philippicas orationes in eum scriptas, uir prudētissimus, timebat iam tum: idest tunc, cum suspicabatur tantum malorum instare, consolatio illis est quidem misera præsertim tali ciui, & uiro, sed necessaria, uidelicet nihil esse dolendum: cuiquam præcipue, idest singulariter, aut peculiariter in eo, quod accidit uniuersis. Quæ uis &c. Si tu attendes. quod facis quæ uis sit in his paucis: scilicet proximo loco iam habitis, pauca autem ideo scripsit .n. idest quia, plura. non erant committenda epistolæ, quæ breuitate gaudet, tu profecto intelliges etiam sine literis meis, te habere aliquid, quod, speres, idest sperare possis & nihil supple habere, quod timeas, idest timere debeas, aut hoc, aut aliquo statu resp. supple existante. Si omnia interierint, cum ne uelis quidem si liceat te esse superstitem. idest superuicturum reipu. intelliges sup. fortunam esse ferendam, præsertim, quæ absit a culpa. Sed hæc: sup. scripta sint hactenus Velim sup ut tu scribas ad me quid agas, & ubi sis futurus, ut possim scire, aut quo scribam, aut quo ueniam.

VICTORIUS.

SI Arma ualebunt, nec eos, a quibus recesseris, uereri debes, nec eos. quos adiuuisti} Etsi hic uulgatam lectionem conseruauerimus, magis tamen antiquam probamus, quæ nescio quomodo tunc nos subterfugit, pro {Recesseris} enim, (receperis legendū est, ut intelligat nunc Cæsarianas partes. Si enim {Recesseris} legas, Pō peianas intelligas oportet, ab illis enim discesserat post aduersam eorum pugnam, quod sententiæ nullo modo quadrabit. Eædem autem erant quas adiuuerat, & a quibus recesserat, cum hic de ambabus loquatur, Aut enim armis inquit urgebitur Respubl. sempiternis, quo casu nulla tua præcipua calamitas erit sed ut malis res tuæ in tuto sunt nec enim Cæsarianos timere debes, a quibus receperis (præsenti autem tempore utitur, quia nondum res confecta erat, nam, ut supea inquit, in magna uarietate eius causa uersata est, de qua tamen bene sperare licebat propter animum Cæsaris mitigatū) nec eos quos adiuuisti: hi autem erant Pompeiani. Durante igitur bello, inquit, malum a natura parte expectare debes. Illi enim quibus fauisti, & cum quibus in rebus gerendis fuisti propter pristinam societatem te incolumen uolent: hi autem te receperunt, & suum iam numerant. Sæpe autem ueteres codices propter uariam, & aliquantulum inquinatam scripturam primo ita perturbant, ut non mirum sit, si quæ quandoque prætereunt. nec enim facile est, si quid boni lateat, perspicere. Nam parua quæque illusio, & labes optimam lectionem occulere potest {Reciperis} autem in illis scriptum est, cū {Receperis} esse deberet. quod si ita scriptum fuisset, non alii fortasse, dum uerbum illud corrigere ualent, mendosum esse arbitrantes, nec satis sententiam huius loci intelligentes, deterius multo fecissent. Est autem pro I. sæpe positum E in priscis exemplaribus, & I pro E. Quin etiam hoc ipsum uerbum eadem ratione in iisdem codicibus scriptum est in epistola ad Brutum, Non recepi a Lepido Antonium pro recipi. Præterea quod in his uerbis est {Adiuuisti,} Mediceus codex {Aduisti,} facili in aliam uocem lapsu, nisi obseruatum esset hoc uerbum per unum tantum V, in eo exemplari semper legi, & aliis etiam quos uidi uetustis codicibus.

SEBAS. CORR.

ABsim ab urbe} in meis prædiis. {Nec eos} Cæsarianos. {A quibus reciperis} Cæsare tibi iam fere reconciliato. Al. recesseris. {Nec eos} Pompeianos. {Quos adiuuisti} Al. quos adiuisti. {Is exitus} Reipublicæ euersio. {M. Antonius} Orator.

PHIL. MELA.

COnsolatoria est} Orditur autem ab excusatione silentii deinde addit consolationem, in qua distributio est trium membrorum, ex qua ratiocinatur, & colligit causas minuendi doloris. {Peto abs te} Exordium habet excusationem silentii. {Quod maiore} propositio consolationis. {Necesse est enim} Argumentum.

{Si arma ualebunt: δίλημμα est Aut aliqua resp. erit aut nulla. Si aliqua, tibi spes reliqua est: si nulla, nec tu optes te superstitem esse Reipub.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Et hæc eiusdem est argumenti epistola, in qua communi cum superioribus consolatione est usus, idque omnino a temporum & loci ratione.

M. CICERO S. D. A. TORQVATO. 3

*SVperioribus literis beneuolentia magis adductus, quam quod res ita postularet, fui longior. neque enim confirmatione nostra egebat uirtus tua, neque erat ea mea, causa, atque fortuna, ut, cui ipsi omnia deeßent, alterum confirmarem. hoc item tempore breuior esse debeo siue enim tum nihil opus fuit tam multis uerbis, nihilo magis nunc opus est: siue tum opus fuit, illud satis est, præsertim cum accesserit nihil noui: nam etsi quotidie aliquid audimus earum rerum, quas ad te perferri existimo, summa tamen eadem est, & idem exitus, quem ego tam uideo animo quam ea quæ oculis cernimus: nec uero quicquam uides, quod non idem te uidere certo sciam, nam etsi quem exitum acies habitura sit, diuinare nemo potest, tamen & belli exitum uideo, & si id minus, hoc quidem certe, cum sit neceße alterutrum uincere, qualis futura sit uel hæc, uel illa uictoria. idq; cum optime perspexi, tale uideo, nihil ut mali uideatur esse, futurum, si id uel ante * acciderit, quod uel maximum ad timorem proponitur: I T A enim uiuere, ut non sit uiuendum, miserrimum est: mori autem, nemo sapiens miserum duxit, ne beato quidem. sed in ea es urbe, in qua hæc plura, & ornatiora parietes ipsi loqui poße uideantur. ego tibi hoc confirmo, E T S I leuis est consolatio ex miseriis aliorum, nihilo te nunc maiore in discrimine esse, quam * quemuis aut eorum, qui discesserint, aut eorum, qui remanserint. alteri dimicant, alteri uictorem timent. sed hæc consolatio leuis, illa grauior, qua te uti spero, ego certe utor: nec enim, dum ero, angar ulla re cum omni uacem culpa: & si, non ero, sensu omnino carebo. sed rursus * γλαῦκ' εἰς Ἀθήνας, qui ad te hæc. Mihi tu, tui, tua omnia maximæ curæ sunt, &, dum uiuam, erunt. Vale.*

*a. l. ceciderit.

*a. l. quemuis, autorum aut eorum qui discesserũt, alteri

*Idest noctuã athenas.

ASCENSIVS.

SVperioribus literis &c. Hæc epistola, inquit Hubertinus uidetur præponenda superiori, quia scripta uidetur post primam, in qua Cice. multa adduxit ad consolandum Torquatum, propter quæ se nunc breuiorem debere esse. Consolatur tamen enim etiam hac epistola, quantum potest, licet dicat Torquatum esse in ea urbe, utpote Athenensi, ubi uel ipsi parietes ornatiua, quam Cic. ipse loqui possint. Ordo est. Ego fui longior: scilicet quam decet, aut aliquantulum longus superioribus literis, quarum initium est. Etsi ea perturbatio, &c adductus: scilicet ad hoc, magis beneuolentia, quam quod res: idest necessitas postulaeet ita. Neque enim uirtus tua egebat confirmatione nostra. Neque ea idest talis, erat causa mea, atque fortuna, ut, cui ipsi, omnia deessent, confirmarem alterum. debeo item idest similiter, esse breuior hoc tempore, enim idest quia, siue nihil opus fuit, tum idest tunc, tam multis uerbis, nihilo idest in nullo est tunc magis opus, scilicet tam multis uerbis, siue tum idest tunc, opus illud, scilicet quod tunc scripsit satis est, præsertim, cum nihilo noui acciderit. Nam etsi idest quanquam nos audimus quotidie idest singulis diebus, aliquid earum rerum quas ego existimo perferri idest cõplete nunciari ad te, tamen summa idest finalis sententia, & conclusio de statu reipu. est eadem, & exitus est idem idest ad eundem finem omnia tendunt, quem, scilicet exitum, ego uideo animo tam. tam perfecte, & euidenter, hoc est perspicio futurum, quam, idest quantum, perfecte supple uideo, aut uidemus ea, quæ cernimus oculis scilicet exterioribus Ea hoc loco traxerunt quidam differentiá inter cerno, & uideo, dicentes cerne ad oculos exteriores uidere etiam ad interiores pertinere. Nec uero uideo quicquam. quod non scio certo idest pro certo, te uidere idem. Nam etsi nemo potest diuinare, quem exitum acies idest conflictus, duarum acierum sit habitura scilicet in Philippis, campo Pharsaliæ, tamen uideo, & idest simul exitum belli idest id, quod bellum sequetur, utpote oppressionem Reip. & si supple uideo minus idest non satis clare, id scilicet quod dictum est, hoc est exitum belli, certe uideo, quidem idest saltem, hoc scilicet quod, cum sit necesse alterutrum idest unum duorum, aut Cæsarem aut Pompeianos uincere, uideo supple qualis uictoria, uel hæc, scilicet Pompeianorum, uel illa, scilicet Cæsaris, sit futura quasi dicat cum amissione libertatis, cum, uterque uelint opprimere aduersarios suos. Et cum idest postquam, perspexi id, idest qualis futura sit uictoria, optime idest perfectissime, ego uideo supple ipsum tale, ut nihil idest non aliquid, ut aliquid mali non uideatur futurum, si, uel, idest etiam id, quod proponitur, scilicet nobis ab inimicis, uel idest etiam maxime ad timorem idest ad incutiendum nobis timorem, hoc est mori, aut occidi, ceciderit ante scilicet perfectam alterutrius uictoriam. Enim idest quia uiuere ita idest in seruitute quadam publica, ut idest qualiter, uiuendum sit tunc scilicet post alterutrius uictoria est miserrimum. Autem idest sed, nemo sapiens diait, aut duxit mori miserum. Vnde Maro, Vsque adeone mori miserum est? ne quidem idest non saltem, beato, hoc est cũ ut Flaccus dicit, mors ultima linea rerum sit, & ita finis malorum saltem huius mundi, ita uidetur mors miseris optanda, beatis fugienda onde Boethius mortem censet felicem, quæ se nec dulcibus annis Inserit, & mœstis sæpe uocata uenit, tamen sapientes ne beato quidem miserum putant mortem interuenire, cum sit ineuitabilis & citra culpam nostram, ob culpam tamen primi parentis accidere possit: uerum Christianis placet, quod dicitur, Preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. &, Beati, qui in domino moriuntur, & contra, Mors peccatorum pessima sed reuertamur ad ordinem Sed tu es in ea urbe scilicet Athenensi, in qua ipsi parietes uideantur posse propter frequentem lectionem philosophiæ, unde Iuuena. simili hyperbole utitur Satyra prima Frontonis platani conuulsaque marmora clamant, Semper & assiduo ruptæ lectore colũnæ loqui hæc, uel. plura, & ornatiora. Ego confirmo tibi hoc, etsi idest quanquam consolatio ex miseriis aliorum est leuis idest modici ponderis & momenti, quia, licet Solatium est miseris socium habere in pœnis, tamen non minus cruciantur, qui cum multis cruciãtur, quam si soli essent, te nihilo: idest nullo modo, esse nunc in discrimine: idest periculo, maiore, quam quemuis, aut eorum, qui discesserunt: scilicet ab urbe, aut eorum, qui remanserũt. Alteri: scilicet qui recesserunt ab urbe secuti alterutrum ducem dimicant, Idest certãt pro uictoria, & ita in periculo uitæ sunt, alteri, scilicet qui remanserunt tanquam neutrius factionem approbantes, timent uictorem. s. tam Cæs quam Pomp. Sed, ut iam dictum est, hæc idest huiusmodi consolatio, est leuis idest modici momenti, illa, scilicet quam dicet, est supple grauior idest maioris ponderis, qua scilicet consolatione, ego spero te uti, ego certo utor, supple ea. Nec enim angar ulla re. dum idest donec, aut quandiu ero: scilicet in hac uita, cum uacem. i. uacuus & purus sim, omni culpa, & si non ero: scilicet in hoc mundo, carebo omnino sensu: idest perceptione earum rerum, quæ hic geruntur. Est ergo magni momenti consolatio, qua dilemmate quodam conuincit uirum bonum, & sapientem non debere angi pro rebus, quæ hic accidant Nam aut interierit malis huius uitæ, aut nõ; si interierit, non augetur eis, quæ citra culpam suam contigerunt, ut mala belli ciuilis, cuius Cice. neutri fuerat autor, aut non interierit, & ita non sentiet, saltem cum dolore, cum sine culpa sua contigerint. uidetur tamen Epicurice innuere, nullum manere post mortem in homine sensum, cuius contrarium alibi docet. Sed rursus supple mitto γλαῦκας idest noctuas, εἰς idest ad, Ἀθήνας Idest Athenas, ubi maxima uis noctuarum est, hoc est prudentiorem me doceo, quasi sus Mineruam, qui scilicet scribo hæc ad te: scilicet hominem. tam doctum, tu, tui, & tua omnia sunt mihi curæ, & erunt dum idest quãdiu, uiuam. Est autem Zeugma ab inferiore. nam pro conceptione, diceret, estis & eritis.

VICTORIVS.

AVt eorum qui discesserint} Quia uno membro diminuti hic sunt omnes non solum ueteres, sed etiam recentiores manu scripti codices, ipse meum esse arbitratus sum reni notam facere, lectoresq; admonere nota esse hæc uerba (nisi fallor) & supposita. Sic enim in melioribus cunctis nulla uarietate legitur, {Aut eorum qui discesserint alteri dimicant} Puto autem librarium in particula {Aut deceptum esse, totumq; superius membrum reliquisse. Ego uulgatam lectionem remouere nolui, si quis illa delectetur. mihi nõ dubium est, quin ab aliquo suppleta sit eorũ, qui semper, quæ desiderari credunt, pro suo arbitrio reponunt. quantum dissentiam ab his, alibi diat, Est autem & in sequenti epistola alter locus, quem pariter mancum cum inuenerim, eodem indicio ductus, eadem nota signaui. Sic autem ille procul dubio lacer, & decurtatus in antiquis codicibus legitur, Equidem cum hæc scribebam, aliquid iam actum putabam: non quo, sed quod difficilis erat coniectura. Quot autem uerbis additis restitutus sit, & quam aptis, quiuis nunc uidet. itaq; suam sententiam sequatur: nos in his plane diuulsis, & fractis locis nihil habemus quod melius afferamus.

Ita

Ex post. eiusdem.

IT

Tx Enim uiuere ut non sit uiuendũ} Manu scripti codices. {Vt tum sit uiuendum} habent quantum autem intelligo, ex utraq; lectione idoneus sensus elicitur: ex recepta, ut opinor, ut: Viuere amissa dignitate miserrimum est, docti enim & graues uiri rectũ non esse iudicabãt uiuere illi qui dignitatem perdidisset. Quod etiã uetere prouerbio declarabatur, quo Cicero ipse usus est in epistola tertia ad Marium, Vbi non sis qui fueris non esse cur uelis uiuere. ex antiqua uero hic Viuere ut uiuendum tum esset, si Cæsar, aut Pompeiani Remp oppresserint, quod omnino euenturũ Cicero arbitrabatur miserrimum. Eam unusquisq; lectionem sequatur, quã ueriorem putat.

SEBAS. CORR.

SVperioribus Literis} huius libri primis. {Hoc autem} Al. hoc item. {Earum rerum} Africanarum {Acies} Al. hæc res. {Si id} mors. {Vt non sit} Al. ut tum sit. {Quam quemuis &c.} Al q̃ quẽuis eorum, qui discesserunt alteri, &c. {γλαῦκας εἰς ἀθήνας} noctuas Athenas Et prouerbium est loco maxime accomodatum. Non Torquatus Athenis erat.

BERN. RVT.

HOc itẽ tempore breuior esse debeo} Hoc autem, bonæ lectio. {Siue .n. tum nihilopus fuit tam multis uerbis} Tũ opus, melius {Nec uero quicquam uideo, q̃ non idẽ te uidere certo scio} Sciam in aliis integrius {Aleri dimicant} Non, qui sunt cũ Cæsare, ut Clericus, sed qui mortuo Pompeio bellum renouarunt, quos remansisse in castris dicit, ut Cato, Scipio, Pompeii filii, multiq; præterea. se uero Torquatum, Marcellum, alios discessisse e castris, nec extrema belli eius persequi uoluisse. Numeramus secundam epistolam hanc, quæ est in plerisque omnibus exemplaribus tertia, qđ scipsa proximã primæ illi ostẽdit: id ne Hubertinũ qdẽ præteriit.

PHIL. MEL.

COnsolatoria Fere autem tota epistola cõsumitur in reiectione: Nihil opus esse longioribus literis. In fine breuis consolatio additur, ex loco cõmuni Hæ epistolæ sunt scriptæ tũ, cum Cæsar fuit in Africa, cum iam bellum grauiter denuo erat incẽsum, & male se res habebant Pompeii. {Superioribus literis} Exordium ab excusatione, cur antea scripserit prolixius. {Nam etsi} Narratio de publicis periculis. {Idq; cum optime} Propositio cõsolationis, Ne mors quidem mala est sumpta est, cõsolatio ex philosophia. {Sed hæc consolatio} Consolatio ex loco communi. nihil magnopere dolendum esse, cum careamus culpa {Sensu omni carebo} Torquatus fuit Epicureus, itaq; interdum admiscet Epicureas sententias: est & ille. quem inducit defendentem Epicureorum dogmata, de Finibus bonorum. {γλαῦκας εἰς ἀθήνας} Noctuas Athenas, significat mittere aliquid eo, ubi maxima est illius rei copia: quia dicũt Athenis plurimas fuisse noctuas: & habuerunt quoq; Athenienses monetam, cui erat noctua insculpta. Ergo ad utrunq; potest referri. Idem autem significat quod dicimus, Aquam in mare.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Et hæc est consolatoria, perfectumque exemplum eius argumenti epistolæ. Habet enim exordium aptum ad ipsam inuentionem, a periculorum prædictione & præcognitione. Deinde subiicitur ipsa consolatio a uariis locis inuenta, sed plerisque locis communibus, & iis qui huic materiæ conueniunt. Epilogus autem simplex est, & officiosus, ut huic negotio adhibetur.

M. CICERO . S. D. A. TORQVATO. 4

NOui, quod ad te scriberẽ, nihil erat: & tamen siquid esset, sciebam te à tuis certiorem fieri solere. de futuris autem rebus etsi semper difficile est dicere, tamen interdum coniectura possis propius accedere, cum res est eiusmodi, cuius exitus prouideri posit: nunc tantum uidemur intelligere, non diuturnum bellum etsi id ipsum nonnullis uideatur secus. equidem cum hæc scribebam, aliquid iam actum putabam, *non quo ego certo scirem, sed quod nõ difficilis erat coniectura: nam cum omnis belli Mars communis, & cum semper incerti exitus præliorum sunt, tum hoc tempore ita magnæ utrinq; copiæ. ita paratæ ad depugnandum esse dicuntur, ut utercunq; uicerit, non sit mirum futurum. illa in dies singulos magis, magisq; opinio hominum confirmatur, etiam si inter causas armorum aliquantum intersit, tamen inter uictorias non multum interfuturum. alteros propemodum iam sumus experti. de altero, nemo est quin cogitet, quam, sit metuendus iratus uictor armatus. hoc loco si uideor augere dolorem tuum, quem consolando leuare debebam. fateor me communium malorum consolationem nullam inuenire, præter illam, quæ tamen, si possis eam suscipere, maxima est, quaq; ego quotidie magis utor. CONSCIENTIAM rectæ uoluntatis maximam consolationem esse rerum incommodarum, nec esse ullum magnum malum præter culpam, à quo quando tantum absumus, ut etiam optime senserimus, euentusq; magis nostri consilii, quam consilium reprehendatur, & quando præstitimus, quod debuimus, moderate, quod euenit, feramus. sed hoc mihi tamen non sumo, ut te consoler de communibus miseriis, quæ & ad consolandum maioris ingenii. & ad ferendum singularis uirtutis indigent. illud cuiuis facile est docere, cur præcipue tu dolere nihil debeas, eius enim qui tardior in te leuando fuit, quam fore putaramus, non est mihi dubia de tua salute sententia. de aliis autẽ non arbitror te expectare quid sentiam. reliquum est, ut te angat quod absis à tuis tandiu, res molesta. præsertim ab iis pueris, quibus nihil potest esse festiuius sed, ut antea ad te scripsi. tempus est huiusmodi, ut suam quisq; conditionem miserrimam putet, & ubi quisq; sit, ibi esse minime uelit. equidem, nos quod Romæ sumus. miserrimũ esse duco, non solum quod in omnibus malis acerbius est uidere, quam audire. sed etiam, quòd ad omneis casus subitorum periculorum magis obiecti sumus, quasi abessemus. etsi meipsum consolatorem tuum non tantum literæ, quibus semper studui, quantum longinquitas temporis mitigauit quando fuerim dolore, meministi in quo prima illa consolatio est, uidisse me plus, quam cæteros, cũ cupiebam quamuis iniqua conditione pacem. quod etsi casu non diuinatione mea factum est, tamẽ hac inani prudentiæ laude delector deinde, quod mihi ad consolationem commune tecum est, si iam uocer ad exitum uitæ non ab ea Rep. auellar qua carendum esse doleam, præsertim cum id sine ullo sensu futurum sit. adiuuat etiam ætas & acta iam uita, quæ cum cursu suo bene confecto delectatur, tum uetat in eo uim timere, quò nos iam natura ipsa pene perduxerit. postremo is uis, uel etiam ij uiri hoc bello occiderunt, ut impudentia uideatur, eandem fortunam, si res cogat, recusare. equidẽ mihi omnia propono: nec ullum est tantum malum, quod non putem impendere: SED CVM plus in metuendo mali sit, quam in illo ipso, quod timetur, desino, præsertim cum id impendeat, in quo non modo dolor nullus, uerum finis etiam doloris futurus, sit. sed hæc satis multa, uel plura potius, quam necesse fuit. fuit autem non loquacitas mea. sed beneuolentia longiores epistolas. Seruium discessisse Athenis, moleste tuli: non enim dubito, quin magnæ tibi leuationi sit solitus esse quotidianus congressus, & sermo cum familiarissimi hominis, tum optimi, & prudentissimi uiri. tu uelim te ut debes, & soles tua uirtute sustentes. ego quæ te uelle, quæq; ad te, & ad tuos pertinere arbitrabor, omnia studiose, diligenterq; curabo, quæ cũ faciã beneuolentiã tuã erga me imitabor, merita nõ assequar. Vale.

*a. l. non quo, sed q̃ diff.

ASCENSIVS.

NOui q̃ ad te scriberẽ &c Consimili fere argumẽto cum superioribus ostendit Cice. magnũ impendere periculũ ex bellis ciuilibus, siue Põp. siue Cæs. uictor futurus sit. deinde consolatur Torquatũ fere iisdẽ rationibus, quibus in superioribus, & præcipue in prima epistola. Ordo ẽ. Nihil noui erat, sup. mihi, q̃ scriberẽ ad te, & tamẽ siquid sup. noui esset, sciebã te solere fieri certiorẽ. i. te edoceri a tuis. s. familiaribus & necessariis. Aũt. i. sed, etsi. i. quãquã dicere de rebus futuris ẽ semper difficile præsertim de cõtingentibus, qualis est exitus belli, ad quẽ fortuna multũ potest, tamẽ cui possis. i. quilibet possit accedere. s. ad uerã cognitionẽ, propius. i. aliquãtũ, aut multũ prope, coniectura. i per cõiecturã, tunc sup. cũ. i. quãdo res est eiusmodi, cuius. i. eius, ut exitus possit præuideri. Nõ uidemur nũc intelligere tãtũ, bellũ nõ diuturnũ, sup. futurũ, etsi. i. licet, idipsum. s. bellũ nõ futurũ diuturnũ, uideatur nonnullis. i. aliquibus, aut quibusdã, secus. i. aliter, hoc est, etsi uideatur quibusdã diuturnũ fore, ubi etsi cõstruitur cũ subiunctiuo uerbo. Equidem, idest ego quidem cum idest quando scribebam hæc, putabam iam aliquid: scilicet de bello finiendo, actum, non, supple. id scribo, quo. i. quod, legam, aut quo idest per quod, sciam certo, sed quod, idest quia, coniectura erat haud, idest non difficilis, hoc est, quia facile poteram per coniecturam consequi, quod sequentibus probat, unde non subscribam tollentibus negationem. nam cum omnis Mars: idest auctor uictoriæ, belli, supple sit communis: idest neutri parti adiuratus, & cum exitus præliorum sint semper incerti, tamen magnæ copiæ dicuntur esse hoc tempore paratæ utrinque: idest ab utraque parte, ad

pugnandum, ita ut utercunque: scilicet exercitus uicerit non sit futurum mirum .i. mirandum, utercunque: idest quicunque duorum, uicerit quia uterque exercitus optime instructus erat, illa opinio optima, quae dictitatus est, cōfirmatur .i. augetur, & roboratur in singulos dies magis, & magis, opinio autem est, etiam sit: idest quanuis, intersit idest differentiae sit aliquantulum inter causas armorum, quia Pompeiani iustiorem causam, eo quod a Republica stabant, habebant, tamen non multum interfuturum .i. differentiae futurum inter uictorias, eo quod utraque pars uictoria insolenter usura uidebatur. Nos sumus experti propemodum .i. quasi, alteros: scilicet Pompeianos. Nemo est quin cogitet de altero .s. Caesare, scilicet quin insolenter sit usurus uictoria, cum sit metuendus iratus eo quod est iratus, ob negatum triūphum & imperii prorogationem, uictor: idest si fuerit uictor, eo qđ uictoria insolentiores facere solet, armatus idest cum sit uicturus ui armorum praeditus. Si ego uideor augere dolorem tuum hoc loco, idest dicto huius loci, quem scilicet dolorem debebam, aut debeam leuare idest minuere Fateor me nullam idest non ullam, non inuenire ullam consolationem malorum communium .i. Reip. praeter illam quam dicet, quae tamē est maxima, si possis suscipere .i. in usum tuum conuertere eam, & qua ego utor quotidie magis: uidelicet cū scientiam uoluntatis rectae esse maximam consolationem rerum incommodarum .i. nociuarum, hoc est siquis sibi conscius sit, quod ad mala, quae euenerunt non praebuerit consensum, nec ullum malum esse magnū praeter culpam .i. si non adsit culpa, de qua .s. culpa quādo idest quoniam, nos absumus tantum, ut etiam sensimus optime, quia pacem qualemcunque potius, quam bellum suscipiendum, & euentus consilii nostri, quo duximus Caesari resistendum, reprehendantur magis, quam consilium scilicet nostrum quia licet male euenit, bene tamen consuluimus: unde Phyllis Ouidiana aegre ferens consilium suum damnari ab illis qui dicunt. Exitus acta probat, addit. careat successibus opto, Quisquis ab euentu facta notanda putat. Et quando idest quoniam, praestitimus .i. exhibuimus, & effecimus, quod debuimus, feramus idest patiamur, moderate .i. temperato animo id, supple quod euenit, licet malum sit. sed tamen ego non sumo idest non attribuo, & arrogo mihi, unde rectius dicatur praesumptuosus, ut uulgo dicunt, hoc, ut consoler te de miseriis cōmunibus, quae scilicet miseriae communes indigent maioris ingenii sup. quam meum sit ad consolandum .i. ut consolentur, passiue, hoc est, ut de eis consolemur, & indigent singularis uirtutis ad ferendū .i. ut ferantur. Facile est cuiuis .i. cuilibet, docere illud cur tu nihil debeas dolere praecipue .i. praeter caeteros. Enim .i. quia, sententia de tua salute, eius scilicet Caesaris, qui fuit tardior in leuando, scilicet ab exilio, aut timore, quā putaremus fore idest futurum esse, non est dubia mihi, hoc est, est mihi perspecta, scio enim quod te saluum esse cupit. Autē .i. sed, non arbitror te expectare, quid sentiam de illis, scilicet Pompeianis, si forte uicerint, quia omnes sciunt te Pompeio semper fauisset. Reliquum est .i. id solum restat, ut quod absis tandiu a tuis, angat .i. cruciet, & torqueat te, appositorie res molesta .i. quod est res molesta, praesertim, supple abesse, ab iis pueris .i. filiis, quibus nihil potest esse festiuius idest laetius, & lepidius. Sed ut scripsi antea ad te, tempus est huiusmodi .i. tale, ut quisque putet conditionē suam .i. statum uitae suae, miserrimam, ut quisque minime .i. nequaquā, uelit esse ibi, ubi sit. Equidem .i. ego quidem, hoc est certe, duco idest existimo, miserrimum .i. rem miserrimam esse, quod sumus Romae, non solum, quod, idest quia, in omnibus malis acerbius est uidere, supple ea, quam audire, sed etiam quod nos, cui Romae sumus, sumus magis obiecti ad omnes casus periculorum subitorum, quam si abessemus. Et si literae .i. scientiae philosophicae literis commendatae, quibus studui idest operam diligentem dedi semper, non supple mitigauerunt tantum idest intantum aut tantopere, meipsum consolatorem tuum. Valla diceret, tui nisi quodammodo possessio importetur quantum longinquitas idest prolixitas temporis mitigauit meipsum & caetera tu meministi, idest memoriam tenes, supple in quanto dolore fuerim in quo scilicet dolore, illa est prima consolatio me uidisse prius quam caeteri, supple uiderint. Aliter diceret, quam caeteros, cum cupiebam pacem conditione quanuis, idest quantumuis, iniqua supple id, quod etsi, idest quanquam factum est casu idest alea belli, non diuinatione mea, hoc est Caesarem uictorem fore tamen ego delector hac inani idest friuola laude prudentiae idest prouidentiae, quod ita fore praeuidebam. Deinde, supple consolatur me, aut mihi consolationi est, id quod est mihi commune tecum ad consolationem: uidelicet quod si ego uocer iam ad exitum uitae idest ad mortem, ego non auellar inuitus ab ea idest eiusmodi Rep. quae idest cuiusmodi doleam carendum esse idest quod carere debeam, praesertim cum id sit futurum sine ullo sensu. Videtur iterum Epicurice loqui, forte quod Torquatus eius sectae erat. Epicurei enim dictitabant omnem sensum hominis in morte perire. Nam Epicurus impie iactitabat se genus humanum liberasse duobus maximis malis timore, scilicet deorum in uita, cū doceret deos non curare mortalia, & cruciatu post hanc uitam, cum doceret animos cum corporibus interituros more pecuino. Aetas scilicet senilis adiuuant me & uita iam acta idest consumata fere, quae .s. uita, cū acta sit, quia delectatur, cursu suo confecto .i. consumato bene decenter, tum idest multo magis, uetat timere uim in eo .i. in morte, quo .i. ad quā ipsa naturā perduxerit iā pene nos. Postremo .i. ultimo loco me cōsolatur, quia is sup .s. Pomp. occidit .i. occubuit. Vel etiā .i. tales uiri, occiderunt .i. caesi & mortui sunt hoc bello .s. ciuili ut impudentia uideatur, uel, ut uideatur impudentiae recusare eandē fortunā, quā illi passi sunt, si res cogat. Equidē .i. ego quidem, propono mihi omnia .s. mala obeunda, nec ullum malum est, quod non putē impendere .i. in perniciem meā imminere, sed cum plus mali sit in metuendo .s. in metu mortis qua in illo ipso, quod timetur, hoc est, quā in morte ipsa, desino, sup. metuere, praesertim .i. praecipue, cū id impendeat .i. immineat, uidelicet interitus. In quo non modo .i. non solum, nullus dolor sit futurus, uerum etiā .i. insuper, finis doloris sit futurus. Sed haec sup. sunt satis multa, uel fortasse plura, quam fuit necesse. Autē .i. sed non loquacitas mea .i. auiditas loquendi, sed beneuolentia mea facit epistolas longiores .s. quam alioqui essent. Ego tuli moleste. Seruium .s. Sulpitium discessisse Athenis. nō. n. dubito quin solitus sit esse tibi magnae leuationi .s. de miseriis animi congressus & sermo quotidianus, tum .i. simul, hominis familiarissimi .s. tibi, tum .i. simul uiri optimi, & prudentissimi. Velim, sup. ut tu sustentes te tua uirtute, ut debes, & ut soles. Ego curabo studiose. quoque pro & diligenter, omnia quae arbitrabor, te uelle, quaeque .i. & quae arbitrabor, pertinere ad te, & ad tuos, quae scilicet omnia cū faciā, imitabor beneuolētiā tuā erga me, non assequar .i. non equiparabo, merita .s. tua, erga me, conferendo .s. paria in te, quia id non potero.

VICTORIVS.

AD pugnandum} Veteres codices {Depugnādū} quos secuti sumus. Est autē Depugnare, una pugna unoque praelio de tota re, & toto bello decernere. At atticum lib. VII. Nec adhuc fere inueni, qui non concedendū putaret Caesari, quod postularet potius quā depugnandū. In eodē lib. Depugnes oportet, nisi concedis. Saepe & alibi Cic. ne longiores simus in re aperta. hac utitur uoce.

Ex post. eiusdem.

AD oēs casus subitorum periculorū} Sic et locutus est doctissimus, & politissimus poeta Catullus in hendecasyllabo ad Furiū: Nec casus alios periculorū Totū aūt carmē & elegās & summo artificio cōfectū: ludit. n. Furiū mēdicū hominē, & qui omnibus bonis fortunae carebat, quē tamē iocās fortunatū esse, ac beatū hominē ostēdit, cū ea ipse quoque haberet, quae uitā beatā cōstituere existimātur. Nā ualētē esse, bene concoquere, non metuere fures, nō alia incōmoda, quae opulentos homines cōtinue angere ac solicitare solēt, omnibus denique huiuscemodi malis carere, est fortunatū esse: & quibuscūque haec sunt, illis bene, ac beate est: ut poeta ipse loquitur. Est aūt captiosa oratio, quia si n. beati homines ipsi quoque haec, quae uidētur cōmoda, habeant, nō tamē necessario, qui ea habēt statim beati sunt: nā qui nihil, quod amittant, habēt, ii quoque nō metuūt fures, & qui propter egestatē tamē explere nequeūt nec cruditate unquā laborāt. Haec fallax ratio cōcludēdi ab Aristotele exagitata est, & uitiū illius accurate expositū in II. libro de arte dicendi, & in cōmētario, quē appellauit σοφιστικοὺς ἐλέγχους, ac tota denique res elegātissimis exēplis explicata. Late autē patet hoc uitium, quēadmodum ipse in Elēchis ostēdit, & multos haec captio in fraudē inducere cōsueuit. Nā in Rhetorice docet eū qui cū Alexādrū Priami regis filiū laudibus ornaret, argumētatus erat illum magnanimū esse, quod spreta cōsuetudine multorū, in Idae montis solitudine degeret: hac captiūcula usum esse: Quāuis. n. magni animi uiri multitudinem fugiant, ac sola desertaque loca libenter frequentent, non tamen necessario, quicunque in syluis, desertisque locis morantur, magnanimi sunt. Inde autem error ducitur, quod putant totam rem conuerti, & ut Dialectici loquūtur, τὸ ἀκολουθεῖν ἀντιστρέφειν, quod falsum est. Eadem ratio erat eius, qui exules beatos esse praedicabat, quod possent sedem, ac domicilia sua ponere, ubicunque terrarum ipsis uisum esset: quia (inquit Arist.) haec illis, qui beati existimantur, adsunt. omnes quibus haec sunt, beati uideri possunt. Si quis tamen accute perspexerit intelliget rem magnum discrimen habere: aliterque (ut in exemplo Catulliano permaneamus) mendicos non metuere fures, & aliter diuites: nam auget etiam uitam beatam, habere res suas ita clausulas ac custoditas, ut fur damnum afferre non possit. Quare cum haec captio appelletur παρὰ τὸ ἑπόμενον, deduci ēt posse Aristoteles adfirmat ad aliam, quae παρ᾽ ἔλλειψιν uocata est quod quaedam desiderentur, nec sermo plenus & absolutus sit.

SEBAS CORR.

NOn Diuturnum bellum } Africanum. {Non quo ego certo scirem, sed quod non difficilis erat coniectura} Al. non quo, sed quod difficilis erat cōiectura. unde suspicātur multi hūc locū esse mēdosum. {Alteros} Pōpeianos. {Sumus experti} Epi. IX. li. IIII, {De altero} Caes {Nostri cōsilii} sequēdi Pōpeium. {Eius. n.} Caesaris. {Ad te scripsi} Epi. I. huius li. {Postremo is uir} Pompeius. {Vel etiam ii uiri} L. Domitius, L. Lentulus, & alii.

BERN. RVTI.

EQuidem Cum haec scribebam, aliquid iam actum putabā, nō quo ego certo sciam, sed quod difficilis erat cōiectura} Lego, sed quod nō difficilis erat cōiectura. Nisi malis. Quid legere: ut sit, Quid actū esset, erat difficilis coniectura. {Vtrunque uicerit} Te rebus Africanis puto intelligi nam & supra ad Messinum: Neque me tamen ulla res alia Romae tenet, nisi expectatio rerum Africanarū. uidetur enim mihi res in propinquum adducta discrimen. puto autem mea nonnihil interesse, quanquam idipsum quid intersit, non

sane

faue intelligo.neruntamen quicquid illine nunciatum fit,non longe abesse uelim a consiliis amicorum est enim res iam in eum locum adducta,ut quanquam multum intersit inter eorum caysas qui dicant,tamen inter uictorias non multum interfuturum putem. Quæ longius adieci,quia dubitare uel errare potius interpretem uidebã, neque satis intelligere,Pompeius ne hoc tempore mortuus esset.qđ sine dubio paulo post uel ex ipsius interpretatione his ipsis literis Confirmat Cicero.{Alteros propemodum iam sumus experti} Et ppter multorum insolentiam,plurimasq; indignitates:& illud, quod scribit Plut.pene a Pompeio filio interfectum Dyrrachii Ciceronẽ, dum se in otium properare respondit,& sibi iam finem ciuilis belli constituisse.ut non modo Cæsarianis irati,sed his quoq;,qui a bello & exercitu discessissent futuri Pompeiani uiderẽtur: neq; id mea sententia immerito.

NOui Quod ad te}Consolatoria. Initium habet narrationẽ periculorum Deinde sequitur consolatio grauis,ea loco cõmuni sumpta: Cum nihil sit malum nisi culpa,non ualde dolendum esse his,qui culpa carent. Addit quasdam priuatas consolationes In fine commemorat & argumenta quibus sese Cicero sustẽtauerit ipse,primo conscientia cõsiliorum,& anteactæ uitæ, item casibus summorum uirorum.{Conscientiam} Prima propositio consolationis,ab honesto: Maxima consolatio est bonæ conscientiæ. {Sed hoc mihi} Secunda,ab utili,quod scilicet nihil sit ipsi periculi.{Reliquum est} Tertia,de loco: opponit, tantundem Romæ esse miseriarum,nec iis,qui Romæ sint,melius esse. {Quanto fuerim} Consolatur a suo exemplo: in quo colligit multas rationes consolationis,a conscientia cõsiliorum,ab ætate,ab aliorum interitu. Sed hæc satis}Conclusio.habet excusationem prolixitatis.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Consolatio amici exulis, & patria carentis,constans & suis argumentis.a Cæcinnæ & Cæsaris,cuius potentiam fugerat,attributis. Epilogus est adhortatorius ad fortunæ uim continendam. Conuenit & hæc orationis pars ita tractata,consolationi.

M. CICERO A. CAECINNAE S. D. 5

QVotiescunq; filium tuũ uideo (uideo autem fere quotidie) polliceor ei studium quidẽ meũ, & operam sine ulla exceptione aut laboris aut occupationis aut temporis: gratiã autẽ, atque autoritatem cũ hac exceptione, quantũ ualeã, quãtũq; possim. Liber tuus & lectus est, & legitur à me diligenter, & custoditur diligentissime. Res, & fortunæ tuæ mihi maximæ curæ sunt. quæ quidẽ quotidie faciliores mihi, & meliores uidentur: multisq; uideo magnæ esse curæ: quorũ de studio, & de sua spe filiũ ad te perscripsisse certo scio. his autẽ de rebus quas coniectura consequi possumus, nõ mihi summo, ut plus ipse prospiciã, quã te uidere, atq; intelligere mihi persuaserim. sed tamen quia fieri potest, ut tu ea perturbatiore animo cogites, puto esse meũ, quid sentiã, exponere. ea natura rerũ est, & is tẽporũ cursus, ut nõ possit ista aut tibi, aut cæteris fortuna esse diuturna, neq; hærere in tã bona causa & in tã bonis ciuibus tã acerba iniuria. quare ad eã spem, quam extra ordinem de te ipso habemus non solũ propter dignitatem, & uirtutem tuã (hæc enim ornamento sunt tibi etiam cum aliis communia) accedunt tua præcipua, propter eximium ingenium, summãq; uirtutem: cui mehercule hic, cuius in potestate sumus, multũ tribuit. itaq; ne pũctũ quidẽ tẽporis in ista fortuna fuisses, nisi eo ipso bono tuo, quo delectatur, se uiolatũ putaret. q. ipsum lenitur quotidie significaturq; nobis ab iis, qui simul cũ eo uiuũt, tibi hãc ipsam opinionẽ ingenii apud ipsum plurimũ profuturũ. quapropter primã fac animo forti, atq; magno sis: ita.n. natus, ita educatus, ita doctus es, ita etiã cognitus, ut tibi id faciendum sit. deinde spem quoq; habeas firmissimam propter eas causas, quas scripsi. à me uero tibi omnia, liberisq; tuis paratissima esse confidas uelim: id.n. & uetustas nostra amoris, & mea consuetudo in meos, & tua multa erga me, officia postulant. Vale*

ASCENSIVS.

QVotiescunq; A.Cæcinna Pompeianæ factionis uir insignis,scribendo temporis sui gesta: laudauerunt Pompeianos,& carpserat Cæsarem,quamobrem Cæsar ei urbe interdixerat cuius cum desiderio augeretur, consolatur eum Cicero,dicens Quotiescunq; uideo filium tuum, uideo autem fere idest quasi quotidie: supple toties polliceor ei quidem idest certe,studium meum,& operam sine ulla exceptione,aut laboris,aut occupationis,aut tẽporis. Autẽ, idest sed,ego polliceor ei gratiam,atque autoritatem,supple meam apud Cæs. scilicet cum hac exceptione: idest cum hac clausula exceptiua, aut restrictiua, quantum ualeam,quantumq;,idest & quantum possum. Liber tuus scilicet de gestis tui temporis,&:idest simul,lectus est,& largitur a me diligenter,& custoditur diligentissime Res:idest negocia,& fortunæ:idest diuitiæ tuæ,sunt mihi maximæ curæ,quæ, scilicet res, & fortunæ,quidem idest certe,uidentur mihi quotidie faciliores,& meliores,faciliores quidem res idest negocia, meliores autem fortunæ,& ego uideo m animaduerto,supple res,& fortunas tuas esse multis magnæ curæ De quorum studio scio certo filium, scilicet tuum,perscripsisse:idest complere scripsisse ad te & de spe sua,scilicet quam habet de restitutione tui. Autem,idest sed ego non summo,idest attribuo,aut arrogo mihi ut ipse idest ego perspiciam plus de his rebus quas possumus consequi idest intelligere futuras coniectura idest per coniecturam,plus] in quanquam persuaserim mihi te uidere atque intelligere Sed tamen,quia fieri potest ut tu cogites ea,animo perturbatiore scilicet quam ego puto esse meum:idest mei officii,exponere,idest declarare tibi,quid sentiam Ea natura rerum & is cursus temporum est,ut ista: scilicet aduersa fortuna, non possit esse diuturna,aut tibi,aut cæteris. Neque tam acerba iniuria ut est exulare a patria,supple possit hærere idest firmiter inesse,in tam bona causa. & in tam bonis ciuibus. Quare tua, supple ornamenta præcipua idest peculiaria,propter eximium ingenium summamque uirtutem,supple tuam: cui mehercule. si ita indicante, ut ex animo loquor,hic scilicet Cæsar,in cuius potestate nos sumus, tribuit multum accedunt idest adduntur,ad eam spem,quam habemus de teipso,extra ordinem idest singulariter non solum idest nedum propter dignitatem: & uirtutem tuam,hæc enim ornamenta scilicet dignitas,& uirtus,sunt tibi communia etiam cum multis: Itaque,idest & ita,quia Cæs. tibi tantum tribuit,fuisses ne quidem, idest non saltem punctum: idest minimam partem temporis in ista: scilicet aduersa fortuna,nisi scilicet Cæsar putasset se uiolatum eo ipso bono tuo: scilicet eximio ingenio in scribenda historia,quo delectatur,quod scilicet se uiolatum putare ingenio tuo,lenitur idest minuitur quotidie,& significator nobis ab iis qui uiuunt simul cum eo, scilicet Cæs. hanc ipsam opinionem ingenii profuturam supple tibi plurimum apud ipsum scilicet Cæs. Quapropter fac primum, supple ut sis animo forti atque magno Enim.i. quia,tu es natus ita, educatus ita,doctus ita,& cognitus etiam ita,ut id sit faciendum tibi idest ut te deceat ita facere,hoc est forti,& magno,animo esse. Deinde, supple fac, ut habeas quoque, idest etiam,spem firmissimam propter eas causas,quas scripsi Vero idest sed,aut pro uero uelim,supple ut confidas omnia paratissima esse tibi,& liberis tuis a me. Enim idest quia & idest simul uetustas amoris nostri,& consuetudo mea, in.i. erga meos & multa officia tua erga me, postulant id scilicet ut mea omnia sint tibi tuisq; liberis paratissima.

PAVL. MANV.

QVate ad eam spem} Inconsequens & obscura locutio, ex quo uereor ne corrupte totus hic locus legatur. Ac fieri tamen potest,ut ita scripserit Cicero, & inciderit in uitium quod Græci ἀνακολουθίαν appellant. Cuius generis nonnulla cum in reliquis eius scriptis, tum in libris maxime contra Verrem deprehenduntur,quæ Priscianus adnotauit.

SEBAS: CORR.

LIber tuus Epist. V I I huius lib. Ea natura rerum est} Epistola sequenti {Fortuna esse diuturna} Epistola. V I I I. li. IIII. {Ab iis} Balbo,& Oppio.

BERN. RVTI.

EA Natura est rerum & is temporum cursus,ut non possit ista, aut tibi,aut cæteris fortuna esse diuturna} Significat ista sententia qua est apud alios quoque sæpe usus,id quod est apud Plutarchum his uerbis, Postea (inquit de bello cõtra Pharnacem) traiciens in Italiam,Romam peruenit. Exacto iam anno,in quem creatus secundo dictator fuerat,cum superiori tempore nunquam ea in anni spatium conferri dignitas soleret, consul designatur in posterum. Quo tempore multa audire de se conuicia contigit. motis nanq; ad seditiones militibus,cum duos prætores Cosconium & Galbam occidissent,tantum eos obiurgauit,ut ipsos pro commilitonibus ciues appellatos,mille uiritim drachmis donarit: ut multa insuper Italiæ prædita sorte distribuerit. In eius quoq; redigebãtur opprobrium furor Dolabellæ,expilationes Amantii, ebrietates Antonii,atq; Cornificii: qui Pompeianæ partem domus,perinde, ac incõmodæ,ac minus idoneæ demoliebatur,subinde reædificãs quod Romanus populus iniquissimo perferebat animo. Verũ enimuero Cæsar,Reipublicæ statum minime ignorans,hisce administris,uel inuitus uti cogebatur. hæc Plut Plerasq; harum epistolarum intra hoc tẽpus,quo Romæ Cæsar fuit,antequam in Africam, proficisceretur ad amicos exules a Cicerone scriptas arbitramur.

Consolatio est, sed orditur a narrationibus. Postea subiicit propositionem, in qua est consolatio ducta a spe reditus. Argumenta bene sperandi duo ponit. Primum est coniectura sumpta a conditione Reipublicæ. Non potest ciuitas perpetuo carere præstantioribus ciuibus. Altera coniectura sumitur a persona Cæcinnæ. Fuit autem Cæcinna eruditus, ideo etiam eruditius ad eum scribit ista oratio est character animi, non tantum eius qui scripsit, sed etiam ad quem scribitur. {Quotiescunq;} Narrationes. {Res & fortuna} Consolatio. Ea natura rerum} Argumentatur primum a spe communi. {Quare ad eam} Secundo a propriis ornamẽtis, quæ spem præbent.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Et hæc epistola eiusdem cum superioribus est argumenti. Exordium est a sua persona sumptum, quo certam pollicitationẽ suam futuram contisinat, confirmatur ea argumentis notissimis, a testibus, ab eruditione, ab usu, postremo exemplo tanquam certissimo iudicio: ubi narrat quid in Cæsaris Põpeique causa prædixerit. Deinde ad consolationem dilabitur, reiectis coniecturalibus argumentis a Cæs. clementia humanitateq;, de qua nihil sibi non promittere audet. Postremo consolatur eum communibus argumentis, a temporum & rerum conditione, & a Cæcinnæ attributis. Conclusio est officiosæ particula.

M. CICERO A. CAECINNAE S. D. 6

Ereor ne desideres officium meum: quod tibi pro nostra & meritorum multorum, & studiorum, & partium coniunctione deesse non debet: sed tamen uereor, ne literarum à me officium requiras, quas tibi & iampridem, & sæpe misissem, nisi quotidie melius expectans gratulationem, quam confirmationem animi tui complecti literis maluißem. nunc autem, ut spero, breui gratulabimur: itaq; in aliud tempus id argumentum epistolæ differo. his autem literis animum tuum, quem minime imbecillum esse & audio, & spero, etsi non sapientissimi, at amicissimi hominis autoritate confirmandum etiam, atque etiam puto, nec iis quidem uerbis, quibus te consoler ut afflictum, & iam omni spe salutis orbatum, sed ut eum, de cuius incolumitate non plus dubitem, quam te memini dubitare de mea: nam cum me ex Repub. expulissent ij, qui illam cadere poße, stante me, non putarunt, memini me ex multis hospitibus qui ad me ex Asia, in qua tu eras, uenerant, audire. te de glorioso & celeri reditu meo confirmare. si te ratio quædam Etruscæ disciplinæ, quam à patre nobilissimo, atque optimo uiro acceperas, non fefellit: nec nos quidem nostra diuinatio fallet, quam tũ sapientissimorum uirorum monumentis, atque præceptis, plurimoq;, ut scis, doctrinæ studio, tum magno etiam usu tractandæ Reipub. magnaq́; nostrorum temporum uarietate consecuti sumus. cui quidem diuinationi hoc plus confidimus, quod ea nos nihil in his tã obscuris rebus tamq́; perturbatis unquam omnino fefellit. dicerem quæ antea futura dixißem, ni uererer, ne ex euentis fingere uiderer. sed tamen plurimi sunt testes me, & initio. nec coniungeret se cum Cæsare monuisse Pompeium, & postea, ne seiungeret. coniunctione frangi senatus opes, disiunctione ciuile bellum excitari uidebam, atque utebar familiarissime Cæsare, Pompeium faciebam plurimi, sed erat meum consilium cum fidele Pompeio, tum salutare utrique, quæ præterea prouiderim, prætereo: nolo enim hunc de me optime meritum existimare, ea me suasiße Pompeio, quibus ille si paruisset, eßet hic quidem clarus in toga, & princeps, sed tantas opes, quantas nunc habet, non haberet, eundum in Hispaniam censui. quod si fecisset, ciuile bellum nullum omnino fuisset. rationem haberi absentis non tam pugnaui ut liceret, quam ut, quando ipso Consule pugnante populus iusserat, haberetur. causa belli orta est quid ego prætermisi aut monitorum, aut querelarum? cum uel iniquissimam pacem iustissimo bello anteferrem. uicta est autoritas mea non tam à Pompeio (nam is mouebatur) quàm ab iis, qui duce Pompeio freti, peropportunam & rebus domesticis, & cupiditatibus suis illius belli uictoriam fore putabant. susceptum bellum est, quiescente me, depulsum ex Italia, manente me, quoad potui, sed ualuit apud me plus pudor meus, quam timor. ueritus sum deeße Pompeii saluti, cum ille * aliquando non defuißet meæ. itaque uel officio uel fama bonorum, uel pudore uictus, ut in fabulis Amphiaraus, sic ego prudens, & sciens ad pestem ante oculos positam sum profectus. quo in bello nihil aduersi accidit non prædicente me, quare, quando, ut augures, & astrologi solent. ego quoque augur. publicus ex meis superioribus prædictis constitui apud te autoritatem augurii, & diuinationis meæ; debet habere fidem nostra prædictio. non igitur ex alitis uolatu. nec è cantu sinistro oscinis, ut in nostra disciplina est, nec è tripudiis * solistimis, aut somniis tibi auguror: sed habeo alia signa, quæ obseruem. quæ etsi non sunt certiora illis, minus tamen habent uel obscuritatis, uel erroris: notantur autem mihi ad diuinandum signa duplici quadam uia: quarum alteram duco è Cæsare ipso, alteram è temporum ciuilium natura, atque ratione. in Cæsare hæc sunt: mitis, clemensq́; natura, qualis exprimitur præclare illo libro querelarum tuarum. accedit, quod mirifice ingeniis excellentibus, quale est tuum, delectatur. præterea cedit multorum iustis, & officio intensis: non inanibus, aut ambitiosis uoluntatibus. in quo uehementer eum consentiens * Etruria mouebit. cur hæc igitur adhuc parum profecerunt? quia non putat se sustinere causas posse multorum, si tibi, cui iustius uidetur irasci posse, conceßerit. Quæ est igitur, inquies, spes ab irato? eodem fonte se hausturum intelligit laudes suas è quo sit leuiter aspersus. Postremo homo est ualde acutus, & multum prouidens: intelligit te hominem in parte Italiæ minime contemnenda facile omnium nobilissimum, & in commum Repub. cuiuis summorum tuæ ætatis uel ingenio, uel gratia: uel fama populi Roma. parem, non posse prohibere à Repub. diutius. nolet hoc temporis potius esse aliquando beneficium, quam iam suum dixi de Cæsare: nunc dicam de temporum, rerumq́; natura. Nemo est tam inimicus ei causæ. quam Pompeius animatus melius, quam paratus susceperat, qui nos malos ciueis dicere, aut homines improbos audeat. in quo admirari soleo grauitatem, & iustitiam, & sapientiam Cæsaris: nunquam nisi honorificentissime Pompeium appellat. at in eius, personam multa fecit asperius. armorum ista, & uictoriæ sunt facta, non Cæsaris. at nos quemadmodum est complexus? Cassium sibi legauit: Brutum Galliæ præfecit, Sulpitium Græciæ: Marcellum, cui maxime succensebat, cum summa illius dignitate restituit. quò igitur hæc spectant? rerum hoc natura, & ciuilium temporum non patietur: nec manens, nec mutata ratio ferret, primum ut non in causa pari eadem sit & conditio, & fortuna omnium, deinde ut in eam ciuitatem boni uiri, & boni ciues nulla ignominia notati non reuertantur, in quam tot nefariorum scelerum condemnati reuerterunt. habes augurium meum. quo siquid addubitarem, non potius uterer, quam illa consolatione, qua facile fortem uirum sustentarem, te si explorata uictoria arma sumpsißes pro Rep. (ita enim tum putabas) non nimis esse laudandum: sin propter incertos exitus, euentusq́; bellorum poße accidere, ut uinceremur, putasses, non debere ad secundam fortunam bene paratum fuisse, aduersam ferre nullo modo poße. disputarem etiam, quanto solatio tibi conscientia tui facti, quantæ delectationi in rebus aduersis literæ eße deberent. commemorarem non solum ueterum, sed & horum recentium uel ducum, uel comitum tuorum grauissimos casus. etiam externos multos claros uiros nominarem: LEVAT enim dolorem communis quasi legis, & humanæ conditionis recordatio. exponerem etiã quemadmodum hic, & quanta in turba, quantaq́; in confusione rerum omnium uiueremus: necesse est enim minore desiderio perdita Rep. carere, quam bona. sed hoc genere nihil opus est. in columem

te cito

*alias ali quando defuisset.

*alias solistimis, aut somniis.

*alias curia.

tecito (ut spero) uel potius (ut perspicio) uidebimus. interea tibi absenti, & huic, qui adest, imagini animi, & corporis tui, constantissimo, atque optimo filio tuo studium, officium, operam, laborem meum iampridem & pollicitus sum, & detuli, nunc hoc amplius, quod amicissime quotidie magis Cæsar amplectitur, familiares quidem eius, sicuti neminem apud quem quicquid ualebo uel autoritate, uel gratia, ualebo tibi. tu cura, ut cum firmitudine te animi, tum etiam spe optima sustentes. Vale.

ASCENSIVS. VEreor &c. Purgat primo loco, quod ad A Cæcinnã diu non scripserat, quod sperabat ob reditũ Cæcinnæ et gratulatorias, potius quam consolatorias propediẽ scripturũ. Deinde promisso ea augurali scientia cito reditu, cur reconciliatio eius tantum dilata sit, docet, uidelicet quod Cæs. nollet una cum Cæcinna reliquis Põp. a quibus magis offensus erat tam cito ignoscere, quod tamen fieri decuisset, utpote in pari fere causa. Tum consolatur Cæcinnam a conscientia rectorum consiliorum, pollicetur demum Cæcinnæ, & eius filio omnem quam possit operam Ordo est Vereor ne, idem esset si diceret ut, desideres officium meum, hoc est ne dicas me non functum esse officio meo in te sat confirmando, aut iuuando, desideramus enim, quæ non adsunt, quod .s. officium, non debet deesse tibi, pro coniunctione nostra .i. propter coniunctionem nostram, & studiorum .s. literariorum, præsertim auguralis scientiæ, & partium .s. bellicarum, quia uterque Pompeium secutus fuerat. sed tamen uereor ne requiras .i. exigas a me officium literarum .i. epistolarum ad te missarum quas .s. literas, ego misissem tibi pridem, etiam Esedi. Sic quæ uidi exemplaria habent omnia, sed commentarii nihil exponunt, uidetur autem loci nomen, cuius tamen Strabo, & plerique alii non meminerunt. neque si maxime locus esset recte dici uideretur, nam si, quo mittantur literæ significaret diceret Esedum, si unde, Esedo, nisi sit Esio legendum quod oppidum Italiæ est unde sunt, qui Essedis .i. uehiculis legendum putẽt, aut e sede, sicut e uestigio .i. statim, ut sedens scripserim literas, locus certe obscurus est, si certius quid inuenero, in tabula dicam in uocabulo Esedum. nisi ego expectans quotidie melius, scilicet quiddã de te, maluissem complecti literis, idest scribere gratulationem: scilicet de reditu tibi concesso, quam confirmationem .i. corroborationem animi tui, contra dolorem de exilio contractum, nunc ut spero, gratulabimur, scilicet tibi breui: idest inter paucos dies. Itaque .i. & ita, argumentum idest materia epistolæ scilicet gratulatoriæ, differetur in alium tempus. Autem idest sed, ego puto animum tuum quem & audio, & spero esse minime idest nequaquam, imbecillem, idest fragilem, aut infirmum, confirmandum esse his literis, etiã atque etiam autoritate hominis, etsi idest quanquam, non sapientissimi, at idest tamen, aut certe, amicissimi. q. d. autoritate mea, sed modestius de se tanquam de alio loquitur. Nec quidem scilicet puto animum tuum confirmandum, iis .i. eiusmodi uerbis, quibus consoler te, ut afflictum, & orbatum iam omni spe salutis, talis .n. non erat, sed ut eũ, de cuius incolumitate idest salute non dubitem .i. non debeam dubitare plus quam memini te dubitare .i. cum dubitares de mea Valla diceret dubitasse. Nam cũ ii expulissent me ex Rep. .i. administratione eius, qui putarant: idest putauerant, illam .s. Remp. non posse cadere, me stante .i. tantisper dum ego starem in ea memini me audire, iterum cum præsenti ponit memini iuxta regulam Agretianam ex multis hospitibus, qui uenerant ad me ex Asia, in qua tu eras, te cõfirmare .i. quod tu confirmares, & assereres firmiter, de reditu meo: scilicet in urbem ab exilio, glorioso, & celeri. Si ratio quædam disciplinæ uetustæ .i. diu obseruatæ, uidelicet auguralis apud Etruscos repertæ. Vnde Luca. Hæc propter placuit Tuscos de more uetusto Acciri uates. Et Ouid. Augur erat, nomen longis intercidit annis, Nuper ab Etrusca uenerat exul humo &c. quam acceperas a patre, supple suo uiro nobilissimo, atque optimo, non fefellit cum diceres me cito rediturum, nec quidem nostra diuinatio fallet nos, scilicet de reditu tuo. quam .s. diuinationem, hoc est diuinãdi peritiam, nos consecuti sumus: idest obtinuimus tum .i. partim monimentis, atque pro, & præceptis uirorum sapientissimorum, & plurimo studio doctrinæ .s. auguralis. ut tu scis, tum .i. partim magna uarietate temporum nostrorum, in qua multa experimur, Cui quidem diuinationi nos confidimus plus, hoc .i. propter hoc, quod ea nihil fefellit omnino nos unquã in his rebus tã obscuris tãque .i. & tam perturbatis. Dicerem .i. recitarẽ tibi, quæ dixissem antea futura, ni .i. nisi ueterer, ne uiderer fingere, sup. ex, ex euentis .i. iis, quæ euenerũt. Sed tamẽ plurimi sunt testes, me & .i. simul, commonuisse initio .i. ab initio belli, Põpeiũ ne coniungeret se .s. per affinitatem cũ Cæsare, & postea ne seiungeret .i. separaret se a Cæsare. quia, sup uidebã opes senatus frãgi cõiunctione .s. duorum principum uirorũ. & bellũ ciuile excitari disiunctione .i. dissentione eorũ Atqui .i. sed, quomodo ego utebar Cæsare familiarissime, & faciebã Põpeiũ plurimi. Sed meũ consiliũ erat tũ .i. simul, fidele Põpeio, tũ .i. simul salutare utrique .s. tam Pompeio quam Cæsari: ego prætereo, quæ prouiderim .i. prænouerim, prætereo .i. præteriam dicta. Enim .i. quia. ego nolo hunc .s. Cæsarẽ, meritum optime de me, existimare me suasisse Põpeio ea, quibus si ille .s. Põpeius paruisset .i. obediuisset, hic .i. Cæs. esset quidem clarus in toga .i. in senatu pacifico, sed non haberet tantas opes quantas nunc habet. Ego censui, dicit, quæ negauit se dicturum Pompeio, eundem sup. fuisse in Hispaniam, quod si fecisset .i. si iuisset in Hispaniam, bellum ciuile nullum fuisset. Ego non tam .i. tantopere, pugnaui .i. quasi pugnando asserui, ut liceret haberi rationem .i respectum beneuolum in consulatu conferendo, absentis .s. Cæsaris, quia Cæsar absens petiit consulatum sibi deferri, quod illi lege negatum est, quam sup. pugnaui, ut haberetur .s. ratio absentis postquam licuit, quando ipse populus iusserat, ipso consule .s. Paulo Aemil. pugnante .i. acriter decertante pro eo, quia Cæsar eum pecunia in sententiam suam traxerat. Causa belli orta est, eo quod cõsulatus, & prorogatio imperii Cæsari negata. Quid aut monitorum, aut querelarum ego prætermisi? q. d. nihil: cum anteferrem bello iustissimo, pacem, uel .i. et, iniquissimam? Autoritas mea est uicta .i. oppressa non tam a Pompeio, nam is mouebatur .s. autoritate mea, quàm ab iis, qui freti duce Pompeio, ut Cato, Marcellus, Seruius &c. putabant uictoriam belli fore peropportunam .i. ualde accommodatam, & .i. simul, rebus domesticis suis & idest simul, cupiditatibus suis. Bellum est susceptum .s. contra Cæsarẽ, me quiescente, bellum, sup. est depulsum ex Italia quia in Epirum, & deinde in Pharsaliam translatum, me manente .s. in Italia, quo ad idest quandiu potui. sed pudor meus ualuit apud me plus quam timor, hoc est plus feci propter pudorem, qui ne deessem Pompeio, me traxit ad bellum, quam timor, quem de infelici exitu conceperã, retraxit, nam sup. ueritus sum deesse saluti Pompeii, cum ille, scilicet Pompeius non defuisset aliquando meæ: scilicet saluti, quia eo rogante reductus sum. Itaque ego uictus, alii legunt iniuriis uel officio .s. Põpeio debito, uel fama bonorũ .s. uirorũ, qui Põpeiũ sequebãtur, uel pudore, ego ut Amphiaraus, aut Amphiareus supple profectus est, ad bellũ in Thebanum cum Argiuis, ut in fabulis idest sicut habetur in fabulis, quod coactus est ire ad id bellum, unde præuiderat se non rediturum Cum enim Amphiaraus Oeclei filius esset diuinandi peritissimus, & uidisset si ad id bellum, quod Argiui Thebanis inferebant, iret, se non rediturum, occuluit se, sola uxore Eriphyle nomine conscia, quæ corrupta a Polynice monili aureo Argiæ uxoris eius indicauit maritum, atque ita compulsus ad bellum profectus est, in quo præuiderat se periturum, periitque: nã ut Ouid. tangit, & ad longum in Thebaide Statius narrat, hiatu terræ ibi absorptus est. profectus sum sic prudens, & sciens ad pestem .i. perniciem, ante oculos .s. mentales positam, in quo bello nihil aduersi accidit me non prædicente .i. quod non fuerit a me prædictũ. Quare quando .i. quandoquidẽ, aut quomodo .i. quoniã, ut augures, & Astrologi solent ego quoque .i. etiã augur publicus, quia in augurum collegio sacerdos, constitui apud te ex prædictis meis superioribus, quæ .s. uera comperta sunt, autoritatẽ augurii .s. scientiæ auguralis, & diuinationis meæ, prædictio .i. prophetia nostra debet habere fidẽ .i. credulitatẽ passiue. Igitur ego non auguror tibi ex uolatu alitis .i. auis, nec ex cantu sinistro .i. a sinistra parte aut aduerso, oscinis .i. ore canentis auis. Vt est in disciplina nostra .s. augurali nec ex tripudiis solistimis .i. solo tenus, aut super solũ factis. Aut ex somniis sed habeo alia signa, quæ obseruem. Quæ .s. signa, etsi .i. quãquã, nõ sunt certiora illis .s. auguralibus, quod dicit, quia illi scientiæ iuratus erat habent tamen minus, uel obscuritatis, uel erroris. hoc quoque astrologi prætendere solent, scientiã uidelicet esse certissimam sed multos per errorẽ propter obscuritatẽ labi, & cũ uix quisquã sit, qui nõ erret, Deũ excusant, qui astris imperet, Autẽ .i. sed, signa notãtur mihi ad diuinandũ quadã uia duplici quarũ .s. uiarũ ego duco alterã a Cæs. ipso .s. capite rei, alterã a natura, & ratione tẽporũ ciuiliũ. Hæc .s. signa reconciliationis tuæ sunt in Cæsa. natura mitis & clemens, qualis exprimitur præclare illo libro querelarũ tuarũ. accedit .i. additur, quod Cæsar delectatur mirifice, ingeniis excellentibus, quale est tuũ. Præterea Cæsar cedit uoluntatibus multorũ iustis, incensis officio, non inanibus, aut ambitiosis In quo .s. proposito Etruria .s. patria tua consentiens .s. reductioni tuæ, mouebit, sup. eum uehementer. Igitur sup. dices, cur hæc .s. signa, quæ in Cæsare sunt, profecerunt adhuc parum .s. ad te restituendum? Responsio. Quia Cæsar putat se non posse sustinere causas multorum, si concesserit tibi, cui uidetur posse irasci iustius .s. quam illis, cũ tamẽ minus irascatur. Igitur inquies, quæ spes est ab irato .s. Cæsare? Responsio: Cæsar intelligit se hausturum laudes suas eodẽ fonte .s. ingenii tui e quo sit sspersus .i. sparsim notatus, leuiter .i. modice. Postremo homo .s. Cæsar, est acutus ualde, & prouidens multum intelligit, sup. se non posse prohibere diutius a Repub te hominẽ facile nobilissimũ omniũ in parte Italiæ contemnenda minime, uidelicet in Etruria, & intelligit te in Repub cõmuni .s. Romanis, & Etruscis municipibus, hoc est Romana. Alii legunt in cõmuni Repu. te parem, cuius .i. cuilibet, summorum .s. uirorũ ætatis tuæ, uel ingenio, uel gratia, uel fama Populi Romani, & nolet hoc .s. restitutũ esse Reip. esse aliquando .i. tandẽ, potius beneficiũ tẽporis, quia prohibere diutius non posset, quam suũ, si, cũ posset prohibere, noluerit: Dicã de Cæsare, dicam nunc de natura temporũ & rerũ. duas .n. has diuinandi uias præscripsit. Nemo

est tam inimicus ei causæ, quã Pompeius susceperat. s. tutandam, est, sup. animatus melius, quã paratus. i. instructus, qui audeat dicere nos. s. Pompeianos ciues malos, aut homines improbos, in quo. s. ne recundiæ genere, ego soleo admirari grauitatem, & iustitiam, & sapientiã Cæsaris, qui sup. nunquã appellat i. nominat, Pompeiũ nisi honorificentissime. At. i. sed dices, sup. q Cæsar fecit in. i. aduersus personã eius. s. Pompeii, multa asperius. i. ualde, aut nimis aspere. Responsio. Ista. s. quæ duriora sunt, sunt facta armorum, & uictoriæ, nõ Cæsaris. At. i. sed, econtrario, quemadmodum est compleaus nos. s. Pompeianos q. d. humanissime, quia legauit, idest legatum constituit sibi Cassiũ, præfecit Galliæ Brutũ, a quibus duobus potissimũ postea occisus est, præfecit, sup Græciæ, Sulpitiũ scilicet Seruiũ, restituit Marcellũ cui maxime succensebat, idest irascebatus, cũ summa dignitate illius, scilicet Marcelli, qui tamen patriam uidere non potuit a familiari suo Athenis interfectus. Igitur quo. i. ad quid, spectant hæc? Natura rerum & temporum ciuilium. s. bellorum, quæ iã dem sedari debent, nõ patietur, nec ratio manens. s. in pectoribus hominũ, nec muta. i. quæ non est scripta, sed in animo locata, feret. i. patietur, primũ. i. id primũ nõ patietur, nec feret, ut nõ sit eadẽ & cõditio, & fortuna omnium in causa pari, deinde, ut uiri boni, & nulla ignominia notati, non reuertantur in eam ciuitatẽ, in quam reuerterunt. Ergo utrunq; dicitur, & reuertor, & reuerto sed reuertit quis, quasi se, hoc est sponte sua, reuertitur quodammodo ab alio, sed ut ex hoc loco patet, confunduntur: tot. s. ciues condemnati, sup. crimine scelerũ nefariorũ hoc est in ciuitatẽ Romanã. Tu habes. i. intelligis augurium meum, quo. s. augurio, nõ uterer potius si addubitarem quid. i. aliquid, quam illa consolatione, qua sustentarem, ne labatur animo, facile uirum fortẽ. Consolatio autẽ est, te non esse nimis laudandum, si sumpsisses arma, uictoria parta pro Repub. tu enim putabas tunc. s. cum arma sumeres, ita. s. pro Repub. arma te sumere, & a Repu. uictoriam statutam. Sin. i. sed si putasses posse accidere, ut uinceremur, propter incertos exitus, & euentus bellorum, te non debere fuisse paratum bene. i. decenter, aut multum, ad fortunam secundam i. prosperam, & sup nullo. i non ullo, non posse ferre ullo modo aduersam, scilicet fortunam. Etiam siquid addubitarem de augurio meo, disputarem, idest disputando adducerem contra te, quanto solatio cõscientia. s. recta facti tui, sup. deberet esse tibi. ue pro uel quantæ delectationi, literæ. i. scientiæ, & doctrinæ tuæ, deberent esse tibi in rebus aduersis, qua maxime. Turpe. n. est homini docto id non posse facere, quod faciendum ex philosophiæ præceptis didicerit, ac aliis faciendum esse subinde præceperit, præsertim in moralibus, quæ non discimus, ut sciamus, sed ut non efficiamus. Commemorarem, sup. etiam grauissimos casus non solum ueterum. s. ducũ. sed etiam horum recentium, uel ducum, uel comitum tuorum, etiã nominarem multos claros uiros externos, ut Lacedæmonios, Thebanos, Athenienses. Enim. i. quia recordatio quasi communis legis, & conditionis humanæ, leuat. i. minuit, aut mitigat dolorem. etiam exponerem tibi quemadmodum uiueremus hic. s. Romæ, & in quãta turba, & in quanta confusione rerum omnium. Enim. i. quia. necesse est carere: sup. cum minore desiderio, Repub. perdita, quam bona. i. salua, & locuplete. sed nihil opus est. sup. tibi hoc genere. s. consolationis. nos uidebimus (ut spero) uel potius (ut prospicio) te cito. i. propediem incolumem. Interea ego iampridem i. iam a pluseulis diebus, & pollicitus sum, & detuli. i. exhibui tibi absenti, & huic imagini animi tui, & corporis tui. s. filio tuo constantissimo. s. in paterna pietate, aut uirtute, & optimorum, qui adest. i. præsens est nobis, studium, officium, operam, laborem meum. Nunc sup. deferam, uel est, hoc amplius, quod Cæsar amplectitur me amicissime quotidie magis quidem. i. certe, familiares eius. s. Cæsaris sup. amplectuntur me, sicuti neminem. i. ita, ut neminem tantopere, apud quem. s. Cæsarem, quicquid ualebo, uel autoritate, uel gratia, ego ualebo tibi. i. ad utilitatem tuam. Tu cura, ut sustentes te: cum. s. ita sit, quod sustentes te fortitudine animi tui, tum. i. tunc: magis decet, quod sustentes te spe optima. s. de reditu habenda.

VICTORIVS.

NEc ex tripudiis solistimis aut somniis} Ipse priscam, quam restitui, uocem ex priscis etui exemplaribus. Posse autẽ fieri arbitror, ut in augurali disciplina quædã tripudia soniuia appellata sint: sed hæc tã obsoleta sunt propter uetustatem, & diuersos ritus, ut penitus incognita sint. Vocẽ certe hanc Sex. Pompeius exponit. {Soniuio} inquẽs sonanti. Nã uulgata lectio proculdubio falsa, & inepta est. nec. n. hic de diuinatione per somnia agit, quæ etsi sit (de ea. n. Artemidorus Græce copiose scripsit) non tamẽ de hac intelligit: loquitur. n de Augurali disciplina, & ut ipse augur, & ut ad Etruscũ hominẽ & Etruscæ disciplinæ peritum scribens. Ego alibi hanc uocẽ nõ inueni: nec mirũ est rerũ iã priscarũ, ac nẽ unquã qdẽ uulgatarũ, & cõmuniũ uocabula penitus ignorari. Qđ si ẽt apud alios autores hoc nomẽ fuit, fortasse quia nõ intellectũ, ut deprauatũ deletũ est: nõnullæ. n. hm̃õi uoces nisi e ueteribus, & nõ cõtaminatis exẽplaribus restituantur, obliteratæ sunt, & e finibus Latinæ linguæ, eiectæ, & expulsæ. Videndum tamen accuratius, an huius uocis certior ulla ratio, & significatio haberi possit. nã quod paulo supra nos scripsimus. {Inuolatu} pro. {Volatu} ex antiquo quam codice accepimus.

SEBAS. CORR.

NOn Vereor} Al. uereor. {Expulissent ii} Clodius, Piso, & Gabinius. {Qui ad me} exulem {In qua tu eras} negociabaris. {Etruscæ} Al. uetustæ {Disciplinæ} Diuinandi. {A patre} qui fortasse originẽ habuerit ab eo Cæcinna Volaterrano, qui augurũ princeps fuit. {Monuisse Põpeiũ} Nota est uox illa: Vtinã Cn. Põpei cũ C. Cæsare societatẽ aut nunquã coisses, aut nunquã diremisses {Nolo. n. hunc} Cæsarẽ. {Ea me suasisse Põpeio} Duo: unum, ne quinquennii imperiũ Cæsari prorogaretur: alterũ, ne pateretur fieri, ut absentis eius ratio haberetur. {Eundũ} Põpeio. {In Hispaniã} prouinciã suã {Si fecisset} Põpeius. {Bellũ nullũ} Nã Cæsar dimisso exercitu, ad comitia uenisset {Ipso Coss} Põpeio solo. {Populus iusserat} decẽ Trib. pleb. ferentibus. {Bello anteferrẽ} Epist. IX. lib. IIII. {Manente me} in ora maritima} Aliquãdo nõ defuisset} Al. aliquando defuisset: cũ nos sibi quondã ad pedes stratos ne subleuabat quidem {Amphiaraus} sciens se terræ hiatu absumptum iri, ad bellũ Thebanũ profectus {Ex aditis} Aues quasdã (inquit alibi) & alites, & oscines ut nostri augures appellant, rerũ augurandarũ causa esse natas putamus {Volatu} Præpetis omnia pennæ, dixit Poeta. {Ex cantu} Et uolucrum linguas, dixit idem. {Sinistro} prospero. nã Latinis sinistra uidentur, Graiis & Barbaris dextra meliora. {In nostra disciplina} augurali. {Tripudiis solistimis} quæ fiunt, cum quid ex ore pulli in solum cecidit: quæ tamen hic, & lib. II de diuinatione, ab augurali disciplina excludere uidetur. {Somniis} Excubabãt antiqui in templis somniandi causa, quia uera quietis oracula ducebant. Et si quidam hoc loco Soniuiis legunt. {Etruria} pro te, qui Volaterranus es, rogans. {In parte Italiæ} Etruria. {At nos} Pompeianos quidem, sed iam restitutos. {Cassium} C. Cassium. {Brutum} M. Brutum Episto. X. lib. XIII. {Galliæ} Cisalpinæ. {Præfecit} ad bellum Africanum profecturus {Sulpitium} Seruium Sulpitium. {Græciæ} Achaiæ. {Marcellum} Episto. IIII. libri quarti.

BERN. RVT.

NEc Manens nec muta ratio feret} Idest constans, uel etiam tacens, nullo loquẽte & intercedẽte pro te. nec enim ad uerbum refertur: aliter quæ interpres putet. {Si te ratio quædã uetustæ disciplinæ, quam a patre nobilissimo, atq; optimo uiro acceperas} Cæcinna Volaterranus equestris ordinis fuit, de quo Plynius lib X. Idem inter authores, qui Etrusca disciplina scripserunt, Cæcinnam habet.

Ex posse eiusdem.

RAtionem Haberi absentis, non tam pugnaui ut liceret, quã ut quando ipso consule pugnante populus iusserat, haberetur} Ipso: scilicet Pompeio, non, ut interpres, Paulo. Cicero ad Atticum, de Pompeio: Omitto illa uetera: quod istum in Repub. ille aluit, auxit, armauit, ille legibus C. Metelli contra auspicia ferendis autor, ille Galliæ ulterioris adiunctor. ille gener, ille in adoptando P. Clodio augur, ille restituendi mei, quam retinẽdi studiosior: ille prouinciæ propagator, ille absentis in omnibus adiutor. Idem etiam tertio consulatu postquam esse defensor Reip. cœpit, contendit, ut decem Trib. pleb. ferrent, ut absentis ratio haberetur, quod idem ipse sanxit lege quadam sua. Appianus quoq; Tribunos porro, inquit de Pompeio, adhortatus est, ut legem proferrent, qua Cæsari quamuis absenti secundum consulatum petere liceret. Tertio. s. Pompeii consulatu.

PHIL. MELA.

NOn Vereor, &c. Consolatio est, Habet autem exordium in quo est excusatio silentii. Deinde sequitur propositio, quã pollicetur de reditu. Argumentum ornatum est collatione, & loco communi, sicut tu olim diuinabas de meo reditu ea doctrina siue astrorum, siue aruspicum, sic ego nunc ex politica doctrina diuino. Amplificat deinde locum diuinationis politicæ, & commemorat quasdam suas prædictiones Deinde subiicit loco communi de diuinatione, signa diuinationis suæ, quorum alia sumit a persona Cæsaris, alia a conditione, & uicibus rerum publicarum. Postea cõclusioni addit co[n]solationes ea locis communibus ductas, de ferendis fortunæ iniuriis. Est talis etiam epistola de diuinatione, ad Atticum lib. X. {Vereor ne} Exordium, accusatio silentii. {His literis} consolatio. {Nec iis quidem} Propositio consolationis. {Nam cum Amplificatio. {Quæ præterea} Ne prorogentur Cæsari Galliæ. {Amphiaraus} Huic erat in fatis, ut si proficisceretur ad expugnationem Thebarum, periret: itaque cum ab uxore sua proditus esset, & ad Thebas perductus, ibi in hiatu terræ periit. {Notantur autẽ} Minor: ex quibus signis diuinet breui restituendum esse Cæcinnã. {In Cæsare} Primum colligit signa a Cæsaris natura. {Nolet hoc temp. {Deinde colligit signa a natura temporum. {Habes auguriũ} Alia consolatio, sumpta ex locis communibus ab honesto, quod fortiter ferenda sit iniuria fortunæ, sine culpa contracta. {Sed hoc genere} correctio. defert officium.

IOAN. RIVI.

LIbro Sexto, epist. item VI. Ne nos quidem nostra diuinatio fallet} Sic manu scriptum uolumen, non, Nec nos quidem. Tametsi haud me fugit, alterum quoq; esse apud Ciceronem frequens. In fine eius epistolæ sic leges. {Tu cura, ut cum firmitudine te animi, tum etiam spe optima sustentes} Hic mire uariant exemplaria, quod facile senties, si contuleris.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Scripserat in Cæsarem librum. Cæcinna meminit enim Suetonius in Cæsare Iulio libri a Cæcinna editi, ob hoc infensior illi multo Cæsar erat. Cum autem reditum cuperet sæpe oblueratum eum esse desiderauit. Sed quando emissus reuocari non poterat, poterat a Cicerone limam illius. quæ cum nihil prodesse posse uidebatur, paucis uerbis rationem editionis & defensionē præscribit. Postremo petit, ut officium Ciceronis illi non desit.

A. CÆCINNA M. CICERONI. S. 7

QVod tibi nō tam celeriter liber est redditus: ignosce timori nostro, & miserere temporis. filius (ut audio) pertimuit (neque iniuria) si liber exisset, quando non tam inter est quo animo scribatur, quam quo accipiatur. ne ea res inepte mihi noceret, cum præsertim adhuc stili pœnas dem. qua quidem in re, singulari sum fato: nam cum mendum scripturæ litura tollatur, stultitia fama muletur, meus error exilio corrigitur: cuius summa criminis est quod armatus aduersario maledixi: nemo nostrum est, ut opinor, quin uota uictoriæ suæ fecerit: nemo, quin, etiam cum de alia re immolaret, tamen eo quidem ipso tempore, ut quamprimum Cæsar superaretur, optarit. hoc si non cogitat, omnibus rebus felix est, si scit, & persuasus est, quid irascitur ei qui aliquid scripsit contra suam uoluntatem, cum ignorit, omnibus, qui multa Deos uenerati sint contra eius salutem? sed, ut eodem reuertar, causa hæc fuit timoris: scripsi de te parce medius fidius, & timide, non reuocans me ipse, sed penè refugiens. genus autem hoc scripturæ non modo liberum. sed incitatum, atque elatum esse debere, quis ignorat? solutum existimatur esse alteri maledicere: tamen cauendum est ne in petulantiam incidas. impeditum se ipsum laudare, ne uitium arrogantiæ subsequatur. solum uero liberum, alterum laudare. de quo quicquid detrahas, necesse est aut infirmitati, aut inuidiæ assignetur. ac nescio an tibi gratius opportuniusq; acciderit: nam quod* præstare non poteram, primum erat non attingere, secundum beneficium quam parcissime facere. sed tamen ego me quidem sustinui. multe minui: multa sustuli. complura ne posui quidem. QVEMADMODVM igitur, scalarum gradus si alios tollas, alios incidas nonnullos male hærentes relinquas, ruinæ periculum struas, non ascensum pares: sic tot malis tum uictum, tum fractum studium scribendi, quid dignum auribus, aut probabile potest afferre? cum uero ad ipsius Cæsaris nomen ueni, toto corpore contremisco. non pœnæ metu, sed ipsius iudicii: totum enim Cæsarem non noui. quem putas animum esse ubi secum loquitur? hoc probabit: hoc uerbum suspiciosum est. quid si muto? at uereor, ne peius sit. age uero laudo aliquem, num offendo? cum porro offendam, quid si non uult? armati stylum persequatur, uicti, & nondum restituti quid faciet? auges etiam tu mihi timorem, qui in Oratore tuo caues tibi per Brutum, & ad excusationem socium quæris. ubi hoc omnium patronus facis, quid me ueterem tuum, nunc omnium clientem sentire oportet? in hac igitur calumnia timoris, & cæcæ suspicionis tormento cum [illegible] coniecturam, non ad suum iudicium [illegible] sit euadere, si minus expertus es, quod te ad omnia summum, atque excellens armauit ingenium, nos sentimus. sed tamen ego filio dixeram librum tibi legeret, & auferret, aut ea conditione daret si reciperes te correcturum, hoc est, si totum alium faceres. De Asiatico itinere, quanquam summa necessitas, premebat, ut imperasti, feci. Te pro me, quid horter? uides tempus uenisse, quo necesse sit de nobis constitui. nihil est mi Cicero, quod filium meum expectes. adolescens est: omnia excogitare uel studio, uel ætate, uel metu non potest: totum tu sustineas oportet, in te mihi omnis spes est. tu pro tua prudentia, quibus rebus gaudeat, quibus capiatur Cæsar, tenes à te omnia proficiscantur, & per te ad exitum perducantur, necesse est. apud ipsum multum, apud eius omneis plurimum potes. unum si tibi persuaseris. non hoc esse tui muneris, siquid rogatus fueris, ut facias (quanquam id magnum, & amplum est) sed totum tuum esse onus, perficies: nisi forte aut in miseria nimis stulte, aut in amicitie nimis impudenter tibi onus impono, sed utrique rei excusationem tuæ uitæ consuetudo dat: nam quod ita consueuisti pro amicis laborare, non iam sic sperant abs te. sed etiam sic imperant tibi familiares. Quod ad librum attinet, quem tibi filius dabit peto à te. ne exeat, aut ita corrigas, ne mihi noceat. Vale.

ASCENSIVS.

QVod tibi &c. Excusat q̄ libros a Cic. expetitos ei nōdū ea hibuerat, eo q̄ filius eos edere nō ausus fuerat. ostendītq; q̄ difficile genus scribēdi aggressus sit, ac demum Cic. patrociniū implorat. Ordo ē. Ignosce timori nostro q̄ liber. s. de historiis bellis ciuilis, nō est redditus tibi tā cito. s. ut uoluerat, & miserere tēpis. s. calamitosi, & suspecti. Vt audio filius pertimuit. i. multū timuit, si liber exisset. s. in manū Cæs. neq; iniuria, quandoquidē nō interest. i. refert, tā. i. tantopere, quo animo scribatur. i. descriptio rerū fiat, q̄. i. quantopere interest, quo. s. animo accipiatur. s. ab iis de quibus scriptū est, pertimuit inquā, ne ea res. i. editio libri, noceret mihi inepte, quia potuissem cauere præsertim cūdē adhuc pœnas styli. i. patiar adhuc incōmoda, & addā male, ob styli immaturitatē. in qua quidē re, ego sum fato. i. infortunio singulari, nā cū mēdū. i. uitiū, aut erratū scripturæ tollatur, litura. i. deletione eius, q̄ male scriptū est, & cū stultitia. s. scribētis, mulctetur. i. puniatur fama i. per infamiā, error meus, quo dicor non bene scripsisse, corrigitur exilio cuius criminis summa. i principalis ratio est, q̄ armatus. i. cū essem armatus pro Rep cōtra Cæsarem, maledixi aduersario. s. Cæsari, quē iure belli tūc interficere licuisset si potuissem, nedū uerbis lacessere. Nemo nostrorū. i. de nostris. dicitur ēt nemo nostrū. i. de nobis, est ut opinor, quin fecerit uota uictoriæ suæ, quin etiā cū imolaret de alia re. i. ob aliā rē, tamē optaret quidē. i. certe, eo ipso tēpore, ut Cæsar superaretur quāprimū Si sup. Cæs. nō cogitat hoc. i. omnes contra se uota fecisse, ipse est felix in omnibus rebus, quia in bello ubi superauit, & post bellum ubi nulla cura angitur, si scit sup. omnes contra se uota fecisse, & persuasus est: idest firmiter credit, quid. i. ad quid irascitur ei, qui scripsit aliquid contra uoluntatē suā, cum ignorit. i. ueniam dederit, omnibus qui uenerati sunt: . i. uenerando precati deos, multa contra salutē eius. Sed ut reuertar eodē. s. quo ceperam, hoc est ad purgandū q̄ non celerius est tibi liber redditus, hæc causa fuit timoris. Scripsi mediusfidius. i. ita me Iouis filius iuuet Hercules, aut Deus fidei ita me iudicet, ut uerum dicā. scripsi de te. i. de gestis temporis, parce. i. modice, & timide, q̄a non audebat Cæsarē taxare, ipse non reuocans. i. excitans me ad pristinos animos, sed pene refugiens. Autē. i. sed quis ignorat, hoc genus scripturæ, quo publice gesta scribuntur, debere esse non modo. i. non solum liberum, scilicet ab omni formidine, & pauore, sed supple etiam incitatum: idest stimulatū, & uehemens, atq; latū i. diffusum? quasi dicat nemo. Maledicere alteri putatur esse solutum, idest liberum legibus, tamen cauendum est ne incidas in petulantium. Laudare seipsum putatur esse impeditum, ne uitium arrogantiæ subsequatur, uerum: idest sed, solō laudare, alterū putatur liberū, de quo: scilicet genere laudandi quicquid detrahas, necesse est supple ut assignetur, aut infirmitati, aut inuidiæ. At nescio an acciderit tibi o Cicero, gratius: idest utilius & opportunius: scilicet quod parce, quam si prolixe te laudarim. Nam primum, idest prima lex, aut primum decorum erat, non attingere, quod non poteram: scilicet perficere præclare, quales putat laudes Ciceronis, secundum supple erat facere beneficium, quam peritissime: idest callidissime, hoc autem fit dissimulanter laudando, nam qui in laudem propensior est, minus proficit, quod deuinctus putatur, sed tamen, ego quidem sustinui me: idest, personam historiographi iussi minui multa, & ne quidem, idest non saltem posui: idest attigi complura. Quemadmodum & cætera. Probat se in ea perturbatione non potuisse seruare decorum scribendi, dicens. Igitur quemadmodum si gradus scalarum tollas, idest auferas, alios, idest quosdam, & incidas alios, relinquas nonnullos male hærentes. i. infixos, tu struas periculum ruinæ, & non pares ascensum, sic studium scribendi tum: idest partim uictum, tum: idest partim fractum, tot malis idest aduersis rebus, quid potest afferre dignum auribus, aut probabile? q. d. nimirū nihil Vero. i. sed cum ueni ad nomen ipsius Cæsaris ego contremisco, plus est quam si dicat ego contremui, quasi dicat adhuc timorē perseuerare, toto corpore non metu pœnæ. inferendæ. a Cæsare sed iudicio, aut metu iudicii

Ipsius idest propter iudicium faciendum de ipso Cæsare, non enim, noui totum Cæsarem idest animum eius aut propter iudiciū, quod de scriptis meis facturus sit Cæs. Nam quem animum putas esse sup. scriptori, ubi loquitur secum, dicens supple Cæs. probabit hoc uerbū: hoc uerbum est suspiciosum.i.q in malā partem interpretari possit, quod supple erit si ego muto hoc scilicet uerbum, at uereor ne sit peius scilicet quod in illius locum inseretur. Age uero, est in deliberando adhortantis, & disputantis, contra remorsum conscientiæ, si ego laudo aliquem, num idest nunquid offendo? q.d non. alii textus habent non, & in idem redit, Porro idest sed, cum idest quanuis, offendam. quid supple fiet, si non uult idest non admittit genus scribendi. Ipse persequitur stylum armati scilicet adhuc contra se, & ita publici hostis, quid faciet supple de stylo uicti, & nondum restituti quasi dicat multo magis persequetur. Tu etiam o Cice. auges mihi timorem, qui caues idest perspicis tibi in Oratore tuo idest in lib de Orat. per Brutum, & quæris locium ad excusationem scilicet scripti. Vbi tu patronus. idest defensor hominum, scilicet reorū, facis hoc: idest quæris socium ad excusationem, quid oportet me ueterem clientem tuum, nūc clientem omnium, quia omnium egentem patrocinio sentire? Igitur cum plurima scribantur in hac calumnia timoris, & in tormento suspicionis cæcæ. idest occultæ, ad coniecturam sensus alieni, non ad iudicium suum: idest proprium: quam idest quantum, difficile sit euadere: scilicet culpam si es minus: idest non satis exapertus. quasi dicat difficillimum, sed nos sentimus, quod ingenium summum & excellēs, armauit: idest muniuit te ad omnia scilicet quæ uelis scribenda, & obeunda. Sed tamē ego diaeram filio supple ut legeret tibi librum, & auferret scilicet lectū, aut daret scilicet tibi, ea conditione si reciperes idest promitteres te correcturum, hoc si faceres totum aliud, hoc per modestiam dicit. Ego feci de itinere Asiatico idest quod in Asiam mihi assignasti, ut, Idest quemadmodum imperasti, quanquam: idest tametsi, summa necessitas: idest penuria rerum premebat me. Quid horter te, supple facere pro me, tu uides tempus uenisse, quo sit necesse constitui de nobis, aut reducendo, aut perpetuo exilio damnando O Cice. nihil est quod: idest propter quod expectes filium meum idest officium filii mei. ipse est adolescens, non omnia potest excogitare, uel studuit aut quia aliis rebus adhuc studet, aut quia nondum satis studuit, uel ætate, quia per ætatem non licuit. Senibus enim maior est rerum experientia, uel metu: idest quia metuit Cæsarem, ut quem patri iratū scit oportet supple ut tu sustineas totum negotium supple meū, aut de me restituendo Omnis spes est mihi in te, tu tenes idest intelligis pro tua prudentia idest propter prudētiam tuam, quibus rebus Cæsar gaudeat, & quibus capiatur: idest afficiatur, oblectetur uehementer, ita ut captus uideatur: necesse est supple ut omnia, scilicet quæ pro me fiant, proficiscantur: idest originem capiant, & ueniāt, & perducantur ad exitum, idest optatū finem per te. Tu potes multum apud ipsum, scilicet Cæsarem, & potes plurimum apud amicos eius, quod Cicero ipse scr. pserat epistola superiore his uerbis. Nunc hoc amplius, quod me amicissime quotidie magis Cæsar amplectitur, familiares quidem eius sicuti neminem. Si persuaseris tibi unum, scilicet hoc, quod sequitur, hoc non esse muneris tui: idest non pertinere ad munificentiam tuam, ut facias si fueris rogatus, quid: idest aliquid, & supple aliter non, quanquam id: idest facere, quod rogatus fueris, est magnum & amplum, sed persuaseris tibi, omne onus esse tuum, tu perficies: scilicet uotum meum de reditu, nisi forte ego impono tibi onus nimis stultum in miseria idest eo, quod sum miser, & miseris uicina est stultitia: idest nimia affectio felicioris status, aut nimis impudenter: idest inuerecunde in amicitia: idest eo, quod sum tibi coniunctus uetere amicitia, licet autem amicorum deberēt omnia esse communia, impudentis tamen esset omnia expostulare Sed consuetudo tuæ uitæ, qui facilis & beneficus in omnes esse soles, dat utriq; rei, scilicet & stultitiæ, & impudentiæ excusationem. Nam quod, idest quia tu consueuisti laborare pro amicis ita, idest tam attente, & accurate, ut omnia pro ipsis audeas, ut patuit de Milone. & aliis multis, quos in causa difficillima defendit, & absolutos reddidit. familiares, scilicet tui, non sperant, iam sic, scilicet te, pro se facturum, quod tamen magnum esset, nam non speramus nisi de quibus spes sit, sed imperant etiam tibi, sic, idest & stulte, & impudēter, & tamen feliciter. quia, quæ impetant, impetrant Est ergo epistola imitatione digna, & ideo a Cicerone Ciceronis libro cum Ciceronianis collecta, & perpetuitate donata. Nam non est dubium lōge plures, aut responsiuas, aut a Cicerone scriptas fuisse, sed ea duntaxat conseruatas in quibus, aut dicendi maior est necessitas: aut ad eas, quæ conseruatæ sunt, intelligendas maior opportunitas. Quod attinet ad librum, scilicet historiam bellorum ciuilium, quem filius dabit tibi, peto ne exeat a te, aut ut corrigas ita ne noceat mihi. Prius autem dictum est. Sed tamen ego filio diaeram librum tibi legeret, & auferret, aut ea conditione daret, si reciperes te correcturum, hoc est si totum aliud faceres Modestius ergo in sua persona de libro statuit in filii, nam non auferendum, sed sic duntaxat corrigendum, ut non noceas, monet.

VICTORIVS. Sed incitatū atq; elatum} Sic etiam in Mediceo legitur quare hanc prorsus lectionem sequendam censeo.

PAVL. MANV. Multa deos uenerati} nihil est immutandum, ut alii crediderunt: nam etiam alibi nomen pro aduerbio positū est, ut: cū dicitur. multa peccas, & multa egeo. Cice. de natura Deorū VII. pro Muræna. CXXXVIII. Topicorū aūt initio, cū (inqt) mihi meisq; multa sæpe cauisses, Gellius li. XIII cap. XXIII. {Elatum} antea, latum, nos castigauimus elatum meliorem, ut opinor, sensum secuti, quam, qui, latum, scribunt. nostram autem lectionem accepimus ex libro manuscripto Bernardini Maffei, nobilissimi adolescentis, qui in studiis liberalium disciplinarum summa sua cum laude uersatur.

SEBAS. CORR. In oratore tuo} quem te Bruto petenti negare non potuisse scribis nisi malimus illum librū intelligere, qui Brutus, siue de Claris oratoribus inscribitur: in quo & maior de tēporibus querela est, & Brutus ipse loquitur. {Me ueterem tuō} pro quo extat oratio. {Necessitas premebat} ut ad reliquas Asiaticæ negotiationis proficisceret. {Vt imperasti} ut censuisti in Sicilia commorandum.

BERN. RVTI. Qui multa deos uenerati sint} Quid si, mala deos? na malo qui poetica nimis locutio. {Genus autem hoc scripturæ non modo liberum, sed incitatum atq; latum esse debere quis ignorat?} Significantius Elatum putes a Cicerone scriptum, quam latum. {Genus uero scripturæ} historiam intelligit, præsertim ciuilium coniurationum: qualem innuit scripsisse Cæcinna sc, illam (opinor) Catilinæ: in qua scimus Cæsarem aut cum coniuratis, aut pro coniuratis, certe sensisse: uel querelarum eū librum Cæcinnæ, de quo proxima epistola Tullius {Aut infirmitati aut timiditati assignetur} Infirmitati, timori potius, quā (quod Clericus) imbecillitati ingenii {Age ero, laudo aliquem, num offendo? cum porro offendam, quid si non uult} Si quid mutari oportet, quod omnino non esse necesse, illud mutabitur, ut legas, Cum porro non offendam nam interpretis neq; lectionem, neq; sensum amplector. {Armati stylum persequitur, uicti & nondum restituti qd faciet?} Armati antea, uicti nunc contra quam Clericus, qui egregie (ut solet) deerrat. Illa enim quibus Cæsarem offenderat, antea ab eo scripta fuerant, cum esset adhuc in Pompeianis castris: At hæc posteriora, iam uictus, & ueniam efflagitans.

PHIL. MELI. Quod tibi non} Excusatio est quare scriptum noluerit exhiberi. Oratio est arguta, & copiosa: & pollens ea uirtute quam uocant δεινότητα. {Nam cum mendum} Duplex querela, altera; quod grauiter plectatur propter scriptum, {Sed ut eodem} altera querela e forma scripti, quod cum non fuerit liber in scribendo, non bene cohæreat oratio. {Auges etiam} Ab exemplo Ciceronis. {In hac igitur} Conclusio huius querelæ de forma scripti. {De Asiatico} Aliud argumentum Adhortatur ut diligenter ipsius causam commendat amicis Cæsaris.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Fuerat in Sicilia Cæcinna usque ad præstitutum a Cæsare tempus, cum iam id adesset, ueritus Cæcinna, ne Cæsaris animum abalienaret, consuluit Ciceronem, an relicta Sicilia in Asiam se transferret. Huic consolatione Cicero respondet, suadens, suo consilio in Sicilia maneat, idque argumentis a loci natura sumptis, & ab utili.

M. CICERO A. CÆCINNAE. S. D. 8

CVm esset mecum Largus, homo tui studiosus locutus Cal. ian. tibi præfinitas esse, q. omnibus in rebus perspexeram, quæ Balbus, & Oppius absente Cæsare egissent ea solere illi rata esse, egi uehemēter cū his ut hoc mihi darēt, tibi in Silicia quoad uellemus, uti esse liceret. qui mihi cū suessent aut libēter polliceri, siquid esset eiusmodi, q. corū animos nō offenderet, aut etiā negare, & efferre rationē, cur negarēt: huic meæ rogationi potius nō cōtinuo respōderūt. eodē die tamē ad me reuerterūt, mihiq; hoc dederunt, ut esses in Sicilia, quoad uelles, se præstituros: nihil ex eo te offensionis habiturum. quādo quid tibi permittatur, cognouisti: quid mihi placeat, puto te scire oportere. actis his rebus. literæ à te mihi sunt redditæ: quibus à me cōsiliū petis, quid sim tibi autor, in Siciliam ne subsidas, an ut ad reliquias Asiaticæ negationis proficiscare. hæc tua deliberatio non mihi conuenire uisa est cum oratione Largi: ille enim mecum, quasi tibi non liceret in Sicilia diutius commorari, ita locutus erat: tu autem, quasi concessum sit, ita deliberas. sed ego siue hoc, siue illud est, in Sicilia censeo commorandum propinquitas locorum uel ad impetrandum adiuuat crebris literis, et nūtiis,

tiis,uel ad reditus celeritatem, re aut impetrata quod spero, aut aliqua ratione confecta. quamobrem censeo magnopere commorandum. T. Furfano Posthumio familiari meo,legatisq; eius item meis familiaribus diligentissime te commendabo, cum uenerint:erant enim omnes Mutinæ:uiri sunt optimi & tui similium studiosi,& mei necessarij.quæ mihi uenient in mentem,quæ ad te pertinere arbitrabor,ea me sponte faciam. siquid ignorabo, de eo admonitus,omnium studia uincam.ego etsi coram de te cum Furfano ita loquar:ut tibi literis meis ad eum nihil opus sit:tamen quoniam tuis placuit:te habere meas literas:quas ei redderes: morem eis gessi.earum literarum exemplum infra scriptum est. Vale.

CVm esset mecum &c.Cæcinna urbe prohibitus,& in Sicilia ad calendas usq; Ianuar.manere permissus, consuluerat Ciceronem an contra prohibitionem Cæsaris in Sicilia amplius maneret, an in Asiam proficiscatur. Cice.itaq; cum amicis Cæsaris se egisse significat, ut illic manere possit,licet non bene impetrarit,consulit tamen ut potius immoretur.pollicetur q; se commendaturum Cæcinnam familiaribus Cæsaris,& pro eo ad ipsum scripturum.Ordo est: Cum Largus homo studiosus tui:idest studens:multū saluti & utilitati tuæ, esset locutus me cum,calendas Ianuarias esse perfinitas.i.limitatas, & præfixas tibi,ne amplius esses in Sicilia,quod.i.quia,ego perspexeram i.cognouetam,ea quæ Balbus,& Oppius egissent,Cæsare absente,solere esse rata.i.firma,& approbata illi.s.Cæsari,ego egi uehementer cum iis,ut darent.i.concederent tibi hoc,uti liceret tibi esse in Sicilia,quoad i.quandiu uellemus.Qui.s.Balbus, & Oppius, cum consueuissent,aut polliceri mihi libenter siquid esset eiusmodi,quod non offenderet animos eorum,aut etiam negare, & afferre rationem cur negarent,potius.i.libentius:non responderit huic rationi meæ,ipsi tamen reuerterunt eodē die ad me, & sup. dederunt .i.permiserunt,aut concesserunt mihi hoc,ut esses in Gallia quoad uelles:& sup.præstaturos(dicitur ergo utrūq; præstaturus & præstiturus)te nihil offensionis habiturum sup esse,ex ea re. Quando .i quoniam,tu cognouisti.quid permittatur tibi, puto oportere te scire quid placeat mihi,his rebus actis.i.postquā hæ res essent actæ literæ sunt redditæ mihi a te.i.quæ missæ erant a te, quibus petis consilium a me,quod sim tibi autor.i.approbator & consultor,ne l. an,subsidas.i.locum manendi capias in Sicilia prouincia,an ut proficiscare ad reliquias negotiationis Asiaticæ.i.quæ in Asia obeunda susceperas Hæc deliberatio tua non est uisa mihi conuenire cum oratione i.sermone Largi,ille enim locutus erat mecum ita, quasi nō liceret tibi commorari diutius in Sicilia,tu autem deliberas ita, quasi concessum sit tibi.Sed siue hoc.s.quod tu innuuisti, siue illud qd Largus dixit, est:ego censeo commorandum tibi in Sicilia. Nā sup. propinquitas locorum adiuuat,uel ad impetrandum.s.reditum, crebris literis,& nunciis,uel ad celeritatem reditus,re aut impetrata, aut confecta.i.transacta,quod spero, aliqua ratione. Quamobrem censeo magnopere commorandum,sup.esse in Sicilia Ego commendabo te diligentissime Tito Furfano Posthumio familiari meo, & legatis eius,item.i.similiter,familiaribus meis,cum uenerint.s.in urbem Erant enim.s.cum hæc scriberem,omnes Mutinæ.i.in ea urbe Italiæ non longe a Bononia,uiri sunt optimi, & studiosi similium tui,ingeniosi,& necessarii mei.i necessitate coniuncti. Ego faciam mea sponte.i.etiam non rogatus a te,ea quæ arbitrabor pertinere ad te.Si ego ignorabo quid.i.aliquid.s pertinens ad te,ego admonitus .i cum fuero admonitus,uincam i.superabo,studia omnium Ego etsi loquar cum Tito Furfano.s Posthumio de te, coram.i.in præsentia eius,ut nihil opus sit tibi literis meis ad eum,tamen quoniam placuit tuis.s.necessariis,& amicis,habere literas meas, quas redderes ei,ego gessi ita his.s.tuis morem.i.illis,obsecutus sum. exemplū earum literarum est scriptum infra.i quod sequitur.

VT esses in Sicilia} In omnibus fere libris legitur,Gallia,quā bene,nihil nunc ad me.{Tito Furfano Postumo} Is uidetur Alieno successisse,qui tempore belli Africani Prætor in Sicilia fuit.

HVic meæ rationi potius non continuo responderunt}Quid si scribatur: Huic meæ petitioni,uel rogationi, potius, &c. uel econtra.Sane ea quatuor his inter Ciceronem Cæcinnamq; epistolis,quæ primo loco sita est,postremo debuit.in hac.n. scribit Cicero redditum eum sibi librum fuisse: quem non tam cito traditum,in tertia excusat Cæcinna Quæ uero ultima est,cum appendice in secundum locum transferri debuit: in qua id continetur,quod Cæcinna postea se fecisse scribit.s.permansisse in Sicilia, ut censuerat Cice.secundam uero debere primo loco collocari, & sententia eius,& quod nulli rei respondet,nullasq; Cæcinnæ literas nominat,ut fieri assolet,uerisimile est.{Tibi in Sicilia,quoad uellemus uti esse liceret}Distinguitur (puto) melius, Quoad uellemus uti esse liceret,ut sit Vti aduerbium,non uerbum in quo enim uteretur Cæcinna Cicero?{Vt esses in Gallia}Non uidetur conuenire,quod subiicitur. Siue hoc,siue illud est,in Sicilia censeo commorandum,ut utrobiq; itidem legi oporteat,sed hic Sicilia magis, aut alio eius insulæ ciuitatis nomine.

CVM esset mecum Largus}Narratio, & expositio consilii. {Quandoquid mihi} Iurisconsultorum uox. {Sed ego} Consilium. PHIL. MELá.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Commendatio Cæcinnæ a iustis caussis,a familiaritate, quam cum illius patre habuit:a necessitudine,quam cum Cæcinna a pueritia eius annis exercuit:deinde a communibus studiis.Postremo petitio,quæ est tanquam umbra commendationum omnium.

M. CICERO T. FVRFANO PROCOS. S. D. 9

CVm A.Cæcinna tanta mihi familiaritas,consuetudoq; semper fuit, ut nulla maior esse possit:nam & patre eius claro homine: & forti uiro plurimum usi sumus: & hunc à puero,quod & spem mihi magnam afferebat summæ probitatis, summæq; eloquentiæ, & uiuebat mecum coniunctissime non solum officijs amicitiæ,sed etiam studijs communibus, sic semper dilexi, ut non ullo cum homine coniunctius uiuerem. nihil attinet me plura scribere,quàm mihi necesse sit eius salutem,& fortunas,quibuscunque rebus possim,tueri,ut uides.reliquum est,ut,cum cognorim pluribus rebus,quid tu & de bonorum fortuna: & de Reip.calamitatibus sentires,nihil à te petam, nisi ut ad eam uoluntatem, quam tua sponte erga Cæcinnam habiturus esses,tantus cumulus accedat commendatione mea, quāti me à te fieri intelligo.hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

CVm Aulo,&c Commendatio est,quam in fine superioris epistolæ promisit Ordo est: Tanta familiaritas, & consuetudo fuit mihi semper cum Aulo Cæcinna, ut nulla esset maior Nam nos usi sumus plurimum patre eius homine claro,& uiro forti,& semper dilexi a puero, hunc .s.Aulum,quod.i.quia,&.i.simul,afferebat mihi spem summæ eloquentiæ &.i.simul uiuebat mecum coniunctissime,non solum officiis amicitiæ,sed etiam studiis communibus.s.eloquentiæ, & postea auguralis scientiæ,sic inquam dilexi,ut cum nullo homine uiuerē coniunctius.Nihil attinet.s.ad rem,me scribere plura. quod necesse est mihi tueri.i. protegere, salutem & fortunas eius, quibuscūq; rebus possim.ut uides.Reliquum est,ut cum i postquam cognorim.i. cognouerim,pluribus rebus,quid tu sentires de fortuna bonorum.s. uirorum:& de calamitatibus Reip.nihil petam a te, nisi ut tantus cumulus accedat commendatione mea ad eam uoluntatem, quam habiturus es tua sponte erga Cæcinnam, quanti ego intelligo me fieri.i.æstimari a te, q d.quicquid pro me facturus sis pro illo facias. Nihil gratius potes facere mihi,quam hoc.i.habere Cæcinnam tibi quam commendatissimum. ASCENSIVS.

T. Furfano Prætori} Al.Procoss.id quod nihil refert,Nam diximus alibi,Prætorem Procoss.& Procoss.quandoq; Prætorem appellari. SEBAS. CORR.

NIhil attinet me plura scribere,quod mihi necesse sit, eius salutem & fortunas,quibuscunq; rebus possim,tueri ut uides}Aliter in aliis exemplaribus. Ego ita commodissime scribi posse intelligo.{Nihil attinet me,plura scribere quam mihi necesse esse,eius salutem & fortunas,quibuscūq; rebus possim,tueri. BERN. RVTI.

CVm A.Cæcinna}Commendatio est. Orditur autem narrationem ab Auli officiis,quare tueri Cæcinnam debeat. Et est communis forma commendatitiarum. {Nam &.} Narratio quæ habet argumenta ab officiis. PHIL. MELá.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Consolatio Trebatii. Exorditur a prædicatione sui amoris & officii erga Trebatium,quem ut melius declaret,nihil sibi omittendum dicit, quod illius caussam iuuare posse existimet. postremo argumentis consolationum superioribus utitur,a Trebatii Cæsarisque attributis,a temporum qualitate, ab exilii conditione,&c.

M. C. *TREBATIO S. D. 10

*a.l. Trebiano, uel Trebelliano.

*a.l. receperis.

EGo, quanti te faciam, semperq́; fecerim, quanti me à te fieri intellexerim, sum mihi ipse testis: nam & consilium tuum, uel casus potius diutius in armis ciuilibus commorandi, semper mihi magno dolori fuit: & hic euentus, quòd tardius, quàm est æquum, & quàm ego uellem, *recuperes fortunam; & dignitatem tuam, mihi non minori curæ est, quàm tibi semper fuerint casus mei: itaque & Posthumuleno, & Sextio, & sæpissime Attico nostro, proximéque Theudæ liberto tuo totum me patefeci: & his singulis sæpe dixi, quacunque re poßem, me tibi, & liberis tuis satisfacere cupere: idq́; tu ad tuos uelim scribas, hæc quidem certe, quæ in potestate mea sunt, ut operam, studium, consilium, rem, fidem meam sibi ad omneis res paratam putent. si autoritate, & gratia tantum poßem, quantum in ea Repub. de qua ita meritus sum, poße deberem: tu quoque is eßes, qui fuisti, cum omni gradu amplissimo dignissimus, tum certe ordinis tui facile princeps. sed quando eodem tempore, eademq́; de causa nostrum uterq; cecidit: tibi, & illa polliceor, quæ supra scripsi, quæ sunt adhuc mea. & ea, quæ præterea uideor mihi ex aliqua parte retinere tanquam ex reliquis pristinæ dignitatis: neque enim ipse Cæsar, ut multis rebus intelligere potui, est alienus à nobis: & omnes ferè familiarissimi eius quasi deuincti magnis meis ueteribus officijs, me diligenter obseruant, & colunt. itaque siquis mihi erit aditus de tuis fortunis, idest de tua incolumitate, in qua sunt omnia, agendi, quod quidem quotidie magis ex eorum sermonibus adducor ut sperem: agam per me ipse, & moliar. singula persequi non est neceße: uniuersum studium meum, & beneuolentiam ad te defero. sed magni mea interest, hoc tuos omneis scire, quod tuis literis fieri potest, ut intelligant omnia Ciceronis patere Trebatio, hoc eo pertinet, ut nihil existiment eße tam difficile, quod non pro te mihi susceptum, iucundum sit futurum. *A N T E A misissem ad te literas, si genus scribendi inuenirem: tali enim tempore aut consolari amicorum est, aut polliceris. consolatione non utebar, quòd ex multis audiebam, quàm fortiter, sapienterq́; ferres iniuriam temporum, quamq́; te uehementer consolaretur conscientia factorum, & consiliorum tuorum. quod quidem si facis, magnum fructum studiorum optimorum capis, in quibus te scio semper eſſe uersatum: idq́; ut facias, etiam atque etiam te hortor. simul & illud tibi homini peritissimo rerum & exemplorum, & omnis uetustatis, ne ipse quidem rudis, sed in studio minus fortaße, q̃àm uellem, at in rebus atq; usu plus etiam quàm uellem, uersatus, spondeo, tibi acerbitatem istam, & iniuriam non diuturnam fore: nam & ipse, qui plurimum potest, quotidie mihi delabi ad æquitatem, & ad rerum naturam uidetur: & ipsa causa ea est, ut iam simul cum Repub. quæ in perpetuum iacere non potest, necessario reuiuiscat, atque recreetur: quotidieq́; fit aliquid lenius, & liberalius, quàm timebamus. quæ quoniam in têporum inclinationibus sæpe paruis posita sunt: omnia momenta obseruabimus, neque ullum prætermittemus tui iuuandi, & leuandi locum. itaque illud alterum quod dixi, literarum genus quotidie mihi, ut spero, fiet procliuius, ut etiam polliceri posſim. id re, quàm uerbis, faciam libentius. tu uelim existimes, & plureis te amicos habere, quàm qui in isto casu sint ac fuerint, quantum quidem ego intelligere potuerim, & me concedere eorum nemini. fortem fac animum habeas, & magnum: quod est in uno te. quæ sunt in fortuna, temporibus regentur, & consiliis nostris prouidebuntur. Vale.

*a.l. in aliquibus exemplaribus hoc est principium alterius epistolæ.

ASCENSIVS.

EGo quanti &c. Trebatius ciuis Romanus egregius, ob eandem causam, ob quam Marcel. Sulp Figulus, Cæcinna, & pleriq; alij patria, & fortunis suis carebant, urbe exulabat a qua prohibebatur eo magis, quod uicto Pompeio eius causam non deseruerat. Hunc Ci. docet, quantum cupidus sit, & satisfaciendi, & eius liberis subueniendi, polliceturq; se pro eo intercessurum, purgans quod non prius scripserit. Ordo est. Ego ipse sum mihi testis, quanti faciam te, & semper fecerim, & quanti intellexerim me fieri a te. Nam & cõsilium tuum, uel potius casus manendi semper s. post uictõ Pompeium in armis: fuit mihi magno dolori, & hic euentus. i. inopinatus exitus, quod recuperis fortunam, & dignitatem tuam tardius, quam æquum. i. iustum: est, & quam ego uellem, est mihi non minori curæ, quam casus mei. i. ærumnæ meæ, fuerint tibi semper. Itaq;. i. & ita, ego patefeci me totum. i. aperui penitus animum meum Posthumaleno, & Sextio, & sæpissime Attico nostro. s. intimo amico, & proxime. i. diebus proxime præteritis, Theudæ liberto tuo. i. a te libertate donato, & dixi sæpe his singulis hæc, me cupere satisfacere tibi, & liberis, quacunque re possem Et uelim sup. ut tu scribas id ad tuos, ut putent quidem. i. saltem, hæc certe. i. indubitanter, quæ sunt in potestate mea, utpote operam, studium, consilium, rem. i. diuitias, fidem meam esse sup. paratam sibi ad omnes res Si ego possem autoritate, gratia tantũ, quantum deberem posse in ea Repub. s. Romana, de qua sum meritus, ita. i. tam egregie, tu quoq; esses is, qui. i. talis, qualis fuisti, cum. s. ita esset, quod esses, aut quod es dignissimus omni gradu amplissimo, tũ certe sup esses, aut dignissimus es, qui esses facile princeps tui ordinis s. senatorum, aut potius iurisperitorum. Sed quoniam, aut quando. i. quoniam, uterq; nostrum cecidit eodem tempore, & eadem de causa, ego polliceor tibi, & illa quæ scripsi supra, operam, studium, consilium, rem, fidem, quæ sunt adhuc mea. i. mihi non erepta, & ea quæ uideor præter ea retinere ex aliqua parte, tãquam e a reliquijs dignitatis pristinæ Neq; enim ipse Cæsar, ut potui intelligere multis rebus, est alienus a nobis, & omnes fere familiarissimi eius, ubi rursus omnis cum superlatiuo, quasi deuincti. i. obligati magnis meis officiis ueteribus, ubi duo adiectiua, sine coniunctione media, obseruant. s. ne offendant, & colunt diligẽter me. Itaq; siquis aditus erit mihi. s. ad Cæsarem, ipse agam, & moliar. i. cum difficultate nitar, per me. i. sine intercessore, & precatore, de fortunis tuis. i. de incolumitate. i. salute tua in qua s. incolumitate tua omnia sunt agenda. Non est necesse persequi singula. ego defero ad te. i. in potestatẽ aut utilitatem tuam, uniuersum studium meum, & beneuolẽtiam. s. meã. Sed magni interest mea. i. in re mea est omnes tuos. s. familiares & amicos s. hoc. s. quod, omnia defero ad te, quod. i. quæ res, potest fieri tuis literis, ut intelligant omnia. i. omnes facultates Cice. patere Trebatio Hoc. s. dictum pertinet eo. i. ad id, ut sup. tui nihil existiment esse, tam difficile, quod non sit futurum iucundum mihi, susceptum. i. si fuerit pro te Ego misissem antea literas ad te, si inuenirem genus scribendi. Enim. i. quia, aut consolari est amicorum. i. pertinet ad amicos, tali tempore. s. tam calamitoso, aut polliceri. s. opem, aut operam & gratiam Ego non utebar consolatione. s. tui, hoc est non sum te consolatus, quod audiebam ex multis, quam. i. quanto, fortiter, & sapienter ferres. i. patereris, & portares iniuriam temporum, quãq;. i. & quam uehementer, conscientia factorum, & consiliorum tuorum. s. rectorum consolaretur te. Quod quidem si facis. i. consolationem rectorum consiliorum, & factorum recipis: Tu capis magnum fructum. i. utilitatem studiorum optimorũ, quibus ita faciundum didicisti, in quibus. s. optimis studiis, ego scio te esse uersatum semper, idq; i. & id, & hortor te etiam atq; etiam, ut facias id. i. magnum fructum sic capias. Simul ipse ne quidem. i. non etiam, rudis. i. minus exercitatus, sed eruditus, & satis tritus, sed minus. i. rarius in studio, fortasse, quam uellem, & uersatus in rebus, atq; usu fortasse etiam plus, quam uellem, spondeo tibi homini peritissimo rerum, & exemplorum, & omnis uetustatis, istam acerbitatem & iniuriam non fore diuturnam, nam & ipse Cæsar, qui potest plurimum, uidetur mihi delabi quotidie ad æquitatem, & ad naturam rerum, quæ bonis bene esse uult, & ipsa causa. s. ea illi est ea. i. talis ut reuiuiscat atq; recreetur necessario iam cum Repub quæ non potest iacere in perpetuum, & aliquid fit quotidie lenius, & liberalius, quam timebamus. s. a Cæsa. faciendum esse. Quæ. s. lenia, & liberalia quoniam posita sunt sæpe in paruis inclinationibus. i. ut dicunt, in influentiis temporum. Vnde Iuen. Plus etenim fati ualet hora benigni, Quam si te Veneris commendet epistola Marti. Ad hos autem tempestiuos Cæsaris aditus putatur allusisse Virg. in iiii. Aenei. cum ad Annam dicit Dido de Aenea, Sola uiri molles aditus, & tempora noras. nos obseruabimus omnia momenta, neq; prætermittemus ullum locum. i. opportunitatem, iuuandi, & leuandi te. itaq; illud alterum genus literarum, quod dixi. i. quo polliceamur auxilium, duo enim proposuit: alterum, quo cõsolamur, alterum. quo pollicemur opem, fiet mihi ut spero quotidie procliuius. i. facilius, ut possim etiã polliceri. Sed sup. ego faciam, id quod. s. quæritur in eo genere, hoc est auxiliabor libentius re quam uerbis Velim sup. ut tu existimes, & . i. simul, te habere plures amicos, quam qui sint ac fuerint in isto casu. s. in quo tu es, hoc est in exilio, propter fauorem Pompeio præstitum

tum

tum,quantum quidem.i.certe ego potuerim intelligere: &.i.simul tu existimes me concedere.i.locum dare tanquam uictum, hoc est succumbere nemini eorum.Fac sup.ut habeas animum fortem, & magnum,quod.s.habere animum fortem,& magnum, est in te uno.i.in potestate tua solius.ea quæ sunt in fortuna.i.potestate fortunæ, regentur temporibus,& prouidebuntur consiliis nostris.

VICTORIVS. QVod tardius quam est æquum,& quam ego uellem recepe ris fortunam & dignitatem tuam}Nos.{Recuperas}uetus codex.{Reciperas}per i,quod fortasse fecit ut (recepe ris)iam scriberetur.Est sane & hic & sequenti epistola hoc uerbum in Mediceo codice per i,scriptum,Quid reciperaris cogitare:& sæpe eodem modo,Quandoq; tamen quod etiá in Pandectis Florentinis animaduertas, recuperare legas, quod hodie in usu est,sed tamen multo rarius quam reciperare.

Ex posit. eiusdem. REcuperas fortunam}Quia Mediceus. {Reciperas}habet ego olim scripsi.{Recuperas}quemadmodum tunc adnotaui. Alii.{Recuperes}malunt,res sane parui ponderis:sed mea ut arbitror lectio uerior.

PAVL. MANV. REcuperes}Antea,receperis: nos,recuperes,aliquot iam annis emendauimus,& impressimus.codex uetustus scriptum habet,reciperes,& in aliis etiam exemplaribus i,literá pro u,sæpissime reperias.

SEBAS. CORR. TRebatio}Al.Trebiano.Sed uidendú est,an Torquato sit legendum.nos certe ad L.Torquatum uerba accommodabimus,donec aliquis melius inueniat. {Posthumio} Al.Posthumuleio.{Attico nostro}ad quem ut ad Epicureum,de te Epicureo,& condiscipulo sæpe etiam scripsi,lib.XIII.{Quasi} Al.casu.Et sane casus quidam fuisse uidetur,ut Cæsaris familiares Ciceroni deuincti essent.{Deuincti}ut Dolabella,Balbus, Rabirius, P. Sylla,& alii,quos defendi.

PHIL. MELI. EGo quanti te faciam}Exordium a commemoratione beneuolentiæ,& querela,quod neq; ipsius consiliis auscultauerit,neque cito reuocatus sit a Cæsare.{Hæc quidem certe}Propositio,in qua pollicetur officium suum Trebatio.{Neq; enim} Ratio, quæ confirmat propositionem.{Tali enim tempore} Consolatio duplex a loco communi,& ab argumentis de reditu. {Nam & ipse} Rationes de reditu a persona Cæsaris,& a Respub.statu.{Itaq; illud alterum}Conclusio,in qua pollicetur Trebatio reditum.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Epistola partim gratulatoria, quod Trebatius restitutus sit,partim hortatoria, ut rei familiaris dispendium non æstimet. Estque hoc argumentum a comparatione sumptum.

M. C. TREBATIO. S. 11

DOlabellam antea tantummodo diligebam:obligatus ei nihil eram,nec enim acciderat mihi opus esse: & ille mihi debebat, quòd non defueram eius periculis,nunc tanto sum deuinctus eius beneficio, quòd & antea in re, & tempore in salute tua cumulatissime mihi satisfecit, ut nemini plus debeam. qua in re tibi gratulor ita uehementer,ut te quoque mihi gratulari,quàm gratias agere malim.alterum omnino non desidero:alterum uere facere poteris.quod reliquum est,quando tibi uirtus, & dignitas tua reditum ad tuos aperuit:est tuæ sapientiæ,magnitudinisq; animi, quid amiseris,obliuisci, quid recuperaueris, cogitare. uiues cum tuis:uiues nobiscum.plus acquisiuisti dignitatis,quàm amisisti rei familiaris:quæ ipsa tum esset iucundior, si ulla res esset publica. Vestorius noster familiaris ad me scripsit, te mihi maximas gratias agere.hæc prædicatio tua mihi ualde grata est:eaq; te uti facile patior cum apud alios,tum mehercule apud Syronem nostrú amicum:quæ enim facimus,ea prudentissimo cuiq; maxime probata esse uolumus.Te cupio uidere quam primum. Vale.

DOlabellam &c.Cum per intercessionem Dolab.qui inuito Cic. partes Cæsaris secutus fuerat,Trebatius reditum in urbem obtinuisset:dicit Cic.sibi gratum esse gratulaturq; Trebatio,monens eum,ut amissorum obliuiscatur,ac demum dicit se gaudere quod grata essent Treba. quæ pro eo fecerat.Ordo est.Ego diligebam tantummodo.i.duntaxat:quod minus est quam amasse,Dolabellam.s.generum. Ci.quod .i.quia nihil eram obligatus ei,nec enim acciderat mihi esse opus .s.auxilio illius,& ille.s.Dolabella debebat mihi, quod.i.quia non defueram,immo auxilio aderam,periculis eius. Nunc sum deuinctus.i.obligatus tanto beneficio eius,quod.i.quia, ipse satisfecit mihi cumulatissime,&.i.simul antea in re.s.tua seruanda, & hoc tempore in salute tua,sup.ita ut nemini debeam plus.s.quam ipsi debeo licet aliis etiam debeam.In qua re.s.in salutis tuæ receptione ego gratulor tibi ita uehementer,ut malim te quoq; gratulari mihi ob rem lætam,quæ mihi in salute tua contigit,quá agere gratias,quod per generum meum contigit,quia non desidero omnino alterum.s. te agere gratias mihi,& tu possis facere uere alterum.s.gratulari mihi ob uerum gaudium,quod contigit.Quod reliquum est.i.quantú ad hoc,quod adhuc restat,quando.i.quandoquidem, uirtus & dignitas tua,aperuit tibi reditum ad tuos est sapientiæ tuæ,& magnitudinis animi.i.pertinet ad sapientiam tuam & magnitudinem animi,obliuisci quid amiseris,& cogitare quid recuperaueris.Tu uiues cum tuis,uiues nobiscum,tu acquisiuisti plus dignitatis,quam amisisti rei familiaris quæ ipsa res.s.familiaris,esset tamen iocundior, si ulla Respub.esset.Nestorius familiaris noster scripsit ad me te agere mihi maximas gratias. Hæc prædicatio tua.s.de meritis meis in te, est mihi ualde grata,& patior facile.i.libenter fero,uti ea.i.eiusmodi re,cum.s.ita sit,quod apud alios,tum mehercule,apud Syronem amicum nostrú Enim i.quia,nos uolumus ea quæ facimus esse probata.i.approbata maxime,cuiq; prudentissimo.i.omni ualde prudéti.Ego cupio uidere te quamprimum.

SEBAS. CORR. DOlabellam}Sic ad Atticum:Quid possum de Torquato,nisi aliquid a Dolabella? quod simul ac,cótinuo scietis.{Eius periculis}duobus capitis iudiciis.{Nestorius}Al.Vestorius: de quo in epistolis ad Atticum sæpe fit métio.{Gratias agere}Hinc ad Atticum: Torquato nostra officia grata esse facile patior,eaq; augere non desinam.{Syronem}Epicureum: quem suum familiarem L.Torquatus lib.II.de Finibus uocat.

BERN. RVT. QVæ tamen ipsa esset iucundior,si ulla esset Respub} Quæ significantius(puto)ad rem familiarem,quam ad dignitatem referas,quasi eum hoc ipso consoletur. Illud moneo, pro Trebatio Trebiannio aliis esse codicibus,& hac & superiori epistola.

PHIL. MELI. GRatulatio est,cui attexit breuissimam consolationem} Orditur autem a narratione, Dolabellæ operam prædicans. Quia Cicero coniunctus fuit multis officiis, illis qui erant familiarissimi Cæsaris:ideo multis confecit reditum {Initium inest elegantiter amplificatum,collatione quadam. {Dolabellam antea} Narratio a Dolabellæ diligentia.{Alterum non}Propositio, continens gratulationem de reditu.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Consolatoria est epistola,ut exiguum illud tempus,donec literas restitutionis accipiat,fortiter ferat,quanuis omnem consolationem Cicero inutilem nunc fere dicit,cum potius ei gratulandum sit.Prius autem narrat, cur audacius & apertius causam Balbi egeris.Deinde de restitutionis literis quid actum sit,ostendit.

M. C. *APPIO BALBO S. D. 12

*a.l. Appio.

*GRatulor tibi mi Balbe, uereq; gratulor:nec sum tam stultus,ut te usura falsi gaudij frui uelim, deinde frangi repente,atque ita cadere,ut nulla res te ad æquitatem animi postea poßit extollere. egi tuam causam apertius, quàm tempora nostra ferebant:uincebatur enim fortuna ipsa debilitate gratiæ nostræ tui caritate,& meo perpetuo erga te amore,culto à te diligentissime.omnia promissa,confirmata,certa,& rata sunt, quæ ad reditum,& salutem tuam pertinent.uidi,cognoui,interfui:etenim omnes Cæsaris familiares satis opportune habeo implicatos consuetudine,& beneuolentia,sic,ut cum ab illo discesserint, me proximum habeant,hoc Pansa,Hirtius,Balbus,Oppius,Matius,Posthumius,planè ita faciunt, ut me unice diligant, quod si mihi pro me efficiendum fuisset,non me pœniteret pro ratione temporum ita eße molitum.sed nihil est à me inseruitum tempori*causa ueteres mihi necesßitudines cum his omnibus intercedunt, quibuscum ego agere de te non destiti,principem tamen habuimus Pansam,tui stu*

*a.l.causæ.

diosissimum, mei cupidum: qui ualet apud illum non minus autoritate, quàm gratia. Cimber autem Tullius mihi planè satisfecit. ualent tamen apud Cæsarem non tam ambitiosæ rogationes, quàm necessariæ: quas quia Cimber habebat, plus ualuit, quàm pro ullo alio ualere potuisset. diploma statim non est datum, quòd mirifica est improbitas in quibusdam, qui tulissent acerbius ueniam tibi dari, quem illi appellant tubam belli ciuilis: multaq; ita dicunt, quasi non gaudeant id bellum incidisse. quare uisum est occultius agendum, neque ullo modo diuulgandum, de te iam esse perfectum: sed id erit per breui: nec dubito, quin legente te has literas confecta iam res futura sit. Pansa quidem mihi, grauis homo, & certus, non solum confirmauit, uerum etiam recepit, perceleriter se ablaturum diploma. mihi tamen placuit, hæc ad te perscribi: minus enim te firmum sermo Apuleiæ tuæ, *lachrymæq; Ampiæ declarabant, quam significant literæ tuæ. atque illæ arbitrabantur, cum à te abessent ipsæ, multo in graviore te cura futurum. quare magnopere putaui, angoris, & doloris tui leuandi causa, pro certis ad te ea, quæ essent certa perscribi oportere. scis me antea sic solitum esse scribere ad te, magis ut consolarer fortem uirum, atque sapientem, quàm ut exploratam spem salutis ostenderem, nisi eam, quam ab ipsa Republi. cum hic ardor extinctus esset, sperari oportere censerem. recordare tuas literas, quibus & magnum animum mihi semper ostendisti, & ad omneis casus ferendos constantem, atque paratum. quod ego non mirabar, cum recordarer te & à primis temporibus ætatis in Republi. esse uersatum, & tuos magistratus in ipsa discrimina incidisse salutis, fortunarumq; communium, & in hoc ipsum bellum esse ingressum, non solum ut uictor beatus, sed etiam, si ita accidisset, uictus ut sapiens esses. deinde, cum studium tuum consumas in uirorum fortium factis memoriæ prodendis, considerare debes, nihil tibi esse committendum, quamobrem eorum, quos laudas, non te similem præbeas. sed hæc oratio magis esset apta ad illa tempora, quæ iam effugisti. non uero tantum te para ad hæc nobiscum ferenda: quibus ego siquam medicinam inuenirem, tibi quoque eandem traderem. sed est unum perfugium doctrina, ac literæ, quibus semper usi sumus: quæ secundis rebus delectationem modo habere uidebantur, nunc uero etiam salutem. sed ut ad initium reuertar, caue dubites, quin omnia de salute, ac reditu tuo perfecta sint. Vale.

*a.l. lachrymæq; ipsæ decla.

ASCENSIVS.

Gratulor &c. Scribit ad Balbum, non quidem eum, de quo ultima in epistola ad Cæcinnam meminit, utpote, qui Cæsaris partes secutus fuerat. sed ad alterum alienũ a Cæsare, exulantem prius, nunc autem restitutum patriæ, quanquam literas restitutionis nondum haberet. Gratulaturq; ei de restitutione, docens quomodo contra temporis qualitatem pro eo orauerit, & cur literæ restitutionis dilatæ sint, Ordo est· O mi Balbe, ego gratulor tibi & gratulor uere.i.ob uerã causam. Nec sum tam stultus, ut uelim te frui usura.i.fructu immodico falsi gaudii, deinde.i. postquam perceperis te deceptum, te frangi repente, atq; cadere ita, ut nulla res possit extollere te postea ad æquitatem animi. Ego egi causam tuam apertius quam tempora.s.periculosa, ferebant.i.exposcebant aut patiebantur. Enim.i.quia, ipsa fortuna uincebatur debilitate gratiæ nostræ. Alii legunt debilitatæ, ut sit participium genitiui casus sic, fortuna gratiæ nostræ debilitatæ uincebatur caritate tui.i.quanquam debilis erat mihi gratia, tamen propter caritatem tui ipsa resumpsit uires, & amore meo perpetuo erga te, culto diligentissime a se. Omnia quæ pertineant ad reditum & salutem tuam, sunt promissa, confirmata certa & rata. Ego uidi, cognoui, interfui.s dum tibi reditus concederetur. Etenim ego habeo satis opportune, omnes familiares Cæsaris implicitos consuetudine i familiaritate, & beneuolentia sic, ut cum discesserint ab illo .s Cæsare, habeant me proximum.i.coniunctissimum sibi. Pansa. Hirtius, Balbus, Oppius, Marius, Posthumus, qui omnes sunt Cæsaris amici, faciunt hoc ita, ut diligant me unice.i.singulariter: Quod.s. factum Pansæ, Hircii, Balbi, & cæterorum pro te si efficiendum fuisset mihi per me.i quod dicunt in propria persona Hubertinus exponit pro me.i.pro salute mea, sed ueri textus habent per me. non pœniteret me.i.non uideretur mihi parum esse molitum.i.quod essem molitus, ita pro ratione temporum, quia illis temporibus non erat opportunitas instandi, etiam siquis uelis urgentius anniti. sensus autem est, ita amicos illos pro Appio Balbo intercessisse, ut si ipse Cicero ita fecisset, contentus esse potuisset. Sed nihil est inseruitum a me, ubi impersonale ablatiuum habet loco suppositiui.i.nihil inseruiui, nec cuiquam supplex fui causa temporis: nam consuetudines ueteres, uidelicet ante ciuile bellum contractæ, intercedunt.i.sunt, conciliatæ mihi cum his omnibus, quibuscum.i.cum quibus, ego non destiti agere de te, tamen nos habuimus Pansam principem.i. præcipuum, utpote studiosissimum tui, cupidum mei, qui.s. Pansa ualet apud illum, uidelicet Cæsarem, non minus autoritate quam gratia. Autem.i.sed, Cimber, uir ille Tullius cognomento, satisfecit mihi plane.i.omnino. Tamen.i.nihilominus, quamuis urgenter illi intercesserint, rogationes ambitiosæ i.ambitiose factæ, ualent tam.i. tantum, apud Cæsarem, quam.i.quantum ualent rogationes necessariæ, quas.s.rogationes, quia Cimber habebat, ipse ualuit.s pro te, plus quam potuisset ualere pro ullo alio. Diploma.i.duplum actorum, non sit datum statim s.postquam reditus tibi concessus est, q .i.quia, mira improbitas est in quibusdam, qui tulissent acerbius i.nimis acerbe ueniam dari tibi, quem illi, appellant tubam.i buccinatorem & prouocatorem summum belli ciuilis, & dicunt multa, ita: idest in detestationem belli ciuilis, quasi non gaudeant id bellum incidisse, cum tamen in tanto honore non essent. Quare uisum est, supple nobis tibi fauentibus, agendum supple esse occultius, neque diuulgandum esse ullo modo, supple negocium de te, idest de reditu tuo, esse iam perfectum, sed id, scilicet quod nõ diuulgabitur, aut quod diuulgabitur utrũq; enim in idem recidit, erit per breui, sup. tempore, nec dubito quin te legente.i.cum legebas has literas, res sit futura iam confecta.i.penitus transacta. Quidem.i.certe. Pansa homo grauis mihi, & certus, non solum confirmauit, uerum etiam recepit.i.promisit, & ad se onus accepit, se ablaturum.s.e manibus

stimulorum diploma.i. ut dixi duplum, instrumenti, quo continetur ueniam tibi datam esse perceleriter.i.ualde cito. Tamen placuit mihi hæc perscribi ad te enim.i.quia, sermo Epuleiæ, alii legunt. Epuliæ tuæ.s.uxoris, & lachrymæ Appiæ.s.filiæ tuæ, declarabant, te, sup. esse minus.i.non tam firmum.i.forti animo ad ferendum longum exilium, quam.i.quantum firmum literæ tuæ significabant te esse, atq; illæ.s.uxor & filia, arbitrantur, cum ipsæ abessent a te, te futurum cura multo grauiore. Quare ego putaui magnopere ea quæ essent certa perscribi ad te pro certis.i.tanquam certa, causa angoris .i.angustiæ animi, & doloris tui leuandi.i.minuendi. Tu scis me solitum esse scribere antea ad te sic, ut magis consolarer uirum fortem atq; sapientem, quam ut ostenderem spem salutis.s.tuæ, exploratã .i.certam, & compertam mihi, eam, scilicet spem, quam censerẽ oportere sperari ab ipsa Repub. cum hic ardor, scilicet belli ciuilis, & irarum inde contractarum esset extinctus. Recordare: idest reduc ad memoriam, literas tuas, quibus ostendisti mihi semper, &: idest simul, magnum animum, &: idest simul constantem, atq; paratum ad omnes casus ferendos. Quod ego non mirabar, cum recordarer te &: idest simul, esse uersatum a primis temporibus ætatis: scilicet tuæ in Repub. & idest simul, magistratus tuos incidisse in ipsa discrimina, idest pericula, salutis, & fortunarum communium, & esse ingressum in hoc ipsum bellum non solum uti, idest ut esses uictor beatus, sed etiam, ut si accidisset ita, esses uictus. &: idest etiam, sapiens, idest sapienter laturus aduersitatem. Deinde cum consumas studium tuum tu factis uirorum fortium prodendis memoriæ.i.in scribendis gestis uirorum fortium, tu debes considerare nihil esse committendum tibi, quamobrem, idest ob quod non præbeas te, similem eorũ quos laudas, hoc est fortium uirorũ. Sed hæc oratio esse magis apta ad illa tempora scilicet ante reconciliationem, quæ effugisti, idest euasisti, & transfegisti sine incommodo. Vero, idest sed para te nunc tantum ad ferenda, idest tolleranda nobiscum, hæc scilicet incommoda Reipub. oppressæ. quibus si ego inuenirem, idest inuenire possem. quam, idest aliquam medicinam, idest aliquod remedium. ego traderem quoq;, idest etiam, tibi eandem. sed unum est profugium.s. a præsentibus miseriis, doctrina, ac literæ, quibus fuimus semper usi quæ uidebantur habere modo, idest solummodo, delectationem rebus secundis, idest cum res essent prosperæ. uero, idest sed uidentur nunc habere etiam salutem. Sed ut ego reuertar ad initium, idest ad id, quod in initio dixi, aut dicere institui. caue dubites quin omnia sint perfecta, idest plene transacta, & compromissa de salute. ac reditu tuo: scilicet in urbem.

SEBAS. CORR.

AMpiæ} T. Antonio Balbo epistο. L X X. lib. X I I I. {Matius epistο. X X V I I. lib. xi. {Posthumius} Curtius, uel Fuluius {Cimber autem Tullius} Hic paulo post in Cæsarẽ coniurauit, etsi illum fuerat secutus. {Id bellum} e quo potentes sunt facti. {Exploratum} Al. exploratæ {Factis} Nam & de Cæsare scripsit, si modo T. Ampius, non T. Amptius, apud Tranquillum in Cæsare (ut uolunt docti) legatur.

BERN. RVT.

Vincebatur enim fortuna ipsa debilitata gratiæ nostræ tui caritate} Caritate scilicet mea erga te, quod mihi carus eras, contra quam Clericus. {Quod si mihi per me efficiendum fuisset.} Non improbo, pro me, quod exponit interpres. {Sed nihil

est a me inseruitum temporis causa} Apertus sensus, quem tamen non uiderit interpres: est enim inseruitum Cæsarianis, non tibi. {Victus & sapiens esses} Et, abundat, sensumq; dehonestat.

GRatulor tibi} gratulatio est, ac initio statim proponitur propositio, deinde sequitur narratio: in fine addit consolationem ex locis communibus sumptam, a uirtute & fructu literarum. {Egi tuam causam} Narratio. {Scis me antea} Consolatio ex locis communibus sumpta a uirtute Appii, & fructu literarum.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Ligarium consolatur a Cæsaris in eum animo, item natura & ratione temporum, cum officii sui commendatione, & hortatione, ut iniuriam temporis fortiter feras.

M. CICERO Q. LIGARIO S. D. 13

ETsi tali tuo tempore me aut consolandi, aut iuuandi tui causa scribere ad te aliquid pro nostra amicitia oportebat: tamen adhuc id non feci, quia neq; lenire uidebar oratione, neq; leuare posse dolorē tuū. postea uero quàm magnam spem habere cœpi fore, ut te breui tēpore incolumē haberemus: facere nō potui, quin tibi & sententiā, & uoluntatem declararem meā, primum igitur scribam, quod intelligo, & perspicio, nō fore in te Cæsarē duriorē: nam & rex eū quotidie, & dies, & opinio hominū, &, ut mihi uidetur, etiā sua natura mitiorem facit, idq; cū de reliquis sentio, tum de te etiā audio ex familiarissimis eius: quibus ego ex eo tempore, quo primum ex Africa nuncius uenit, supplicare una cū fratribus tuis non destiti: quorum quidem et uirtus, & pietas, & amor in te singularis, & assidua, & perpetua salutis tuæ cura tantum proficit, ut nihil sit, quod nō ipsum Cæsarem tributurum existimem & si tardius sit, quàm uolumus: magnis occupationibus eius, à quo omnia petuntur, aditus ad eum difficiliores fuerunt, & simul Africanæ causæ iratior, diutius uelle uidetur eos habere solicitos, à quibus se putat diuturnioribus esse molestiis cōflictatum. sed hoc ipsum intelligimus eum quotidie remissius, & placatius ferre. quare mihi crede, & memoriæ manda, me tibi id affirmasse, te in istis molestiis diutius nō futurū, quando, quid sentirē exposui, quid uellē tua causa, re potius declarabo, quā oratione. etsi tantū possem, quantū in ea Rep. de qua ita meritus sum, ut tu existimas, posse debebam: ne tu quidē in istis incōmodis esses, eadē enim causa opes meas fregit, quæ tuā salutē in discrimē adduxit. sed tamen quicquid imago ueteris meæ dignitatis, quicquid reliquiæ gratiæ ualebunt, studiū, cōsiliū, opera, gratia fides mea nullo loco deerit tuis optimis fratribus. tu fac habeas fortem animū, quē semper habuisti, primū ob eas causas quas scripsi deinde q; ea de rep. semper uoluisti, atq; sensisti, ut nō modo nunc secunda sperare debeas: sed etiā, si omnia aduersa essent, tamen cōscientia & factorū, & cōsiliorū tuorū, quæcunq; acciderent, fortissimo, et maximo animo ferre deberes. Vale.

ETsi tali &c. Scribit ad Quintū Ligarium, qui ante bella ciuilia cum Considio consule in Africa legatus eius profectus fuerat, & post cōsulis abitum prouinciæ præfectus fuerat, post bella exilio damnatus, fratribus eius in urbe manentibus Eum itaq; docet cur tardius scripserit, pollicetur q; Cæ placatiorē futurum, & se intercessurum eidem, monens, ut forti sit animo. Extat autem Ciceronis pro hoc Ligario oratio. Ordo est Etsi idest quanquā oportebat pro nostra amicitia, idest propter nostram amicitiam, me scribere aliquid ad te, tali tempore tuo. s. tam calamitoso, causa tui, aut consolandi, aut iuuandi, tamen ego non feci id adhuc quia neq; uidebar posse lenire, neque leuare dolorem tuum oratione scilicet mea. Vero, idest sed, postea quam cœpi habere magnam spem, fore, idest futurū esse, ut haberemus te incolumem breui tempore, non potui facere quin declararem tibi & sententiam, & uoluntatem meam. Igitur ego scribam primum quod intelligo, & perspicio, idest deprehendo, Cæsarē nō fore, idest futurum duriorem scilicet quam est, aut multum durum in te, nam & res, idest utilitas, & status rerum, & dies, idest temporis prolixitas, & opinio hominum. qui censent iram remittendam, & ut uidetur mihi, etiam natura sua facit eum scilicet Cæsarem, mitiorem quotidie, & cum scilicet ita sit, quod sentio id, de reliquis. s. exulibus, tum idest multo magis est, quod etiam audio ex familiarissimis eius scilicet Cæsaris de te, quibus scilicet familiarissimis eius ego non destiti supplicare una cum fratribus tuis ex eo tempore, idest statim post illud tempus, quo nuncius scilicet tuus, uenit primum ex Africa, quorum scilicet familiarissimorum eius, quidē, idest certe, & uirtute, & pietate, & amor singularis in te, & assidua & perpetua, idest non intermissa cura salutis tuæ, profecit tantum ut nihil sit, quod non existimem ipsum Cæ. tributurum: sup. esse tibi, etsi idest quanquam, sit tardius quam uolumus, quia: supple magnis occupationibus: idest propter magnas occupationes eius scilicet Cæsaris, a quo omnia petuntur, aditus ad eum fuerunt difficiliores & simul: supple fuit iratior scilicet quam cæteris, causæ Africanæ: idest iis qui deuicto Pompeio bellum in Africa reparauerunt uidetur uelle habere solicitos diutius eos, a quibus putat se esse cōflictatum molestiis diuturnioribus Sed nos intelligimus ipsum ferre hoc quotidie remissius, & placatius. quare, crede mihi, & manda memoriæ, me affirmasse tibi id, scilicet te non futurum diutius: idest multum diu in istis molestiis: scilicet in quibus nunc es. Quando, idest quando quidem, ego exposui quid sentirem, declarabo potius re, quam oratione, idest quam uerbis, quid uellem causa tua, id est pro utilitate tua Et si ego possem tantum quantum debeam posse, ut tu existimas in ea repub. de qua sum meritus ita, idest tam bene, ut parens patriæ primus meruerit appellare, ne quidem, idest nō saltem, aut non etiam tu esses in istis incommodis: Enim idest quia eadem causa, scilicet fauor in rempub. fregit opes meas, quæ adduxit salutem tuam in discrimen: idest in periculum. Sed tamen quicquid imago, quasi dicat, aliud non restare, ueteris, idest pristinæ dignitatis meæ & quicquid gratiæ reliquæ, idest, quæ restant, adhuc ualebunt, studium, consilium, opera, gratia, fides mea, nullo loco deerit fratribus tuis optimis, scilicet in causa tua. Tu fac, supple ut habeas fortem animum, quem habuisti semper primum ob eas causas, quas scripsi, deinde quod: idest quia, tu uoluisti & sensisti, semper de republica, ea, idest eiusmodi res, ut debeas non modo: idest non solum sperare, secunda, idest prospera, sed etiam si omnia essent aduersa, tamen deberes ferre animo fortissimo, & maximo quæcunq; acciderent, conscientia, idest propter conscientiam, & idest pariter factorum & consiliorum tuorum.

Q. Ligario} pro quo extat oratio. hic reuocatus, in Cæsarem paulo post (Appiano autore) coniurauit. {Nuncius} uictoriæ Cæsaris, uel tua de re a te missus. {Fratribus tuis} duobus, quorum alter T. Ligarius dicebatur. {Et amor} meus nam amor, & cura, ad Ciceronem, uirtus, & pietas, ad fratres est referenda. {Africanæ causæ} in qua tu fuisti.

SEBAS. CORR.

QVorum quidem & uirtute & pietate, & amore in te singulari, & assidua & perpetua salutis tuæ cura tantum profecit} Vel profeci, uel uirtus, pietas, amor singularis, legēdum existimo. nam & alii codices habent Amor in te singularis. Nuncium ex Africa, quem supra dicit, intelligit uictoriæ, qua est contra Catonem ac reliquias Pompeiani exercitus potitus Cæsar. Potest ita quoq; hoc legi. Et amor meus in te singularis, cæteris integris & illud fit quod ait ad Cæcinnam, Cedit multorum iustis & officio incensis, non inanibus aut ambitiosis uoluntatibus & ad Balbum. Valent tamen apud Cæsarem non tam ambitiosæ rogationes, quam necessariæ Cui lectioni subscribunt ea uerba insequentium literarum, Tum fratrum tuorum, quos æque atq; te summa beneuolentia sum complexus, singularis pietas amorq; fraternus, nullum me patitur officii erga te studiiq; munus. aut tempus prætermittere.

BERN. RVT.

ETsi tali tempore} Exordium a causis scribendi. {Primum igitur} Propositio, cui additæ sunt plures rationes. {Quando quid sentirem} Defert Ligario suum officium. {Tu fac habeas} Breuis consolatio.

PHIL. MELÁ.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Nunciatoria est Epistola Exordium est officiosum: deinde quid spei habeas de reditu Ligarii, a Cæsaris uoluntate, uultu natura aperit, Postremo hortatur, ut exilium fortiter feras.

M. CICERO Q. LIGARIO S. D. 14

ME Scito omnem meum laborem, omnem operam, curam, studium in tua salute consumere, nam cum te semper maxime dilexi, tum fratrum tuorum, quos æque, atque te, summa beneuolentia sum complexus, singularis pietas, amorq; fraternus, nullum me patitur officii erga te studiiq; munus, aut tempus præter

mittere. sed quæ faciam. fecerimq; pro te, ex illorum te literis, quã ex meis malo cognoscere. Quid autem sperem, aut confidam & explorátum habeam de salute tua id tibi à me declarari uolo. nam si quisquam est timidus in magnis, periculosisq; rebus semperq; magis aduersos rerum exitus metuens, quam sperans secundos, is ego sum, & si hoc uitium est, eo me non carere confiteor. ego idem tamen cum ad 2. Cal. intercalares priores. rogatu fratrum tuorũ uenissem mane ad Cæsarem, atque omnem adeundi, & conueniendi illius indignitatem, & molestiam pertulissem, cum fratres, & propinqui tui iacerent ad pedes, & ego essem locutus, quæ causa, quæ tuum tempus postulabat, non solum ex oratione Cæsaris, quæ sanè mollis, & liberalis fuit: sed etiam ex oculis, & uultu, & multis præterea signis, quæ facilius perspicere potui, quam * scribere hanc in opinionem discessi, ut mihi tua salus dubia non esset. quamobrem fac animo magno, fortiq; sis: & si turbidissima sapienter ferebas, tranquilliora lete feras. ego tamen tuis rebus sic adero, ut difficillimis, neque Cæsari solum, sed etiam amicis eius omnibus, quos mihi amicissimos esse cognoui, pro te, sicut adhuc feci, libentissime supplicabo, Vale.*

**a.l. VI.*

**a.l. scribere, hac opinione.*

ASCENSIVS. ME Scito &c. Rursus ostendit se totis uiribus contendere pro salute Ligarii deinde spei suæ causas aperit, ac demum, ut fortior sit, monet. Ordo est. Scito me consumere omnem laborem meum, omnem operam, curam, studium, supple omne, in salute tua, scilicet procuranda. Nam cum, scilicet ita sit. quod dileai semper maxime te, tum: scilicet magis, uerum est, quod singularis pietas, & amor fraternus scilicet in te, fratrum tuorum, quos sum complexus summa beneuolentia, æquæ: idest æqualiter, atque idest ac te nullum: idest non ullum, non patitur me prætermittere ullum munus officii & studii erga te, aut ullum tempus. Sed malo te cognoscere ex literis illorũ, scilicet fratrum tuorum quam ex meis, quid faciam scilicet modo, & quid fecerim pro te. Autem: idest sed. quid sperem, aut confidam, & habeam exploratum, idest compertum de salute tua, uolo id declarari tibi a me. Nam si quisquam est timidus in rebus magnis & periculosis, & semper metuens magis exitus rerum aduersos, quam sperans secundos, idest prosperos, ego sum is, idest talis, & si hoc est uitium, scilicet meticulositatis aut pusillanimitatis ego confiteor me non carere eo. Ergo, ut alibi notaui, caremus etiam iis, quæ habere nolimus. Ego tamen idem scilicet qui propensior ad timorem sum cum uenissem ad secundum Cal. intercalares, idest bissextiles, priores idest in Febru. locus uidetur non satis integer, nam secũdo. Cal. negant dicendum, eo quod pro illo dicimus pridie, uerum illud facile purgatur, nam licet aptius dixeris pridie cal. quam secũdo, non quod, ut dicunt. calendæ præcedunt, & secundus a sequendo dicitur, nam licet secundus dies Cal. præcedat, sequitur tamen tertium, sed quod magis proprium est uocabulum: tamen pro eo qđ est ad secundum Cal. non recte diceris pridie cal. tunc enim ad secundum dicitur cum luata secundum sit, siue ipso secundo, siue tertio, pridie autem duntaxat de die immediate præcedente. Præterea, cum intercalatio idest unius, diei, qui bisseatus dicitur, interpositio duntaaat in Feb. fiat, uidetur non recte addi priores, præsertim cum Cal. Feb. sint præter primum diem in Janua. unde uidetur ideo additum priores ut Calend. præcedentes intercalationem intelligamus, & ita de penult. Martii, cuius sunt priores intercalares Calen. licet in Febra. sint præter primum diem, & posteriores sint April. sed in Martio, ad Cæs. mane. Rogatu idest ex rogatione & requisitione fratrum tuorum, atq; pertulissem omnem indignitatem idest humiliationem contra dignitatem meam, & molestia illius scilicet Cæ. adeundi & conueniendi idest colloquendi, & cum eo agendi, gratiæ uisitandi cum fratres & propinqui tui iacerent ad pedes, & ego essem locutus, supple ea. quæ causa & tempus postulabat: tum, idest tunc, ego discessi, non solum ex oratione Cæsaris, quæ fuit sane idest ualde mollis, & liberalis, sed etiam ex oculis & uultu, & præterea ex signis mutis idest tacitis, quam potui scilicet tunc perspicere idest agnoscere facilius quam scribere scilicet tunc, discessi inquit, in hanc opinionem, ut salus tua non esset mihi dubia. Quam obrem fac, supple ut sis animo magno & forti, & si tu ferebas sapienter turbidissima feras læte tranquilliora. Ego tamen adero idest auxilio ero, rebus tuis sic, ut difficillimis quasi dicat uigilantissime. neque idest & non, & supplicabo pro te, non solum Cæsa. sed etiam amicis eius quos ego cognoui amicissimos mihi, sicut feci adhuc libentissime.

SEBAS. CORR. AD. II. Calend.} Ad pridie Calendas, sic enim sæpe loquitur ad Atticum scribens. Hic ultimum diem mensis Nouembris significari, Ambrosius noster Regiensis scribit. sunt tamen, qui VI. non II. Calen. describant. Nos ut de mense Feb. accipiamus, facit, quod Ligarium non multo post Marcellum legimus absolutum, & Marcellum non ita multo post absolutionem circiter. X. Calendas Iunii a Chilone interfectum. {Priores} quoniam si VI. Calendas, legamus, bis eodem anno VI. Calendas dicamus, & priores intercalares appellemus necesse est: sin. II. Calendas tueare ita erit exponendum: Priores intercalares, prioris mensis ea duobus mensibus inter Nouembrem & Decembrem intercalaris. {Propinqui tui} Tullius Brochus auunculus, eius filius, Lucius Martius, Caius Celetius, & Lucius Cornificius. {Tempus tum} Al. tempus tuum.

PHIL. MELA. ME Scito omnem} Exordium de suis officiis. {Nã si quisquã} Narratio. {Quamobrem fac} Breuis adhortatio.

CICERO BASILIO S. D. 15

TIbi gratulor: mihi gaudeo. te amo: tueor. à te amari, et quid agas, quidq; istic agatur, certior fieri uolo. Vale.

ASCENSIVS. TIbi &c Breuis est gratulatio, & admonitio de te scribenti & lecturo duntaxat nota Ordo tamen est Gratulor tibi scilicet pro re feliciter gesta: aut quæ feliciter euenit gauden mihi idest pro commodo meo, eo quod tua bona mea sunt. ego amo te, tueor idest protego tua, uolo amari a te, & fieri certior, quid agas, & quid agatur scilicet ab aliis qui istic sunt. Vale. Ex hoc loco trahi potest nota differentia inter gratulor, & gaudeo, quia gratulamur alienis commodis, gaudemus nostris.

SEBAS. CORR. BAsillo} Is esse uidetur, qui cum Cæsarianus esset, in Cæsarem tamen coniurauit, & postea a seruis est interfectus, quẽ L. Minutium Basilium nocant historici.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Reddit causa Bithynicus, cur iuste a Cicerone petere debeat deinde quid petat subiicit.

BITHYNICVS CICERONI S. 16

SI Mihi tecum non & multæ & iustæ causæ amicitiæ priuatim essent repeterem initia amicitiæ ex parentibus nostris: quod faciendum iis existimo, qui paternam amicitiã nullis ipsi officiis prosecuti sunt: itaque contentus ero nostra ipsorum amicitia: cuius fiducia peto a te, ut absentem me, quibuscunque in rebus opus fuerit, tueare, si nullum officium tuum apud me inter moriturum existimas. Vale.

ASCENSIVS. SI mihi &c. Commendat se & sua Bithynicus Ciceroni, lepide quidem ac docte, dicens: Si causæ amicitiæ & multæ, & iustæ, non essent mihi tecum, repeterem initia amicitiæ ea parentibus i. progenitoribus nostris. quod. s. petere initia amicitiæ ex parentibus, idest progenitoribus nostris ego etistimo faciendum iis, qui ipsi: idest in propeius personis, aut per se nullis officiis prosecuti sunt: idest cõtinuauerunt amicitiam paternam. Itaq;: idest & ita quia aliter inter nos est ego contentus ero amicitia nostra ipsorum, & idest quæ nobis est propria. Sic dicimus nostra omnium, mea unius &c. cuius: scilicet amicitiæ nostræ, ipsorum fiducia, idest per cuius fiduciam ego peto a te ut tueare, idest protegas me absentem, in quibuscunq; rebus opus fuerit, si eaistimas nullum officium tuum intermoriturum idest periturum & obliuioni perpetuæ dandum apud me.

SEBAS. CORR. BIthynicus} Videant docti, an is sit Bithynicus, quem prætorem in Sicilia fuisse post Cæsaris mortem scribit Ap.

PHIL. MELA. SI mihi non tecum} Argumentum commendationis. Vetus est inter nos amicitia, ergo uolo me tibi esse commendatum.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Inter causas cur temp, constituerit uelit, & hanc quoque adfert, uti cum Bithynico uiuere familiarius posset. Laudat deinde eius uoluntatem, & quã topere illi faueat, dicit.

M. CICERO MINTHYNICO S. 17

*Cum cæterarum rerum causa cupio esse aliquando Rempub. constitutam: tum uelim mihi credas, *accidere id etiam, quo magis expetam promissum tuum, quo in literis uteris: scribis enim si ita sit, te mecum esse uicturum. gratissima mihi tua uoluntas est: facisq; nihil alienum à necessitudine nostra iudicijsq; patris tui de me, summi uiri. nam sic habeto, beneficiorum magnitudine eos, qui temporibus ualuerunt, aut ualeant, coniunctiores tecum esse, quam me: necessitudine, neminem. quamobrem grata mihi est & memoria tua nostræ coniunctionis, & eius etiam augendæ uoluntas. Vale.*

*a.l. accedere.

ASCENSIVS. CVm cæterarum &c. Respondet epistolæ Bithynici, nõ quidem superiori, sed alteri, quæ non extat, significans gratam sibi cum eo consuetudinem, si respub. uigeret tote. Ordo est. Cum s. ita sit, quod cupio causa cæterarum rerum rempu. constitutam: sup esse aliquando. i. tandẽ. tum. i. multo magis. uelim credas mihi, id etiam accidere. i. addi, aut accidere. i. contingere, ut respu. sit constituta. i. stabilita. quo. i. ideo, ut expetam. i. exigam a te magis promissum tuum, quo. i. promisso, uteris in literis tuis non tamen (ut dixi) in superioribus. Scribis n. si sit ita te esse uicturum mecum. Voluntas tua est gratissima mihi, & facis nihil alienum. i. diuersum a necessitudine nostra, & iudicijs patris tui uiri summi, de me. i. quæ habuit de me. Nam habeto sic. i. teneto id rarissimum, eos qui ualuerunt temporibus. i. quibus tempora fuerunt secunda, aut qui ualeant. s. modo temporibus, esse coniunctiores tecum magnitudine beneficiorum, quam me quia cum illis tempora essent prospera potuerunt facile in te conferre beneficia quam ego. sed. sup. neminem: sup. esse coniunctiorem tecũ, quã me. necessitudine. i. uinculo necessariæ coniunctionis ea parentibus contractæ. Quamobrem. i. simul memoria tua. s. actiue, coniunctionis nostræ passiue. i. quam habes de coniunctione nostra, est grata mihi. & uoluntas eius. s. coniunctionis nostræ etiam augendæ est mihi. i. habeo eam. Sæpe Cicero uni substantiuo potissimum uerbali adiungit aut duos genitiuos, aut loco alterius pronomen possessiuum, quorum alter passiue, alter, siue alterum actiue, aut passiue significat, ut studium Seruii iuris ciuilis prior, genitiuus actiue, posterior passiue accipitur.

VICTORIUS. CVm cæterarum rerum causa} Non respondet hæc Ciceronis epistola, quemadmodum ego existimo, superiori Bithynici: id autem, qui attente ambas legerit, facile animaduertet. Scripserat alias literas Bithynicus ad Ciceronem, quibus cupere se ostenderat, cum eo uiuere. quæ aut postea periere, aut in hæc uolumina relatæ non sunt.

BERN. Patris tui} Q. Pompeii Bithynici. nisi me coniectura fallit.

RVTI. PHIL. MELI. Cum cæterarum rerum: &c.} Propositio qua optat ut una uiuere possit.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Missa hæc epistola est. Primum enim respondet de iure Aruspicum legendorum in decuriones. deinde de Rebus Hispanicis, quid certi habeat, edisserit, mox Oratoris sui laudem liberaliter agnoscit, & ut Leptæ filius eo delectetur exoptat. Postremo ad gloriæ & uirtutis studium Leptæ filium exhortatur.

M. CICERO LEPTÆ S. D. 18

*Simul accepi à Seleuco tuo literas, statim quæsiui è Balbo per codicillos, quid esset in lege. rescripsit, eos, qui facerent præconium, uetari esse in decurionibus, qui fecissent non uetari. quare bono animo sint & tui, & mei familiares: neque enim erat ferendum, cum, qui hodie aruspicinam facerent, in senatu Romæ legerentur: eos, qui aliquando præconium fecissent, in municipiis decuriones esse non licere. De Hispanis noui nihil magnum tamen exercitum Pompeium habere constat: nam Cæsar ipse ad nos misit exemplum Paciaeci literarum, in quo erat, illi XI esse legiones. scripserat etiam Messalla Quinto Salasso, Quintum Curtium fratrem, eius iussu Pompeii, inspectante exercitu interfectum, quòd consensisset cum Hispanis quibusdam: si in oppidum nescio quod Põpeius rei frumentariæ causa uenisset, eum comprendere, ad Cæsaremq; deducere. De negocio tuo quod sponsor es pro Pompeio: si Balbus consponsor tuus redierit, homo in re familiari non parum diligens, non desinam cum illo communicare siquid expediri possit: quod uidebatur mihi ille confidere. Oratorem meum tantopere à te probari. uehementer gaudeo. mihi quidem sic persuadeo, me, quicquid habuerim iudicij de dicendo, in illum librum contulisse. qui si est talis, qualem tibi uideri scribis, ego quoque aliquid sum: sin aliter, non recuso, quin quantum de illo libro, tantundem de mei iudicij fama detrahatur. Leptam nostrum cupio delectari iam talibus scriptis: etsi abest maturitas ætatis: iam tamen personare aures eius huiusmodi uocibus, non est inutile. Me Romæ tenuit omnino Tulliæ meæ partus. sed cum ea (quemadmodum spero) satis firma sit: teneor tamen dum à Dolabellæ procuratoribus exigam primam pensionem: & mehercule non tam sum peregrinator iam quàm solebam. ædificia mea me delectabant, & ocium: domus est, quæ nulli uillarum mearum cedat ocium omni desertissima regione maius. itaque ne literæ quidem meæ impediuntur: in quibus sine ulla interpellatione uersor. quare, ut arbitror, prius hic te nos, quàm istic tu nos uidebis. Lepta suauissimus ediscat Hesiodum: & habeat in ore, *Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα.*

*.i. uirtutis uero Sudorem.

ASCENSIVS. SImul ac. &c. Interrogauerat Lepta Ciceronem, utrum præcones possent per leges fieri Decuriones municipiorum. De quo dicit se consuluisse Balbum iurisconsultum, exponitq; eius sententiam, deinde scribit quid audierit de rebus Cæsaris & Pompeii in Hispania, & hortatur ut filius Leptæ ediscat librum de Oratore, & carmina illa Hesiodica, quæ ponit. Ordo autem est Simul ac accepi literas tuas a Seleuco, statim quæsiui e Balbo. s. iurisconsulto, p codicillos. i. p literulas, qd esset in legẽ. s. qd iuris esset, de eo q quæsiuisti. Rescripsit eos, q facerẽt præconiũ. i. præcones publicos adhuc officiũ exercẽtes, uetari esse in Decurionibus. i. in numero Decurionũ, eos sup. q fecissent. s. præconiũ, & nõ amplius facerẽt, nõ uetari. Quare & tui & mei familiares sint bono animo. Neq; enim erat ferendum i. tolerandum, eo quod esset iniquum, cum supple ii qui facerent hodie aruspicinam, idest qui essent aruspices, idest inspectores oblatorum, legerentur Romæ in senatu, idest ut sint in numero senatorũ, & non licere eos qui fecissent aliquando præconium, esse Decuriones in municipiis, idest in urbibus Italiæ quorum ciues essent munerum Romanorum capaces. Nihil noui supple est de Hispaniis, constat tamen Pompeium habere magnum exercitum. Nam Cæsar ipse misit ad nos exemplum idest diploma, aut duplum literarum, Paciaeci, idest quas Paciaecus ex Hispania miserat, in quo scilicet exemplo erat, illas legiones, scilicet quas Pompeius in Hispania habebat esse undecim. Enim, idest quia Messala scripserat Quinto Salasso, Pompeium Curtium fratrem eius interfectum iussu Pompeii, exercitu inspectante, quod, idest quia ipse interfectus consensisset cum quibusdam Hispanis, si Pompeius uenisset causa rei frumentariæ, idest ad obtinendum frumentum, in nescio quod oppidum, idest in oppidum, cuius nomen ignoro, comprehendere eum, scilicet Pompeium, & deducere ad Cæsarem, qui inimicus eius erat quod, idest quia, sponsor es pro Pompeio, si Galba consponsor tuus, idest qui tecum sponsor pro eodem est, homo non parum: idest multum diligens in re familiari redierit, non desinam communicare cum illo de negocio tuo. Siquid possit expediri, idest transigi, & absolui, quod ille, scilicet Galba uidebatur mihi, confidere, scilicet quod aliquid posset expediri. Ego gaudeo uehementer, oratorem meum: idest opus de oratore, siue quod ad Brutum scripsit, siue potius alterum, probari, idest approbari, tantopere a te, quidem, idest certe, ego persuadeo mihi sic, me contulisse in illum librum quicquid habuerim iudicii de dicendo: idest de arte loquendi, qui, scilicet liber, si est talis, qualem tu scribis, supple eum uideri tibi, ego quoque sum aliquid. Sin autem, idest sed si, aliud supple est, idest si non est talis, ego non recuso quin quantum detrahatur de illo libro, idest de laude illius libri, tantundem detrahatur de fama iudicii mei. Ego cupio Leptam nostrum, scilicet filium, tibi per naturam, mihi per curam & amorem, delectari iam talibus scriptis. etsi, idest quan-

quam, maturitas ætatis abest.s. in illo, tamen non est inutile aures eius personare huiusmodi uocibus. Vnde errāt qui barbaris & ineptis uocibus utentes rhetoricen, aut poeticē, aut etiam grāmaticen doceant. Partus Tulliæ meæ.s. filiæ. tenuit me omnino Romæ. Sed cum ea sit satis firma, quemadmodum spero. Tamen ego teneor.s. Romæ, dum.i. donec. ego exigam a procuratoribus Dolabellæ mariti eius, primam pensionem i. precium pro usu rerum eius, quod a pendendo dum reponitur, pensio dicitur. Et mehercule, ego iā non sum tam.i. tantopere, peregrinator, quam.i. quantopere, aut quantū solebam ædificia mea delectant me, & ocium domus, quæ nulli uillarum mearum cedat quæ nulli inferior sit, cum ocium maius omni regione desertissima. Itaq; i & ita ne quidem.i. non saltem, literæ meæ impediuntur.s. strepitu, aut uulgo. in quibus.s. literis ego uersor sine ullo interpellatore.i. ob turbatore. Interpellator enim est qui in medio operæ aliquem compellit ac turbat. Quare (ut arbitror) nos sup. uidebimus te hic.i Romæ, ubi nos sumus, prius quā tu uidebis nos istic.s. ubi tu es, Vbi inuenitur differentia, quā ponit Valla inter hic, & istic, &c. Lepta suauissimus.s. filius tuus, ediscat i. memoriter discat, Hesiodum.s. poetam, Græcum, qui opera, & dies, & deorum generationem scripsit, & habeat in ore: suo. illud carmen Hesiodicum, quod de uerbo ad uerbum translatū ... biecit, conferat, qui uelit, latina Græcis, sed Græcorum penitu... oarus sciat τῆς esse articulum, quo Latini carent, δ' significare autem sed sequente uocali colliditur, & dicitur pro de aretes daretes uertitur ergo τῆς δ' ἀρετῆς, uirtutis autem, ἱδρῶτα, sudorem, θεοὶ.i. dei & ita consequenter. Carmine autem sic uertit Hubertinus, Virtutē posuere dei sudore parandam. Arduus est ad eam, longusq; per ardua callis. Asper & est primum, sed ubi alta cacumina tanges: Fit facilis, quæ dura prius fuit, inclyta uirtus.

VICTORIVS. SImul ac Accepi in antiquis exemplaribus. {Simul} sine. {Ac} quod alibi apud Ciceronem legimus si uetustis codicibus fides habeatur Ad Att. lib. V I I I. Simul aliquid audiero scribam sd te. non, ut uulgati, simulatq;, Item lib. I X. in Epistola Balbi, & Opii ad Ciceronem, Vt simul Romam uenerit, agat de reconciliatione gratiæ suæ, & Pompeii Quanuis hic etiam impressi omnes. {Simulac} uidends res diligentius: cum enim tot probati libri sæpe eandem diuersis locis locutionem habeant, non facile existimandum est corruptos esse. Rem fortasse aliquorum iudicio parui momenti non negleamus. nihil enim in hoc autore non accurate, quod ad ornatum sermonis faciat, considerandum est. Nā quod hac ipsa epistols paulo inferius, De Hispanis noui nihil: error fuit librariorum. {De Hispaniis} enim legendum est, & sic habet uetus codex. {Aedificia mea me delectant} Nos ut in antiquis. {Delectabāt} scripsimus, longe diuerso sensu, quam si præsenti tempore legas: Ad feri enim rationem cur non sit tam peregrinator, quam antea. ob id (inquit) peregrinabar libenter, quia ædificia mea me delectabant, & ocium. magnificas enim uillas & sumptuose ædificatas habebat, quas ipse ocellos Italiæ ad Atticū scribens appellat, Nunc ea quæ quærebam in uillis, domi habeo. infert enim, Domus est quæ nulli mearum uillarum cedat, ocium omni desertissima regione maius. Quod non quatuor integros Hesiodi uersus, sed primi partem scripsimus, in hoc etiam antiquorum codicum autoritatem secuti sumus. Scimus præterea semper in his allegationibus Ciceronem breuem & concisum admodum esse, ut trium etiam dictionum prouerbium non integrum quandoq; adducat, nedum quatuor totos uersus celebres, & uulgatissimos recitaret.

Ex post. eiusdem. SImul accepi} ita sane in Mediceo libro hic legitur: uerūtamen quemadmodum postea animaduertimus, cum indicem epistolarum huius libri consuleremus, offendimus sic ibi scriptum esse. {Cicero Leptæ.} {Simulatq; accepi} Quare statim ita in meo codice emendaui: non quod nesciam, (quod nonnulli me insimulant) {Simul} etiam a bonis autoribus sine. {Ac} aut. {Atq;} crebro usurpari: frequēs enim.i. apud poetas, & pueri omnes sciūt. Terentius etiam in Phormione inquit: Hic simul argentum repperit. Quin ipse potius nonnullis exemplis adlatis docui, aliis in locis ita Ciceronem locutum fuisse: sed cum ea maiore parte illi in uulgatis codicibus aliter legerentur, nolui uideri parum firmis uti testibus. Multa sunt autem quæ conceduntur poetis, quibus qui soluta oratione scribunt, abstinent. {Cum qui hodie aruspicinam facerent, in Senatu Romæ legerentur} locus (nisi fallor) in Cæsarē, qui in eum ordinem indignissimos legerat: suppleuit enim ille Senatum, nam multi ciuilibus bellis Senatores defecerant.

PAVL. MANV. SImul Accepi} Vetustorum librorum hæc est lectio, cuius etiā Florentini meminerunt. sed quoniam sæpe etiam libros manu scriptos esse corruptos intelligebant, neq; de dictione, simul præter codicum autoritatem. quicquam habebant quod lequerentur: uulgatam lectionem immutare non sunt ausi. nos non dubitamus, quin recte simul, pro simulac, in exemplaribus antiquis scriptum sit. cuius uocis ex iis, qui soluta oratione scripserunt, exempla non afferam: (nam siquis erit, qui locum ubiq; deprauatum esse contendat, & pro simul, uel simulac, uel simulatq;, legendum dicat quibus argumentis contra pugnabimus?) sed e poetis, in quibus eā uocem in aliam mutari carminis ratio nō patitur, dicit igitur Virg. lib. Georg. I I I I. Taygete simul os terris ostendit honestum Pleias. & Lucretius lib. I. Cui simul infula uirgineos circundata comptus, Ex utraq; pari malarum parte profusa est, & Horatius epist. X. lib. I. uiuo, & regno, simul ista reliqui. quibus in locis, simul, dictum esse, pro simulac, licet animaduertere.

SEBAS. CORR. LEptæ} qui præfectus fabrum cum Cicerone in Cilicia fuit. {Simulac accepi} Al. simul accepi {Aruspicinam} forte propter Spurinam. {Legerētur} a Cæsare. {Pompeium} Cn. Pompeium Magni filium. {Paciecі} L. Iunii Paciеci, quem Cæsar ad ferendum subsidium Vllæ oppido præmiserat. {X I. esse} X I I I. scribit Hirtius. {Q. Curtium} Al P. Curtium. {Si Balbus} Al. si Galba. episto. X X X. lib. X. Orat. {Meum} ad M Brutum, de quo lib. I I. de Diuin. sic scribit: Libri tres erunt dé Oratore, quartus Brutus, quintus Orator {Partus} ex quo decessit. {Delectant} Al. delectabant. {Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ &c.} Virtutis aūt sudorē Dei &c.

BERN. RVT. SCripserat enim Messala Q. Salasso} Pro enim, uel autem, uel Enam, rectius legetur. {Oratorem meum tantopere a te probari uehementer gaudeo} Oratorem, qui sit Brutus inscriptus, accipio potius, quam de Oratore libros: nulla alia ratione, quam tēporum. eos enim ante bella ciuilia conscripsit, hunc Cæsare iā oppressa Repu. rerum potito. ne nimis sera gratulatio uideatur.

Ex posto. eiusdem. ORatorem meum tantopere a te probari uehementer gaudeo, Oratorem intelligimus, qui est de optimo genere dicēdi, ad M. Brutum. Brutus enim priore lucubratione, pro Bruto, mendose est scriptum

PHIL. MELI. SImul ... [illegible] ...mes. Hæc autem scripsit tum, cum ... [illegible] ... Hic autem loquitur de Pu... [illegible] ...a uiuis.} Adhortatio

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Hortatur Leptam, ne ambitiosius Cæsaris amicitiam ambiat.

CICERO LEPTÆ S. 19

MAculam officio functum esse gaudeo. Eius Falernum mihi semper idoneum uisum est diuersorio: si modo tecti satis est ad comitatum nostrum recipiendum. cætero qui is mihi locus non displicet: nec ea re Petrinum tuum deseram. nam & uilla, & amœnitas illa commorationis est, non diuersorij. De curatione aliqua munerum regionum cum Oppio locutus sum, nam Balbum, posteaquam tu es profectus, non uidi. tantis pedum doloribus afficitur, ut se conueniri nolit. omnino de tota re, *ut mihi uideris, sapientius faceres, si non curares: quod enim eo labore assequi uis, nullo modo assequere: tanta est enim intimorum multitudo, ut ex his potius aliquis effluat, quàm nouo sit aditus, præsertim qui nihil afferat præter operam, in qua ille se dedisse beneficium putabit (si modo ipsum sciet) non accepisse. sed tamen aliquid uidebimus, in quo sit spes. aliter quidem non modo non appetendum, sed etiam fugiendum puto. Ego me Asturæ diutius arbitror commoraturum, quoad ille quandoque ueniat. Vale.

*i. I. ut mihi uidetur

MAculam &c. Macula ciuis Romanus inuitauerat Leptam, & Ciceronem in uillam suam: Itaq; Cicero eum laudat. Dehortatur autem Leptam, ne se insinuet in amicitiam Cæsaris, & Cæsarianorum per munera. Ordo est. Ego gaudeo Maculam (proprium est ciuis Romani) esse functum officio, idest fecisse (ut dicunt) debitum suum, Falernum eius, idest hospitium, quod habet in Falerno agro uicino Campaniæ, optimi uini feracissimo uisum est semper mihi idoneum diuersorio, idest ut sit nobis diuersorium. Modo: idest dummodo, satis tecti.i. ædificii est, sup. in eo ad recipiēdū comitatū nostrū. Cæterū.i. sed quidē.i. certe, locus nō displicet mihi, nec deserā ea re.i. propter eā rem, Petrinum tuum.s. hospicium apud Sinuessam unde Horatius in epistolis, Sinuessanumq; Petrinum. Nam & uilla idest domus in agro, & amœnitas illa.s. quæ est præcipua in Falerno Maculæ, est commorationis, idest ad commorandum apta, non diuersorii, idest ad tempus illic agendi, ut in diuersorio solemus, & ita Petrinum non deseret: pro uocabulo illa, legit Hubertinus Iulia, sed non recipitur. Ego locutus sum cum Oppio amico Cæsaris, de curatione munerum regiorum, quæ Cæsari parasti, tanquam regi donanda.

gi donanda. Nam non uidi Balbum posteaquam, tu es profectus i. discessisti hinc, & ita non potui cum eo loqui sup. Balbus afficitur tantis doloribus pedum, ut nolit si conueniri, idest uisitari. Tu faceres omnino de tota re sapientius, ut uidetur mihi, si non curares, & ita, nihil faceres. Tu enim nullo modo assequere, idest obtinebis, id sup. quod uis assequi eo labore, idest ut sis de familiarissimis Cæsaris. Enim idest quia, multitudo intimorum scilicet amicorum Cæsaris est tanta, quod aliquis effluat, idest dematur, ut liquor e uase nimis pleno, potius ex iis scilicet qui sunt, quã aditus, idest accessus fit nouo: præsertim qui nihil afferat præter operam, idest laborem, & industriam suam, in qua ille. s. Cæsar, putabit se dedisse beneficiũ si modo sciet se non accepisse ipsum. s. beneficium operæ tuæ. Sed tamen nos uidebimus, idest experiemur aliquid, in quo sit spes: aliter quidem puto, non modo non appetendum sed etiam fugiendũ. Ego arbitror me commoraturum diutius Asturæ, idest in eo oppido non longe a Terracina, quoad, idest donec, ille scilicet Cæsar ueniat, quandoq; idest aliquando.

VICTORIVS. Sed tamen aliquid uidebimus, in quo sit spes } Nos cum antiquis exemplaribus. {Species} legimus, idest dignitas, & honestas aliqua ut: ad Lẽtulum, Hic meæ uitæ cursus offendit eos fortasse qui splendorem, & speciem huius uitæ intuentur, &c. Huius uocis hoc significatu plurima exempla adiungerẽ, nisi tam obuia essent, ut quiuis per se facile inuenire posset. Potius conabor historiam huius epistolæ ex nonnullis locis ad Atticum collectam explanare. Instabant hoc tẽpore Ludi Romani, qui magnifice semper edi soliti erant. Iamq; Cæsar e bello contra liberos. Cn. Pompeii gesto reuertebatur, scripseratq; ad Lamiam se ante diem ludorum Romæ futurum, nonnihilq; se properaturum, ut ludis ipsis interesset: mandarat q; ut ad ludos omnia pararent. Desiderabat igitur Lepta sibi horum ludorum aliquam curationem tradi cum Oppioq; & Balbo de ea re Ciceronem agere uolebat iamq; domum ad Balbum propter hoc negocium eum perduxerat. Rem totam sibi displicere Cicero hac epistola ad Leptam scribit, nec laborandum esse in ea re docet: se tamen, quoniam tam ualde ille cuperet, ei nõ defuturum pollicetur, operamq; daturum, ut si aliquid in ea curatione quod aliquem splendorem habeat, inueniri possit, ab illis impetret, ut Leptæ committatur. Quod autem hic de hospitio loquitur: cogitabat obuiam ire Cæsari, & hospitia sibi parabat. Nam etiã lib. X I I I. ad Atticum, dicit se ad Murænam de hospitio scripsisse, sed tunc Romæ erat, nunc fortasse iam exierat, dicit enim se arbitrari Asturæ sibi diutius commorandum esse, quoad ille quãdoq; ueniat. ille autem Cæsar, κατ' ἐξοχὴν. sic enim de magnis, & claris uiris loqui mos est, ut nos supra adnotauimus: (ille) enim, & (ipse) pro nominibus propriis sumuntur ut etiam Aristophanis interpres docet in Nubibus, eo loco, ἀλλ' εἶσθ' ἵνα μὴ κεῖνος ἡμῖν ἐπιτύχῃ. sic etiam loquitur Thetis apud Homerum, τίπτε μ' ἐκεῖνος ἄνωγε μέγας θεὸς & apud Pythagoricos αὐτὸς ἔφα, idest Pythagoras, dicebat.

Ex poste eiusdem. Mvnerum regiorum} Sciebam sane nonnullos. {Regionũ} in suo codice scripsisse, contra impressorum, & meliorum omnium codicum fidem: in quo quod illos imitarer, non fuit. Historiam huius loci in meis castigationibus explicaui, quod prætermisi, ut planum, ac notum omnibus Cur regia appellaret munera, paucis exponam quæ Cæsar dictator daret; quem regem uocat multis in locis (ut etiam regiam domum eius. Te plane uisum in regia non reprehendo, & reginam uxorem) quod regiam Romæ potestatem haberet, & cuncta pro arbitrio suo administraret. Cum sexcenta alia exempla huius nominis afferre possem, uno contentus ero, quod huic rei docendæ mirifice accommodatum est, agitur enim in eo quoq; de curatione ludorum, etsi diuersi ludi fuerint, quos curanerat Matius ab his, quos Lepta curare cupiebat. In epistola ad Matium C L X X. Sed te hominem doctissimum non fugit, si Cæsar rex fuerit, quod mihi quidem uidetur & quæ sequuntur. Quãnuis autem munera per singulas urbis regiones Cæsar ediderit, nemo unquam munera regionum illa appellaret, nisi omnia me fallunt. Vocasse autem regem quandoq; Ciceronem quem Græci τύραννον dicunt, perspicuum est. unde liber locum in oratione prima contra Catilinam emendare: Si in hunc animaduertissem crudeliter non egregie factum esse dicerent. Legendum enim est. {Et regie} idest τυραννικῶς Hanc scripturam, sua sponte planam cõfirmat autoritas optimi codicis: uidi enim librum literis Longobardis exaratum, qui continebat historiam Sallustii, & quædam Ciceronis, in quibus erant orationes hæ in L. Catilinam, in quibus ita legebatur. {In quo sit species} Si rem semel, de qua hic agit, nõnulli intelligere noluissent (poterant autem ex epistolis ad Atti. omnia accipere; his enim, quæ a me pro huius loci declaratione scripta sunt, fortasse parum fidebant) non tam multa peccassent, & ueterem lectionem, quæ in Mediceo est, a me restitutam, ueriorem esse cognoscent. Sententia huius loci, & uis illius nominis copiose a me in meis castigationibus explicata est: ad eam tamen huius nominis eodem significatu exemplum, e primo de Oratore ad Q. Fratrem: Et quanquam in utroq; nostrum summum esse ingenium, studiumq; perspexit: tamen hæc quæ sunt in specie posita, &c. Sed magis adhuc simile huic loco est illud in L. Pisonem: At fuit pompa, fuit species, fuit incessus. nam locus ille ad Atti. non parum lucis rei, de qua hic agit, adfert D I I I I. Balbum conueni: Lepta enim de sua ui in curatione laborans, me ad eum perduxerat.

PAVL. MANV. Mvnerum regionum} Aliquot iam annis ita impressimus, cũ ex antiquissimis exemplaribus hæc lectio sumpta esset. quã tamen Florentini non receperunt, credo quod in suo codice scriptum uidebant, regiorum: cuius uocis quæ possit esse sententia non intelligo. de muneribus autem regionum, idest de ludis regionatim urbe tota edendis, Suetonius in Cæsare, I I. {In quo sit spes} Non uideo, cur quicquam mutari debeat, ut Florentini uoluerunt: cum & ita legatur in codicibus uetustissimis, & sensus meo iudicio sit apprime commodus, nam cum dixisset, quod eo labore assequi uis nullo modo assequere: intulit, aliquid uidebimus in quo sit spes. i. quod nos assecuturos spetare possimus.

SEBAS. CORR. Maculam} Pompeium Maculã: de quo meminit Macrobius. {Functum esse} parando nobis (sic enim interpretandum uidetur) hospitio. {Ad comitatum nostrum} qui Cæsari ex Hispaniis redeunti ire obuiam cogitamus. Cætero qui} Al. cæterum, Al. cætera quidem {Munerum} ludorum. {Regiorum} quia a Tarquinio rege instituti, modo Romani, modo Magni, modo etiam Circenses sunt appellati: sed nunc Regii a Cicerone in Cæsaris inuidiam dicuntur. legitur tamen etiam Regionum, ut cum Suetonio exponas, regionatim faciendorum. {Eo labore} muneribus curandis. {Assequere} ut sis inter Cæsaris domesticos. {Effluat} Al. affluat {Operam} qualis esset tua, quam uelles illi nauare curandis muneribus. {Sciet} adeo non curat hæc minima. {Ille} Cæsar.

BERN. RVT. Nam Et uilla, & amœnitas illa commorationis est, non diuersorii} Amœnitas Iulia, legit interpres. Ego tamen nihil muto, ut de Petrino intelligat {De curatione aliqua munerum regiorum cum Oppio loquutus sum} Munus hoc loco arbitror non donum esse sed officium. aut si donum, non quod Lepta conferre in Cæsarem, sed quod Cæsar ipse alio cogitaret, cum subiiciat Cicero: Præsertim qui nihil afferat præter operam. {Tanta est enim in timorum multitudo, quod ex his potius aliquis effluat, quam nouo sit aditus} pro Quod, Et puto reponendum Barbara alioqui ea oratio, tametsi quibusdam etiam Latinis usitata, poetis certe: quin & Ciceroni ipsi quandoq; sed tamen perraro. Fere enim, Tantus ut adeo ut, ita ut, scribit: non quod. In decima tamen Philippicarum: nunquam tam frequens senatus fuit, quod unus aliquis etiam sententiam sequutus sit: {In qua se ille dedisse beneficium putabit, si modo ipsum sciet non accepisse} Lego: In qua se ille dedisse beneficium putabit (si modo ipsum sciet) non accepisse. in quo etiam interpres excutit. Est autem, Si ipsum sciet, te scilicet operam eius præstitisse. pleraq; enim principes ne ex his quidem sciunt, quæ sibi magno labore impenduntur, dum aut ea alii sibi ascribant, aut totum negocium principi ignotatur. Sed & Munerum regionũ non incommode quis scribi posse arbitretur superiori illo loco.

Ex post. eiusdem. De curatione aliqua munerum regiorum} Sicui Regionum nostrum illud arrideat, poterit Cicerone ad Atticum autore uti. Sed casu, inquit, sermo a Capitone de urbe augenda a ponte Miluio ad Tyberim, pauci secundum montes Vaticanos, Campum Martium tum ædificari. illud autem, campum Vaticanum fieri quasi martium campum Et iterum: O rem indignam. gentilis tuus urbem auget, quam hoc biennio primum uidit, & ei parum magna uisa est, quæ etiam capere potuerit.

PHIL. MELA. Maculam officio} Narrationes {De curatione} Dissuadet, ne ambiat gratiam Cæsaris per munera.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Monet Toranum, ut in Sicilia maneat, nec aliquo discedat, propter opportunitatem loci, ubi omnia Cæsaris facta, uoluntatem animumq; facile percipere possit, & quid de reditu sperandum sit, intelligere. Postremo consolatur notissimis argumentis.

CICERO TORANO S. 20

Ederam triduo ante pueris Cn. Plancij literas ad te, eo nunc ero breuior, teq; ut antea consolabar, hoc tempore monebo. nihil puto tibi esse utilius, quàm ibidem operiri, quoad scire possis, quid tibi agẽdum sit: nam præter nauigationis longæ, & hyemalis, & minime portuosæ periculum, quod uitaueris, ne illud quidem non, quantũ subito, cum certi aliquid audieris, te istinc posse proficisci: nihil est præterea, cur aduenientibus te offerre gestias. multa præterea metuo, quæ cum Chilone nostro

communicaui, quid multa? loco opportuniore in his malis nullo esse potuisti, ex quo te, quocunque opus erit, facillime, & expeditissime conferas: quòd si recipiet ille se, ad tempus aderis. sin (quoniam multa accidere possunt) aliqua res eum uel impediet, uel morabitur, tu ibi eris, ubi omnia scire possis. hoc mihi prorsus ualde placet. De reliquo ut te sæpe per literas hortatus sum, ita uelim tibi persuadeas, te in hac causa nihil habere, quod timendum sit, præter communem casum ciuitatis. qui & si est grauissimus: tamen ita uiximus, & id ætatis iam sumus, ut omnia, quæ non nostra culpa nobis accident, fortiter ferre debeamus. Hic tui omnes ualent, summaq; pietate te desiderant, & diligunt, & colunt. Tu & cura, ut ualeas, & te istinc ne temere commoueas.

ASCENSIVS.

Dederam &c. Toranus eandem cum Cæcinna causam secutus, & cum eo in Sicilia exulans decreuerat inde discedere, a quo Cicero eum dehortatur, suadensq; ne Cæsari ex Hispania redeunti obuius fiat, fortitudinis eum admonet Ordo est Dederam triduo ante scilicet quam hæc scriberet pueris idest seruis Cn. Planeii, literas ad te, eo idest eã ob rem, ego ero nunc breuior, & ut consolabar te antea scilicet in dictis epistolis, ita, supple monebo te hoc tempore Ego nihil puto utilius tibi, quam operiri, idest expectare, ibidem scilicet ubi nunc es, quoad idest donec possis scire, quid sit agendum tibi: nam præter periculum nauigationis longæ, & hyemalis, & minime portuosæ. i. ubi paucissimi sunt portus, quod scilicet periculum tu uitaris idest uitaueris operiendo, & manendo in Sicilia, ne quidem idest non ẽt aut non saltem illud scilicet quod dicam, est negligendum te posse proficisci idest discedere istinc idest ab isto loco ubi es, quamuis. t. quantumuis cito, cum audieris aliquid certi. Præterea nihil est idest nulla est causa cur gestias idest nimium cupias, ita, ut gestu cupiditatem indices, offerre te aduenientibus: scilicet Cæsarianis ex Hispania Præterea ego metuo multa, quæ communicaui cum Chilone nostro: scilicet amico. Quid supple scribam tibi multa? Tu nullo loco opportuniore potuisti esse, in his malis idest durantibus his malis, quam supple ubi es, conferas idest traducas te facillime & expeditissime ex eo scilicet loco quocunq; erit opus idest utile, aut expediens, quo idest ad quem locum, si ille idest quem metuis, hoc est Cæs. recipiet idest tanquam in locum tutiorem conuertet se, tu aderis ad tempus. Sin idest sed si, quoniam multa scilicet impedimenta possunt accidere, aliqua res impediet eum uel morabitur. i. retinebit, cum tu eris ibi ubi possis scire omnia hoc scilicet consilium placet mihi prorsus idest omnino, ualde De reliquo ut iam hortatus te sæpe per literas, uelim sup. ut persuadeas tibi ita, te nihil habere in hac causa, quod sit timendum, præter communem casum ciuitatis. s. Romanæ, qui. s. casus communis, etsi est grauissimus, tamẽ nos uiximus, ita, & sumus iam id ætatis. i. in ea ætate, ut debeamus ferre fortiter omnia, quæ nõ accident culpa nostra. Omnes tui. i. necessarii & amici, ualent hic. s. Romæ & desiderant te summa pietate. i. charitate cum obseruantia, quam debent inferiores maioribus, ut liberi parentibus, & nos omnes Deo, & diligunt, & colunt. Tu cura, & t. simul, ut ualeas. & idest simul, ne commoueas te istinc. i. a loco ubi nunc es temere idest inconsulte.

VICTORIUS.

Ne illud quidem negligendum quamuis} {Negligendum} in antiquis codicibus non est, sed eius loco negatiua est particula {Non} Ipsi legimus, non quantiuis. hoc sensu: Præter pericula & molestias, quæ uitaris, commodum illud non paruũ habendum est, sed tale, ut magni faciendum sit subito cum certi aliquid audieris te istinc posse proficisci {Istinc posse proficisci} Hic ueteres codices & in fine huius epistolæ iterum pro istinc {Istim} habent, neq; hac epistola solum, sed multis etiam aliis locis, etsi nos nunquam ita scripsimus, ne antiquitatis nimis cupidi, & affectatores uideremur, rem tamen quin adnotaremus facere non potuimus. {Sic etiam est in hoc codice locus ille ad Plancum, Ita erant omnia, quæ istim adferebantur incerta. Et ille ad Tyronem. Iis enim uentis istim nauigatur Et alibi etiam, idem aduerbium multis locis est in illo codice Epistolarum ad Atticum, quem nos omnium optimum, atq; integerrimum uidimus, ut ille locus in VII. De malis nostris tu prius audis, quam ego: istim enim emanant. Item ille, Quæ mihi istim adferuntur? quæ hic uideo? Item ille in II. Valde ego te istim excitarem Nam II. Aeneidos: Ille mea tristia facta: illi pro ibi aduerbium esse uult Donatus Terentii interpres. Et etiam alibi, Pater isti ianua leto, pro istic quidam intelligunt: nam Petrus Bembus in suo illo disertissimo & elegantissimo de Terentianis fabulis dialogo, sic hunc uersum legit in Phormione, Interea dum sedemus illi, interuenit. & illum item in Hecyra, Itaq; ineptus hodie dum illi sedeo, ut quisque uenerat. Hæc igitur quæ rara admodum, absurda uidentur, uidemus ab optimis autoribus crebro esse usurpata, & frequentius etiam inuenissemus, nisi a iunioribus quibusdã castigatoribus tanquam menda, & errata librariorũ ex omnibus fere libris sublata essent. {Cum Milone nostro} Nos Chilone, ut sit liberti nomen, Milo enim iã perierat Vetus sane codex Cilone sine aspiratione, ut etiam in epistola Sulpitii, A P. Magio Cilone. Videndum igitur an sic legi debeat ut est in antiquo codice. Cilo enim sine aspiratione autore Sex Pompeio appellabatur, cui frons esset eminentior, ac dextra, sinistraq; uelut recisa uideretur, siue Chilo, qui a magnitudine labiorum sic nominabatur Alibi etiam nomina quædã, quæ aspirationem exigunt sine ea in illo scribuntur, ut in epistola ad Lucceium Herculem Zenopontium. & ad Pætum, Pileros tabellarius: pro Zenophontium & Phileros.

Et posse eiusdem.

Te istinc posse proficisci} Hic potissimum olim adnotauimus, in antiquis codicibus {Istim pro Istinc} legi, citauimusq; multorum locorum testimonia, plura etiam nunc afferre possemus, nam dum accurate uersamus prisca exemplaria, in hanc uocem crebro incidimus, uel potius raro aliter scriptam animaduertimus Addimus nunc ad ea {Illim} quoq; pro. {Illinc} nos sæpe positum in iisdem libris animaduertisse, nam lib. VII. ad Att. In optimo illo sic legitur: Ista magis expecto, quid illim afferatur, Accurate igitur considerandum, an huius animaduersionis auxilio locus Ciceronis in epistola ad Brutum emendari possit, siue ita aduerbium hoc prouincia re, ac scribere ueteres soliti sint, siue frequẽter in eo ex scribendo ab antiquis librariis, & eodem semper modo peccaretur, quod uix puto. Verba Ciceronis sunt a Quintiliano adducta lib V. Veritus fortasse, ne nos in Catonem nostrum transferemus illi mali quid est, etsi argumentum simile non erat. Arbitror igitur legendum. {Transferemus illim aliquid etsi argumẽtũ, &c.} ut sit. {Illim} pro. {Illinc} nam in manu scriptis nonnullis. {Est} non uidi, quo facilius hic locus nunc corruptissimus ita restitui potest, totam tamen rem arbitrio doctiorum permittimus. Animaduertimus postea Germanos in suo Quintiliano, quem multis locis castigatum ediderunt, hunc etiam locum restituere conatos esse. nam ita scripserunt. {Transferremus illinc mali quid: etsi &c.} nã quod. {Est} sustulerunt, quodq; {Illinc} desiderari in hac sententia iudicarunt, nobiscum faciunt, non tamen ex reliquis duabus uocibus. {Aliquid} componere, quod non minus desiderari uidebatur, potuerunt.

SEBAS. CORR.

Toranio} C. Toranius uir prætorius, paulo ante Ciceronem a Triumuiris interfectus fuit, nunc exulabat. {Cn. Planeii} Epistò XIIII. lib. IIII {Ibidem operiri} fortasse Corcyræ {Negligendum, quamuis subito} Al. non quantiuis, subito. {Aduenientibus} Cæsarianis, ex Hispaniis, Milone} non T. Annio Milone, qui iampridem in agro Turino a Q. Pedio interfectus fuerat, sed altero Nisi Chilone, uel Cilone, ut quibusdam placet, legas: ut sit liberti, uel clientis nomen, uel potius serui, de quo lib. III. ad Q. fratrem fit mentio. {Ille} Cæsar.

PHIL. MELA.

Dederam Triduo ante} Consilium, ne Toranus ex illo loco discedat {Nihil puto} Propositio. {Nam præter} Narratio. ne {De reliquis} Conclusio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Consolatur Toranum, in eadem cum reliquis Pompeianis conditione existentem, primum quod nihil inopinatum, acciderit, ut qui cum aliis hæc euentura prouidisset, deinde a morte, quæ sit omnium malorum extrema defunctio. Postremo a conscientia recte factorum.

CICERO TORANIO S. 21

Etsi, cum hæc ad te scriberem, aut appropinquare exitus huius calamitosissimi belli aut iam aliquid actum, & confectum uidebatur, tamen quotidie commemorabam, te unum in tanto exercitu mihi fuisse assensorem, & me tibi, soloseq; nos uidisse, quantum esset in eo bello mali, in quo spe pacis exclusa, ipsa uictoria futura esset acerbissima, quæ aut interitum allatura esset, si uictus esses, aut, si uicisses, seruitutem. itaque ego quem tum fortes illi uiri, & sapientes, Domitij, & Lentuli timidum esse dicebant (& eram plane, timebam enim ne euenirent ea, quæ acciderunt) idem nunc nihil timeo, & ad omnem euentum paratus sum. cum aliquid uidebatur caueri posse tum id negligi dolebam. nunc uero euersis omnibus rebus, cum consilio profi-

ci nihil

ci nihil posſit, una ratio uidetur, quicquid euenerit, ferre moderate: PRÆSERTIM cum omnium rerum mors ſit extremum, & mihi ſim conſcius: me quod licuerit, dignitati Reipublicæ conſuluiſſe, & hac amiſſa, ſalutem retinere uoluiſſe. hæc ſcripſi, non ut de me ipſe dicerem, ſed ut tu, qui coniunctiſſima fuiſti mecum & ſententia, & uoluntate, eadem cogitares: MAGNA enim conſolatio eſt, cum recordare, etiam ſi ſecus acciderit, te tamen recte, uereq́; ſenſiſſe. atque utinam liceat aliquando Reipub. ſtatu nos frui, interq́; nos conferre, ſolicitudines noſtras, quas pertulimus tum, cum timidi putabamur: quia dicebamus ea futura, quæ facta ſunt. De eius rebus nihil eſſe, quod timeas, præter uniuerſæ Reipub. interitum: tibi confirmo. De me autem ſic uelim iudices, quantum ego poſſim, me tibi ſaluti tuæ, liberiſq́; tuis ſummo cum ſtudio præſtò ſemper futurum. Vale.

ASCENSIVS. ETſi &c. Conſolatur eundem Toranum fere cõſueto modo conſolandi dicens Etſi. i. quanquam, cum ego ſcribam hæc ad te aut exitus huius belli calamitoſiſſimi, quia ciuilis, & in perniciem Reipub uergentis, uidebatur appropinquare, aut aliquid uidebatur iam actum, & confectum ſ. de bello, tamen ego commemorabam. i. memoria reuoluebam, quotidie te unum fuiſſe in tanto exercitu aſſenſorem mihi, & me tibi quia ambo ſentiebant potius pacis iniquæ conditiones ſuſcipiendas, quam bellum obeundum, & nos ſolos uidiſſe, ideſt conſideraſſe, quantum mali eſſet in eo bello, in quo ſpe pacis exclusa, ipſa uictoria utriuſq; ſ. partis, eſſet futura acerbiſſima, quæ aut eſſet allatura tibi interitum ſi eſſes uictus, aut ſeruitutem ſub dominationem Pompeianorum ſi uiciſſes, aut accipiatur generaliter ſecunda perſona pro quacunque, nam utriuſq; partis uicti interitum paſſuri erant & uictores ſeruitutẽ, cum alteruter uictor uidebatur Rẽpu. oppreſſurus. Ita quod ego quem illi uiri: ſcilicet nobiliſſimi Domitii, & Lentuli fortes & ſapientes tum. i. ut tunc uidebantur, dicebant eſſe timidum, eram plane timidus Timebam enim, ne ea, quæ acciderunt, euenirẽt. Loquitur ergo de bello Africano, aut alio poſt Pharſalicum conflictum geſto, idem nunc nihil timeo, & ſum paratus ad omnem euentum Cauſam affert cur tunc timuerit, & nunc non timeat Cum ideſt quandiu, aliquid uidebatur poſſe caueri, tum ideſt tunc, dolebam ideſt ægre ferebam illud negligi, nunc uero omnibus rebus euerſis, cum nihil poſſit proficí ideſt nullus poſſit fieri profectus conſilio, una ideſt ſola ratio uidetur ſcilicet amplectenda, utpote ferre moderate quicquid euenerit: præſertim cum mors ſit extremum omnium rerum, unde Flaccus in epiſtolis. Mors ultima linea rerum eſt & ſupple cum ſim conſcius mihi me conſuluiſſe Reipu quoad licuerit, & uoluiſſe retinere ſalutem, hac. ſ. Rep. amiſſa. Ego ſcripſi hæc, non ut ipſe dicerem de me, ſed ut tu qui fuiſti, & ſententia, & uoluntate coniunctiſſima mecum, cogitares eadẽ. Magna enim conſolatio eſt, cum recordare ideſt recorderis, etiam ſi acciderit ſecus ideſt aliter te tamen ſenſiſſe recte & uere: ideſt iuſte. Atque utinam liceat aliquando nos frui aliquo ſtatu Reip. & conferre inter nos ſolicitudines noſtras, quas pertulimus. Id enim iucũdum eſſe innuit Aeneas apud Maronem ſic, Forſan & hæc olim meminiſſe iuuabit, tunc cum putabamur, timidi ſupple ideo quia dicebamus futura ea, quæ facta ſunt Ego confirmo. i. firmiter aſſero tibi nihil eſſe, quod timeas i. timere debeas, de rebus tuis, præter interitum uniuerſæ Reip. q d non eſſe ſpecialiter uitatum aut inuiſum cuiquam. Autem ideſt ſed ego uelim ſupple ut iudices de me ſic me futurum ſemper præſto ideſt paratum auxilio tibi, ſaluti tuæ, & liberis tuis, cum ſummo ſtudio ideſt ſummo ſtudio concomitante, ſi enim pro inſtrumento acciperet non adderet præpoſitionem.

SEBAS. CORR. CAlamitoſiſſimi belli} ciuilis & Hiſpanienſis. {In tanto exercitu} Pompeiano. {Domitii} L. Domitius pater, & Cn. Domitius filius {Lentuli} L. Lentulus, & P. Lentulus.

BERN. RVTI. AVt appropinquare exitus huius calamitoſiſſimi belli} Hiſpanicas potius ſignificat, quam Africanas res, ſi modo ſita ſuo loco epiſtola, cum in præcedenti exitu ſum ex Hiſpania Cæſarem expectari dicat. Deniq; id ultimum a Cæſare geſtũ eſt bellum, autore in primis Plutarcho.

PHIL. MELA. ETSI Cum hæc ſcriberem} conſolatio. Orditur autem a narratione ſuorum conſiliorum. {Hæc ſcripſi} Applicatio ad conſolationem.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Domitius hic in bello Pharſalico, fuerat, atque acerrime pro Pompeio dimicauerat, ut ex Lucano conſtat Deuicto autem Pompeio, & Catone mortuo, Domitius ſe in Italiam receperat, ut in patria, in amorem patriæ animũ ſunderet, itaque ſibi ipſe manus inferre ſtatuerat, niſi Hortilia coniuge prohibente, & Cicerone diſſuadente in aliam ſententiam perductus fuiſſet. Huius diſſuaſionis exemplum hæc eſt epiſtola.

CICERO DOMITIO. S. D. 82

NOn ea res me deterruit, quo minus, poſteaquam in Italiam ueniſti, literas ad te mitterem, quod tu ad me nullas miſeras, ſed quia nec quid tibi pollicerer ipſe egens rebus omnibus nec quid ſuaderem, cum mihi metipſi conſilium deeſſet, nec quid conſolationis afferrem in tantis malis, reperiebam. hæc quanquam nihilo meliora ſunt, *nunc etiam atque etiam multo deſperatiora, tamen inanes eſſe meas literas, quam nullas, malui. ego ſi te intelligerem plus conatum eſſe ſuſcipere Reipub. cauſa muneris, quam quantum præſtare potuiſſes, tamen, quibuſcunque rebus poſſem, ad eam conditionem te uiuendi, quæ daretur, quæq́; eſſet, hortarer. ſed cum conſilii tui bene fortiterq́; ſuſcepti. cum tibi finem ſtatueris, quem ipſa fortuna terminum noſtrarum contentionum eſſe uoluiſſet: oro, obteſtorq́; te pro noſtra uetere coniunctione, ac neceſſitudine, proq́; ſumma mea in te beneuolentia, & tua in me pari, te ut nobis, parenti, coniugi, tuiſq́; omnibus, quibus es, fuiſtiq́; ſemper chariſſimus, ſaluum conſerues, incolumitati tuæ, tuorumq́;: qui ex te pendent, conſulas. quæ didiciſti, quæq́; ab adoleſcentia pulcherrime à ſapientiſſimis uiris tradita, memoria, & ſcientia comprehendiſti, iis hoc tempore utare, quos coniunctos ſumma beneuolentia, pluri miſq́; officiis *amiſiſti, eorum deſiderium ſi non æquo animo, ac forti feras. ego quid poſſim, neſcio, uel potius me parum poſſe ſentio. illud tamen tibi polliceor, me, quæcunque ſaluti, dignitatiq́; tuæ conducere arbitrabor tanto ſtudio eſſe facturum, quanto ſemper tu & ſtudio & officio in meis rebus fuiſti. hanc meam uoluntatem ad matrem tuam optimam fœminam, tuiq́; amantiſſimam detuli: ſi quid ad me ſcripſeris, ita faciam, ut te uelle intellexero. ſin tu minus ſcripſeris, ego tamen omnia, quæ tibi utilia eſſe arbitrabor, ſummo ſtudio, diligentiaq́; curabo. Vale.

*a. l. & iã etiã multo deſpe.

*a. l. amaſti.

ASCENSIVS. NOn ea me res & cætera. Cum Domitius poſt cladẽ Pharſalicam in Italiam ſe recepiſſet, neq; Cice. quicquam ad eum ſcripſiſſet, hac ſe epiſtola excuſat, & operam ſuam illi pollicetur, dicens. Ea res. quod tu nullas literas miſeras ad me poſtaquam ueniſti in Italiam, non deterruit me quo minus mitterem literas ad te. hoc eſt non ideo miſi ad te poſtea literas. Sed quia nec reperiebam quid pollicerer tibi, ipſe egens rebus omnibus, nec quid ſuaderem tibi cum conſilium deeſſet mihimetipſi, nec quid conſolationis afferrem in tantis malis. Hæc ſcilicet omnia iam dicta, quanquam nihilo ideſt in nullo ſunt meliora nunc, & ſupple ſunt etiam, atq; etiam ideſt cumulate, deſperatiora multo, tamen malui meas literas eſſe inanes: ideſt friuolas, & inefficaces, quam nullas. Ego ſi intelligerem te conatum eſſe ſuſcipere cauſa Reipub plus numeris ideſt obſequii & laboris, quã quantum potuiſſes. ſ. uerifimiliter, præſtare. i. exhibere, etamen ideſt nihilominus, ego hortarer, te quibuſcunq; rebus poſſem ad eã conditionem uiuendi, quæ daretur, ideſt concederetur tibi, & quæ eſſet. ſed cum tu ſtatueris, tibi eum finem conſilii tui ſuſcepti bene. i. decenter & fortiter, quem ipſa fortuna uoluiſſet eſſe terminũ, ideſt exitum contentionum noſtrarum: Ego oro & obteſtor te pro noſtra uetere coniunctione, ac neceſſitudine, & pro ſumma beneuolentia mea in te, & pariter tua. ſ. beneuolentia in me, ut conſerues te ſaluũ nobis, parenti, coniugi, & omnibus tuis. quibus es, & fuiſti ſemper chariſſimus, & ſupple ut conſulas ideſt conſilio tuo, auxilio ſis, & proſpicias incolumitati tuæ, & tuorum, qui pendent. i. quorum ſalus pendet ex te, & ſupple ut utare hoc tempore iis, quæ didiciſti & comprehendiſti memoria, & ſcientia pulcherrime ab adoleſcentia: ſcilicet tua tradita. ſ. tibi, a uiris ſapientiſſimis, hoc eſt feras deſiderium, ideſt mortem, & abſentiam eorum, quos coniunctos, ſcilicet tibi ſumma beneuolentia, & plurimis officiis amaſti feras inquam, ſi non æquo animo, at: ideſt ſaltem, forti ſcilicet animo. Ego neſcio quid poſſim, uel potius ſentio me poſſe parum, tamen ego polliceor tibi illud me eſſe facturum, quæcunq; arbitrabor conducere, ideſt utilia fore ſaluti, & dignitati tuæ tanto ſtudio, quãdo ſtudio, & officio, tu fuiſti ſemper in rebus meis. Ego detuli. i. denũciaui, hãc uolũtatẽ

meam, ad matrem tuam, fœminam optimam, & amantissimam tui. Si scripseris quid: idest aliquid ad me, ego faciam ita, ut intellexero te uelle. Sin autem, idest sed si, tu minime idest nequaquam scripseris, ego tamen idest nihilominus curabo summo studio & diligenter omnia, quæ arbitrabor esse utilia tibi.

SEBAS. CORR.

DOmitio} Cn. Domitio Aenobarbo L. F. {Venisti} ex prælio Pharsalico. {Pariter} Al. pari. {Parenti} Porciæ, M. Catonis sorori.

BERN. RVTI.

TE ut nobis parenti, coniugi, tuisque omnibus quibus es fuisti que semper charissimus, saluum conserues} Parenti, matri. Aenobarbi enim hunc filium existimo quẽ ipsi in alibi in pugna Pharsalica cæsum ostendemus.

PHIL. MELA.

NOn ea res} Consilium ne Domitius ad arma ciuilia redeat. {Non ea res} Exordium ab excusatione silentii. {Ego si te intell.} Propositio, ne redeat ad bellum ciuile, posteaquam semel iam arma abiecerit. {Te ut nobis} Breuis consolatio. {Ego quid possim} Conclusio, qua defert suum officium.

M. T. C. EPISTOLARVM FAMILIARIVM SEXTI LIBRI FINIS.

MARCI TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM FAMILIARIVM, LIBER SEPTIMVS.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Responsoria ad petitionem Marii, pro ludorum & spectaculorum descriptione a Cicerone sibi mittenda, in qua quantum potest elegantissime omnem harum rerum uoluptatem extenuans. sed tamen quales fuerunt interim scribit ostenditque quam possit melioribus uoluptatibus tranquillus animus se oblectare.

M. CICERO M. MARIO S. D. 1

SI TE dolor aliquis corporis, aut infirmitas ualetudinis tuæ tenuit, quo minus ad ludos uenires, fortunæ magis tribuo, quam sapientiæ tuæ. sin hæc, quæ cæteri mirantur, contemnenda duxisti, & cum per ualetudinem posses, uenire tamen noluisti: utrunque lætor. & sine dolore corporis te fuisse, & animo ualuisse, cum ea quæ sine causa mirantur alii, neglexeris: modo ut tibi constiterit fructus otii tui: quo quidem tibi perfrui mirifice licuit, cum esses in ista amœnitate penè solus relictus. neque tamen dubito, quin tu ex illo cubiculo tuo, ex quo tibi Stabianum perforasti, & patefecisti Seianum, per eos dies matutina tempora lectiunculis consumpseris: cum illi interea, qui te istic reliquerunt, spectarent communes mimos semisomni. reliquas uero parteis diei tu consumebas iis delectationibus, quas tibi ipsi ad arbitrium tuum compararas. nobis autem erant ea perpetienda, quæ scilicet P. Metius probauisset. omnino, si quæris, ludi apparatissimi, sed non tui stomachi: coniecturam enim facio de meo: nam primum honoris causa in scenam redierant ii, quos ego honoris causa de scena decessisse arbitrabar. delitiæ uero tuæ noster Aesopus eiusmodi fuit, ut ei desinere per omneis homines liceret. is iurare cum cœpisset, uox eum defecit in illo loco, Si sciens fallo. quid tibi ego alia narrem? nostri enim reliquos ludos. quid? ne id quidem leporis habuerunt, quod solent mediocres ludi, apparatus enim spectatio tollebat omnem hilaritatem, quo quidem apparatu non dubito quin animo æquissimo carueris: quid enim delectationis habent sexcenti muli in Clytemnestra? aut in Equo Troiano cæterarum tria millia? aut armatura uaria peditatus, & equitatus in aliqua pugna? quæ popularem admirationem habuerunt, delectationem tibi nullam attulissent. quod si tu per eos dies operam dedisti Protogeni tuo: dum modo is tibi quiduis potius, quam orationes meas legerit, ne tu haud paulo plus, quam quisquam nostrum, delectationis habuisti. non enim te puto Græcos, aut Oscos ludos desiderasse: præsertim cum Oscos ludos uel in senatu nostro spectare possis, Græcos uero ita non ames ut ne ad uillam quidem tuam uia Græca ire soleas. nam quid ego te athletas putem desiderare, qui gladiatores contempseris? in quibus ipse Pompeius confitetur se & operam, & oleum perdidisse. reliquæ sunt uenationes binæ per dies quinque magnificæ, nemo negat: sed quæ potest esse homini politico delectatio, cum aut homo imbecillus à ualentissima bestia laniatur, aut præclara bestia uenabulo transuerberatur? quæ tamen si uidenda sint. sæpe uidisti: neque nos, qui hæc spectauimus, quicquam noui uidimus. elephantorum extremus dies fuit: in quo admiratio magna uulgi, atque turbæ, delectatio nulla extitit. quinetiam misericordia quædam consecuta est, atque opinio eiusmodi, esse quandam illi belluæ cum genere humano societatem. his ego tamen diebus, ludis scenicis, ne forte uidear tibi non modo beatus, sed liber omnino fuisse dirupi penè me in iudicio Galli Caninii familiaris tui. quod si tam facilem populum haberem, quam Aesopus habuit, libenter mehercule artem desinerem, tecumq;, & cum similibus nostri uiuerem: nam me cum antea tædebat, cum & ætas, & ambitio hortabantur: & licebat denique, quem nolebam, non defendere: tum uero hoc tempore uita nulla est: neque enim fructum ullum laboris expecto & cogor nonnunquam homines non optime de me meritos, rogatu eorum, qui benemeriti sunt, defendere. itaque quæro causas omneis aliquando uiuendi arbitratu meo: teque, & istam rationem otii tui & laudo uehementer, & probo: quodq; nos minus interuisis, hoc fero animo æquiore, quod, si Romæ esses, tamen neque nos lepore tuo neque te, siquis est in me, meo frui liceret propter molestissimas occupationes meas: quibus si me relaxaro (nam ut planè exoluam, non postulo) te ipsum quidem, qui multos annos nihil aliud commentaris, docebo profecto, quid sit humaniter uiuere. tu modo istam imbecillitatem ualetudinis tuæ sustenta, & tuere, ut facis: ut nostras uillas obire, & mecum simul lecticula

lecticula concursare posſis. hæc ad te pluribus uerbis ſcripſi, quàm ſoleo, non otii abundantia, ſed amoris erga te, quod me quadam epiſtola ſubinuitaras, ſi memoria tenes, ut ad te aliquid eiuſmodi ſcriberem, quo minus te prætermiſiſſe ludos pœniteret. quod ſi aſſecutus ſum gaudeo: ſin minus, hoc me tamen conſolabor, quod poſthac ad ludos uenies, noſq; uiſes, neque in epiſtolis relinques meis ſpem aliquam delectationis tuæ. Vale.

ASCENSIES.

SI dolor &c. M. Marius ciuis ampliſſimus podagra laborans ruri agebat, quocirca, cum audiſſet Romæ celebratos eſſe ludos magnificentiſſimos, abſentiam ſuã ægre ferens, ſcripſerat ad Ciceronem, ut de eis ad ſe ſcriberet. Cui nunc reſpondens Cic. extenuat illorũ magnificentiam, laudatq; ocium Marii, deſcribitq; fere totum apparatum ludorum ſuperuacuum Et poſtremo dicit ſe uelle expeditis negocius cum eo in uilla ocio uacare Ordo eſt. Si aliquis dolor corporis uut infirmitas, ideſt debilitas ualetudinis ideſt ſanitatis tuæ tenuit te, quo minus ideſt ut non uenires ad ludos ſcilicet Romæ exhibitos, ego tribuo magis fortunæ tuæ, quæ noluit te fruſtra acciri Romam, quam ſapientiæ tuæ, quia per ipſam non ſteterit quod non ueniſti. Sin ideſt ſed ſi, tu duxiſti ideſt exiſtimaſti hæc ſcilicet ludicra, quæ cæteri. utpote plebei, mirantur, eſſe contemnenda, ego lætor utrunque ſcilicet & ſimul te fuiſſe ſine dolore corporis, & ideſt ſimul, te ualuiſſe animo, cũ neglexeris ea, quæ alii mirentur ſine cauſa, eo quod non ſunt admiratione digna, modo ut ideſt dummodo ita ſit, ut fructus ideſt utilitas ocii tui, conſtiterit ideſt notus fuerit tibi, quia non omnes, qui beati eſſe poſſunt continuo beati ſunt, eo quod neſciant, unde Maro. O fortunatos nimium ſua ſi bona norit, Agricolas. quo ſcilicet ocio, licuit tibi perfrui ideſt ad plenum frui mirifice cum eſſet relictus pene ideſt quaſi ſolus in iſta amœnitate ſcilicet rurali. Neqoe tamen dubito quin conſumpſeris per eos dies, tẽpora matutina lectiunculis ideſt legendo ſubinde libros aliquos, ex illo cobiculo tuo, ex quo perforaſti mihi ideſt ad uotum meum, alii, tamen habent tibi, Stabianum, partem uillæ ſic nominatam, & pateſeciſti Seyanum, alterum locum uillæ, forte a σκιᾶ ſcia, ideſt umbra dictum, unde pateſecit eum faciendo feneſtras, cum ante eſſet umbroſus, cum illi, qui reliquerunt te iſtic ideſt ruri, aut in uilla tua, ſpectarent interea communes ideſt uulgares, mimos, ideſt hiſtriones, & actores ludorum geſtu corporum Eurhet ideſt ſemiſomni ideſt qui oon niſi ad dimidium ſatis dormierant, aut propter lentam actionem ſomno oppreſſi. Vero ideſt ſed, ut conſumebas reliquas partes diei ideſt præter matutina tempora, his, delectationibus quas ipſe ideſt rure, compararas, ideſt conquiſiuetas ad arbitrium tuum. Ea autem quæ ſcilicet Spurius Metius, prætor Vrbanus, Prætor enim ludos celebrandos conducebat. Iuue. Nullius fibula durat uocem uendentis prætoribus, interdum tum Aediles curules ludos curabant, ut patet de comœdiis Terentianis. Sunt qui pro Spurio Publium legant. Scilicet autem, per indignatioo em ponitur. q. d. ſi diis placet, probauiſſet, erant nobis perpetienda. ea quæ indoctis placent, ſunt doctis cruciatui. Si quæris omnino ſcilicet ſcire quales fuerint ludi, ludi ſupple fuerunt apparatiſſimi ideſt maximo ſumptu & apparatu inſtructi ſed non ſupple fuerunt ſtomachi tui ideſt qui tibi ſaperent, ac placerent, facio enim coniecturam de meo ſcilicet ſtomacho, cui nun ſapuerunt. Nam primum ii, quos ego arbitrabar deceſſiſſe de ſcena ideſt de proſcenio, hoc ẽ loco in quo agebantur ludi cauſa honoris, ne ſcilicet præſentia ſua ludos dehoneſtent, cum eſſent inhoneſti, redierunt in ſcenam cauſa honoris. i. ut ludos honorificent Vero. i. ſed, Aeſopus noſter ſcilicet. Hiſtrio nobiliſſimus, appoſitorie diliciæ tuæ, ideſt in quo tantopere oblectaris ſuit, eiuſmodi, ideſt talis in agendo, ut liceret ei per omnes homines, ideſt nullo reclamante, cum omnes ſatiati eſſent ante finem ludorum, deſinere, ſcilicet ab agendo, is cum cepiſſet iurare, ut ſit in fabulis, uox defecit ideſt deſeruit eum in illo loco ideſt cum diceret illa uerba. Si ſciens fallo. Quid ideſt ad quid ego narrem tibi alia? Tu enim noſti reliquos ludos, in quibus, ſcilicet parum decoris eſſe ſolet. Quid? ſupple dico reliquos, hi ſupple ne quidem ideſt non ſaltẽ habuerunt id decoris. qood ludi mediocres ſolent ſcilicet habere. Enim ideſt quia, ſpectatio ideſt frequens inſpectio apparatus, tollebat omnem hilaritatem. Quo quidem apparatu non dubito quin carueris æquiſſimo animo. Enim ideſt quia, quid delectationis habent ſexcenti muli in Clytẽneſtra ſcilicet per pompam deducenda in fabula, aut tria millia craterarum, ideſt id genus poculorũ. Dicitur hic crater, in accuſatiuo hunc cratera, unde fit nominatiuus hæc cratera Huiuſmodi autem crateræ oſtentabantur pro incluſis in equo ad uſum potandi, niſi ſit legendum cratium, quibus equus intrinſecus intexebatur. Certum eſt qood Clytemneſtra eſt nomen fabulæ, ſicut equus Troianus, quæ denominantur, a re præcipua in eis acta Clytemneſtra autem erat uxor Agamẽnonis, principis exercitus Græcorum, quæ cum Aegiſtho adulterium commiſit abſente marito, & reuerſum eius conſilio interfecit, unde ab Oreſte filio interfecta eſt Cum ergo ageret imperatricem ſexcentis mulis in fabula uſa fingebatur. In equo autem Troiano, quam plurimi Græcorũ fuerant incluſi, unde ad pompam illis tria millia craterarum ſabula aſſignabantur, & armatura uaria peditatus, & equitatus in aliqua pugna, quid delectationis habet? q. d. nihil Quæ, ſcilicet ſupradicta in apparatu ſuperfluo conſiſtentia, aut ea, quæ habuerunt admirationem popularem, nullam delectationem attuliſſent tibi. quod ſi tu operam dediſti per eos dies ſcilicet quibus ludi tales exhibebantur, Protogeni ſcilicet Liberto, & Anagnoſtæ ideſt lectori tuo, ſonat autem Protegenes id, quod primus generis dummodo is, ſcilicet Protogenes, Anagnoſtes tuos, legerit tibi potius quiduis ideſt quãcunque aliam rem, quam orationes meas næ ideſt certe, tu habuiſti haud ideſt non paulo plus, immo multo plus delectationis, quam quiſqoam noſtrum Modeſte autem dicit, quam orationes meas, qua ſi uero milius, aut operam perdidiſſet, aut minus delectationis habuiſſet. Non enim puto te deſideraſſe ludos Græcos, aut Oſcos ideſt aut apud Græcos inuentos, ut ſunt fere comœdiæ, & tragœdiæ, aut Oſcos, ut ſunt Atellanæ fabulæ, ſed per locum rationes affert, cur taler non debeat deſiderare, præſertim, cũ poſſis ſpectare ludos Oſcos ideſt ab obſcœnitate oris denominandos, uel ideſt etiam: in ſenatu noſtro ideſt Romano, in quo uterq; erat, quaſi dicat illic eſſe, qui obſcœnitate loquendi Oſcos repreſentent. Vero ideſt ſed, cum tu ames Græcos ita ideſt tanto odio proſequaris, ut ne quidem ideſt non ſaltem, ſoleas ire ad uillam tuam uia Græca. Nam quid ideſt ad quid, ego putem te deſiderare athletas ideſt pugiles, & luctatores, qui cõtempſeris gladiatores, quorum tamen ſpectaculum uidetur delectabilius, cum ſit periculoſius, & artificioſius, in quibus, ſcilicet gladiatoribus ipſe Pomp qui eis plurimum oblectari ſolebat, confitetur ſe perdidiſſe, & operam, & oleum, ideſt impenſam & laborẽ. Reliquæ ſunt ideſt præter dictos apparatus ſunt uenationes per dies quinq; binæ ideſt ſingulis e quinq; diebus duæ, & ita. x magnificæ, quaſi dicat, dices forte ex aliorum relatu, quod fuerint magnificæ, nemo negat, ſcilicet magnificas fuiſſe. Sed quæ delectatio poteſt eſſe homini politico, ideſt ciuili, cum aut homo imbecillis laniatur a beſtia ualentiſſima, aut beſtia præclara tranſuerberatur uenabulo, ideſt cuſpide uenatoria? quaſi dicat nulla, talia autem fiebant in uenationibus in arena exhibitis, nam ad beſtias damnari obiiciebantur beſtiis aut ad hoc exercitati ſeſe locarunt ad tranſfigendas feras. Quæ, ſcilicet ſpectacula, tamen, ideſt nihilominus ſi ſint uidenda, tu uidiſti ſæpe Neque nos, qui ſpectauimus, hæc uidimus quicquam noui. Extremus: ideſt ultimus dies ludorum, fuit elephantorum ſcilicet exhibitorum ſpectaculo, in quo ſcilicet die, magna admiratio uulgi, atque turbæ extitit, nulla delectatio extitit, ideſt emerſit, quinetiam quædam miſericordia eſt conſecuta, atque opinio eiuſmodi, quandam ſocietatem eſſe illi belluæ, ideſt elephanto, cum genere humano, quia cum potuiſſent ſæuire in homines uictos, noluerunt unde Soli Elephanti iuxta ſenſum humanum intellectus habent, memoria pollent, ſyderum ſeruant diſciplinam ineſt illis clementiæ bonum, quippe ſi per deſerta uagabondum hominem forte uiderint, ductus ad notas uſque uias præbent, uel ſi conſertis pecoribus occurſitent itinera ſibi blanda, & placida manu faciunt, neq; animal interimunt conflictu fortuito. Siquando pugnatur, non mediocrem habent curam ſauciorum, nam feſſos uulneratoſq; in medium recepiant, &c. Tamen ne uideat tibi fuiſſe his diebus, non modo: ideſt non ſolum beatus ludis ſcenicis: ideſt propter ludos ſcenicos, ſed omnino liber, ſcilicet ab omni cura, ego dirupi pene me, in iudicio Galli Caninii familiaris tui, quem defendi, ne contra eum iudicium fieret. quod ſi haberem populum tam facilem, quam ideſt quantum, facilem habuit Aeſopus, qui ob malum actionem ſtatim dimiſſus eſt mehercule, ego libenter deſinerem artem, ſcilicet cauſidicorum, & uiuerem tecum, & cum ſimilibus noſtri: ideſt uiris ſtudioſis. Nam cũ. ſ. ita ſit, quod tædebat me antea, ſcilicet ſolicitodinis in cauſis dicendis, cum ideſt quando & ætas, ſcilicet ualida, & iuuenilis, & ambitio, ideſt cupiditas, perueniendi ad magnos hoooret, hortabantur me, ſcilicet tali officio, per quod emergere poſſem, incumbere, & licebat deniq; non defendere, quem nolebam, ſcilicet defendere, qa nulli erat obnoxius. tum uero, ideſt tunc ita eſt pro uero, quod uita eſt mihi oulla hoc tempore, hoc eſt, quod ſic crucier agendo tot cauſas inuite, ut uideat mihi non uiuere. Nq; enim peto ex his ullum fructum laboris, & cogor nonnunquam: ideſt interdum, defendere homines non optime, immo nequaquam meritos de me, rogatu, ideſt propter præces eorum, qui benemeriti ſunt ſcilicet de me. Itaq;: ideſt & ita. quæro, aut quæſo, ſcilicet a diis omnes cauſas ideſt uias, uiuendi aliquando ideſt tandem arbitratu meo, & laudo te uehementer, & probo. i. approbo te, & iſtam rationem otii tui, quodq;: ideſt & quod minus: ideſt non, interuiſis, ideſt interdum uiſitas nos fero hoc animo æquiore, quod. i. quia, ſi tu es Romæ, tamen non liceret nos frui lepore ideſt uenuſto ſermone tuo, neque te meo, ſi quis, ſcilicet lepor eſt in me, propter occupationes meas moleſtiſſimas, Quibus ſcilicet occupationibus, ſi relaxaro ideſt leuauero me, nam non poſtulo, ut ex oluam ideſt liberem me plane ideſt omnino, & quidem ideſt certe, commentor ideſt animo agito, multos annos, ipſum ideſt ut abſolui poſſim, nihil aliud. Alii legunt ſic, & ipſum

quidem quod multos annos nihil aliud commentor, docebo te profecto &c. sed non placet, ut dicat se talem uirum docere uelle, praesertim id, quod non ipse faciat, docebo profecto idest teuera, quid sit uiuere humaniter idest benigne, & ut homine dignum est. Tu modo idest solummodo, aut nunc, sustenta, & tuere idest protege, neq3 deterius patiatur, istam i. tuam imbecillitatem i. infirmitatem ualetudinis, ut facies, ut posis obire i. circuire nostras uillas i. domos in agro positas, & coocursare mecum simul lecticula, in qua senes, & potentes portabantur a seruis. Ego scripsi hoc ad te pluribus uerbis, quam soleo, non abundantia otii, sed amoris erga te, quo idest per quem amorem, tu sub inuitaras i. occulte inuitaueras me quadã epistola, si tenes memoria idest si non es oblitus, ut scriberem ad te aliquid huiusmodi, qua idest per quod, minus idest non, aut non tantopere poeniteret te praetermisisse ludos scilicet Romae celebratos. Quod scilicet scripsisse quo te minus poeniteret, si sum assecutus idest si obtinui, & effici, gaudeo, sin minus idest si non sum assecutus, tamen ego consolabor me, hoc idest hac re, quod uenies post hac ad ludos, & uises nos, neq3 relinques aliquam spem delectationis tuae in epistolis i. quam capies ex eis, cum hae non delectent.

VICTORIVS. STabianum perforasti, & patefecisti Seianum} Quidam legũt Scianum: nos nihil immutauimus, etsi ueteres codices {Senũ} puto autem nomina esse locorum. Nam Stabiae collis celebris in agro Campano, laudatus etiam a Gal. in Therapeutica propter casei bonitatem Stabias autem oppidum fuisse dicit Ply. posteaque deletum in uillas abiisse. Colu. etiam de eo agit in hortulo, Stabiaeq3 uetustae, {Graecos uero ita ames} Sic omnes uulgati quasi ironice dictum sit, sed elegantius in antiquis, {Ita non ames} idest tam infenso odio prosequare: tã lõge sis, ut φιλέλλην iure dicaris: qua & alibi locutione utitur, ut in II. de Fin atqui reperiemus asotos, primũ ita non religiosos, ut edant de patella deinde mortem ita non timẽtes, ut illud in ore habeant, &c. Tantum, inquit, longe es, ut Graecos ames, ut omnia quae eius generis nomine appellantur, ferre non posis, adeo ut ne ad uillam quidem tuam Graeca uia ire uelis {Sed quae potest homini esse politico delectatio?} Vetusti omnes codices, ut nos scripsimus {Homini esse polito} Latina uoce habent. frequẽs autem est apud hunc autorem haec elegantes homines significans elegans dictio, ut etiam apud Lucretium candidissimum, & facundissimum Romanae linguae scriptiorẽ: — quamuis doctrina politos Constituat pariter quosdam, tamen, &c.

Ex poste eiusdem. ET patefecisti Seianũ} Quae scriptura esset in Mediceo, olim ea posuimus: quamuis autem multi multa dicant, a recepta lectione discedendum non puto, nisi aliquid firmius, utrinsque reperiatur Existimaui semper nomina esse locorum: nam de Stabiis dubitari non potest. Columella etiam in Hortulo mentionem illarum facit.

Fontibus, & Stabiae celebres.

De Seiano obscurius est: potest tamen oppidi ignobilis, uel montis nomen esse a quo etiam Seianus fortasse uocatus sit, qui tantam potentiam apud Tyberium Imp. consecutus est. nihil tamen ne dũ certi, quod sine culpa temeritatis affirmari posit. nam ille Seianus a Seio possessore appellatus est. Qui autem {Scenam} putant legi debere, meo iudicio falluntur, quod facile intelliget, qui σκοπὸν Ciceronis huius epistolae scribendae acute spectabit. {Homini esse polito} Mediceus liber, & Petrarchae manu (ut putant) scriptus, hãc lectionem retinent, quae non uideo cur reiici debeat: est enim elegans, & huic loco ualde accommodata. tantae autem hi apud me autoritatis sunt, & nisi fallor, apud alios propter fidelitatem erunt, ut testimonio duorum illorum magis credam, quam reliquorũ omnium. II. etiam de Orat. CXCIIII. Cicero hac uoce usus est: uel quod ipsum oratorem politum esse hominẽ significat, quod eruditũ, ꝙ urbanũ Graeci ut opinor, huiusmodi, homines χαρίεντας appellant. Arist. libro primo de uita & moribus, ubi de uita beata differit inquit. τὴν γὰρ εὐδαιμονίαν, καὶ οἱ πολλοὶ, καὶ οἱ χαρίεντες λέγουσι & non multo post iterum. {Extremus elephantorum dies fuit} Dion. lib. XXXIX magnificentiam, & apparatum horum ludorum copiosissime narrauit: multaq3 de elephantis, & de misericordia, quae in animis uulgi exorta est disputauit Quod autẽ Cicero inquit, uenationes binae per dies quinque, Dion tradit quingentos leones quinq3 diebus ferro absumptos esse Sed quia historicus ille rarus inuentu est, magnam partem eius loci hic apponamus.

κατὰ ταύτας τὰς ἡμέρας ὁ Πομπήιος τὸ θέατρον ἐν ᾧ καὶ νῦν λαμπρυνόμεθα, καθιέρωσε, καὶ ἐν αὐτῷ καὶ θέαν μουσικῆς καὶ ἀγῶνα γυμνικοῦ, κἀν τῷ ἱπποδρόμῳ καὶ ἵππων ἅμιλλαν, καὶ θηρίων πολλῶν καὶ παντοδαπῶν σφαγὰς ἐποίησε, λέοντές γὰρ πεντακόσιοι ἐν πέντε ἡμέραις ἀνηλώθησαν, καὶ ἐλέφαντες ὀκτὼ καὶ δέκα πρὸς ὁπλίτας ἐμαχέσαντο, καὶ αὐτῶν οἱ μὲν παραχρῆμα ἀπέθανον, οἱ δὲ οὐ πολλῷ ὕστερον, ἠλεήθησαν γάρ τινες ὑπὸ τοῦ δήμου παρὰ τὴν τοῦ Πομπηίου γνώμην, ἐπειδὴ τραυματισθέντες τῆς μάχης ἐπαύσαντο, καὶ περινοστοῦντες τάς τε προβοσκίδας ἐς τὸν οὐρανὸν ἀνέτεινον, καὶ ὠλοφύροντο οὕτως, ὥστε καὶ λόγον παρασχεῖν, ὅτι οὐκ ἄλλως ἐκ συντυχίας αὐτὸ ἐποίησαν. ἀλλὰ τούς τε ὅρκους οἷς πιστεύσαντες ἐκ τῆς Λιβύης ἐπεπεραίωντο ἐπιβοώμενοι, καὶ τὸ δαιμόνιον πρὸς τιμωρίαν σφῶν ἐπικαλούμενοι. λέγεται γὰρ ὅτι οὐ πρότερον τῶν νεῶν ἐπέβησαν, πρὶν πίστιν παρὰ τῶν ἀγόντων λαβεῖν ἔνορκον σφᾶς ἦ μὴν μηδὲν κακὸν πείσεσθαι.

His ego tamen diebus, ludis scenicis ne forte nullam uarietatem inueni in priscis codicibus, quid tamen repente, dum haec scriberem, in mentem uenerit, libet exponere: lectores ipsi, an penitus explodendum sit, iudicabunt. Vereor ne duae illae dictiones {Ludis scenis} uacent, & Ciceronis non sint, sed declaratio quondam fuerit prioris illius partis, quae postea ab imperitis librariis temere huc inculcata sit, neq3 Ciceroni ad Marium scribenti id significare necesse erat: non enim ille ignorare poterat, qui illi dies essent. Verum quemadmodum diximus, tenuis haec suspicio, nec aliquid immutãdum, nisi ita doctioribus uisum fuerit, censeo. potuit enim hoc addere, adhuc magis significare uolens infelicem conditionem suã: quia dum alii ludis oblectarentur, & a curis solicitudinibusq3 animum reficerent, in rebus molestis, odiosisq3 implicatus esset. Mentionem fecit horum ludorum Cicero in Oratione contra Lucius Pisonem CCCCCCII. Instant post hominum memoriam apparatissimi, magnificentissimiq3 ludi: quales non modo [illegible]nquam fuerunt, sed ne quomodo fieri quidem posthac possint, possunt ullo pacto suspicari. Quem locum sic interpretatus est Paedianus. Cn. Pompeii ludos significat, quibus theatrum a se factum dedicauit, quibus ludis elephantorum pugnam primus omnium dedit in circo. {Fructũ laboris ea his expecto} Non affirmarim cuius culpa mendum hoc natum sit: incuria certe commissum est, & pro {Expecto} Mediceus codex uetere scriptura fere habet {Especto} (quamuis hoc in loco {Exispecto} mendose habeat) quemadmodum non multo post {Exorua} & in epistolis Q. Ciceronis ad M. Fratrem {Exilui} gaudio & a me iampridem ea meo codice sublatum erat, quemadmodum aliud ẽt septimo ab hoc uersu: deleri enim debet uox illa {Id}. {Vt nostras uillas obire, & mecum simul lecticula concursare posis} Ad Qu. Fratrem CCLXXXV Marium autem nostrum in lecticam mehercule coniecissem. Sed etiam qood hic Cicero inquit, Tu modo istam imbecillitatem ualetudinis tuae: eodẽ loco ad Quintum idẽ traditur, Sed hominem infirmum in uillam apertam, ac ne rudẽ quidem etiam nunc, inuitare nolui.

PAVL. MANV. PAtefecisti Seianum} Cum loquatur de ludis, non displicet uetusti codices lectio, in quo pro Seianum, scriptum est, scenã. Sensus erit: non puto te nostros ludos desideraste, cum e cubiculo tuo Stabianum prospiceres, quod tibi scenam referre, & tanquam scenae conspectus delectare te posset. {P. Metiuc} Hic est P. Metius cognomento Tarpa, qui ea quae in scena recitanda erant, prius iudicabat. eius meminit Horatius in epistola de arte Poetica, & Satyra X. lib. I.} Homini politico} Vetustos codices, in quibus ita legat, habet Ioannes Scala, habet Hieronymus Ferrarius, habet Bernardinus Maffeus, habet Paulus Botus, habent alii, quos non necesse est cõmemorare itaq3 nihil muto. alii in suo libro imprimi uoluerunt, homini polito, affirmantes in omnibus uetustis codicibus ita legi. {Fructum ullam laboris especto} Veteres omnes libri pro expecto, habens es hic peto. Fintentini legunt, ex his expecto. mihi nostra lectio magis probatur, ut quae a ueteri scriptura minus recedat: nam & expecto, & exscribo, & exsupero, & alia huiusmodi cũ s, litera ueteres scribebant, ut ex antiquis monumentis licet cognoscere. uide Quintilianum lib I.

SEBAS. CORR. MArio} Coniicimus hunc esse M Marium Gratidium, qui fuit Q. fratris in Asia elgatus, quiq3 cum Ciceronibus cognatione erat coniunctus. {Dolor aliquis} ut podagra. Epist. IIII. huius libri. {Ad ludos} factos a Pompeio in secunda Consulatu. {Mirantur alii} uulgus. {Aesopus} tragoedus. {Vox cũ defecit} iam senem, qui iuuenis non saepe Aiacem eligebat, in qua magna uoce erat utendum. {Si sciens} Si sciens fallo, qui me dispicit, salua urbe, arceq3, bonis eiciat, ut hunc lapidem, hoc enim erat carmen iurantis per Iouem lapidem. {Muli} Agamemnonis, ueluti capta Troia redeuntis. {Ita ames} Al. ita non ames. {Oleum} usurpatum loco prouerbium. nam athletae oleo perungebant corpora {Venationes} leonum CCCCC. {Politicu} Alii legunt polito. {Elephantorum} XVIII. {Consecuta est} elephantis oculos ad coelũ tollentibus, & quasi cum Diis querentibus, fidem sibi in Africa datam non seruari si modo uera sunt, quae scribit Dion. {Desinerem} Al desererem. {Laboris expecto} Al. laboris peto. {Nonnunquam homines} ut Varinium. {Rogatu eorum} .i. Caesaris, & Pompeii. {Teipsum quidem, &c.} Sic legerem: Id ipsum. quod multos annos nihil aliud commentos, te docebo, &c. nam uarie hic legitur {Lecticulae} Hinc ad Q. fratrem, Mariũ nostrũ in lecticam cõiecissem, &c. {Tu modo} Al tu mihi.

BERN. RVT. NAe tu haud paulo plus, quam quisquam nostrum, delectationis habuisti} Nescit quid loquatur interpres: qui Nae affirmantis esse neget sensumq3 inducat & ineptissimum, & Ciceronis sententiae contrariũ. est enim haud paulo plus, multo plus. {Libenter mehercule artem desinerem} Sic Gellius: Cum iam natu grandis artem athleticam desisset. {Nam me cum antea taedebat, tũ & aetas & ambitio me hortabantur} Quidam, tamen & aetas Ego sequor aliorum excusam lectionem, Cũ & aetas & ambitio me hortabantur.

tabantur. Sane ludos hosce Pompeii altero consulatu editos sciri conuenit, de quibus, præsertimque elephantorum pugna, Plynius libro V I I I. cap. V I I quod & ea uerba ostendunt, Ipse Pompeius coofitetur. Verba Plynii sunt: Pompeii quoque altero consulatu, dedicatione templi Veneris uictricis pugnauere in circo X X. uut (ut quidá tradunt) X V I I. Gætulis ex aduerso iaculantibus, mirabili unius dimicatione, qui pedibus confossis, repsit genibus in cateruas, arrepta scuta iacens in sublime, quæ decidentia uolubilitate spectantibus in orbem circumacta, uelut arte non furore belluæ iacerentur. Magnum & in altero miraculum fuit, uno ictu occiso Pilum sub oculo adactum in uitalia capitis uenerat. uniuersi eruptionem tentauere, oon sine oexatione populi, circuodantis claustris ferreis. Q ua de causa Cæsar dictator postea, simile spectaculum editurus, euripis arenam circuodedit, quos Nero princeps sustulit, equitaui loca addens, Sed Pompeiani, amissa fugæ spe, misericordiá uulgi inenarrabili habitu quærentes supplicauere quadam sese lamentatione complorantes, tanto populi dolore, ut, oblitus imperatoris, ac manificentiæ hoooris suo exquisitæ, flens uniuersus consurgeret, dirasque Pompeio, quas ille mox luit, pœnas imprecaretur. {Et ipsum quidem multos annos, nihil aliud commentur, docebo profecto quid sit humaniter uiuere} Alii legunt: Teipsum, qui multos annos nihil aliud commentaris, & cætera. Mihi non displicet ueterum impressionum lectio: Et ipsum, quod multos quidem annos nihil aliud commentos, docebo, &c. Item supra. {Et cogor nonnunquam homines non optime de me meritos, rogatu eorum, qui bene meriti sunt, defendere} Vatinium innuit, quem circa hæc tempora rogatu Cæsaris, miraque contentione defendit, ut primo libro uidimus.

PHIL. MELI.

SI Te dolor} Oditur a causa absentiæ. Deinde sequitur narratio, & extenuatio ludorum. {Si te dolor} Exordium a causa coo silii. {Communes mimos} Mimi non agebant comœdias, uat tragœdias, sed peculiares ludos edebant. {Omnino si quæris} Narratio de apparatu lodorum: quos extenuat, quod in iis nihil admiratione dignum fuerit. {In clytēnestra} idest, in illa fabula quando Clytemnestra produxit filiam Iphigeniam mactandam. {Oscos ludos} Osci ludi dicebantur rusticani & obscœni ludi, sicut dicunt ab Osco dictum obscœnum. Osci uero fueruot populi Italiæ. {Græcos uero} Græci ludi, ubi Græca argumenta exhibebantur. {Esse quandam illi belluæ} Tribuit elephantis rationem quandam. Ironia est, seu eclipsis.

Cæl Rhod. Antiq. Lect. lib. I I. cap. X L I X.

APud Festum Pompeium legi, iuraturos per Iouem Lapidem tenere silicem solitos, eiusmodi fere uerba enunciantes: Si sciens fallo, qui me despicit, salua urbe arceque, bonis eiciat ut ego hunc lapidem Ad quam uerborum conceptionem amplius pensitatiusque inspicienti, allusisse M. Tullium liquet Epistolarum familiarium septimo per maximam interpretum hallucinationem. Ita enim scriptum inuenias, Deliciæ uero tuæ ooster Aesopus eiusmodi fuit, ut ei desinere per omnes homines liceret. Is iurare cum cœpisset, uox enim defecit, in loco illo Si fallo sciens. Meminit T. Liuius ab urbe cond libro primo & uicesimo: Eaqi, inquit, ut rata scirent fore, agnum læua manu, deatera silicem retinent: Si falleret Iouem cæterosque precatus deos, ita se mactarent, qoemadmodum ipse agnum mactasset, & secundum precationem caput pecudis saxo elisit. Sed & alibi T. Liuius idem huiusmodi iusiurandi formulá latius exequitur.

IOAN. RIVI.

LIbro septimo, epist. I. Is delectationibus quas tibi ipse ad arbitrium tuum comparabat} Sic uolumen in membrana descriptum, ubi recentiores codices. {Q uas tibi ipsi} Q uin autem prior lectio magis sit Tulliana, nemo, opinor, negarit, qui sit diligenter in scriptis Ciceronianis oersatus. Nam sic fere Cicero, me, ipse, mihi ipse, a me ipse, te ipse, tibi ipse, a te ipse, se ipse, sibi ipse, a se ipse. Ac Fenestellam quoque tale apud Ciceronem quiddam obseruasse testatur alicubi Seneca Sic primo de Diuinatione: In templo Herculis ualuæ clausæ repagulis, subito se ipsæ aperuerunt. Et secundo. Dubitans plerunque, & mihi ipse diffidens. ibidem. Alter mortem sibi ipse consciuit Rursus: A constantia atqoe a mente, atque se ipse discessit. Primo de Orátore, Ita in Iudicio capitis pro se ipse dixit. Secundo: Virtus autem, quæ est per se ipsa laudabilis Et tertio, ut uita se ipse priuaret Sed quoniá exempla in hoc genere infinita sunt, nos modum aliquem & finem faciamus oportet. Q uorsum enim attinet copiam, quam possim, cum dubitatio in re nulla sit, persequi? Igitur ad institutum. } Q uid? quod ne id quidem leporis habuerût, quod solent mediocres ludi?} Vbi in aliis Q uid? ne id quidem. Notus est hic dicendi modus, quo particulæ istæ binæ, Q uid qđ, eleganter uenustéq; iunguntur. Q ua de re eaempla afferre quid attinet, cum sint illa passim apud Ciceronem obuia?

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Respondet petitioni amici de prædio emendo per Ciceronem.

M. CICERO M. MARIO S. D.

MAndatum tuum curabo diligenter. sed homo acutus ei mandasti potissimum, cui expediret, illud uenire quamplurimo. sed eo uidisti multum, quòd præfinisti, quo ne pluris emerem. quòd si mihi permisisses qui meus amor in te est, confecissem cum cohæredibus: nunc, quando tuum precium noui, licitatorem potius apponam, quàm illud minoris ueneat. sed de ioco satis est. tuum negocium agam, sicuti debeo diligenter. De Bursa te gaudere certo scio. sed nimis uerecunde mihi gratularis: putas enim, ut scribis, propter hominis sordes minus me magnam illam lætitiam putare: credas mihi uelim, magis me iudicio hoc, quàm morte inimici lætatum: primum enim iudicio malo, quàm gladio: deinde gloria potius amici, quam calamitate. in primisq; me delectauit, tantum studium bonorum in me* extitisse contra incredibilem contentionem clarissimi, ac potentissimi uiri. postremo, quod uix uerisimile fortasse uideatur, oderam multo peius hunc, quam illum ipsum Clodium: illum enim oppugnaram, hunc defenderam: & ille, cùm omnis Respub. in meo capite discrimen esset habitura, magnum quiddam spectauit: nec sua quidem sponte, sed eorum auxilio, qui me stante stare non poterant. hic simiolus animi causa me, in quem inueheretur, delegerat: persuaseratq; nonnullis inuidis meis se in me emissarium semper fore. quamobrem ualde iubeo gaudere te. magna res gesta est. nunquam ulli fortiores ciues fuerint, quam qui ausi sunt eum contra tantas opes eius, à quo ipsi lecti iudices erant, condemnare, quod fecissent nunquam, nisi iis dolori meus fuisset dolor. Nos hic multitudine, & celebritate iudiciorum & nouis legibus ita distinemur, ut quotidie uota faciamus, ne intercaletur, ut quamprimum te uidere possimus. Vale.

*alias, stetisse.

ASCENSIVS.

MAndatum tuum &c. Ci. acceperat ex testamento prædium, de quo Marius scripserat, ut sibi ematur a Cicer. quam minimo queat, unde iocaos Cice. dicit sua interesse, ut quam maximo uendatur, dicit tamen se curaturum eius negotium, ac demum dicit se uicisse aduersarium suum nomioe Bursam, de quo sperat Marium gausurum. Ordo est Ego curabo diligenter mandatum tuum, scilicet ut prædiû tibi ematur, sed tu homo acutus, quod iocose dicit, tu mandasti scilicet prædium tibi emi, quam minimo, potissimum idest maxime ei, cui expediret idest utile esset, illud scilicet prædium, uenire, idest uendi, quam plurimo idest maximo precio, hoc est mihi, eius ex testamento possessori. Sed tu uidisti idest prospexisti multum, eo qđ præfinisti ne emerem pluris scilicet quam scripseras, qaod si scripsisset, eme quam minimo poteris sine quibus paulo, aut quanti quibus, potuisset Cice maximo uēdidisse precio ipse tamen per iocum dicit sese contra fuisse facturum, addens quod si permisisses mihi idest ur bitrio meo, & non præfiniuisses mihi præcium, qui meus amor est in te idest secundum amorem quo te prosequor, ego fecissem. f. emptionem cum cohæredibus, quia ipse oon erat solus hæres. Nunc quoniam ego, qui sum in parte hæres, noui precium: idest quanti tibi sit ego ponam potius in licitationem idest uenditionē, quæ cedat plus cæteris offerenti, quam illud scilicet prædium, ueneat idest uendatur minoris scilicet quam præfiniuisti sed satis est de ioco. Ego agā negotium tuum diligenter sicut debeo quasi dicat, propter partem meam non curabo, ut pluris ueneat quam parsit. Ego certo scio te gaudere de Bursa idest quod Bursam uicerim, sed tu gratularis mihi nimis uerecunde. Putas enim, ut scribis, me putare illam lætitiā minus magnam propter sordes hominis scilicet uicti. Velim, supple ut credas mihi, me magis lætatum hoc iudicio, quod contra Bursam latum est, quam morte inimici. Enim, idest quia, primo malo, scilicet uictum esse, iudicio quam gladio, deinde gloria idest cum gloria amici, pro quo Cice. contra eum egit, quam calamitate, quæ secuta fuisset, si gladio uindictam sumpsisset. Et in primis delectauit me tantum studium bonorum extitisse in me contra incredibilem contentionem uiri clarissimi, & potentissimi Crassi, qui pro Bursa steterat. Postremo, quod uidetur fortasse incredibile, ego oderam multo peius, idest grauius, & cum maiore execratione, & mali in illum

uptione, hunc scilicet inimicum, quam illum ipsum Clodium scilicet singularem inimicum, & huius amicum. Enim idest quia ego oppugnaram, scilicet prius illum scilicet Clodium, & ita merito inimicus fuit, & defenderam hunc scilicet Bursam, qui postea factus est inimicus. Et ille; scilicet Clodius, cum omnis Reipu. esset habitu ra discrimen i periculum, in meo capite. i si ego in periculu essem, spectauit. i. prætendit, quiddam magnum. i. quoddam emolumentũ singulare, nec quidem sua sponte. i. proprio ingenio, aut naturali industria, sed auxilio eorum, qui non poterant stare me stante. i. si ego mansissem io statu meo. Hic. s. Bursa, Simiolus. i. turpis imitatur Clodiu, delegerat causa animi i ut satisfaceret malitiæ animi sui me in quem inueheretur. & persuaserat nõnullis inuidis meis se fore semper emissarium in me. i. qui inueheretur in me, & semper propius esset, ut emittatur in me. Quamobrem ego iubeo. i. uolo, sed tamen aliquantulum imperiose, quod ex gaudio dicit, Seruius autẽ ad illud Aeneidos Iofandum regina iubes, dicit. i. uis, sed tamẽ Aeneas modeste potuit dicere Reginam iubere. te gaudere ualde, quia sup. magna res est gesta, nunquam fuerunt ulli ciues fortiores, quã qui ausi sunt condenare eum. s Bursam cõtra tantas opes eius s Crassi, a quo ipsi erant lecti iudices, quod ipsi nunquã fecissent, nisi dolor meus fuisset iis dolori. Nos detinemur hic multitudine, & celebritate iudiciorum, & nouis legibus, ita ut faciamus quotidie uota, ne intercaletur. i. ne fiat intermissio, & suspensio iudiciorum, ut possimus uidere te quamprimum, quod ne liceret, nisi iudicijs absolutis.

PAVL. MANV. DE Bursa} Hic est T. Plancus Bursa, frater L. Planci, ad quẽ sunt epistolæ lib. X. accusatus est ambitus, & condemnatus a Cicero, cui antea Tribunus plebis. in causa Milonis aduersarius fuerat, & in contionibus magnam inuidiam concitarat. postea tertium putius Cæsar eum, & omnes lege Pompeia damnatos restituit, Dion, Pædanus, & alii. in his autem epistolis CXXXI. CXCV.

SEBAS. CORR. LIcitat rem} In uetere libro legimus, illicitatorem: ut fortasse legendum sit, illi licitatorem. {De Bursa} L. Munatio Planco Bursa. epistola XVIII. libro XII {Calamitate} ut Milonis exilio. {Potentissimi uiri} Pompeii. nam Crassus multo ante contra Parthos erat profectus {Eorum auxilio} Gabinii, Pisonis, & aliorum. {Emissarium} Nam Ciceroni diem se dicturum ostenderat. {Nouis legibus} a Pompeio tertium Coss. latis. {Intercaletur} mensis, & tempus prorogetur.

BERN. RVT. NVnc, quoniam tuum precium noui, in licitatorem potius, ponam, quam illud minoris ueneat} Alii, in licitationem, quidam, In, expungunt. Videtur uero parum Clericus præcepisse, quid esset licitari, quod erat, cum quid sub hasta ueniret, preciũ offerre. ut non absurde. Licitatorem potius apponam, legi queat, q̃ Apponendi uerbum simulationi est, quam aptissimum, ut ipse in Antonium. Iam uereor. P. C. ne, quod est turpissimum, præuaricatorem mihi apposuisse uidear. Sed, & mihi licitatorem potius apponã scribi potest. {Hic Simiolus animi causa mei, in quem inueheretur, delegerat} Alii ita Hic Simiolus amicum causa mei, in quem inueheretur, delegerat. Inepte. Ego ita. Hic Simiolus animi causa me, in quem inueheretur, delegerat. quod & subiecta, præmissaq; satis arguunt: & postea Manutio placuisse comperi. nam interpretis quoq; autoritate parum moueor {Nos hic multitudine & celebritate iudiciorum & nouis legibus ita distinemus} Distinemur, sensus exigit, & alii habent codices.

PHIL. MELA. MAndatum tuom curabo} Hæc nihil habet nisi narrationes quasdam {De Bursa} Fuit unus a Clodianis, qui multũ exercuit Ciceronẽ, sed postea male mulctatus est in iudicio a Cicerone, quia succubuit & uictus est. {Primum enim} αἰπολογίας cur, hoc iud... quo uictus est Bursa mirifice sic lætatus. {Emissarium} Emissarios dicimus, qui sunt expositi ad subitas excursiones in qualibet occasione.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Consolatoria est epistola sed alioqui multa dicuntur, quæ ad prudentiam Ciceronis magis referenda uidentur: utpote tota ista narratio belli qua dicit quam prudenter omnia præcogitarit, & præuiderit, & qua consilio Pompeium deseruerit, & in urbem redierit. Postremo ipsa eadem consolatione, qua usum esse dicit, Marium solatur.

M. CICERO M. MARIO S. D. 3

PErsæpe mihi cogitanti de communibus miseriis, in quibus tot annos uersamur, & (ut uideo) uersabimur, solet in mentem uenire* illius temporis, quo proxime fuimus una. quinetiam ipsum diẽ memoria teneo: nam ad III. Id. Maias, Lentulo & Marcello Coss: cum in Põpeianum uesperi uenissem, tu mihi solicito animo præstò fuisti. solicitum autem te habebat cogitatio tum officij, tum etiam periculi mei, si manerem in Italia, uerebare, ne officio deessem: si proficiscerer ad bellum, periculum te meum commouebat, quo tempore uidisti profecto me quoque ita conturbatum, ut non explicarem, quid esset optimum factu: pudori tamen malui, famæq; cedere, quam salutis meæ rationem ducere. cuius me mei facti pœnituit, non tam propter periculum meum, quam propter uitia multa, quæ ibi offendi, quo ueneram, primum neque magnas copias, neque bellicosas: deinde extra ducem, paucosq; præterea, (de principibus* loquor) reliqui primum in ipso bello rapaces, deinde in oratione ita crudeles, ut ipsam uictoriam horrerem; maximum autem æs alienum amplissimorum uirorum. quid quæris? nihil boni præter causam. quæ cum uidissem, desperans uictoriam primum cœpi suadere pacem, cuius fueram semper autor: deinde cum ab ea sententia Pompeius ualde abhorreret, suadere instituit, ut bellum duceret. hoc interdum probabat. & in ea sententia uidebatur fore, & fuisset fortasse, nisi quadam ex pugna cœpisset suis militibus confidere. ex eo tempore uir ille summus, nullus imperator fuit. signa tyrone, & collectitio exercitu, cum legionibus robustissimis contulit, uictus turpissime, amissis etiam castris, solus fugit. hunc ego belli mihi finem feci, nec putaui, cum integri pares non fuissemus, fractos superiores fore. discessi ab eo bello, in quo aut in acie cadendum fuit, aut in aliquas insidias incidendum, aut deueniendum in uictoris manus, aut ad Iubam confugiendum, aut capiendus tanquam exilio locus, aut consciscenda mors uoluntaria. certe nihil fuit præterea, si te uictori nolles, aut non auderes committere. ex omnibus autem iis, quæ dixi, incommodis nihil tolerabilius exilio, præsertim innocenti, ubi nulla adiuncta est turpitudo: addo etiam cum ea urbe careas, in qua nihil sit, quod uidere possis sine dolore. ego cum meis (si quicquam nunc cuiusquam est) etiam in meis esse malui. quæ acciderunt, omnia dixi futura. ueni domum, non quod optima uiuendi conditio esset, sed tamen, si esset aliqua forma Reipub. tanquam in patria ut essem, si nulla tanquam in exilio. mortem mihi cur consciscerem, causa nulla uisa est cur optarem multæ: uetus est enim VBI non sis, qui fueris, non esse, cur uelis uiuere. sed tamen VACARE culpa, magnum est solatium: præsertim cum habeam duas res quibus me sustentem, optimarum artium scientiam, & maximarum rerum gloriam: quarum altera mihi uiuo nunquam eripietur, altera ne mortuo quidem. hæc ad te scripsi uerbosius: & tibi molestus fui, quod te cum mei tum Reipub. cognoui amantissimum. notum tibi omne consilium meum esse uolui, ut primum scires me nunquam uoluisse plus quenquam posse, quam uniuersam Rempub. postea autem quam alicuius culpa tantum ualeret unus ut obsisti non posset, me uoluisse pacem: amisso exercitu, et eo duce, in quo spes fuerat uno, me uoluisse etiam reliquis omnibus. postquam non potuerim, mihi ipsi finem fecisse belli. nunc autem, si hæc ciuitas est ciuem esse me: si non exulem esse non incommodiore loco, quam si me Rhodum, aut Mitylenas contulissem: hæc tecum coràm malueram, sed quia longius fiebat, uolui per literas eadem: ut haberes, quid diceres, si quando in uituperatores meos incidisses: sunt enim, qui, cum meus interitus nihil fuerit Reipub. profuturus criminis loco putent esse quod uiuam. quibus ego certo scio non uideri satis multos perisse: qui si me audissent, quamuis iniqua pace, honeste tamen uiuerent: armis enim inferiores, non causa fuissent. habes epistolam uerbosiorẽ fortasse q̃ uelles quod tibi ita uideri putabo, nisi mihi longiorem remiseris. Ego, si quæ uolo expediero breui tempore, te ut spero, uidebo. Vale.

*alias. l. illi. temp. recordatio.

*alias. loquor) reliquos.

ASCENSIVS. PErsæpe &c. Commemorat quo consilio aduersus Cæsarem in bellum Pharsalicum abierat, & se post uictoriam Cæsaris in urbem receperat, docens miserum esse illic uersari, sed alibi longe miserius, maximam tamen se consolationem capere ex conscientia rectorum consiliorum,

filiorum, habereq; quibus se confirmet, scientiam bonarum artium, & gloriam rerum gestarum, quibus argumentis in omnibus fere epistolis sempet consimili te consolatoriis utitur Ordo est. Solet uenire mihi cogitanti persæpe de miseriis communibus. in quibus uersamur tot annos, & uersabimur, ut uideo: idest quantum perspicio, in mentem, idest in mentionem, & memoriam illius temporis, quo fuimus proxime, idest proxime elapsis diebus, una, idest simul, & in uno loco, quinetiam teneo, idest complector memoria ipsum diem. Nam ad, idest circiter tertium: scilicet diem Idus, idest qui est inter idus, aut ante idus Maias, & ita est ai. dies Maii. Lentulo, & Marcello consulibus, cum uenissem uesperi in Pompeianum. s. agrum, tu fuisti mihi presto: idest affuisti mihi, animo solicito: idest habens animum solicitum, dicerem habenti animum solicitum nisi sequeretur. Autem: idest sed cogitatio tum officii, tum etiam periculi mei habebat te solicitum. Nam supple tu uerebare ne deessem, idest non satisfacerem officio, si manerem in Italia, & periculum meum commouebat, idest anxietate afficiebat te, si proficiscerer ad bellum .i. Pharsalicum cum Pomp. Quo tempore tu uidisti profecto, idest reuera, me quoq;: idest etiam conturbatum, ut non explicarem: idest diiudicarem, quid esset optimum factu, uidetur optimum de duobus dicere. Nam duo erant, aut eundum in bellum, aut manendum in urbe: malui tamen cedere: idest succumbere pudori, & famæ: idest facere, quod pudor & fama exigebant, quæ ducere rationem .i. habere respectum salutis meæ, cuius facti mei pœnituit me non tam propter periculum meum, quam propter multa uitia, quæ offendi .i. præter spē reperiri, ibi, quo ueneram. Primum, sup. offendi copias, neq; magnas, neque bellicosas, deinde reliqui cætra .i. præter ducem, & prætetea .i. eum, paucos. Loquor de principibus .i. ut dicunt nūc de capitaneis, sup. fuerunt primum rapaces in ipso bello, deinde ita crudeles in oratione, ut horrerem ipsam uictoriam, quia si uictores euasissent, multo crudeliores futuri uidebantur. Autem .i. sed, sup. offendi, aut ibi fuit maximum æs alienum .i. debitum, uirorum amplissimorum. s. ante bellum Quid quæris. s. plura, Nihil boni, sup fuit illic, præter causam, quæ contra Cæsarem iosta erat. Quæ cum uidissem, ego desperans uictoriam, cœpi primum suadere pacem, cuius fueram semper author .i. approbator. Deinde cum Pomp. abhorreret .i. alienus esset & dissentiret ualde ab ea sententia. s. pacis componendæ, institui .i. cœpi suadere, ut duceret .i. produceret, & extenderet bellum, donec meliorem haberet exercitum. Pompeius probabat interdum hoc. s. producendum. & uidebatur fore in ea sententia, & fuisset fortasse, nisi cœpisset confidere suis militibus, ex quadam pugna. s. prospere cōtra Cæsarianos gesta Ex eo tempore .i. post illud tempus, uir ille summus. s. Pompeius fuit nullus .i. nullius ualoris imperator, contulit signa. s. militaria .i. uexilla ad committendum prælium, exercitu Tyrone .i. nouitio, & collectitio .i. ex uariis collecto, cum legionibus robustissimis, quia ueteranorum & ex Gallica gente bellicosissima, & ipse uictus turpissime etiam castris amissis fugit solus, ut Lucan. cecinit, ad Regem Aegypti, Cuius assensu obtruncatus est, Tunc ego feci mihi finem belli, nec putaui, sup nos fractos, fore .i. futuros superiores, cum non fuissemus pares integri Ego discessi ab eo bello, in quo aut fuit cadendum .i. moriendum cadendo in acie aut incidendum in aliquas insidias, aut deueniendum in manus uictoris, aut cō fugiendum ad Iubam. s. Regem in Africam, aut locus. s. aliquis erat capiendus .i. eligendus tanquam exilio, aut mors uoluntaria .i. propria manu, aut iussu illata, conficienda .i. peragenda sup. erat. Certe, nihil fuit præterea: idest præter dictas conditiones belli, si nolles, aut non auderes committere uictori: scilicet Cæsari te. Autem: idest sed nihil est tolerabilius, ex omnibus his incommodis, quæ dixi, exilio: idest quam exilium, præsertim innocenti, ubi nulla turpitudo. s. proprii peccati est adiuncta, addo etiam cum careas ea urbe: scilicet Roma, in qua nihil fit, quod possit uidere sine dolore. Ego malui esse cum meis: scilicet necessariis, & si quicquam nunc est cuiusquam, malui esse etiam in meis: scilicet regionibus. Ego dixi omnia futura, quæ acciderunt. Veni domum, non quod optima conditio uiuendi esset: scilicet domi, sed tamen si esset aliqua forma Reip. ut essem tā quam in patria: si nulla: scilicet forma Reip. esset, essem tanquam in exilio, Causa: scilicet iusta, non est uisa: scilicet mihi cur conscisce sem: idest accelerarem & concitatem mihi mortem. multæ causæ sup. uisæ sunt cur optarem. s. mortem honestam. Est enim uetus. s. dictum, ubi .i. postquam non sis, qui fueris .i. in ea dignitate in qua fueris, non esse. s. causam, cur uelis uiuere, aut ibi, aut simpliciter. Sed tamen licet triste est amisisse dignitatem, tamen magnum solatium est uacare, idest uacuum, & purum esse culpa præsertim cum habeam duas res, quibus sustentem me: scilicet ne in desperationem, aut summam miseriam cadam, uidelicet scientiam optimarum artium, ut legalis auguralis, oratoriæ, philosophiæ, & gloriam maximarum rerū scilicet gestarum in consulatu, in quo in toga non minus gloriæ nactus est, quam quiuis imperatorum in armis, prætetea Ciliciam prouinciam gloriose rexerat. Quarum, scilicet duarum rerum, altera. s. optimarum artium scientia, nunquam eripietur mihi uiuo, quin etiā bonæ scientiæ, quibus hic Deum ueneramur, ne mortuis quidem eripiuntur, unde Hieronymus noster, Discamus scientiam in terris, quæ nobiscum manebit & in cœlis. Casu tamen ut uulnere capitis, aut morbo potest labi memoria. & perire scientia in terris, altera, scilicet maximarum rerum gloria, nunquam eripietur mihi ne quidē, idest non saltem mortuo, immo mortui augetur gloria, quam quiuis detraxerat liuor. Hæc &c. Ego scripsi hæc scilicet supradicta uerbosius, idest nimis uerbose ad te, & fui molestus tibi scilicet multitudine uerborum, sed scripsi ideo quod cognoui te amantissimum, idest maximum amatorem, cum mei, tum, idest pariter Reipub. Ego nolui omne consilium meum esse notum tibi, ut scires primum me nunquam uoluisse quenquam neque Pompeium neque alterum posse plusquam uniuersam Rempub licet in Repub. uolueris unum plus posse quam alium. Autem, idest sed posteaquam unus scilicet Cæsar ualeret culpa, idest propter culpam alicuius quasi dicat unius quisquis ille fuerit, certum tamen est quod de Pompeio loquatur, cuius primum fauore in Cæsarem, Cæsari confirmata erat prouincia in alterum quinquennium: deinde eius culpa ut uidimus, male pugnatum fuerat, maluit tamen alicuius quam cuiusdam dicere, ne de certo uideatur loqui, ut non posset obsisti, scilicet illi, scires me noluisse pacem exercitu amisso, & eo duce scilicet Pompeio amisso, in quo uno spes scilicet uictoriæ fuerat: scires etiam me uoluisse fecisse finem belli mihi ipsi, postquam non potuerim scilicet fecisse pacē reliquis omnibus. Nunc autem si hæc ciuitas est, repete scires me esse ciuem, si non, supple est ciuitas scires me esse exulem loco non incommodiore, idest non magis incommodo, sed æque commodo, quā si cōtulissem me Rhodum, aut Mitylenas: Mitylenæ in Lesbo sunt insulæ: Rhodus autem & urbis & insulæ nomen notum. Ego malueram: supple agere, aut narrare tecum hæc, coram scilicet te, hoc est in præsentia tua: sed quia scilicet coram agere fiebat longius, idest differebatur nimis uolui scilicet agere aut comminisci eadem per literas, ut haberes quid, aut, quod diceres, siquando incidisses in uituperatores meos. Valla, diceret mei, idest qui me propterea uituperant, quod post Pharsalicum conflictum me Romam contulerim. Sunt enim qui cum, idest quamuis, interitus meus nihil fuerit profuturus Reipub. putant esse loco criminis, idest pro crimine habēdum quod uiuam Quibus ego certo scio uideri non satis multos perisse qui scilicet extincti, aut interempti, si audiuissent me idest obediuissent mihi. Non enim semper audio pro obedio datiuo iungitur, sed audiens participium frequentius, quamuis uiuerent pace iniqua idest iniquis conditionibus cōparata, uiuerent tamen idest nihilominus honeste, fuissent enim inferiores armis non causa. Si dicas non modo fuissent, sed & nunc fuerunt ret, quia pro iusta causa perierunt, dicam, ut fuerunt, ita fuisse si audissent Ciceronem sed honeste uixissent, quod cum uincere nequirent, pacem accepissent. Habes epistolam fortasse uerbosiorem quam uelles quod ego putabo uideri tibi ita, idest quod uerbosior sit hæc epistola, nisi miseris mihi longiorem. Ego uidebo te breui tempore, ut spero si expediero, supple ea, quæ uolo scilicet prius expedire, idest transigere, & consumare.

VICTORIVS. Lentulo & Marcello Coss.] Qui temporibus his per notas cōsulibus scribunt, duobus S S, uti consueuerunt, atque ita scribere Coss. quos non reprehendo: scio enim hunc morem scribendi ueterem esse. In ueteribus tamen codicibus, & in lapidibus priscis, qui superioribus seculis scripti sint, Coss. habet. Antiquus Florentiæ lapis est, in quo hoc nomen eodem pacto scriptum inuenitur.

TI. CAESARE TERT. GERMANICO
CAESARE ITER. COS.

Continet autem quædam, quæ ad historiam pertinent, & sane cognitu indigna non sunt. De quo eo libentius mentionem feci, quod qui ea, quæ in lapidibus leguntur, in uolumen redegerunt, & Epigrammata antiquæ urbis inscripserunt, truncum illud, lacerumq; adposuere: in priuata autem domo parieti adfixum est, non longe a porta, quam Diui Galli uulgo appellant. Quod autem ita in multis lapidibus, ac uetustis libris scriptum sit, culpa fabrorum, librariorum q; factum est. nam ueram illam incorruptamq; antiquitatem melius nostri homines reddunt, si Quintiliano credimus, qui primo libro inquit: Et Consoles geminata eadem litera S S, legimus. Quoniam autem ea, quæ sequuntur Quintiliani uerba mendum continent, non patiemur ipsum amplius hunc locum inquinare, præsertim, cum possimus satis tuto (nisi fallor) illud delere In cunctis codicibus legitur, Et suburra cum tribus literis notatur B, tertiam ostēdit: cum legi debeat, C, tertiam. Qui, inquit doctissimus rhetor, per notas Suburra scribunt cum tribus primis literis torum nomen intelligi uelint, non B, tertiam, sed C, scribunt. Quod sane mirum, cū C. in hac uoce Suburra non sit. Differit autem de illis, quæ scribuntur aliter atq; enunciantur. Ita autem, ut nos castigauimus, legi debere ostendit doctissimus Varro lib. v. de lingua Latina ad Ciceronem, Sed ego a pago potius Succusano dictam puto Succusam, nūc scribitur tertia litera C, non B, Qui etiam huius rei rationem reddit, quod antiquitus Succusa appellata sit, quamuis autem postea nomen uariatum esset, ratio tamen illud scribendi permanserat.

PAVL. MANV. Optarem, multæ causæ] Sic antea. nos ex libris manuscriptis uocem, causæ, sustulimus, ut purior & elegan-

tior sit lectu.{Me uoluisse etiam reliquis omnibus postquam non potuerim,mihi ipsi finem fecisse belli}Hic locus antea in omnibus impressis perperam distinctus sensum peruertebat.

SEBAS. CORR. ILlius temporis}Al.illud temporis.{Ne officio deessem}erga Pōpeium.{Ita crudeles}Sic ad Atticum: Me discessisse ab armis nunquam pœnituit:tanta erat in illis crudelitas, tanta cū Barbaris gentibus coniunctio ut non nominatim,sed generatim proscriptio esset informata:ut iam omnium iudicio constitutum esset,omnium uestrum bona prædam esse illius uictoriæ. Epistola I X.libro I I I I.{Amplissimorum uirorum}ut L.Lentuli.{Cœpi suadere.} & quidem cum capitis periculo.{Quadam ex pugna Dyrrachium facta,in qua Pompeius ipse Imperator fuit appellatus.{Contulit} in Thessalia ad Pharsalum {Solus fugit}Larissam.{Cadendū fuit} ut L.Domitio.{Incidendum}ut Pompeio.{Deueniendum} ut Cassio.{Confugiendum}ut Scipioni.{Capiendus}ut Marcello.{Consciscenda mors}ut Catoni.{Alicuius culpa}Pōpeii.Eo duce}Pompeio.{Mitylenas contulissem}ut Marcellus.

BERN. RVT. EGo cum meis,si quicquam nunc cuiuspiam est,etiam in meis esse malui}Forte,etiam in malis.{Tāquam in patria ut essem} Tanquam,uerbum respicit,non patriam.

PHIL. MELA. VAlde dulcis & pura est narratio: in qua exponit quare discesserit a bello. Altius autem orditur a commemoratione, quo consilio ad bellum profectus sit Est autem in extrema parte egregia enumeratio.Inde sequitur epilogus.{Per sæpe mihi} Narratio,in qua exponit,quo consilio profectus sit in bellū, & qua re a bello discesserit.{Discessi ab eo bello}Enumeratio,in qua collatis omnibus periculis,ostendit se id elegisse,quod minimum haberet turpitudinis & periculi.{Hæc ad te scripsi}Epilogus,qui continet causas scriptæ epistolæ, scilicet, quia fuerint amico consilia eius exponenda,& quia uelit apud illum esse defensionis suæ argumenta.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Hortatur Marium,ut cum podagra pacifcatur,ne uexetur ab ea dum cū Cicerone uiuat,& illi ob id operam dare non possit.

M. CICERO M. MARIO S. D. 4

AD VIII.Cal.in Cumanum ueni cum Libone tuo,uel nostro potius: in Pompeianum statim cogito: sed faciam te ante certiorem. te cū semper ualere cupio, tum certe: dum hic sumus: uides enim, quanto post unà futuri sumus.quare si quod constitutum cum podagra habes, fac in alium diem differas.cura igitur, ut ualeas: & me hoc biduo,aut triduo expecta. Vale.

ASCENSIVS. AD.I X.&c.Scribit ex agro ad Marium ad quem se profecturum pollicetur,monens ut cum podagra paciscatur,ne ab ea,dum adierit,uexetur. Sane quia nondum erant Calendæ Iuliæ sed Sextiles,aut certe etiam Cæsare uiuente Iuliæ cœperant appellari,sunt qui Iunias legant.Ordo est.Ego ueni cum Libone tuo uel potius nostro, idest communi amico,in Cumanum,scilicet agrum,ubi Cicero uillā habebat:ad ix.Calend.Iulias aut Iunias.cogito supple ire aut proficisci statim in Pompeianum,ubi Mario erat uilla,sed faciam certiorem ante:scilicet quam uenero.Cum,scilicet ita sit,quod cupio te ualere semper tum idest tunc maxime ita est quod dum idest quādiu,nos sumus hic,idest in agro.Tu enim uides quanto,scilicet tempore post,scilicet hoc tempus,nos sumus futuri una,idest pariter,in unis ædibus.Quare si habes quid constitutum cum podagra, idest habes aliquod commercium transigendum cum ea,hoc est cum dolore pedum tuorum,& ita constitueris ei diem,fac differas in alium diem.Igitur,hoc est ut aperte dicam,cura ut ualeas, & expecta me hoc biduo,aut triduo.i.intra biduum,aut triduum proximum.

BERN. RVT. QVanto post una futuri sumus}multo significat:non, ut Clericus,paulo Epistolam arbitrabas,cum in prouinciam Ciliciam proficisceretur,scriptā,ut præponi proximis duabus debuisset,sed commouit me,quod est ad Appium. Ad X V I.Calen.Iunias Brundusium cum uenissem, Item: Eumque ante Calen.Iunias Brundusium uenire arbitror.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Commendat Cæsari Trebatium diligentissime.

M. T. CICERO C. CÆSARI IMP. S. 5

*VIde quam mihi persuaserim, te me esse alterum,non modo in iis rebus, quæ ad me ipsum sed etiam in iis quæ ad meos pertinent. C.Trebatium cogitaram,quocunque exirem, mecum ducere,ut eum meis omnibus studiis,& beneficiis quam ornatissimum domum reducerem. sed postea quam & Pompeii commoratio diuturnior erat,quam putaram:& mea quædam tibi non ignota dubitatio aut impedire profectionem meam uidebatur,aut certe tardare:uide,quid mihi sumpserim.cœpi uelle ea Trebatium expectare à te,quæ sperasset à me:neque mehercule minus ei prolixe de tua uoluntate promisi,quam eram solitus de mea polliceri. casus uero mirificus quidā interuenit quasi uel testis opinionis meæ, uel sponsor humanitatis tuæ.nam cum de hoc ipso Trebatio cum Balbo nostro loquerer accuratius domi meæ literæ mihi dantur à te.quibus in extremis * scriptum erat,M.Furium,quem mihi commendas,uel Regem Galliæ * faciam,uel Leptæ legatum: si uis tu, ad me alium mitte,quem ornem.sustulimus manus & ego & Balbus:tanta fuit opportunitas,ut illud nescio quid non fortuitum,sed diuinum uideretur.mitto igitur ad te Trebatium: atque ita mitto, ut initio mea sponte,post autem inuitatu tuo mittendum duxerim: hunc mi Cæsar sic uelim omni tua comitate complectare, ut omnia quæ per me posſis adduci ut in meos conferre uelis, in unum hunc conferas.de quo tibi homine * hoc spondeo, non illo uetere uerbo meo,quod cum ad te de Milone scripsissem, iure lusisti, sed more Romano,quomodo homines non inepti loquuntur, probiorem hominem,meliorem uirum, pudentiorem esse neminem. accedit etiam, quod familiam ducit,in iure ciuili singularis memoria,summa scientia.huic ego neque Tribunatum,neque præfecturam, neque ullius beneficii certum nomen peto:beneuolentiam tuam,& liberalitatem peto:neque impedio quo minus,si tibi ita placuerit,etiam hisce eum ornes gloriosæ insignibus.totum denique hominem tibi trado de manu(ut aiunt)in manum tuam istam & uictoria & fide et præstantem.sumus enim * putidiusculi,quam per te uix licet: uerum,ut uideo,licebit.Cura ut ualeas:& me,ut amas,ama.*

*a.l.scriptū erat M.Rufum,uel M.Vrsinium.

*a.l.faciā ut hunc Leptæ de lega.

*a.l.hic.

*a.l.impudētiusculi.

ASCENSIVS. VIde &c.Cæsar,ut Ciceroni gratificaretur, ante bellum ciuile scripserat sibi M Myrtium aut potius M.Rufum a Cicerone missum gratum esse,monueratq; si aliū amicum haberet,quem ad se mitteret, se eundem ornaturum.qua beneuolentia erectus Cice.commendat eidem C.Trebatium iurisconsultum, utiturq; exquisito commendationis genere propterea,quod doctus ad doctum,& de homine docto scribit Ordo est.Vide,idest considera,agnosce o Cæsar,quam, idest quātum,persuaserim mihi,te esse alterum me:idest ut uetum amicum, unum uelle & nolle mecum non modo:idest non solum in iis rebus,quæ pertinent ad meipsum.sed etiam in iis, quæ pertinent ad meos:scilicet amicos,& necessarios Cogitaram ducere mecum quocunque irem,tanquam fidelissimum & iucundissimum hominem: unde ut dixi,callide est commendaturus C.Trebatium, ut reducerem eum domum,scilicet suam,ornatissimum omnibus studiis & beneficiis meis.Sed postea quam & idest simul.commoratio: idest tardatio Pompeii,qui tunc adhuc amicus communis erat, erat diuturnior,quam putaram:scilicet futuram. Et quædam dubitatio forte de uoluntate Pompeii,non ignota tibi,idest quam bene nosti,uidebatur aut impedire profectionem meam,aut certe, idest saltem,tardare:idest differre:uide quid,idest quantum,sumpserim,idest arrogauerim mihi. cœpi uelle Trebatium expectare ea, scilicet beneficia & ornamenta a te, quæ expectasset a me, si, scilicet mecum profectus fuisset. Neque mehercule promisi ei minus prolixe, idest amplius de uoluntate tua: scilicet erga eum,quam eram solitus polliceri de mea: scilicet uoluntate.Videtur cum res sit eadem,pro eodē accipere,promittere & polliceri.Nisi forte rogatus a Trebatio ꝓmiserit,q̄ spōte de se pollicitus fuerat.Casus uero quidā mirificus

interuenit,

interuenit.s.inter supra dictas cogitationes,quasi uel testis opinionis meæ,qua opinabar te esse alterum me,& facturum pro me Trebatio,quantum facturus fuissem,uel sponsor.i.quodammodo obses humanitatis tuæ.Nam cum loquerer accuratius.i.diligentius cum Balbo nostro.s.communi amico de hoc ipso Trebatio s.de quo nunc mentio est:literæ dantur mihi domi.i.cum essem domi a te.s.missæ, quibus.s.literis scriptum erat in ea treuits.s partibus M Rufum &c. uerba sunt Cæs.usq; ad eum locum.Sustulimus manus &c.Ordo est. Ego faciam inquit Cæsar Marcum Rufum quem commendas mihi uel regem Galliæ,qui Gallos regat nomine imperatoris Romani,ut reges eos suo nomine regere solebant,uel legatum Leptæ , quem in Galliam imperatorem mittere constituerat.Si tu uis,mitte alium ad me,quem ornem.s.honoribus & magistratibus.Nos, hoc est , & ego & Balbus,qui tunc aderat sustulimus.i.sursum , hoc est ad cœlos extulimus manus,ut faciunt qui deo gratias agunt, tanta opportunitas fuit.s.munificentiæ oblatæ,ut illud nescio quid.i.incertum oblatum tuum,quia de quocunq; uellem,uidetetur non fortuitum.i.a fortuna cecidisse,sed diuinum.i.diuina prouidentia datum . Nã dei proprium est prouidere:unde interdum prouidentia pro deo ponitur,& deus græce θεὸς theos a theoro quod est inspicio , quia omnia uidet,dicitur.Igitur quia ita polliceris:mitto ad te Trebatium, atq; mitto ita,ut dixerim.i.iudicauerim , initio mittendum sponte mea.i.proprio,ut dicunt,instinctu autem.i.sed,post.i postquam,legi literas tuas,tuo inuitatu.i quia ad hoc me inuitasti O mi Cæsar,ego uelim,sup.ut complectare hunc omni comitate.i.benigna affabilitate tua,hunc.i.Trebatium sic,ut conferas in hunc unum omnia, quæ ut uelis conferre in meos , possis adduci.i.persuaderi per me, De quo homine.s.Trebatio ego spondeo hæc,non illo uetere.i.consueto uerbo meo quod cum scripsissem ad te de Milone, tu lusisti.i. ludendo risisti iure.i.merito,sed more Romano quomodo homines non inepti loquuntur,uidelicet neminem esse hominem probiorem uirum meliorem,prudentiorem.s quam Trebatium. Accedit.i.additur etiam ad eius commendationem singularis memoria in iure ciuili,& summa scientia,quod.i.quæ res,inducit familiaritatem,quia ex tali homine quasi ex promptuario quodam possis quælibet haurire. Ego neq; peto huic tribunatum,neq; præfecturam,neq; certum nomen.i.insigne ullius officii,peto beneuolentiam & liberalitatẽ tuã. Neq; impedio.i.obsto,quominus.i.ut non,ornes eum etiam hisce.i. huiuscemodi insignibus gloriæ,ut sunt tribunatus & præfectura , si placuerit tibi ita Deniq;.i.ut uno uerbo concludam, ego trado tibi totum hominem de manu.aut(ut aiunt)in manum tuam istam præstantem.i.quæ manus tua præstat,& uictoria & fide.Sumus enim pudentiusculi.i.aliquanto plus pudentes,& uerecundi,quam uix licet per te,uerum licebit.ut uideo.i.considero.Locus uidetur mihi obscurus,Nam propter illud,uerum licebit putem legendum impudẽtiusculi.i.aliquanto plus impudentes,quam uix licet per te : uerum licebit aliquando prioris tamen clausulæ bonus est sensus legendo pudentiusculi,ut sit quia omnia obtulisti,ut licet nobis esse pudentibus,sed quomodo licebit? nisi ad aliud referas.Cura, ut ualeas , & me ama ut amas.

VICTORIVS.

MArcum Furium,quem mihi commendas} Ego castigaui. {M.Orfium}Vetus codex in hoc nomine nonnihil mendi continet:potius enim.{Vrsiuium}ibi legas. Nos & ex his uestigiis,& ex loco in episto.ad Q.fratrem Orfium legendum esse censuimus:nam hunc esse apparet.quem cum literis ad Fratrem misit,& quem illi commendat,& Tribunum militum esse dicit in Cæsaris exercitu.Verba autem hæc Cæsaris ita leguntur in omnibus antiquis exemplaribus,ut nos maioribus literis(ut facilius distinguãtur)scripsimus {Quod familiaritatem inducit} Sic omnes uulgati codices,omnino male.Ego ueterem lectionem restitui . {Familiam ducit} Dicitur enim familia iurisconsultorum,familia gladiatorum, familia philosophorum.i.secta.Ad Atticum lib.II. Puto enim me Dicæarcho affatim satisfecisse:respicio nunc ad hanc familiã, quæ mihi non modo ut requiescam permittit,sed reprehendit, quia non semper quieuerim.Ille autem familiam ducere dicitur, quem cæteri eiusdem generis sequuntur ut authorem & ducem:ut in V.Philippica,L.quidem frater eius,utpote qui peregre depugnauerit,familiam ducit In IIII.de Finibus dicit sententiam ducere familiam, quæ maiorem uim habet & maioris est ponderis,& quasi caput aliarum. Sed primum illud uide grauissimam illam uestram sententiam,quæ familiam ducit,Honestum quod sit,id esse solum bonum, honesteq; uiuere bonorum finem:communem fore uobis cum omnibus &c. Non paruæ igitur authoritatis esse dicit Trebatium in iure ciuili, habereq; suos sectatores.Nam quod paulo supra erat. {Prudentiorẽ esse neminem}ego.{Pudentiorem , } ut in melioribus libris inueni, scripsi:loquitur autem & in secunda post hanc epistola de pudore Trebatii.Nam & in alia sic ait:Sæpe autem etiam,quod a te alienissimum est,subimpudens uidebare.

Ex post. eiusdem.

MOrsium}Nonnulli conantur ostendere diuersum hunc esse, de quo hic agit Cæsar,ab eo quem Cicero commendat Q.fratri in epistola,quæ est CCLXXXVII. potius tamen fieri,ut domestici negocii causa ab exercitu discesserit , & Romam uenerit,uel ab Imp.missus fuerit cum autem in Gallias rediret,epistolam ei dederit M.Cice. qua illum fratri conciliaret : nam tunc primo eum ad Cæsarem profectum non esse,illud aperit,quod inquit de hoc ad fratrem scribens,Est Trib. mil.in exercitu nostro. Si enim tunc primum illum ad Cæsarem misisset,ita locutus non esset,nec affirmasset eum Trib.esse:nesciebat enim an id a Cæsare impetraturus esset.Orsium autem ipsum literas Ciceronis ad Cæsarem attulisse,quæ peterent ab eo,ut ipsum Trib.mil.faceret,Cæsaris uerbis intelligitur.{Leptæ delega}Vereor sane ne in his uerbis mendũ sit.nihil tamen ausim immutare:alii uulgatæ lectionis uestigiis hærentes,hunc locum emendare conantur,quod prorsus faciendũ nõ fuit:uerisimile enim est,in uetere scriptura minorem(si ulla est)labem esse:peritiores hoc diligenter considerabunt.Ad Atticum Cicero eundem modum loquendi usurpauit,qui hic est in priscis exẽplaribus.DIIII.Quinto delegabo,siquid æri meo superabit , & emptionibus.Sed etiam aliis in locis.Quare uidendum est an omnis obscuritas.Sed nascatur ex rei ipsius ignoratione.Quod si historiam illius negocii teneremus,omnia plana essent, & in uerbis nullam maculam esse intelligeretur.{Quod familiam ducit } Hunc locum antea mendosissimum castigauimus,elegantissimum modum loquendi,pluribus Ciceronis exemplis adductis,explanauimus.Accusant tamen nonnulli,quod existimarim Ciceronem dixisse, Trebatium ipsum ducere familiam:intelligiq; uolunt (quod non reprehendo)inter alias Trebatii laudes hoc bonum , quod legum scientiam habeat,& in iure ciuili singulari memoria sit , præstare omnibus aliis ipsius bonis,Scio Ciceronem μεταφορικῶς aliis in locis hoc modo dicẽdi usum esse,ut in IIII.de Finib (qui locus a me olim adductus est)cum inquit:Sed primum illud uide grauissimam illã nostram sententiam,quæ familiam ducit,&c.

PAVL. MANV.

MFurium}Varie legitur in libris manuscriptis . Florentini, M.Orfium,impresserunt,arbitrati eum esse de quo in epistola XI.lib.II.ad Q.fratrem.quod mihi secus uidetur. ex hac enim epistola,qua Trebatium commendat,eum ante Trebatium iuisse ad Cæsarem manifestum est . cum autem ad Q.fratrem scribit,dicit se eas literas M.Orfio dedisse , cum iam Trebatius in exercitu Cæsaris esset:quod in iisdem literis postea significat , cum inquit,Trebatium ut ualde ames,uehementer te rogo.{Leptæ legatum}Crederem legendum esse leg.III.legatum,idest,legionis tertiæ legatum,forte enim librarius scripserat,leg te. pro legionis tertiæ:quod deinde is,qui legebat,cum non intelligeret,ex duabus dictionibus unam fecit,& scripsit Leptæ. {Quod familiam ducit} Quod caput est,quod in eo summum est:ut referatur non ad Trebatium,sed ad id quod dicit in iure ciuili singularis memoria,summa scientia.cum enim Trebatium a multis rebus laudasset , memoriam,& scientiam in iure ciuili,cæterarum laudum, quibus Trebatius abundaret,quasi familiam dixit ducere:tralatione sumpta a rectoribus familiarum,quos domestici omnes ueluti duces sequuntur.{Putidiusculi}Paulo,quam satis est diligentiores, excusat enim se,quod in Trebatio commendando plura uerba consumpserit , quã Cæsaris humanitas patiatur,putidum autẽ appellat Cicero , in quo nimia diligentia reprehendi possit,ut de oratore lib.III.calui. nolo esprimi putidius,nolo obscurari diligentius , & de officiis lib.j. XXVII.literæ neq; expressæ,neq; oppressæ,ne,aut obscurum esset,aut nimis putidum legitur autem in nonnullis manuscriptis libris,blandiusculi:sed in antiquioribus quos secuti sumus, putidiusculi.

SEBAS. CORR.

QVocunq; exirem}legatus Pompeii ad rem frumentariam. {Dubitatio}qui & morem illi gerere,& in oculis ciuium esse uellem.{M.Furium}Varie leges M.Rufum,Itcium.Lesinum Ithium,Vsicum,Vrsiuium:ex quibus uerbis colliges legendum M Curtium,quicunq; epistolas ad Q.fratrem uiderit:etsi M.Orfium,nonnulli legunt {Quod.familiam ducit} quasi discipulorum {Impudentiusculi} Al.pudentiusculi , blandiusculi putidiusculi.

BERN. RVT.

VT cum meis communibus studiisq; ornatissimum domum reducerem}Pro communibus,puto legendum omnibus. {Posteaquam & Pompeii commoratio diuturnior erat, quã putaram}Præfectus erat non multo ante rei frumentariæ toto imperio Pompeius,Cicero legationem ab eo acceperat,si uellet . Ipse ad Atticum.Ego me a Pompeio legari ita sum passus,ut nulla re impediret,quin,nisi uellem,mihi esset integrum,aut si comitia Censorũ proximi Coss.haberent,ut petere possem, aut uotiuam legationem susciperem,prope omnium fanorum,ac sacrorum locorum.Sic enim nostræ rationes,utilitates meæ postulabant,sed uolui meam potestatem esse uel petendi,uel ineunte æstate exeundi . & interea me esse in oculis ciuiũ de me optime meritorũ nõ alienũ putaui Et alia episto.Sed heus tu scripserã ne tibi me esse legatũ Pompeio? & extra urbem quidem fore ex Idib.Ianuarii? Visum est hoc mihi ad multa quadrare.{Accedit etiam quod familiaritatem inducit, in iure ciuili singularis memoria,summa scientia}Quidam, quod familiam du

cis:non probo. Nihil igitur muto, distinctione tantum iuuandus locus, ut proposui. nam interpres nugatur. his enim in suam familiaritatem uenisse Trebatium indicat. {Sumus enim putidiusculi, quam per te uia licet} Alibi, putidiusculi. Meus codex recte, pudentiusculi. Quod si etiam impudentiusculi legas, ego ualde probem, propter illud: Verum, ut uideo, licebit. quod Clericus ridicule interpretatur.

PHIL. MELI.

ILla est plena humanitatis, estque scripta ante bellum ciuile. Commendatio est Trebatii. habet breue exordium, inde sequitur narratio, cui additæ sunt rationes, sumptæ ex laudibus Trebatii. {Vnde quam mihi} Exordium ab effectu {C. Trebatium} Narratio, qua occasione Trebatium ipsi commendet. {Hunc mi Cæsar}. Petitio. {De quo tibi} Rationes sumptæ ex laudibus Trebatii.

GILBERTI LONGOLII LEMMA.

Hortatur Trebatium, ut in prouincia perseueret, nec in patriam redire festinet.

M. CICERO TREBATIO S. D. 6

IN omnibus meis epistolis, quas ad Cæsarem, aut ad Balbum mitto, legitima quædam est accessio commendationis tuæ, nec ea uulgaris, sed cum aliquo insigni indicio meæ erga te beneuolentiæ. Tu modo ineptias istas, & desideria Vrbis, & urbanitatis depone. & quo cōsilio profectus es, id assiduitate & uirtute consequere: hoc tibi tam ignoscemus nos amici, quàm ignouerunt Medeæ, quæ Corinthi arcem altam habebant, matronæ opulentæ optimates: quibus illa manibus gypsatissimis persuasit, ne sibi illæ uitio uerterent, quòd abesset à patria: Nam MVLTI suam rem benegessere, & publicam patria procul; Multi, qui domi ætatē agerent, propterea sunt improbati. quo in numero tu certe fuisses, nisi te extrusissemus. sed plura scribemus aliàs. tu, qui cæteris cauere didicisti, in Britannia ne ab essedariis decipiaris, caueto. & quanto Medeam agere cepi, illud semper memento. QVI ipse sibi sapiens prodesse nequit, nequicquam sapit. Cura ut ualeas.

ASCENSIVS.

IN omnibus. Pœnituerat Trebatium profectionis in Galliam, quod Cice. damnat, docens honestius esse rem bene curare foris, quam domi male. Ordo est. Accessio. i. augmentatio quædam legitima. i. iusta, commendationis tuæ, est in omnibus epistolis meis, quas mitto ad Cæsarem, aut ad Balbum. nec ea s. accessio est uulgaris sed cum aliquo insigni. i. singulari indicio. i. significatione beneuolentiæ meæ erga te. Tu modo. i. solummodo, depone istas. s. tuas ineptias & desideria urbis. s. Romæ, & urbanitatis. i. urbanæ ciuilitatis Romanæ, & consequere assiduitate, & uirtute id quo. i. quod, profectus consilio. s. tuo. Nos amici. s. tui ignoscemus tibi, hoc. s. quod rem bene geras foris, tam. i. tantum, quam. i. quantum matronæ opulentæ. i. diuites optimates. i. inter optimas habitæ. Quæ habebant. i. habitabāt, Corinthū, urbem Achaiæ in Isthmo, altam, Vnde Acrocorinthus ea pars dicitur, ignouerunt Medeæ. s. quod extra patriam ageret: prodito enim thesauro paterno seu aureo uellere, & interfecto fratre, Iasonem secuta est, qui Creusam Corinthi regis superduxit filiam quibus. s. matronis illa. s. Medea, manibus gypsatissimis. i. maxime indicantibus eam esse quasi seruā uenalem, eo quod tali amatori inseruiret: nam serui dum uenum dabātur, habebant pedes gypsatos: unde Tibullus, Nota loquor, regnum ipse tenet, quam sæpe coegit Barbara gypsatos ferre catasta pedes ingenui autem ligulā nigræ alutæ intexebant: ancillæ uero uidentur, ne inhonestum sit pedes ostentare, manus habuisse gypsatas. aut gypsatas intelligemus ex opere assiduo. persuasit. i. ad hoc induxit, ne illæ. s. matronæ uerterent sibi uitio, quod abesset a patria: docuit enim, qui mores hominum multorum uiderint & urbes, meliores euadere. Nam multi bene gessere rem suam i. propriam, procul a patria, multi qui agerent ætatem domi sunt improbati propterea. In quo numero. s. improbatorum, tu certe fuisses, ni extrusissemus te. i. ui quadā exire coegissemus. Sed nos scribemus alias plura. Tu qui didicisti cauere cæteris. eo quod sis iurisperitus: in Britannia, ubi tunc Cæsar agebat, nunc dicitur Anglia, caueto ne decipiaris ab essedariis. i. carrucariis, hoc est qui esseda. i. uehicula agunt quibus homines in Anglia uehuntur de oppido in oppidum, quod genus hominum ubique cauillosum esse solet, ne dum in Anglia. Et quando. i. quoniam, cœpi agere Medeam. i. citare quæ in fabula Medeæ habentur: mementō semper illud. Qui sapiens nequit ipse prodesse sibi sapit ne quicquam. i. nullo modo sapiens. Cura ut ualeas.

VICTORIVS.

ET quando Medeam agere cœpi, illud semper memento, Qui ipse sibi sapiens prodesse nequit, nequicquam sapit} Ita loquitur Cicero, ut aperte ostendat, hæc uerba e Medea fabula sumpta esse. uersiculum autem Græcum, unde expressa sunt, posuit in epistola ad C. Cæsarem qua commendauit Præcilium, & illum Euripidis esse docet. Itaque ab Homeri magniloquentia confero me ad uera præcepta Εὐριπίδου, μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός. Eundem etiam Plutarchus in commentario, quo disseruit si honeste uti literis pronunciatum est τῷ λάθε βιώσας. nec tamen in Græca Euripidis Medea hic senarius inuenitur quomodo hic nodus dissolui possit, fateor me ignorare. Nonius Marcellus cum Ennii testimonium e Medea adduceret, fabulæ illius nomen {Medea exul,} esse noluit, atque id duobus in locis, in Eliminate semper: sic enim eū locum aliquantulum deformatum legendum arbitrantur: Ennius Medea exule,

> Antiqua herilis fida custos corporis.
> Quid sic ante ædes exanimata eliminat?

Quin autem intelligat Medeam fabulam quam hodie habemus, Euripidis, dubium esse non potest. nam sententia illa ex his uersibus, qui a custode liberorum Medeæ cum eiusdem nutrice loquente pronunciantur, accepta est,

> Παλαιὸν οἴκων κτῆμα δεσποίνης ἐμῆς,
> Τί πρὸς πύλαισι τήνδ' ἄγουσ' ἐρημίαν,
> Ἕστηκας, αὐτὴ θρηνουμένη σαυτῇ κακά.

Tertio adhuc loco in {Cernere} Nonius Medeam exulem, hanc fabulam uocat. Ennius Medea exule,

> Nam te sub armis malim uitam cernere.

Esse autem hanc sententiam in Græca, quam habemus, notissimū est. Inde autem quispiam suspicari posset duas Medeas scripsisse Euripidem, ambasque Ennium expressisse, in Græco poeta tituli illius uestigium nullum, quemadmodum Iphigeniæ, de qua cū duas fabulas confecisset, nominibus quoque ipsas separauit. Docti uiri totam hanc rem accurate cogitabunt, ego scrupulum, qui me diu sollicitum habuit, aliis notum facere uolui.

SEBAS. CORR.

IGnouerunt Medeæ} Lege Politianum cap. XXVII. Misc. {In Britannia} ubi illum iam esse credebat Cicero. {Essedariis} militibus Britaunicis, esse dis pugnantibus {Qui ipse sibi, &c } Carmen Euripidis uide in episto. XV. lib. XIII. unde hoc Ennius transtulit.

BERN. RVT.

HOc tibi tam ignoscemus nos amici, quam ignouerunt Medeæ} Sequentia uerba ex ueteri quapiam tragœdia sumpta sunt, uidelicet, Quæ Corinthum arcem altam habebāt matronæ opulentæ, optimates. quibus illa manibus gypsatissimis persuasit, ne sibi illæ uitio uerterent, quod abesset a patria Nam multi suam rem bene gessere, & publicam patria procul. multi, qui domi ætatem agerent, propterea sunt improbati. Item ea in fine: Qui ipse sibi sapiens prodesse nequit, nequicquam sapit Id ipsa Ciceronis uerba indicant: Quando Medeam, inquit, cœpi agere. quod non intelligit Clericus. Notasse idem ante nos Politianum cōperimus. In quibus tamen uerbis uide ne Corinthi, genitiuo Græco legendum sit. Acrocorinthum dictam eam arcem, plerisque Geographis constat.

PHIL. MELI.

IN omnibus meis epistolis} Obiurgat Trebatium impatienter ferentem molestias peregrinationis Et hortatur eum, uerbis sumptis ex tragœdia, quæ testantur multos extra patriam bene consuluisse suis rebus Iocatur cum homine amico. {Quæ Corinthū} Sunt mutilati uersus Ennii, & sunt tantum membra uersuum. Idem uersus sunt Græce apud Euripidem in Medea. {Gypsatissimis}. i. candidissimis. {Cæteris cauere} Cauere est hoc loco, dare consiliū dicenti in iudicio, ne committas in leges.

Ex miscellaneis Angel Politiani, cap. xxvii.

HOc tibi tam ignoscemus nos amici, quam ignouerunt. Medeæ, quæ Corinthum altam arcem habebāt matronæ opulentæ optimates, quibus illa manibus gypsatissimis persuasit, ne sibi uitio illæ uerterent, quod abesset a patria.

> Nam multi suam rem bene gessere, & publicam, patria procul:
> Multi qui domi ætatem agerent, propterea sunt improbati:

Nemo ea his, quorū edita sit senteotia, suspicatus est adhuc nō esse ista plane Cic. uerba, sed poetæ alicuius magis, cui liceret uti uocibus istiusmodi, figurisque, ceu sunt illa. Quæ Corinthum arcem altā habebant, & matronæ opulentæ optimates: neque saltē hoc uiderūt iambos adhuc in his uersibus extare integros duos, aliorumque quasi discerpta membra ueluti noscitari. Nos hæc ex Ennii Medea uerba esse collegimus, nō quidē suo prorsus ordine, sed quo cōmodissimum Ciceroni fuit, allegata. Nam cum de Græca Euripidis uersam ab Ennio Medeā in Latinum cognouissemus, sententiam protinus horum uerborum, de ipsa nimirum Euripidis tragœdia (quando

illius

illius Ennianæ lasturam fecimus) libuit aucupari. Sic igitur in ea fabula cum matronis Corinthiis loquens inducitur Medea, uti persuadeat non sibi uerti uitio oportere, quod absit a patria: quando multi, inquit, honesti etiam procul a patria, multi contra domi fuerunt inglorii. Nam male audiebant peregrinæ fœminæ. Vnde illud Comicum, Adeon est demens, ex peregrina? Similiter taceri posse ait Parmeno, Samiam fuisse Thaidis matrem, tunc Athenis oistitantis. Versiculos autem Euripidis ipsos, ex Medeæ persona, nequis fortasse desideret, hic adscribemus.

Κορίνθιαι γυναῖκες ἐξῆλθον δόμων,
Μή μοί τι μέμψησθ', οἶδα γὰρ πολλοὺς βροτῶν
Σεμνοὺς γεγῶτας, τοὺς μὲν ὀμμάτων ἄπο,
Τοὺς δ' ἐν θυραίοις, οἱ δ' ἀφ' ἡσύχου ποδὸς
Δύσκλειαν ἐκτήσαντο, καὶ ῥᾳθυμίαν.

Plura uide apud ipsum Politianum, loco iam indicato.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Epistola familiaris, & iocosa. Exponit enim qua diligentia Trebatium commendet, Dat & rationem, qua in Cæsaris familiaritatem citius asseri possit.

M. CICERO TREBATIO S. D. 7

EGo te commendare non desisto: sed quid proficiam, ex te scire cupio. spem maximam habeo in Balbo: ad quem de te diligentissime, & sæpissime scribo. Illud soleo mirari, non me toties accipere tuas literas, quoties à Q. fratre mihi afferuntur. In Britannia nihil esse audio neque auri, neque argenti. id si ita est, essedum aliquod suadeo rapias, & ad nos quamprimum recurras. sin autem sine Britannia tamen assequi id, quod uolumus, possumus: perfice, ut sis in familiaribus Cæsaris: multum enim te in eo frater adiuuabit meus, multum Balbus, sed mihi crede, tuus pudor, & labor plurimum. imperatorem liberalissimum habes, ætatem opportunissimam, commendationem certe singularem: ut tibi unum timendum sit, ne ipse tibi defuisse uideare. Vale.

ASCENSIVS. EGo te commendare. Declarat diligentiam suam in commendando Trebatio, iocaturque cum eo, ut legendo patere poterit. Ordo est Ego non desisto commendare te, scilicet Cæsari, sed cupio scire ex te, quid proficiam, id est quantum commendatus sis Cæsari, ego scribo sæpissime. spem maximam habeo, scilicet de te conceptam. Soleo mirari illud uidelicet, me non accipere toties literas tuas, quoties afferuntur mihi, supple literæ non tuæ sed illius, a Quinto fratre. Ego audio nihil esse in Britannia neque auri neque argenti, quasi dicat per iocum te illic nihil lucrari. Id si est ita, id est si nihil est auri ac argenti, suadeo, supple ut capias aliquod essedum, id est pileorum aut uehiculum, & recurras ad nos quamprimum, id est ualde cito. Sin autem, id est sed si, tamen, id est nihilominus, nos possumus assequi quod uolumus, id est te per Cæsarem ad gloriam & honorem promoueri: perfice, ut sis in familiaribus, id est in numero familiarium Cæsaris. Enim, id est quia, frater meus, scilicet Quintus, adiuuabit te multum in eo scilicet ut sis in familiaribus Cæsaris, Balbus adiuuabit te multum, sed crede mihi, pudor, id est uerecundi mores, & labor tuus, supple iuuabunt te plurimū in eo. Tu habes Imperatorē .s. Cæsarem, liberalissimum, ætatem, scilicet tuam iuuenilem opportunissimam, scilicet ad laborem, habes certe, id est haud dubitanter, commendationem singularem, scilicet a me: ut unum sit timēdum tibi uidelicet ne ipse, id est tute uideare pro uidearis, defuisse tibi .i. utilitati tuæ.

SEBAS CORR NEque argenti} Sic ad Atticum: Etiam illud iam cognitum est, neque argenti scrupulum esse ullum in illa insula, neque ullam spem prædæ.

PHIL. MELA. EGo te commendare} Iocatur in Trebatium, quem pecuniarū auidum esse nouerat. {In Balbo} Hic Balbus fuit familiarissimus Cæsari, quem Cicero aliquando defendit.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Obiurgat Trebatium, quòd commoda tribunatus contempserit.

M. CICERO TREBATIO S. D. 8

SCripsit ad me Cæsar perhumaniter, nondum te sibi satis esse familiarem propter occupationes suas, sed certe fore. cui quidem ego rescripsi, quam mihi gratum esset futurum, si quamplurimum in te studij, officij, liberalitatis suæ contulisset. sed ex tuis literis cognoui præproperam quandam festinationem tuam: & simul sum admiratus, cur Tribunatus commoda, dempto præsertim labore militiæ, contempseris. querar cum Vacerra, & Manilio: nam Cornelio nihil audeo dicere: cuius tu periculo stultus es, quando te ab eo sapere didicisse profiteris. quin tu urges istam occasionem, & facultatem, qua melior nunquam reperietur. Quod scribis de illo Prætiano iureconsulto, ego te ei nō desino commendare. scribit etiam ipse mihi, te sibi gratias agere debere. de eo quid sit, cura ut sciam. Ego uestras Britannicas literas expecto. Vale.

ASCENSIVS. SCripsis ad me &c. Argumentum patet Ordo est Cæsar scripsit ad me perhumaniter, se nondum esse satis familiarem tibi propter occupationes suas: sed fore idest futurum, certe idest infallibiliter. Cui quidem ego rescripsi, quam idest quantum gratum esset futurum mihi si contulisset in te idest si benefice tribuisset, quamplurimum idest ualde multum studii officii supple & liberalitatis suæ Sed ego cognoui ex literis tuis quandam festinationem tuam præproperam, idest nimis properantem, & admiratus sum simul, cur contempseris commoda tribunatus, præsertim labore militiæ dempto. Hoc per iocum dicit. quod uero Trebatius tribunatum affectauerat priusquam meruerit, aliis serio dictum placet Querar cum Vacerra & Manilio .s. communibus amicis, quibus te commendaui scilicet quod te permittunt ita desipere. Nam nihil audeo dicere Cornelio, cuius cum periculo tu stultus es quando idest quandoquidem, tu profitearis te didicisse sapere ab eo, & ita si tu erras etiam ille errat, unde cum periculo eius stultus es, siue eo consultore tribunatus oblatum spreueris, siue immeritum affectaueris. Quin idest cur non, cur tu non urges idest instanter persequeris istam occasionem & facultatem .s. obtinendi tribunatus, qua nunquam reperietur melior. Quod scribis de illo Prætiano, aut proprium est nomen aut a loco, aut a precio deductum, notum Trebatio, qui petiit se ei commendari iureconsulto, ego non desino commendare ei te. Ipse etiam scribit mihi se debere agere gratias sibi, eo quod de te bene meritus sit. Cura ut sciam, de eo quid sit Ego expecto literas uestras Britānicas idest e Britannia, & de rebus Britannicis, a te, & a fratre scriptas.

SEBAS. CORR. TE sibi} Al. tibi. {Manlio} Torquato, ad quem scribit Catullus, nisi fallimur. {Cornelio} Epistola sequenti. {Britannicas} Credebat Ci. Trebatiū cū Cæs. in Britanniā profectū.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Hæc epistola respondet superiori, cuius initium, In omnibus meis epistolis &c.

M. CICERO TREBATIO S. D. 9

IAndiu ignoro, quid agas: nihil enim scribis: neque ad te his duobus mensibus scripseram. quia cū Q. fratre meo non eras, quo mitterem, aut cui darem, nesciebam. cupio scire quid agas & ubi sis hyematurus: equidem uelim cum Cæsare: sed ad eum propter eius occupationes nihil sum ausus scribere: ad Balbum tamen scripsi. tu tibi deesse noli. serius potius ad nos dum plenior. quod hus properes, nihil est, præsertim Vacerra mortuo. sed tibi consilium non deest. quid constitueris cupio scire. Octauius, an Cn. Cornelius quidem, tuus familiaris, summo genere natus terræ filius, is me, quia scit tuum familiarem esse, crebro ad cœnam inuitat: adhuc non potuit perducere: sed mihi tamē gratum est. Vale.

ASCENSIVS.

Andiu ignoro quid agas. Nihil enim scribis: neq; ego cripseram ad te his duobus mensibus quia non eras cũ Quinto fratre meo: nesciebam quo, idest ad quem locum mitterem, aut cui darem. cupio scire quid agas, & ubi sis hyematurus, idest hyberna tempora transacturus. Equidem, idest ego quidem, uelim sup. ut sis hyematurus cum Cæsare, sed nihil ausus sum scribere ad eum propter occupationes eius, scripsi tamen ad Balbum. Noli tu deesse tibi, idest utilitati tuæ Redi sup. ad nos potius serius, idest tardius, quam sup. citius, dum idest dummodo: sup. redeas plenior s. rebus, & honoribus. Nihil est quod, idest propter quod, aut quid idest cur properes, idest festines huc idest Romã præsertim Vacerra, qui tibi prodesse poterat, mortuo. Sed consilium nõ deest tibi Cupio scire quid constitueris: sup. facere. Cn. Octauius, aut Cn Cornelius sup. incertum est Quidem. i. certe, familiaris tuos natus summo genere, quia filius terræ, idest homu minime generosus qui nescit an se Octauiorum an Corneliorũ familiæ menitatur, cum proximiorem nesciat citare propinquitatẽ, quam quod sit filius terræ. filii autem terræ habebantur, qui originem suam nesciuerunt ignobilissimi, ut gigantes qui cum uasto essent corpore filii terræ dicebantur: ad quod alludens Iuuen. dicit. Vnde fit ut malim fraterculus esse gigantum i. ignobilissimus, quã ob nobilitatem periclitari. Is s. homo uanus, quia scit me esse familiarem tuum, inuitat me crebro ad cœnam sed sup. non potuit adhuc perducere. s. me ad cœnam suam. Sed tamen gratum est mihi quod eu. s. animo fit. Multa autem ad Trebatium sic scribit Cicero, ut nescias ioco ne an serio loquatur.

VICTORIVS.

Sed ad eum propter eius occupationes nihil sum ausus scribere} Ipse huic loco mendi notam adposui, quod fortasse multi mirati sunt, cum sententia loci satis plana, & aperta sit. reprehenderent etiam, nisi quid me hoc ut facerem impulerit, explicassem Primo scire debent omnes me uocem illam. {Occupationes} in nullis paulo antiquioribus, libris nedum uetustissimis legisse, quod mihi originem attulit suspicionis. Deinde cum accuratissime considerassem, non mihi uisa est satis digna causa esse, quæ retraheret Ciceronem a scribendo occupationes Cæsaris. nam sæpe ad eum Cicero scribebat, cum ille mirifice Ciceronis literis delectaretur, & ipsas omni ratione eliceret. nec ea tempestate ullo maiore negocio impediebatur, ut cauere deberet, ne ob id illi molestus esset. nec tamen tantum temporis in legendis amicorum literis collocatur, ut non quiuis occupatissimus se ab illis de omnibus rebus certiorem fieri uelit. Maius igitur quiddam esse putaui quod Ciceronem ab instituto suo deduceret: & ut libere omnem meam suspicionem proferam, si aliquando coniectari datum est, putarim. {Propter eius luctum} legendum esse. Constat enim hoc tempore Cæsaris filiã mortuam esse, quæ Pompeio nupta erat, Iuliam scilicet, quod etsi ualde notum sit, tamen uerba Dionis historici de hac re ponemus.

ἐν δὲ τῷ αὐτῷ τούτῳ χρόνῳ καὶ ἡ τοῦ πομπηίου γυνὴ θυγάτηρ ... τε καίσαρος ἀπέθανε· καὶ αὐτὴν εἴτε διαπραξαμένων τῶν τε ἐκείνου καὶ τῶν τοῦ καίσαρος φίλων εἴτε καὶ ἄλλως πῶς χαρισαμένων πολὺ ἐθελονταὶ τὸν συναρπάσας, ἐπειδὴ τάχιστα τὸν ἐν τῇ ἀγορᾷ ἐπαινον ἔτυχε, καὶ ἐν τῷ ἀρείῳ πεδίῳ ἔθαψαν, καίτοι τοῦ δομιτίου ἀντιπράττοντος καὶ λέγοντος ἄλλα τε καὶ ὅτι οὐχ ὅσιον ἐν τῷ ἱερῷ τόπῳ αὐτὴν πρὸς ψηφίσματος ταφῆναι.

Dicit etiam lib. III. ad Quintum, se ad Cæsarem non te scripsisse propter eius luctum, de obitu filiæ intelligens. Ex Britãnia Cæsar ad me Cal. Septem. dedit literas, quas ego accepi IIII. Calen. Octob. satis commodas de Britãnicis rebus, quibus ne admirer, quod a te nullas acceperim scribit, se sine te fuisse, cum ad mare accesserit. Ad eas ego ei literas nihil rescripsi, ne gratulandi quidẽ causa, propter eius luctum De hac eadem re intelligit etiam illo loco ad Quintum, de uirtute, & grauitate Cæsaris, quam in summo dolore adhibuisset, Magnam ex epistola tua accepi uoluptatem. Nam & ipse Cicero ad Dolabellam scribens de morte Tulliæ, non dum satis confirmatum se dicit ad scribendum, impedit enim officia mœror: & prouidi omnes homines, eos qui in dolore, & luctu sunt propter carissimarum personarum interitum nolunt afflictos, & perturbatos, amplius perturbare, & in ulla re illis molesti esse. Hæc est causa cur stellarum posuerim, ut lector. s. locum illum attentius, accuratiusq; examinet: nec tamen coniecturis fretus receptam lectionem delere uolui etsi eam nullo modo probo. si enim ulla reponenda est uox, ut defectum illum suppleat, nostram potiorem iudico. Sed tamen iudicio eruditorum stare nolo. {Cn. Octauius est tuus familiaris} Hæc uerba addidimus ex uetustis codicibus. {An Cn Cornelius quidem} quæ ab Angelo olim Politiano dum hunc locum citaret, etiam restituta fuerant cap. XVIII. suorum Miscellaneorum habuimus enim & nos perueterem illum codicẽ, quẽ Philelphi fuisse dicit, qui etiam nunc in bibliotheca Medicea cum multis, nobilissimisq; librorum uoluminibus custoditur, & illũ itẽ non adeo ueterem, qui in diui Marci bibliotheca adhuc manet. Quorum ille maxime auxilio nõnulla corrigit: & quibus nos quæcunq; fere in his castigauimus, accepta referimus. Non sine autem ocinia hæc uerba ostendunt enim illum sibi adeo ignotum esse, ut ne nomen quidem hominis accordetur, ut si uellet eum proprio nomine appellare, nesciret utro, cum diuersa inter se sint, nominaret.

Ex poste. eiusdem.

Propter eius occupationes} Accurate de hoc loco in nostris explicationibus disseruimus, & quomodo legi posset non inepte (ut arbitror) ea historia indicauimus quare nihil ad ea quæ tunc a me dicta sunt, addimus: defendemus tantum ipsa ab argumentis, quæ contra ea a nonnullis excogitata sunt. In duobus meis antiquissimis, & optimis codicibus (in quibus illius uocis nullum uestigium manet) nihil spacii relictum est, quo recipi aut illa, aut alia possit, quemadmodum illi in suis relictum esse narrant. Quod Græcam potius uocem deesse credunt, quam Latinam, id paruam, aut nullam uim habet: quasi non sæpe in scribendo dictio aliqua imprudẽtia prætermittatur, quemadmodum in optimis his etiam libris factum esse quandoq; ostendimus Græcas uoces Latini librarii scientes omittebant, sermonis inscitia, sedem tamen illis, ac regionem, in qua collocari possent, relinquebant: quod hic factũ non est ut testimonio Medicei codicis, & alterius, non multo deterioris comprobauimus. Addo etiam, in Latinis autoribus quandoq; uoces Græcas abundare, non solum deesse quod docuisse: ad id quod uolumus probandum, accommodatum erit, & sua sponte etiam gratum esse debebit Quintil. lib. I. Noto quidem illo, ut traditur, uersu ex Philocteta frequenter usus, Turpe esse tacere, & Isocratem pati dicere Sic enim legi debet, non ut in omnibus impressis codicibus. Id autem & ratio docet, & uetera exemplaria confirmant: Versus autem, qui importune inculcatus erat, intelligi hic, nõ legi debet: interpretatur enim illum diligẽter Quintilianus, quod non faceret, si in suo libro posuisset Eodem modo apud eundem autorem peccatum erat lib VIII Sic autẽ legi debet, Neq; alio Platonis inuenta sunt quatuor illa uerba, quibus in illo pulcherrimo operum in Piræeum descendisse significat plurimis modis scripta. Voces enim illæ Græcæ κατέβην χθὲς εἰς πειραιᾶ intelligi debent, non adponi.

PAVL. MANV.

Propter eius occupationes nihil sum ausus scribere} In duobus uetustissimis codicibus non est uox illa occupationes. sed eius loco spacii aliquantum est relictum. ex quo credimus, a recentioribus, quorum imperitia deprauati leguntur ueterum scriptorum libri, uocem, occupationes, esse repositam nos, quid ea dictio, quam, in ea scribendo librarius omisit, significare potuerit, assequi coniectura non possumus, Græcam quidem uocem deesse crediderim. id enim uerisimilius est, quam latinam, ut etiam alibi cognoscitur in ipsius Ciceronis scriptis, ubi Græcum desideratur ex scriptorum inscitia, qui cum id legere non possent, omittebant, relicto spatio, ut ab aliis aliquando reponeretur.

BERN. RVT.

Propter eius occupationes} propterea, legitur in ueteribus libris. uir tamen doctus sic legendum censet. {Propter eius luctum} nam mortua erat eo tẽpore Iulia. {An Cn.} Al. aut Cn {Terræ filius} Politianus cap. XVIII. Misc. & Cælius lib. II. cap XXVIII. plura scribunt.

PHIL. MELÃ.

Quid huc properes, nihil est, præsertim Vacerra mortuo} Quod hic, uera lectio. ut & mox. Est, quod gaudeas Vacerram supra familiarem Trebatii ostendit. Quærat inquit, cum Vacerra & Manilio. {Summo genere natus, Terræ filius} Sic ad Atticum: Et huic terræ filio, nescio cui, committere epistolam tantis de rebus non audeo.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Vrbanis quibusdam iocis subinuehitur in arrogantiã, auaritiã, timiditatemq; Trebatii. Deinde petit, ut a Trebatio certior fiat, quo in statu res illius sint, quidq; commendationes apud Cæsarem promouerint.

CICERO TREBATIO S. D. 10

Legi tuas literas: ex quibus intellexi te Cæsari nostro ualde iureconsultum uideri. est quod gaudeas, te in ista loca uenisse, ubi aliquid sapere uiderere. quod si in Britãniam quoque profectus esses profecto nemo in illa tanta insula peritior te fuisset. ueruntamen (uideamus licet, sum enim à te inuitatus) subinuideo tibi, ultro te etiam accersitum ab eo, ad quem cæteri, non propter eius superbiam, sed propter occupationem, aspirare non possunt, sed tu in ista epistola nihil mihi scripsisti de tuis rebus: quæ mehercule mihi non minori curæ sunt, quam meæ. ualde metuo, ne frigeas

gea

geas in hybernis. quamobrem camino luculento utendum censeo. Idem & Mutio, & Manlio placebat, & præsertim qui sagis non abundares: quanquam uos nunc istic satis calere audio. quo quidem nuncio ualde mehercule de te timueram. sed tu in re militari multo es cautior, quam in aduocationibus, qui neque in Oceano natare uolueris studiosissimus homo natandi, neque expectare essedarios, quem antea ne andabatam quidem defraudare poteramus. sed iam satis iocati sumus. Ego de te ad Cæsarem quam diligenter scripserim, tute scis: quam sæpe, ego. sed mehercule iam intermiseram, ne uiderer liberalissimi hominis, meiq; amantissimi uoluntati erga me diffidere. sed tamen his literis, quas proxime dedi, putaui esse hominem commonendum. id feci. quid profecerim, facias me uelim certiorem, & simul de toto statu tuo, consiliisq; omnibus: scire enim cupio, quid agas, quid expectes, quam longum istum tuum discessum à nobis futurum putes: sic enim tibi persuadeas uelim, unũ mihi esse solatium, quare facilius possim pati te esse sine nobis, si tibi esse id emolumento sciam. sin autem id non est, nihil duobus nobis est stultius: me, qui te non Romam attraham: te, qui non huc aduoles. una mehercule nostra uel seuera, uel iocosa congressio pluris erit, quam non modo hostes, sed etiam fratres nostri Edui. quare omnibus de rebus fac ut quamprimum sciam. Aut consolando, aut consilio, aut re iuuero. Vale.*

*a.l. Antea ne anabata.

ASCENSIVS. LEgi literas &c. Scripserat Trebatius magnam esse de se apud Cæsarem opinionẽ de peritia iuris ciuilis, in quo Cic iocatur oone cum Trebatio, & cum familiariter ridet multis de rebus: deinde dicit se uelle scire quantum profecerint commendationes suæ, ac demum consulit, ut utilitati suæ consulat aut manendo diutius cum Cæsare, aut redeundo quamprimum. Ordo est: Legi literas tuas, ex quibus intellexi te uideri Cæsari nostro, scilicet communi amico & patrono, ualde iurisconsultum idest consultum in iure dicendo, aut consultum idest peritum iuris. Est quod idest propter quod gaudeas idest gaudere possis, te uenisse in ista loca, ubi uideare sapere aliqd. q.d. per iocum si Romæ esses, nihil sapere uidereris. Quod si profectus esses quoque idest etiam in Britãniam, profecto nemo fuisset peritior te in illa tanta insula, quæ reuera maxima & potentissima est. Veruntamen licet idest licitum est supple ut rideamus idest ioco loquamur: sum enim inuitatus scilicet ad ridendum a te, scilicet per literas tuas ridiculas. Subinuideo idest latenter aut aliquantulum inuideo tibi te esse accersitum idest aduocatum & assumptum in familiaritatem ab eo scilicet Cæsare, ad quem cæteri non possunt aspirare idest spem perueniendi habere non propter superbiam eius, sed propter occupationem eius. Sed tu nihil scripsisti mihi de tuis rebus in ista epistola scilicet tua quæ scilicet res tuæ sunt mihi, mehercule non minori curæ quam meæ scilicet res. Ego metuo ualde ne frigeas idest torpeas potius otio quam frigore in hybernis idest locis ubi hyemabis, quamobrem censeo utendum scilicet tibi, camino idest igni luculento idest claro. allegoricos, ut reor, aut ad hortatorem ad uirtutem intelligit, aut igniculum gloriæ. Est autem caminus ignis ipse in foco, non fumarium, quod uulgus caminum uocat. Idem scilicet ut camino utaris placebat Mutio, & Manlio communibus amicis meis, præsertim supple tibi, qui non abundares sagis idest tegminibus militaribus, quæ uillosa sunt: quanquam ego audio uos satis calere istic scilicet ubi estis, calore quidem auaritiæ, uel potius metu nauigationis & belli quo licet præcordia frigeant, facies tamen sudare solet. Quo nuncio scilicet de metu belli ineundi, ego mehercule timueram ualde de te. Sed tu es multo cautior in re militari, quæ in aduocationibus. Quia in re militari non commisit se periculo aut labori, in aduocationibus præstandis sæpe operam perdiderat, quia melius aliis quam sibi prospexit: unde addit Cicero quia neque uolueris natare in Oceano: homo idest cum sis homo studiosissimus natandi, sed in Tyberi. Oceano autem natare non solent nisi qui naufragium fecerint, unde sensus mihi uidetur. Trebatium non esse ingressum Oceanum, nec Britãniam profectum timore naufragii: unde prius dixerat, Quod si in Britãniam quoq; profectus esses &c. Neque uolueris expectare Essedarios idest gubernatores curruum qui contumeliosi & iniuriosi fere, sunt quẽ non antea ne quidem idest non saltem, andabatam idest more andabatarum qui (autore diuo Hieronymo in prima epistola ad Iouinianũ) oculis clausis pugnat, clausos oculos habentem, poteramus defraudare cum esses callidissimus, unde nunc cautior factus uidetur, eo quod ne uidens quidem ausus sit expectare, Essedarios Britannicos uidet erga quod non sit profectus in Angliam aut propter periculũ maris aut propter petulantiam Essedariorum, qui sunt in Britãnia. Sed nos sumus iam satis iocati idest per iocum locuti. Tute idest tu ipse scis, quã idest quantum diligenter ego scripserim de te ad Cæsa. q.d. tu scis quantum id tibi profuit, quod si multum profuit etiam me multum diligenter scripsisse scis, aut iudicas. Ego scio quã, idest quantum, sæpe supple scripserim quasi dicat sæpissime. Sed mehercule ego iam intermiseram idest ad tempus omiseram ad Cæsarem de te scribere, ne uiderer diffidere uoluntati erga me, hominis liberalissimi & amantissimi mei: scilicet Cæsaris. Sed tamen putaui hominem esse commonendum his literis, quas dedi: scilicet ad eũ proxime idest nuperrime, & feci idest commoui eum. Velim supple ut facias me certiorẽ quid profecerim: idest utilitatis tibi fecerim, mittendo ad eum literas commonitorias, & simul supple facias me certiorem de toto statu tuo, & consiliis omnibus. Cupio enim scire qd agas quid expectes idest quid boni speres tibi futurum, quam longũ putes futurum istum discessum tuum a nobis. Velim. u. sup. ut persuadeas tibi, idest firmiter credas sic, unum solatiũ esse mihi. i. me habere unum solatium de absentia tua, quare. i. ob quod, possim pati facilius idest minus moleste, te esse sine nobis, si uidelicet sciam, id uidelicet te sine nobis esse: esse tibi emolumento idest lucro & cõmodo: Sin autem: idest sed si, id non est. i. nullum est tibi emolumẽtum ex absentia, nihil est stultius nobis duobus: me scilicet nihil est stultius, qui non attraham te Romam, & te, qui non aduoles, idest quã celerrime uenias Romam. Mehercule una congressio nostra uel seuera, uel iocosa, erit pluris, idest maioris precii ac ualoris seu æstimationis, propter uoluptatem, quam ex ea experimus, quam supple sint non modo, idest non solum hostes: scilicet Britãni, quorum cõgressio, si uicti fuerint, plurimi esset facienda: sed uidet Trebatium, qui uisus est eorum congressum uitauisse, sed etiam Hedui populi in Burgundia fratres nostri, idest populi Romani, antiquo iure: unde grata deberet esse Trebatio congressio hospitalis cum illis, aut sensus est, pluris faciendum Ciceronis & Trebatii congressum, quã illius & hostium aut sociorum populi Romani, cum hostes timeat, sociis parum charus aut clarus sit, Sane ut Cornelius Tacitus libro XI. scribit: Hedui primi senatorum ius in orbe adepti sunt, datum id fœdere antiquo. & quia soli Gallorum fraternitatis nomen cum populo Roman usurpant, quod etiam Plutarchus in uita Cæsaris attestatur, Quare fac ut sciam quamprimum idest ualde cito, de rebus tuis: nam supple iuuero te aut consolando, aut consilio aut re. i. auxilio & ope. Vale.

VICTORIVS. QVem antea ne Andabatam quidem} nos hic communẽ, uulgatamq; lectionem secuti sumus, nulla re ab antiqua diuersam. alii {Ne anabata quidem} legendum putant, permutato uocabulo, & casu. Nos tutius affirmare possumus de integritate huius uerbi, quam de significatu respondere. Nonius certe sæpe Varronem Andabatis citat Erasmus putat hic Andabatam uim prouerbii habere, quo etiam sæpe Diuus Hieronymus usus sit, quos locos diligenter ille colligit, ut cum nihil amplius uiderim, malim, ea ab eo peti, quam hic nulla necessitate describere. Nec tamen uir ille eruditissimus potuit originem huius prouerbii aperire, fuerint enim populi Anabatæ clausis oculis pugnare soliti, an gladiatores quidam, qui sic in aduersarium tẽderent, seu potius lusus genus, se non compertum habere ingenue fatetur, etsi in ultimam sententiam potius inclinat.

PAVL. MANV. AVt consolando, aut consilio, aut re iuuero} Senarius integer e Terentii Heautontimorumeno translatus in hunc locum, sic enim in ea fabula, actu. I. Scena. I. cum Menedemo loquẽs Chremes inducitur isthuc, quicquid est, fac me, ut sciam: Ne retice, ne uerere, crede inquam mihi: Aut consolando, aut consilio, aut re iuuero. Terentius porro, ut opinor, a Plauto paucis immutatis accepit apud quem in Pseudolo, actu primo, ita loquitur Pseudulus seruus: Fac me certum quid tibi sit: Iuuabo aut re, aut opera aut consilio bono.

SEBAS. CORR. NE frigeas} nihil facias. {Calere audio} bello. {Spectare} quia addit essedarios, qui milites sunt, & aurigæ, qui in spectaculis spectari solent. {Andabatam} Vide Erasmi prouerbia. {Fratres nostri Hedui} Sic ad Atticum: Hedui fratres nostri pugnãt.

BEBN. RVT. QVod si in Britaniam quoq; profectus esses} Non arbitror aduersari superioribus, aut eo minus suo loco positam epistolam, cum in illis non affirmet Cicero, in Britãniam profectum Trebatium. Neque simile ueri est, toto exercitu esse profectum in Britanniam Cæsarem, ut nihil copiarum in Gallia relinqueret. Sed cum in eam insulam expeditio pararetur, aut iam esset cœpta, putabat profectum eo Trebatium, uel profecturum sperabat. nam quod est supra in Epistola prima ad Trebatium, ita legi conuenit, atq; distingui: Tu, qui cæteris cauere didicisti, in Britãnia ne ab essedariis decipiaris caueto, non, ut est ab Aldo factum, Cauere didicisti in Britãnia: quibus enim caueret, cũ in bello sileant leges? {Quanquam uos nunc isthic satis calere audio} Ad timorem discrimenq; belli pertinet: non auaritiam, quod ineptissime ratus est Clericus. Cælius: Quod tibi supra scripsi, Curionem frigere, iam calet. nam feruentissime cõcerpitur. Subsequẽs clausula sententiæ nostræ subscribit. {Quem antea ne Andabatam quidem defraudare poteramus} Vel ludum ipsum Andabatam for-

te dicit puerorum, qui clausis oculis pugnarent: a quo ne ipso quidem tametsi leuissimo, reuocare Trebatiũ possent antea. uel, ipsum Trebatium Andabatam, idest quem ne cum clausis ibi quidem oculis nos pugnaremus, fraudare poteramus, quin nos tu tuere, nunc spectaculum essedariorum spectare noluisti. Iocatur autem in essedariis, qui tametsi Romæ in ludis ac spectaculis adhiberentur, in Britãnia tamen pugnatores erant. Inde illud, Ne ab essedariis decipiaris, caueto. Quod ad natationem pertinet, Plutarchus illud scribit: In Britãnia quoq;, inquit de Cæsaris militibus, primis centurionibus in palustrem & aquosum incidentibus locum, irruentes incubuere hostes. Tum prælium inspectante Cæsare, miles quidã in medio irripuit, plurima conspicuæ fortitudinis ostentans opera. Versis in fugam Barbaris, Centuriones reduxit incolumes. ille ægre cũctos euadens, in limosam sese deiecit paludem quam nunc pedibus commeans, ui a tandẽ omisso scuto traiecit. Id illud est opinor quo quo, quod timuerat Cicero, nunciatumq; Romæ dicit: non ficta illa exercitatio, quam sentire uidetur interpres.

PHIL. MELA.

MVtio & Manilio} Sunt duo ueteres Iureconsulti. {Satis calere} Scilicet propter pericula belli, quia Cæsar domuit Gallias, nõ sine maximo labore, periculo, & sudoribus. {Ne Andabatam quidem. i. dimicantem in tenebris. Andabatæ enim gladiatores erant, qui in tenebris dimicabant.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Hortatoria est epistola, qua consulit Trebatio, ut ad urbem non temere se conferat.

CICERO TREBATIO S. D. 11

NIsi ante Roma profectus esses, nũc eam certe relinqueres: quis enim tot interregnis iureconsultum desiderat? ego omnibus, unde petitur hoc consilij dederim, ut à singulis inter regibus binas aduocationes postulent. satis'ne tibi uideor abs te ius ciuile didicisse? sed heus tu, quid agis? ecquid fit? uideo enim te iam iocari per literas. hæc signa meliora sunt, quàm in meo Thusculano. sed quid fit, scire cupio. consuli quidem te à Cæsare scribis: sed ego tibi ab illo consuli mallem. quod si aut fit, aut futurum putas perfer istam militiam & permane: ego enim desideriũ tui spe tuorum commodorum consolabor, sin ista sunt inaniora, recipe te ad nos: nam aut erit hic aliquid aliquando: aut si minus, una mehercule collocutio nostra pluris est, quàm omnes Samarobrinæ. denique si te cito retuleris sermo nullus erit: sin frustra diutius abfueris, non modo Laberium, sed etiam sodalem nostrum Valerium pertimesco: mira enim persona induci potest Britannici iureconsulti. hæc ego non rideo, quamuis tu rideas. sed de re seuerissima tecum, ut soleo iocor. remoto ioco, tibi hoc amicissimo animo præcipio, ut si istic mea commendatione, tuan dignitatem obtinebis, perferas nostri desiderium, honestatem, & facultates tuas augeas. sin autem ista frigebunt, recipias te ad nos. omnia tamen, quæ uis, & tua uirtute profecto, & nostro summo erga te studio consequere.

ASCENSIVS.

NIsi hortatur Trebatium ut libenter absit ab urbe, quia si adesset cuperet abesse, propter seditiones ciuiles, moneto; ut res suas diligenter curet. Ordo est: Nisi profectus esses: idest discessisses, Roma, tu certe relinqueres nunc eam. Quis enim desiderat iurisconsultum tot interregnis, idest uacationibus regnorum, cum omnes in senatu regnare uelint, & nulli ab aliis admittantur, aut uacationibus in consulatu, cum qui consules dicerentur interreges, inter se concordari non possint? Ego dederim: idest uelim dedisse omnibus, unde, idest a quibus petitur supple consilium, supple hoc consilu, ut postulent binas aduocationes: idest patrocinia aduocatorum, aut iura aduocandi, a singulis interregibus idest magistratibus, ad quos consulatus & olim regno uacante ius consulis ac regis pertinebat, ideo autem binat, quis cum toties mutarentur per seditionem, singulæ non suffecissent, & tamen dicit, ut dicit Hubert. uia una pro quinque diebus aduocatio peti posset, unde iocando addit. Videor ne tibi didicisse satis ius ciuile abs te, hoc est dederim ne tale consilium satis ex sententia iurisconsultorum? Sed heus tu, quid agis? ecquid fit, scilicet a te? Video enim te iam iocari per literas. Hæc signa: idest indicia animi tui sunt meliora quam supple erant in Tusculano meo: scilicet agro cum uilla, ubi tristis Trebatius longe aberat a iocis. Sed cupio scire quid sit, scilicet quod ita animum mutasti. Scribis quidem te consuli, idest consilium peti a Cæsare, sed ego mallem consuls. i. prospici, & prouideri, ac rem utilem fieri tibi a Cæsare. Quod, scilicet a Cæsare tibi consuli, si aut fit, aut potas futurum: perfer, idest ad finem usque fer istam militiam, & permane, scilicet apud Cæs. usque ad finem belli Ego enim consolabor, idest quasi per consolationem medicabo, & sustinebo desiderium tui, idest quod habeo ex absentia tua spe tuorum commodorum, idest quam habuero de commodis tuis Sin autem, idest sed si, ista, scilicet quæ sperem, sunt inaniora, idest nimis insnia, recipe, idest reduc quasi in locum utiliorum te ad nos, nam aut aliquid, scilicet commodi erit hic, scilicet Romæ aliquando, aut si minus, idest si non supple erit hic aliquid, mehercule una collocutio nostra erit pluris, idest maioris emolumenti & uoluptatis, quam omnes Samarobrinæ, idest ciues eius urbis in Britannis, si fuerint a te capti, aut cæsi. Denique si retuleris. s. e Britannia te cito, sermo scilicet de te ac constantia tua, erit nullus quia omnes putabunt te remissum a Cæs. aut noluisse suscipere conditiones ab illo oblatas, si abfueris diutius frustra, idest nihil concesso a Cæs ego pertimesco non modo Laberium equitem Romanum in loquendo & mordendo liberrimum, qui ne Cæsari quidem pepercit acerrimis uerbis in eum inuectus, cum iam admodum senex iussus esset a Cæs. mimos agere, ut autor est Macrob. in Saturnalibus, sed etiam Valerium sodalem, idest conuictorem nostrum, quia mira. idest multum ridicula persona iurisconsulti Britannici hoc est tui potest induci. scilicet in fabulam de te factam Ego non rideo id est non ridendo puto, aut non dico ioco, quamuis tu rideas, sed iocor tecum, ut soleo de re seuerissima, quasi dicat illud Horatianum. Quanquam ridentem dicere uerum, Quid ueta:? Ego præcipuo tibi hæc animo amicissimo, ioco remoto, scilicet cum remitto, ut si obtinebis, scilicet apud Cæs. ubi nunc es, tuam dignitatem, idest locũ honoris te digni, commendatione mea, idest per commendationem meam, perferas, idest ad finem usque feras, desiderium nostri, & sup. augeas honestatem & facultates. Sin autem, idest sed si, ista, idest dignitas & facultates, frigebunt idest frigide obuient tibi, recipias te ad nos. Tu n. consequere, idest obtinebis, scilicet Romæ, omnia quæ uis, profecto, &, idest simul, uirtute tua, & studio nostro summo, idest maximo, erga te.

PAVL. MANV.

OMnibus unde petitur} Debitoribus ita etiam de oratore lib. I. XCVIII. homo ex disertorum numero postulabat, ut illi, unde peteretur, uetus atque usitata exceptio daretur, cuius pecuniæ dies fuisset. apud Iurisconsultos frequens est locutio.

SEBAS. CORR.

INterregnis} Post M. Messalam, & Cn. Domitium Coss. {Hæc signa} te iocari. {Quam in meo Tusculano} signa, hoc est statuæ, siue imagines pictæ {Samarobrinæ} in Gallia Belgica, ubi Cæsar trinis hybernis hyemare constituit hanc Cameracensem urbem quidam nunc uocant. {Laberium} D. Laberium poetam, scribendis mimis clarum, & mordacem {Valerium} fortasse Catullum. {Pertimesco} ne in te scribant, uel dicant. {Induci} a poetis.

BERN. RVT.

QVis enim tot interregnis iureconsultum desiderat?} Interregna intelligit, de quibus Plutarchus in Pompeio, quæ in hæc tẽpora inciderunt: Cæterũ, inquit, ut dilata Comitia sunt, ciuibus largitione corruptis, Pompeiusq; interregnum desperit. rumor ex templo ad dictatorem exortus in urbe est Hunc Lucilius tribunis plebis primum efferre est ausus, plebi suadens, uti Pompeium dictatorem declararent Verum cum his obsisteret Cato, Lucilius fere se tribunatu abdicare coactus est. Pompeium tum amicorum multi excusauere, quod magistratum illum non quæsiuisset, pro eo nil obsecrauisset, eũq; haud uoluisset. Quæ cum laudauisset Cato, Pompeium exhortatus est ad Respub. curam recapessendam, ob quæ ueritus Catonem ille, ad priorum ornatum urbis uersus est, creatique consules sunt Domitius ac Messala. Sed cum postea res ad interregnum redisset, sermonesq; multi de dictatore iterum excitarentur, iam extimescens Cato, censuit legitimum quendam magistratum Pompeio dandum, & temporaria illam dictatoris potentiam atq; tyrannidem abolendam. Quam re Bibulus Pompeio inimicus, prior in senatu rogationem tulit, ut unicus consul Pompeius decerneretur. Aut enim, inquit, Respu. ab instante turbine salua fiet, aut optimo parendum erit. Hæc sententia cum propter oratorem monstrosa uideretur, surgens Cato, expectationẽ præbens quod Bibulo contradicturus esset silentio acto, eadem innixus est a sese illam inquiens minime afferendam fuisse, sed ab alio illatam comprobare, iubereq; in ipsam iri, quencunq; magistratum magis eligens, quam neminem, Pompeiumq; existimans ex tempestate salubrius q̃ aliũ esse præfecturũ. Quo a senatu, suscepto decretum est, uti Pompeius consul creatus, solus magistratum gerat: sicq; collega opus esset, non ante duos menses experimento doctus collegam sumeret. Sic ergo per Sulpitium interregem Pompeius consul factus. Quod autem & uerba iuris ciuilis sententiamque retulisset

(nam

(nam & unde petitur,& postulare aduocationes,& consilium dare ad ius ciuile pertinent) subiicit, Satis ne tibi uideor abs te ius ciuile didicisse? non ut ille retur, quod legibus ea res prohiberetur. Vnde petitur quamuis ad reos sæpe referatur, hic ego iuris ipsos consultos, a quibus consilium peti solet, acceperim quod uenuste dictũ est a Cicerone, Appianus, his perturbationibus urbem per octo menses caruisse magistratibus, est autor. Cicero quoque Ad Atticum li. IIII. Res iuit (nam ita scribi malim) ad interregnum, & est nonnullus odor dictaturæ Sermo quidem multus qui etiam Gabinium apud timidos iudices adiuuit Et in alia Et eo magis nunc concitare dictaturam, fauere institio, & omnium rerum licentiæ. {Hæc signa meliora sunt, quam in meo Tusculano} Ludit in signorum significatione duplici: quod & significationes notat, & imagines pictas fictasve. simul & ad æs alienum, a se illa signorum coemptione contractum, iocatur de quo non multo post ad Gallum hoc ipso libro est epistola, ubi hæc: Martis uero signum quo mihi pacis autori? gaudeo nullum Saturni signum fuisse. hæc enim duo signa putarem mihi æs alienum attulisse Mercurii mallem aliquod. fuisset felicius puto, cum Auianio transigere possemus. Et ante, Tu autẽ signa mi instituti mei, quanti ego genus omnino signorum omnium non æstimo, tanti ista quatuor aut quinque sumpsisti. Et mox: Exedras quandam mihi noua sunt instituta in Porticula Tusculani, ea uolebam tabellis ornare. Et ad Atticum libro primo: Quæ mihi antea signa misisti, ea nondum uidi in Formiano sunt quo ego nunc proficisci cogitabam. illa omnia in Tusculanum deportabo. Caietam, siquando abundare cœpero, ornabo. Item, Quæ tibi mandaui, & quæ tu intelliges conuenire nostro Tusculano, uelim, ut scribis, cures, quod sine molestia tua facere poteris. Et quarta epist. Tu, uelim, si qua ornamenta gymnasio reperire poteris, quæ loci sint eius, quẽ tu non ignoras, ne prætermittas. Nos Tusculanum ita delectamur, ut nobismetipsis tum denique, cum illo uenimus, placeamus. Et epist. V. VII. Et alibi: Tusculanum & Pompeianum me ualde delectant, nisi quod me illum ipsum uindicem æris alieni ære non Corinthio, sed hoc circonforaneo obruerunt. Interpres uero stulte diuinare maluit, quam tacere.

Ex poste. eiusdem

Q Vis enim tot Interregnis iureconsultum desiderat} Ad Q. fratrem Cicero in Galliam scribens: Erat nonnulla spes comitiorum, sed incerta, erat aliqua suspicio dictaturæ, ne ea quidem certa Et alio loco: Res uidetur spectare ad interregnum. Coss. comitia habere cupiunt: rei nolunt. & alibi. Res prolatæ, ad interregnum comitia adducta. rumor dictatoris iniucundus bonis: Et infra: Video Messalam nostrum Coss. si per interregẽ, sine iudicio: si per dictatorem, tamen sine periculo.

PHIL. MELa.

Q Vis enim tot interregnis} Interregnum est hoc tempus, quod erat inter consolatus superiores, & inter comitia consularia quibus eligebantur alii consules. {Sin frustra diutius} idest si diu frustra abfueris, & inanis redieris, deridebunt te mimi. Porro inter mimos præcipuus fuit Laberius.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Iocatur Cicero in dissentientes Trebatii professiones. Fieri enim non potest, ut Epicureus, qui utilitatis gratia omnia facit, recte iustitiam administrare possit.

M. CICERO TREBATIO S. D. 12

*M Irabar, quid esset, quod tu mihi literas mittere intermisses. indicauit mihi Pansa meus Epicureum te esse factum. ò castra præclara: quid tu fecisses si te Tarentum, & non Samarobrinam misissem? iam tum mihi non placebas, cum idem intuebare, quod & Titius familiaris meus. Sed quo nam modo ius ciuile, defendes, cum omnino tua causa *facias. non ciuium? ubi porrò illa erit formula fiduciæ, VT inter bonos, bene agier oportet? quis enim est bonus, qui facit nihil, nisi sua causa? quod ius statues communi diuidundo, cum commune nihil posit esse apud eos, qui omnia uoluptate sua metiuntur? quomodo autem tibi placebit Iouem lapidem iurare, cum scias Iouem iratum esse nemini posse? quid fiet porrò populo Vlubrano, si tu statueris *πολιτεύεσθαι non oportere? quare si planè à nobis deficis, moleste fero: sin Pansæ assentari commodum est, ignosco, modo scribas aliquando ad nos quid agas & à nobis quid agi, quid fieri, aut curari uelis. Vale.*

**alias facias? ubi.*

**Idest, rem publicam regi.*

ASCENSIVS.

M Irabat &c. intellexerat Cic. Trebatium effectum Epicureum, quod detestatur, dicens. Mirabar quid esset, quod tu intermisisses mittere literas mihi. Pansa meus, scilicet amicus uetus indicauit mihi te factum esse Epicureum, idest uoluptati studentem, & omnia ad commoda propria referentem O castra præclara Ironia est, quasi dicat non præclare tecum in castris actum, cum in tantam dementiam deueneris. quid fecisses, sis misissem te Tarentum, idest in eam ciuitatem Calabriæ, ubi uoluptuose uiuitur? unde Iuuenalis Atque coronatum & petulans madidumque Tarentum non Samarobrinam, idest in eã urbem Britanniæ regionis frigide & bellicosæ. Tu non placebas mihi tantum: idest ab eo statim tempore, cum intuebare, idest in spectabas inhiando, quod &: idest & Titius alii legunt Ethitius familiaris meus: idest ad lucrum aut uoluptatem, ut ille. Sed quonam modo defendes ius ciuile, scilicet quod profiteris? cum facias omnia causa tua. i. proprii commodi, non ciuium, cum ius ciuile dictum sit, eo quod ciuium utilitati consulat. Porro, idest sed profecto, ubi erat illa formula fiduciæ: idest illa lex & regula iuris, e qua fiduciam habeamus, uidelicet inter bonos &c. Quidam textus habent, ut inter, &c. sed uidetur particula ut redundare, nisi sit oportet agier, idest bene, ut, idest ueluti inter bonos idest perinde ac decet inter bonos agi Formula autem est ut dixi lex aut regula, ut libro tertio offic. Nondum enim est Aquilius protulerat de dolo malo formulas. Quis enim est supple bonus, qui nihil facit causa sua? quasi dicat nullus, & ita formulæ illi non esset locus, aut quis, idest qualis est? quasi dicat inhumanus & auarus est &c, Quod ius statuere supple de communi diuidendo, cum nihil posit esse commune apud eos, qui metiuntur omnia, scilicet bona sua uolupeate, idest qui nihil ducunt bonum nisi unde singulariter capient uoluptatem? quasi dicat nullum. Autẽ idest sed quomodo placebit tibi: scilicet ex iure Romano, iurare Iouem lapidem idest repræsentatum per lapidem, quem iurans in manu tenebat? Sicut enim nunc quidam iurant Brachium sancti Antonii, aut ignem sacrum, ita olim. Iouem lapidem, tenentes scilicet lapidem, ac dicentes, ut Festus Pompeius dicit: Si sciens fallam, me Diespiter salua urbe, arceque bonis eiciat, ut ego hunc lapidem. quo dicto, lapidem eiiciebant, cum scias: scilicet ex paradoso Epicuri, qui dicebat Deum non curare mortalia, & quod deus, ut dicit Luc. Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira. Iouem nemini posse esse iratum? Porro quid fiet populo Vlubrano, idest colenti Vlubras oppidum Italiæ fatis desertum, de quo Horatius, Est Vlubris, animus si te non deficit æquus si tu statueris non oportere πολιτεύεσθαι, idest administrare Rempu. quasi dicat ab omni Politia deferentur. Quare fero moleste, si deficis, idest desciscis, plane a nobis, scilicet Stoicis, sin, idest sed, si commodum est scilicet tibi assentari Pansæ, scilicet Epicureo, ignosco, modo, idest dummodo scribas aliquandu quid agas, & quid uelis agi, quid fieri, aut curari a nobis. Vale.

VICTORIVS.

Q Vod & Titius familiaris meus} Diuersa ab hac scriptura est in Mediceo codice, ita enim ibi legitur. {Quod Zeius familiaris meus} Quare accurate uidendum est an {Seius} legi debeat, quod sane mihi non displicet: pro S, enim antiqui librarii, ac febri Z, sæpe ponebant, quod Romæ in multis lapidibus uisitur, & a doctis ac diligentibus uiris adnotatum est. Seius autem Ciceroni familiaris erat, quod intelligitur his uerbis ex Epistola ad Varronem. CXXII Cœnabam apud Seium, cum utrique nostrum redditæ sunt a te literæ CLXVI. Cognosce ex M Seio arbitror, qui nostro sermoni interfuit. Qui hoc nomen crebro legum interpretes usurpant, & Trebatius iurisconsultus erat, ideo (ut opinor) aliquid, cum locum mendosum putarent, {Et Titio} reposuerunt {Formula fiduciæ ut inter bonos bene agier oportet} Consentiunt prisci, quos uidi, codices cum impressis Et nobilissimus omnium Mediceus eandem, quam uulgati libri, lectionem seruat: aliis doctoribus quid faciendum sit, iudicandum relinquo: ipse contra tot exemplariorum consensum nihil ausim statuere.

PAVL. MANV.

F Iduciæ, inter bonos bene agier? quis} Ita legitur in libro manu scripto & sane crediderim, non aliter hunc locũ esse scribendum. etsi priorem lectionem conseruarim. uocet enim illæ {Vt, & Oportet,} quæ sunt in impressis, additæ sunt ab imperito, qui locutionem parum integram crederet, cum alibi a Cicerone Iureconsultorum formulas sine uerbo citari non animaduertisset, ut de Offic lib. III. In fiducia (inquit) inter bonos bene agier? codices enim uetusti non habent. {Vt} & ibidem paulo post. Cum dicitur, inter bonos bene agier, quicquam agi dolose, aut malitiose potest? in Topicis etiam. CCXXVI. ubi eadem hæc usurpantur uerba manuscripti codices ab impressa lectione dissentientes, nostram sententiam confirmant, quam etiam Romæ doctissimis hominibus probaui.

SEBAS. CORR.

T Arentum} quod molle dicitur, & molleis homines reddit. {Samarobrinam} Vbi sunt homines duri, & feroces. {Et Titius} In antiquis libris uaria est lectio. Etelus, Ethicius, Canius Quare difficilis est coniectura, quomodo sit legendum Catius qui fuit Epicureus, fortasse reponi posset. nisi magis placeret Atticus qui & Epicureus, & Ciceronis familiaris fuit. quod nemo est qui nesciat. {Facias} Al. facies, ut Epicurei, qui dicunt sapientes omnia

sua causa facere.{Non ciuium}Hæc dua uerba non sunt in ueteribus libris.{Inter bonos bene agier oportet?}inter bonos bene agier oportet,& sine fraudatione lib III.de offic.{Communi diuidundo}rerum communium diuisioni,qua de re in eo legis capite agitur.{Iouem lapidem}Epistola.I.huius libri.{Cum scias}ot Epicurei, qui nihil ita uerentur,quam ne dubitare aliqua de re uideantur.{Iouem iratum}Epicurus enim dicebat:Deos nec sibi fingere ullá molestiam,nec alteri quærere πολιτεύεσθαι Rempub.administrare.{Nõ oportet?}Dicebat Epicurus,Remp.capessere hominem bene sanũ oportere {A nobis}Academicia.{Pansæ}qui & ipse Epicureus est, & ἰδιώτης sequitur,epistola XIX.lib.XV.

BERN. RVT.

Quod Ius statues communi diuidundo?}Ex iure ciuili sumpta locutio:apud quod titulus est commoni diuidundo, ubi de rerum communium diuisione agitur. nam ia qui est de rerum diuisione,alium habet tractatũ,uidelicet in quot species res diuidantur,quod scilicet aliæ sacræ,aliæ sanctæ, aliæ religiosæ,quædam publicæ,quædam communes , ut est adhuc in libris iuris ciuilis io quo deridicula est Hubertini confidentia.

PHIL. MELÃ.

Mirabar quid esset}Ista est erudita epistola , Alludit autem in ea ad historiam Pyrrhi regis Porro Tarentini fuerunt studiosi Epicureæ doctrinæ.Pansa quoque familiaris erat Cæsaris,& studiosua Epicureæ doctrinæ,sicut fere omnes Cæsaris familiares.{Formula fiduciæ}Fiducia,est certa quædam species contractum,quam uocamus resignationem ad fideles manus,ut cum aliquis tradit alteri domum,uel alia bona ut ad certum tempus sibi restituat,sed tamen ut alter Interim eis utatur,tanquã rebus suis propriis.{Inter bonos bene agier}Hæc formula pertinet ad omnes contractus bonæ fidei:& possumus ea uti sæpe in epistolis. Monet autẽ uiros bonos multa debere præstare,quæ,etiam non sont lingua nũcupata.{Populo Vlubrano}Vlubræ est oppidum paruu.a frigidum, in oltima Italia.Sic Horatius.

Quadrigit petimus bene uiuere,quod petis hic est,
Est Vlubris,animus si te non deficit æquus.

Possumus uti ad consolandos eos,qui sunt queruli de præsentibus conditionibus,& de præsenti statu.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Diuturni silentii causam dicit,quam cum Trebatius non accipere uelle uideatur,ex occasione in aptissimam iocandi materiam descendit.

M. CICERO TREBATIO S. D. 15

Adeo ne me iniustum esse existimasti,ut tibi irascerer , quod parum mihi constans,& nimium cupidus decedenti uiderere,ob eamq; causam me arbitrarere literas ad te iandiu non misisse?mihi perturbatio animi, tui,quam primis literis perspiciebam,molestiam attulit : neque alia fuit ulla causa intermissionis literarum,nisi quod:ubi esses,plane nesciebam.hic tu me etiam insimulas, nec satisfactionem meam accipis.audi mi Testa:utrum superbiorem te pecunia facit,an quod te imperator consulit ? moriar , ni (quæ tua gloria est)puto te malle à Cæsare consuli,quam inaurari,si uero utrunque est:quis te feret præter me, qui omnia ferre possum?sed ut ad rem redeam,te istic inuitum non esse uehementer gaudeo:& ut illud erat molestum,si hoc est iucundum.tantum metuo ne artificium tuum tibi parum profit:nam , ut audio , istic, Non ex iure manu consertum,sed mage ferro Rem repetunt-& tu soles ad uim faciendam adhiberi?neque est, quod illam exceptionem in interdictio pertimescas,quod tu prior ui hominibus armatis conueneris:scio enim te non esse procacem in lacessendo. sed ut ego quoque te aliquid de nostris cautionibus admoneam, Treuiros uites censeo:audio capitales esse:mallem, auro , argento ,ære essent.sed alias iocabimur. Tu ad me de istis rebus omnibus scribas uelim quam diligentissime. Ad.III.Non.Mart. Vale.*

*a.l.pro ximis.

ASCENSIVS.

Adeo ne.Dicit se Intermisisse dare literas ad Trebatium, non quia irascebatur illi,sed quod nesciebat ubi nam ille esset,iocansq; uocat eum soperbum,moneatq;, ne Treuiros præsertim prouocare timeat.Ordo est:Ne idest an existimasti,idest iudicasti me esse adeo iniustum,ut irascerer,tibi quod uiderere,idest uidereris mihi parum constans,& nimium cupidus decedendi,& arbitrarere me non misisse iandiu literas ad te ob eam causam scilicet quod tibi irascerer.Perturbatio animi tui,quam perspiciebam primis literis tuis,attulit mihi molestiã, neque ulla alia causa intermissionis literarum fuit,nisi quod nesciebam plane,idest omnino ubi esses. Tu insimulas , idest occulte arguis & accusas etiam hic,idest in hac purgatione mea, nec accipis satisfactionem meam,idest purgationem qua tibi conor satisfacere. O mi,blandiendi uoa,Testa,idest tu Trebati,qui & Testa appellaris appellatur enim Trebatius Testa,sed affectantee Testam nunc uocat,quasi durum & fragilem,& ita pariter de iuribus superbientem,audi supple quod quæro,& dic utrum,idest quod duorum facit te sopetbiorem pecunia,an quod Cæsar consulit te,idest petit cõsilium a te ? Moriar ni , idest oisi,puto te malle consuli, idest consilium peti,a Cæs.quam inaurari:idest honore portandi aurei ornamenti decorari,quæ idest quia,ita magna est gloria,idest cupiditas gloriæ tuæ.Si uero otrunque est,scilicet quod & pecunia, & quod Cæsar te consulit,te superbum facit,quis feret,idest tolerabit te præter me,qoi possum ferre omnia : idest etiam superbissimos mores tuos?quasi dicat nemo Sed ut redeam ad rem.ego gaudeo uehementer te oon esse istic inuitum,& ut:idest quemadmodum,illud:scilicet te superbum factum esse erat molestum,sic hoc supple est iucundum Ego tantum:idest duntaxat,metuo,ne artificium tuum , idest peritia iuris prosit tibi parum.Nam ut audio,non manu consertum ex iure supple est istic idest in Anglia,hoc est non iudicantur res legitime ea iniectione manus per legitimas actiones , more ciuili, sed repetont rem. scilicet ablatam aut debitam alioqui,magia : idest frequentiua,Ferro idest ui armorum,& tu soles adhibere facundiam, idest naturalem eloquentiam tuam,ad uim : idest uiolentiam , hoc est tu soles uim aliorum reprimere eloquentia tua.Neque est supple causa aut legitima ratio,hoc est non oportet, quod tu pertimescas, scilicet agendo in Britannia,illam exceptionem:idest prohibitionem quæ nota est in actionibus Romanis,quod tu non ueneris prior in omnibus armatis idest ut non occupes rem ui armata, sed ex iure procedat,quia ui illic omnia aguntur.Scio enim te non esse procacem in lacessendo,idest prouocando,hoc est petulantem & omnis molestum prouocatorem ad iram.Sed ut ego quoque moneam te aliquid de cautionibus,idest ut dicũt,cautelis nostris,censeo sup. ut uites Treuiros,idest populos illos Germaniæ trans Rhenum,quia audio supple eos esse capitales scilicet hostes, hoc est caput potius, quam rem hostium petentes. Mallem supple eos esse capitales,idest perniciosos in auferendo,non capite,sed auro,sed argento,ære. aut mallem eos esse ex auro,argento , ære , idest materia , unde fierent (quas amas)pecuniæ,tunc enim facilius & libentius eos inuaderes.Sed nos iocabimur alias idest alio tempore . Velim supple ut tu scribas ad me,de omnibus rebus istis quam diligentissime.Scriptum supple Romæ,ad tertium Nonas Martias.

VICTORIVS.

Non ex iure manu consertum &c.}Non totos duos hos Ennii uersus scripsimus. reliquum enim posteriora in nullis antiquis legitur. quidam minime necessariam partem reposuerunt,eaq; uerba omiserunt.quæ & in antiquis leguntur, & sententiam integriorem,& concinniorem reddunt,cum statim illum interroget,an & ipse ad uim faciendam adhiberi soleat. qui autẽ hæc, uiderant,ii quoque parum castigata scripserunt.{Non}enim incommode importuneq; de suo addiderunt Nollem tamen ea cum Ennii uerbia coniuncta esse,quod uitio librariorum factum est in nostris codicibus:separentur igitur ab illis,cum uerbisq; Cice.coniungantur.Quod etiã sequitur,{Quod tu prior ui hominibus armatis non ueneris}de quo tot diuersæ sententiæ,concertationesq; fuerunt,scripsimus ut in mediceo est.nam lectionem eius libri synceram,& integram esse credimus,ut qui immutare aliquid uelint,potius corrũpant,quam corrigant:nam uerba esse interdicti patet . inueniuntur ea in oratione pro Cæcinna multis locis,& in Pandectis sæpius. Hunc autem eorum sensum esse existimamus,ut dicat Cic.non esse Trebatio pertimescendam exceptionem illam,qua utuntur illi ad Prætorem,qui cum confessi sint se deiecisse,clamant tamen se non interdicto teneri,nec debere restituere,nam se prius ab aduersariis in hominibus armatis deiectos esse,subiungit enim,Scio te non esse procacem in lacessendo,ut iniuriam origo a te orta esse possit.nam ut timidum,& parui animi hominem taxat,& qui libenter pugnas, turbasq; fugeret,& bello minime esset aptus: quibus.n. ualebat armis,in prælio uti non poterat,cum autem cum iurisconsulto sermo sit,uerbis iuris frequenter utitur Cic.ioci causa.

PAVL. MANV.

Treuiros uites censeo.audio capitales esse}Vt unicuique q̃d suum est,Tribuamus,Petri Bembi,hominis & dignitate , & omnium uirtutum cognitione clarissimi epistolam, qua huius loci sententiam diligentissime,& ornatissime exposuit , adscribemus.non enim eos imitari placet,qui ea aliena industria sibi laudem aucupantes,quæ ab aliis didicerunt,edunt pro suis. Petrus Bẽbus,Bernardino Sandeo S.Quod hodie quærenti tibi a me de illis Cice.ad Trebatium uerbis. Treuiros uites, censeo : audio capitales esse:mallem,auro,argento,ære essent.respondi,iocum esse , & multiplicem,& festiuum:qui quidem iocus in antiquis,& numis,& scri

ptoribus

ptoribus deprehenderetur: itaque quoniam eramus in uia, ut neque libros, neque numos haberemus, reieci te in aliū diem: id, ne te diutius torqueat, est eiusmodi: ut ioci causa, quod quidem Cice. ad illū scribens more suo fere semper facit, & Treuiri, & capitales in ambigui genere sint posita. nam cum uideatur monere illum, ut uitet Treuiros Galliæ populos, qui captales, bellicosiq; sint. ludit cum in Treuirorum, tum in capitalium uerbo. erat enim Romæ magistratus, Triumuiri capitales: qui etiam Treuiri dicebantur, sed quoniam hoc ipsum Triumuirum non uetetum in ambiguo poni poterat, cum essent etiam apud Romanos Triumuiri pecuniæ cudendæ: quos ita inscribebant: A. A. A. F. F. hoc est, Auro, Argento, Aere Flando, Feriundo: iocatur iterum in hoc uerbo, Inditq; Cic. ut mihi quidem uidetur, bellissime, addens, mallem Treuiros istos esse pecuniosos, quā bellicosos, ut Cæsare eos uincente, tu ditescer es. itaq; infert, mallem esse Treuiros auro, argento, ære, quam. s. capitales. Triumuiros autē etiam Treuiros solitos dici, Liuius satis locuples esse testis potest: cuius sunt hæc in lt. quartæ Decadis X. Colonia Grauiscæ eo anno deducta est in agrum Etruscum de Tarquiniensibus quondam captum, quina iugera agri data. Treuiri deduxerunt C. Calphurnius, Piso P. Clodius Pulcher, C. Terentius Hister. Quod uero Triumuiri pecuniæ sic, ut dixi, inscriberentur, est apud me numus æreus per antiquus ita scriptus {C. Plotius III. uir a. a. a. F. F.} sunt & alii numi aliorum hominum, eiusdem tamen tituli, quos inspicies, cum uoles. Hæc ad te scripsi, cum domum rediissem, & numos, ac librum sumpsissem amore tui admonitus, Vale, Pri. Idus Iun. M. D. XXXIII.

SEBAS. CORR.

PRimis} Al. unis {Artificium tuum} Ius ciuile {Ex iure manu consertum} Hæc uerba sunt loco Romani casus. lege Gellii lib XX cap. IX. {Exceptionem} adiunctionem, quæ in interdictio addi solebat, sine qua tamen fieri poterat. {Interdicto} de ui hominibus armatis siue, unde ui. {Quod tu prior ui hominibus armatis non ueneris} Si hæc sunt exceptionis uerba, negatio tollatur necesse est: quoniam Prætor in interdicto eum alloquebatur, qui deiecisset, qui sine dubio prior uenerat, sin Ciceronis sunt ad Trebatium, negatio legi potest {Nostris} Al. uestris. {Treuiros Hic iocatur Cice. nam Treuiri sunt inter Belga populi, sed Romæ capitales, & monetarii. {Capitales} in Gallia quidem bellicosos, & perniciosos, sed Romæ Treuiri (Treuiri enim dicebantur) capitales ii erāt, qui carceris custodiæ præerant. quos Sosia apud Plautū timet. {Auro, argento, ære, essent} Treuiri: qui sic ab antiquis scribebantur. III. V. A. A. A. F. F. hoc est, triumuiri auro, argento, ære flando, feriundo.

BERN. RVT.

TAntum metuo, ne artificium tuum tibi parum prosit. nam ut audio, istic non ex iure manu consertum, sed mage ferro rem repetunt. & tu soles ad uim faciendam adhibere, neque est quod illam exceptionem interdicto pertimescas quod tu prior in omnibus armatus non ueneris. Scio enim te non esse procacem in lacessendo} Alii. Et tu soles ad uim faciendam adhiberi. Alii: Et tu soles ad uim facundiam adhibere. Quidam totū abolent, ut Manutius Sed hoc proximum non ineptum. quid tamen, si ita legatur? Et tu soles ad uim arcendam interdictum adhibere. uel, Et tu soles ius ad uim arcēdā adhibere. Certe q subditur, ita legi oportet: Neq; est, quod illam exceptionem interdicto pertimescas, quod tu prior hominibus armatus conueneris. Iocatur enim tanquam cum imbelli iureconsulto, qui uim armatam iure legibusq; repellere consuesset, non armis. Postulat autem locus, extorquetq; etiam, ut ex iure ciuili afferam, quæ loco interpretando satis esse uideantur. Erat igitur constitutum erat interdictum, quo uteretur is, cui ui eriperetur possessio agri cuiuspiam: quod alienis uerbis. i. iurisconsultorum, quam nostris declarare malumus. Vlpianus tit. de ui & ui arm. ita scribit: Prætor ait, unde tu illum deiecisti, aut familia tua deiecit, de eoque, quod æque ille tunc ibi habuit, tantummodo intra annum, post annum uero de eo quod ad eum qui ui deiecerit, peruenerit, iudicium dabo. hoc iudicium proponitur ei, qui ui deiectus est. etenim fuit æquissimum, ui deiecto subueniri: propter quod ad recuperandum possessionem hoc interdictum proponitur. Idem paulo post: Vim ui repellere licere Cassius scribit, idq; ius natura comparatur. Apparet autem, inquit, ex eo, arma armis repellere licere. Et mox: Sed, qui per uim possessionem suam retinuit, Labeo ait, non uideri ui possidere itemq; infra: Eum igitur, qui cum armis uenit, possumus armis repellere sed confestim, non ex interuallo: dummodo sciamus, non solum permissum resistere, ne deiiciatur, sed etsi deiectus quis fuerit, eundem deiicere, non ex interuallo, sed ex cōtinenti. Iulianus quoque in eandem sententiam: Qui possessionem, inquit, sibi ereptam in ipso congressu recuperat, in pristinam causam reuerti, potius quā ui possidere intelligendus est. Ideoq; si te ui deiecero, illico tu me, deinde ego te, unde ui interdictum tibi utile erit. Diocletianus uero & Maximinus Augusti, recte possidenti ad defendendam possessionem, quam sine uitio tenet, cum moderamine inculpatæ tutelæ uim propulsare licere rescripserunt. Inde infra ad Volumnium Cic. Vrbanitatis possessionē, amabo, quibus uis interdictis defendamus. Sane de iure manu consertum supersedemus huc afferre, cum sint in eam rem non pauca a doctissimo antiquitatisq; indagatori perspicaci Budæo prouinciali homine in annotationibus Pandectarū conscripta. tantum monemus, præter quæ ab illo congesta sunt, qui esse affirment, in ueteri exemplari Ciceronis de Oratore, non manu consertum. sed manum conserium legi, quod ea figura diceretur, ire ex iure manum consertum: aut ex iure uocare manum consertū. Ex iure enim. i. secundum ius uocabant aduersarium in agrum, quo de controuersia esset, ut manu in eam rem cōsererent, quo iure scilicet agebatur, cum res sua uendicaretur, quam alius inuasisset Cic. lib. I. de Orat. Aut te, inquit, ea iure manum conserium uocarent, quod in alienas possessiones tam temere irruisses. Hoc igitur uenuste dicit Cic. Si interdictum unde ui aduersus Britannos exercueris, non est tibi uerendum, ne te illa exceptione repellant, quod eos prior tu de possessione armatis hominibus deieceris. neq; enim dubito, cum te norim non temere solere quenquam ultro lacesseres, dum tu ab eorum iniuria semper abstinueris, ac per te perpetuo possidere Britanniam licuerit. Atque, ut monui, iocatur Cic. alioqui, si hæc ad iuris subtilitatem referantur, parum defendi poterunt. Vt obliter eneam istos figulos, qui ne latū quidem unguem a regulis suis idest Bartoli, discedi citra conuicium patiuntur, nec quo quid animo sensuve dicatur, perspicere possunt. Sed age, uideamus id quoque quid significet. {Audio capitales esse, mallem auro, argento, ære essent} Existimo a multis esse translationem, ita tamen, ut Auro, argento, ære essent, eadem figura sit dictum, qua soluendo esse idest habere unde soluas si aurum, argentum, æs haberent. Supra, in Britannia, inquit, nihil esse audio neq; auri, neq; argenti. id si ita est, esse dum aliquod rapias suadeo, & ad nos quamprimum recurras. Et ad Atticum: Etiam illud iam cognitum est neq; argenti scrupulum esse ullum in illa insula. unde illud est infra eodem hoc lib ad Curium. Attilius, qui in Græciam cum legionibus missus est, maximo meo beneficio est idest maximum habet meum & a me beneficium. nisi forte eo loco malimus, beneficio est scilicet missus, accipere, aut affectus, ut in aliis. Item, supra. {Moriar, ni (quæ tua gloria est) puto, te malle a Cæsare consul. quam inaurari} Iocatur idetidem, quod inauratam, & dictum est, auro conspersus cooperiri.

PHIL. MELI.

NOn ex iure manu, &c.} Optimi uersus ex Ennio, qui possunt accommodari ad nostra etiam tempora.

Spernitur orator bonus, horridus miles amatur.
Pellitur e medio sapientia, ui geritur res.

{Audio capitales} Capitales uocat hic eos, qui exitium adferunt.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Accusat iocose Trebatium, quod nihil ad eum scribat.

CICERO TREBATIO S. D. 14

CHrysippus Vectius Cyri architecti libertus fecit, ut te non immemorem putarem mei: salutem enim mihi uerbis tuis nunciauit. ualde iā lautus es, qui grauere literas ad me dare homini præsertim propè domestico. quod si scribere oblitus es, minus multi iam te aduocato causa cadent. sin nostri oblitus es, dabo operam, ut istuc ueniam ante, quam plane ex animo tuo effluo. sin æstiuorum timor te debilitat, aliquid excogita, ut fecisti de Britannia. illud quidem perlibenter audiui ex eodem Chrysip. te esse Cæs. familiarem. sed mehercule mallem, id quod erat æquius, de tuis rebus ex tuis literis quam sæpissime cognoscere. quod certe ita fieret, si tu maluisses beneuolentiæ, quam litium iura perdiscere. sed hæc iocati sumus & tuo more, & nonnihil etiam nostro. Te ualde amamus, nosq; à te amari tum uolumus, tum etiam confidimus. Vale.

ASCENSIVS.

CHrysippus, &c. Conqueritur, ut uidetur, ioco, sed tamen serio, quod Trebatius nihil scrispserat, dicens. Crysippus Vectius libertus Cyri Architecti idest principis ædificatorum, fecit ut non putarem te immemorem mei: nūciauit enim mihi uerbis tuis salutem Tu es iam ualde lautus idest delicatus, qui grauare, idest grauaris, dare literas ad me præsertim homini prope, idest quasi domestico, uidelicet Crysippo. Quod si oblitus es scribere, minus multi cadent, supple a causa sua, idest amittent rem in lite, te aduocato, cum aduocati soleant defensiones scribere. Sin tu es oblitus nostri, dabo operam ut ueniā istuc,

scilicet ubi tu es,antequam afflua idest celeriter elabor, plane idest omnino,ea animo tua,Sin idest sed si timor æstiuorum,idest bellorum,quæ proxima æstate gerenda sint,debilitat te , excogita aliqd, idest aliquam occasionem non proficiscendi ad locum prælii,ut te eistis de Britannia,iam enim in Germaniam res translata erat. Audiui quidem illud libenter ex eodem Chrysippo, te esse familiarem Cæsaris,sed mehercule mallem id quod erat æquius, idest iustius uidelicet,me cognoscere quam sæpissime ex tuis literis,quam ex relatu aliorum,de rebus tuis,quod certe fieret ita,idest quod tu faceres,si maluisses perdiscere iura beneuolentiæ,scilicet in amicos, quã litium,idest si tam,legem amicitiæ,quam iuridicã calleres . Sed nos iocati sumus hæc,& tuo more,qui libenter iocaris,& non nihil ẽt nostro.s.more.Nos amamus ualde te & tum.i.simul uolumus,tum.i. simul confidimus etiam nos amari a te.

VICTORIVS.

Q Vod si scribere oblitus es} Lusit in hoc uerbo Cicero elegãter:nam Scribere dicuntur iurisconsulti cum cliẽtibus suis scripto cauent.Cum literas ad se nullas Trebatius mitteret,aperit Cicero quod incommodum ex ea re oriturum sit transit tamen ad alium minus communem huius uerbi significatũ. Minus multi iam te aduocato causa cadent,paucos habebis clientes,nec multi suas causas ad te deferent.In qua etiam re exponenda,carpit illud,ut malum aduocatum & defensorem causarũ: quasi omnes qui ad eum patronum confugerent,causas amitterent,nec ius suum tueri possent,Vtitur autem in ea etiam re narranda uocibus peculiaribus iurisconsultorum.Vidi antiquum exemplar topicorum,in quo locus ille ita scriptus esset:Etenim cum tu mihi,meisq́, multa sæpe scripsisses,cũ formis excusi omnes {Cussses.}

SEBAS CORR

M Inus multi}quam respondebas de scripto,& iocatur Cicero. {De Britannia}quo ne ires,nescio quid excogitasti.

PHIL. MELA.

C Ausa cadent }Causa cadit,qui repellitur ab actione,etiam antequam de causa pronunciatur.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Familiaris epistola,qua dicit se absentia Trebatii propter amorem torqueri. Gratulatur deinde illi,quod Mario se insinuauerit.

CICERO TREBATIO S. D. 15

Q Vàm sint morosi,qui amant, uel ex hoc intelligi potest : molestè ferebam antea te inuitum istic esse: pungit me rursus quod scribis te esse istic libenter:neque enim mea commendatione te non delectari facile patiebar:& nunc angor quicquam tibi sine me esse iucundum : sed tamen hoc malo nos ferre desiderium, quam te non ea,quæ spero,consequi.Quod uero in C. Marii suauissimi,doctissimiq́; hominis familiaritatem uenisti , non dici potest,quam ualde gaudeam.qui,fac,ut te quam maxime diligat.mihi crede,nihil ex ista prouincia potes,quod iucundius sit , deportare. Cura ut ualeas.

ASCENSIVS.

Q Vam sint,&c. Iocando dicit se moleste ferre id qđ prius placuit Galliam uidelicet placere Trebatio , deinde laudat & commendat familiaritatem eius cum Caio Mario,quem,ut ex superioribus epistolis patet,Cicero ipse magnopere obseruabat Morosus a moribus, prima longa dicitur,qui difficilis est,& uarius in moribus,ut cuius mores alii ferre non possunt,utpote cui nunc hoc,nunc illud placet,& utrunque sine comitate.Sed ordo est:Potest intelligi utrunque impersonaliter capitur,quam,idest quantum morosi, idest anxii & uariorũ & difficilium morum sint,supple,idest qui amant,uel idest , etiam, ex hoc,idest ex hac re quam dicturus est.Ego ferebam ,scilicet antea moleste te esse istic,idest in Gallia,aut apud Cæsarem inuitum, pungit,idest dolore afficit me rursus,idest e contrario, quod scribis te esse istic libenter.Probat utrunque,addens.Neque enim patiebar facile te non delectari commendatione mea,scilicet qua te commẽdabam Cæsari,hoc autem ideo fiebat,quia inuitus apud illum erat, quod Cicero tunc moleste ferebat,& ego angor nunc,quicquam esse iucũdum tibi sine me.Sed tamen ego malo,idest magis uolo , nos ferre,idest pati,hoc desiderium,scilicet tui absentis,quam te non cõsequi,idest obtinere a Cæsare,ea quæ spero,scilicet te consecuturũ. Vero.pro sed,non potest dici,quam idest quantum,ualde gaudeam quia uenisti in familiaritatem Caii Marii hominis suauissimi,& doctissimi,qui scilicet Marius,fac ut diligat te quam maxime . Satis consueto more ponitur qui , sed non construitur cum uerbo fac,sed cum diligat.consuetius diceretur,sed non elegantius,fac igitur ut is te quam maxime diligat &c.Crede mihi tu nihil potes portare ex ista prouincia:scilicet in qua apud Cæs.militas,quod sit iucundius scilicet quam diligi a tali uiro Cura ut ualeas.

I Stic esse}in Gallia.{C. Marii } Epistola uicesimaseptima , libri undecimi.

SEBAS. CORR. PHIL. MELA.

Q Vam sint morosi} Figuratum epistolium ex duobus pugnantibus affectibus.Illa autem antithesis habet gratiam. {C.Mariu.}Hic fuit intimus Cæsaris.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Iocatur in Trebatium,qui conquestus fuerat,se non sine honorum , quos Romæ adipisci citius potuerat,damno in prouincia hærere. Deinde petit, ut scribat Trebatius,quando in urbem sit uenturus.

CICERO TREBATIO S. D. 15

I N equo Troiano scis esse in extremo,SERO SAPIVNT. tu tamen mi uetule non serò , primum illas rabiosulas sat fatuas dedisti.deinde,quod in Britannia*non nimis φιλοθέωρον te præbuisti , planè non reprehendo . nunc uero in hybernis iniectus mihi uideris. itaque te commouere non curas .* VSQVEQVAQVE *sapere oportet.Id erit telum acerrimum.Ego si foris cœnitarem.Cn.Octauio familiari tuo non defuissem:cui tamen dixi,cum me aliquoties inuitaret , oro te , quis tu es?sed mehercule,extra iocum,homo bellus est:uellem eum tecum abduxisses.Quid agatis,ecquid in Italiam uenturi sitis hac hyeme,fac planè sciam.Balbus mihi confirmauit te diuitem futurum.id utrum Romano more locutus sit,bene numatum te futurum,an,quomodo Stoici dicunt,omneis esse diuites, qui cœlo, & terra frui possunt, postea uidero . Qui istinc ueniunt , superbiam tuam accusant,quod negent te,percunctantibus respondere. sed tamen est,quod gaudeas:constat enim inter omneis , neminem te uno Samarobrinæ iuris peritiorem esse. Vale.*

*alias sero.primas *a.l.non minus, quã Philoctetem

ASCENSIVS

I N equo Troiano,&c Questus fuerat Trebatius quod nondum magistratum assecutus erat,cui respondet Cic. hac epistola iocando, disputatque quomodo intelligat Trebatium futurum diuitem Sane cõtrouersia est inter doctos de lectione huius epistolæ. Angelus enim Politianus,homo anxie doctus non Philoctetẽn,sed Philoteorum legendum esse contendit,quod eius imitatori Petro Crinito non placet qui lib.III.cap XII.disciplinæ honestæ ita scribit M.Ciceronis locus exponendus est in epistola ad Trebatium iureconsultum , quo loco de Philoctete agitur,cui similem dicit Trebatium in locis uariis peragendis,deinde in Britannia inquit non minus quam Philoctetẽn te præbuisti,plane non reprehendo Quibus uerbis Cice.significat Trebatium ipsum parum certo loco consistere, sed peregre uagari,& spectacula complura quæritare ad exemplum Philoctetæ ut ex Græcis quoque fabulis colligimus,in quibus Philoctetes inducitur post acceptam iniuriam per uarias urbes ac regiones deferri. Sed eiusdem Cice.uerba repetenda sunt ex epistola ad Q . fratrem, ut apertius intelligamus quam sit absurda hoc loco mentio de Philoteorum.de Repub.inquit nimium te laborare doleo,& meliorem ciuem esse,quam Philoctetẽn, qui accepta iniuria illa spectacula, quærebat,quæ tibi acerba esse uideo.Ex his autem uerbis nemo est, qui non uideat Philoctetẽn esse legendum,non Philotheorum, quando & ueteres quoque codices huic sententiæ astipulantur . Quod ego cum Politiano retulissem,ingenue quidem & amice professus est,non fines modo se hac in re,sed ipsam quoque possessionem cõcedere.Hæc ille,quibus astipulandum censeo.Ordo autem est: Tu o Trebati,scis esse in equo Troiano , idest in ea fabula,quæ ab equo Troiano nomen sumpsit,in extremo idest in extrema parte fabulæ. Sero sapiunt,supple phryges,quod in prouerbium abiit,de iis qui post rem prudentes fiunt,cum serum est Vnde nascitur in Similem sententiam alterum adagium,passus stultus cognouit. hoc est acce-

pro uulnere, aut incommodo cognouit primum se male agere, prudentis autem est, ut Cice. alibi docet, non committere, ut dicendum sit, non putaram. Sed ordinem prosequamur. Tamen tu mi uetule, id est aliquantulum ueterane & experte, non sero sup. sapuisti, primã sup. quod dedisti illas &c. aut non sero. i. non minus tarde dedisti, illas primas. s. literas tuas rabiosulas. i. mordaces & litigiosas, unde tales homines more canino mordaces Rabulas uocant, sat. i. satis, fatuas. i. insulsas, & sine ratione mordentes. Deinde non reprehendo plane, quo præbuisti te in Britannia non minus quam Philoctetem. i. solertem comitem Cæsaris, ut Philoctetes erat Herculis, & indagatorem locorum minorum, & uariorum spectaculorũ, ut ex uerbis a Crinito citatis iam clare patuit, Vero: idest sed, tu uideris mihi nunc hybernis: idest cum sis in hybernis: idest locis tutis, ubi milites hyemare solent. dum per tempestatem rem gerere non licet, inictus: idest torpens & immobilis, ut iniectus aut in saccum, aut in antrum suum tempore hyemali, quod dormitando absumit. Itaq; . i. & ita, cum sis quasi iniectus securus & torpens, tu non curas te cõmouere, quod laudabile non est, quia oportet sapere usquequaq;, idest omni loco & tempore id telum: idest id uerbum reprehensoriũ erit acerrimum. s. cui resistere nequeas, cum non possis inficias ire quin uerum sit, & si uerum est, nullus erit locus, nullumq; tempus inertiæ & ignauiæ Nunc redit ad aliam partem epistolæ Trebatianæ. scripserat enim Trebatius gratum sibi fore, si Cic. familiaritatem cũ Cneo Octauio contraheret, ad quod apud Cice. more suo iocans dicit. Si ego cœnitarem. i. essem eius consuetudinis, ut cœnarem frequenter foris. i. extra domum meam, non defuissem. s. in cœna Cneo Octauio familiari tuo, cui tamen diui. s. satis superbe & contumeliose, cum inuitaret me. s. ad cœnam aliquoties. i. aliquantulum frequenter, oro te. i. quæso, dic mihi, quis es tu. s. ut apud te cœnem, Sed me hercule extra iocum sup. loquor, aut dempto ioco, quo, uti nescit, ipse est homo bellus. i. aliquantulum bonus & lepidus. uellem abduxisses eum tecum. s. in expeditionem, ut te oblectet q. d. mihi enim uoluptatem afferre nequit Fac sciam plane, idest omnino, quid agatis. s. uos omnes, Cæsar, tu & reliquus exercitus, & ecquid, idest an ne, uenturi sitis hac hyeme in Italiam. Balbus confirmauit mihi. i. firmiter asseruit te futurum diuitem. ego uidero. i. disquisiuero, hoc est disquiram, aut permitte ut disquiram postea, utrum. s. Balbus locutus sit te diuitem futurum more Romano, idest quo Romani aliquem diuitem censent, utpote te futurum bene, idest multũ, numatum, idest numis abundantem, an quo modo Stoici dicunt omneis esse diuites, qui possunt frui cœlo & terra, idest hac uita, in qua uescimur & aura ætherea, & terra crescentibus, aut quæcunq; contingunt & in hac uita, quæ per terram significatur, & futura quæ per cœlum, si modo dixero, Stoicos cognouisse uitam hominum in cœlo futuram. Supple homines aut nuncii, qui ueniunt istinc. i. e Gallia ubi tu es, accusant. i. arguunt & reprehendunt superbiam tuam, quod negent te respondere, idest quia dicunt te nõ respondere percunctantibus, idest te sciendi causa aliquid interrogantibus. Sed tamen est quod, idest propter quod gaudeas. Enim, idest quia constat, idest sine controuersia tenetur inter omneis, neminem esse peritiorẽ iuris te uno. i. solo, Samarobrinæ. i. in ea urbe Britanniæ, per quã totam insulam intelligit.

VICTORIVS.

TV tamen mi uetule} Hæc & uulgata, & antiqua huius loci lectio est: nos nihil mutauimus, etsi nonnullos scimus pro uetule βάκηλε emendare conatos. cuius tamen Græce uocis nullo in antiquo exemplari uestigium ullum uidimus scimus & nos βακήλους antiquo prouerbio appellatos esse languidos, & dissoluto corpore homines, & potius mulieres, quam uiros. non tamen recte facere existimamus, qui tam facile ueterem scripturam tollunt. appellat autem hunc uariis sæpe cognominibus, ut Testam etiam. quorum rationem si uelis conerisq;, fortasse nõ facile explicare possis {Non minus Philocteten &c.} Magna est eruditorum hominũ dissensio in huius loci declaratione, & scriptura: nos tamen opinionem nostram inter tantos authores libere proferemus, & fortasse in quo illi decepti sint, demonstrabimus. Et primo lectionem, quã Politianus restituit, uno tantum parum mutato uerbo, comprobamus: eadem enim exemplaria sequimur, quibus ille adiutus commodiorem hunc locum fecit. {Minus} tantum in {Nimis} facili & frequẽti admodum lapsu permutato. Nonnihil etiam ab eodem intellectu horum uerborum dissentimus: ni fallor enim, non parum peccat ille in huius rei historia putat enim Trebatium in insulam Britanniam accessisse, quod falsum est ex uerbis his Ciceronis, Qui neq; In Oceano natare uolueris, nec spectare essedarius. Item ex hoc loco confirmatiue, Sin æstiuorum timor te debilitat aliquid excogita, ut fecisti de Britannia Quæ declarant scire iam Ciceronem eum in Britanniam non profectum, cum dicat illi, ut aliquam causam quærat, ne faciat, quod non sibi commodum sit, ut fecerat de Britannia quo ire noluerit excusatione quapiam usus nam primo crediderat Cicero illum eo cũ Cæs. isse. Verba autem hæc. {In Britannia &c.} quæ (ut nos putamus) Politianum in errorem induxerunt, persuaseruntq; illi, ut crederet eo profectum Trebatium, illicq; ualde Philotheorum fuisse, non eam habent sententiam quam ille existimauit: sed. {In Britannia} sic intelligo, in expeditione, & negocio Britanniæ: quantum ad Britanniam, in nauigatione illa, quæ in Britanniam facta est, quo modo dicendi tam sæpe utitur hic author, ut non millies obseruasse pudor sit illis, qui aliquando ipsum uiderint nam credere Trebatium etiam si in Britanniam accessisset, in theatris uersatum, spectationibusq; operam dedisse iugitatem prælium ocioq; se asserentem, ut ille exponit: nimis ineptum mihi uidetur, indignumq; acerrimo hominis iudicio paucis enim diebus, quibus in maximis periculis in insula manserunt, non locus erat ludis, deliciisq;. Nos hic φιλοθέωρον intelligimus φιλοθεάμονα, φιλοθεωρητήν. Sic enim Græci appellant illum, qui nouas terras nouaq; loca semper uisere uult, studioq; peregrinationis mirifice tenetur, ut sitũ orbis terrarum spectet, moresq; diuersarum gentium, & instituta perdiscat, quemadmodum Plutar. in libello περὶ τῶν ἐκλελοιπότων χρηστηρίων dicit fuisse Cleombrotum quendam Lacedæmonium his uerbis: Κλεόμβροτος δὲ ὁ Λακεδαιμόνιος, πολλὰ μὲν ἐν Αἰγύπτῳ, καὶ περὶ τὴν Τρωγλοδυτικὴν γῆν πεπλανημένος, πόῤῥω δὲ τῆς ἐρυθρᾶς θαλάσσης ἀναπεπλευκὼς οὐ κατ' ἐμπορίαν, ἀλλ' ἀνὴρ φιλοθεάμων, καὶ φιλομαθής, οὐσίαν δ' ἔχων ἱκανήν, καὶ πλείονα τῶν ἱκανῶν ἔχειν οὐκ ἄξιον πολλοῦ ποιούμενος ἐχρῆτο τῇ σχολῇ πρὸς τὰ τοιαῦτα.

Et hanc denique sententiam esse horum uerborum putamus, ut Cicero dicat se laudare consilium Trebatii, quod non fuerit ex hoc hominum genere, qui omnia uisere cupiunt multos enim illuc studio uidendæ insulæ, quæ tunc tanquam nouus orbis Romanis aperta erat, libenter accessisse uerisimile est, cum nauigatio illa multorum periculorum & incommodorum plena esset. ut sapientius fecisse uideretur, qui neglecta gloria, contemptaq; etiam loci spectatione, aliquam causam inuenerunt, quare illuc non irent, quod fecisse Trebatium lætatur. simulq; ut parum militarem uirum, nec bellicæ laudis auidum, clam taxat, quod etiam aliis locis ioci gratia libenter facit. Restat nunc, ut Crinito, qui aliter hunc locum intellexit, respondeamus. ipse enim contra Politiani emendationem Philocteten tuetur, multumq; sibi in ea expositione placet, cum dicat etiam Politianum cum de hac re sermonem cum eo haberet, errorem suũ agnouisse, libenterque in suam sententiam uenisse: quod miror uirum pertinacem in tam bona causa tam facile manus dedisse, & non animaduertisse alium intellectum habere uerba illa Cice. quibus nititur aduersarius, & longe diuersum ab eo, quem ille credidit. nec. n. puto hoc Crinitum commentum esse, sunt autem hæc uerba, quæ Crinitus putauit pro se facere ad Q. Fratrem lib. I I. De Rep. Nimium te laborare doleo, & meliorem ciuem esse, quam Philoctetam, qui accepta iniuria, ea spectacula quærebat, quæ tibi acerba esse uideo. Hanc autem illorum sententiam esse puto, Querebatur Quintus Rempub. eo tempore in magnis malis uersari. ualdeque de eius miseriis animo cruciabatur: reprehendit hominem Marcus, quod tantum ei publica damna dolerent, & meliorem ciuem eum esse dicit, quam Philoctetam, qui accepta iniuria a Græcis, in illas eos calamitates cecidisse gaudebat, quas Quintus in sua Repub. esse moleste ferebat. Desiderabat Philoctetes damna & infortunia Græcis, quia se in insula destitutum meminerat. Quintus uero etsi, cum fratre graues ærumnas ob Rempubli. perpessus erat, tamen cum sciret, eam multis malis conflictari. ut bonus ciuis, qui iniurias patriæ obliuisci debet, iniquo animo ferebat. Damnat igitur eius consilium Cicero, nec debere illam ob id se nimis macerare ostendit, cum post tot accepta beneficia nimis in ipsos ingrata Respu. fuisset, ut facile ferre debeant eius naufragia. quam sententiam persequitur ad Atticum scribens lib. I I I I. in epistola cuius est initium. {Occupationum mearum} Tam graues enim fuerant in Ciceronem inimicorum iniuriæ, & tam acerba exilii memoria: ut cum se a Repub. destitutum fuisse recordaretur, non posset aliquando in eam satis placato animo esse. quærebat autem spectacula: intelligimus lætitiam capiebat rem eo deductam, ut qui sibi damnum intulissent, pœnas darẽt suæ petulantiæ, ut loquitur lib. X. ad Atticum de Dionysio: Et homini non amico nostra incommoda, tanta præsertim, spectaculo esse nollem. Idest, præbere illi uoluptatem. Libenter enim, qui se male tractatus iudicant, uident in aduersa fortuna constitutos, quos sibi mali causam fuisse arbitrantur, eamq; delectationem capiunt ex illorum infortuniis & miseriis, quam ex aliquo spectaculo capere homines consueuerunt. Nihil igitur facit ad locum hunc in epistola Trebatii, locus ille ad Q. Fratrem. Nus autem utrunque quemadmodum intelligi debere credimus, pluribus uerbis exposuimus: sed res de qua tanta controuersia extiterat, non potuit breuius explicari.

PAVL. MANV

NOn nimis φιλοθέωρον} Aliter antea in omnibus impressis. nos, ut in nostro libro legitur, emendauimus, & impressimus septimum ab hinc annum, iocans enim ut solet, dicit se Trebatium non reprehendere, quod non nimis spectandi cupidus fuerit, idest, quod in Britanniam profectus non sit, ut

eſſedarios ſpectaret.tacite autem ut ignauum,& puſilli animi ſubaccuſat,qui Cæſarem in Britanniam ſequi ad bellum noluerit.{Reſpondere}Negant,inquit,eſſe qui percunctentur: cum homines te iureconſultum imperitum exiſtiment.Iocatur enim in uerbo reſpōdere,quaſi dicat,negante te habere,cui reſpondeas,cum ſcilicet nemo te conſulat.

SEBAS. CORR.

IN equo Troiano} Liuii Andronici tragœdia. {Sero ſapiunt} Phryges {Mi uetule}conſilio & prudentia.ſed iocatur more ſuo.{Sat fatuas dediſti}quando te iſtic inuitum eſſe ſcripſiſti: ſed paulopoſt,cum ſapere incepiſſes,ſcripſiſti item,te eſſe iſtic libenter.propterea tu non ſero ſapis.{In Britannia}de Britannia: nam eo profectus non es {Non minus,quam Philocteten} qui uulnere impeditus,ire ad bellum Troianum non potuit,ſed in Lemno remanſit:ſic tu,ſimulato neſcio quo dolore,ne in Britanniam ires,in Gallia reſtitiſti,idq; etiam fuit non ſero ſapere.Qui uero, Non nimis philotheoron,ſcribunt,cum intelligi uolunt,qui nouas terras, & noua loca ſemper cupiat uiſere.ne quod de ſpectaculis quidam dicunt,referam.{Quis tu es?}Et ſupra terræ,filium appellauit.{Reſpondere}Idem de Valerio epi.IX.lib.I.dixit.{Conſtat enim inter omnes}Iureconſulti ſic loquuntur.

BERN. RVT.

IN equo Troiano ſcis eſſe,in extremo ſero ſapiunt. tu tamen,mi uetule,non ſero}Non habent uerba hæc id ſenſi,quod expiſcatus eſt neſcio unde Clericus,ſed hoc dicit:Cum mihi primis illis tuis literis deſipere,atq; ineptire uidereris,deſiderio urbis atque urbanitatis nimio:ut epiſt.I.ad Trebatium ſequentiq;:Nō diu poſt ad ſanitatem rediſti,quando in Gallia libenter eſſe cœperis, ut proximis literis.Eſt uero neſcio quid apud Beroaldi adnotamenta in hunc locum,ſi ſatis memini.{Deinde,quod in Britannia non minus,quam Philotheoron te præbuiſti}Qui primus locum reſtituit Politianus,idem nō ſatis ne ipſe quidem ſenſum aſſequutus eſt.Ego quod uideo non minus Philotheoron eſſe dici adeo in illo Mediceæ familiæ exemplari,exiſtimo(ſenſum ſequutus)Non nimis,a Cicerone ſcriptum.ut,Quam inueſtitium ſit.Illud autem ſine dubio demonſtrat.id enim ad eundem ſcripſit:Sed tu,inquit,in re militari multo es cautior,quā in aduocationibus,qui neq; in Oceano natare nolueris ſtudioſiſſimus homo natandi,neq; ſpectare eſſedarios, quem antea ne Andabatam quidem defraudare poteramus cui loco nos uerum(ui fallimur)ſuumq; reddidimus ſenſum. inde pendet. {Conſtat enim inter omnes,neminem te uno,&c.}Iureconſultis frequens oratio,inter omnes conſtat:ut id quoque in Trebatium cauilli loco ſit.Cicero enim non raro ſolemnes quaſi quaſdam iuriſperitorum complexiones irridet:ut & ante,& poſt multis locis, in hiſce Trebatianis epiſtolis.

PHIL. MELi.

TV tamen mi uetu[illegible]comprobatio,quod ſibi caueat,& ſit in locis tutis.Et hāc initio amplificat,repetitis aliis ſignis prudentiæ & diligentiæ.

Ex Angelo Polit. Miſcel. c.lxxxvii.

IN equo Troiano ſcis eſſe,in extremo,Sero ſapiunt}Ita ſcriptum fere in cunctis exemplaribus inuenitur.{Deinde,quod in Britannia non minus,quam Philocteten te præbuiſti, plane non reprehendo}Diu me torſeram maceraueramq; eliciendo ſenſum de uerbis his,neq; procedebat.Quorſum enim de Philoctete hic Cicero?Sed enim poſtea codicem illum uetuſtiſſimum,Laurentii Medicis opera ſum nactus,quem & ſuperius citaui, minus multo, quam cæteri deformatum,inquinatum,peruerſum, conturbatum, nam in eo ſic erat: Deinde quod in Britannia non minus Philotheorum te præbuiſti,plane non reprehendo.Nam Philotheorus is eſt, qui ſpectationum ſtudioſus,qualem ſe Trebatius,in Britannia præbuerat, dum prælium fugitans otio ſe aſſerit,in armis mediis. Ex quo Ciceroni materia ioci & cauilli.

PHIL. BERO.

IN equo Troiano ſcis eſſe in extremo,Sero ſapiunt} Neoterici iteri,hoc eſt recentiores interpretes,magis implicant,quā explicant ſenſum epiſtolicum Scire autem debes uetus,hoc fuiſſe prouerbium,Sero ſapiunt Phryges,quod a Troianis natum eſt,qui decimo demum anno uelle cœperant Helenam, quæq; cum ea erant rapta,reddere Græcis,a quibus decennali bello preſſi,uaſtati,uexati fuerant.Sed ſapientia Troianorum ſerotina erat, & nimis tarda, qui tunc demum reſipiſcere cœperant,cum res eorum forent deploratæ,& ægritudo irremediabilis.Hoc autem prouerbium continebatur in extrema tragœdiæ parte,cui titulus erat Equus Troianus: quam Liuius poeta apud Latinos uetuſtiſſimus cum primus condidit.unde a grammaticis citantur teſtimonia Liuii ex Equo Troiano Huiuſce prouerbii mentio fit in codice Feſti Pompeii integriori, ex quo excerpta exſcriptaq; ſunt illa,quæ uulgi manibus iugiter cōteruntur. Iam ſatis liquet,opinor cur Cice.dixerit,eſſe in Equo Troiano,ſero ſapiant,uidelicet alludens ad prouerbium illud. Sero ſapiunt Phryges,quod in extrema fabulæ clauſula legebatur.

Pet Crin. lib.iij.ca. xii.

M. CICERONIS Locus exponendus eſt in epiſtola ad Trebatium Iureconſultum,quo loco de Philoctete agitur cui ſimilem dicit Trebatium in locis uariis peragrandis. {Deinde quod in Britannia,inquit non minus,quam Philocteten, te præbuiſti,plane non reprehendo}Quibus uerbis Cicero ſignificat Trebatium ipſum parum,certo loco conſiſtere, ſed peregre uagari,& ſpectacula complura quæritare, ad exemplum Philoctetis, ut ex Græcis quoq; fabulis colligimus.in quibus Philoctetes inducitur poſt acceptam iniuriam per uarias urbes,ac regiones deferri. Sed eiuſdem Ciceronis uerba repetenda ſunt ex epiſtola ad Q.Fratrem ut apertius intelligamus, quam ſit hoc loco abſurda mentio de Philotheoro:De republica,inquit,nimium te laborare doleo,& meliorem ciuem eſſe,quam Philocteten.qui accepta iniuria,illa ſpectacula quærebat,quæ tibi acerba eſſe uideo. Ex his autem uerbis nemo eſt,qui non uideat Philocteten eſſe legēdum, non Philotheorum.quando & ueteres quoq; codices huic, ſententiæ adſtipulantur.Quod ego cum Politiano retuliſſem,ingenue quidem & amice profeſſus eſt,non fines modo ſe hac in re,ſed ipſam quoq; poſſeſſionem concedere.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Laudat Trebatium,quod iam conſtantiam quandam induerit, & in prouincia libenter maneat:deinde Trebatii præſentia ſe ægre poſſe carere docit,& quantum illum Cæſari commendarit exponit. poſtremo hortatur, ut commode Cæſare fruatur.

CICERO TREBATIO S. D. 17

*EX tuis literis & Quinto fratri gratias egi,& te aliquando collaudare poſſum,quod iam uideris certa aliqua in ſententia conſtitiſſe: nam primorum menſium literis tuis uehementer commouebar, quod mihi interdum(pace tua dixerim) leuis in urbis,urbanitatiſq; deſiderio,interdum piger, interdum timidus in labore militari,ſæpe autem etiam quod à te alieniſſimum eſt, ſubimpudens uidebare:tanquam enim ſyngrapham ad imperatorem, non epiſtolam,attuliſſes,ſic pecunia ablata domum redire properabas?nec tibi in mentem ueniebat,eos ipſos.qui cum ſyngraphis ueniſſent*Alexandriam:nullum adhuc numum auferre potuiſſe. ego ſi mei commodi rationem ducerem,te mecum eſſe maxime uellem: non enim mediocri afficiebar uel uoluptate ex conſuetudine noſtra uel utilitate ex conſilio.atque opera tua.ſed cum te ex adoleſcentia tua in amicitiam.& fidem meam contuliſſes:ſemper te non modo tuendum mihi,ſed etiam augendum, atque ornandum putaui. itaque quoad opinatus ſum me in prouinciam exiturum, quæ ad te ultro attulerim,meminiſſe te credo. poſteaquam mea mutata ratio eſt.cum uiderem me à Cæſare honorificentiſſime tractari,& unice diligi,hominiſq; liberalitatem incredibilem,& ſingularem fidem noſſem:ſic ei te commendaui,& tradidi,ut grauiſſime, diligentiſſimeq; potui.quod ille ita & accepit,& mihi ſæpe literis ſignificauit,& tibi uerbis,& re oſtendit, mea commendatione ſeſe ualde eſſe commotum.hunc tu uirum nactus,ſi me aut ſapere aliquid,aut uelle tua cauſa putas,ne dimiſeris:& ſi qua te forte res aliquando offenderit,cum ille aut occupatione,aut difficultate tardior tibi erit uiſus,perferto,& ultima expectato:quæ ego tibi,& iucunda,& honeſta præſtabo.pluribus te hortari non debeo:tantum moneo,neque amicitiæ confirmandæ clariſſimi,ac liberaliſſimi uiri,neque uberioris prouinciæ, neque ætatis magis idoneum tempus,hoc ſi amiſeris te eſſe ullum unquam reperturū.hoc quemadmodum uos ſcribere ſoletis in ueſtris libris,idem Q.Cornelio uidebatur.In Britanniam te non eſſe profectum,uehementer gaudeo, quod & tu labore caruiſti,& ego te de rebus illis non audiam. ubi ſis hybernaturus,& qua ſpe,aut conditione, perſcribas ad me uelim. Vale.*

*a.l.Alexia.

ASCENSIVS.

EX tuis literis &c.}Laudat Cicero, quod Trebatius ex conſilio Q.Fratris ſui Galliis placeat, monetq; ut utilitati ſuæ conſulat,& utatur commoditate temporis, & Cæſa.cui eum diligenter commendat Ordo autem eſt. Ego &.i.ſimul,egi ex literis tuis.i.poſtquam legi literas tuas,ex iis,quæ in literis tuis erant,gratias Q.Fratri.ſ meo eſt enim Cice.frater,& poſſum collaudare te aliquando.i.tandem,q uideris iam conſtitiſſe in ſententia certa.i.propoſito firmo. Nam ego commonebar

monebat uehementer literis primorum mensium.i.quas primis mensibus, postquam hinc profectus eras ad nos dedisti, quod uidebare mihi interdum, dixerim i.liceat mihi id dixisse, pace tua s.salua, leuis.i.mobilis & inconstans, in desiderio urbis.s Romæ, & urbanitatis.i urbanæ uitæ, & politiæ Romæ, & uidebare interdum impiger .i.acer & strenuus, interdum timidus in labore militari, & ita inconstans, ac leuis fuit: autem.i.sed, uidebare etiam sæpe subimpudens .i.aliquantulum, licet non plane impudens, quia ea, quæ non debebat petebat.ut supra patuit, tribunatus commoda sine labore militiæ, quod.i.esse impudentem, est alienissimum a te.i.a consuetis moribus tuis. Probat impudentem fuisse. Enim.i.quia tu properabas pecunia.s.ex stipendio assignata, abiata properarem domum sic tanquam attulisses ad imperatorem.s.Cæsare syngrapham.i.schedulā, expectatione conscriptam, in qua obligatus esset Cæsar eam afferenti statim pecuniam numerare, & non sup.attulisses epistolam.s.commendatitiam, qua te illi commendaueram, ut in militia te humaniter tractaret, non ut recepta pecunia statim abires. Nec ueniebat tibi in mentem eos ipsos, qui uenissent Alexandriam.i.in eam urbem ubi scripti fuerant milites, cum syngraphis.i. scriptis obligatonis, nullum potuisse adhuc auferre numum. Ego si ducerem rationem.i. haberem respectum commodi mei, uellem maxime te esse mecum, non enim afficiebar mediocri, uel uoluptate, ex consuetudine i conuersatione & communione nostra, uel utilitate ex consilio.s.tuo, & opera tua.i.labore & industria. Sed cum contulisses te ea i ab adolescentia tua, in amicitiam & fidem meam, ego putaui te semper, nō modo tuendum.i.protegendum mihi.i a me, sed etiam augendum atq; ornandum.s.honoribus & diuitiis Itaq; i.& ita quoad.i quandiu, opinatus summe exiturum in prouinciam, credo te meminisse, quæ attulerim ultro.i.non rogatus, ad te q.d promisi te mihi legatum, aut Quæstorem ore Posteaquam mea ratio i.conditio est immutata: quia prouincia non erat mihi commissa, cum uiderem me tractari honorificentissime a Cæs.& diligi unice.i.singulariter, ut parentes unicum diligunt filium, & nossem i.cognouissem liberalitatem hominis.s.Cæsaris, & incredibilem, & singularem fidem.i.fidelitatem, in amicitia conseruanda aut pollicitis exequendis. Ego commendaui & tradidi.i.fideicommissi, ei.s.Cæsari te sic, ut potui, grauissime & diligentissime, quod.i quam commendationem meam, ille.s Cæsar, &.i.simul, accepit ita.s.grauissime & diligentissime a me facta, & significauit.i.indicauit mihi sæpe literis.s.suis, & ostendit tibi uerbis & re, sese esse ualde commotum.i.affectum erga te, commendatione mea. Tu nactus.i.adeptus hunc.i.talem uirum, ne dimiseris.i.caue dimittas, si tu putas me, aut sapere aliquid, aut uelle aliquid causa tua i.pro utilitate tua. Videtur hoc loco aut, copulatiue debere accipi, nam alterum non sufficeret. Si enim maxime saperet Cicero, & non bene uellet Trebatio, stultus esset si illi acquiesceret, & contra, si optime uellet, nec quicquam saperet, non esset illius consilio standum. Et si quid.i aliqua res, offenderit.s.læserit, & displicentia affecerit forte aliquando te.s.apud Cæs Cum ille.s Cæsar erit uisus tibi tardior.s.ad uota tua perficienda, aut occupatione s.sua, aut difficultate.s.rei quam petieris, perferto.i ad finē usq; ferto, & expectato ultima.i.exitum rei, quæ s.ultima, ego præstabo i.efficiam, aut exhibebo tibi, iucunda & honesta. Ego non debeo exhortari te, pluribus s.uerbis.tantum, idest duntaxat.moneo scilicet te.tempus: sup.nullum esse, aut fore magis idoneum, idest aptum, neq; amicitiæ uiri clarissimi, ac liberalissimi: uidelicet Cæsaris, confirmandæ, idest stabiliendæ, neq; prouinciæ uberioris, idest pinguioris.in qua tibi posset consulere.neq; ætatis, cum sis in ætate in qua & labores obire, & gratiam promereri facillime possis. Si tu amiseris hoc: scilicet temporis, idest hanc opportunitatem & occasionem, quia Fronte capillata post est occasio calua: sup. moneo te, te nullum reperturum esse unquam scilicet aliud tempus tantæ commoditatis, Hoc idem: scilicet quod te moneo, uidebatur Quin. Cornelio uiro prudenti, & tibi amico, quod sup.per eius authoritatem confirmo, quemadmodum uos scilicet iurisconsulti, soletis scribere in libris, idest instrumentis, uestris: dum opiniones uestras confirmatis opinionibus aliorum iurisconsultorum subscribentium nobis. Ego gaudeo uehementer, & tamen prius risit, te non esse profectum in Britanniam, superius tamen iocando dixit eum Philoctetem, ob talem deambulationem. quod, &: idest simul caruisti labore. Et ego si illic esses, non audiam te de rebus illis, quas illic agas. Velim: sup.ut perscribat, idest ad perfectum, & plane scribas, ad me ubi sis hyematurus, idest hyemem in hybernis transacturus & qua spe, aut conditione i.quam cōditionē tibi Cæs.obtulerit, de qua speres.

SEBAS. CORR.

Eos ipsos} D Rabirium Posthumum, & eius amicos. Episto.I. lib.I {Cum syngraphis} in Albano Pompeii factis, de pecunia regi Alexandrino a Rabirio suppeditata. {Exiturū} Pompeii legatum Episto.V. huius libri. {Te de rebus illis} magnifice, & insolenter referentem. {Non audiam} cum fastidio, sed iocatur.

BERN. RVT.

Nec tibi in mentem ueniebat, eos ipsos qui cum syngraphis uenissent Alexandriam nullum adhuc numum auferre potuisse} Existimo significari C. Rabirium Posthumum, cæterosq;, qui Ptolemæo Alexandrino regi pecunias crediderunt. Cicero pro Rabirio: Pulsus interea, inquit, regno Ptolemæus dolosis eū filiis, ut dixit Sibylla, sensit Posthumus, Romam uenit. huic egenti & roganti hic infelix pecuniam credidit nec tum primum: nam regnāti crediderat absens nec temere se credere putabat. quod erat nemini dubium quin is in regnum restitueretur a S.P.Q.R. Et infra: Quanquam ad sumptum itineris, ad illam magnificentiam apparatus comitatumq; regium suppeditata pecunia a Posthumo est, factæq; syngraphæ sunt in Albano Cn. Pompeii cum ille Roma profectus esset, &c. Ibidem Dominatus est enim, inquit, Alexandriæ imo uero in superbissimo dominatu fuit, pertulit ipse custodiā, uidit in uinculis familiares suos, mors ob oculos sæpe uersata est, nudus atq; egens ad extremum fugit e regno. denique pluribus uerbis contendit in ea oratione Cicero, creditam pecuniam nunquam a rege exegisse Posthumum: in quem hoc loco iucunde ludit multo tamen magis ridendo diuinaculo interprete. {Et ego te de rebus illis non audiam} iactantem scilicet ac gloriantem, magis quam, ut interpres, quetentem. iocatur enim hic quoq; Cicero.

PHIL. MELā.

Ex tuis literis} Adhortatio, ne occasionem augendæ rei familiaris amittat Sed præcedit longa narratio, quæ continet reprehensionem inconstantiæ & imbecillitatis, cuius principio significationes quasdam dederit Trebatius. Deinde addit occupationem, cur eum a se dimiserit. {Ex tuis literis} Narratio. {Ego si mei commodi} Occupatio, quare eum a se dimiserit. {Hunc tu uirum} Adhortatio, ne occasionem rei familiaris augendæ amittat. {Pluribus te} Epilogus.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Scopus epistolæ adhortatorius est, ut Trebatius in proposito perseuerandi in prouincia maneat, Aspersi sunt aliquot ioci sui ex locis petiti, utique noris.

CICERO TREBATIO S. D. 18

*Accepi à te aliquot epistolas uno tempore, quas tu diuersis temporibus dederas. in quibus me cætera delectarunt: significabant enim te istam militiam iam firmo animo ferre, & esse fortem uirum, & constantem: quæ ego paulisper in te ita desideraui, non imbecillitate animi tui, sed magis ut desiderio nostri te æstuare putarem. quare perge, ut cœpisti: forti animo istam tolera militiam. multa, mihi crede, assequere: ego enim renouabo commendationem, sed tempore: sic habeto, non tibi maiori esse curæ, ut iste tuus à me discessus fructuosissimus tibi sit, quàm mihi. itaque, quando uestræ cautiones infirmæ sunt, græculam tibi misi cautionem chirographi mei. Tu me uelim de ratione Gallici belli certiorem facias: ego enim ignauissimo cuiq; maximam fidem habeo. sed ut ad epistolas tuas redeam, cætera belle: illud miror: quis solet eodem exemplo plureis dare, qui sua manu scribit? nam quòd in palimpsesto, laudo equidem parsimoniam. sed miror, quid in illa chartula fuerit, quod delere malueris, quàm * hæc scribere: nisi forte tuas formulas: non enim puto te meas epistolas delere, ut reponas tuas. an hoc significas, nihil fieri, frigere te, ne chartam quidem tibi suppeditare: iam ista tua culpa est, qui uerecundiā tecum extuleris, & non hic nobiscum reliqueris; ego te Balbo, cum ad nos proficiscetur, more Romano commendabo: tu, si interuallum longius erit mearum literarum, ne sis admiratus. eram enim absuturus mense Ap. has literas scripsi in Pontino, cum ad uillam M. Æmylij Philemonis diuertissem: ex qua iam audieram fremitum clientium meorum, quos quidem tu mihi conciliasti: nam Vlubris honoris mei causa uim maximam ranunculorum se commoße constabat. Cura ut ualeas. VI. Id. Apr. de Pontino.*

* a l. ex scribere.

ASCENSIVS.

Accepi a te &c. Aegre tulerat Cice. quod Trebatius significarat se inuitum esse in prouincia. quod cum accepisset, scripsit multas epistolas Cic significans se fortiter militiā ferre & libenter esse cum Cæsare. Quod Ci. nunc sibi placere dicit: iocose tamen more suo cum eo agens. Ordo est: Ego accepi a te uno tempore aliquot epistolas, quas tu dederas.i.miseras ad me, ut dederas tabellariis diuersis temporibus in quibus cætera: Idest præter quam, quod non essent suo tem-

pore perlatæ, placebant mihi. Significabant enim te ferre iam animo firmo istam militiam: scilicet sub Cæsare, & esse uirum fortem, & constantem. quæ s. duo iam dicta ego desideraui paulisper. i. per parum temporis, ita ut non putarem te æstuare imbecillitate animi tui. i. pusillanimitate, sed magis putarem te æstuare. i. ardere, desiderio nostri. Quare perge. i. procede, & perage inceptum, ut cœpisti, & sup. tolera istam militiã animo forti, tu crede mihi, assequere multa. s. commoda per eam: ego enim renouabo commendationem. i. tui apud Cæs. sed tempore. i. tempestiue Habeto sic. i. firmiter tibi persuade non esse tibi maiori curæ, quam mihi, ut iste discessus tuus a me sit tibi fructuosissimus. i. utilissimus. Itaq; quando. i. quandoquidem cautiones uestræ. i. quas uos milites facitis imperatori uestro de militia perferenda, sunt infirmæ. i. parum creditæ apud imperatorem, misi tibi, quam Cæsari dares, cautionem græculam. i. more Græco, nõ literis, ut Hubertinus interpretatur scriptam, hoc est qua pro te me & mea obligo. Nam Græci nulli solent adhibere fidem nec quicquam uendere nisi præsenti pecunia, qua, qui, quid emunt dicunt se apud Comicos Græca fide mercati, chirographi mei. i. obligatoris manu mea scripti. Ego uelim sup. ut tu facias me certiorẽ, de ratione. s. forma & conditione belli Gallici. Ego enim habeo fidem maximam. i. maxime credo, cuiq; ignauissimo. i. nihil ualenti ad rẽ bellicam Sed ut redeam ad epistolas tuas cætera sup. scripsisti, aut scripta sunt, belle. i. bene, & decenter. illud miror. s. quod plures tuo exemplo scriptas ad me dedisti literas: Quis enim qui scribit sua manu, & non dictat, quæ alii excipiant & scribant, solet dare plures. i. epistolas, aut literas, eodem exemplo. i. eisdem uerbis & forma scriptas? q d nemo accidit tamen aliquando dum tabellarii incerti sunt. Nã sup. quod scripsisti in Palimpsesto. i. in iterum raso, siue tabella, siue chartula, aut membranula, equidẽ. i. ego certe, laudo parsimoniam tuam, qui noluisti tabellas nouas perdere dando eas ad me & ita tacite notat Trebatium auaritiæ. Sane ψάω pſao rado significat, inde ψηστὸς, res ut tabella, aut alia rasa, & πάλιν iterum significat. Vnde palimpsestos res iterum rasa. Sed miror quid fuit in illa chartula. s. rasa, quod malueris delere, quam scribere huc. i. ad nos, nisi forte malueris delere formulas tuas. i. regulas iuris, aut formas instrumentorum conficiendorum. Non enim puto te delere epistolas meas radendo. s. membranas, in quibus scribo ut reponas. i. iterũ eisdem scribas tuas. s. epistolas. An significas hoc, nihil fieri. s. uero rum tibi in exercitu? te frigere. i. ociosum esse? nec quidem i. & non saltem, suppeditare. i. administrare tibi chartam? aut si est suppeditari, lege, ne quidem. i. non saltem chartam suppeditari. i. subministrari tibi ad scribendum? Iam ista culpa s. qua te tam prudenter taxo, est tua, qui extuleris. i. extra urbem tuleris tecum, & non reliqueris hic nobiscum uerecundiam. Ego commendabo te Balbo more Romano. i. ingenue & fideliter, ut Romanum decet, cum. i. quando, sup. Balbus proficiscetur. i. istinc discedet ad nos. Tu, si interuallũ. i. intercapedo & intermissio literarum mearum, erit longius. i. diuturnior ne sis admiratus: eram enim abfuturus. s. domo mense Aprili. ego scripsi has literas in Pontino. i. agro illo in finu Cumano, cum diuertissem. i. causa hospitii a uia me uertissem ad uillam. i. domum in agro sitam, Metrilii Philemonis, uiri sic dicti, & utriq; noti, ex qua. s. uilla, ego audieram iam strepitum clientum meorum. i. hominum liberorum me colentium, ut illis patrocinium præstarem, quos quidem clientes tu conciliasti. i. comparasti mihi, eo quod pro eis Cice. Trebatium consulere solebat Nam constabat. i. manifestum & in confesso erat, maximam uim. i. multitudinem, ranunculorũ. i. paruulorum hominum, rustice simul loquentium, in morem ranarum, commosse. i. commouisse, se Vlubris. i. in eo oppidulo inculto, causa honoris mei. i. ut me honorifice acciperent cura ut ualeas. Scriptũ sup. de Pontino. i. de eo loco. Sexto Idus Aprilis.

VICTORIVS. EGo enim renouabo commendationem, sed tẽpore} Nos quin hæc lectio, & integra, & incorrupta sit, non dubitamus: uoluimus tamen antiquam quandam scripturam a nobis animaduersam notare, quæ fortasse aliquem, qui eam non obseruasset, perturbaret, molestiamq; ei non paruam exhiberet ut uideant omnes non posse quemlibet uetera exemplaria tractare. Hoc loco uetustissimus ille Mediceus codex, & alter etiam non malus, non æque tamen antiquus, pro (tempore) habent. {Tam,} fractam omnino, & parum commodam hoc loco uocem. ipsi unius literæ mendum ibi esse existimamus, deceptumq; librarium {Tam,} pro. {Tem,} scripsisse. Non semel autem in priscis exemplaribus, sic concisam hanc uocem reperies: ut prima ad Atticum epistola in uetere illo nostro codice sic locus hic scriptus est, Nos initium prensandi facere cogitaramus eo ipso tem quo tuum puerum, &c. pro tempore, ubi uulgati codices. {Die} habebant, ab illis, ut putamus, repositum qui hãc scribendi rationem non animaduerterant, & quid intelligi deberet, suo ingenio ferme perspexerant. Item ille lib X. Quod me mones, de uultu, & oratione, ac tem. accommodanda pro, ad tempus qui locus etiam corrupte legebatur. {Ad rem} cum enim nõ intelligerent posteriores librarii, nimis temere, & indocte. {Tem} in {Rem} conuerterunt: Harum minutarum, pusillarumq; rerum inscitia maximas peruersiones, labesq; gignit in antiquis uoluminibus describendis nos tam tenuem notationem aspernatos non esse neminem mirari volumus: ducti enim studio iuuandi pro imbecillis nostris uiribus hunc præclarissimum authorem, ad omnia dum desiderium nostrũ expleamus, descendimus. cupimus autem hanc nostram diligentiam in bonam partem accipi: illos certe, qui quandoq; in hoc negocio laborarunt, sedulitatem nostram, non contempturos credimus, & speramus. Eo autem loco, qui paulo post sequitur. {Quando uestræ cautiones} antiqui codices etiam illi probatiores & antiquiores. {Causationes} pro cautiones habent. nos hoc erratum librarii putamus, sed tamen non dissimulauimus: peritiores rem subtilius considerabunt.

Ex poste. eiusdem. QVam hæc scribere} Vera ne sit nonnullorum coniectura, alii indicabunt: meliores certe libri, ac manuscripti fere omnes a nostris nihil discrepant. Ita quondam legebatur hic locus, ut non malus omnino sensus ex ea scriptura eliceretur, atq; ille quidem satis planus. {Quam hæc non scribere} ut dicat Cicero, se mirari, quid nam ibi scriptum ante fuerit, ut sine culpa deleri posset, ut quæ scripserat, postea reponerentur. Solemus enim insulsa, malaq; delere, ut bona reponamus nihil autem deterius iis, frigidiusq; esse poterat. Quare ostendit, se non probare consilium eius, & in hac se facetissime ludit. Veruntamen optima exemplaria dissentiunt, unum tamen ex multis, quod negantem illam particulam haberet studio, ac diligentia amicorum inuentum est. {Cum ad uillam Metrilii Philemonis} In cunctis antea impressis ita legebatur: manu etiam scripti, quos uidi, neq; inter se, neq; ab impressis dissentiunt. Scripserunt tamen nonnulli, satis leui coniectura ducti. {M. Aemylii Philemonis} quos nisi aliquid certius inuenerint non sequar Non mirum autem uideri debet, tenuis hominis, ac libertini mentionem alibi non reperiri. {Epistolam tuam, quã accepimus ab L. Aruntio} Ante hæc uerba titulus nullus est in manuscriptis codicibus, quod nos quoq; seruamus: nec noua epistola hæc est, sed potius addita superiori. Cum enim iam literas scripsisset, diemq; quibus dari debebant, adposuisset, aliud in mentem redijt, quod prætermittere noluit, quemadmodum sæpe in scribendo fit. Vnde apud nos quoq; pars illa epistolæ nomen inde accedit, quod post petora illa iam scripta confecta sit. Ex indice, qui ante singulos libros in Mediceo exemplari est, hoc præclare etiam intelligi potest, cum enim singulis epistolis tituli addantur, nulli leguntur ante uerba illa. {Epistolam tuam, quam accepi} Quia tamen nouum hoc erat principium literarum post primum illud uerum initium, huius etiam membri primæ uoces adponuntur: ita enim ibi legitur.

CICERO TREBATIO SAL.

ACCEPI A TE ALIQVOT EPISTOLAS. .

EPISTOLAM TVAM QVAM ACCEPI A B L. ARVNTIO.

Adde quod dies ascripta non est, quod in fine superioris epistolæ iam adposita erat. {Græculam tibi misi cautionem chirographi mei} Puto sensum esse commendaui te Cæsari literis græce scriptis. {Quam hæc scribere} Suspicor mendum subesse. mihi enim perobscurus est sensus: & ut libere dicam quod sentio, legendum crederem, quam exscribere, nulla propemodum mutatione facta deprauationis enim origo ut opinor, ea fuit. de scribendis libris sæpe duos præficimus, qui legat, & qui de legente excipiat, ut. s. celerius, & certius id muneris conficiatur. cum autem is, qui legeret, protulisset exscribere, credit scriptor, ecscribere, dictum esse: itaq; fecit in libro. alius deinde errorem, quem per imprudentiam commissum debuit tollere, temeritate auxit, una dictione in duas diuisa, priori duabus literis, quas falso desiderari credidit, adscriptis, h, & a, ut legeretur, hæc, sensu fortasse commodo, sed, ut dixi, mihi perobscuro. quod si legatur, exscribere, hoc dicet uideri te parum ditescere, cui charta desit, in qua tuas formulas, aut aliud quidpiam exscribas. ea enim si suppeditaret, nunquam profecto ad nos in palimpsesto. infert enim an hoc significas, nihil fieri, frigere te, ne chartam quidem tibi suppeditare? dixit autem, quod delere malueris quam exscribere, per iocum significans, non habuisse Trebatium in quo exscriberet id, quod deleret, itaq; se mirari quid fuerit in illa chartula, quasi moleste ferat id periisse, chartæ enim inopiam ostendi, cum scribat in palimpsesto. idem error in III. epistolam VIII. libri ad Atticum irrepserat: ibi enim antea legebatur fasces laureatos hæc ferre ex Italia, nemo non uidet legendum esse, ecferre ut ex uetustis codicibus Florentini reposuerunt. {M. Aemylii Philemonis} Cum in libris manuscriptis uarie legeretur: (quidam enim Meulii, quidam Metilli habent) ausus sum emendare M. Aemylii. procul enim dubio libertus fuit adoptatus in Romanam familiam, ut alii multi. eũ autem Metriliorum mentionem nondum inuenerim, & codicum uetustiorum uarietate, in quibus ueræ lectionis quasi quædam uestigia cernuntur, & Pædiani uerbis, qui eiusdem (ut opinor) liberti meminit, adductus sum, ut, M. Aemylii, corrigerem. libet autem ipsius Pædiani locum recitare, ut studiosis quærendi labor absit. is igitur ita in argumento orationis pro Milone, Munatius Plancus Tribunus plebis produxerat in concionem M. Aemylium Philemonem, notum hominem, libertum M. Lepidi. ita tamen hoc sentimus ut afferentibus aliis meliora, per libenter de nostra sententia discessuri simus.

SEBAS. CORR. PAulisper a te} Al paulisper in te. {Qui sua manu scribit?} cum non habeat: qui describant. {Ranunculorum} Vlubranorum qui in paludibus habitant.

BERN. RVT. QVis solet eodem exemplo plures dare, qui sua manu scribit?} Vera lectio legimus in aliis, Quam, particulam ex abūdanti. quæ si expungatur, erit opinor sensus, Cū tu Trebati, ab epistolis nullum habeas, tuaq; manu scribere cogaris, miror, cur ad me eodem exemplo plures dederis: quippe quia de tua ipsius fide dubitari a te non oporteat. si enim seruo ab epistolis uterere, suspicari facilius posses, non esse ab eo, quod iusseras scriptum: Adeo non sequimur eorum sententiam, qui pro quam, Quāquam repositum uoluere. Sed miror, quid in illa chartula fuit, quod delere malueris, quæ hæc scribere. Quam hæc non scribere, sensus ni fallor exigit Hæc, cum emphasi dictum: idest, nullius momenti res, ac meras nugas. Inde tocatur de formulis, quasi nihil habuerit Trebatius his ineptiis, quas ad Ciceronem scripserat, ineptius, quam suas formulas, idest libellorum iudiciariorum concepta uerba, exēplariaq; quasi quædam, non titulos, ut interpres. {Nam Vlubris honoris mei causa uim maximam ranunculorum se commosse constabat} uere ranunculos accipio, quos per iocum clientes uocat, in Trebatii irrisionem, qui tam solitarium oppidum in patrocinium recepisset. inde illud Iuuenalis: Vacuis ædilis Vlubris contra quam interpres. Clientes dicit Cicero, quasi qui se ut patronum a longe salutarent.

PHIL. MELa. ACcepi a te aliquot, &c} Breues sunt narrationes. {Nam in Palimpsesto} locus {Ego te Balbo} Epilogus.

M. CICERO TREBATIO S. D. 19

*EPistolam tuam, quam accepi ab L. Aruntio, conscidi innocentem: nihil enim habebat, quod non uel in concione recte legi posset. sed & Aruntius ita te mandasse aiebat, & tu adscripseras. uerum illud esto. nihil te ad me postea scripsisse demiror, * præsertim tam nouis rebus. Vale.*

*a. l. præsertim tātis nouis.

ASCENSIVS. EPistolam &c. Mandarat Trebatius epistolam quandam quam ad Ciceronem scripserat, ab eo lacerari, quod se Cic. fecisse dicit, cum nullam agnosceret causam cur re scindi deberet. suspicans forte aliam misisse, quæ ad se, non sit perlata. Ordo est Ego conscidi, idest dilaceraui, innocenter, idest sine culpa mea, ac epistolæ, nisi sit legendum innocentem, idest rem sic meritam Illa enim nihil habebat, idest scriptum continebat, quod non posset legi recte, idest decenter, & impune, uel, idest etiam, in concione, idest concilio & cœtu totius populi & idest etiam Aruntius, qui eam attulit, aiebat, te mandasse ita, idest ut ita facerem, & tu adscripserat: idest ad cætera mandata tua in fine epistolæ scripseras, supple ita. Verum esto illud, scilicet quod mandaras, illam a me rescindi sine causa, & non potius aliam quam non uiderim: demiror idest multum miror. Nam de, nunc auget nunc diminuit, nunc contrarium indicat. te nihil scripsisse postea ad me, præsertim rebus tam nouis idest eam res tam nouæ contigerint.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Petierat Trebatius, ut Aristotelis Topica Cicero Latine interpretaretur, quod per occasionem a se factum Cicero rescribit.

CICERO TREBATIO S. D. 20

VIde quanti apud me sis, etsi iure id quidem: non enim amore te uinco. ueruntamen quod præsenti tibi prope subnegarem, non tribuerem certe, id absenti debere non potui. itaque ut primum Velia nauigare cepi, institui Topica Aristotelica conscribere, ab ipsa urbe commonitus amantissima tui. eum librum tibi misi Rhegio, scriptum quàm planissime res illa scribi potuit. sin tibi quædam uidebuntur obscuriora, cogitare debebis, NVLLAM artem literis sine interprete, & sine aliqua exercitatione percipi posse. non longe abieris. num ius ciuile uestrum ex libris cognosci potest? qui quanquam plurimi sunt, doctorem tamen lumenq; desiderant. quanquam tu, si attente leges si sæpius per te omnia consequere. ut certe intelligas. ut uero etiam ipsi tibi loci proposita quæstione occurrant, exercitatione consequere: in qua quidem nos te continebimus, si & salui redierimus & salua ista offenderimus. Vale. V. Cal. Sex. Rhegio.

ASCENSIVS. VIde &c. Dicit Cice quod id, quod fere, negaret, uel certe non tribueret Trebatio, si præsens esset, tribuit absenti. Nam cum Velia, in quo oppido Trebatius uehementer diligebatur, discederet Cice recordatus Trebatii propter illud oppidum, transtulit Topica Aristotelis in latinum, quod opus ad Trebatium missum uehementer commendat: dicitq; eum non debere mirari si aliqua uidebuntur obscuriora, cum in qualibet arte opus sit interprete & doctore: ostendit tamen Trebatium posse multa consequi per se, si modo uoluerit se exercere. Ordo est. Vide idest considera, quanti idest quam magnæ æstimationis tu sis apud me, & si idest quanquam id quidem supple fit iure, idest merito tuo, non enim uinco te amore idest non plus te amo, quam amer a te. Veruntamen quod prope idest quasi, subnegarem, idest aliquantulum negarem tibi præsenti, certe: idest saltem aut quod certum est, non tribuerem idest non sponte offerrem, tibi, præsenti, non potui supple negare, aut, ut aliqui habent nō delere. Alii tamen habent non debere sed non placet, tibi absenti id. Itaque ut primum idest cum primum, aut ubi primum idest statim postquā cœpi nauigare idest discedere nauigando, Velia idest ab eo oppido, in quo Trebatius, ut dictum est, multum diligebatur, institui eō scribere scilicet latino sermone, Topica Aristotelica idest libros Aristotelis philosophi nobilissimi de totis locis argumentationum commonitus ab ipsa urbe amantissima tui. Ego misi tibi eum librū, scilicet Topicorum a me tralatorum. scriptum Rhegii idest in eo oppido, quam idest quantum, potuit illa res scribi planissime. Sin, idest sed si, quedam uidebuntur supple in eo obscuriora scilicet ad intelligendum prima lectione, tu debebis cogitare nullam artem posse percipi literis. i. ex scripto sine interprete, & sine aliqua exercitatione Non abieris longe a professione tua, ad confirmandum, qd dicit exemplo, Num: idest nunquid ius ciuile uestrum, idest quod uos iureconsulti profitemini, potest cognosci: idest perfecte disci ex libris? quasi dicat scio, quod nequaquam: unde addit, qui: scilicet libri quanquam sunt plurimi, tamen desiderant doctorem & lumen idest elucidationem. Quanquam idest tametsi, tu si leges scilicet librum Topicorum attente idest cum accuratione & diligentia &: supple si leges sæpius, quia, quod prima lectione capere non possumus iterata lectione, non raro consequitur, tu consequere id est obtinebis per te idest sine interprete, aut doctore, certe, ut intelligas omnia: quia perspicacissimo erat ingenio & ex legali scientia ad Topica uiam muniuerat, Vero idest sed, ut etiam quæstione proposita scilicet postquam quæstio, ac materia aliqua fuerit tibi proposita, ipsi loci occurrant tibi, sicut eis statim uti possis, consequere supple id exercitatione scilicet sola in qua quidem scilicet exercitatione, nos continebimus te, quia quando aderis, quotidie te exercebimus, & quæstiones tibi proponemus, ad quos locos congruos applices, si & idest simul redierimus scilicet Romam, salui, & offenderimus idest quasi præter spem inuenerimus, ista scilicet quæ sunt ubi nunc es idest res urbanas, salua idest non corrupta nec occupata bello ciuili, quod iam tunc instare formidabat. Iam enim Trebatius a Gallis redierat, & Romæ agebat, ut sequentes etiam epistolæ indicabunt. Vale. Rhegio idest ex eo oppido. Scribit autem Cicero fere locum e quo, nō in quo, & ita in ablatiuo. V Cal Sextiles.

VICTORIVS. DOctorem tamen lumenq; desiderant} Nos cum fide in antiquis cunctis exemplaribus inuētam lectionem restituimus. {Vnumq; desiderant} nec enim uulgata lectio nobis ualde satisfaciebat, & hanc non ineptum sensum habere iudicauimus. Ipsi quoque hunc modum dicendi uulgo fere habemus, cum aliquid uno indigere dicimus qui regat, & instituat: ut hoc in loco qui lucem afferat rebus obscuris. quamuis enim libri iurisconsultorum, qui ius ciuile continent, ut sint, tamq; explicati non tamen sine doctore, & uno aliquo qui aliquantum in illorum lectione exercitatus sit, & quem rudes eius disciplinæ sequantur intelligi possunt. quasi quiuis, dum non omnino rudis sit, possit hoc munus sustinere.

Ea post. eiusdem. DOctorem tamen usumq; desiderant} Non displicet Pauli eō iectura nam & uestigiis hæret priscæ lectionis, & sententiam idoneam habet.

PAVL. MANV. DOctorem tamen, lumenq; desiderant} Omnino in omnibus libris manu scriptis, pro lumenq;, legitur, usumq;, ego tamē libentius legerim, usumq; idest exercitationemq;, ut dicat idem, quod supra, nullam artem literis sine interprete, & sine aliqua exercitatione percipi posse.

SEBAS. CORR.

VEruntamen,&c.} Ex ueteribus libris,& Topicorum proœmio sic legendum censeo Veruntamen, quod præsenti tibi prope subnegaram non tribuerem certe, id absenti debere non potui. {Velia} ubi tua, tuosq; uidi,& admonitus sum huius æris alieni. {Nauigare cœpi} in Græciam proficiscēs, cum opera mea nec Respu. nec amici uteretentur: nec honeste inter arma uersari possem, ne si tuto id quidem mihi liceret. {Scriptum} in ipsa nauigatione. {Lumenq;} Al. uarie legitur, Vnum, unumq;, unumquodq;. {Ipsi tibi loci} inueniendorum argumentorum. {Salua ista} Rempub. nunc a M. Antonio uexatam. {V Cal.} Hoc docet, sequentem epistolam huic præponi debere.

BERN. RVT.

VEruntamen, quod præsenti tibi prope subnegaram non tribuere id absenti non potui} Alii, prope subnegarem, non tibi tribuerem. Alii, non delere non potui. Hoc rusticius. tu uide, nunquid Denegare legi placeat, pro debere. illudq; insuper, an ea uerba, Non tibi tribuerem certe, sobdititia sint, & ea marginario quopiam glossemate in contextum deducta. ut legi debeat, Veruntamen quod præsenti tibi prope subnegarem, certe id absenti non potui. Sane dies insequentium literarum, locusq; etiam indicat, eas ipsas his omnino anteponendas.

PHIL. MELĀ.

VIde quanti} Narratio de scriptis Topicis. præmittit autem narrationi affectus. {Sin tibi quædam} Excusatio obscuritatis, uel difficultatis.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Dissuasoria est epistola. Dehortatur enim Trebatium a Veianarum possessionum, quod illic in animo habebat, uenditione.

CICERO TREBATIO S. D. 21

*AMabilior mihi Velia fuit, quòd te ab ea sensi amari: sed quid ego dicam te, quem quis non amat? Rufius medius fidius tuus ita desiderabatur, ut si esset unus è nobis: sed ego te non reprehendo, qui illum ad ædificationem tuam traduxeris: quanquam enim Velia non est uilior, quàm Lupercal, tamen istuc malo, quàm hæc omnia. tamen si me audies, quem soles, has paternas possessiones tenebis (nescio quid enim Velienses uerebantur) neque Heletem nobilem amnem relinques, nec Papyrianam domum deserēs. quanquam illa quidem habet lucum, à quo etiam aduenæ teneri solent. quem tamen si excideris, multum prospexeris, sed in primis opportunum uidetur, his præsertim temporibus, habere perfugium primum eorum urbem, quibus carus sis deinde etiam tuam domum, tuosq; agros, eosq; remoto, salubri, amœnoq; loco: idq; etiam mea interesse mi Trebati arbitror, sed ualebis, meaq; negocia uidebis, meq;, Dijs iuuantibus, ante brumam expectabis. Ego à Sex. Fabio Niconis discipulo librum abstuli * Νίκωνος περὶ πολυφαγίας. O medicum suauem, meq; docilem ad hanc disciplinam. sed Bassus noster me de hoc libro celauit: te quidem non uidetur. Ventus increbrescit. Cura ut ualeas. XIII. Cal. Sex. Velia.*

*.i. Niconis de edacitate.

ASCENSIVS.

AMabilior &c. Laudat Veliam urbem Lucaniæ, in qua Trebatius domum amœnam habebat, eo ut uidetur animo, ne Trebatius eam uendat. Ordo est: Velia. s. urbs & portus. Vnde Aenei. VI. Portusq; require Velinos. fuit mihi amabilior. i. magis amabilis, quod sensi te amari ab ea. i. ab eius incolis. Sed quid ego dicam te. s. amari ab ea, quem quis non amat? q. d. nemo & ita non esse mirum, si ab ea amatur. Busius, aut, ut alii legunt Rufius, tuus mediusfidius. i. ita mehercules Iouis filius amet, aus deus fidei, ut uerum dico, desiderabatur ita, ut si esset unus e nobis si qui illic possessiones habemus. Sed ego non reprehendo te, qui traduxeris illum. s. Busium, ad Rufium ad ædificationem tuam Enim. i. quia quanquam Velia non est uilior quam Lupercal i. locus ille Romæ sub Palatino monte, tamen ego malo istuc. s. istud ipsum Lupercal, quam hæc omnia, s. quæ Veliæ sunt, & ita non reprehendit, quod ad illius ædificationem traduxerit Busium. Tu si audies me. i. si obedies mihi quem soles. s. audire, tenebis. i. non uendes has possessiones paternas. i. a patre obtentas. quod sup. scribo enim. i. quia, Velienses uerebantur nescio, quid. s. quod audierint te uelle alienare neq; relinques Alacem ab alex alecis, ut Strabo legit, aut Halethem ab hales, ut Theocritus amnem nobilem iuxta domum tuam nec, deseres domum Papyrianam. i. quæ olim Papyrii fuit quanquam illa s. domus, quidem. i. certe, habet locum, a quo aduenæ solent teneri. i. immorari delectatione capti, aut insidiis, quem s. locum, aut periculosum, aut delectabilem, si excideris. i. dirueris, prospexeris. i. porro inspexeris e domo tua multum, aut consulueris utilitati tuæ, si periculum dempseris. Sed uidetur opportunum in primis. i. præcipue: præsertim his temporibus periculosis, aut propter seditiones, aut propter pestes, habere profugium i. locū ad quē confugias, primum urbem eorum quibus sis carus, deinde etiam domum suam, & agros tuos, habere ea loco remoto. s. a strepitu populari, aut ab urbe, salubri & amœno & arbitror o mi Trebati id. s. te tenere eas possessiones, interesse. i. in re & utilitate esse, etiam mea, ut s. tecum habeam confugium. Sed tu ualebis, & uidebis mea negocia, & expectabis me ante brumam. i. solstitium hyemale, quo dies sunt breuissimi, diis iuuantibus. s. me, sine quo adiecto quicquā de se pollicieri turpe sit Christiano homini, cum ethnicus id adiciat. Ego abstuli a Sexto Fabio discipulo Niconis librum, Niconos i. Niconis peri. i. de polyphagias. i multa comestione. O medicum. s. Niconem suauem, & me docilem ad hanc disciplinam. s. multæ comestionis; quo dicto potius Trebatium taxat quam se. Sed Balbus noster. s. amicus celauit me de hoc libro i. nullam mihi mentionem fecit. quidē. i. certe, non uidetur sup. celasse te, de hoc libro q. d. tu eius disciplinam egregie callēs. Ventus s. auster, aut alius, uentri cibis onusto periculosus, increbrescit. i. fit crebrior cura ut ualeas, Velia i. ex ea urbe XIII. Calen Sextiles. i. quæ nunc Augusti sunt.

VICTORIVS.

QVanquam illa quidem habet locum} Nos antiquos codices in hoc etiam secuti sumus, quos incorruptos esse cēsemus. De lotorum nobilitate, & quam iucunda earum opacitas esset, quantiq; olim in domibus æstimarentur, Plynius docet in lib. XVII. proœmio. Polybius a se uisam in Attica describit lib. XII histor. quem locum, quia nondum integer uulgatus est Polybius, leges apud Athenæū δειπνοσοφιστῶν lib. XII. qui totam uerbis ipsius huius arboris descriptionem persequitur. nam qui {Lucum} emendarunt, deceptos esse putamus: impium enim Ciceronis consilium fuisset. cum enim sacri essent luci, non sine ingenti piaculo, & scelere incidi poterant: domusq; priuata non luci erat capax, cum loti deliciarum causa summa arte in domibus colerentur, aduenæ autem raram arborem uisebant, & eius iucundo aspectu tenebantur, propter quam rem iocans (ut arbitror) iubet ipsum lotum illam excindere, quia sibi esset sumptus causa, cum sæpe hospitum domus plena esset. Nam in uerbo illo (prospexeris) ambiguum sensum esse puto. uidetur enim dicere, Si lotum excideris, maius cœli spacium aspicies: illa enim sua capacitate prospectum impedit & luminibus obstruit, cum dicat, Rebus tuis consules, minores enim sumptus facies, non enim causa erit aduenis, cur domum tuam frequentent. & omnia hæc facete, & eum, ioco ut consueuit. fere enim semper cum eo iocatur. Aduersatur solum antiquæ lectioni, quod lotum fœminino genere alii authores appellarunt, cum ipse masculino usurpet: quare accurate considerandum est, uitium ne ea parte uetus habeat, siue eo genere contra plurimorum morem, quod uix uerisimile est, Cice. appellare lotum uoluerit.

Ea poste. eiusdem.

NEque Haletem nobilem amnem} Heletem legi debet, huius fluuii mentionem fecit lib. XVI. epistolarum ad Attic. his uerbis: Erat enim cum suis nauibus apud Haletem fluuium citra Veliam, quo in loco nostrum illud exemplar Heletem habet. Strabo in initio VI. libri ubi de omni illa ora agit, plures sententias adducit unde Velia a Græcis Helea appellata esse possit, nonnullosq; tradit ab Helete fluuio ei nomen inditum uoluisse. Stephanus inde nomen illam accepisse affirmat hæc ipsius uerba sunt. ὠνομάσθη δ' Ἐλέα ἀπὸ τοῦ παραρρέοντος ποταμοῦ ἐν τῇ Βελέᾳ. {Quāquā illa quidem habet lotum, a quo etiam aduenæ teneri solent: quem tamen} Hæc est in Mediceo scriptura: quod si aliquid in ea mendi est, ea parte est, quod eo non genere Lotum appellat, quo aliæ arbores appellari consueuerunt, & quo hanc ipsam Virg. in Culice appellauit.

— inter quas erat impia Lotos;
Impia, quæ socios Ithaci mœrentis abegit:

Quam nefarium facinus lucum (dicatam alicui Deorum syluam) caedere ueteres existimarent necesse non est docere: pleni sunt huius rei omnes poetarum libri. Dionis tamen accurati historici testimonium adducemus, quod etiam utile esse poterit quia sermo est de Turullio, cuius mentionem fecit in Episto. ad Ciceronem C. Cassius his uerbis. Sequebatur classis altera, quam anno priore in Bithynia Tullius Cimber comparauerat cui Turullius Quæstor præerat. Erat Turullius ex interfectoribus Iulii Cæsaris, qui in Asiam in Antonii amicitiam uenerat, & eum in multis rebus impigre adiuuerat quem tamen ille rebus male gestis prodidit Augusto Cæsari, ut ea ratione (si posset) sibi illum placaret. Ilico autem Turullius trucidatus est. & cum in insula Co supplicio affectus esset, uisum est hoc non sine consilio, ac uoluntate Deorum factum esse, nam multo ante ille ad classem ædificandam Aesculapii lucum ibi inciderat, & ex ea materia naues fabricauerat. uerba Dionis,

[illegible]

PAVL. MANV. Rvfio medinsfidius tuus} Tuus, inquit, quod eiusdem esset gẽtis. Rufio enim Trebatiorum cognomen fuit. id ex lapide, q Romæ est in porta Latina. sic enim in eo scriptum legitur, C. VIBIVS C. F. MACER, C. TREBATIVS, RVFIO FACIVND. CVRAVERVT. {Habet lucum} Sunt qui, lucum, ideo male legi credant, quod neque luci capax esset priuata domus, & luci, qui sacri essent, non sine scelere incidi possent. nos existimamus, lucum, non intra parietes, sed ante ædes Trebatii fuisse: neque Ciceronem impie consuluisse, qui eum a Trebatio cædi uellet: quomodo enim recte, & sine piaculo id fieri possit, docet M. Cato in primo de re Rustica.

SEBAS. CORR. Rvfio} Rufus, Rufias, Busius etiam legitur. {Lucum} Al. locum. Sunt tamen, qui locum reponant. {Prospectus} & longe uideris, & rebus consulueris tuis. {Niconis} Al. Miconis, de quo apud Plynium fit mentio. {Νίκων@ περὶ πολυφαγίας} Niconis de edacitate.

BERN. RVT. Qvanquam enim Velia non est uilior, quam Lupercal, tamẽ istud malo, quam hæc omnia} Al. quam omnia. Ego aut priorem lectionem seruo, aut isthic malo, quam hic omnia, lego ut sit sensus, Malim ædes Romæ uel in Lupercali habere, quam totam Veliam Denique a primis illis uerbis non recedo. Hæc autem, non intelligit quæ Cicero ipse Veliæ haberet, ut interpres: sed quæ omnino Veliæ essent. {Nec Papyrianã domum deseres} Papyrius ius regium, idest leges regum Romanorum composuit, & in unum uolumen corpusq; redegit. Fuit & alius Papyrius Iureconsultus, autor Pomponius. ut uel hoc ipso iucundæ ædes futuræ Trebatio fuerint, in quo suauiter iocatur Cicero.

PHIL. MELA. Tu si me audies} Adhortatio, ne uendat paternas possessiones.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Commendat Silium Trebatio, & ut causam illius curet diligenter postulat.

CICERO TREBATIO S. D. 22

Silii causam te docui. Is postea fuit apud me. cum ei dicerem, tibi uideri sponsionem illam nos sine periculo facere posse, Si bonorum Turpiliæ possessionẽ Q. Cæpio Præt. ex edicto suo mihi dedit: negare aiebat Seruium tabulas testamenti esse eas, quas instituisset is, qui factionem testamenti non habuerit. hoc idem Offilium dicere: tecum se locutum negabat: meq; rogauit, ut se causamq; suam tibi commendarem. nec uir melior mi Testa, nec mihi amicior P. Silio quisquam est, te tamen excepto. gratissimum igitur mihi feceris, si ad eum ultro ueneris, eiq; pollicitus eris. sed, si me amas, quamprimum: hoc te uehementer etiam, atq; etiam rogo. Vale.*

*a.l. posse: Ni (ex Budæo in Pand.)

ASCENSIVS. Silii causam &c. Commendat Silii amici communis causam Trebatio, dicens Ego docui te causam Silii, idest quid iuris haberet. Is scilicet Silius postea apud me, cũ dicerem ei uideri tibi, idest quod uideretur tibi nos posse facere illam sponsionem, scilicet quam uolebat facere sine periculo, si Cæpio prætor dedit mihi ex edicto suo bonorũ possessionem, quæ iuris est, cum possessio bonorum sit facti, unde præposuit genitiuum bonorum. Turpiliæ, scilicet mulieris testantis. aiebat scilicet Silius, Seruium scilicet Sulpitium iurisperitissimum, negare eas tabulas esse testamenti, idest habere uim legitimæ legationis, quas is instituisset, qui non habuerit factionem, idest ius faciendi testamenti, & aiebat, scilicet filium, idest iurisperitum, dicere hoc negabat se locutum supple esse tecum, & rogauit me, ut commendarem tibi se & causam suam. Nec o mi Testa, scilicet T. Trebati, quisquã est melior uir nec amicior mihi Silio, te tamen excepto. Feceris igitur mihi gratissimum si ueneris ultro, idest non requisitus ab eo ad eum, & pollicitus fueris ei, supple operam, aut consilium tuum, sed quamprimum, idest statim, si amas me, ego rogo uehementer &c, atque etiam hoc.

SEBAS. CORR. Silii} Is est, ad quem lib. XIII. scribit. {Sponsionem} quæ fiebat interposita stipulatione certæ pecuniæ, qua perderet is, qui sponsione uinceretur. {Si bonorum, &c.} Verba sponsionis. & sane, ni, & si, particulæ fere erant sponsionum principia. {Seruium} Sulpitium. {Offilium} Iureconsultum.

BERN. RVT. Si bonorum Turpiliæ possessionem capio, prætor ex edicto suo mihi dedit} Verba sponsionis sunt. ubi tamen uereor ne legi oporteat. Quam prætor ex edicto suo mihi dedit. cum enim aut creditori forte hæreditario, aut alii cuipiam promittere uellet Silius, quæsiuit ex Trebatio Cicero, nunquid fieri ea sponsio sine periculo posset. Sub ea conditione recte, ac extra periculum sponsurum respondit Trebatius, si bonorum Turpiliæ possessionem capio quã prætor ex dicto suo mihi dedit Hoc enim magis probo, quam Manutii scripturam: etsi ne ipsa quidem ita absurda est, quin sensum habeat. {Hoc idem Offilium dicere tecum se locutum negabat} Distinguo: Hoc idem Offilium dicere. tecum se locutum negabat idest, assentiri Seruio Offilium dixit. Fuit Offilius iureconsultus his temporibus huius non rara in Iustinianis Pandectis mentio, apud Pomponium præsertim de Origine iuris. æqualem enim Seruio tradit, ab eoq; fundatum ciuile ius. Id uerbum in aliis codicibus mendosissime est, Officium.

PHIL. MELA. Silii causam} Narratio, quæ habet commendationem causæ forensis.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Disputatoria est epistola, qua adductis autoribus, Trebatii sententiam reprehendit Cicero.

CICERO TREBATIO S. D. 23

Illuseras heri inter scyphos quod dixeram controuersiam esse possetne heres, quod furtum antea factum esset, recte furti agere. itaque etsi domum bene potus, seroq; redieram: tamen id caput, ubi hæc controuersia est, notaui, & descriptum tibi misi: ut scires id, quod tu neminem sensisse dicebas, Sext. Ælium, M. Manilium, M. Brutum sensisse. ego tamen Scæuolæ, & Testæ assentior. Vale.

ASCENSIVS. Illuseras &c. Cum cœnasset Cicero apud Trebatium, proposuerat ei hoc dubium, utrum qui esset institutus hæres ab aliquo haberet actionem furti, quod fuisset factum antequam ipse esset institutus hæres: ad quod Trebatius negatiue respondit, addiditq; neminem iurisconsultorum id sentire, contra cuius opinionem affert nunc Cice. sententias quorundam iurisconsultorum Ordo est. Illuseras, idest irriseras, heri idest scyphos idest pocula, hoc est inter potandum, quod dixeram esse controuersiam, idest rem dubiam, & ad utranque partem probabilem, ne, idest an, hæres posset agere recte furti: idest aliquem furti accusare in iudicio, quod furtum esset factum antea, scilicet quam hæres institutus esset. Itaque & si redieram domum bene, idest multum potus, idest potu oppletus, & sero, idest tarde, tamen notaui id caput, ubi hæc controuersia, idest disputatio, & misi tibi descriptum, ut scires Sextum Aelium, M. Manlium, M Brutum sensisse id, quod tu dicebas neminem sensisse. Ego tamen assentior Scæuolæ, & Testæ, idest Trebatio, quia contra sentiunt.

SEBAS. CORR. Sex. Aelium} Petum Iureconsultum, de quo in Quæstura diximus M Manlium} Iureconsultum, de quo libro de Oratore, & in Bruto meminit. {M. Brutum} Iureconsultum, qui treis libros de iure ciuili reliquit.

Ex post. Bernardi ni Rutilii. Ego tamen Scæuolæ, & testæ assentior} Alii codices, Scæuolæ Testæ: quasi utrunque Trebatii cognomen. Cicero ad Atticum: Trebatius Scæuola facit, ut antecedat. ac si Trebatius ns Scæuolæ cognomine in suis de iure commentariis formulisq; uteretur, ut specioso, & in cuius familia quasi hæreditaria esset iuris ciuilis cognitio, ut ille inquit Ciceronianus in Oratore Mutius Scæuola. Ego tamen nihil constituo.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Grata illi scribit fuisse signa, quæ emerit Gallus in ornamentum bibliothecæ, gratiora tamen futura fuisse, si ea emisset, quæ Cicero mandasset. Fuit autem perstudiosus signorum elegantium Cicero, præsertim eorum, quæ eruditionis augustiorum erant, ut lib. I. epist. ad Atticum declarauit.

M. CICERO M. FABIO GALLO S. D. 24

*alias. Tantum q. ex

*al. attamen.

*alias, tamē erant.

*alias l. opinor Crassum.

Tantū ex Arpinati ueneram, cum mihi à te literæ redditæ sunt: ab eodemq; accepi Auiani literas: in quibus hoc erat liberalissimum, nomina se facturum, cum uenisset, qua ego uellem die. fac quæso, qui ego sum, esse te. est ne aut tui pudoris, aut nostri, primum rogare de die, deinde plus annua postulare? sed essent mi Galle omnia facilia, si & ea mercatus esses, quæ ego desiderabam, & ad eam summam, quam uolueram, *ac tamen ista hæc ipsa, quæ te emisse scribis, non solum rata mihi erunt, sed etiam grata: planè enim intelligo, te non modo studio, sed etiam amore usum, quæ te delectarint hominem (ut ego semper iudicaui) in omni iudicio elegantissimum, quæq; me digna putaris, coemisse. sed uelim maneat Damasippus in sententia: prorsus enim ex istis emptionibus nullam desidero. tu autem ignarus instituti mei, quanti ego genus omne signorum omnium non æstimo, tanti ista quatuor, aut quinque sumpsisti. sed Bacchas istas cum musis Metelli comporas: quid simile? primum ipsas ego musas nunquam tanti putassem: atque id fecissem musis omnibus approbantibus. sed *tamen erat aptum bibliothecæ, studiisq; nostris congruens. Bacchis uero ubi est apud me locus? at pulchellæ sunt: noui optime, & sæpe uidi. nominatim tibi signa mihi nota mandassem, si probassem: ea enim signa ego emere soleo, quæ ad similitudinem gymnasiorum exornent mihi in palæstra locum. Martis uero signum quò mihi pacis autori? gaudeo nullum Saturni signum fuisse. hæc enim duo signa putarem mihi æs alienum attulisse. Mercurii mallem aliquod fuisset: felicius, puto, cum Auiano transigere possemus. quod tibi destinaras Trapezophoron: si te delectat, habebis. sin autem sententiam mutasti, ego habebo scilicet. ista quidem summa. næ ego multo libentius emerim diuersorium Tarracinæ, ne semper hospiti molestus sim. omnino liberti mei uideo esse culpam. cui planè res certas mandaram: itemq; Iunii, quem puto tibi notum esse Auiani familiarem. exhedria quædam mihi noua sunt instituta in porticula Tusculani: ea uolebam tabellis ornare? etenim siquid generis istiusmodi me delectat, pictura delectat. sed tamen si ista mihi sunt habenda, certiorem uelim me facias ubi sint, quando accersantur, quo genere uecturæ: si enim Damasippus in sententia non manebit, aliquem Pseudodamasippum uel cum iactura reperiemus. Quod ad me de domo scribis iterum, iam id ego proficiscens mandaram meæ Tulliæ; ea enim ipsa hora acceperam tuas literas. egeram etiam cum tuo Nicia, quod is utitur, ut scis, familiariter Cassio. ut redii autem, prius, quam tuas legi has proximas literas, quæsiui de mea Tullia, quid egisset: per Liciniam se egisse dicebat: sed *opinor Cassium uti non ita multum sorore: eam porrò negare se audere, cum uir abesset (est enim profectus in Hispaniam Decius) illo & absente, & insciente migrare. est mi gratissimum, tanti à te æstimatam consuetudine uitæ, uictusq; nostri, primum ut eam domum sumeres, ut non modo propè me, sed planè mecum habitare posses: deinde ut migrare tantopere festines. sed ne uiuam, si tibi concedo, ut eius rei tu cupior sis, quam ego sum. itaque omnia experiar: uideo enim, quid mea intersit, quid utriusque nostrum. si quid egero faciam et scias. tu & ad omnia rescribes: & quando te expectem, facies me, si tibi uidebitur, certiorem. Vale.

ASCENSIVS.

TAntum &c. Cum instituisset Cice. ornare bibliothecam suã imaginibus, mãdarat Fabio Gallo amico suo, ut eas sibi emeret: ille uero emit Bacchas, hoc est Baccharum Bacchi sacerdotalarum imagines, quas Cicero ostendit professioni suæ non conuenire, quia potius conueniant iis, qui uino & ebrietate oblectantur. Deinde dicit se uelle exornare porticum picturis. Postremo quia Gallus erat empturus domum iuxta Cicero. ædes, ostendit quantam operam dederit, ut id fieret, deinde quam gratum sibi futurum sit, quod eam domum Gallus habeat. Ordo est. Ego tantum, idest solummodo ueneram ea Arpinatu, scilicet agro, cum literæ redditæ sunt mihi a te, scilicet missæ, & accepi ab eodem, scilicet tabellarior literas Auianas, in quibus hoc erat liberalissimum se facturum nomina, idest debitores inscriptis nominibus eorum in libro debitorum aut debita hoc est se crediturum mihi pecuniam, cum idest postquam uenisset qua die ego uellem. Quæso fac, idest finge te esse supple eum, qui ego sum. est ne pudoris tui, aut nostri primum rogare de die, idest ut credatur nobis usque ad certum diē: Deinde postulare supple diem idest dilationem, plus, idest longiorem annua, scilicet die, idest quæ post annum uenerit. Sed o mi Galle omnia essent facilia, si &, idest simul mercatus esses ea, scilicet signa, quæ ego desiderabam, & ad eam summam quam uolueram, quasi dicat, se eam posse præsenti pecunia soluere. Attamen, idest licet, alia quam desiderabam emeris, tamen ista ipsa, quæ scribis te emisse erunt mihi non solum rata, idest approbata, quasi dicat, nolim rescindere: quod per te factum est, sed etiam grata, idest utilia & accepta. Intelligo enim plane te usum non modo, idest non solum, studio, idest diligenti mihi obsequendi conatu, sed etiam amore, emisse, quæ delectant te, hominem, ut ego iudicaui semper, elegantissimum, idest curiosissimum & politissimum in omni iudicio, quæq;, idest & quæ, putaris pro putaueris digna me, idest statu meo, & dignitate mea. Sed uelim supple, ut Damasippus, qui eadem signa redimere, aut recipere si Ciceroni non placerent, promisit, maneat in sententia idest, proposito. Ego enim nullam prorsus, idest omnino, desidero ex omnibus istis emptionibus: idest ex omnibus quæ emisti mihi. Tu autem ignarus instituti idest moris & propositi mei. qa tu sumpsisti, idest accepisti, mihi persoluenda certa die, ista quatuor aut quinque supple signa, tanti: idest tam caro precio, quanti, idest quam magno precio ego non æstimo: idest apprecior omnino, genus omnium signorum. Tu comparas istas scilicet quas emisti Bacchas: idest imagines Bacchi sacerdotum, & cõparas supple eas musis Metelli, idest imagines, aut signa musarum, quæ Metellus compararat sibi. Quid simile supple est inter ipsas? quasi dicat nihil, quod & sequentibus probat Primum ego nunquam putassem ipsas musas, idest musarum imagines, scilicet quanti emisti Bacchas longe uiliores, atque fecissem id omnibus musis approbantibus, cum: scilicet uerum sit: sed tamen supple habere musas, erat aptum bibliothecæ, & congruens studiis nostris. Vero pro sed, ubi est locus Bacchis: idest sacerdotibus Bacchi apud me? quasi dicat nusquam. At: idest sed supple Bacchæ sunt pulchellæ, idest aliquantulum pulchræ. Ego noui optime, & uidi supple eas sæpe: si probassem: scilicet emptionem, mandassem tibi nominatim, idest per propria nomina signa nota mihi. Ego enim soleo emere ea signa, quæ exornent mihi locum in palæstra: idest excitatorio meo, hoc est in bibliotheca mea, ad similitudinem gymnasiorum, idest locorum exercitationis publicæ, siue literariæ, siue alterius. Vero, idest sed, quod: idest ad quid, aut ad quem usum, signum Martis, supple est, aut sit mihi autoris pacis? idest cum mars sit Deus belli, ego autem semper amator pacis. Gaudeo nullum signũ Saturni supple fuisse inter ea, quæ emisti Ego enim putarem hæc duo signa: scilicet Martis & Saturni attulisse æs alienum: idest debitum, aut quia Martis & Saturni planetarum cauis est, aut quod per bellum, cui Mars præest pecuniæ, sæpe exhauriuntur, & Saturnus tanquam senex & auarus ærarium publicum in æde sua conseruet. Mallem aliquod supple signum Mercurii, scilicet Dei mercationum, reconciliationum, facundiæ, factorum &c. fuisset. puto supple quod propter Mercuriũ possemus transigere: idest pacisci, cum Auiano felicius: idest cum minore damno. Tu habebis Trapezophorum: idest signum cuiusdam sacerdotis, qui cum alio sacerdote nomine Cosmo omnia sacra Mineruæ administrabat, autore Suida: dicitur autem quasi mensifer: id est mensam numolariorum ferens quod: scilicet signum tibi destinaras, idest animo adiudicaueras tibi. Sin autem idest sed si mutasti sententiam, idest si non amplius petit, ego habebo supple ipsum. Scilicet idest ut scire licet, ista quidem summa supple est, idest præcipua sententia, næ idest certe, ego emerim libentius multo diuersorium idest hospitium aut ædes ad quas ab itinere me diuertam Tarracinæ, idest adud Tarracinam urbem iuxta Circeũ, ne sim semper molestus hospiti, scilicet meo ad quem frequenter accedere solebat iure hospitalitatis non mercede apud eum picturus. Nam tunc paucæ erant cauponæ mercenariæ: aut diuersoria omnibus precio patentia. Ego uideo culpam supple aliquam esse omnino liberti mei, cui mandaram plane: idest aperte res certas, hoc est ut, aut cunctanter domum emeret, aut res certas, quas tu mihi emeres, itemq;: idest & consimiliter uideo culpam esse Iunii, quem familiarem Auiani, ego puto esse notum tibi. Quædam noua sunt instituta, idest incepta mihi exhedria idest in sedili, aut loco ad sedendum, in porticula idest parua porticu, Tusculani, idest uillæ Tusculanæ: dici

posset·

posset quædam exhedra nisi exhedra fœminum sit: ego uolebã ornare, tabellis. s. depictis, ea uidelicet noua Etenim siquid istiusmodi generis, q̃ ad ornatũ pertinet, delectat sup. me delectat: Sed tamen si ista. s. signa quæ emisti, sunt habenda mihi. i. si debeo ea habere, uelim sup. facias me certiorẽ ubi sint: quando accersantur. i. afferãtur, & quo genere uecturæ. Si. n. Damasippus nõ manebit in sentẽtia qua dicebat se ea uelle retinere: nos reperiemus aliquem pseudo. i. falsum, Damasippũ. i. qui ea signa recipiet, uel. i. ẽt, cũ iactura. i. dãno rei nostræ, quia minoris illi uendemus, q̃ nobis constent. Quod scribis iterũ ad me de domo. s. tibi emẽda, aut potius conducenda, ego iã proficiscens mandaram id Tulliæ meæ. s. filiæ. Ego. n. acceperam literas tuas ea ipsa hora. s. qua proficiscebatur Egeram etiã cũ Nicia tuo. s. liberto, aut amico q̃. i. quia, is. s. Nicia, utitur familiariter Cassio, ut scis. Autẽ. i. sed, ut. i. postquã redii, prius quã legi has literas tuas postremas, quæsiui de Tullia mea. s. filia, quid egisset. s. de negotio tuo dicebat se egisse per Liciniam. Sed opinor Cassiũ. s. familiare Niciæ, nõ uti ita multũ sorore. s. sua, aut tua. Res inter eos nota nobis propterea obscurior est. Porro. i. sed ea. s. soror, negare. i. negabat, audere se cũ uir abesset. Decius enim uir idest maritus eius profectus est in Hispaniam migrare idest mutare habitationem. s. uiro, & absente, & insciente.

VICTORIVS. TAntum ex Arpinati ueneră} Nos ex ueteribus exemplaribus. {Tantum q̃} restituimus. Quod primo multos miraturos credimus, & fortasse nõ nunquã probaturos: aliquos etiã (qui recepta lectione nõ solũ magis delectentur, uerũ etiã hanc esse non nouã) nõ. n. nunc primũ in impressos codices migrauit (tamen ut sæpius ea pulsam et eiectam, nec satis primo aspectu elegantem abhorrebant) fore qui nostro iudicio damnato, hanc iterũ sua sede indigne deiicere conentur. Quod ne accidat, conabimur antiquorũ exẽplariorũ fidem autoritatẽq; tueri, ostendentes alibi etiã Ciceronẽ sic locutũ esse, ut li. XV. epistolarũ ad Atticũ epi D.XXVII. q̃ etiã in uulgatis libris inuiolatũ permansit: Hæc cũ scriberã tantũ q̃ exaistimabã ad te orationẽ esse perlatã: hui quã timeo, quid existimes. Existimamus autẽ nos {Tantũ q̃} idẽ fere significare q̃ {Cõmodũ} quo frequenter utitur Cic. ut lib. XIII. a Atticũ, Cõmodum discerat Hilarus librarius IIII. Calen. cui dederam literas ad te, cũ uenit tabellarius cũ tuis literis pridie datis & aliis infinitis locis, q̃ manifestũ fit, si duo hæc loca diligenter consideres. Sed habeo etiã nõ paruũ testimoniũ Est apud me Terentius ille, quẽ olim Angelus Politianus cũ uenerandæ uetustatis codice (ut sunt eius uerba) Petri Bẽbi cõtulit, suaq; manu non tantũ quæcunq; in eo a uulgatis discrepabant, uerũ etiã doctas quasdam interpretationes, quæ in eius libri marginibus adscriptæ erant, accurate perscripsit, quæ & multæ sunt, & eruditi prorsus uiri: iudicio etiã optimi uiri Petri Bẽbi, qui libri illius Dominus sermonẽ elegantissimũ de ipsius laudibus confecit, in quo declarationes etiã has & probat & amplexatur. Is igitur liber in Phormione, eo loco, Tu'n' dixeras huic? facinus indignũ Chreme, sic circuiri Dem. id cũ hoc agebã commodũ: supra dictionẽ illã {Cõmodũ} scriptũ habet {Tantũ q̃,} nota iuxta apposita qua Politianus significabat ex antiquo exẽplari se accepisse. ut nũc neq; de integritate horũ uerborũ, neq; de sententia dubitari amplius debeat. credimus si uetera exẽplaria haberemus omniũ librorũ Marci Tullii, frequentius huius ẽt aduerbii exẽpla reperturos nos fuisse. q̃ nũc tã raro inuenimus, quia uulgati codices contaminati sunt quodq; hoc loco ausus quispiã est, ut probã lectionem peruerteret, ex istimare possumus, aliis etiam plurimis accidisse Donatus etiam Terentii interpres {Commodum} semper per tantum quod, declarat.

Ex poste. eiusdem. FElicius puto, cũ Auiano transigere possemus} Cõiectura ductus arbitror legendũ esse {Facilius} plura hoc mihi persuadent, & q̃ usitata peruersio est multis. n. locis has uoces confuderũt librarii, ut ubi {Felicior} legẽdũ esset, {Facilior} legeretur & cõtra ubi {Facilior, Felicior: præterea supra inquit, se essent mi Galle omnia facilia Sensus denique totus elegantior, & uerior: nulla. n. felicitas in hoc negotio reperiri poterat: sed cupiebat Cicer. inuenire quẽ illa capere, & delectare possent. sperabatq; si illa, q̃ paulo ante posuit, Fabius emisset, facilius inuenturũ fuisse, qui se omni iactura, molestiaq; liberarent. {In porticula Tusculani, ea uolebam tabellis ornare} Porticulas appellant, quos Græci μουσεῖα: illas autẽ partes domus tabulis pictis ueteres ornabãt, q̃ ex Diogene quoq; Laertio intelligitur, apud quẽ Theophrasti doctissimi hominis, elegantissimiq; omnium philosophorum in testamẽto ipsius hæc uerba sunt: αὐτὸ τὸ μουσεῖον οἰκοδομηθῆναι τὰ πρὸς τὸ μουσεῖον μὴ χεῖρον ἢ πρότερον ἀναθεῖναι δὲ καὶ τοὺς πίνακας ἐν οἷς αἱ τῆς γῆς περίοδοί εἰσιν εἰς τὴν κάτω στοάν. In inferiore igitur porticu Græcus homo, & ipse tabulas collocari mandauit, sed in quibus terræ ambitus descripti essent, nõ aliquid quod posset coloribus, aut artificio magistri delectare.

PAVL. MANV. MAndat Damasippus in sententia} Vt emat, quemadmodum dixit, quæ mihi non placuerint. est autem is, de quo Horatius Satyra III. libri II. Insanit ueteres statuas Damasippus emendo.

SEBAS. CORR. TAntum} Al. tantum quod, quod docti exponunt, commodum. {Auiani} M. Aemylius Auianus, & C Auianus Flaccus, Ciceronis familiares fuere: sed horũ ne alter, an neuter hic intelligatur, scire nõ possumus. artifex certe is signorũ, uel uenditor esse uidetur. {Nomina se facturũ} in codicẽ relaturũ. {In sententia} emẽda ista signa. {Video esse culpã} in emendis istis signis. {Tuo Nicia} Epist. X. lib. IX. nisi liberti nomen sit hoc loco {Opinor Crassum} Opinor ego quoq; Crassum legi propter Liciniam sororem oportere.

BERN. RVT. ESt ne aut tui pudoris, aut nostri, primũ negare de die, deinde plus annua postulare?} Quid si legas? rogare de die. nam negandi uerbũ quo quadret, nõ reperio. {Maneat Damasippus in sententia} qui se forte empturũ ea signa dixerat, si minus Ciceroni placuissent. uã Auianus quidẽ artifex, non hic. {Omnino liberti mei uideo esse culpam} q̃ erratũ sit in signis emendis: non diuersorio, ut Clericus fatue comminiscitur. {Per Liciniũ se egisse dicebat} Quid si, Liciniam quæ. s. fuerit Cassio soror, habitaritq; eo tẽpore in ea domo, quã Gallus emptã sibi cuperet. {Illo & absente & insciente migrare} Illo. s. Dexio: non, ut Clericus, Cassio.

PHIL. MELā. TAntum Ex Arpinati} Narratio. Expostulat autem de signis, nimia magno empta. Cicero enim uoluit sibi emi picturas & tabulas, ipse uero emeras statuas. {Quod ad me de domo} Alia narratio.

Cæl. Rhod. Antiq. lect lib. IIII. cap. XII. CVm M. Tullii epistolas Familiares enarrarẽ Patauii maxima prouincialiũ frequentia, nec abdicatis tamẽ nostratibus, incidi in epistolã ad Fabiũ Gallũ ex libro (ni fallor) septimo, in qua ita legebamus: Trapezophorũ, si te delectat, habebis. Id uerbum tanquã ob ea molestior, multũ iniecit miramenti, quod nõ ita frequens uideretur, & interpres, ut plerunq; auribus paulo erectioribus minus satisfaceret. Sed cũ in Græcorũ penu diuertissem uasariis omnibus, q̃ aiunt, excussis, tandẽ q̃ inquisitioni diuturnæ & sollicitæ fuerat, sum usus reperisse. Siquidẽ in libro Iulii Pollucis decimo ita legi: Licet porro mensam, in qua pocula reponuntur, tetrapun dicere, aut etiã monopun, uel si quis ambitiose ne nouis quidẽ abstineat, trapezophorum, uelut qui mensam gestet. Hæc Pollux. Qui etsi non omnino uetus uerbum putat trapezophorum, interpretis tamen refellit inscitiam, in eo hallucinantis maxime. Nam & si in ueteribus Græcorum libris in ea notione trapezophorus non fere cõperiatur, quis tamẽ inficias eat, Ciceronis ætate in usu fuisse? Pollux certe negare non uidetur Nam alibi mensam coquinariam ab iunioribus dici Epicopanon scribit, & tamen infert statim, uerbũ id extare in Menandri Messenia. Verum & apud iureconsultũ Florentinum Digestis de supellectili legata, id uerbum repetias nomine, quã præstruximus Porro quis unquam uel legit, uel audiuit sacerdotis, quæ dicta sit trapezophorus, statuam, rem plane uisendam circunferri solitam? Quid tam præsigne in Palladis ministerio uel fecit illa, uel excogitauit, ut non ab sonum sit, huiusmodi honores illi fuisse contributos? Præter nomen uix aliud reperias quicquã de ea in literis. quod ita esse significare uidetur Harpocratio, a quo exponitur ea dictio. Ego uero trapezophorum intelligo apud Ciceronem statuam, quæ poculorum mensam sustineret. nam ex Vitruuii doctrina manifesto liquere omnibus puto, imagines hominum exculpi solitas, quæ colũ mnas subiectæ fulcirent, aut signa. uel id genus alia quas Græci Atlantas uocent, Latini Telamonas. Quo in genere habentur, quæ Caryatides uocantur, necnon Epistylia sustinentes statuæ Persicæ. Quod & nostris temporibus nullo non in loco conuisitur. Sed in re confessa nimis multa.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Importunitatem Tigellii exponit Gallo. Sunt qui hunc Tigellium cantorem illum Horatio celebratum existiment Ego autem C. Tigellium Nomanum, uirum quæstorium accipio, cuius assentationes alibi contemnis.

M. CICERO M. FABIO GALLO S. D. 25

AMoris quidem tui, quoquò me uerto uestigia, perspexi uel proxime de, Tigellio: sensi enim ex literis tuis ualde te laborasse. amo igitur uoluntatem. sed pauca de re. Capius (opinor) olim, NON omnibus dormio: sic ego non omnibus mi Galle seruio. etsi quæ est hæc seruitus? olim cum regnare existimabamur, non tam ab ullis, quam hoc tempore obseruor à familiarissimis Cæsaris, omnibus, præter istum. id ego in lucris pono, non ferre hominem pestilentiorem patria sua: eumq; addictum iam tum puto esse

*Calui Licinii Hipponacteo præconio. at uide, quid succenseat. Phameæ causam susceperam, ipsius quidem causa. erat enim mihi sanè familiaris. Is ad me uenit, dixitq; iudicem sibi operam dare constituisse eo ipso die quo de P. Sestio in consilium iri necesse erat. respondi, nullo modo me facere posse, cum uellem: alium diem si sumpsisset, me ei non defuturum. ille autem qui, sciret se nepotem bellum tibicinem habere, & sat * bonum unctorem. discessit à me ut mihi uidebatur, iratior. habes Sardos uenaleis, alium alio nequiorem. cognosti meam causam, & istius Salaconis iniquitatem. Catonem tuum mihi mitte: cupio enim legere. me adhuc non legisse turpe utrique nostrum est. Vale.*

*alias .I. bonum cantorem

ASCENSIVS.

AMoris &c. Conqueritur de leuitate Tigelli Sardi cantoris & musici, de quo Hora. libro primo sermonum. Omnibus hoc uitium cantoribus, inter amicos. Vt, nunquam inducant animos cantare rogati: Iniussi nunquã desistant. Sardus habebat Ille Tigellius hoc &c. petit deinde librum quem Gallus de Catone scripserat. Ordo est: Ego perspexi quoquo, idest quocunq; uerti me, quidem, idest certe, uestigia amoris tui, uel idest etiam, proxime de Tigellio, idest in eo, quod egisti pro me de Tigellio. Sensi enim ea literis tuis te laborasse ualde. Igitur amo uoluntatem: scilicet tuam, licet parum effecisti. sed sup. loquar pauca de re: idest de negocio, quod mihi cum illo est, opinor citius supple quam credat cogendum, quod iustum est facere. Olim non omnibus dormio, aliis placet esse uerbum Cice. ut subaudiatur particula, ut sic. ut mi Galle ego olim: idest iam a multo tempore, non dormio omnibus, idest non nego omnibus operam meam, sic non seruio omnibus. quia Tigellio, si opera mea eguerit, non seruiero, Aliis uidentur, ut etiam mihi, uerba superba Tigellii, dicentis, cum illi ea probatum esset a Cicerone, quod ad cœnam inuitatus loco cantus dormiebat, olim non omnibus dormio, ut sit, sicut dixit supple Tigellius, ego olim non omnibus dormio, sic ego o mi Galle non omnibus seruio Etsi, idest tametsi, quæ, idest qualis est hæc seruitus, scilicet mea in patrocinio præstando? quasi dicat nulla quia ego non obseruabar olim, cum ea ætimabar regnare, eo quod ea sententia mea omnia fiebant tam idest uehementer ab illis, scilicet cliẽtibus aut ciuibus, quam, idest quantum, ego obseruor, idest color & honoror, nunc ab omnibus familiarissimis Cæsaris, præter istum, scilicet Tigellium Ego pono id in lucris, aut in lucrum, non ferre, id est quod non fero aut non cogor ferre. i. tolerare, cum nulla sit mihi familiaritas, cum eo, hominem pestilentiorem, patria sua, idest qui sit pestilentior, quam Sardinia patria sua, quæ tamen pestilens est præcipue duabus rebus. Solifuga serpente pereaiguo, & herba Sardonia, quæ si edulio admisceatur, neruos uescentibus contrahit, & diducit ora rictu, sic ut morientes ridere uideantur, unde est risus Sardonicus in Adagio. Præterea in ea est uis taxi, unde me inficitur. Et puto eum addictum, idest destinatum, iam tum, idest iam ab eo tempore, quo mihi inimicari cepit, præconio Hipponacteo, idest carmini iambico graui & mordaci, quali Hipponaa usus est. Calui. Licinii, idest quo Caluus Licinius Hipponactis imitator eum proscindet. At. idest sed. uide, idest animaduerte, aut agnosce. quid, id est propter quid, succenseat idest irascatur mihi. Ego receperã, aut susceperam, scilicet protegendam causam Phameæ, quidem, idest certe, causa ipsius scilicet Phameæ erat enim mihi familiaris, sane, idest ualde. Is, scilicet Phamea uenit ad me, dixitq; iudicem constituisse dare operam sibi, eo ipso die, quo, scilicet die, necesse erat iri in consilium de Publio Sestio, idest propter negotium Publii Sestii. respondit me nullo modo posse facere, idest agere causam ipsius, & respondi si sumpsisset alium diem quem uellet, me non defuturum ei. Ille autem, qui, idest utpote qui sciret se habere tibicinem idest canentem in tibiis, bellum idest aliquantulum bonum, & unctorem, scilicet palæstritarum, hoc est alipten, quod uile & sordidũ erat officium, sat, idest satis bonum, idest peritum utpote Tigellium, nepotem, idest qui sibi nepos esset, discessit a me iratior, idest aliquantulum iratus, quasi qui minitaretur se ea postulaturum eam iniuriam coram nepote suo, ut uidebatur mihi, scilicet e a uultu eius. Habes Sardos, scilicet duos Phameam & Tigellium, uenaleis, idest facili precio corruptibiles, & quasi seruilis conditionis. alium nequiorem alio. Valla diceret alterum altero, nisi plures sint, quã duo. Tu o Galle cognouisti causam meam, & iniquitatem istius Salaconis, idest arrogantis & inaniter superbientis, utpote de propinquitate Tigellii. Salacon enim uir fuit, qui cum pauper esset, se diuitem simulabat, unde Salacones inaniter superbi, & Salaconia superbia dicitur, autore Suida Mitte mihi Catonem tuum idest librum quẽ de Catone scripsisti, cupio enim legere supple eum, quem sup. me nõ legisse adhuc, est turpe utrique nostrum.

VICTORIVS.

CApius, ut opinor, olim} Ita scripsimus, ut ab aliis restitutum fuerat Mediceus tamen {Citius} Apud Festum Pompeium a quo hoc prouerbium explicatur, {Capius} legitur. Nec tamen est, quod testimonio huic firmiter credamus: Ipsius enim commentarii, ut improbe olim detruncati fuerunt, ita nunc multis maculis fœdati sunt. Plutarchus in Erotico, qui totam historiam accurate exponit, nequaquam hunc hominem Cabbam, uel Calbam potius appellat: totus autem locus ab Erasmo in prouerbiis expressus est. Animaduertendum tamen, quis fuerit ille Mæcenas, a quo uxorem suam subagitari tam æquo animo Capius hic, siue Cabba passus sit: non enim familiaris ille Augusti Cæsaris esse potuit, nam antiquius eius ætate hoc prouerbium fuit: a Cicerone enim adducitur, & a Lucilio quoque, uetere poeta, celebratum fuit. Præterea in uerbis Sex. Pompeii cogitandum, an παρεγ'γχω legi debeat, quod puto: quẽ enim locum ibi pararencho hoc casu habeat non uideo: quanuis docti uiri mendum in illis esse suspicati non sint {Respondi nullo modo me facere posse, quam uellem} Ita olim emendaui, imprimique iussi. nam quemadmodum nunc ostendam, in melioribus libris hæc fere scriptura inuenitur, quam Manutii probant, quanuis insimulent me alium sensum ex iis uerbis accepisse, quod culpa impressorum non bene interpunctionibus distincta sint: quasi ab ullo, qui penitus stultus non sit, alius ullus sensus ex iis uerbis elici possit: Ego autem impressioni non interfui, nec quæ istud hominum genus cotidie turbaret, corrigere potui. nam sæpe me questum esse de istorũ negligentia in meis scriptis omnibus notum est. Sed his relictis. Mediceus codex hanc scripturam retinet: {Respondi me nullo modo facere posse. quem uellem alium diem si sumpsisset}& quæ sequuntur. Non sine aliqua omnino peruersione: aliquid enim necessario in ea uitii est, siue prior illa, siue posterior lectio magis probetur. Quare sæpe de hoc loco soliciti fuimus: ac quãdoq; ueriti sumus, ne peccauerimus, quod aliquid tunc immutarimus: nam ita peccatum esse potuit ab uetere librario a dictione illa {Vellem} ut in altera {Quẽ} peccatum enim omnino fuit: aut enim legendum est {Cum uellem} ut nos tunc scripsimus, aut {Quem uellet} quemadmodum antea in impressis libris legebatur. nam recepta lectio non malum intellectum habebat: declaratur enim magis per illam liberalitas Ciceronis, & cupiditas satisfaciendi Phameæ, quæ affirmat eum uno illo excepto omnibus aliis diebus in potestate ipsius fore. Hæc omnia accuratius acuti, ac docti uiri perpendent: & quid de tota hac re faciendum sit, statuent.

PAVL. MANV.

CApius (opinor) olim, Non omnibus dormio} Alias ita emendauimus, cum libri omnes non modo impressi, sed etiã manuscripti hoc in loco mendosi legerentur: quidam enim Citius, quidam Cepio, alii aliter habebant, nos ex Festo Pompeio locum restituimus qui adagium, Non omnibus dormio. natum esse a Capio quodam scribit, qui Pararencho diceretur, quod simularet dormientem, ut impunitius uxor eius mœcharetur. {Respondi, nullo modo me facere posse, cum uellem} Elegantior lectio, quam quæ antea in impressis libris erat. hanc lectionem etiam Florentini in suo libro scripserunt: sed, quomodo eam inter punctis distinxere, nõ eo sensu, quo nos uidentur accepisse.

SEBAS. CORR.

DE Tigellio} M Tigellio Hermogene, Sardo cantore. {Capius} qui Pararencho dictus est, quod simularet dormientẽ quo impunitius eius uxor mœcharetur. {Non omnibus dormio} Vide Erasmi prouerbia. {Regnare} nam Torquatus in causa P. Syllæ Ciceronem regem appellauit. {Præter istum} Tigellium. {Patria sua} Sardinia, quæ hodieq; pestilens esse dicitur. {Calui Licinii} Cornelii Licinii Calui poetæ. {Hipponacteo præconio} Iambico scazonti: sic ab autore appellato. quale est illud.

Sardi Tigelli putridum caput uenit.

Præconio autem dixit, qui præco Sardos uenales pronunciabat: {Phameæ causam} contra pueros Octauii. {Ipsius quidem causa} Phameæ {Sane familiaris} Phamea, qui mihi in consulatus petitione pollicitus erat, si quid opus esset. {De P. Sestio} Epist. XVIII. lib. V. {Iri necesse erat} lege Pompeia, qua dies iudiciorum præstituti fuerant {Nepotem bellum} Tigellium. {Vnctorem} Al. inflectorẽ Al. cantorem. {Sardos uenales} Eras. in prouerbiis {Salaconis} Cælius lib. VII. cap. XVI. {Catonem tuum} librum a te de M. Catone scriptum.

BERN. RVT.

SEd pauca de re, citius opinor. olim non omnibus dormio, sic ego non omnibus mi Galle seruio} Etsi cum periculosum, tum difficile est, in re tam obscura diuinare, tu tamen uide, nũ ita forte reponi distinguive possit, ut Cinthii, Cinciive, aut Cintlini eusdam exemplum afferri a Cicerone intelligas. cuius id dicterium fuerit. Pauca de re non omnibus dormio. qui forte ex illis unus erat doctus & ad calicem uigilanti stertere naso, ut fit: sed pauca de re, Cincius (opinor) olim, non omnibus dormio. sic ego non omnibus mi Galle seruio: interpres alioqui nescio quid habuerit ineptiarum. Eodem orationis genere usus infra Cicero: Lætus sum laudari me, inquit Hector (opinor) apud Næuium, Et ad Atticum. Nam, ut ait Rhinthon, ut opinor. {Et siqua est hæc seruitus} Et si quæ est hæc seruitus? cum interrogationis nota puto scribendum: quasi se corrigat, quod seruire se dixerit, cum quid familiaribus Cæsaris rogat. {Non tam ab illis, quam hoc tẽpore obseruor a familiarissimis Cæsaris omnibus} Ab illis habent cætera melius exemplaria. {Eumq; addictum iam tum puto Calui Licinii Hipponacteo præconio} Caluus

uus

uus Licinius poeta & orator illustris: de quo Catullus, Propertius, Ouidius, Columella, Fabius, Gellius, alii, maledicus, ut qui ne Cæsari quidem pepercit: cum dixit, Bithynia quicquid,

Et prædicator Cæsaris unquam habuit.

Est igitur Hipponacten præconio, famosissimo carmini.

Ex poste. eiusdem.

VEl proxime de Tigellio} Eandem rem uberius his uerbis perscribit ad Atticum De Tigellio, siquid noui: qui quidem, ut mihi Gallus Fabius scripsit, μέμψιν ἐπιφέρει mihi quandam iniquissimam, me Phameæ defuisse, cum eius causam recepissem, quam quidem receperam contra pueros Octauios Cn. F. non libenter. sed Phameæ causa uolebam. erat enim, si meministi, in cōsulatus petitione per te mihi pollicitus, siquid opus esset Quod ego perinde tuebar, ac si usus essem. Is ad me uenit, dixitque iudicem operam dare sibi constituisse eo die ipso, quo de Sestio nostro lege Pompeia in consilium iri necesse erat. Scis enim dies illorum iudiciorū præstitutos fuisse Respondi, non ignorare eum, quid ego deberem Sestio, quem uellet alium diem, si sumpsisset, me ei non defuturum. Ita tum ille discessit iratus, puto me tibi narrasse Non laboraui: scilicet, nec hominis alieni iniustissimam iracundiam mihi curandam putaui Gallo autem narraui, cum proxime Romæ fui, quid audissem, neque nominaui Balbum minorem. Habuit suum negotium Gallus, ut scribit ait illum me animi conscientia, quod Phameam destituissem suspicari. Quare tibi hactenus mando, de illo nostro, siquid poteris, exquiras. de me ne quid labores. Est bellum, aliquem odisse libenter, & quemadmodum non omnibus seruire. & si meher cule, ut intelligis, magis mihi isti seruiunt, si obseruare seruire est.

PHIL. MELI.

AMorit qui... }N... ... continens excusationem offi cii, cuidam amico de... [illegible]

Cæl. Rhod. Antiq. lect lib. VII. cap. XVI.

CIcero ad Fabium Gallum septimo Familiarium epistolarum scribens: Amo inquit. uoluntatem, sed pauca de te, citius opinor, olim non omnibus dormio, sic ego non omnibus mi Galle seruio. Hæc Cicero. In cuius loci enarratione, Deus bone, in quæ deliramenta procurrunt, qui locum mendosum ne suspicantur quidem, nec omnino remotiorem uidentur odorari historiam, quamuis a Grammaticis quadantenus illustratam. Igitur meo periculo, fremant licet nostrates Lyncei, Ciceronis studiosi sic legent, atque interpretabuntur: Amo uoluntatem, sed pauca de te. Cepius opinor olim non omnibus dormio: sic ego non omnibus seruio Sensus autem hic: Cepius, inquit, nisi memoria labor, olim dicebat, non omnibus dormio. Nam, Pompeius Festus ad uerbum fere ita scribit: Non omnibus dormio natum uidetur a Cepio quodam, qui Pararrhenchon dictus est quod dormientē simularet, quo impunitius uxor mœcharetur: cuius etiam Lucilius meminerit. Ad quem sensum illud Satyricum interpretantur Grammatici,

Doctus & ad calicem uigilanti stertere naso:

In quo tamen loco sunt, qui uigilantem nasum pro sonanti, & ronchis obstrepero accipiant, nulla huius historiæ habita ratione, cum in Milite Plautus quoque festiuiter & scite admodum ita scribat: An dormit Sceledrus intus? non naso quidem, nam eo magnum clamat. Legimus uero & in Græco penu pertinentem ad hoc ipsum historiam. Quippe Mæcenatem conuiuio exceperat Cabbas quidam ut uidetur, ridicularius procedente potu, ubi ea nutibus, renutibusque in uxorculæ amorem prolapsum uidit Mæcenatem, atque illā procliuius adlubescere, caput ceu dormiturus proclinauit. Accedēte uero imprudentius seruo, ac uinum sustollente, placide insusurrauit, ἰς κακόδαιμον, οὐκ οἶδας ὅτι μόνῳ Μαικήνᾳ καθεύδω, idest, Infelix an ignoras, quia soli Mæcenati dormio? Quod autem Tigellium epistola eadem patria sua pestilentiorem dicit Cicero, ad Sardiniā quidem referendum putant, sed pestilentem intelligunt propter Salpugam formicæ genus uenenatum, & Sardoniam herbam. Ego ad aerem noxium referri oportere contenderim. quod ut credam, facit L. Florus, cum ait: Sardiniam pestilentem sortitus Sed & Val Martialis eleganti epigrammate hoc ipsum comprobat aptissime:

Nullo fata loco possis excludere, cum mors

Venerit in medio Tybure Sardinia est.

Sed & Silius Italicus etiamnum apertius, ut hæsitasse iam pudeat:

Serpentum tellus pura, ac uiduata ueneno.

Sed tristis cœlo, & multa uitiata palude.

Ad ea uero, quæ de Salacone dicuntur epistola eadem, amplius sciendum, Salaconem fuisse Autolyci patrem, molliculum quendam, & deliciis diffluentem propterea in Vespis Aristophanes, τρυφερῶς τε διασαλακωνίσαι. Sed & in quadam epistola Menander ad Glycerium, οἶσθα γάρ μου τὰς συνήθεις ἀσθενείας, ἃς οἱ μὲν φιλοῦντες με τρυφὰς καὶ σαλακωνίας καλεῖν εἰώθασι, Hoc est, Cōsuetā mihi imbecillitatē nosti, quā qui me minus amant, delicias uocāt, & Salaconias. Arist. in rhetoricis a delicato disparare Salaconem uidetur. nam diuitum mores exprimens, eos esse ait trypheros, idest deliciosos & salaconas. Et trypheros quidem ob delicias & felicitatis ostentationem: Salaconas autem & Solœcos, quia insueuerint omnes circa id, quod amant, immorari, quodque admirantur, ac putare eisdem cæteros affici, quibus ipsi. Quidā porro deflexū inde uerbum σαλακωνίζειν, exponunt, τὴν πρωκτὸν αἰσχρῶς κινεῖν idest sedem parum decore agitare, quod nos Ceuere dicimus Id & σαυλοπρωκτιᾶν dicere Aristophanes uidetur σαῦλον enim dicunt uiolum, fluxumque.

D. Eras. Rhoter.

OLim non omnibus dormio: sic ego mi Galle, non omnibus seruio} Videtur indicare Cicero alterum, puta, Non omnibus dormio, uetus fuisse alterum, nempe, Non omnibus inseruio, nouum. Vtrunque certe prouerbiale, sed prius illud pertinet ad concessionem iuris, hoc posterius ad obsequium impendendum. {Habes Sardos uenales, alium alio nequiorem} Sentit Cicero de cōtemptis & improbis, & ni fallor, patria quoque Sardis Nam ita scribit paulo ante hunc locum: Id ego in lucris pono, non ferre hominem pestilentiorem patria sua.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Respondet monitioni Galli, de Ciceronis in Cæsarem sub nomine Catonis inuectione.

CICERO M. FABIO GALLO S. D. 26

*Quòd epistolam conscissam doles, noli laborare: salua est domi: petes, cū libebit. Quòd autem me mones, ualde gratum est: idque ut semper facias, rogo: uideris enim mihi *uereri, ne, si istum habuerimus, rideamus *γέλωτα σαρδόνιον. sed heus tu, manū de tabula: magister adest citius, quàm putaramus uereor, ne in Catonem, Cato in nos. Mi Galle caue putes quicquam melius, quàm epistolæ tuæ partem ab eo loco, Cætera labuntur. secreto hoc audi: tecum habeto: ne Apellæ quidem liberto tuo dixeris. præter duo nos, loquitur isto modo nemo: bene, maléue, uidero: sed quicquid est, nostrum est, urge igitur, nec transuersum unguem (quod aiunt) à stylo: is enim est dicendi opifex. atque ego quidem aliquantum iam etiam noctis assumo. Vale.*

*a. l. uereri, nisi istū idest risū *Sardonium.

ASCENSIVS.

QVod epistolam &c. Mandarat Gallus Ciceroni quandam epistolam lacerare, deinde petierat id eum non facere, unde scribit se eam integram habere. Deinde quædam obscura, quæ erant in illa epistola sic tangit, ut præter eos uix quisquam intelligere possit, nec mirum cum secretum id haberi uelint Veruntamen illud, quod Hubertinus penitus incognitum censet, ne in Catonium &c. Beroaldus explicare uidetur, dicit enim Catonium Laberianum esse uocabulum, hoc est quo Laberius usus est pro inferno, in illo uersu. Tollet bona fide uos orcus nudas in Catonium, idest infernum. Et legit non Catonios, sed Catonos ut sit uereor ne Cato nos supple deducat in Catonium, idest quasi ad orcum, aut mortem. Si quis tamen Catonio: malit legere non adsurdus fuerit sensus, ut eum ordine aperiam. Ordo autem est: Quod doles epistolam, scilicet quam iusseras conscindendam, conscissam supple esse, noli laborare idest propterea dolore affici. ipsa supple est domi, scilicet meæ, salua, idest adhuc integra. petes sup. eam a me cum idest quando lubebit. Valde gratum est supple mihi, quod mones me scilicet cauere, aut prospicere mihi, & rogo, ut facias id semper Tu enim uideris mihi uereri, nisi habuerimus istum, scilicet defensorem, aut alium quem impune ridere possemus, rideamus idest quod rideamus τὸν γέλωτα. i. risum σαρδόνιον. i. perniciosum, qualem rident, qui herbam Sardoniam comederunt, & facie ridentibus simili moriuntur aperto ore. Sed heus, tu, reuocantis est uox, & adhortantis, supple retrahe manum de tabula scilicet lusoria, aut, ut quidam opinantur idest noli iocari, cum lupus sit in fabula, aut de tabula in qua quicquā in Cæsarem scribas. Magister idest quem, ut magistrum timere debemus, Cæsar adest citius quam putaueramus scilicet affuturum. Vereor ne Cato, scilicet cuius nos imitatores sumus trahat aut ducat, aut præcipitet in Catonium, idest orcum aut barathrum inferni, hoc est ne eius imitatio sit nobis causa mortis. Si legatur Catonios pro Catonianos sensus est, uereor ne supple Cæsar mitat Catonios idest Catonis partes sequentes, aut facta probantes, ut Gallus, qui in Catonis laudem librum composuerat, ut patet in fine superioris epistolæ, & Cicer. ob quem Anticatones scripserat Cæs. Alludit ergo ad uocabulum Catonium, uocans Catonios Catonis amicos, id autem potius dixero, quam Cato nos, iam enim mortuus fuerat, sed tamē Cato, idest laus

quæ de eo scribebatur & studium eius, poterat mittere in Catoniũ, quod uocabulum non est a Catone deductum quando inferum significat. O mi Galle caue putes quicquam melius, quam partem epistolæ tuæ, ab eo loco, cætera labuntur. Audi hoc secreto, & habeto tecum, ne quidem: idest non saltem, dixeris Apellæ liberto tuo: Nemo loquitur isto modo, præter nos duo, idest duos antiquus est accusatiuus, authore Prisciano, quo & Virg. utitur in Aeneid. Si duo præterea tales Idea tulisset Terra uiros. Et Hora. in Ser. Duo si discordia uexet inertes &c. Videro, idest permitte ut uideam: ne idest an supple nos sic loquamur, bene an male. Sed quicquid est, idest siue rectum, siue paruum genus loquendi, supple ipsum est nostrum. i. nobis peculiare. Vrgeo igitur ne supple quidem, unguem transuersum a stylo, idest non ea orbito a stylo in transuersum ad latitudinẽ unguis, quod est in prouerbio, hoc est, ego sine stylum libere fluere, & non cogo eum ullius metu. Is enim, scilicet stylus, & opifex: scilicet optimus, quod etiam Fabius ais, dicendi, atq; equidem assumo iam etiam aliquantum noctis, idest aut noctu scribo, aut obscure.

VICTORIVS.

VEreor in Catonium Catonos} Locus ualde obscurus, nec uno modo in omnibus exemplaribus scriptus. Mediceus & quiq; optimi libri pro {Cato nos, Catoninos} habens: quod non improbaui Mendi autem notam hic apposui, quia in priore quoque uoce diuersos antiquos codices inueni: nec apud me constituere potui, quæ syncerior lectio habenda esset, quamuis autem certam ex tam dubio & contaminato loco sententiam uix elici posse putem, tamen non ueritus sum quid sentiam exponere Per {Magistrum} arbitror eum intelligere Cæsarem dictatorem. {Manum} autem {De tabula,} prouerbium esse existimo sumptum a pueris pictorum qui absente magistro, sumpto penicillo aliquid & ipsi furtim in tabula pingere conantur. Quo repente superueniente, admonentur a cæteris ut cito manum de tabula remoueant, ne in illos magister animaduertat Monet igitur Cice. Fabium, ut appropinquante Cæsare manum & ipse de tabula cito auferat: scribebat enim Catonem, quæ scriptio parum Cæsari grata & iucunda esse poterat & quæ inimicissimum illi hominem summis laudibus ornaret. Cũ autem se quoque cogitaret, quia & ipse etiam Catonem scripserat, apud eum offendisse, subiungit, Vereor ne in Catonium Catoninos, idest timeo ne Cæsar commotus ita ad inferos dimittat Catoni deditos, & Catonem amantes, idest meipsum & te, qui Catonis laudes scripsimus {Catonios} autem pro {Catonianos} dictum uidetur, quẽ admo. dum sæpe ueteres locutos paulopost ostendam. Nam & Aulus Gellius uidetur ostendere Catonium pro inferis sumi quandoq; solitum, sic enim lib. X V I I I. Noctium Atticarum, cap. V II. quod contra Laberium scriptum est inquit, postquam ostendit illum multa uerba licenter nouasse, neq; non obsoleta quoq; & maculantia ex sordidiore uulgi usu ponit, quale est in flaminarius, Tollet bona fide uos orcus in Catonium. Vbi unum adnotandum est quod uidi priscum eius scriptoris & ualde probatum exemplar, quod {Catonum} non {Catonium} in eo uersu habet, quemadmodum in hac epistola in melioribus exemplaribus scriptum est: & hæc causa fuit, q̃ e regione eius uocis asteriscum apposui. quis enim diiudicare possit impressis ne codicibus, an potius priscis exemplaribus maior fides habenda sit in dictione iampridem obsoleta, & cuius certam rationem nemo assignare possit? nisi illa a Græca aduerbio κάτω originẽ ducat, quod & ipsum inferiora & subterranea loca significat.

Ex post. eiusdem.

QVod epistolam conscissam doles, noli laborare: salua est domi, petes cum libebit} Ita legitur in cunctis impressis, a quibus Mediceus dissentit: {Domo} enim, non {Domi} habet, quæ scriptura (si attente consideretur, fortasse peior, inelegantiorq; non erit: ita autem distingui debet, Salua est, domo petes cum libebit) Cum enim dixit, {Salua est} eripuit illi errorem, in quo erat, qui arbitrabatur illam conscissam, & ex ea re dolorem capiebat cum addidit, {Domo petes,} declarauit penes se illam esse, seq; illius copiam ei facturum semper esse. Domo petes, dictum est quemadmodum etiam Petere a Græcis, Petere e macello, aliis in locis Cicero dixit: est enim peculiaris ipsius locutio, non alia ratione, quam Adferre domo, Depromere domo Locus in Bruto deprauatus est, ubi hoc sermone Cicero usus fuerat, cum causam redderet cur ueteres numeris usi non essent, alia autem ornamenta orationis mature usurpassent. inquit enim itaq; translata, aut facta, aut iuncta uerba facile sunt cognita, quia sumebantur e consuetudine, cotidianoq; sermone: numerus autem non domo depromebatur, neq; habebat aliquam necessitudinem aut cognationem cum oratione. Ideo, inquit, oratio ueterum numero caruit, quia unde numeros discerẽt, non habebant: fuit enim res operosa & difficilis. præterea necessitas non cogebat illos uti numeris, quemadmodum sæpe cogit et uti uerbis translatis, aut factis aut iunctis, cum propria & usitata non sunt, non depromebatur domo: non accipi poterat a consuetudine, domestico sermone, sed a doctoribus petere necesse erat, uel potius diuturna accurataq; obseruatione notare. In cunctis impressis {Modo depromebatur} legitur: quæ peruersio alios quoq; Ciceronis locos occupauit. Annus est, cum hoc animaduertimus, cumque non multis post diebus Petrus Bembus Romam proficiscens hac iter faceret (uis summo studio ab omnibus, atq; uno ore semper laudatus, nunquam tamen satis laudatus) nosq; in itinere illum salutassemus, me autem ille humanissime accepit, familiariterq; mecum diu locutus est. orto sermone de studiis, literarum, & Ciceronis scriptis dixi me putare hunc locum ita legi debere, & alterum etiam in oratione de Aruspicum responsis, quem parua quædam labes, quæ tamen omnes fefellisset, fœdabat: atq; ita fœdabat: ut splendidissimũ lumen orationis obrueret. Ne id quidem sentis, conniuentis illos oculos abaui tui magis optandos fuisse, quam hos flagrantis sororis. in cunctis autem impressis {Os} mendose legitur: sunt enim antitheta, respondetq; {Hos} superiori uoci {Illos. Flagrantis} autem dictioni {Conniuentis.} neq; enim est, ut imperiti crediderunt, generandi casus: neq; pertinet ad {Sororis,} sed ad {Oculos.} Nam pro Cælio etiam Cicero inquit, Non flagrantia oculorum: cum de eadem muliere loqueretur: & Catullus, Flagrantia lumina Ariadnæ, Thesei amore correptæ, applauit. {Hos} autem, & {Illos} sæpe dixisse Ciceronem cum contraria contrariis redderet, declarat etiam locus hic, qui ab ipso quoq; adducitur, cum de hoc ornatu orationis loqueretur in oratore: Conferte hanc pacem cum illo bello, huius Prætoris aduentum cum illius Imp. uictoria, huius cohortem impuram cum illius exercitu inuicto, huius libidines cum illius cõtinentia: ab illo qui cepit conditas, ab hoc qui constitutas accepit, captas diceris Syracusas. Sed non fuit his confirmandis tantopere laborandum, cum eos doctissimo, ac maximi iudicii uiro probauerimus: uisus est enim illis delectari, & non parum industriam nostrã laudauit: In episto. autem ad Fabium, qui receptam lectionem retinere uolet, non magnopere me aduersum habebit: atq; is tamen nõ moleste feret, me ea occasione alium locum manifesto corruptum restituisse. {Videris enim mihi ueteri, ne si istum habuerimus} Mediceus liber, nisi istum habuerimus, semper mihi suspectus hic locus, ac merito quidem fuit: & sane tota epistola obscurior. Quid mihi in mentem non multo ante uenerit, libet narrare. Arbitror legendum esse, {Nisi istum cauerimus} Quibus autem argumentis ductus hoc faciam, cum exposuero, qui non probat, totam opinionem meã reiiciat. sententia, ut patet, egregia est. intelligis enim per istum Cæsarem, cuius uoluntatem lædebant, quod perpetuum inimicum eius laudabant. quem Gallus putabat cauendum, ac pertimescendũ, qđ quibus uellet, incommoda multa conciliare posset. In dictione etiã illa immutanda nulla, aut parua licentia nos usos nunc ostendemus Obseruauimus aliis in locis Mediceo codice H, pro C, positam esse, ut in epistola Lentuli ad Ciceronẽ locus ille sic legitur. CLXXIX. Præterea mihi promiserunt Pansa, & Hirtius horam. In antiquis ẽt lapidibus ita quandoque scriptum est, ut docti, & diligentes uiri adnotarunt: nam sæpenumero ueteres librarios pro V, B, scripsisse, & contra, magis notum est quam ut exemplis confirmari oporteat. Addam (quanquam uereor ne hæc mea diligentia nimia nonnullis in re satis aperta uideatur) aliis in locis in Mediceo me obseruasse duo V V, posita esse, ubi unum satis erat, ut in epistola ad Cælium sic locus ille legitur. X X V I I I. Præsertim contra eum, cui spero me satisfecisse. Nam apte respondere hoc uerbum superiori perspicuum est. sic enim crebro Cicero locutus est. I I Philip. Et simul admonent quicquam, quod cauebimus. I I A quo admoniti, diligentius & uigilantius caueamus Antonium Memini disertum nobilissimum uirum & summa ingenii laude florentem, cui ego & in secunda, & in aduersa fortuna ualde amicus fui, sed magis in perditis ipsius rebus officii gratia familiaris, qui & ipse hunc locum deprauatum esse censebat. sic eum emendare solitum. {Ne si stylum acuerimus} Nondum autem quæ a me supra exposita sunt, excogitaueram ut uidere potuerim, quid ipse acutissimi ingenii uir de hac mea suspicione sentires. Illum autem nomine etiam appellarem, si arbitrarer hanc rem posse ei aliquam laudem afferre. {Vereor ne in Catoniũ Catoninos} Mediceus codex {Vereor ne in Catoniũ Catoninos} Ita accurate olim de hoc loco disserui, ut necessarium esse non existimem, uerbum de hac re addere, omnino enim cẽseo {Catoninos} pro {Catonianos} scriptum fuisse, & intelligi debere Catonis studiosos. Nam quin, siue Catonium, siue Catonium legendum sit, (nihil .n. certi de hac uoce afferre possum) ea dictione inferos, & sedem mortuorum intelligat, non dubito.

PAVL. MANV.

VEreor, ne in Catonem, Cato in nos} Hanc lectionem cũ alii uetusti codices habent, tum is, qui est apud Bernardinum Maffeum. sensus est: Vereor, ne nos scribamus in Catonem, & eum nostris scriptis laudemus: Cato autem laudatus exitio nobis sit, Cæsare nos, quod ipsius inimicum laudemus, male mulctante: quasi dicat, uereor, ne Catonem extollamus, ipsi autẽ deprimamur. & dixit, in Catonem, (subaudi scribere) idest in Catonis laudem, ut de Oratore lib. II. C X L I. & de Natura Deorum lib. I. X V I I.

SEBAS. CORR.

SI istum} Tigellium, uel Phameam potius, quam Cæsarem significat, propter prouerbium quod addidit, & nescio quam suspicionem, de qua lib. XIII. ad Atticum scribit: {) σ'Λοτ-: σαρδώνιον. } risum Sardonium. Eras. in prouerb. {De tabula} de libro, in quo de Catone tu quoque scribis. {Magister} auctionis: uel potius Dictator, qui magister populi dicebatur {Adest citius} ex bello Hispaniensi, contra Pompeii filios gesto rediens. {In Catonium Catonos} A. in Catonem Catonianos: de quo loco multi multa scribũt,

sed

ſed de Catonio Gellius lib.X V I. cap. V I I. {Cætera labuntur} Verba Fabianæ epiſtolæ.{Vrge} Al.Vrgen: & ſane his temporibus multa ſcripſit Cicero.{Tranſuerſum uoguem}Eraſ.in prouerb. {Is enim}ſtylus.

BERN. RVT. Is enim eſt dicendi opifex}.ſ.ſtylus,non Cæſar . ut interpres putat.nam & ſubiecta plane intelligenda.

PHIL. MELá. QVod epiſtolam conſciſſam}Narrationes. γέλωτα σαρδάνιον }Ridere riſum Sardonium eſt ,in ea re eſſe hilarem, quæ paulo poſt magnum malum eſt allatura. {Ne in Catonium}ideſt in carcerem Cato [illegible] in Senatu aliquādo aduerſaretur nimiom Cæſari,in carcerem coniectus eſt, iubente Cæſare,cumq; iam abiret Cato,uniuerſus ſenatus conſurrexit , & Catonem in carcerem uſq; ſecutus eſt. Ibi Cæſar motus reuerentia Senatus,rurſus dimiſit Catonem {Ne tranſuerſum} ideſt nunquam diſcedas ab illa exercitatione.Obſeruanda eſt hæc epiſtola,propter laudem ſtyli,quem hic uocat dicendi opificem.

Cæl. Rhod. Antiq. lect.lib.7. cap.17. ET quia in Ciceronis epiſtolas peruenimus,in quibus pleraq; reconditam habent doctrinam,proindeq; illotis, quod dicitur,non adeunda pedibus,ſubrexemus inſequentium literarum obſcuriora nonnulla,quæ Delium requirere natatorem imperitioribus forte uidentur,lucemq; pro uirili inferemus.Sed heus,tu, inquit,manum de tabula. Magiſter adeſt citius,quam putaramus. Deſinamus(inquit)Cæſarem laceſſere.diſcriminis haud parū ingruit ab eo,qui præter quam fueramus opinati,& præcinctura mouere uidebatur,dictaturam arripuit.Vnus depiq; eſt omnia iſq; eſt ſine prouocatione magiſtratus,nec uſquam præſidii ſpes, niſi in cura parendi.Sum ueritur,ne ſi libere,ac Catonis more mentem noſtram retegere perrexerimus,in Catonium cōtrudamur, ideſt in cui dens præcepitemur exitium.id ipſum ſcripſerat ad Ciceronē Gallus,ut ſtylo parceret,nec Cæſarem irritaret.Hoc etenim illa uerba ſignificant.Videris enim mihi ueteri,ne ſi iſtum habuerimus ſie.n. legendum eſt:ideſt,Si Cæſarem proſcideriimus , & epiſtolarum argumentum ab eo duxerimus,rideamus γέλωτα σαρδάνιον:ideſt dū illum ridemus,ipſi pereamus.Quod uero magiſtrum pro dictatore accipiamus,forte ridiculum ſciolis haud ita multa uerſantibus uideatur Cæterum ſcribit Seneca,eum,quem modo dictatorem dicimus,& in hiſtoriis ita nominari lectitamus , apud antiquos magiſtrum populi uocatum,& id in libris adnotatum auguralibus : præterea eſſe argumento,quod qui ab illo nominabatur , magiſter equitum erat & dicebatur Porro T. quoq; Liuius dictatorem refert moderatorem,atq; magiſtrum conſulibus appoſitum . Sed de Finibus item tertio libro,de ſapiente: Rectius,inquit,appellabitur magiſter populi(is enim eſt) dictator,quam Sylla , qui trium peſtiferorum uitiorum luxuriæ,auaritiæ,crudelitatis magiſter fuit. Recte ergo Cicero ait:Sed heus tu manum de tabula,magiſter adeſt . quod eū habet ſenſum:Ne hoc quidem fortaſſis recte ſcribo,non eſſe diſtringendum ſtylum in Cæſarem.nam ſi hoc feciſſe ſignificaremus, uerendum eſt,ne libertas nimia fraudi ſit,ac in mortem trudat . Siquidem Catonium pro inferis recte poni,ea Laberio comprobauit Gellius,Noctium Atticarum lib.X V I. etiam ſi inter ſordida , obſoletaq;,ac maculantia,id eſſe uocabulū putat. Nec eo uerbo eſſet uſus orator,niſi de induſtria ea obſcuritate iocum captaſſet. Quod uero eſt in epiſtolæ calce,ita legēdum eſt. Vrgeo igitur,nec tranſuerſum unguem,quod aiunt,a ſtylo(is enim eſt dicendi opifex) atq; equidem aliquantum iam etiam noctis aſſumo Ego,inquit, ad ſyntaxin & compoſitionem totum me dedi,feſtinoq; ita, ut mihi ipſe ocium negem,a ſtylo enim ideſt a ſcribendo,& de ingenii fertilitate quippiam promendo,ut minimum quidem reuellor, quando aſſiduitas exercitationis dicendi copiam maximam parit . Confirmatur ſententia hæc Ciceronis præceptore a. I.de Oratore: Caput autem eſt, inquit,quod(ut uere dicam)minime facimus.eſt enim magni laboris,quem plerīq; fugimus,quamplurimum ſcribere, ſtylus optimus & præſtantiſſimus dicendi effector atq; magiſter.Quæ omnia repetens Fabius lib X. Vt laboris,inquit,ſic utilitatis etiam longe pluſimum adfert ſtylus.nec immerito M.Tullius hunc optimum effectorem ac magiſtrum dicendi uocat.Cui ſententiæ perſonā L.Craſſi,in diſputationibus,quæ fiunt de Oratore , aſſignando , iudicium ſuum cum illius authoritate coniunxit . Quod uero ad Cæſarem iſta referunt enarratores, plane ridiculum eſt.

D.Eraſ. Rhoter. VIderis enim mihi ueteri,ne ſi iſtū habuerimus , rideamus γέλωτα σαρδάνιον.Significans futu[illegible] Cæſar rerum potiretur,multis arridere atq; applauden[illegible] gerētur, quæ magnopere diſplicerent.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Nunciat amico, quo pacto in morbum inciderit, & quo pacto ſe habeat.

CICERO GALLO S. D. 27

CVm Decimum iam diem grauiter ex inteſtino laborarem , neque iis, qui mea opera uti uolebant,probarem me non ualere,quia febrim nō haberem:fugi in Thuſculanum,cū quidem biduum ita ieiunus fuiſſem, ut ne aquam quidem guſtarem.itaque confectus langore , & fame magis tuum officium deſideraui, quàm abs te requiri putaui meum.ego autem cum omneis morbos reformido,tum quo Epicurum tuum Stoici male accipiunt , quia dicat *δυσουρικὰ καὶ δυσεντερικὰ πάθη ſibi moleſta eſſe . quorum alterum morbum edacitatis eſſe putant , alterum etiam turpioris intemperantiæ.ſanè *δυσεντερίαν pertimueram . ſed uiſa eſt mihi uel loci mutatio,uel animi etiam relaxatio, uel ipſa fortaſſe iam ſeneſcentis morbi remiſſio profuiſſe . Attamen ne mirere,unde hoc acciderit, quomodòue commiſerim : lex ſumptuaria , quæ uidetur *λιτότητα attuliſſe,ea mihi fraudi fuit:nam dum uolunt iſti lauti terra nata,quæ lege excepta ſunt,in honorem adducere,fungos,heluellas,herbas omneis ita condiunt , ut nihil poſſit eſſe ſuauius.in eas cum incidiſſem in cœna augurali apud Lentulum,tanta me *διάρροια arripuit,ut hodie primum uideatur cœpiſſe conſiſtere.ita ego,qui me oſtreis, & murænis facile abſtinebam,à beta etiam, & malua deceptus ſum . poſthac igitur erimus cautiores.tu tamen cum audiſſes ab Anitio , (uidit enim me nauſeantem)non modo mittendi cauſam iuſtam habuiſti , ſed etiam uiſendi.ego hic cogito commorari,quoad me reficiam : nam & uireis, & corpus amiſi.ſed ſi morbum depulero,facile(ut ſpero) illa reuocabo. Vale.

*.i.ueſicæ & uiſcerum morbos.
*.i.uiſcerum morbum.
.i.frugalitatē.
*.i.profluuium.

ASCENSIVS. CVm Decimum &c Dicit ſe petiiſſe Thuſculanū ſuum, quia iam decem dies laborauerat ex fluxu uentris, quē in cœna augurali contraxerat,doterq; ſe inde non abiturum donec conualeat Ordo eſt Cum ego laborarem grauiter ex inteſtinis,ideſt dolore & profluuio alui , iā decimum diem neq; probarem:ideſt perſuaderem, iis qui uolebant uti opera mea,me non ualere:ideſt nam ſanum & ualidum eſſe,quia non haberem febrim,non enim putabant morbum alui ſine febre ſatis grauem,ut a cauſis dicendis abſtineam, fugi:ſcilicet a frequentia populi,in Thuſculanum:ſcilicet agrum & uillam, cum quidem fuiſſem iam ita ieiunus,ut ne quidem guſtarem aquam Itaq; : ideſt & ita,ego confectus,ideſt fere conſumptus langore & fame , deſideraui magis officium tuum,ut:ſcilicet me ſoſtentes, quam putaui officium meum requiri abs te.Ego autem cum:ſcilicet ita ſit, quod reformido omnes morbos,tum,quod:ideſt quia Stoici male accipiūt: ideſt tractant.hoc eſt carpunt & arguunt Epicurum tuum: ideſt cuius ſectam ſequeris,quia dicant ſcilicet Stoici,πάθη:ideſt paſſiones & morbos,δυσουρικὰ:ideſt male urinandi aut mingendi,cum grauitate & excoriatione ueſicæ,καὶ:ideſt & δυσεντερικὰ : ideſt inteſtinorum male ſe habentium,eſſe moleſta,propter uitia unde procedunt,ſane particula δυς dys,græcis in compoſitione malum notat,ſicut interdum per nobis,ut peruerſus,perfidus &c.Vnde δυσουρία dyſuria,ideſt mala aut difficilis urinatio & mictio , cum ueſicæ excoriatione.adiectiue autem dicitur dyſuricus. Vnde quia pathos neutri eſt generis,& in plurali dicitur pathe, dixit dyſurica pathe moleſta, ſimiliter entera dicuntur inteſtina,unde dyſenteria inteſtinorum morbus,& adiectiue dyſenterica pathe,aut ut Græci pronunciant pathi,quorum ſcilicet dictorum,ipſi putant, Alterum:ſcilicet dyſentericum pathos,eſſe morbum edacitatis.i.auidæ ac nimiæ comeſtionis:alterum.ſ.dyſuricum pathos, intemperātiæ etiam turpioris,utpote ueneris,quæ nimiam potationem ſequitur. Sane ego pertimueram dyſenteriam , ideſt malum inteſtinorum & alui profluuium,ſed uiſa eſt mihi profuiſſe uel mutatio loci,uel relaxatio etiam animi,uel etiam fortaſſis remiſſio morbi iam ſeneſcē tis.i.debilitati per diuturnitatem. Attamen ne mirere.i mireris, unde hoc.ſ.genus morbi aut pathos acciderit , ue pro uel quomodo commiſerim: lex ſumptuaria:ideſt lata de ſumptibus in conuiuiis imminuendis,quæ ſcilicet lex uidetur attuliſſe λιτότητα , litoteta proferunt tamen græcis litotita i.frugalitatem, nam λιτότης litotetos &c.frugalitas eſt ea fuit mihi fraudi: ideſt detrimento ſoſpitatis:ideſt impoſuit mihi . Nam dum iſti lauti : ideſt elegantes & exquiſiti conuiuiorum inſtructores uolunt adducere in honorem nata terra : ideſt fruges , herbas & ſimilia , quæ ſunt exce-

pta lege,quia de eorum sumptu lex non loquitur,ipsi condiunt fungos,heluellas.i.minuta holera,authore Festo, & herbas omnes ita ut nihil possit esse suauius Cum incidissem in eas.s.herbas dictas, unt in ea.s.terra nata,in cœna augurali.i quæ augurũ collegio erat aposita,apud Lentulum,tanta diarrhœa.i.effusio aut profusio alui arripuit me,ut uideat cœpisse primum hodie consistere.i fluxum repressisse & stare fecisse.Itaq.i.& ita,ego qui abstinebã me ostreis .i.delicatis illis & lubricis conchyliis,& murænis.i.delicatis piscibus,quas,Lampredas quidam,alii flutas,græci plotas,uocant, deceptus sum etiam a beta & malua,herbis notis & uulgaribus Igitur nos erimus posthac.i.deinceps cautiores.Tu tamen cum audisti.s. morbum meum ab Anitio:enim.i.quia Anitius uidit me nauseantẽ .s.e languore,habuisti causam iustam,non modo mittendi.s.aliquẽ ad me,sed etiam uisendi.i.ueniendi uisum,quasi dicat quorum neutrum fecisti Ego cogito commorari hic.i.in Thusculano, quoad.i. donec reficiam me.Nam amisi & uires & corpus.i.corpulentiã, sed reuocabo.i.recuperabo,facile illa.s.uires & corpus,ut spero,si depulero morbum uidelicet fluxum alui.

VICTORIUS. Terra nata,quæ lege excepta sunt} Et si nihil mendi sit in his uerbis,uolui tamen ut melius hic locus intelligatur,uerba ex Athenæo legis Fanniæ sumptuariæ adponere, quæ & ipsa,omnia,quæ oriuntur e terra excipiebat.cum enim aliis cibis & dapibus modum quendam statueret,olera,leguminaq;,& cuncta quæ terra fert,concedebat.sunt autem lib. VI. δειπνοσοφιστῶν, ἐκέλευσε δ' ἕτερος τριῶν μὴ πλείονας τοῦ ἴσου τῆς οἰκίας μὴ ὑποδέχεσθαι. κατὰ ἀγορὰν δὲ τῶν πέντε, τοῦτο δὲ τρὶς ἢ μηνὸς ἑκάστου, ὀψωνεῖν δὲ πλεῖον τῶν δύο δραχμῶν καὶ ἡμίσους οὐκ ἐπέτρεπε, πρὸς δὲ καὶ πανταχοῦ δὲ καὶ πέντε τάλαντα δαπανᾶν εἰς τὸν ἐνιαυτὸν ἐπεχώρει καὶ ὅσα γῆ φέρει λάχανα καὶ ὀσπρίων ἑψήματα. Quod autem Stoicos dicit male accipere solitos Epicurum, quod fateretur sibi uesicæ & torminum morbos ualde molestos esse:narrat hoc ipse de se in epistola ad Idomeneum authore Laertio:quanuis Cicero ad Hermachum missam dicat lib.II.de finibus.ibi enim elegantissime illam interpretatur:Græcam inuenies apud Laertium in uita Epicuri, quam non inutile erit cum Latina conferre:Erant autem infensissimi Epicuro Stoici,& iniquo animo rationem & uitam illius exagitabant:nam parcissimi illum uictus fuisse apud optimos authores legimus.Modestius se gerit Plutarchus qui nedum ob hoc Epicurum maledictis incessat,excusat potius,tueturq; exemplo temperantium sanctorumq; uirorum Pherecydis & Heracliti, qui summa abstinentia corporis uictusq; moderatione,molesti: simis tamen ægritudinibus impliciti & conflictati sunt:atq; hoc in libello facit, quẽ contra illius decreta scripsit,cui titulus est.{Non posse iocunde uiui secundum Epicurum.

Ex poste. eiusdem. Quia dicat δυσουρικὰ καὶ δυσεντερικὰ πάθη sibi molesta esse} Multis modis quidam peccant in hoc loco:tria enim uerba nullorum antiquorum codicum testimonio citato, neq; ullis etiam argumentis,quæ id saltem confirment,adlatis, contaminant,aut tollunt.Nam quod erat in omnibus & manuscriptis,& impressis libris {Quia dicat}commutant,& ex illis uerbis. {Cui dicant}faciunt præterea {Sibi}ab ipsis etiam in priore sua editione receptam uocem delent scriptura,quam secuti sumus,in omnibus uetustis exemplaribus est.Sententia, quam habet, diligenter a nobis in prioribus nostris scriptis exposita est,& authoritatibus doctissimorum confirmata.Quod in epistola sua confessus est Epicurus se torminibus,ac stillicidio laborare, acerrimi ipsius aduersarii Stoici occasione ea arrepta,maledicebant illi & affirmabant, merito id ipsi euenire,quod intemperatissimus esset,ac obscœnis uoluptatibus deditus,res tota a nobis tunc explicata.Indicauimus epistolam Epicuri,in qua uerba illa erant, expressamq; esse docuimus a Cicerone elegantissime,cuius tamen nunc (ut quærendi labore alios haberemus) partem illam adducemus, quæ hoc narrat, τὴν μακαρίαν ἄγοντες καὶ ἅμα τελευτῶντες ἡμέραν τοῦ βίου, ἐγράφομεν ὑμῖν ταυτί, στραγγουρία τε παρηκολουθήκει καὶ δυσεντερικὰ πάθη ὑπερβολὴν οὐκ ἀπολείποντα τοῦ ἐν αὐτοῖς μεγέθους. Ita autem a Cicerone reddita est,Cum ageremus uitæ beatum,& eundem supremum diem,scribebamus hæc Tanti autem morbi aderant uesicæ, & torminum,ut nihil ad eorum magnitudinem posset accedere.

SEBAS. CORR. Gallo}fortasse Q.Fabio Sangæ Gallo.nam in ueteribus libris superioribus epistolæ,post librum ad M. Varronem scriptum sunt positæ:hæc & sequens hoc loco, & hic Gallus exulabat Cæsare Dictatore,ille Romæ erat: hic Epicureus erat ille Academicus hic nescio quid ad Ciceronem detulit, quod Sangæ propter coniurationem cõuenit:ille nihil,quod sciam. {Intestino} Al.intestinis.{Quia dicat}Epicurus ad Hermocum scribens δυσουρικὰ καὶ δυσεντερικὰ πάθη uesicæ & uiscerum morbos sic enim ipse interpretatur Cicero.{Esse putant}Stoici, qui nihil esse dicunt malum,nisi quod turpe,aut uitiosum est. {Δυσεντερίαν}uiscerum morbum,siue tormina ita,enim quoq; uertit Cicero. {Lex sumptuaria}lege Plynium,Gellium,& Macrobium.{λιτότητα} frugalitatẽ. {Apud Lentulum}Fortasse P.Lentulum,cuius Filium in augurum collegium cooptatum fuisse eo anno,quo Cicero est reuocatus,author est Dion {διάῤῥοια}perfluxio,alui resolutio.

PHIL. MELA. Ex intestinis laboratem,&c.tanta me diarrhœa}διάῤῥοια est, quando aluus est nimis cita,sed ita ut intestina tamẽ nõ sint exulcerata,& non profluat sanguis δυσεντερία, quando intestina sunt exulcerata,& simul effluat sanguis δυσουρία,quãdo aliquis nõ potest omninò mingere:illud est letale.{Heluellas} Heluella generale uocabulum est omnium minutarum herbarum, uel potius olusculorum.{Et murænis}Muræna est peculiaris piscis, similis Variolis:quanuis Variolæ quas nos habemus, secius dicuntur Aurat",goldforenn.Variolæ autem dicuntur,quasi lupinarii in capite eni in sunt similes lupis piscibus.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Ad capita accusationis Galli respondet,& ita ut se innocuum,illum uero dignum accusatione dicat.

M. CICERO GALLO S. D. 28

Miror cur me accuses,cum tibi id facere non liceat:quòd si liceret, tamen non debebas. Ego enim te in Consulatu obseruaram. Et ais fore,ut te Cæsar restituat. multa tu quidem dicis,sed tibi nemo credit. Tribunatũ plebis dicis te mea causa petisse.utinam semper esses Tribunus,intercessorem non quæreres. negas me audere,quod sentiam,dicere:quasi tibi, cum parum pudenter me rogares,parum fortiter responderim. hæc tibi scripsi, ut isto ipso in genere,in quo aliquid posse uis, te nihil esse cognosceres.quòd si humaniter mecum questus esses,libenter tibi me,& facile purgassem:non enim mihi ingrata sunt,quæ fecisti, sed quæ scripsisti,molesta:me autem,propter quem cæteri liberi sunt, tibi liberum non uisum demiror:nam si falsa fuerunt,quæ tu ad me,ut ais,detulisti,quid ego tibi debeo?sin uera,tu es optimus testis,quid mihi populus Roma.debeat. Vale.

ASCENSIUS. Miror &c.Reiicit culpam acerbitatis epistolæ scriptæ in Gallum sic meritum,dicens Miror cur accuses me,cum non liceat tibi facere id,idest accusare me, quia in me culpa non est,quod si liceret,tamen non debebas.s.accusare me.Ego enim obseruaueram.i. honorauerام, te in consulatu.Et ais fore.i.futurum,ut Cæs.restituat,te.s patriæ, aut pristinæ dignitati.Tu quidem dicis multa,sed nemo credit tibi.Tu dicis te petisse mea causa tribunatum,utinam tu esses semper tribunus,quia sup.non quæreres intercessorem.Negas me audere dicere quod sentiam,quasi responderim tibi parum fortiter, cum rogares me parum pudenter.Ego scripsi tibi hæc,idest has acerbas literas, ut cognosceres te nihil esse:idest nihil posse aut ualere, in isto ipso genere,scilicet accusandi & maledicendi aut minitandi, in quo uis posse aliquid,quod si questus esses mecum,idest de me, sed mecum, idest scribendo ad me,humaniter: idest mansuete & benigne, ego purgassem me tibi libenter & facile.Non enim ea quæ fecisti, sunt ingrata mihi,sed ea molesta sunt, quæ scripsisti. Autem, idest sed, ego demiror me non uisum tibi liberum,sed more seruili sub Cæsare degere,propter quem,idest cuius in consulatu uigilantiam cæteri liberi sunt.Nam si falsa fuerunt ea,scilicet præconia, quæ tu detulisti ad me,ut ais,quid debeo ego tibi?quasi dicat nihil boni, sin uera sup fuerunt,tu es optimus testis,quid populus Roma. debeat mihi,quia dixisti quod plurimum,cum per me saluus sit.

VICTORIUS. Miror Cur me accuses}Initium huius epistolæ ualde mihi dubium est,& sane maior eius pars breuitate sua obscurior nam mordacibus est amarisq; dictis referta, quæ quàto magis concise arguteq; pronunciantur,tanto magis pungunt, perturbantq; eum,in quem dicta sunt.Suspicor uerba illa.{Ego enim te in consulatu obseruaram,}non esse Ciceronis sed repetita ab eo ex epistola Galli : quibus Gallus ipse suam in Ciceronem obseruantiam illi exprobraret,cum quæreretur se tunc ingrate ab eo destitutum esse, cum ipse semper in illum fuerit officiosissimus:solemus enim in ita ea quæ acerbe in nos dicta sunt, & animo nostro ualde hæserunt, cum stomacho sæpius pronunciare, & etiam ea quæ perspicue falsa sunt, & leuiter possumus repellere, cum risu repetere,

tere, quemadmodum hic (ut opinor) facit. Suspicor autē ea potius Galli esse. nam nec Gallus Coss. fuerat, ut ea de illo a Cicerone dici possint. nec uerisimile est dicere Ciceronem, se, dum Consul esset, Gallum obseruasse. nec enim rectū est, nec decet ita loqui eum, qui in tanta dignitate fuerit, priuatum se hominem obseruasse, nisi pro (obseruaram, conseruaram) legas. tunc enim pulchre conueniret, & possent omnia credi esse Cicero. uerba. Illius enim personæ optime congruunt, ut ipse Cicero potius queratur de ingrato animo Galli: q tamen præterquam q in cunctis manuscriptis. {Obseruaram} est parum etiam procedit. nam ea inferioribus uerbis perspicitur potius repetere Ciceronem quæ Fabius dixisset, eaq; falsa ostendere, quam ipse querelam instituere. Colligitur autē manifesto pluribus modis iustum fecisse expostulandi Fabium: & ea fine epistolæ intelligimus, si diligentes uerba illa attendimus, Ciceronem huius opera usum in patefacienda coniuratione. Quare possumus credere uere Fabium dixisse se illum in consulatu obseruasse: nobis satis uisum est (nec tamen non necessario id factum uidetur in tanta ueri ignoratione) suspiciones nostras indicasse: rem ut inuenimus, ita incertam reliquimus. Paruum omnino est, in quo Mediceus codex ab impressis discrepat. {Plebei} enim paulo post non {Plebis} habet, quod tamen nos hic adnotare uolumus. Nam meminimus Priscianum dicere sis inueniri a recto plebes genitiuum casum, qui adducit etiam locum hunc Sallustii in primo historiarum, Plebei tribunitiam potestatem: quare potuit etiam Cicero usurpasse.

Ea poste. eiusdem.

MIror cur me accuses} Si semel, aut in tam longa oratione, aut sexcentis aliis in locis Cicero ubi de Sestio agit, ipsum Gallum appellasset, acutissimi, ac diligentissimi uiri sententiam ualde probarem, quam tamen nulla in re accuso. Quod communem opinionem, non recentiorem modo, sed etiam ueterū quorundam secutus, in hac re aliquantulum deceptus sum (si aliquis in ea error est) non me pudet. Qui enim post superiores duas ad Fabium Gallum missas, statim duas collocarunt, uidentur & ipsi eundem esse hunc, & illum Gallum existimasse. Me certe semper obscuram hanc epistolam putasse, & nihil certi ad illa statuere ausum esse, priora mea scripta declarant. Nam illius partem & ipsam huiuscemodi, quæ multos fallere potuisset, me non insulse interpretatum esse, nemo inficias ibit: Ne dum aliorum industriæ inuideamus, uolumus afferre locum ea epistolis ad Q. Fratrem, qui suspicionem illam acutissimi hominis adiuuat: aperit enim multo ante obscuras simultates inter Ciceronem, & P. Sestium fuisse, quæ postea (si de his cum illo, Cicero ea postulat) eruperunt. CCLXXXII. Idq; fecimus præter hominum opinionem, qui nos ei iure succensere putabant, humanissimi, gratissimiq; & ipsi, & omnibus uideremur, ita que fecimus. Et infra: Quæ tibi en scribo quod me de retinenda Sestii gratia literis sæpe admonuisti.

PAVL. MANV.

GAllo S.D.} Florentius, & alii credunt hunc esse M. Fabium Gallum, qui de coniuratione Catilinæ, quæ ab Allobrogibus acceperat, ad Ciceronem detulit. sed est amicissimus meus, uir sane his literis, quæ humaniores appellantur, instructus, sed maximarum doctrinarum cognitione præstantior, qui hunc potius eaistimet esse P. Sestium, pro quo extat oratio, cui cognomen fuerit Gallo. fuisse enim hoc Sestiæ gentis cognomen, intelligitur ex oratione pro Milone, ubi ita scribit: Sacrarium, quod est in fundo T. Sestii Galli. Tribunatum autem plebis & petisse Sestium Ciceronis restituendi causa, & pro eius salute gessisse, ea ipsius Ciceronis scriptis notissimum est. quod item de M. Fabio dici non potest. neq; enim is quo tempore Cicero ea ulauit, Tribunus fuit. ne aliis quidem temporibus, quod sciri possit. nam quod infra dixit, si falsa fuerunt, quæ tu ad me detulisti: significat ea, quæ Sestius C. Antonii Consulis Quæstor ad Ciceronem Consulem de ipso Antonio Consule suo detulit. sic enim in oratione pro eodem Sestio habita Quæstor C. Antonii collegæ mei fuit forte, sed societate eō filiorum meus impedior nonnullius officii, ut ego interpretor, religione, quo minus exponam, quanta ad me detulerit. Hæ rationes faciunt, ut amicissimi hominis sententiæ libenter acquiescam.

SEBAS. CORR.

EGo enim te in consulatu obseruaram} Volunt docti, hæc uerba ex epistola Galli esse repetita: nisi Conseruaram legatur. {Mea causa} cum exularem. sic enim existimo. {Fecisti} mea causa. {Detulisti} de Allobrogib. tempore coniurationis Catilinæ.

BERN. RVT.

NAm si falsa fuerunt, quæ tu ad me, ut ais, detulisti quid ego tibi debeo? &c.} Hunc arbitror Fabium illum Sangam, per quem Allobrogum legatorum patronum coniuratio Ciceroni patefacta est: author Sallustius Plutarchus quod, interpres temere respuit ab illo (quicunq; fuit) ni fallor oblatum, qui detulisti, denunciasti accepit.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Curii consilium, quod antea improbauerat, nunc probat. & quid Romæ agat, nuncia.

M. CICERO CVRIO S. D. 29

MEmini, cum mihi desipere uidebare, quòd istic potius uiueres, quàm nobiscum: erat enim multo domiciliū huius urbis (cum quidem hæc urbs) aptius humanitati & suauitati tuæ, quàm tota Peloponnesus, nedum Patræ. nunc contra & uidisse mihi multum uideris, cum prope desperatis his rebus te in Græciā contulisti. & hoc tempore non solum sapiens, qui hinc absis, sed etiam beatus. quanquam quis, qui aliquid sapiat, nunc beatus esse potest? sed quod tu, cui licebat, pedibus es consecutus, ut ibi esses, ubi nec Pelopidarum. nosti cætera: nos idem propemodum consequimur alia ratione: cum enim salutationi nos dedimus amicorum, quæ fit hoc etiam frequentius, quàm solebat, quòd quasi auem albam uidentur bene sentientem ciuem uidere, abdo me in Bibliothecam, itaque opera efficio tanta, quanta fortasse tu senties: intellexi enim ex tuo sermone quodam, cum mœstitiam meam, & desperationem accusares, domi tuæ dicere te, ex meis libris animū meū desiderare. sed mehercule & tum Rempub. lugebam: quæ non solum suis erga me, sed etiam meis erga se beneficiis erat mihi charior: & hoc tempore. quanquam me non ratio solum consolatur, quæ plurimum debet ualere, sed etiā dies, quæ stultis quoq; mederi solet, tamē doleo ita cōmunē rē esse dilapsam, ut ne spes quidē melius aliquando fore, relinquatur. nec uero nunc quidē culpa in eo est, in cuius potestate omnia sunt (nisi forte idipsum esse non debuit) sed alia casu, alia etiā nostra culpa sic acciderunt, ut de præteritis nō sit querendū. reliquā spem nullā uideo. quare ad prima redeo. sapienter hæc reliquisti, si cōsilio: feliciter, si casu. Vale.

ASCENSIVS.

MEmini &c. Dicit se laudare absentiam Curii propter acerba quæ Romæ contingebant, licet prius eam condemnauerat, dicitq; se ad literas cōtulisse. Ordo est. Memini, idest memoria teneo quod uidebare, idest uidebaris, mihi desipere, idest male sapere, quod uiueres potius istic scilicet in Græcia ubi nunc es, quā nobiscum, hoc est Romæ. Enim idest quia, domiciliū, idest habitatio huius urbis scilicet Romæ, quidem, idest certe, cum idest quando, hæc supple erat urbs, & non spelunca latronum, ut regum, dominorum, aut quid simile intelligit, aptius humanitati & suauitati tuæ q̄ toto. Peloponnesus, id est insula a Pelope dicta, nedum, idest non solum, supple quam Patræ, quæ sunt in ea urbs una. Nunc contra, idest econtrario tu uideris, mihi, & idest simul, uidisse, idest perspexisse multum, cum contulisti te in Græciam his rebus scilicet urbanis, prope, idest quasi desperatis, & idest simul uideris hoc tempore non solum sapiens, qui idest quod absis, hinc idest ab his malis, sed etiam beatus, quanquam quis, qui sapiat aliquid, potest nunc esse beatus? quasi dicat nemo insipienter autem qui nesciunt. quantum amiserint republ. oppressa, sibi beati frustra uidentur. Sed quod tu, cui licebat scilicet abire, consecutus es pedibus. i. abeundo, hoc est otium securum, ut esses ibi, ubi nec Pelopi, qui insulam a se denominauit, datum est secure uitam agere, aut quid simile, nosti cætera. s. quæ ad historiam Pelopis pertinent. Nos consequimur idē propemodum. i. quasi, Alia ratione. s. quam pedibus Enim. i. quia, cum. i. postquam dedimus. i. adhibuimus, nos salutationi amicorum, quæ prima diei hora fiebat quæ salutatio amicorum fit etiam frequentius, quam solebat hoc. i. propter hoc, quod. s. diuites amici quos saluto, uidentur uidere ciuem bene sentientem. s. de repub. quasi auem albam. i. auspicatissimam ut est Cygnus nantis, quod nunquam mergitur, aut rarissimā ut est Coruus albus, abdo. i. abscondo, & includo, me in bibliothecam, quam librariam dicunt. Itaq; efficio tanta opera, quāta tu senties. i. percipies fortasse, quia missurus erat ea ad Curium. Intellexi enim quodam sermone tuo, cum accusares mœstitiam meam & desperationē. s. de salute reipub. te dicere. i. quod tu diceres, domi tuæ .i. inter familiares tuos, te desiderare animum meum ex libris meis .i. ut talem animum haberem, qualem scribendo ostenderem, aut potius ut animum meum scribendo indicarem. Sed mehercule ego lugebam, & . i. simul, tum i. tunc, rempub. quæ erat charior. s. quam reliquis non solum beneficiis suis erga me, quia per eam consulatum obtinuerat.

Sed etiam meis erga se,quia in consulatu eam ab iniuria coniurato rum defenderat.res autem quibos multa impendimus nobis e bario aes sunt,& idest simul,sup lugeo,hoc tempore. quanquam non solum ratio i prudentia,quæ debet ualere plurimum , sed etiam dies i.diuturnitas,quæ solet mederi quoq; i etiam stultis , consolatur me ta:nen doleo rem communem,idest publicam, ita delapsam , ut ne spea quidem relinquatur,fore,idest futurum esse,sup aliquid melius. Nec uero culpa est nunc in eo , in cuius potestate sunt omnia hoc est in Cæsare , nisi forte idipsum.s.ut omnia in eius potestate sint,non debuit esse,sed alia acciderunt casu,alia etiam culpa nostra,sic ut non sit quærendum de præteritis. Ego nullam spem uideo reliquam,idest relictam,quare ego redeo ad prima,idest quæ in principio epistolæ tibi commendaui,& in te laudaui. Tu reliquisti hæc s.urbana,sapienter,si reliquisti ea consilio,& feliciter,si casu.

VICTORIVS. Quæ non solum suis erga me,sed etiam}in cunctis quos uidimus manuscriptis paulo antiquioribus codicibus locus hic mancus,decurtatusq; est. Nos tamen cum uulgata lectio commoda sit,eam loco non mouimus. sic autem legitur in illis.{Quæ non solum sed etiā a meis erga se beneficiis} &c. procul dubio cum desiderio nonnullarum dictionum.

Ea poste. eiusdem. Suis erga me} Adnotauimus olim in antiquioribus libris hæc uerba desiderari,in Mediceo certe non leguntur neq; tamen cuiquam anthores fuimus , ut ea deleret . propositum nobis fuit,uitia etiam illius codicis indicare. Alii postea in nonnullis ea se inuenisse affirmant: qui codices utinam semper,quemadmodum hic fortasse sunt,nostris meliores essent.

PAVL. MANV. Non solum suis erga me}Has uoces uetustis in libris alii dixerunt se non inuenisse,nos inuenimus in codice Bernardini Maffei,Hieronymi Ferrarii,Ioan.Scalæ.

SEBAS. CORR. Curio}M.Curio,qui Trib.pleb.fuit , quo tempore Cicero ab exilio est reuocatus. {Patræ}ubi negociaris . {Contulisti} Paulo ante bellum ciuile.nam Cicero ex Cilicia rediēs,Tyronem ægrum Patris,ubi erat Curius,reliquit.{Hoc tempore } quo in potestate omnia sunt omnia.{Pelopidarum } In Quæstura diximus.{In eo}Cæs.

BERN. RVT. Memini,quod mihi desipere uidebare } Quod scio non ineruditis uiris in eum mutandum uideri,quia.s. non sic loquatur Cicero,credo quod , uolo quod ; memini quod , & alia eiusdem notæ. quæ tamen ego interdum apud eum obseruaui, in tanto tamen usu.{Sed quod tu,cui licebat , pedibus es consecutus}Apparet. Quod,non esse,ut uoluit interpres coniunctionem: cum subiiciat,nos idem propemodum consequimur alia ratione.

PHIL. MELā. Memini quod mihi desipere,&c }Querela Reipub. perturbatæ,in qua probat illius consilium , quod maluerit abesse in Græcia esseq; ornata antithe.{Sed mehercle}excusatio per translationem.

D.Erasm. Rhoter. Cum enim salutationi nos dedimus amicorum , quæ fit hoc etiam frequentius quam solebat,quod quasi auem albam ui dentur bene sentientem ciuem uidere,abdo me in bibliothecam &c.}. Albam auem,pro re noua, & inauspicata dixit M. Tullius.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Hæc epistola partim officiosa,partim petitoria,qua literas petit commendaticias ad Sulpitii successorem in Græcia.

M. CVRIVS M. CICERONI SVO S. 30

SI Vales bene est: sum enim *χρήσει μὲν tuus ,* κτήσει δὲ Attici nostri.ergo fructus est tuus : mancipium illius.quod quidem si inter senes coemptionales uenale proscripserit,egerit non multum .at illa nostra prædicatio quanti est ? nos, quod simus,quod habeamus,quod homines existimemur, id omne abs te habere.quare Cicero mi perseuera constanter nos conseruare,& Sulpitii successori nos de meliore nota commenda,quo facilius tuis præceptis obtemperare possimus,teq; ad * Vrbem lubentes uidere,& nostra defigere,deportareq; tutò possimus.sed amice magne noli hanc epistolam Attico ostendere.sine eum errare,& putare me uirum bonum esse nec solere duos parietes de eadem fidelia dealbare.ergo patrone mi bene uale, Tyronemq; meum saluta nostris uerbis. D.A D.IIII.Calend.Nouemb.

*.i.usu quidem *.i. mancipio autem.

*alias.l. Ver.

ASCENSIVS. SI Vales &c.M.Curius Cice. blandiens dicit se totum esse ipsius & Attici,petitq; literas commendatitias,iocatus in fine. Principium autem epistolæ exponit uir doctissimus Gulielmus Budæus in annotationibus in Pandectas legales argute dicens. Mancipiū & κτῆμα significat idest ἀνδράποδον & αἰχμάλωτον,hoc est hominem in bello captum & seruituti mancipatum,& κτῆσιν idest domini comparationem possidendiq; ius atque etiam δεσποτείαν idest dominium & χείρωσιν idest mancipationem. Mancipium latine dici debet,id quod Sæsinam lingua uernacula dicimus , & mancipare Sæsinæ. eum,scilicet aliquem rei sibi titulo iusto quæsitæ possessorem efficere uolemus &c. Ordo est. Si uales bene est quasi dicat , omnes ualemus. Sum enim μὲν idest quidē χρήσει chresi idest usufructu tuus quia tueris me quando uales,δὲ de idest autem κτήσει, idest mancipio,hoc est dominio & mee possessionis, Attici nostri scilicet communis amici. Ergo fru. idest usu fructus est tuus: mancipium,idest ius posidendi & dominium mei illius scilicet Attici est . Quod s. dominium,& ius possidendi,quidem idest certe, is qui proscripserit uenale inter nos concionales idest qui frequentatis conciones & præconia scinsque quam uenalia sunt egerit non multum quia neuter nostrum uelit me emisse. At quanti est idest æstimatur a te illa prædicatio idest cōfessio nostra? quasi dicat merito plurimi,prædicatio est,nos quod simus in rerum natura , quod habeamus idest aliquid,quod existimemur homines,habere id omne abs te. Quare o mi Cice. perseuera constanter nos conseruare , & commenda nos de meliore nota idest qua unum optimum signari solet idest uerbo ex animo prolato,Sulpitio successori scilicet tuo,quo idest ut possimus facilius obtemperare præceptis tuis,& uidere te lubenter ad, idest prope uer.alii urbem legunt & defigere idest transmutare & deportare tuto nostra idest res nostras idest ad alium dominiū transire. Sed o magne amice,noli ostendere Attico hanc epistolam: sine idest permitte,eum errare & putare me esse uirum bonum,nec solere dealbare de eadem fidelia idest testa, qua colores continentur, duos parietes idest duobus inseruire,ergo o patrone mi bene uale.& saluta Tyronem libertum tuum uerbis nostris &c.

VICTORIVS. INter nos senes emptionales}ipsi,inter senes coemptionalis , ut pene est in antiquo,scripsimus : scimus autem uarie hunc locum legi,sed tamen confutare omnia non necesse est,neq; etiam tantopere otio abundamus,ut quæcunq; cuiuis in mentem uenerint, referre possimus. Vetus sane codex{Comptionalis , }unius tantum defectu literæ cum,enim duæ uocales coniunguntur . sæpe in hoc codice altera perit,ut{Reliquis}pro{Reliquiis,} & sic multis aliis locis. Quæ autem sint coemptiones , & qui coemptionales senes, uerba propria iuris,nunc pene obsoleta minute pertractare animus non est Ciceronis tantum locum in oratione pro Muræna ponemus, Sacra interire illi noluerunt horum ingenio senes ad coemptiones faciendas interimendorum sacrorum causa reperti sunt. Nostrum potius consilium est maculas , quas possumus delere,quā uocabula(nisi necesse fuerit)interpretari.cum autem opus fuerit, dabimus operam,ut illa etiam pro infirmitate nostri ingenii declaremus.

SEBAS. CORR. Sum enim} Al.ego sum.{Χρήσει μὲν }usu quidem. {Κτήσει δὲ} possessione autem,siue mancipio.{Senes coemptionales } qui coemptiones sacrorum causa faciebant.{Proscripserint} Atticus.{Egerit nō multum}quoniam uile est mācipium.{ At illa,&c.} Exponit,qui sit Ciceronis fructus.{Sulpitii successori }Epistola.50. lib.13 . Al.Sulpitiu successori.{Tuis præceptis}de meo reditu.{Vrbem.{ Al.uer.{Duos parietes de eadem fidelia de albare} Erasm.in prouerb.

BERN. RVT. ET Sulpitii successori nos de meliore nota commenda}Significare potius arbitror,quod Barbariuscule Crescentinas ille exponit,quam quod Manius Becichemus,qui bonos uel potius optimos uiros interpretatur,istum ipsum successens . Nam & si utrunq; ea ratione significetur,malim in hunc sensum hic accipi, alioqui ineptissime ostentaturo se Curio. Quod sequitur, cum interpres in mendosos codices inciderit,infelicitati sane temporum, non imperitiæ eius adscribatur.

PHIL. MELā. SI Vales,bene est}Narratio faceta,& figurata,in qua se totum Ciceroni,& Attico addicit.

D.Erasm. Rhoter. Sed amice magne,noli hanc epistolam Attico ostendere} Sine eum errare,& putare me bonum uirum esse : nec solere duos parietes de eadem fidelia dealbare} Volebat enim Curis pariter & Attico & Ciceroni uideri summus,ac de se uno fructum quidem Ciceronis,mancipium autem Attici facere.

Guliel. Budæus. SI Valet,bene est,sum enim χρήσει μὲν tuus,κτήσει δὲ Attici nostri ergo fructus est tuus,mancipium illius}Vsu quidem , inqt, tuus sum: possessione uero, Attici. Mancipium autem pro iure dominii posuit,quod ab usu distinguitur. Vide Budæi annotationes.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Responsoria,ad epistolam Curii:& hortatoria iocosa , ut in urbem redeas.

CICERO CVRIO S. D. 32

EGo uero iam te nec hortor, nec rogo, ut domum redeas: quin hinc ipse euolare cupio, & aliquo peruenire, ubi nec Pelopidarum nomen, nec facta audiam. incredibile est, quam turpiter mihi facere uidear, qui his rebus intersim. næ tu uideris multo ante prouidisse quid impenderet, tum, cum hinc profugisti, quanquam enim hæc etiam auditu acerba sunt, tamen audire tolerabilius est, quam uidere. in campo certe non fuisti, cum hora secunda comitiis quæstoriis institutis, sella Q. Maximi, quem illi Consulem esse dicebant, posita esset. quo mortuo nunciato, sella sublata est. ille autem, qui comitiis tributis esset auspicatus, centuriata habuit, Consulem hora septima renunciauit, qui usque ad Calen. Ian. esset, quæ erant futuræ mane postridie. ita Caninio Coss. scito neminem prandisse. nihil tamen eo Consule mali factum est: fuit enim mirifica uigilantia, qui suo toto Consulatu somnum non uiderit. hæc tibi ridicula uidentur: non enim ades. quæ si uideres, lacrymas non teneres. quid si cætera scribam? sunt enim innumerabilia generis eiusdem: quæ quidem ego non ferrem, nisi me in philosophiæ portum contulissem, & nisi haberem socium studiorum meorum Atticum nostrum. cuius quando proprium te esse scribis mancipio & nexu, meum autem usu & fructu, contensus isto sum: ID ENIM cuiusque est proprium, quo quisque fruitur, atque utitur. sed hæc alias pluribus. Acilius, qui in Græciam cum legionibus missus est. maximo meo beneficio est: bis enim est à me iudicio capitis rebus saluis defensus: & est homo non ingratus, meque uehementer obseruat. ad eum de te diligentissime scripsi: eamque epistolam cum hac coniunxi: quam ille cum acceperit, ecquid tibi pollicitus sit, uelim ad me scribas. Vale.

ASCENSIUS. EGo uero &c. Laudat iterum quod Curius tanta mala, quanta Romæ contingebant, non uideat, secitatque ridiculum facinus in comitiis euenisse, & se ad philosophiæ portum collatum. Ordo est. Ego uero idest pro uero & certo, nec cohortor, iam te, nec rogo, ut redeas domum, idest in urbem, quin, idest quinimo, ipse idest egomet, cupio euolare idest celeriter discedere hinc, idest ab urbe ubi sum, & peruenire aliquo, ubi nec audiam nomen Pelopidarum idest nepotum Pelopis Thyestis & Atrei, de quibus frequens in Peloponneso fit mẽtio, nec facta, eo qđ turpissimo inter se odio inter se certarunt, cũ essent fratres: nã Thyestes Aeropẽ Atrei cõiugẽ incesto polluit, & Atreus Thyest. proprios filios epulandos apposuit. Simile autem quiddam inter Cæsarem socerum, & Pompeium generum eius contigit, & quotidie tunc inter Cæsarianos & Pompeianos contingebat, incredibile est, quam idest quantum turpiter uidear mihi facere, qui intersim his rebus scilicet pene tragicis. Ne, idest certe, tu uideris prouidisse multo ante, quid, scilicet mali, impenderet, idest immineret, ab impendo, unde media est longa, tracta metaphora a gladio in caput familiaris Dionysii Tyranni Siracusani impendente tum, idest tunc, cum idest quando, profugisti hinc, quanquam hæc, scilicet quæ Romæ fiunt, licet ea non uideas: sed etiam acerba auditu, idest dum audiuntur uel ad audiendum, tamen tolerabilius est audire supple ea, quam uidere Certa licet forte audiuisti quid actũ sit, tu non fuisti in campo, idest Martio tempore comitiorum, cum, idest quando comitiis quæstoriis, idest conuocationibus populi ad eligendos quæstores, sella Quinti Maximi. quem illi, scilicet fautores eius dicebant esse consulem esset posita hora secunda qua, scilicet Quin. Maximo, nunciato mortuo, sella, idest sedes illi posita, est sublata, idest clausula ablata, Autem, idest sed, ille qui esset auspicatus, idest per auspicia initiatus, & habilis factus, comitiis tribunitiis, idest ad comitia tribunitia habenda. Habuit centuriata, scilicet comitia, idest per centurias, plebe uocata ad consules legendos, renunciauit, idest suffragiis declarauit: consulem scilicet Caninium hora septima, scilicet diei. Renunciare dicitur, quam quod aliis accepit, aliis renunciat. Qui scilicet consul, esset futurus usque ad Calendas Ianua. idest primum Ianuarii diem, quæ scilicet Calendæ erant futuræ postridie, idest die sequente diem electionis, mane, idest prima luce, & ita paulo una nocte plus consul futurus erat. Itaque scito neminem prandisse, idest prandium fecisse, Caninio consule, quia post prandium erat creatus, & ante prandium sequẽs abrogatus. Prima enim hora in ortu solis erat, & ad quintam ca tempestate meridies erat, tamen nihil mali factum est eo consule, quod difficile esset probare. Enim, idest quia mirifica uigilantia fuit, scilicet Caninii, qui curis distentus, non uiderit, idest perceperit somnum toto consulatu suo. Hæc uidentur tibi ridicula idest digna risu, non enim addes, quæ si uideres, non teneres, idest contineres, lacrymas Quid supple faceres si scribam cætera? Sunt enim innumerabilia eiusdem generis, quæ ego quidem non ferrem, idest tolerarem, nisi contulissem me in portum philosophiæ, idest studium eius, & nisi haberem. Atticum nostrum socium studiorum meorum, cuius quando, idest quoniam, tu scribis te esse proprium mancipio, idest dominio, & nexu, idest deuinctione, meum autem usu & fructu, id enim est cuiusque proprium, quo quisque fruitur. Sed supple scribam hæc alias pluribus, scilicet uerbis. Acilius qui missus est in Græciam cum legionibus, affectus est maximo beneficio meo Enim, idest quia defensus est bis a me iudicio capitis, idest in uitæ periculo rebus saluis, & est homo non ingratus, & obseruat, idest ueneratur me. Scripsi ad eum diligentissime de te, & coniunxi eam epistolam cum hac, quam uelim scribas, ad me quomodo ille acceperit, & quid sit pollicitus tibi, aut quando accepit, ecquid .i. quid sit pollicitus tibi, &c.

VICTORIUS. MAximo meo beneficio affectus est} Sic omnes uulgati codices habebant. in antiquioribus dictio illa {Affectus,} non est quare eam deleuimus: repositam autem ab aliquo arbitramur, qui sine ea sententiam horum uerborum non perciperet, quam esse hanc existimamus, ut Maximo meo beneficio est, par sit huic, Maximo meo beneficio uiuit, idest Quod sit, & uiuat, mihi debet. qui enim bis erat iudicio capitis defensus, uitam conseruatori suo debebat. Non negamus Latine dici posse, affici beneficiis: scimus .n. ab antiquis Grammaticis obseruatum esse dici hoc uerbum de bonis, & malis, huiusque locutionis plura extare exempla, sed illam lectionem concinniorem, uerioremque iudicamus: nam & maiorẽ uim habet: qui enim salutem ab aliquo accepit, potius dicetur esse, & uiuere beneficio illius qui salutem dedit, quam affectus esse beneficio illius, hoc enim nomen de minoribus commodis dici solet. Eandem quasi uim habet (ut arbitramur) hoc uerbum in epistola ad Quintum Fratrem libro. III. cum inquit, Cicero tuus, nosterque summo studio est Pæonii sui Rhetoris hominis opinor ualde exercitati, & boni.

Ex poste. eiusdem. IN campo certe non fuisti, cum H [illegible] tiis Quæstoriis institutis} Historia obscurior. & quæ si ignoretur, magnas tenebras huic loco offendat Dion historicus rerum Roma. non indiligens scriptor, totum negocium. quemadmodum gestum sit, exponit & iocum etiam Ciceronis adducit, qui ab ipso in hac epistola Curio narratur (nam Plutarchus, & alii authores breuiores in hac re explicanda sunt) tradit enim quemadmodum Cæsar absens fieri noluit {Coss} & antequam urbem ingrederetur magistratum cepit: nec tamen ad extum anni tenuit, sed posteaquam Romæ fuit, repudiauit, & Quinto Fabio, & Caio Trebonio tradidit Verum cum Fabius postremo Consulatus die mortuus esset, subito illius loco alium, Cicero inquam Caninium, Consulem fecit, qui reliquas horas consulatum gereret, sed melius erit Dionis ipsius uerba adponere, Dion libro. XLIII.

[illegible]

Hunc etiam Ciceronis iocum in Caninium Rebilium celebrauit Macrobius, qui ostendit, non hunc tantum, sed alios etiam illa occasione a Cicerone, ut erat uir foecundi ingenii, in Caninium dictos esse. Scrupulum alicui iniicere possent uerba illa Dionis, cum dicit, Cæsarem duos creasse Consules, qui pro se magistratum eum gererent, qui historia cognita eximitur: factus enim Coss Cæsar erat sine collega, quod etiam ex antiquo lapide intelligitur, qui est in hortis Colotianis: sic enim est in illo:

C. IVLIVS CAESAR IIII. SINE CONLEGA
DICT. Q. FABIVS MAXIM C. TREBONIVS.
C. P. V. F. C. CANINIVS. C. F.

Qui mirifice utilis esse potest ad hanc Ciceronis epistolam declarandam uides enim Caninium locum Fabii mortui occupasse, & pro illo substitutum esse quamuis spacio. H. XVII consulatum gesserit {Quem illi consulem esse dicebant} Ita loquitur Cicero quia cõtra leges ac instituta ciuitatis factus erat, ut uere Cõsul uocari non posset: tunc .n. primo inceptum est, quod postea ab Imper. Roma. qui totam Rempub. occuparunt, frequenter usurpatũ fuit: quẽpiã habere magistratũ, quẽ aliquis unus adhuc sua spõte nõ abs

qua te coactus, reliquisset. Q uanuis enim Maximus a Cæsare cum collega ipsius Trebonio Consul factus esset, uiuente Cæsare, qui eo anno Consul legibus creatus erat, magistratum illum habere nõ poterat {Ille autem} Cæsarem intelligit, quem sæpe ita appellat, quem admodum docuimus in prioribus castigationibus, cum locum illũ explicaremus Est igitur aduentus in expectatione neq; tu id ignoras: Sed tamen cum ille scripsisset. Q uin hic certe per. {Ille} Cæsar intelligatur, negari non potest.

PAVL. MANV. SAluis rebus} Potius Repub. nondum afflicta. quam ut quidã uoluot, sine bonorum imminutione. sic enim dixit etiã ad Sulpitium epistola I. lib. I I I I. Vtinam Serui saluis rebus colloqui Potuissemus inter nos.

SEBAS. CORR. Q. Maximi} Q. Fabii Maximi, qui legatus exercitui in Hispania præfectus fuerat {Illi} Cæsariani. {Coss esse dicebant} cum uere Coss. non esset, a Cæsare tantum in treis menses suffectus, non a populo creatus. Hinc scribit Tranquillus, conclamatum esse, eum non esse Coss. {Ille autem} Cæsar. {Comitiis tributis} quibus plebei, & minores magistratus, inter quos erat quæstura, dabantur. {Auspicatus} in quæstores crearet. {Centuriata} quibus maiores magistratus fiebant. {Renunciauit} C Caninium Rebilium {Prandisse} quod fieri multo ante horam septimam solebat. {Toto consulatu} reliquis quinq; diei horis. Nam nox sequens ad eius consulatum non pertinebat {Mancipio & nexu} κυρίως ipse dixit. lege Boethium in Topicis. {Vsu & fructu} χρῆσιν. {Acilius} Al. Attilius: sed nisi Vatinius legatur, res mihi in obscuro est.

BERN. RVT. ITa Caninio consule scito neminem prandisse} non quod per noctem tantum consul fuerit, ut blaterat Clericus: sed quod ante septimam horam pranderent, qui cœnam, & illas unas quotidianas ad legitimas ueterum sobriorum epulas expectare ieiuni nequirent. Prandium collationem uulgo dicimus, quando uentum iam est eo, ut ne bis quidem cibum die sumere sat sit Christiano homini Nona ueterum cœnæ hora, multo ante prandium. Martialis:

Surgite iam uendit pueris ientacula pistor,
Cristatæq; sonant undiq; lucis aues.

PHIL. MELã. EGo uero iam te nec hortor} Orditur a conclusione superioris literarum, & simplicissime proponit, dehortans reditum: postea subiicit causas, quia Cæsar magistratus leges impediat.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Responsoria, ad epistolam Curii: & hortatoria iocosa, ut in urbem redeat.

CICERO CVRIO S. D. 32

FAcile perspexi ex tuis literis, quod semper studui, & me à te plurimi fieri, & te intelligere, quàm mihi charus esses. quod quando uterque nostrum consecutus est, reliquum est, ut officiis certemus inter nos: quibus æquo animo uel uincam te, uel uincar abs te. Acilio non fuisse necesse meas dari literas, facile patior, Sulpitij tibi operam intelligo ex tuis literis non multum opus fuisse propter res tuas ita contractas, ut, quemadmodum scribis, nec caput, nec pedes. equidem uellem uti pedes haberent, ut aliquando redires: uides enim exaruisse iam ueterem urbanitatem, ut Pomponius noster suo iure possit dicere nisi nos pauci retineamus gloriam antiquam Atticam, ergo is tibi, nos ei succedimus, ueni igitur quæso, ne tantum semen urbanitatis unà cum Republi. intereat. Vale.

ASCENSIVS. FAcile perspexi ex literis tuis, sup. id, quod studui scillicet assequi semper, uidelicet & idest simul, me fieri plurimi a te, & te intelligere quam idest quantum charus esses mihi. Q uod quando, idest quoniam. uterque nostrum est assecutus. reliquum est, idest restat. ut certemus officiis inter nos: idest mutuis. quibus ego uel uincam te, uel uincar a te, æquo animo, idest inoffenso Facile patior non fuisse necesse dari literas meas ad Atilium: Intelligo ex literis tuis, nõ fuisse tibi opus multum opera, idest labore & industria Sulpitii, propter res tuas contractas ita, idest attractas, ut nec haberent caput nec pedes, idest nec principium nec finem, quemadmodum, scilicet Sulpitius scribit Equidem, idest ego quidem, uellem uti, idest ut, haberent, pedes, ut redires aliquando idest tandem. Tu uides enim ueterem urbanitatem, idest leporem & sales urbis exaruisse iam, ut Põponius noster, scilicet Atticus, possit dicere iure suo, idest authoritate sibi debita, quod aliquando dixisse uidetur: Nisi nos pauci retineamus gloriam antiquam Atticam, idest Atheniensem. Ergo is, scilicet Atticus, succedit tibi, scilicet in urbanitate: nos succedimus ei, scilicet Attico. Veni igitur quæso, ne tantum semen urbanitatis intereat una cum repub.

SEBAS. CORR. SVlpitii} Epistula X V I I. lib. X I I. {Nec pedes} habeant. {Pomponius} Atticus.

PHIL. MELã. FAcile perspexi ex tuis literis. &c.} Breue & elegans exordiũ, a com[illegible]probatione [illegible] Curii, cui addit adhortationem, ut eum beneuo[illegible] officiis cum[illegible].

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Ad iocosam epistolam partim iocosa respondet, partim etiam seria, quare petit, ut Volumnius sæpius ad se scribat.

M. C. VOLVMNIO. S. D. 33

*QVòd sine prænomine familiariter, ut debebas, ad me epistolam misisti, primum addubitaui, num à Volumnio senatore esset, quo cum mihi est magnus usus: deinde * εὐτραπελία literarum fecit, ut intelligerem tuas esse, quibus in literis omnia periucunda fuerunt, præter illud, quòd parum diligenter possessio salinarum mearum à te procuratore defenditur: ais enim ut ego discesserim, omnia omnium dicta, in his etiam Sestiana, in me conferri. quid? tu id pateris? nonne defendis? non resistis? equidem sperabam ita notata me reliquisse genera dictorum meorum, ut cognosci sua sponte possent. sed quando tanta fæx est in Vrbe, ut nihil sit tam * ἄκυρον, quod non alicui uenustum esse uideatur: pugna si me amas, nisi acuta * ἀμφιβολία. nisi elegans * ὑπερβολή. nisi * παράγραμμα bellum, nisi ridiculum * παρὰ προσδοκίαν, nisi cætera, quæ sunt à me in secundo libro de oratore per Antonij personam disputata de ridiculis, * εὔτεχνα, & arguta apparebunt, ut sacramento contendas mea non esse. Nam de iudiciis quod quereris, multo laboro minus. trahantur per me pedibus omnes rei. sit uel Selius tam eloquens, ut possit probare se liberũ: non laboro. urbanitatis possessionem, amabo, quibusuis interdictis defendamus: in qua te unum metuo, contemno cæteros. derideri te putas? nunc demum intelligo te sapere. sed mehercule, extra iocum ualde mihi tuæ literæ facetæ, elegantesq; uisæ sunt. illa quanuis ridicula essent, sicut erant, mihi tamen risum non mouerunt: cupio enim nostrum illum amicum in Tribunatu quamplurimum habere grauitatis, idq; cum ipsius causa (est enim mihi, ut scis, in * amoribus) tum mehercule etiam Reipubli. quam quidem, quanuis in me ingrata sit, tamen amare non desinam. Tu mi Volumni quando & instituisti, & mihi uides esse gratum, scribe ad me quam sæpissime de rebus urbanis, de Repub. iucundus est mihi sermo literarum tuarum. præterea Dolabellam, quem ego perspicio, & iudico cupidissimum esse atque amantissimum mei, cohortare, & confirma: & redde planè meum. non mehercule quo quicquã desit, sed quia ualde cupio * non uideor nimium laborare.* Vale.

* .i. festiuitas.
* .i. alienũ.
* .i. ambiguum.
* .i. superlatio, et cõmutatio literæ.
* .i. præter expectationẽ.
* .i. artificiosa.
* a. l. maioribus.
* a. l. uideor non mirum.

ASCENSIVS. QVod &c. laudat Volumnium ob facetiarum præstantiã: cũ enim duo essent Volumnii, dicit se cognouisse utrius esset epistola ea sua facetiis. quas commendans innuit libros suos de oratore uelle defendi a Volumnio, moneiq; ut ad se scribat. Ordo est. Q uod misisti ad me epistolã familiariter, ut debebas, sine prænomine, quo eiusdẽ nominis homines discerni solebant: primũ addubitaui, nam .i. nunquid, sup. epistola esset a Volumnio senatore, cum quo est mihi magnus usus, idest magna consuetudo uiuendi. Deinde εὐτραπελία, idest faceta urbanitas & comitas literarum, fecit ut intelligerem esse tuas. In quibus literis omnia fuerunt mihi periucunda præter id quod possessio .i. tua possidendi syluarum mearum aut salinarum .i. locorum in quibus sal fiebat, sed malum syluarum legere, & pro uariarum

ſum rerum congerie,in unum codicem potius,quam pro ſyluis arboreis,defenditur parum diligenter a te procuratore. Ait enim omnia dicta.i.apophthegmata & ſcommata omnium, conferri in me, ut i.poſtquam ego diceſſerim,& ais in his.ſ.dictis,etiam Seſtiana.ſ. dicta conferri.i. iaculari,in.i.contra me. Quid?modus interrogandi ex indignatione,tu pateris id?quaſi dicat non deberes pati,nonne defendis?nonne reſiſtis?Equidem.i:ego quidem ſperabam me reliquiſſe genera dictorum.ſ.urbanorum,ita notata.i.ſignata, ut poſſent cognoſci ſua ſponte.i per ſe ſine defenſore,cuius eſſent poſſeſſoris,hoc eſt ut poſſent agnoſci mea:unde de ſyluis dictorum prius locutus eſt.Sed quando ideſt quoniam,tanta fæx,ideſt corruptio& infectio linguæ Romanæ eſt in urbe ſcilicet Roma,ut nihil ſit ἄκυρον,akyron,ideſt abrogatum,aut ἄκτιστον aktiſton:ideſt infabricatum,aut ἄκριτον akriton:ideſt imperfectum,quod non uideatur alicui eſſe uenuſtũ:pugna:ideſt acriter inſta,ſi amas me,niſi ſup.in dictis meis ſit amphibolia,ideſt dubia locutio,aut ambiguitas ſententiæ acutæ:ideſt ſubtilis,& niſi ſit hyperbole , ideſt ſuperlatio ſententiæ,ſeu locutio per hyperbolem,elegant ideſt apta & culta. niſi paragramma,ideſt inſcriptio uenuſta,niſi bellum, niſi ridiculum.i. riſum excitans,paraproſdokian,ideſt præter expectationem,niſi cætera quæ ſunt diſputata a me in ſecundo lib. de Oratore per perſonam Antonii,ſcilicet oratoris clariſſimi,de ridiculis, ſcilicet dictis apparebunt entechna:ideſt artificioſa & arguta,ideſt ſubtilia & callida:ut contendat ſacramento,ideſt affirmes iuramento nõ eſſe mea. Nam quod quereris de iudiciis,ideſt quod in eis dicat dormitaſſe, laboro multo minus,non laboro,trahantur.i.etiam ſi trahantur,omnes,rei ideſt accuſati,per me,ideſt quantum eſt de iudiciis per me traditis,pedibus,ſcilicet anterioribus iniecto unco,uel ideſt etiam, Selius tamen eloquens,ut poſſit probare,ſicut iactat,ſe liberum ſuppleeſſe. Amabo,blandientis uox.o Volumni,defendamus poſſeſſionem urbanitatis,ideſt ut noſtra dicatur propria, quibuſuis interdictis,in qua ſcilicet poſſeſſione,metuo te unum ſcilicet ne eripias eã mihi,contemno cæteros.Putat te derideri?q d.etiam. Vnde dicit. Ego intelligo nunc demum id ſapere,ſed mehercule ſup. loquor extra iocum,tuæ literæ uiſæ ſunt mihi ualde facetæ & elegantes,Illa ſcilicet alia in epl.tua ſcripta,quamuis eſſent ridicula , ſicut erant, tamen non mouerunt mihi riſum.Cupio.n.illũ amicũ noſtrũ habere quamplurimũ grauitatis in tribunatu,cũ.ſ.ita ſit,q uelim id cauſa ipſius,eſt n mihi ut ſcis in maioribus ſ.amicis tũ mehercule,etiam reip.ſ.cauſa,quam.ſ.remp.quamuis ſit ingrata in me tamen non deſinam amare. Tu o Volumni,quando i quoniam,& i.ſimul,inſtituiſti .i.incepiſti,& uides eſſe gratum mihi ſcribe ad me quam ſæpiſſime de rebus urbanis,de rep Sermo literarum tuarũ eſt iocundius mihi. Præterea cohortare & confirma& redde plane meum Dolabellam, ſcilicet generum meum,quem ego uideo eſſe cupidiſſimum atque amantiſſimum mei. Mehercule,non ſup.id uero quo legam quod quicquam,ſcilicet amoris eius in me deſit,ſed quia cupio ualde,nõ uideor labore nimium.

VICTORIVS. DEinde Eutrapelia literarum fecit}Quid Eutrapelia ſit,notiſſimum eſt:utitur Ariſtoteles hac uoce ſæpe lib VIII. ἠθικῶν in ſecundo autem de arte dicendi quo loco de moribus ſingularum ætatum differit,naturam,uimq; huius nominis expreſſit,cum enim adoleſcentes riſus ſtudioſos eſſe dixiſſet, addidit, διὸ καὶ εὐτράπελοι, ἡ γὰρ εὐτραπελία πεπαιδευμένη ὕβρις. nihil aliud eſt,inquit εὐτραπελία,niſi eruditum & urbanum conuicium Mirifice igitur quadrabat cognomen hoc Volũnio(Eutrapelus.n.ille dicebatur,ut oſtendit Cic in epiſtolis ad Pætum:Quæ res ubi? apud Volũnium Eutrapelum)ſi ex leporibus,quibus uſus eſt in epiſtola & ſalibus a quo ſcripta erat,intelligi potuit,cum aliter ſciri uix poſſet.Erat.n Volũnius quidam ſenator temporibus iiſdem ,Ciceroni ualde familiaris. Hic Eutrapelus,de quo Cicero loquitur eſt Volumnius ille,(ut puto)qui cum Antonium in caſtra ſecutus eſſet (delectabatur enim huiuſcemodi hominibus neque in maximis etiam rebus hac uoluptates:quas mimi & ſcurræ præbent,ſpernebat) incidit in manus Bruti,& ab amicis ipſius trucidatus eſt,cum non bene illi uocem imperatoris accepiſſent,& antea Volumnio huic irati eſſent,& alteri eiuſdem ſtudii homini Saculioni appellato, quod dicacitatem eorum,qui in ea etiam fortuna a ſcommatibus non abſtinerent,ferre non poſſent Hæc tradit Plutarchus in M. Bruti uita his uerbis ἦν δέ τις Βολούμνιος μῖμος καὶ Σακουλίων γελωτοποιὸς ἄλλως ἑπόμενοι τῷ Ἀντωνίῳ λόγῳ... Βρούτῳ, & quæ ſequunt Nã fuiſſe illũ Antonio familiarẽ,teſtimonio Ci.cõfirmatur:qui in XII. Phil. inquit,Addite Antonii colluſores,& ſodales , Eutrapelũ , Melam, Cælium.{In his etiam Seſtiana}Quis fuerit hic Seſtius cuius dicta ita inſulſa eſſent,ut prouerbio locum fecerint quærendum . Suſpicor illum intelligi,quem politiſſimus poeta Catullus & ipſe deridet,& ſecum peſſime actum eſſe tradit,quod eius conuiua eſſe noluerit cum in illius ſcripta inciderit,quæ tantum morbum repente ei conciliarent,ut uix in agellum ſuum confugiens, atq; ibi ſe diligenter curans,illum pellere potuerit.

Nam Seſtianus dum uolo eſſe conuiua.

Cum enim iiſdem temporibus Cicero,Catulluſq; uixerint,de iiſdem etiam hominibus mentionem faciunt:nam Seſtium inſulſum hominem fuiſſe,ſcriptum &ſcriptorem,ex loco illo ad Atticum perſpicuum eſt CCCCV.In quo accuſaui mecum ipſe Pompeium , qui cum ſcriptor luculentus eſſet,tantas res,atq; eas,quæ in omnium manum.uenturæ eſſent,Seſtio noſtro ſcribendas dederit:itaq; nihil unquam legi ſcriptũ σηστιωδέστερον ideſt inſulſius ,quod facilius probari poſſet ab illo ſcriptum eſſe,quod melius illum redderet : luſit.n. in Latina uoce Cicero Græcorum more illam conformans.

SEBAS. CORR. VOlumnio}P. Volumnio Eutrapelo {Εὐτραπελία}feſtiuitas,a qua Volumnius cognomen eſt ſortitus. {Salinarum}locorum,in quibus mei ſales,& facetiæ conſiſtunt.{Vt ego diſceſſerim}in Ciliciam profectus.{Ἄκυρον} abrogatum quidam alii uero alienum interpretantur.ſed in uetere libro legitur ἀκύθηρον,& inuenuſtum exponitur.{Ἀμφιβολία}ambiguitas,ambiguũ frequentius Ciceroni.{Ὑπερβολή} ſublatio }{Παράγραμμα} alliteratio a Pontano interpretatus, ab aliis annominatio ſed hæc a Cicerone alibi παρονομασία dicitur.{Παρὰ προσδοκίαν}præter expectationem {Per Antonii perſonam}referente tamen Cæſare , ſed in eo libro.in quo M.Antonius primas agit partes,ſicut Craſſus in tertio. {Ἔντεχνα} artificioſa. {Sacramẽto}quingẽtis æris depoſitis . lege Varronem.{Pedibus}Eraſ.in prouerb.{Reip.ſit uel}Al.rei, uel.{Selius}Al.Solius Al Cælius,qui eo tempore ab Appio lege Scantinia poſtulatus eſt Epiſt XI.lib VIII.{Illum amicũ}Curionẽ.{Amoribus}Al maioribus.{Nunc uideor}Al non uideor.

BERN. RVT. DEinde Eutrapelia literarum fecit Inde Eutrapelum nominat hunc ad Pætum: Dices,ubi?apud Volumnium Eutrapelum.{Cupio eum illum noſtrum amicum in Tribunatu quã plurimum habere grauitatis}Curionem intelligit ut alibi monuimus.quem ad Cælium quoque ſcribens ex Cilicia,ut & has , amicũ noſtrum uocat.

PHIL. MELã. Quod ſine prænomine}Breue exordium.
{Quibus in literis}Narratio ſtomachatur,in ſe conferri quorumlibet inſulſa dicta,& u mi Volũni } Adhortatio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Primo reſpondet ad capita quædam epiſtolæ Curii. deinde aduentum Volumnii ſe deſiderare dicit. & de amatoribus ſuis Caſſio Dolabellaq; . itēque de ſtudiis ſuis narrat.

M. C. VOLVMNIO S. D. 14

QVod declamationibus noſtris cares,damni nihil facis . Quod Hirtio inuideres,niſi eum amares: non erat cauſa inuidendi:niſi forte ipſius eloquentiæ magis,quam quod me audiret,inuideres nos enim plane mi ſuauiſſime Volumni aut nihil ſumus, aut nobis quidem ipſis diſplicemus gregalibus illis quibus te plaudente uigebamus*amiſſis:ut etiam ſi aliquando aliquid dignum noſtro nomine emiſimus,ingemiſcamus,quod hæc pennigero,non armigero in corpore tela exerceantur , ut ait Philoctetes apud Accium abiecta gloria.ſed tamen omnia mihi erunt, ſi tu ueneris hilariora.quanquam uenies,ut ipſe intelligis , in maximarũ quaſi concurſum occupationum quas ſi,ut uolumus , exceperimus, ego uero multam ſalutem & foro dicam & curiæ,uiuamq; tecum multum,& cum communibus,noſtris amatoribus:nam & Caſſius tuus,& Dolabella noſter,uel potius uterque noſter, ſtudiis eiuſdem tenentur,& meis æquiſſimis utuntur auribus . opus eſt huc limatulo,& tuo iudicio,& illis interioribus literis meis,quibus ſæpe uerecundiorem me in loquendo facis: mihi enim iudicatum eſt, ſi modo hoc Cæſar aut patietur,aut uolet,deponere illam iam perſonam,in qua me ſæpe illi ipſi probaui,ac me totum in literas abdere,tecumq;,& cum cæteris earum ſtudioſis honeſtiſſimo otio perfrui.Tu uellem,ne ueritus eſſes,ne perinuitus legerem tuas literas,ſi mihi(quemadmodum ſcribis)longiores forte miſiſſes , ac uelim poſthac ſic ſtatuas,tuas mihi literas longiſſimas quaſque grauiſſimas fore. Vale.

*alias emiſſis

ASCENSIVS.

Vod decla.&c.Scripserat Volumnius se cupidū esse declamationum Cic.& quod nisi esset amicus Hyrtii ei inuideret quod esset auditor Cic.Respondet igitur Ci. se & sua non esse tanti.Ordo est.Quod cares declamationibus nostris,nihil facis damni.Quod inuideres Hirtio nisi amares eum:non erat causa inuidendi,nisi forte inuideres magis eloquentiæ ipsius,quam quod audiret me.Sunt autem declamationes orationes in scholis rhetorum habitæ,quibus oratorie studentes ad utranq; partem argumentantes se exercēt in fictis causis,ut ad ueras habiles fiant.Se autem extenuant,dicens Enim.i.quia o mi suauissime Volumni,nos aut nihil sumus i. nullius artificii,aut displicemus nobis ipsis & hoc gregalibus.i. sodalibus illis gregarim nos frequentare solitis,quibus uigebamus te plaudente.i.applaudente,amisit.i.postquam eos amisimus,ut ingemiscamus etiam si quando.i aliquando emisimus aliquid dignum nomine nostro,quod tūc celebre erat & nunc celeberrimum est:ingemiscamus inquā.Quod hæc tela.allegoricos loquitur,alludens ad uerba Acciana in Philoctet.unde dispicicter exponam:primo secundum historiam accipiēda sunt:deinde ut secundum allegoriam Secundum historiam igitur sic.s.fatalia ad euersionē Troiæ destinara execrabotur,ut ait Philoctetes apud Accium poetam Tragicum,in corpore pennigero.i.in auibus sagitta petendis non in corpore armigero.i.belligero,, gloria abiecti,quia autem deiecisse parum est gloriæ,uirū bellicosum multum.Alii in corpore pennigero legunt quia in suo corpore ærumnoso exercuit.Secundum allegoriam autem sic,quod hæc tela.i.uerba accuta & oratorix exerceantur in corpore pennigero.i.in auditorio molli & indocto,& non in corpore belligero.i.auditorio acri ,& ad oratoriam apto,gloria amissa,ut ait,licet in alio sensu Philoctetes comes Herculis apud Accium in fabula.Sed tamen omnia erunt mihi hilariora i.latiora quam nunc sint,si tu ueneris,quanquam uenies,ut.i.quemadmodum,ipse.i.tute intelligis,quasi in concursum maximarum occupationum,quas.s.occupationes si exceperimus.i.superauerimus.ut apud Virg.Excipit incautū,aut expulerimus,ut uolumus.Ego dicam uero.i.ex animo,& pro uero multam salutem & foro.s.iudiciali,& curiæ.i.senatui.coram illis.n.orandum est,& in concione,& uiuam tecum,& cum omnibus amatoribus.i.quos possidemus,aut nostri.i.qui nos amant.Nam & Cassius tuus.s.amicus,& Dolabella noster,uel potius uterq; noster tenentur eisdem.i.iis ipsis studiis & utuntur me auribus æquissimis.i.libentissime audiunt me Opus est huic,uidelicet Dolabellæ,iudicio tuo limatulo.i.belle limato & terso,& pro.i polito.quia non est tanto iudicio ut tuo,& illi.s.Cassio opus est literis meis interioribus.i.secretis & arcanis quas non omnibus communico,aut quas nō omnes imitari possunt,quibus.s.literis,facis me sæpe uerecundiorem in loquendo,ut quod ea sie imiteris,ut me superes,aut quod me cōmode ob eas extollas.Enim.i.quia iudicatum.i .penitus decretum est,mihi si modo.i.dum modo,Cæsar patietur,aut uolet hoc, deponere iam.i.deinceps illā personam.s.oratoriam & causidicam,in qua s persona,ego probaui,idest commendatum feci me sæpe illi ipsi s.Cæsari,ac iudicatum est mihi abdere.i.abscondere,me totum in literis s.otio literario,& perfrui honestissimo otio tecum & cum cæteris studiosis earum.s.literarum,præcipue ethicarum Vellem ne.i.ut non,esses ueritus,ne i g non,legerem literas tuas,pluribus sup.uerbis scriptas, si forte misisses mihi longiores,quemadmodum scribis,aut pluribus sup.uicibus & non semel,ac uelim statuas.i.constituas & persuadeas tibi posthac sic literas tuas longissimas quasq; i.ut quæq; erunt longissimæ fore mihi gratissimas idest ita futuras mihi gratissimas.

VICTORIVS.

NE pluribus legerem tuas literas}Hæc erat omnium impressorum,& antiquorum codicum lectio,parum tamen syncera,ni fallor Quidam ausi sunt pro pluribus.{Perinuitus } legere:quos non reprehendimus,quippe quos imitati simus: uulgata lectione offensi,& nulla meliore excogitata,aut inuenta.

Ex post. eiusdem.

PInnigero,non armigero in corpore}Quemadmodum in antiquis codicibus scriptum inueni,ita scripsi. præcipue enim Medicei scripturam animaduersione dignam indicaui:eadē enim est quæ in uetustis lapidibus.Nam paulo supra{Ingemescemus,}in eo legitur,ut in epist.Cæcinnæ{Contremesco,}& non multo ante ad Curium{Auem aluam,}pro albam nec me latet ueteres literatos uiros de hac uoce,quomodo scribenda esset inter se concertasse.Accurati quoque ac docti hominis uerba sunt super illo Verg.formidine pennæ.In Ro.pionæ more suo,contra Capri sententiam.

PAVL. MANV.

PEnnigero,non armigero in corpore}non dubium est intelligi de auibus Quas Philoctetes configebat tardus celeres stās uolantes.Florentini tamen in suo lib.pinnigero, legi maluerunt contra Quintil.sententiam,qui pinnas de auibus dici nō uult {Illis interioribus literis meis,quibus sæpe uerecundiorem me in loquendo facis}Iandiu suspicatus sum hunc locum esse deprauatum,neq;.n.si ita legatur sensus elici bonus possit.Hieronym. autem Ferrarius Corrigiensis,qui quidem Cic.scripta,quantum intelligi possunt,& intelligit,& scriptis ipse suis mirifice exprimit. arbitratur esse legendum,illis interioribus literis,eis,quibus sæpe uerecundiorē me in loquendo facis:cuius sententiæ non facile acquiescimus . ita enim & aptus colligetur sensus,& erit locutio sane quam elegans,quæ in suis scriptis in frequenter Cic.est usus,ut eius exempla huc afferre putidum prope sit.

SEBAS. CORR.

INuideres}sc.n.scribis.{Gregalibus}Hortensio,Marcello Cælio,ac reliquis {Pennigero corpore,pennigeris auibus, quas Philoctetes configebat tardus celeres stans uolantes. Nisi de Philoctetæ corpore dictum uolumus de quo idem Accius : Pennarumq; contextu corpori tegumenta faciebat Cic.certe id dolet,se qui ueris in causis solebat regnare,sub Cæ in declamationibus uersari Philoctetæq; dolorem ad suum accommodat.{Communibus}Al. omnibus.{Vtuntur}declamantes Opus est huc.{Interioribus literis}Philosophia.{Verecundiorem}ut Academicum,qui nihil affirmē.{Facis}quasi inducis,siue existimas.{Perinuitus} Al.pluribus.

BERN. RVT.

NE pluribus legerem tuas literas} Et si pluribus.s. scriptas accipi potest ego tamen malim a Cicerone scriptum putare, ne perlegerem:{Quod hæc pennigero,non armigero in corpore tela exerceantur}Pennigero magis placet, quasi, quereretur Philoctetes,quod sagittis Herculis non iam armatos homines, sed aues tantum insectaretur.Sic Cic.quod amisit comparibus suis,nō haberet qui cum aut dicendi arte,aut studiis literarum contenderet.{Et illis interioribus literis meis quibus sæpe uerecundiorem me loquendo facis}Quid si abundet,Meis ut Volumnius intelligat literas aut quid si,Quibus de meis sæpe uerecundiorem me in loquendo facis,propter æqualium suorum mortuorum,deplorationem quasi unus Volumnium efficeret,ne Cicero doleret se solum ea tot literatissimis hominibus superstitem relictum,nam Clericus quidem inepte.

PHIL. MELĀ.

QVod declamationibus nostris } Breues propositiones siue expositiones sunt in quibus una est amplificata,in qua extenuat suam eloquentiam,sumpta ratione ab iniustitia temporum Sequuntur & aliæ quædam rationes. Est autem uenustissima allusio eloquentiæ,& tristium temporum,ad tela Herculis & Philocteten Et hic apparet,quantum uenustatis sit in allusionibus.Est autem hæc epistola scripta,regnante iam Cæsare.Eo tempore adolescentes,Hyrtius & alii,uoluerunt a Cicerone doceri , & sæpe apud eum declamabant.Hisq; officiis Cicero ualde sibi deuinxit familiarissimos Cæsaris,qui multas quoq; apud eum disputationes habuerunt.Cicero quoq; dicitur author fuisse huius nominis, Declamationes:quia Græci uocant μελέτας i exercitationes {Gregalibus}.i.cæteris oratoribus,Hortensio,Marcello,&c.{Quanquā uenies}Consilium quam uiuendi rationem sumpturus sit.

M. T. C. EPISTOLARVM FAMILIARIVM SEPTIMI LIBRI FINIS.

MARCI TVLLII CICERONIS

EPISTOLARVM FAMILIARIVM,

LIBER OCTAVVS.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Petierat a Cælio Tullius, ut acta omnia urbana ad illum scriberet. quod cum fieri uix posse uideretur, respondet Cælius, se Ciceroni lib rum misisse, ex quo eorum partem exciperet. Postremo qui sint rumores de Pompeio & Cæsare, nunciat.

M. CÆLIVS M. CICERO S. D. 1

*Quod tibi decedenti pollicitus sum, me omneis res urbanas diligentissime tibi perscripturum: data opera paraui, qui sic omnia persequeretur, ut uerear, ne tibi arguta nimium hæc sedulitas uideatur: tametsi tu scio quam sis curiosus, & quã omnibus peregrinantibus gratum sit, minimarum quoque rerum, quæ domi gerantur, fieri certiores. Tamen in hoc te deprecor, ne meum hoc officium arrogantiæ condemnes, quod hunc laborem alteri delegaui: non quin mihi suauissimum sit & occupato, & ad literas scribendas, ut tu nosti, pigerrimo, tuæ memoriæ dare operam, sed ipsum uolumen, quod tibi misi, facile, ut ego arbitror, me excusat. nescio cuius otii esset, non modo perscribere hæc, sed omnino animaduertere: omnia enim sunt ibi S. C. edicta, fabulæ, rumores. quod exemplum si forte minus te delectarit: ne molestiam tibi cum impensa mea exhibeam, fac me certiorem. siquid in Repu. maius actum erit, quod isti operarii minus commode persequi possint: & quemadmodum actum sit, & quæ existimatio consecuta, quæq; de eo spes est, diligenter tibi perscribemus. ut nunc est, nulla magnopere expectatio est: nam & illi rumores de comitiis trãspadanorum * Cumarum tenus caluerunt. Romam cum uenissem, ne tenuissimam quidem auditionem de ea re accepi. præterea Marcellus quidem adhuc nihil retulit de successione prouinciarum Galliarum. in Cal. Iun. ut mihi ipse dixit, eam distulit relationem. sane quam eos sermones repressit, qui de eo tum fuerant, cum Romæ nos essemus: Tu si Pompeium, ut uolebas, offendisti: qui tibi uisus sit, & quam orationem habuerit tecum quamq; ostenderit uoluntatem (solet enim aliud sentire, & loqui, neque tamen tantum ualere ingenio, ut non appareat, quid cupiat) fac mihi perscribas: Quod ad Cæsarem attinet, crebris & non belli de eo rumores, sed susurrationes duntaxat ueniunt. alius, equitem perdidisse, quod opinor certe factum, alius septimam legionem uapulasse, ipsum apud Bellouocas circunsideri interclusum ab reliquo exercitu neque adhuc certi quicquam est, neque hæc incerta tamen uulgo iactantur, sed inter paucos, quos tu nosti planè, secretò narrantur, at Domitius cum manus ad os apposuit! Te ad IX. Calend. Iuni. subrostrarii (quod illorum capiti sit) dissiparant periisse: ita ut in urbe, ac foro toto maximus rumor fuerit, te à Q. u. Pompeio in itinere occisum. Ego, qui scirem Q. Pompeium Bauli * embæneticam facere, & usque eo, ut ego misererer eius esuriei, non sum commotus: & hoc mendacio, si qua pericula tibi impenderent, ut defungeremur optaui. Plancus quidem tuus Rauennæ est, & magno congiario donatus à Cæsare, nec beatus, nec bene instructus est. Tui politici libri omnibus uigent. Vale.*

*alias Comum.

*alias Schœnobaticam.

ASCENSIVS.

Quod tibi decedens &c. Totus hic octauus liber est Marci Cælii, eius uidelicet, ad quem lib. II. a Cice. scriptæ sunt complures epistolæ. uerũ, quia ad C. scriptæ sunt & ad Ciceronianum stylum accedunt: inter Ciceronianas computantur. Huius autem argumentũ est huiusce modi Cum Cicero manens in prouincia mandasset Cælio proficiscenti Romam ut ad se diligenter scriberet quæcunque in urbe fierent: scribit separasse, qui omnia etiam minima quæq; scriberet, quã diligentiam, si Cice. non probaret, monet ut rescribat. Deinde quæ ab illo prætermissa putat. scribit qui rumores sint in urbe de Pompeio & Cæ & postremo ubi sit Plancus quem Cice. plurimum diligebat. Ordo est. Quod idest quia, ego decedens scilicet a te in urbẽ pollicitus sum me perscripturum tibi diligentissime omnes res urbanas, idest quæ in urbe fierent, paraui, idest comparaui & disposui, opera data idest ea composito & deliberato proposito, supple scribam, qui persequeretur, idest plane perscriberet hæc omnia, sic ut uerear, ne hæc sedulitas idest diligentia mea & fidelitas in seruandis promissis: (dicitur enim quasi seorsum a dolo.) uideatur tibi nimium arguta idest callide interpretata mandatum tuum. Tametsi scio quam, idest quantum, tu sis curiosus scilicet rerum nouarum, & quam idest quantum, gratum sic omnibus peregrinantibus, idest in externis regionibus agentibus supple eos fieri certiores quoque, idest etiam minimarum rerum, quæ gerantur domi in sua cuiusque patria. Tamen ego deprecor te in hoc ne condemnes hoc officium meum arrogantiæ, scilicet uitio, quod delegaui idest commisi alteri hunc laborem, scilicet ad te scribendi, quæ hic gerantur. Non sup. delegaui alteri hoc officium, quin, idest quod non sit, suauissimum mihi, & idest simul, aut licet occupato, & pigerrimo ad literas scribendas, ut nosti, scilicet per experientiam, dare operam tuæ memoriæ, scilicet excitandæ. Sed ipsum uolumen scilicet rerum urbanarum, quod misi tibi, excusat me facile, ut ego arbitror, quasi dicat, alia scripta in eo esse, ut Cicero non censeat ea a Cælio fuisse scribẽda. Nam nescio cuius otii esset idest quis tanto otio redundaret, ut uacet, non modo idest non solum perscribere hæc idest huiusmodi nugas & res nullius momenti, sed omnino animaduertere idest animo complecti, & considerare. Omnia enim sunt tibi idest in eo uolumine, utpote Senatusconsulta idest decreta, fabulæ dictæ: scilicet in senatu, rumores scilicet incerto authore perlati. Quod exemplum idest quæ forma scribendi res urbanas etiam minimas, si non delectat te, fac me certiorem: ne exhibeam tibi molestiam idest tædium, cum impensa mea idest pecunia, quam his rebus scribendis impendi & impendam. Siquid idest aliquid maius idest maioris momenti erit actum in repub. quod isti operarii idest scriptores rerum leuium, possint persequi minus idest non satis commode, & idest simul quemadmodum sit actum, & quæ existimatio, idest opinio sit consecuta idest actionem talem, & quæ spes est de eo, scilicet quod inceptum est, nos perscribemus tibi supple hæc omnia diligenter. Vt nunc est idest secundum quod res nunc habent, nulla expectatio scilicet magnæ rei est magnopere. Nam & illi rumores idest sermones ab incerto authore orti, de comitiis Transpadanorum, idest eorum qui Transpadum incolunt, habendis, scilicet an deberent in ciuitatem recipi, aut ad bellum mitti aut quid simile, caluerunt, idest increbuerunt. Cumarum tenus, idest usq; ad Cumas quæ urbs

lest in litore Tyrrheni maris. Cum ego uenissem Romam, ne quidē dest non saltem, accepi auditionem tenuem idest quantumuis exilem de ea re. Præterea Marcellus quidem nihil retulit scilicet ad senatum idest nihil egit adhuc in senatu, de successione prouinciarū Galliarum & distulit eam relationem. ut ipse dixit mihi, in idest usque ad Calend. Iunii. scilicet mensis, qui scilicet Marcellus expressis idest explicauit, sane idest omnino, sermones meos, qui fuerant deeo, tum idest tunc, cum idest quando, nos essemus Romæ. Tu si offendisti: idest conuenisti obuiam habitum Pompeium, ut uolebas fac perscribas, mihi, qui idest qualis, sit tibi uisus, & quam orationem idest qualem sermonem habuerit tecum, & quam idest qua est, uoluntatem scilicet suam ostenderit: scilicet uultu & aliis inditiis inter loquendum. Solet enim aliud sentire & loqui, neque ualere ingenio tantum, idest tam multum: idest non esse tam callidus, & cautus, ut non appareat quid cupiat Quod: scilicet attinet, aut spectat ad Cæsarem crebri & non belli: idest non boni sermones, sed duntaxat susurrationes: idest quæ in aures dicuntur, ueniunt, idest afferuntur, ad nos de eo, alius supple dicit Cæsarem perdidisse equitem, idest equitatum, quod opinor certe factum esse: alius supple dicit aut sustinet septimam legionem uapulasse, idest cæsam aut percussam esse, & supple ipsum circunsederi, scilicet a Gallis interclusum ab reliquo exercitu apud Bellouacos populos Galliæ olim iā bellicosos, quorum fama & nomen adhuc durat, neque quicquam certi est adhuc, neque tamen hæc incerta iactantur uulgo, supple narrantur secreto inter paucos, quos tu nosti plane, quasi dicat Cæ. inimicos. At, idest sed, Domitius supple talia narrat, fingens se nolle aut non audere talia dicere, cum apposuit manum ad os: idest cū digito compescuit labellum, ne quicquam perperam dicat. subrostrarii: idest qui sub rostris sedent nouarum rerum captatores, nam a rostris omnia Romæ edicebantur, dissiparant, idest in uulgum dessemmauerant te periisse ad nonum calendas iunii, quod scilicet periisse sit, idest eueniat, capiti: idest in caput eorum, ut Aeneid. II. Quod dii prius omen in ipsum Conuertant ita supple dissiparant ut maximus rumor fuerit in urbe ac foro toto, atque supple dissiparant Pompeium, scilicet Q. non Cneum occisum in itinere Ego qui scirem Q. Pompeium facere Baulis: idest in eo loco apud Baias ubi Hercules bouum stabulum fecit, unde Bauli quasi Boauli, idest boum aula, idest: caula dicti sunt facere schœnobaticam, idest artē funambulorum: idest ampulantium ac gradientium super funem extentum, σχοῖνος schœnos enim dicitur funis, βαίνω bæno gradior, ambulo. qui talia facit græce schœnobates, latine funambulus dicitur, & scirem eum facere schœnobaticam usque eo, idest in tantum artificii, quod nullum illi erat ut ego misererer esuriei idest famis eius, non sum commotus: scilicet ex tali rumore, & optaui supple ut nos defungeremus hoc mēdacio, idest liberaremur & absolueremur ut apud Maronem. O tādem magnis pelagi defuncte periclis, idest illis transactis liberate Credebant autem miseri gentiles malum, qđ dii pararent, alio malo posse deuitari, ut mendacio præuiso quod impenderet malum. supple periculis, si qua pericula impenderent tibi. Plancus tuus quidem, idest certe quasi dicas quod sine mendacio dicitur, est Rauennæ, in ea urbe Italiæ a Thessalia condita, & donatus a Cæsare magno Congiario, idest, munere, ut a principe & imperatore in eum collato, nec beatus est nec bene instructus. libri tui pollitici. idest quos de republica & politia scripsisti, uigent omnibus idest omnibus eos legentibus sunt in uigore, hoc est placent & tractantur.

VICTORIVS.

EPistolas M. Cælii existimamus nos studiosos animaduertisse, quam in uulgatis codicibus mendosæ, & corruptæ essent: cum autem non eiusdem integritatis in his uetustum codicē inuenerimus. quam in Ciceronis epistolis, illum retinere uidimus, etsi multis partibus melior illis sit: deserti ea ope non potuimus ea sanare uulnera, quæ apparent. Quicquid tamen boni potuimus, fecimus, multa quæ trunca, & mutila credimus, nulla nota adposita reliquimus: nec enim unum, aut alterum locum signare uoluimus, reliquos nobis suspectos transire, ne uideremur illos nostro iudicio confirmasse, & probasse. Quod si cunctis, quibus parum confidimus, locis signum apponere uoluissemus, infinitum fuisset, & quædam fortasse propter huius duriorem, & asperiorem stylum immerita nobis damnata essent, quæ recte se haberent. Fatemur igitur noluisse nos hoc periculum subire: eruditis suum in hoc iudicium relinquimus nostrum in re tam dubia & incerta non interponimus. Qui a melioribus codicibus adiuti maiorem operam hic nauare potuerint, magno nos sibi beneficio obligabunt: ipsi de quibusdam, & iis quidem maioris momenti eorum quæ immutauimus, rationem. qua ducti id fecimus, adferemus Q. Pompeium Baulis Schœnobaticam facere} Hūc locum alii aliter castigarunt: suum autem quisque iudicium secutus est suoque arbitrio in hoc usus, quod diuersitas lectionum arguit. Quid enim adfine habet uox {Epibaticam} cū uulgata, & recepta: nos ne una quidem litera a ueteribus exemplaribus mutata, Baulis embæneticam facere scripsimus, quam ueram esse lectionem cupimus & ab eruditis probari & corroborari: eam autem potiorem duximus, quæ hic staret propter uetustorum codicum authoritatem: in quibus passim inuenitur, & quia fortasse, nō incommodior sensus ex hac elicitur, quam ex illis quas iuniores suo ingenio excogitauerunt: cum tamen rarior sit, & græcum uerbum, nisi prius recipi a peritioribus audierimus, non firmiter id tenebimus: cum & alia significet ἐμβαίνειν, non est dubium quin significet etiā in nauim cōscendere. ut contra ἐκβαίνειν. de naui exire. ut apud Aristophanē in Ranis, ἔμβαινε ταχέως Et paulo post ἔκβαινε δὴ in eadem comœdia, cum iubet de naui exire, ἔκβαινε ἀπὸ τοῦ πλοίου. Appellari igitur potuit ars embænetica eorum qui nauiculariam facerent, cum esset ipsorum hoc frequens, & familiare uerbum, dum crebro hortarentur in nauim ascendere, iuberentque festinare: qui aliquo uehi uolebant: quod sordidum erat & uile ministerium. unde dicit se misereri eius esuriei, qui eo descenderit, ut tam turpem quæstum sequeretur. Bauli autem, locus in litore Neapolitano, de quo Tacitus XIIII. Dehinc obuius in litora (nam Antio aduentabat) excepit manu, & amplexu, duciturque Baulos, id uillæ nomen est, quæ promontorium Misenum inter, & Baianum lacum flexo mari alluitur. Aliqui fortasse hanc sua diligentia lectionem iuuabunt, aut meliorem inuenient. nos tantam illis fidē habuimus quia integram, & incorruptam in cunctis melioribus codicibus reperimus, quorum consensum magnifaciendum semper existimauimus,

SEBAS. CORR.

DEcedenti} Al. decedens. {Transpadanorum} quos rumor fuerat iussu Cæsaris IIII. V. creare itque in Cumanū, quo multi ad Ciceronem in Ciliciam proficiscentem officii gratia conuenerant. & in his, quod simile uero est, Cælius. {Cumanū} quo te prosequens ueneram {Calendas Iunias} Al. Calend. Ianu. {Sane quam eos sermones repressit} Al. qua sane meos sermones expressit {Nos essemus} simul ego & tu ante tuum discessum. nam Cælius hæc scribens, Romæ erat. {Offendisti} Tarenti. {Mihi perscribas} Id fecit Cice Epist VIII. lib. II. {Quod ad Cæsarem attinet} Al. quod a Cæsare. {Plane, secreto} Al. palam secreto: hoc est, inter ipsos quidem, sed palam, ut ab omnibus fere audire possint. {Q. Pompeio} Rufo: qui non multo ante, cum Tribus pleb. esset, in causam Milonis Ciceroni diem dicere cogitarat. {Schœnobaticā} Placet legere, embæneticam: hoc est nauiculariam: quod Petro Victorio, uiro erudito, & hoc nobili acceptum referes. {Eius esuriei} Lege Val. Maximum lib. IIII. cap. II. {Plancus} L. Munatius Plancus. Has epistolas in suum ordinem digessisse satis apte Rutilius amicus meus uidetur: id quod numeris hic, & alibi in principio lineæ signatum uidebis.

BERN. RVTI.

ROmam cum uenissem, ne tenuissem quidem auditionem de ea re accepi} Lego, ut in aliis, Tenuem, uel tenuissimam quidem, idque magis placet, quod & propius est mendosæ illi dictioni, & in manuscriptis quoque residet exemplaribus. Nam interpres quidem ualde decipitur, qui Te tenuisse legat. Cicero in Verrem. Ne tenuissima quidem suspicio acceptæ pecuniæ ubrem iudicandam. Idem in eadem oratione: Quis ignorat quemadmodum is tenuissimū quenque cōtempserit, despexerit, liberum esse nunquā duxerit? Et quarta: Ne tenuissimam quidem suspicio posset esse. Hæc adscripsi, quod erat Grāmatistarum regulis, atque adeo ferulis occurrendum, in lectione præsertim immutanda: Comitia autem Trāspadanorum puto esse, de quibus Plutarchus in Cæsare: Colonis, quos, inquit, nuper Cæsar nouum Galliæ comum deduxerat, ciuitatem adimere conabantur. Ex quibus, cum decurio quispiam Romæ uersaretur, eū consul Marcellus uirgis pulsauit: ea se illi adiecisse præfatus insignia, ut se ciuem Rom. nequaquam esse intelligeret: cumque discederet, ut illa Cæsari commonstraret, imperauit. Idemque & Appianus: sed quid hos Græculos inducimus: Cicero ad Atticum: Nōdum enim satis huc erat allatum, quomodo Cæsar ferret de authoritate perscripta eratque rumor de Trāspadanis, eos iussu illius uiros creare. quod si ita est, magnos motus timeo. Item Marcellus fœdendi comet, & si ille magistratū nō gesserit, erit tamen Transpadanus ita mihi uidetur non minus stomachi nostro Cæsari fecisse. {Qua sane meos sermones expressit} Lego, alios codices, sensum, coniecturam secutus: Sane quam eos sermones repressit. Frequens enim Cælio, sane quam. pro multum, ualde. Marcelli, inquis sequentibus literis} impetus desiderunt, non inertia, sed, ut mihi uidebatur, consilio. Et aliis: Sane quam incutit multis, qui eum facilitatemque eius non norunt, magnum metum. Item sane quam literis C. Cassii & Deiotari sumus commoti. & Cicero ad Atticum. Quicquid interpreti uideatur. Item supra. {Sed ipsum uolumen quod tibi misi, facile, ut ego arbitror, me excusat} Non, quod esset manu Cælii scriptum, ut uidetur sensisse interpres: sed quia tam multa contineret, ut facile ignosci potuerit Cælio, qui tot ipse res non perscripsisset. {Ne molestiam tibi cum impensa mea exhibeam} Non tam ad chartam attinet, quam ad operarii scriptoris mercedem, de quo supra ait. {Alius equidem perdidisse} Scribo e ueteribus, Alius equitatum: uel, alius equitē perdidisse, ut Aldus. {Sed inter paucos, quos tu nosti: plane secreto narrantur} Ego nihil causæ fuisse uideo, cur integra lectio mutaretur. eleganter enim dictum, palam secreto: de his qui cum secreta loqui uelle uiderentur, uideri tamen cupientes in foro propalam mussarent inter se. Verbū palam, in scriptis quoque legimus.

legimus. Indidem. {Ita ut in urbe ac foro toto maximus rumor fue rit, atq; Pompeium in itinere occisum} In aliis: Vt de urbe ac foro toto maximus rumor fuit, atq; Pompeio in itinere occiso. Lego ex ueteri: Et te urbe ac foro toto maximus rumor fuit a Quinto Pompeio in itinere occisum. Quam lectionem nulli non probaturũ me confido. adiuuaot enim egregie, quæ de Q. Pompeii calamitatibus subiiciuntur, Sed & quod Cicero ad Atticum scribit, Messalam a Q. Pompeio Rufo reum factum, pro quo ipse dicturus uideretur: Tres candidati fore rei putantur, Domitius a Memmio Messala a Q. Pompeio Rufo, Scaurus a Triario, aut a L. Cæsare. Quid poti-sis, inquies, pro iis dicere? ne uiuam, si scio. in illis quidem tribus libris, quos studiose laudas, nihil reperio. Et ad Q. Fratrem: De ambitu postulati sunt omnes, qui consulatum petunt, a Memmio Domitius, a Q. Curtio bono & erudito adolescente Memmius, a Q. Pompeio Messala, a Triario Scaurus. Item: Messalam iam nostrum, reliquosq; molestia leuatos, uehementer gaudeo. Vt eo nomine fuerit Q. Pompeius Ciceroni iratus. Subrostrarios ea forma dictum arbitror, quasi subbasilicanos, circunforaneos: non ad dignitatis gradum, ut uoluit interpres.

PHIL. MELã.

HVius libri epistolæ non tam propter eloquentiam, quã propter historiam legendæ sunt. Sunt autem scriptæ absente Cicerone in prouincia, sub initium belli ciuilis. Et Cælius scripsit Ciceroni istius belli præludia. sunt tales epistolæ, quales etiam hoc tempore possunt scribi ab aliquo, qui mediocriter sit doctus, non sunt obscuræ, ut putant quidam, modo quis respiciat ad historias. Sunt autem referendæ ad superiore quas Cicero scripsit ad Cælium.

GIBBRTI LONGOLII LEMMA.

Nunciat quemadmodum absoluto quodam. Hortensius sinistre defensionem illius susceperit. Deinde petit, ut Pantheras in Cilicia ad ornandã ædilitatem Cicero conquirat. Huic epistolæ respondet lib. ii. Putares ne &c.

M. CÆLIVS CICERONI S. D. 2

*a.l. Est matre prehensante, uel me reprehensante.

CErte inquã absolutus* est. me præsente pronunciatum est, & quidem omnibus ordinibus, sed & singulis unoquoque ordine sententijs. uide modo, inquis non mehercules: nihil enim unquam tam præter opinionem, tã quod uideretur omnibus indignum, accidit. quin ego, cum pro amicitia ualidissime fauerem ei, & me iam ad dolendum præparassem: postquam factum est, obstupui, & mihi uisus sum captus esse. quid alios putas? clamoribus scilicet maximis iudices corripuerunt: & ostenderunt plane esse, quod ferri non posse. itaque relictus lege Licinia, maiore esse periculo uidetur. accessit huc, quòd postridie eius absolutionis in theatrum Curionis Hortensius introiit: puto ut suum gaudium gauderemus. hic tibi strepitus, fremitus, clamor, tonitruum, & rudentum sibilus. hoc magis animaduersum, est quòd intactus à sibilo peruenerat Hortensius ad senectutem. sed tum ita bene, ut in totam uitam cuiuis satis esset, & pœniteret eum iam uicisse. De Repub. quod tibi scribam, nihil habeo. Marcelli impetus resederunt, non inertia, sed (ut mihi uidebatur) consilio. De comitijs consularibus incertissima est existimatio. Ego incidi in competitorem ignobilem, & nobilem agentem. nam M. Octauius. Cn. F. & Cn. Hirrus mecum petit. hoc ideo scripsi, quòd scio te acriter propter Hirrum nuncium nostrorum comitiorum expectaturum: tu tamen simulac me designatum audieris. ut tibi curæ sit, quod ad pantheras attinet, rogo. Syngrapham Sitianam tibi commendo. Commentarium rerum urbanarum primum dedi L. Castrinio Pæto, secundum ei, qui has literas tibi reddet. Vale.

ASCENSIVS.

CErte inquam. Scripserat Cice se mirari quendam utriq; notum absolutum, unde confirmans id dicit Cælius. certe inquam absolutus est, pronunciatum est scilicet iudicium de eius absolutione, me præsentante, idest ea hibẽte reum, aut supplicationem, & quidem supple absolutus est, omnibus ordinibus, idest ab iudicibus omnis ordinis, sed & idest etiam singulis sententiis, in unoquoq; genere scilicet iudicũ. Vide modo inquis scilicet an nequid utrum uerum addas, aut quid simile. Responsio. Non, ne mehercule supple quicquam addo aut mentior, nihil enim accidit unquam tam præter opinionẽ & quod uideretur omnibus tam indignum Hæc est uera lectio, quam nõ intelligentes, credebant deesse uerbo, quæ alii supposuerunt sic. uide modo inquis mihi literis, ostendens me isto missurum alios. alii sic uide modo inquis mihi &c. habentq; ante hanc epistolas octo, quas aliis postponunt. Quin, idest quinetiam, ego cum fauerem ei ualidissime pro amicitia scilicet nostra, & præparassem me ad dolendũ scilicet de condemnatione eius, obstupui scilicet de eius absolutione, & uisus sum mihi esse captus, idest priuatus sensu, aut intellectu præ stupore. Quid putas alios supple fecisse? Responsio, alii supple corripuerunt, idest reprehenderunt iudices maximis clamoribus, & ostenderunt plane esse scilicet iudicatum, aut iudiciũ, aut facinus, quod non posset ferri, idest tolerari, æquis animis Itaq; supple absolutus illo iudicio, relictus scilicet a iudicibus uidetur esse maiore periculo, lege Licinia per quam contra sententiam populi absoluti iterum in iudicium uocabantur. Accessit huc idest ad hãc rem, quod Hortensius scilicet orator insignis, qui absolutum defenderat, introiit postridie eius absolutionis, idest die qui proxime absolutionẽ eius secutus est in theatrum Curionis, puto supple introisse ut gauderemus gaudium suum, idest ut sibi gratularemur. Sic & Comicus in Andria locutus est. Nullum est enim uerbum quod non regat accusatiuum proportionabilis significationis, ut gaudeo gaudium, eo iter curro cursum, uiuo uitam miseram &c. Hic supple factus, & factum est tibi, uacat tibi. quod tamen ex more loquendi apte additũ est, quo modo dicimus: Hic mihi semper dormit &c. strepitus. s. pedum, fremitus. s. oris, clamor tonitruum. l. tantus sonus ex reflexione uocum in theatro, aut tonitruum putetur & sibilus rudentum. i. more asinorum obstrepentium. Hoc animaduersum. i. annotatum est a populo, magis, quod Hortensius peruenerat ad senectutem: idest senex factus erat, intactus a sibilo: idest nunquam adhuc explosus, exsibilatus, aut irrisus ob turpem aut iniquam actionem. Sed sup. egerat tot bene. i. decenter, ut satis esset. s. ei laudis, in totam uitam, quamuis. i. quantumuis sup. longam, & pœniteret eum uicisse iam. s. in causa illius rei inique absoluti, quia nisi uicisset, sibilõ passus non esset. Nihil habeo de Repub. quod scribam tibi: aut si est quid, legi si Quid scribam tibi de Repub. nihil habeo. Impetus Marcelli resederunt i. sedati sunt, non inertia. s. Marcelli, sed consilio, ut uidebatur mihi. Existimatio, idest diiudicatio de Comitiis consularibus . s. habendis est incertissima. Ego incidi in competitorem. s. ædilitatis mecum: nobilem & ignobilem, quia egentem. alii legunt & nobilem agentem. i. præ se ferentem. Nam Marcus Octauius filius Cnei, & Caius Hirrus, petit mecum. s. ædilitatem. Ego scripsi hoc ideo, qđ scio te expectaturum acriter propter Hirrum, nuncium comitiorũ nostrorum. s. ædilitiorum. Tu tamen simulac. i. eodem tempore, quo, aut statim post, quam audieris me designatum. s. ædilem fac: sup. alii habent rogo, sed sic diceretur te, nisi Græco more, quem Comici sequuntur, proximo dederit, quod sequentis est, dicunt enim me scis, quid uelim, pro eo quod est, scis quid ego uelim. Hoc autẽ loco, quia Cælius multa subaudire solet, credam uerbum omissum: ut curæ sit tibi: supple id quod attinet ad Pantheras. s. in Cilicia capiendas, & ad ædilitatis pompam Cælio mittendas. de quibus lib. II. sæpe meminit Cicero. Ego commendo tibi: ut. s. absoluas syngrapham Sittianam. i. quam Sittius ad te afferet, petiturus pecuniam, uulgus Bullettam, aut Schedulam obligatoriam uocat, ut lib. VII. in episto. ad Trebatium patuit. Ego dedi primum commentarium rerum urbanarum Lucio Castrinio Pæto: Secundum sup.

VICTORIVS.

EGo incidi in competitorem nobilem & ignobilem egentem} Nos ueterem, & synceriorem, ut putamus, lectionem restituimus is enim nobilem agit, qui cum non sit, uideri uult nobilis. Agere enim aliquem, est personam illam imitari & effingere.

SEBAS. CORR.

ABsolutus} M. Valerius Messala Episto. IIII. huius lib. {Præsente} Al. rei præsente, repræsentante, prehensante. {Omnibus ordinibus} senatorio, equestri, & tribunitio: hoc est, ordine Tribunorum, qui ærarii dicebantur. {Ad dolendum} si condemnatus fuisset. {Relictus} Al. relicta. {Lege Licinia} Al. legi Liciniæ. lex erat Licinia de ciuibus regundis, quam Crassus orator tulit, in qua de iudicibus ædilitiis fiebat mentio: quos hic significari, facile adducor ut credã. {In theatrũ Curionis} Ply. li. XXXVI. cap. XV. {Hortensius} qui pridie pro Messala causam dixerat, & uicerat. {Rudentum} Al. ridentum {Marcelli impetus} de Galliarum successione. {Competitorem} Aedilitatis. {Nobilem} C. Hirrum. {Ignobilem} M. Octauium. nam Octauii quidam noui, & ignobiles habebantur. Sunt tamen, qui legant, ignobilem & nobilem agentẽ. {Propter Hirrum} qui tuus in auguratu competitor fuit. {L. Castrinio Pæto} Episto. XIII. lib. XIII.

BERN. RVT.

ME reprehensante pronunciatum est} Alii habent, me repræsentante. in manuscripto meo exemplari cum esset scriptũ me præsente, ita exterius correctum erat, ut (Me repræsentante) legi debere doceretur. Mihi tamen, si diuinare licet, commodissime scribi uidetur, me præsente: uel, rem spectante: uel, me rem inspectante. {Et me iam ad dolendum præparassem} Aduersatur dolendi hoc loco significatio gratulandi significationi, non gaudendi, ut putauit interpres. {Sed tot bene, ut in totam uitam quamuis, sa

tis esset} Vide, ita recte. Sed hoc tam bene, ut in totam uitam quoiuis satis esset. Fere est autē ut reat, Cælium semper scripsisse quoius quoiuis, non cuius non cuiuis: unde mendæ plures. {Ego incidi in competitorem nobilem, & ignobilem egentem} Nobilē egentem, quod in aliis est, non inuenuste dictō, quasi inter egentes egentissimum. Hic est, ni fallor, de quo ad Trebatium scribens lib. VII. Cn. Octauius, inquit, quidam summo genere natus, terræ filius. Nobilem competitorem dicit Hirrum, quia non dubitasset in auguratu Ciceronis se competitorem agere, ut in sequentibus literis apparebit. Ideo & hic additum: Hoc iden scripsi, quod scio te acriter propter Hirrum omnium nostrorum comitiorum expectaturum.

Ang. Politianus Miscell. cap. XXV.

IN epistolis familiaribus Ciceronis præposterus, & peruersus lectionis est ordo, qui mihi nunc loco restituendus, quasiq; instaurandus. Quare adhibe quæso animum, quicunq; liberaleis has literas amplecteris. Igitur in libro octauo Cælii epistola ad Ciceronem sic incipit: Certe, inquam, absolutus est, me repræsentante pronunciatum est, & quidē omnibus ordinibus, sed & singulis in unoquoq; genere sententiis. Vide modo, inquis. Hucusq; ordo nondum interpellatus. Quæ autem statim sequuntur uerba, literis ostenderis &c. diuersa prorsus a superioribus, atq; alterius epistolæ inueniās. Perge porro ab ea ipsa epistola deinceps numeratas sequentes, ad eam quæ sit quarta & uigesima, cuius ita principium: Non me Hercules, nihil unquam enim. quæ cum superiore continuator: ut legas ita. Certe, inquam, absolutus est, me repræsentante pronunciatum est, & quidem omnibus ordinibus, sed in singulis in unoquoq; genere sententiis. Vide modo, inquis. Non me Hercules. Nihil unquam enim. Atq; ita reliqua subtexe, donec ab ipsa (quam diximus alterius esse epistolæ) perueneris ad sequētem decimam, cuius hoc initium: Sic tu inquis Hirrium? quā eo usq; lege, dum in uerba hæc incidas, Si ullam spem, quæ simul offenderis, totū hoc delebis. Aut in tecto uitii, cætera mihi probabuntur. Totum hoc inquam delebis, aut induces, quoniam aliena plane huic loco. Mox denuo recurres ad ea, quæ posita perperam sunt, in illa Cælii, de qua primitus dictum, atq; ita continuabis lectionem: Si ullam spem his literis ostenderis. ita tractam legens, ad epistolā peruenies tertiam ab hac & uigesimam, sic uidelicet incipientem: Duabus tuis epistolis respondebo: clausamq; hac fini, Si enim nihil est in parietibus, aut in tecto uitii, cætera mihi probabuntur. Post eam, quæ statim consequi debet epistola, quæ nunc ab illa undecima, sic ordines: Delectarūt me tuæ literæ. Comprobat hunc ordinem quem posuimus, non solū codex utterq;, uel ille antiquus, uel hic ex eo statim natus, a quo cæteros quoq; omneis Bibliopolæ uitio deprauatos liquet, sed intellectus etiam, sensusq; ipse luce clarior, sic ut acutius inspicienti, quicquid usquam prorsus obscuri est, ambiguiq; tollatur.

JOAN. RIVI. Libro octauo, episto. II. Cælii ad Ciceronem. {Hic tibi strepitus fremitus, clamor, tonitruum, & rudentum sibilus.} In codice manuscripto est. {Et rudentum similis sibilus} quæ una demum uera lectio. Perperam etiam Heruagius, Ridentium: contra ac cæteri fere omnes. Est autem hic locus (ni fallor) ex ueteri aliquo poeta sumptus. nam integer trochaicus est. Strepitus, fremitus, clamor, tonitruum, & rudentum sibilus: quo trochaico Cælius magna cū gratia abutens, de suo addit & affert. {Similis} quod res poscere uidebantur, quo commodius clariusq; rem ostenderet.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Ex stipulatione scribit Cælius, se diligentibus scribere: & nunciat, quæ interea gesta sunt. Postremo hortatur ad mutuum officium scribendarum literarum.

M. CÆLIVS M. CICERONI S. D. 3

EST ne? uici, & tibi sæpe, quod negaras discedens curaturum, literas mitto? est, siquidem perferuntur, quas do. atque hoc eo diligentius facito, quòd, cum ociosus sum, planè ubi delectem ociolum meum non habeo. tu cum Romæ eras, hoc mihi certum, ac iucundissimum uacanti negocium erat, tecum id ocij tempus consumere: idq; non mediocriter desidero: ut non modo mihi solus esse, sed Romæ, te profecto, solitudo uideatur facta: & qui (quæ mea negligentia est) multos sæpe dies ad te, cum hic eras non accedebam, nunc, quotidie non esse te, ad quem cursitem, discrucior. maxime uero, ut te dies, noctesq; quæram, competitor Hirrus curat. quomodo illum putas Auguratus tuum competitorem dolere? & dissimulare me certiorem, quàm se, candidatum? de quo ut, quem optas, quamprimum nuncium accipias, tua me dius fidius magis, quàm mea causa cupio: nam me, * si fio, forsitan cum locupletiore referam: sed hoc usque eo suaue est, quòd, si acciderit, tota uita risus nobis deesse non poterit. sed tanti? sed est mehercule, nec multum M. Octauius eorum odia, qui Hirrum premunt, quæ permulta sunt, subleuat. Quod ad Philotimi liberti officium, & bona Milonis attinet: dedimus operam, ut & Philotimus quam honestissime Miloni absenti, eiusq; necessarijs satisfaceret: & secundum eius fidem, et sedulitatem æstimatio tua conseruaretur. Illud nunc à te peto, si eris (ut spero) ociosus aliquod ad nos, ut intelligamus nos tibi curæ esse, σύνταγμα conscribas. qui tibi istuc, inquis, in mentem uenit homini non * inepto? aliquod ex tam multis tuis monimentis extare, quod nostræ amicitiæ memoriam posteris quoque prodat, uelim. cuiusmodi, puto quæris. tu aptius, qui omnem nosti disciplinam, quod maxime conueniat, excogitabis, genere tamen, quod & ad nos pertineat, & * διδασκαλίαν quandam, ut uersetur inter manus, habeat. Vale.

*a.l. si fio, si forsitan.

*a.l. inepto? aliquid.

*i. disciplinam.

ASCENSIVS. EST ne? Cælius gestit, & pene exultat ex uoto suo, ut constituerat, uenisse, & uicisse. Cice. enim abiens dixerat, & quasi sponsionem fecerat & deposuerat nonnihil, Cælium ad se absentem non daturum literas, quod cū Cælius curasset faciendum, se uicisse gestit, & causam affert cur diligentius scribat, uidelicet quod aliud non habeat, quo ociū suum oblectet. Nam cum Cic. Romæ esset, interdum negligebat uti eius consuetudine, qua nunc uti uellet: demum nonnihil de competitore Hirro locutus, monet, Cice. ut ad se scribat. Ordo est. Est ne? id est euenit ne ut dixeram, hoc est scribo ne ad te? quasi dicat planissime, unde addit uici, & pro id est mitto literas tibi, quod tu discedens negaras, supple me curaturum, respondet autem ipse ad interrogatum illud. est ne? dicens. Est id est euenit, ut dixeram, quidem. i. certe, si supple literæ quas do. i. mitto ad te, perferuntur. Atq; facio hoc, id est curo ad te literas dandas, eo, id est propterea libentius, quia cum, id est quando, sum ociosus, non habeo plane, id est omnino, ubi delectem, id est cum delectatione transigam ocium meum. Cum, id est quando, tu erat Romæ, hoc negocium erat mihi uacanti scilicet a cæteris negociis, certum, ac iucundissimum, uidelicet consumere tecum id tempus ocii, id est uacationis a publico præsertim negocio & desidero non mediocriter, immo uehementer, id uidelicet consumere ocium tecum ita supple ut non modo, id est non solum, supple uidear mihi esse solus, sed solitudo uideatur esse facta Romæ, te profecto, id est postquam tu es profectus, & discessisti, Romæ quasi dicat quia tecum non sum, solus mihi esse uideor, & est adamanter dictum. Et qui, quæ negligentia mea est, nō accedebam ad te, sæpe multos dies, id est per spacium multorum dierum, cum esses hic, id est ubi nunc sum, hoc est Romæ, discrucior, id est uariis tormentis animi & quasi cruciatibus quibusdā torqueor, nunc quotidie, te non esse scilicet Romæ, id est non adesse, ad quem cursitem id est frequenter curram. Id autem frequenter usu uenit, ut dum copiam rerum habemus, eas contemnamus, quas eis carentes desideramus postea. Vero, id est sed, Hirrus competitor, scilicet ædilitatis mecum, curat, id est efficit etiam, si non curet, maxime, id est præcipue, ut quæram te dies & noctes. Quomodo putas illum, id est temerarium & insanum competitorem tuum Auguratus, id est qui ausus est tecum petere Auguratum, uidelicet Hirrum, dolere, & dissimulare? quasi dicat egerrime, licet plurimum conetur, me candidatum, id est designatum futurum ædilitatis competitorem, accepto candido habitu, quem accipiebat præcipue duabus de causis, altera ut candido animo, & e Rep. petere indicarent; altera ut non ex meritis suis, quæ in uestibus in signibus conspici poterāt, sed ex merito populi dono sperare profiterentur. De quo scilicet Hirro, ut accipias nuncium supple eum, id est talem. quem, id est qualē, optas, hoc est eum esse a me uictum, ego cupio medius fidius magis tua causa, quam mea quasi dicat scio te magis gauisurum, quam meipsum. Nā, affert causam dicti superioris, quæ sane obscura est dicens, si forsitan fio scilicet ædilis. mea scilicet quantum ex ea re utilitatis capiā ego feram scilicet utilitatem cum te locupletiore: id est abundantiore utilitate: aut si referam, una est dictio sic. referam, id est recensebo & commemorabo forsitan cum locupletiore, id est tecum, qui plus commodi ex ea re capies, quam ego, eo quod ultus fueris etiam inimicum tuum in petitione auguratus. Sed hoc scilicet uicisse Hirrū est suaue, id est delectabile, usq; eo, id est ualde, quod si acciderit, risus, id est occasio ridendi, non poterit deesse nobis tota uita. i. per totam uitam. Alii legunt possit, & quod sic usq; eo. i. in tantū, quod

si acciderit

si acciderit scilicet Hirrum uinci, risus non posset deesse nobis tota uita, sed tanti supple fuerit risus, idest tanti momenti, ut semper ridere uelimus. Sed mehercule, M. Octauius, qui etiam competitor erat, & ita odio habendus, tamen non multum subleuat, idest imminuit odia eorum, qui premunt, idest opprimunt Hirrum, quæ scilicet odia sunt permulta, & tamen minus solet esse odium in aliquem si socium habuerit culpæ, quam si solus peccauerit, parcitur enim sæpe multitudini. Quod attinet ad officium, idest debitum obsequium, Philotimi liberti scilicet tui, & ad bona Milonis: scilicet amici tui, quos contra Clodium defenderat Cice nos dedimus operam, idest curauimus, ut & idest simul, Philotimus satisfaceret, quã honestissime, idest decentissime, Miloni absenti & necessariis eius, & idest simul existimatio tua, idest authoritas & reputatio, conseruaretur secundam fidem, idest fidelitatem & sedulitatem eius scilicet Philotimi, hoc est, ut fides quidem eius sedulitas agnosceretur, sed tamen totom officium tibi acceptum ferretur. Ego pero nunc illud a te, si eris, ut spero ociosus, ut scribas ad nos aliquod syntagma, idest aliquam ordinationem rerum, & aliquod opus præceptorium, ut intelligamus nos esse tibi curæ. Inquis scilicet scio quod modo dicis, qui, idest quomodo, istuc, idest ista res, ut istud petas uenit in mentem tibi homini non inepto. Respondet Cælius, uenit supple in mentem aliquid ex tam multis monumentis tuis scilicet literariis, hoc est scriptis tuis, extare, idest ut aliquid extet, quod p dat, idest manifestet, quoq; idest etiam posteris, idest post nos uenturis hominibus, memoriam amicitiæ nostræ. Puto supple quod tu nunc quæris, cuiusmodi uelim supple scriptum, aut syntagma. Responsio, tu qui nosti omnem disciplinam, excogitabis aptius supple id, quod conuenit maxime supple nobis, tamẽ supple id habeat genere, idest in generali, aut sit in eo genere scribendi, ut habeat supple illud autem aliquid, quod & idest simul pertineat ad nos: & id est simul: habeat quandam didascaliam, idest doctrinam, ut uersetur inter manus, idest sit nobis tanquam enchiridion. Nam libri in quibus bonæ doctrinæ continentur debent nobis assidui esse in manibus. Sane διδάσκω didasco, dicitur doceo διδάσκαλος magister doctor, hypodidascalus magister, hoc est sub alio docens. Didascalia doctrina διδασκαλικὸς didascalicus præceptorius, doctrinalis, didascalice liber doctrinam tradens &c.

SEBAS. CORR.

NAm me} Al. nam mea scilicet bona. {Locupletiore} quem uincere magnificentia non potero, & ob id nullam consequi gloriam. {Referam} in tabulas, uel quasi conferam. {Subleuat} quod ignobilis sit, cui propterea Hirrus præponi deberet: sed id odio in Hirrum non minuit. {Liberti} tui. {Miloni absenti} Massiliæ exulanti. {Satisfaceret} in eius bonis, in quibus Philotimus ipse est, tuo & C Duronii consilio, ut ea facilius conseruentur. {Secundum eius fidem} quam tibi dederat se, inuito Milone, in eius bonis non fore {Aestimatio} Al. existimatio, quæ agebatur, si Philotimus in his bonis, inuito Milone, perseuerasset: cum præsertim id Milo quæreretur {σύνταγμα} opus, siue librum studiose digestum. {διδασκαλίαν} disciplinam.

BERN. RVT.

QVomodo illum putas auguratus tuum competitorem dolere, & dissimulare, me certiorem, quam se candidatum} Nugatur interpres, si dixisse Hirrum Ciceroni se auguratus cõpetitorem, cum uere fuerit. Cælius nõ multo post. Pudeat te ausum illum unquam esse, incedere tanquam tuum competitorem. Cicero: Tum quod is, qui erat iratus competitor tuus, & idem meus, assensus est ei, qui ornauit res nostras diuinis laudibus Cætera significat, Cælium omnium opinione futurum ædilem potius quam Hirrum, ab ipso Hirro egregie dissimulari. quod haud scio, an interpres perceperit. Hoc enim est certus, competitor, certus candidatus. Cicero ad Atticum: De iis, qui nunc petunt, Cæsar certus putatur. Et: Catilina, si iudicatum erit, meridie non lucere, certus erit competitor. tametsi hic certus sit, non qui pro certo designandus sit, sed sine dubio petiturus. Et ad Q. Fratrem: Eumq; quod certum consulem cum Domitio numeraris, nihil a nostra opinione dissentis {Nam mea, si fio, forsitan cum locupletiore referam} Lego. Nam me si fio forsitan non locupletior referam, Vel, Non locupletiorem me referam. Venuste quasi dicat dubio, procul pecuniario mihi damno erit ædilitas, propter s. ludorũ impendia. {M. Octauius eorũ odia, qui Hirrum premunt, quæ permulta sunt, subleuat} quo. s. indignior multo omnibus uidebatur ædilitate, quam Hirrus. tametsi ne hic quidẽ ualde idoneus ei magistratui haberetur. quod non arbitror assecutum interpretem. {Dedimus operam, ut & Philotimus, quam honestissime Miloni absenti, eiusq; necessariis satisfaceret} Milo hoc tempore in exilium actus erat, propter Clodii cædem, frustra a Cicerone elegantissima oratione defensus. Cicero ad Atticum de hoc, puto, Milonis negocio. Romæ acceperam literas, Milonem meum queri per literas iniuriam meam, quod Philotimus socius esset in bonis suis. Id ego ita fieri uolui de C. Duronii sententia, quem & amicissimum Miloni perspexeram, & talem uirum, qualem tu iudicas, cognoram. Eius autem consilium, meumq; hoc fuerit primum, ut in potestate nostra esset res, ne illum malus emptor alienis mancipiis, quæ permulta secum habet, spoliaret. deinde, ut Faustæ, cui cautum ille esse uoluisset, ratum esset. Erat etiã illud, ut ipsi nos, siquid seruari posset, quam facillime seruaremus. Nunc totam perspicias uelim. nobis enim scribuntur sæpe maiora. Sed ille quæritur, si scribit ad amicos, si idem Fausta uult. Philotimus, ut ego ei coram dixeram, mihiq; ille receperat, ne sit inuito Milone in bonis, nihil nobis fuerat tanti. Sin hæc leuiora, tu iudicabis. Loquere cum Duronio.

NIC. SCAELs.

ESne? Vici?} Hæc epistola, quæ quotidianis in libris legitur in epistolarum familiarium Ciceronis lib. VIII. in antiquiori meo hanc legi esse non octaui libri, sed XV. omni, qd' mirum uideri debet, cur tanta uarietas. Sed alii iudicent, quo in libro sit perlegenda.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Nunciationis perfectum exemplum, dum ea exponit, quæ Romæ geruntur. Item de Pompeio Cæsarisq; rebus certiorem facit Ciceronem postremo, & ipse uicissim certior fieri cupit de Ptolemæi morte, rebusq; Aegyptiis.

M. CÆLIVS M. CICERONI S. D. 4

INuideo tibi: tam multa quotidie, quæ mirere, istoc perferuntur: primum illud, absolutum Messalam, deinde eundem condemnatum. C. Marcellum Coss. factum: M. Claudium à repulsa postulatum à Gallis duobus: P. Dolabellam Quindecimuirum factum. hoc tibi non inuideo, caruisse te pulcherrimo spectaculo, & Lentuli Cruris repulsi uultum non uidisse. at qua spe qui certa opinione descenderat? quàm ipso diffidente Dolabella? & hercules, nisi nostri equites acutius uidissent, penè concedente aduersario superasset. illud te non arbitror miratum, Seruium Tribu. pleb. des. condemnatum: cuius locum C. Curio petiit. sanè quàm multis incutit, qui eum, facilitatemq; eius non norunt, magnum metum. sed (ut spero) & uolo, & ut se fert ipse bonos & senatum malet. totus, ut nunc est, hic scaturit. huius autem uoluntatis initium, & causa est, quòd eum non mediocriter Cæsar, qui solet infimorum hominum amicitias sibi qualibet impensa adiungere, ualde contempsit. qua in re mihi uidetur illud perquam uenuste cecidisse, quòd à reliquis quoque usque eò est animaduersum: ut Curio, qui nihil consilio facit, ratione, & insidiis usus uideretur in euitandis eorum consiliis, qui se intenderant aduersarios in eius Tribunatum: Lælios & Antonios, & id genus ualenteis dico. Has ego tibi literas eo maiore misi interuallo, quòd comitiorum dilationes occupatiorem me habebant, & expectare in dies exitum cogebant, ut confectis omnibus te facerem certiorem. ad Calen. Sex. usque expectaui. prætoriis moræ quædam inciderunt. mea porrò quem euentum sint habitura nescio: opinionem quidem, quod ad Hirrum attinet, incredibilem Ædilium pleb. comitiis nacta sunt: nam M. Cælium Vicinianum mentio illa fatua, quam deriseramus olim, & promulgatio de Dictatore subito deiecit, & deiectum magno clamore insecuta est. inde Hirrum cuncti iam, non faciendum, flagitare: spero te celeriter & de nobis, quod sperasti, & de illo quod uix sperare ausus es, auditurum. De Repub. iam non quicquam expectare desieramus. sed cum senatus habitus esset ad Apollinis ad XI. Cal. Sex. & referretur de stipendio Cn. Pompeii mentio facta est de legione ea, quam expensam tulit C. Cæsari Pompeius, quo numero esset, quo appeteretur, cum ex Gallia coactus esset dicere Pompeius se legionem abducturum, sed non statim sub mentionem, & conuicium obtrectatorum. inde interrogatus de successione C. Cæsaris de qua, hoc est de prouinciis, placitum est, ut cum primum ad urbem reuerteretur Cn. Pompeius, coram eo de successione prouinciarum ageretur: nam Ariminum ad exercitum Pompeius erat iturus, & statim iit. puto Idib. Sext. de ea re factum iri. profecto aut transigetur aliquid, aut turpiter intercedetur: nam in disputando coniecit illam uocẽ Cn. Pompeius, omneis oportere senatui dicto audienteis esse. ego tamen sic nihil expecto, quomodo Paulum Coss. des. primum sententiam

dicentem. Sæpius te admoneo de syngrapha Sittiana: cupio enim te intelligere, eam rem ad me ualde pertinere. item de pantheris, ut Cybiratas accersas curesq; mihi ut uehantur, præterea nunciatum nobis, & pro certo iam habetur, regem Alexandrinum mortuum. quid mihi suadeas, quomodo regnum illud sese habeat, quis procuret, diligenter mihi perscribas. Cal. Sext. Vale.

ASCENSIVS.

INuideo &c. Scripserat Cice. multa ad se afferri, quæ facta erant in urbe, quapropter nunc scribit Cælius se inuidere Cice. quod tanta ad eum deferrentur, narratq; multa quæ Romæ aut agebantur, aut iam acta erant, & nonnihil de rebus Cæsar & Pomp. Et postremo petit a Cicerone ut Pantheras e prouincia sibi mittat, & se certiorem faciat, quid Aegyptii post mortem Ptolemæi regia agant. Ordo est: Inuideo tibi, hoc est puto te nimis fortunatum, quod multa quæ mireris (sunt qui legunt miter) perferuntur quotidie istoc pro istuc .i. in Ciliciam, ubi tu es. Primum illud supple perfertur aut per latū est, Messalam absolutum, s. in iudicio, deinde eundem condemnatum, Caium Mar. factum supple esse, cōsulem, M. Claudiū seu Clodium, postulatum .i. in ius uocatum, a duobus Gallis. s. cognomēto, a repulsa: idest post repulsam. Dolabellam factum quin decemuirū: idest unum in magistratum quindecimuirorum, ut erant, quibus libri Sibyllini curæ erant. Ego non inuideo tibi hoc: idest in ea re fuisti minus felix, quia felicibus inuidemus & non miseris, te caruisse spectaculo pulcherrimo, & non uidisse uultum Lent. Suræ repulsi: scilicet a quindecimuiratu. At .i. attamen, qua .i. o quali spe, quam: idest o quantum, certa opinione, descenderat supple ipse in campū Martium, locum Comitiorum & disceptationis cum Dolabella? quasi dicat cum euidentissima spe, & certissima opinione uictoriæ quam: idest quantum, ipso Dolabella diffidente? quasi dicat plurimum. Et hercule nisi nostri .i. amici, uidissent qua .i. aliqua. s. parte, acutius, Lentulus supple superasset, pene: idest quasi, aduersario. s. Dolabella, concedente: idest locum dante. Ego arbitror te non miratum illud. Ergo in principio legendum est mireris non miter, uidelicet Seruium designatum: idest declaratum a populo tribunum, condemnatum. s. a Cæs. ut uerisimile est. Cuius Seruii condemnati locum Caius Curio petit. Et supple Curio, qui orator fuit, & Cæsari primum aduersarius, deinde sic amicus. præsertim pecunia corruptus, ut pro eo occisus sit, incutit sane quam multis: idest ualde multis quam superlatiuo construi uult, sed præcedentibus oppido, sane, per, positiuo. qui non norunt, idest nouerunt, eum, & facilitatē scilicet ad ueniam dandam: idest benignitatem eius, magnum metum. Sed ut spero, & uolo, & ut: idest simul, ipse: scilicet Curio fert: idest gerit se, bono: idest in bono, aut ad bonum, & sup. senatus totus mallet. hoc scaturit: idest pullulat, in aures omnium, & diuulgatur, ut nunc est. Huber. legit bonos quomodo non est legendum se, sed ut ipse fert bonos, utcūq; legatur obscura est locutio, sensus autem uidetur. Licet multi metuerint tribunatum Curionis, tamen sicut præfert & senatus mallet eum esse, ita fama diuulgatur ipsum fore. Autem: idest sed, initium & causa uoluntatis huius: scilicet nouæ a Curione acceptæ est quod Cæsar, qui solet adiungere ualde sibi qualibet: idest quantalibet impensa, amicitias hominum infimorum: idest minus potentium, contempsit eum: scilicet Curionē non mediocriter, idest uehementer. Qua in re .i. in qua re iam dicta illud uidetur mihi cecidisse .i. accidisse, perquam .i. ualde uenuste .i. pulchre, quod animaduersum .i. consideratum est, quoq; .i. etiam eo usq; .i. consummate a reliquis. s. ciuibus, ut Curio, qui nihil facit consilio. s. aliorum, uideretur usus ratione .i. consideratione propria, & insidiis. s. aliorum, hoc est conuertisse insidias aliorum in utilitatem suam, nam cum senserit sibi insidias tendi, attentior factus est in euitandis consiliis eorum, qui intenderant sc. i. acriter exhibuerant aduersarios in tribunatum eius. s. Curionis, dico Lælios & Antonios, & ualentes. s. uiros, id genus .i. eius generis, hoc est nobiles & egregios. Ego misi tibi has literas maiore interuallo .i. dilatione post. rē gestam, eo .i. propterea, quod dilationes comitiorum .i. temporū, quibus noui eligerentur magistratus quasi dicat electionum habebant me occupationem. s. in solicitandis rebus meis, quos Galli brigas uocant, & cogebant me expectare exitum. s. comitiorum .i. declarationem eorum, qui electi essent, ut omnibus confectis, idest plene factis & electis, ego facerem te certiorem. s. de electis. Ego expectaui scilicet exitum rerum usq; ad Calen. Sextileis, idest primum diē Augusti. quædam moræ, idest dilationes, inciderunt prætoriis scilicet comitiis, idest habendis de prætore eligendo. Porro, idest sed nescio quem, idest qualem, euentum, idest exitum fortuitum, cum sit in uoluntate plebis, comitia mea, scilicet ædilitia, in quibus competitor ero, sint habitura. Quidem, idest certe, supple comitia mea nu{~}cta sunt comitiis ad plebem scilicet habitis, antequam electio fieret opinionem incredibilem scilicet difficilem creditu, quod, idest quātum attinet ad Hirrum, quia omnes opinantur eum cum derisione exhibilandum & explodendum. Nam illa fatua mentio, idest commemoratio rei, quam tacuisse melius fuisset, quam nos deriseramus olim, & promulgatio de Dictatore scilicet creando, deiecit scilicet ab spe, & petitione M. Cælium Vicinianum, qui alioqui competitor fuisset, & insecuta, idest prosecuta est magno clamore scilicet populi explodētis deiectum scilicet M. Cælium. Inde, idest deinde, hoc uiso, aut inde, idest ex ea re cuncti flagitare supple cœperunt, aut flagitare, idest flagitabant, Hirrum ad non faciendum, idest ut non faceret: idest non peteret mecum ædilitatem. Spero supple itaq; id te auditurum celeriter, & .i. idest simul de nobis, quod sperasti: scilicet nos ædiles designatos, & de illo scilicet Hirro, quod uix ausus es sperare, uidelicet, aut explosum cum ignominia, aut damnatum. Nos desideramus, aut potius desideramus, iam expectare quicquā noui de Repub. Sed cum senatus habitus esset, ad Apollinis scilicet ædem, idest iuxta undecimum Calen. Sextileis, idest Augusti, & referretur, idest consultaretur de stipendio Cn. Pompeii, mentio facta est de ea legione, scilicet militum, quam Pompeius tulit expensam, idest tanquam esset expensa, Caio Cæsari. quo numero esset scilicet legio illa, quo scilicet numero appeteretur, idest exigeretur esse, aut quo, idest ad quid appeteretur, cum Pompeius coactus est dicere, se abducturum legionem ex Gallia, sed non statim supple coactus est dicere, aut dixit id, sub .i. post mentionem, & conuicium obtrectatorem scilicet Cæsaris, inde, idest deinde, Pompeius interrogatus supple est de successione Cæsaris, idest an Cæsari succederetur, de qua. scilicet successione, hoc est de prouinciis omnibus placitum est scilicet senatui, ut cum primum Cn. Pompeius reuerteretur ad urbem, ageretur coram eo de successione prouinciarū. Nā Pompeius erat iturus Ariminum ad exercitum scilicet Romanum, ut puto illic locatum, ne Cæsar Rubiconem armatus transiret, & puto. S.C. idest senatusCon. factum iri, idest faciendum esse de ea re, Idib. Sex .i. Aug. Profecto, idest reuera, supple tunc, aut aliquid transigetur, aut intercedetur, idest opponetur ab aliquibus, turpiter, id est inhoneste. Nam Cn. Pompeius, coniecit, idest cum aliis uerbis in medium iecit disputando, idest consultando de Repub. illam uocem, oportere omnes, erga etiam Cæsarem, esse audientes, idest obedientes, dicto, idest decreto, & mandato senatus scilicet Romani. Ego tamen nihil expecto sic, idest eo modo, quomodo scilicet expecto Paulum: scilicet Aemylium, designatum, idest declaratū consulem, dicentem primum, idest ut dicunt prima uice, sententiam scilicet suam de re super qua consultabitur. Deinde ad priuata negocia rediens dicit. Ego admoneo te sæpius de syngrapha, idest schedula obligatoria conscripta a duobus, Sittiana: idest per quam Sittius a te pecuniam postulauit, cupio enim te intelligere eam rem. s. ut Sittius pecuniam recipiat, pertinere ualde ad me. Item admoneo te sæpius de pantheris scilicet pro ædilitatis pompa mittendis ut accersas, idest ad te uenire facias, Cybiratas, idest ex Cybira urbe Asiæ australis (authore Strabo. lib. I I I.) & cures, ut scilicet pantheræ uehantur mihi. Præterea nunciatum est nobis, & habetur, idest tenetur iam pro certo, Regem Alexandrinum, idest Ptolæmeum regem Aegypti, cuius regia erat Alexandriæ, mortuum esse, scribas supple igitur mihi diligenter quid suadeas mihi, tentandū propter mortem eius, quomodo regnū illud habeat se scilicet post mortem regis. Quis procuret, scilicet regnum illud, & ita quæsiuit quid sibi suaderet Cicero, an uidelicet eius procurationem sibi deposcat. Quarto Cal. Sext. i. Augusti.

VICTORIVS.

LEntuli Suræ repulsi uultum non uidisse} Sic omnes impressi codices, Antiqui quos uidimus {Cruris} Puto cum Cælius sciret Lentulum istum, qui Catilinæ coniurationis socius supplicio affectus est, Suram esse uocatum: cuius cognominis originem, & causam Plutar. in Ciceronis uita explicat, Lentulum aliū, ut ad huius cognomen alluderet, iocose Crurem appellasse, quem irridere uellet ut omnes eius familiæ ab ea corporis parte cognomē acciperent. sed hæc coniectura est: uox certe illa. {Cruris} cum in antiquis exemplaribus sit, non debuit a nobis relinqui, & negligi de re tam parua, cum alibi nulla mentio fiat, relinquitur unicuique liberum suum iudicium. Quod autem nonnulli. {Spintheris} legunt nouum est, & ut omnes nunc uident, longe ab antiquorū codicum fide. quare melius operam poni credimus in uetere lectione confirmanda. {Senatus dicto audiētes esse} Antiqua exemplaria Senatui dandi casu habent, quemadmodum etiam illum locum in huius item epistola, Verum C. Cæsar senatui dicto audiens futurus nō esset, an pararet, qui senatum decernere non paterentur. M. itē Varro sic loquitur de re rustica, facilius enim his, quam minoribus natu, dicto sunt audientes. Cice. in V I I. Philippica, Scilicet legatos ad eum, misimus, non ut pareret, & dicto audiens esset huic ordini sed ut conditiones ferret.

Ex poste. eiusdem.

NOstri equites} Cuncti antea impressi quoq; codices. {Equites} habebant. Mediceus codex & ipse eo loco perturbatus. {Ratione, & insidiis usos uideretur, in euitandis eorū consiliis} Nulla in re discrepat a uulgata lectione scriptura, quæ in Mediceo est. quare etsi quædam dura sunt, nihil ausim immutare. {Lælios Mediceus itē Lælius} nulla uarietate: nā locus in epistola Metelli, ubi antea. {Lælium} legebatur, nunc. {Lolliū} a nobis ope

Mediceí códicis castigatus est cui siquidem tunc habuimus,quod.
{Lollium}habuit,ubi cæteri omnes.{Lælium}uou possimus nunc
facile eidem non credere,quod.{Lælios}cum omnibus aliis, & im
presis,& manuscriptis habet nam coniectura illa leuis est,q. {Lol-
lios}legendum sit,quia illi Cæsaris amici in ciuili dissensione fue-
runt:tunc enim Pompeianus erat Curio,& sententias illas in Rep.
defendebat,quæ Cæsari aduersarentur,quod ab omnibus historicis
traditur. Repête autem ille totus mutatus est, quemadmodum etiã
Cælius ostendit,cum inquit C X.Quod tibi supra scripsi, Curionẽ
frigere,iam calet:nam frequentissime concerpitur : leuissime enim
qui de intercalado non obtinuerat,transfugit ad populum , & pro
Cæl.loqui cœpit.

PAVL. MANV.

LEntuli Cruris}Hic est,opinor.L.Lentulus Cruscellus,qui an
no sequenti Coss.fuit cum M.Marcello. puto autem illum
& Cruris,& Cruscelli cognomine indifferentee appellari so-
litum.{Nostri equites}Cum in libro manuscripto legeretur,eq.faci
le in eam opinionem discendi,ut equites,legendum esse eaistima-
rem.nostri autẽ inquit,quod erat ipse ex ordine equestri ut ex ora-
tione,qua eum Cice.defendit,cognitur.{Ratione,& insidiis usus ui
deretur in euitandis eorum consiliis}forte melius.ratione, & consi
lio usus uideretur in euitandis eorum insidiis.{Lælios}Forte Lol-
lios,qui Cæsaris amici fuerunt,quemadmodum Antonu:nam Læ-
lii Pompeiani.qua in opinione magis sum confirmatus , postquã in
episto.I I I.lib.V ubi,Lælium,impressum erat,uetustissimos codi-
ces,Lollium,habere uidi.{Mea porro comitia quem euentum sint
habituram}Sic antea in omnibus impressis,nos uocem,comitia , su
stulimus:quæ subintelligitur,ut etiam cum dixit , Prætoriis moræ
quædam inciderunt.

SEBAS. CORR.

IStuc perferuntur}in Ciliciam.{Absolutum}ambitus. {Coss.fa-
ctum}cum L.Paulo.{M.Claudium}M.Callidium legerem , ex
episto.I X.huius lib.quæ hanc sequi debuit . Et sane M. Calli-
dius cum Q.Gallio inimicitias gessit ut a duobus Gallis M.& Q.
Callidium accusatũ intelligamus,ne plures coniecturas persequar.
{Suræ} Al.Cruris:ut iocetur in Sura,& Crure Cælius.Legitur etiã,
oculis.{Equites}Varie legitur,quæ,qua,æque ac,Tuccius,non acu
tius.{Videtur illud}Curionem se primo Cæsaris amicum ostendis-
se.{Consilio}quo se Cæsaris amicum præ se tulit.ne Lælium & M.
Antonium aduersarios haberet.{Comitiis } in quibus Vicinianus
Aedilis pleb.esse non potuit.{Vicinianum}Al.Vincianum, ut uo-
cat Hirtius.{Mentio illa}in Tribunatu.nã Trib.pleb.authore Dio
ne,prædicabant,necesse esse Pompeium dictatorem dici {Promol-
gatio}odium ex ea promulgatione natum.{Deiecit}ab Aedilitate.
{Flagitare}cum Vicinianus repulsam tulisset,cum quo Hirrius for
tasse senserat.{Quod spetasti}nos Aediles futuros. {Vix spetare}
Hirrum repulsam laturum.{Quo numero}suo,an Cæsaris . uel le-
gionum,quæ a numero appellabantur.Pompeius legionem primã,
quam ad Cæsarem miserat,confectam ex delectu prouinciæ,Cæsa-
ri eam tanquam ex suo numero dederat . {Quo appeteretur , &c.}
Al.quo appareret,eum esse in Gallia coactus est dicere Pompeius.
sic uidetur legendum Cum appareret eam esse in Gallia,coactus est
dicere Pompeius,se,&c.{Paulum}L. Aemylium Paulum.{Dicen-
tem}quippe,qui sileret,iam tum fortasse Cæsari conciliatus {Quid
mihi}Regis,ut suspicari possumus,crediturí.

BERN. RVT.

INuiden tibi,quod multa quotidie,quæ mirer, istuc perferũtur}
Mirere,melius.Fere enim absentibus nouæ res domo allatæ,ma
iori quam ipsis præsentibus admirationi sunt.nam & subiicit.Il
lud te non arbitror miratum.Sed & de Lentuli Suræ uultu idẽ sua
det.{Sed ut spero.& uolo,& ut se fert,ipse bonos senatus mallet to
tus,ut nunc est,hoc scaturit}Alii:Bono, sed senatus Manuscriptũ
exemplar,Hoc statu erit.ut legi ita forte possit:Et,ut se fert ipse bo
nis,& senatus mallet,toto,ut nunc est,hoc statu erit.Vel pro hoc sta
tu,magistratu erit uel Bonos & senatum mallet.totus, ut nunc est,
hoc scaturit.i.undiq; bonum uirum olet,& Cæsaris aduersarium sa
pit.ut interpres quoq; agnouit:ne nihil ei assentiamur. Item supra.
{At qua spe,quæ certa opinione,quam ipso diffidente Dolabella}
Sequor lectionem tametsi non desint,qui Qua,pro de qua s.spe,in
terpretati sint insulsissime.{Qua in re mihi uidetur illud perquã
uenuste cecinisse}Probo,cecidisse.Illud autem significat,tentatã a
Curione Cæsaris amicitiã.hoc enim profuit Curioni aduersus Cæ-
saris fautores,qui se ei alioqui aduersarios obiecissent.De condẽna
to quid nugetur interpres,non intelligo.{Prætoris moræ quædam
inciderunt}Prætoriis,melius,quod plures crearentur:ut consulari
bus,tribunitiis,ædilitiis.{Nam M.Cælium Vicinianum mentio il-
la fatua,quam deriseramus olim,& promulgatio de dictatore,subi-
to deiecit,& deiectum magno clamore insequuta est . inde Hirrum
cuncti non faciendum flagitare}Mentionem illam de dictatore pu
to esse,cuius meminit Plutarchus in Magno, cum tumultuante ci
uitate de Dictatore creando Pompeio inter quosdam agitatum sit,
promulgatumq; etiam a Lucilio tribuno plebis . Ea uerba quia in
epistolas ad Trebatium lib.V I I.retulimus,non est uisum inculca-
re.nam & Cicero plurib.locis ad Atticum,& de inter regno , & de
dictatoris suspicione.Cætera cum alibi ita sint,Hirrum an non fa
ciendum flagitare:nullum tamen habent sensum, tametsi diuinari
ille magis possit,quam pro certo constitui.significat enim , cum is
Cælius repulsam tulisset,ob mentionem illam dictatoris,similia pro
pemodum & de Hirro iactata in uulgus.ideoq; incredibilem opi-
nionem exortam,Cælium hunc nostrum dubio procul Hirro præfe
rendum.{Quid putarit interpres,non uideo . Et statim puto Idi-
bus Sextilis de ea re factum iri}Melius:& statim uerba puto,&c.nã
& in aliis est: Et statim, ut puto . Potest & ita : Et statim S. C. puto
Idib.&c. hoc est,senatusconsultum. Tametsi uideo etiam tertio li-
bro ad Appium,qua de re senatusconsulto,quæ facta sunt,iam rece
ptum.cum habeant tamen alia exemplaria eo loco,senatusconsul-
ta.{Profecto aut transigetur aliquid,aut turpiter intercedetur}Set
uo scripturam,quam tamen respuit interpres,dum tentabundus,in
certus quo eat,mouere tamen uidetur.{Quid mihi suadeas } Nihil
muto,nec Si audeas,ex interpretis sententia admitto.Innuit.autẽ,
collocutos ante uel coram,uel per literas de re ista Alexandrina,
cogitasseq; Cælium eo in prouinciã forte,aut alterius negocii gra-
tia proficisci.Cur enim non auderet de re regia ad ciuem Romanũ

NIC. SCAEls.

Inuideo tibi,quod multa quotidie}Hæc epistola in antiquiori-
bus codicibus legitur epistolarum lib.I X.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Dissuadet Ciceroni,ne confligeret cum Parthis,quod illius copiæ exi-
guæ sint,& nihil subsidij sperandum sit. Deinde excusat se,quod nihil scri
bat,cum non habeat,quod scribat de gestis in urbe. Postremo narrat, quid
Marcellus de prouinciis constituat.

M. CÆLIVS M. CICERONI S. D. 5

*QVa tu cura sis,quod ad pacem pro
uinciæ tuæ, finitimarumq; regio-
num attinet,nescio.ego quidem ue
hementer animi pendeo . * nam si
hoc moderari possemus, ut pro ui-
ribus copiarum tuarum belli quo-
que existeret magnitudo: & quan
tum gloriæ,triumphoq; opus esset
assequeremur, periculosamq; , &
grauem illam dimicationem euitaremus:nihil tam esset optandum
nunc si Parthus mouet aliquid,scio non mediocrem fore contentio
nem.tuus porrò exercitus uix unum saltum tueri potest.hanc au-
tem nemo ducit rationem:sed omnia desiderantur ab eo(tanquam
nihil denegatum sit ei quo minus quam paratissimus esset)qui pu-
blico negocio præpositus est.accedit huc,quòd successionem futu
ram propter Galliarum controuersiam non uideo . tametsi hac de
re puto te constitutum,quid facturus esses,habere:tamen, quo ma
turius constitueres,cum hunc euentum prouidebam,uisum est , ut
te facerem certiorem:nosti enim hæc tralatitia:de Gallis consti-
tuetur:erit,qui intercedat:deinde alius exisset,qui , nisi libere li-
ceat de omnibus prouincijs decernere senatui,reliquas impediat:
sic multum,ac diu ludetur,atque ita diu,ut plus biennium in his tri
cis moretur.Si quid noui de Repub.quod tibi scriberem,haberem,
usus essem mea consuetudine,ut diligenter , & quid actum esset,
& quid ex eo futurum sperarem,perscriberem. sanè tanquam in
quodam silice iam omnia adhæserunt. Marcellus idem illud de pro
uinciis urget:sed neque adhuc frequentem senatum efficere potuit
quòd si hoc anno præterito,Curio Trib.& eadem actio de pro-
uinciis introibit,quàm facile tunc sit omnia impedire , & quàm
hoc Cæsari,& iis,qui suam causam,non Reipub.curent, superet,
non te fallit. Vale.*

*al. Nam si hoc mõ.

ASCENSIVS.

QVa tu cura &c.Cum dubitaretur de bello Parthico,scri
bit Cælius se uehementer de eo esse solicitum, monetq;
Ciceronem,dimicare tam paruis copiis fretus caueat.
Ordo est.Nescio qua cura tu sis.i.quam curam habeas,
quod,idest quantum attinet ad pacem prouinciæ tuæ:
scilicet Ciliciæ , & regionum finitimarum , ut Antiochiæ , Ae-
gypti, & cætera.Ego quidem pendeo animi,supple cura , sicut di-
scrucior animi apud Comicum uehementer . Nam si possemus
moderari hoc more , idest hoc modo , aut hoc , idest hanc rem,
mora , idest dilatione , & magnitudo belli existeret pro uiribus

i.I.secundum uires copiarum tuarum,& supple non amplius,& asse queremur sup.tantum quantum opus esset gloriæ,& triumpho.i.ad impetrationem gloriæ,& triumphi.Nihil esset optandum tam.i.tá topere.Nunc.s.ubi tibi tam paruæ sunt copiæ, si Parthus.i.populus Parthicus monet aliquid.s.belli,scio contentionem.i.concertationem,fore.i.futuram,non mediocrem.i.uehementem.Porro,idest sed,tuus exercitus uix potest tueri,idest defendere a transitu Parthorum,unum saltum,idest locum syluosum,& spaciosum,ubi feræ & pecora saliant.Autem idest sed,nemo scilicet senatorum,aut Popu.Roma ducit hanc rationem,idest habet hanc considerationem de paucitate exercitus tui,sed omnia desiderantur, idest expetuntur ab eo,qui præpositus esset negocio publico hoc est ab imperatore in prouincia agente quasi dicat a te,tanquam nihil sit denegatú ei,quo minus,idest ut non esset quam paratissimus:idest ualde paratus ad omnem casum,& ad omnem uim hostilem repellendam. Accedit,idest additur,huc idest ad hanc difficultatem prouinciæ, quam obiuisti,quod non uideo successionem futuram scilicet tibi, propter controuersiam,idest dissensionem Galliarum , quas Cæsar amplius regere uolebat,uetante id Pompeio cum bona parte senatus,tametsi ego puto constitutum , idest decretum a te de hac re, quid facturus esses,idest an tibi succedi uelis necne , tamen uisum est.s.operæ precium,ut facerem te certiorem,quo idest ideo,ut constitueres maturius:idest citius,sed cum maturitate:cum prouidebam idest prospiciebam futurum,hunc euentum,idest exitum certú Gallicarum.Tu enim nosti hæc translatitia,idest de una re ad aliá accommodatitia.Huber.dicit fictitia,quod mihi non placet. Constituetur.s.in senatu de Gallis,ut scilicet successio illic fiat . erit sup. aliquis nomine Cæsaris,qui intercedat,idest obsistat , deinde alius existet,idest emerget,& exorietur,qui impediat reliquas,idest reliquarum prouinciarum successiones,nisi liceat senatui decernere libere de omnibus prouinciis.Sic idest hoc modo,ludetur,idest frustra certabitur,multum,ac diu,atq; ita diu, ut moretur , idest mora fiat in his tricis,idest difficultatibus,& neruis, prouinciarum inextricabilibus plus biennio,idest quam biennium. Si haberem quid idest aliquid,noui de Repub.quod scriberem,idest scribere possem tibi,usus essem consuetudine mea,ut perscriberé diligenter,& quid actum esset,& quid sperarem futurum ea eo.s.quod actum esset . Sane omnia adhæserunt in Cilicia,idest firma manserunt, & inmutata tanquam ui quadam Marcellus urget,idest urgenter procurat illud idem:scilicet quod antea urgebat de prouinciis scilicet successoribus decernendis,sed neq; potuit efficere adhuc senatum frequentem,ut scilicet de ea re senatusconsultum fiat,Hoc.s.factú fuisset,si Curio sup.fuisset tribunus anno præterito,& sup.non isto , & eadem actio de prouinciis introiit.s.in curiam, ut non fallat , idest lateat te quam,idest quantum facile sit nunc impedire,omnia idest omnium prouinciarum successionem,& quam,idest quantum,hoc superet,idest suppeditet Cæsari,qui nó curet Remp.sua causa , idest proprium commodum.

VICTORIVS.

SAne tanquam ui quadam In Cilicia omnia adhæserunt} Nos hunc locum ualde corruptum inuenimus in antiquis exemplaribus:uulgati etiam codices diuersas inter se,& parum firmas lectiones habent:eam igitur sumus secuti , quam probabilioré duximus,etsi nulli satis confidimus.cú tamen necesse esset uná aliquam ex illis omnino capere(nec enim meliorem ipsi, aut inuenimus,aut excogitauimus)deprauatam(nisi fallor)elegimus.Sic autem habent antiquiores codices.{Sane tanquam in quodam in Cilicia omnia adhæserunt}Quæ profecto uerba non parum peruersa, & inquinata sunt.Nos ea hic posuimus,ut omnes hunc locum suspectum habeant,& ut ingeniosiores uideant attente,possint ne meliorem ex his uestigiis lectionem elicere,aut comminisci.

Ex poste. eiusdem.

NAm si hoc more moderari possemus}Ita olim in omnibus impressis necnon etiam manuscriptis codicibus legebatur ipse coniectura ductus emédaui,si hoc moderari possemus superuacuamq; existimaui totam uocem.{More}& ex primis syllabis consequentis dictionis negligentia librarii conflatam,quemadmodum antea arbitratus sum in uetere illa scriptura. {In animo magistratu}a librario peccatum esse,&{Inani magistratu}legi oportere.Nonnulla sunt huiuscemodi menda in priscis exemplaribus, quæ inde in libro excuso fluxerant eorú autem partim sublata sunt, partim adhuc manent.In Mediceo sic locus ille legitur in epistola ad Cornificium,Primum in spem libem libertatis ingressus sum.Id tamé erratum facile cognitum.{Quodam silice iam omnia} Quid de hoc loco sentiremus,olim planum fecimus,& quam ad illú restituendum opem dare potuimus,tunc præbuimus. Non possumus in tantis angustiis temporis tantisq; tenebris aliquid lucis uidere , qđ de eo etiam loco dicimus,qui hunc sequitur:ille enim quoque , ut olim docuimus,non minoribus maculis inquinatus est.

PAVL. MANV.

QVodam Silice iam omnia}Codex uetustus Ioannis Scalæ sic habet, quodam omnia in Sicilia . Bernardini Maffei, Quodam uisti licra omnia Qui est in Medicea Bibliotheca,Quodam in Cilicia omnia.uulgata lectio non est in libris manuscriptis . Videndum an ita legi possit , Quodam incili. iam omnia.

SEBAS. CORR.

HOc More} Alii legunt,hoc modo.{Anno præterito}fuisset {Curio Trib.pleb }designatus.

BERN. RVTI.

ET quantum gloriæ,triumphoq; opus esset}Quæ, uacare uidetur.{Sed omnia desiderátne ab eo}Eo,pertinet illuc, Qui publico negocio præpositus sit i.imperatore,aut proconsule. Cætera per interpositionem legenda.non autem exercitum significat.{Nosti enim hæc translatitia}Non,ut interpres ficta sed usitata iam.& fere solemnia ut cum dicimus translatitium edictum.i.ab omnibus edici solitum.{Deinde alius existet,qui,nisi libere liceat de omnibus prouinciis decernere senatui,reliquas impediat}Reliquas,Gallias præcipue continet,contra quá putauit interpres.Hoc enim dicit:Si de successione Galliarum referetur,alius tribunus aperte intercedet,nec quicquam constitui patietur:alius, simulata causa æquitatis,ita constitui de Gallis sinet,si de aliis quoq; prouinciis successionibusq; decernatur,de Gallis solis nequaquá agi uelit,atq; ita propter Gallicam omnes successiones impediat.Erat hæc maxima controuersia,quod ita succedi Cæsari uidebantur passuri fautores eius,si Pompeius quoq; exercitum prouinciamq; dimitteret.Plutarchus author in Pompeio,Cæsare,Catone, Cicerone, Appianusq;,& alii rerum eius temporis scriptores.{Hoc sic præterito anno Curio tribunus & eadem actio de prouinciis introiuit, ut quam facile nunc sit omnia impedire,&c }Corruptus locus,neque ab interprete(ut pleriq; alii) perceptus,expositusve . Ego ita legerim. Hoc si præterito anno Curio tribunus , & eadem actio de prouinciis,introierit,quam facile tunc sit omnia impedire,&c Neque enim præterito anno Curio,aut tribunus fuerat,aut uerbum de istis prouinciis fecerat,qui ne Romæ quidem forte fuerit.aut si fuerit,nullum certe magistratum gesserit Est igitur sensus:Si præterito hoc anno,qui nunc est,Curio tribunus designatus , qui se totum contra Cæsarem parat,nec quicquam agi præter Gallicam successionem passurus uidetur,tribunatum ingressus fuerit (erat enim iá designatus)& idem fuerit de prouinciis agitatum,te nó fallit, quá facile tunc omnia possint impediri,& in omnibus Cilicia tua successio,quamq; id Cæsari,qui præ suo commodo perire imperiú sitorus sit,quiq; egregios sibi pararit intercessores,utile sit futurum. Pro superet,qui Suppetat legat,optime puto consulerit isti loco. Ego ita quidem lenbo,quanuis aliter & Aldinis,& Mediolanensibus exemplaribus esse non ignorem.Item supra : Sane tanquam ui quadam silice iam omnia adhæserunt Probabilior Mediolanensis lectio: Sane tanquam ui quadam in Cilicia omnia adhæserunt.

Ex poste. eiusdem.

DEinde alius existet,qui,nisi libere liceat de omnibus prouinciis,decernere senatui reliquas impediat} A nobis est Cicero ad Atticum.Sed est totum,inquit,quid Cal. Martii futurum sit.Vereor enim,ne,cum de prouincia agetur, si Cæsar resistet,nos retineamur.

PHIL. MELL.

QVæ tu cura sis}Exordium sumptum a cura & sollicitudine. {Accedit huc} Altera pars,de successione prouinciarum. {De Gallis constituetur}μέμψις.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Prior pars epistolæ Appii:suam Ciceroni indicat.& quid in ea ab ipso faciendum sit monet.Posterior uero narrationem habet earum rerum, quæ a Curione in Cæsaris gratiam facta sunt,aliasq; narrationes festiuas post hæc redit ad Appium,& ad pantheras,de quibus multis epistolis agit.

M. CÆLIVS M. CICERONI S. D. 6

NOn dubito quin , perlatum ad te sit Appium à Dolabella reum factum:quàm nó ea,quam existimaueram , inuidia:neque enim stulte Appius, qui simulat q; Dolabella accessit ad tribunal , introierat in urbem, triumphiq; postulationem abiecerat . quo facto retudit sermones:paratiorq; uisus est , quàm sperauerat accusator.is nunc in te maximam spem habet ,scio tibi eum non esse odio . quam uelis eum obligare,in tua manu est: cum quo simultates si tibi non fuißent,liberius tibi de tota re esset: nüc si ad illam summam seueritatem legitimum ius exegeris : cauendú tibi erit,ne parum simpliciter,& candide posuisse inimicitias uidearis . in hanc partem porrò tutum tibi erit ,siquid uolueris. gratificari : nemo enim necesßitudine , & amicitia te deterritum

*territum ab officio dicet: Illud mihi occurrit, quòd inter postulationem, & nominis delationem uxor à Dolabella discesſit. quid mihi discedens mandaris memini. quid ego tibi scripſerim, te non arbitror oblitum. non eſt iam tempus plura narrandi. unum illud monere te poſſum: ſi res tibi non diſplicebit, tamen hoc tempore nihil de tua uoluntate oſtendas, & expectes, quemadmodum exeat ex hac cauſa, ne qua inuidioſum tibi ſit, ſi emanarit. porro ſignificatio ulla ſi interceſſerit, clarius, quàm doceat, aut expediat, fiat. neque ille tacere eam rem poterit, quæ ſuæ ſpei tam opportuna acciderit, quæq; in negocio conficiendo tanto illuſtrior erit: cum præſertim is ſit, qui, ſi pernicioſum ſciret eſſe loqui de hac re, uix tamen ſe contineret. Pompeius dicitur ualde pro Appio laborare, ut etiam putent alterutrum de filijs ad te miſſurum. hic nos omneis abſoluimus. & *hercule confecta, omnia fœda, & inhoneſta ſunt. Conſules autem habemus ſumma diligentia. adhuc S.C. niſi de ferijs Latinis, nullum facere potuerunt. Curioni noſtro Tribunatus conglaciat. ſed dici non poteſt, quomodo hic omnia iaceant. niſi ego cum tabernarijs, & aquarijs pugnarem, ueternus ciuitatem occupaſſet. ſi Parthi uos nihil calfaciunt, *nos hic frigore frigeſcimus. tamen quoquomodo hic omnia iaceant, potuit ſine Parthis. Bibulus in Amano neſcio quid cohorticularum amiſit, hoc ſic nunciatum eſt. Quod tibi ſupra ſcripſi, Curionem frigere, iam calet. nam feruentiſſime *concerpitur, belliſſime enim, quia de intercalando non obtinuerat, transfugit ad populum, & pro Cæſare loqui cœpit, legemq; uiariam non diſſimilem agrariæ Rulli. & alimentariam, quas iubet Ædiles metiri, iactauit. hoc nondum fecerat, cum priorem epiſtolæ partem ſcripſi. Amabo te, ſiquid, quod opus fuerit, Appio facies, ponito me in gratiam. De Dolabella integrum tibi reſerues ſuadeo. & huic rei, de qua loquor, & dignitati tuæ, æquitatiſq; opinioni hoc ita facere expedit. Turpe tibi erit pantheras græcas me non habere. Vale.*

*al. hercule cōſcepta omnia fœdera &c.

*al. nos nihil frigore.

*al. concerpitur leuiſ.

ASCENSIVS.

NOn dubito. Viſum eſt lib. III. Accuſatus fuerat Appius pulcher ambitus a Dolabella, & fautoribus eius, quare triumphum amiſit, quod nunc Cælius ſcribit, monens Ciceronem, ut depoſita ſimultate Appio reconcilietur. Ordo eſt. Non dubito quin perlatū ſit ad te, Appium. ſ. Pulchrum, qui ante Ciceronem Ciliciam ceperat factū reū. ſ. ambitus, & maieſtatis a Dolabella, qui poſtea gener Ciceroni fiet ſane, non ea, ideſt tanta inuidia, quam, ideſt quantam, exiſtimaueram. ſ. Appio futuram. Neq; enim Appius ſtulte ſup. egit, qui ſimulatq; .i. ſtatim, poſtquam Dolabella acceſſit ad tribunal. ſ. accuſaturus Appium, introierat in urbem, & abiecerat poſtulationem triumphi, quam qui ſperabat, foris manebat, donec decretum ſenatus fiet, eſſe quo facto Appius retulit ſermones. i. reſpondit, & uiros eſt paratior. ſ. ad ſeſe purgandum, quam accuſatores. Dolabella ſperauerat. Is. ſ. Appius, habet nunc maximam ſpem in te. Scio eum. ſ. Appiū nō eſſe tibi odio eſt in manu. i. poteſtate tua, obligare eum. ſ. tibi quam. ſ. quantum uelis, cum quo. ſ. Appio, ſi ſimultates non fuiſſent tibi. ſ. prius, eſſet tibi liberius. ſ. agere. de tota re, quia poſſes eum iuuare, & deſerere, ut uelles. Nunc ſi exegeris legitimum ius. i. rigorem iuris, ad illam ſummam ueritatem. i. iuſtitiam, ſicut uerum pro iuſto ſæpe ponitur, cauendum erit tibi ne uidearis poſuiſſe. i. depoſuiſſe, inimicitias parum ſimpliciter. i. ſine dolo, & parum candide. i. ſine liuore. In hanc &c. Ordo eſt. Porro. i. ſed tutum erit tibi ſiquid uolueris gratificari. i. gratum facere Appio, in hanc partem. ſ. mitiorem. Nemo enim dicet te deterritum ab officio, neceſſitudine, & amicitia, quæ. ſ. tibi eſt cum Dolabella: uidetur tamen nondum, cum hæc ſcriberentur, Ciceroni gener factus, quia id poſt Appii liberationē purgauit lib. III. quod etiam ſequens clauſula comprobat, unde intelligam, ideo id neminem dicturum eo, quod tunc nulla fuerat Ciceroni cum Dolabella neceſſitudo, aut amicitia. Illud. ſ. quod ſequitur, occurrit mihi, quod uxor. ſ. Dolabellæ diſceſſiſſet. ſ. per diuortium, a Dolabella, inter poſtulationem: ideſt uocationem in ius, & delationem nominis: ſcilicet rei. Memini: ideſt memoria teneo, quod tu diſcedens ſcilicet in prouinciam, mandaris pro mandaueris mihi: quaſi dicat quod Tulliam tuam idoneo marito locarem, te inconſulto. Et arbitror te non oblitum, quid ego ſcripſerim tibi: ſcilicet de Dolabella, quam eſſet idoneus gener futurus. Tempus narrandi plura nō eſt iam. Ego poſſem monere te illud unum, ſi res nō diſplicebit tibi, ſup. cum Dolabella poſſe matrimonium contrahi: tamen nihil oſtendas de uoluntate tua hoc tēpore ſcilicet lite pendente, & expectes quemadmodum ſcilicet Dolabella accuſator, exeat ea hac cauſa, ideſt accuſatione Appii. Deniq; ſi emanarit, ideſt diuulgatum fuerit, filiam tuam nubere Dolabellæ, Appii accuſatori, id ſup. ſit tibi inuidioſum. Porro, ideſt ſed, ſi ulla ſignificatio ſcilicet uoluntatis tuæ, interceſſerit, ideſt interuenerit, id ſupple fiat clarius, ideſt manifeſtius, quam deceat, aut expediat, ideſt utile ſit, & ita monet, ut occultiſſimum habeat. Neq; ille ſcilicet Dolabella, poterit tacere eam rem, ideſt tua uoluntate filiam tuam tibi deſponſatam, quæ ſcilicet res, acciderit tam opportuna ſpei ſuæ ſcilicet de condemnatione Appii, quæq;, ideſt & quæ ſcilicet res, erit tanto illuſtrior, ideſt clarior & magis perſpicua, in negocio conficiundo, id eſt perficiundo, præſertim cum ſcilicet Dolabella, ſit is, ideſt talis, qui ſi, ideſt & ſi ſciret pernicioſum eſſe loqui de hac re ſcilicet quā inter nos agimus, hoc eſt de matrimonio filiæ tuæ: tamen, ideſt nihilominus uix, ideſt cum ſumma difficultate, contineret ſe, ideſt abſtineret a loquendo. Pompeius dicitur ualde laborare pro Appio, ideſt ut Appius abſoluatur, quod etiam contigit ut etiam putent. ſ. homines Pompeium ſup. miſſurum ad te alterutrū de filiis ſcilicet ſuis, uel Sextum, uel Cneum, ideo autem miſſurus putabatur, ut Cicero qui tunc erat in prouincia, ubi Appius crimen commiſiſſe accuſabatur, facta quæſtione, & ut dicunt, informatione, beneuole rē interpretetur, & ad ſenatum reſcribat. Nos omnes abſoluimus, ſcilicet quodam præiudicio, hic, ideſt Romæ, ſup. Appium, hoc eſt opinamur eum abſoluendum, & Hercule, ideſt per Herculem, omnia concepta ſcilicet crimina, de Appio, ideſt quæ in eius accuſationis libello continentur, ſupple ſunt fœda, & moleſta. Autem, ideſt ſed, nos habemus cōſules ſumma diligentia ſcilicet præditos, quod (ut Hubertino placet.) per ironiam dicit: nam addit, ipſi ſupple nullū, ideſt non ullum non potuerunt facere adhuc ſenatuſconſultum, id eſt decretum ex ſenatus ſententia factum, niſi de feriis latinis. ſ. celebrandis Tribunatus conglaciat, ideſt friget plurimum, hoc eſt abolitur, Curioni noſtro, ſed non poteſt dici quomodo omnia iaceant, ideſt neglecta ſint, & torpeant. hic, ideſt Romæ, niſi ego pugnarem cum tabernariis, & aquariis, ideſt uendentibus uinum, aut portantibus aquam precio. Iuuenalis. Veniat conductus aquarius. ueternus, ideſt torpor ex morbo intercute, & hydrope, occupaſſet ciuitatem, nimio potu, quocirca dicit ſe pugnare cum tabernariis, ideſt cauponibus, & aquariis, ne ſcilicet tantum uini potus uenditent, aut ex torpore. Vnde Philippus Beroaldus ex hoc loco argumentatur lib. II. in epiſtola, cuius principium eſt, Raras tuas quidē &c. ubi uulgo legitur. Erat in eadem epiſtola ueteranus ciuitatis, legendum eſſe, ueternus ciuitatis. Hic enim inquit Pompeium appellat, quo legionum Romanarum præfecto nullum exercitamentum popu. Roma. dabatur. Hæc ex illo. Veruntamen non uidetur dicta epiſtola huic reſpondere, propterea quod dicit in eadem epiſtola ſcriptum eſſe manu Cælii, Ciceronē non defendi a Curio, ſed potuit illa pars ſeorſum ſcripta deleta eſſe. Veruntamen minus placet. quod dicat Pompeium Veternum dici, cum dicat ſe gaudere quod amicus in ocio ſit. Intelligam ergo de ocio totius ciuitatis, aut intercute, ut dixi, aut nimia potatione, melius tamen de torpore, eo quod præmiſit quomodo hic omnia iaceant quaſi dicat nullam litem agitari, niſi cum tabernariis, & aquariis pugnaret. ſ. in foro iudiciali, accuſando nos pluris iuſto precio operam ſuam, aut aquam uendere, illas res corruptas. Si Parthi nihil calfaciunt nos aut uos. i. ſi nullum incutiunt timorem, nos nihil frigeſcimus. i. frigidi ſimus, aut ſumus, frigore. i. metu, eo quod metus frigus inducit, uſq; adeo ut frigus pro metu ponatur. Aenei. j. Extemplo Aeneæ ſoluuntur frigore membra. tamen quoquomodo. i. quomodocunq; omnia iaceant hic, potuit. ſ. Veternus eſſe, ſine Parthis. i. niſi Parthi nos ſolicitos facerēt. Bibulus, qui Antiochiam curabat, amiſit neſcio quid cohorticularum in Amano. ſ. monte, in confinio Ciliciæ. hoc eſt nunciatum. ſ. ſenatui nunc ſic. quod. i. quanquam ſcripſi tibi ſupra, Curionem frigere. i. in ocio eſſe, ipſe calet iam. ſ. rubore, nam concerpitur. i. a multis carpitur feruentiſſime. Enim. i. quia ipſe non obtinuerat intercalando. i. remittendo. ipſe transfugit leuiſſime. i. in cōſtantiſſime, ad populum, & cœpit loqui pro Cæſare, & iactauit legem uiariam. i. de uiis faciendis, non diſſimilem Agrariæ ſ. legi, Rulli. i. quam Rullus tulit & iactauit legem alimentariam. i. de alimentis faciendis, quas ſcilicet leges, ipſe iubet ædiles metiri, ideſt metiendo exercere, & in uſum adducere: Hubertinus legit metiri. quod non placet. Cum ego ſcripſi priorem partem epiſtolæ: ſcilicet huius (nam prius unam partem ſcripſerat, deinde poſt aliquot dies eam abſoluit, non deletis prius ſcriptis) ſupple Curio nondum fecerat: hoc id eſt nondum iactauerat. Amabo te, blandienter dictum, ſi facies quid: ideſt aliquid, quod fuerit opus: ideſt utile Appio, ponito me in gratiam: ſcilicet Appii. ſuadeo ſupple ut ſerues tibi, ſupple negocium de Dolabella, integrum, ita ut eum, & ſuſcipere generum, & refutare libere poſſis. Expedit enim & huic rei de qua loquor, ideſt matrimonio filiæ tuæ, aut gratiæ Appii conſeruandæ, & dignitati æquitatis tuæ facere hoc ita, quod opinio eſt. Me non habere, ideſt ſi non habuero, cum munera ædilitia dabo. Pantheras Græcas, erit turpe tibi, quia culpaberis defuiſſe amico,

VICTORIVS.

ET Hercules confecta omnia fœda, & inhonesta sunt} Nos hunc locum in melioribus etiam exemplaribus miserabiliter lacerum inuenimus. Quia tamen uariis modis legitur, quod fere semper accidit, cum ueritas ex uetustissimis libris accipi nõ potest, cui omnes libenter acquiescant, nos hic antiquam scripturam apponemus, & si peruersam & corruptam, ut possit, qui uoluerit experiri, an commodiorem ullam lectionem ex ea exprimere queat, simulque uidere, quæ circunferuntur diuersæ huius loci lectiones quã pudentet, quãque fideliter ex antiquis fere uetustate deletis uestigiis deductæ sint. est autẽ hæc, ET HERCVLES CONSEPTA OMNIA FOEDERA ET INHONESTA SVNT. Quidam legunt CONSCRIPTA OMNIA FOEDERA, alii CONSILIA, OMNIA, ut nihil incertius sit.

Ex poste. eiusdem.

LEuissime enim quia de intercalando non obtinuerat} Sermo est de Curione, qui cum antea senatum defenderet, & contra Cæsarem sententias diceret, subito transfugit ad populum, & pro Cæsare loqui cœpit. quod incredibilem ipsius inconstantiã declarauit, quare uere hic Cælius inquit, Leuissime enim, & quæ sequuntur. qui locus cum mendose antea legeretur, a me purgatus est, & ratione ipsa hortante, & authoritate uetusti codicis, ita enim legitur in Mediceo: quam animaduersionem ut firmam, & apertam tunc argumentis, & testimoniis confirmandam esse nõ putaui. Manutii tamen.{Bellissime in posteriore sua editione, quemadmodum in priore fecerant, scripserunt.{Turpe tibi erit pantheras Græcas me non habere} Lectionem hanc inuentam a me in cunctis manu scriptis, & impressis codicibus retinui: Pantheras Græcas appellat, quæ in Pamphylia, & Cilicia caperentur, quibus prouinciis Cicero præerat. Græci autem homines eas incolebant, ut distinguat ab Africanis: nam in Africa etiam nascuntur, quod nõ multo post Cælius declarat, cum inquit, Quæ ad ludos ei aduectæ erant Africanæ easdem a nationibus, ac populis, apud quos nascerentur, nocauit Cicero ad Atticum scribens, Cibyratas. Quam recte igitur fecerint, qui ea ingenio legunt.{Pantherarum greges} facile cognosci potest. Vidimus Florentiæ Africanam, quam deuicto sæuissimo archipirata, regnoque quod occuparat spoliato, Carolus Impe. ex Africa asportauit, Florentiæque reliquit: ibi autem cum publice aleretur, mortua est.

PAVL. MANV.

COnfecta, omnia fœda. & inhonesta sunt} Hoc in loco uetusti codices inter se discrepant. nos eum, quem habet Ioannes Scala, ut minus deprauatum secuti sumus: sic enim in eo legitur: conscecta omnia fœda, & inhonesta sunt. ex quo adducti sumus, ut, una litera immutata, legeremus: confecta. omnia fœda, & inhonesta sunt.{Tabernariis} Aquarum ius penes Aediles, & Censores erat, itaque cum tabernarii publicas aquas in suum usum deducerent, Cælius, qui tunc temporis Aedilitatem gerebat, ea de re cũ tabernariis & aquariis pugnauit, concionem etiam de aquis scripsit cuius meminit Frontinus lib. II. de aquæductibus.

SEBAS. CORR.

APpium} lib. III.{Abiecerat} Triumphare enim uolenti, urbem ingredi non licebat.{Discedens mandaris} de Tullia collocanda {Si res} matrimonium.{Exeat} Dolabella. {Si emanarit} Tulliam Dolabellæ desponderi.{Significatio ulla} hoc matrimonium tibi placere.{Neque ille} Dolabella. {De filiis} quorũ alter erat Appii gener {Confecta} Al. consepta: melius, conscripta, sc. a Dolabella, in delatione nominis.{Coss. autem} L. Paulum, & C. Marcellum.{Conglaciat} ocio, ut rescribit Cice. episto. XIII. lib. II.{Nisi ego} ut Aedilis.{Tabernariis} opificibus, siue qui præsunt curandis tabernis.{Aquariis} aquarum & aquæductuum curatoribus.{Veternus} aquarum colluuio, & fœditas quædam. Sunt tamen, qui hæc omnia de magistratuum socordia μεταφορικῶς dicta uelint.{Bibulus} M. Bibulus tunc Syriæ Procos.{Nescio quid} cohortem primam totam, centurionemque primipili, & reliquos cohortis eiusdem, & Tribunum Mil.{Bellissime} Al. leuissime. {De intercalando} Cum sciret Curio, qui sacerdotio fungebatur, eo tempore intercalari necesse non esse, id tamen petebat, ut si negaretur, iustam causam consilii mutati habere uideretur. aliter in Quæstura retulimus: quoniã tabulas omnes, & præsertim Dionis, qui rei huius est author, nobiscum non attuleramus.{Viariam} de uiis muniẽdis.{Non dissimilem} in eo præsertim, quod se ad eam rem in quinquennium creari uolebat.{Rulli} contra quem extant Cice. orationes.{Iubet. Aedil. metiri} ut harum rerũ, & præsertim, annonæ curatores {Huic rei} matrimonio.{Pantherarum greges me} Al. pantheras me.

BERN. RVT.

QVo facto retulit sermones} Retudit sermones quod supra Repressit dixerat, scribo. Leuis omnino menda, si non omnibus exemplaribus peruulgata adeo etiam interdum in leuissimis grauissimi quoque alioqui homines falluntur. {Si ad illam summam seueritatem legitimum ius exegeris.} Non est ius reconciliationis, ut uoluit Clericus. sed hoc dicit: Si denegaris intercedere pro Appio hac ratione, quod nolis ius, ac iudicium impedire sed pati, ut de causa eius ius decernat, quod etiam in amicissimo non improbe fieri potest.{Denique inuidiosum tibi erit, si emanarit} Inuidiosum, odiosum, quodque tibi inuidiam conflet: quia, s. uideberis, ut sublevatæ accusationem Dolabellæ, hoc tempore eum tibi affinitate iunxisse: non, ut interpres, earum.{Si Parthi nos nihil afficiunt nos nihil frigore frigescimus} Manutius: Si Parthi nos nihil calfaciunt, nos nihil frigore frigescimus. quod ad priorẽ clausulam attinet, recte. Nos posteriorem ita, Nos hic frigore frigescimus. Interpres quidem per belle nugatur. quis enim ineptius exposuerit ea uerba. Potuit sine Parthis, quam hic? Est autem sensus uenustus. i. quamuis omnia iaceant non magnopere tamen Parthos desiderabamus. qui nos ita calefacerent. Habet autem oratio irrisionis nescio quid, uel potius ridiculæ indignationis. Quod initio est in Manutianis, Quin perlatũ a te sit. Ad te, scribi oportere, ut in aliis, non dubitamus. {Et Hercule consepta omnia fœda, & inhonesta sunt} Vide num illa melior lectio quæ est in manuscripto: Et hercule cõscripta omnia fœdera inhonesta sunt Quid si pro Omnia, omnino? nam interpretis lectio sensusque non placet.{Legemque uiariam non dissimilem agrariæ Rulli, & alimentariam, quas iubet ædiles metiri, iactauit} Vide ne cõuersus ordo transpositaque uerba sint, atque ita legi oporteat: Legemque uiariam, quas iubet ædiles metiri, & alimentariam non dissimilem agrariæ Rulli, &c. nam Clericus aliud qui delirat.{Leuissime enim, quia de intercalando non obtinuerat, transfugit ad populum} Nihil equidem muto. Appianus tamen, cũ ære alieno liberatum per Cæsarem Curionem dixisset, quod & Plutarchus affirmat, ut mutati animis honestam aliquam causam prætenderet, petisse inquit difficiles quasdam itinerum fabricationes, apparatusque; eiusque muneris præfectum se in quinquennium fieri postulasse, satis gnarum nihil horum impetrari posse, uerum Pompeii amicis sibi aduersantibus hanc se causam contra Pompeium mutatæ uoluntatis habiturum, quod & factũ est Sane intercalatio nescio quid habuit cum iudiciis negocii supra ad Marium: nos hic multitudine & celebritate iudiciorum & nouis legibus ita distinemur ut quotidie uota faciamus, ne intercaletur, ut quamprimum te uidere possimus. Sed & ad Atticum & Q. Fratrem, legem Viariam id esse arbitramur, quod modo ex Appiano retulimus.

Cæl. rho. Antiq. lect. lib. x. cap. xi.

APud Ciceronem in epistolis familiaribus a Cælio concinnatis uidentur esse Aquarii, qui aquam circunferunt uenalem. Nisi ego, inquit, cum aquariis & tabernariis pugnarem, ciuitatem Veternus occupasset. Iuuenalis Veniat conductus aquarius. Aquaria prouincia in Cicerone aduersus Vatinium, cura est Quæstoris, præfecta mercibus, quæ mari uel omnino aquis subuehuntur, ne quid exportetur. Sed & publicis aquis præfici solitos quosdã scimus. De quibus quandoque fit Sen. Coss. factum, ut cum eius rei causa extra urbem forent, lictores binos, & seruos publicos ternos, architectos singulos, & scribas, & librarios accensos, & præcones totidẽ habere liceret Hosce dici quandoque aquarum curatores animaduerto, interdum & aquarios. Iulius. Frontinus: Ille aquariorum colligendus reditus, quem uocant punctam. Et mox docet, fuisse quendam, qui appellaretur a punctis. Pertinebant, & ad eandem aquarum rationem, qui uocabantur uillici, castellani, silicarii, tectores. Sed hæc ferme ministeria erant. Alibi Frontinus aquariorum fraudem nominat, quos aquas ex publicis ductibus in priuatorum usum deriuare deprehendisset. Super qua re Cælii Rufi edita quoque legebatur oratio, cui titulus fuit. De aquis, ubi aquariorum dolo, irriguos agros, tabernas, cœnacula perpetuis salientibus coarguebat instructa. Vnde illustratur Cælii eiusdem locus de quo diximus.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Habes hac epistola nouarum rerum nunciationem urbanam, & festiuam.

M. CÆLIVS M. CICERONI. S. D. 7

QVàm cito tu istinc decedere cupias, nescio: ego quidem eo magis, quo adhuc felicius rem gessisti. dũ istic eris, de belli Parthici periculo cruciabor, ne hunc risum meum metus aliqui perturbent. Breuiores has literas properanti publicanorum tabellario subito dedi. tuo liberto pluribus uerbis scriptas pridie dederam. Res autem nouæ nullæ sanè acciderunt, nisi hæc uis tibi scribi, quæ certe uis. Cornificius adolescens Orestillæ filiam sibi despondit. Paula Valeria soror Triarii diuortium sine causa, quo die uir è prouincia uenturus erat, fecit. nuptura est D. Bruto. nondum retulerat. multa in hoc genere incredibilia te absente acciderunt. Ser. Ocella nemini persuasisset se mœchum esse, nisi tri*

*a. l. Cornificio adolescẽtior est Syllæ filiam.

duo bis

duo bis deprehensus esset. quæris ubi? ubi hercule ego minime uellem. relinquo tibi, quòd ab alijs quæras: neque enim displicet mihi, imperatorem singulos percunctari, cum qua sit aliquis deprehensus. Vale.

ASCENSIVS. QVam &c. Dicit se cupere, ut Cice. ex prouincia discedat, affertq; iocosa quædam utpote Ocellam deprehensum in adulterio, nec tamen dicit cum qua uolens Cic. id ex alio inquirere. Ordo est nescio quam. i. quantum cito tu cupias discedere isthinc. i. ex prouincia ubi nunc es. ego quidem cruciabor de periculo. i. propter periculũ, belli Parthici, dum. i. donec, eris istic. i. in Cilicia, eo. i. tanto magis, quo. idest quãto felicius gessisti adhuc res, quia fortuna solet mutari, nec cuiquam esse perpetuo bona. Vnde Philippus Macedo, cum tres lætos nuncios uno die accepisset, deos precatus est, ut modicum supplicii pro tantis bonis reponant. Ne aliquis metus perturbet hunc. i. quẽ hic habeo risum meum. Ego dedi tabellario. i. ad tabellarium, hoc est literarum perferendarum ministro, publicanorum. i. qui publica conduxerunt, properanti. i. festinanti subito, has literas breuiores, dederam pridie. i. die præcedenti hanc, tuo liberto literas sup. scriptas pluribus uerbis. Autem. i. sed, res sane. i. multum, nouæ nullæ acciderunt, nisi uis hæc. i. huiusmodi res scribi tibi, quæ certe uis, quia ridicula putat. Cornificius adolescens despondit sibi filiam Orestillæ. Paula Valeria soror Triarii fecit diuortium: idest dissolutionem matrimonii, & separationem a uiro, sine causa, sup. eo die, quo die uir. i. maritus, uenturus erat e prouincia, unde Cice. reuersus etiam repudium facturus erat, ea sup. nuptura est D Bruto, ipsa nõdum retulerat. i. ad senatum tulerat, an senatui placeret. Multa incredibilia in hoc genere s. matrimoniali, acciderunt te absente. Seruius Ocella nemini persuasisset se esse mœchum, nisi deprehensus esset. s. in adulterio, bis triduo. i. intra treis dies. Quæ res ubi. s. deprehensus sit. i. in cuius domo, & cum cuius uxore. Hercule sup. illic, ubi ego minime uellem. Relinquo tibi, quod quæras ab aliis. Neq; enim displicet mihi, imperatorem. s. te percunctari. i. interrogare singulos, cum qua aliquis sit deprehensus q. d. sic Ciceronem quoque uxoris suæ culpam nosciturum.

VICTORIVS. MEtus aliqui perturbent} Vetus codex perturbet singulari numero: frequenter autem in uetustis codicibus. {Aliqui} pro aliquis inuenitur, ut in fine huius ipsius epistolæ, Cũ qua sit aliquis deprehensus. Et in principio epistolæ ad Marium, Si te dolor aliquis corporis.

Ex poste. eiusdem. NOndum retulerat} Locus ualde obscurus. Mediceus codex (nihil enim melius mihi facere posse uideor, quam ueterem scripturam in his difficultatibus indicare) {Nondõ retuleras} Aliorum coniecturas non reprehendo & si illis non ualde assentior.

PAVL. MANV. PAula Valeria} Alii, an hæc Bruto nupserit, dubitare uidentur, propterea quod lib. xi Pollam Bruti uxorem fuisse perspiciant. ego nupsisse existimo, & eam ipsam esse, quæ lib. xi. appellatur Polla: ut, quemadmodum ab aula olla, sic a Paula Polla dicta sit. {Nondum retulerat} Si ita legatur, sub intelligi poterit, dotem. sed mihi non displicet amicissimi mei coniectura, qui ita legendum putat, mundum retulerat. mundus autem muliebris qui sit exponit Liui. lib. xxxiiii. munditiæ (inquit) ornatus, & cultus fœminarum insignia sunt hunc mundum muliebrem appellarunt maiores nostri.

SEBAS. CORR. NVnc risum} De Hirro. {Cornificius} Q. Cornificius, qui paulo post huic Cæsaris quæstor. {Adolescens Orestillæ filiam sibi} Al. adolescentior est, ille ub: filium. {Orestillæ} Aurelia Orestilla fuit Catilinæ amica. {Triarii} C. Valerii Triarii. {Nuptura est D. Bruto} Al. nuptura est D. Pollam certe D. Brutus uxorem habuit, Episto. V I I I. lib. X I.

BERN. RVTI. COrnificius adolescens Orestillæ filium sibi despondit} Filiam probo legi, quod iam uideo receptum: nam ille interpretis sensus. absurdus. {Nondum retuleras} Retulerat, alii habent codices probo. interpres garrit. Tu uide, num hoc dicat: uel, Nondum renunciarat matrimonio Triarii. eaq;, quæ fieri ex legibus oportet fecerat. uel, Nondum suas res ab eo: abstulerat. quod ea uerba solemnia in diuortiis fuerunt: Res tuas tibi habeto, res tuas tibi agito. author Cicero, Caius iurisconsultus, Martialis, alii.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Varia nunciat hæc epistola, quæ in multorum caussis aguntur. Quod M. Marcellus. Hinc aliam uulgo epistolam auspicantur. Narrat autem, quid Marcellus consul in senatu fecerit.

M. CÆLIVS M. CICERONI S. D.

ETsi de Repub. quæ tibi scribam, habeo: tamen nihil, quo magis gauisurum te putem, habeo, quàm hoc. scito C. Sempronium Rufum, mel, ac delicias tuas, calumniam maximo plausu tulisse. quæris, *qua in caussa: M. Tuccium accusatorem suum post ludos Romanos reum lege Plotia de ui fecit, hoc consilio, quòd uidebat, si extraordinarius nemo reus accesisset, sibi hoc anno causam esse dicendam. dubium porrò illi non erat, quid futurum esset. nemini hoc deferre munusculum maluit, quàm suo accusatori. itaque sine ullo subscriptore descendit, & Tuccium reum fecit. at ego, simul atque audiui, inuocatus ad subsellia rei accurro, surgo, neque uerbum de re facio: totum Sempronium usque eo perago, ut Vestorium quoque interponam, & illam fabulam narrem quemadmodum tibi pro beneficio *dederit, siquid in iniurijs suis esset, quo Vestorius teneretur. Hæc quoque magna nunc contentio forum tenet. M. Seruilius, postquam, ut cœperat, omnibus in rebus turbarat, nec, quod non uenderet, quid quam reliquerat: maxima nobis traditus erat inuidia: neque Laterensis Prætor, postulante Pausania: nobis patronus, quo ea pecunia peruenisset, recipere uoluit: quod Pylius necessarius Attici nostri de repetundis cum postulauit: magna illico fama surrexit, & de damnatione feruenter loqui est cœptum quo uento proiicitur Appius minor, ut implicet, pecuniam ex bonis paternis peruenisse ad Seruilium, præuaricationisq; *causam diceret depositum H-S L X X X I. admiraris amentiam. quid, si actiones stultissimas? quid si nefarias patris confessiones audisses? mittit in consilium eosdem illos, qui literis æstimarant, iudices. cum æquo numero sentẽtiæ fuissent, Laterensis leges ignorans, pronunciauit, quod singuli ordines iudicassent: & ad extremum, *ut solet, ait, Referam, postquam discessit, & pro absoluto Seruilius haberi cœptus, legisq; unum & centesimũ caput legit, in quo ita erat, QVOD eorum iudicum maior pars iudicarit, id ius ratum esto: in tabulas absolutum non retulit, ordinum iudicia perscripsit. postulante rursus Appio, cum L. Lollio transegit, et se relaturum dixit. sic nunc neque absolutus neque damnatus Seruilius de repetundis saucius Pylio tradetur: nam de diuinatione Appius, cum calumniam * iurasset, contendere ausus non est, Pylioq; ceßit, & ipse de pecunijs repetundis à Seruilijs est postulatus, & præterea de ui reus à quodam suo emissario est factus. recte hoc par habet. Quod ad Rempub. pertinet, omnino multis diebus expectatione Galliarum actum nihil est. aliquando tamen, sæpe re dilata, & grauiter acta, & planè perspecta Cn. Pompeij uoluntate in eam partem, ut eũ decedere post Calend. Mart. placeret, S.C. quod tibi misi, factum est, authoritatesq; perscriptæ, S.C. authoritates. Prid. Cal. Oct. in æde Apollinis. scribendo affuerunt, L. Domitius Cn. F. Ænobarbus, Q. Cecilius Q. F. Metellus Pius Scipio, L. Iulius L. F. Pom. Annalis, C. Septimus T. F. Quirina, C. Luceis C. F. Pup. Hirrus, C. Scribonius C. F. Pop. Curio, L. Atteius L. F. An. Capito, M. Oppius M. F. Terentina. Quod M. Marcellus Coss. V. F. de prouincijs consularibus: D. E. R. I. C. uti L. Paulus, C. Marcellus Coss. cum magistratum inissent, ad ex Calen. Mart. quæ in suo magistratu futura essent, de consularibus prouincijs ad senatum referrent, né ue quid prius ex Cal. Mart. né ue quid coniunctim de ea re referretur à Consulibus: utique eius rei causa per dies comitiales senatum haberent, S.Q.C. facere né: & cum de ea re ad senatum referretur à * Consulibus, eorum, qui in C C C. iudicibus essent, sex adducere liceret: siquid de ea re ad populum, ple

*al. q. in is cau.
*al. dederit si q. iniuriis suis esset, ut Vestorius teneret.
*al. caussa iudicet
*al. ut solent non redig.
*al. uitasse.
*al. Consul. lib. qui eorũ in CCC.

*bem ue lato opus esset,ut Ser. Sulpitius,M. Marcellus Coss.Praet.
Trib.pl.quibus eorum uideretur,ad populum,plebemve ferrent.
quod ii non tulissent,uti quicunque deinceps essent, ad populum,
plebemve ferrent.S.C.A.Prid.Cal.Oct.in æde Apollinis .scri=
bendo affuerunt,L.Domitius.Cn.F.Ænobarbus , Q u. Cæcilius
Qu.F.Metellus Pius Scipio L.Iulius L.F.Pom.Annalis,C.Se=
ptimus,T.F. Q uirina , C. Scribonius C.F.Pop.Curio,L. Aite=
ius L.F.An.Capito.M.Oppius M.F.Terentia.Q uod M. Mar=
cellus Cos.V.F.de prouinciis:D.E.R.I.C. senatum existimare,
neminem eorum,qui potestatem habent intercedendi, impediendi,
moram afferre oportere,quo minus de Rep.quam Primum ad se=
natum referri,S.Q.C.fieri possit: qui impedierit eum senatum
existimare contra Remp.fecisse:siquis huic S.C.intercesserit. se=
natui placere,authoritatem perscribi,& de ea re ad senatum po
pulumq; referri.huic S.C.intercessit C. Cælius , L. Vicinius,P.
Cornelius,C.Vibius Pansa.Item senatui placere,de militibus,qui
in exercitu C.Cæsaris sunt,qui eorum stipendia emerita causas,
quibus de causis missi fieri debeant.habeant ad hunc ordinem re=
ferri ut eorum ratio habeatur,causæq; cognoscantur . siquis huic
S.C.intercesserit,senatui placere authoritatem perscribi & de
ea re*ad senatum populumq; referri.huic S.C.intercessit C.Cæ=
lius,C.Pansa Trib.pleb. Itemq; senatui placere,in Ciliciam pro=
uinciam,inq;.V I I I.reliquas prouincias,quas Prætorii pro Præ
tore obtinerent , eos, qui Prætores fuerunt , neque in prouin=
cia cum imperio fuerunt , quos eorum ex S. C. cum impe=
rio in prouincias pro Prætore mitti oporteret, eos sortito in
prouincias mitti placere. si ex eo numero,quos S.C. in prouincias
ire oporteret,ad numerum non essent,qui in eas prouincias pro=
ficiscerentur:tum,uti quodque collegium primum Prætorum fuis
set neq; in prouincias profecti essent.ita forte in prouincias pro
ficiscerentur.si ad numerum ii non essent:tunc deinceps proximi
cuiusque collegii qui Prætores fuissent,neque in prouincias profe
cti essent,in sortem coniicerentur ,quoad is numerus effectus es=
set,quem ad numerum in prouincias mitti oporteret . siquis huic
S.C.intercessisset,authoritas perscriberetur.huic S. C. intercessit
C.Cælius,C.Pansa Trib.pleb.I L L A præterea Cn. Pompeii
sunt animaduersa,quæ maxime confidentiam attulerunt homini=
bus,ut diceret,se ante Cal.Mart.non posse sine iniuria de prouin
ciis Cæsaris statuere,post Cal. Mar.se non dubitaturum. cum in
terrogaretur,siqui tum intercederent ,dixit hoc nihil interesse
utrum Cæsar senatui dicto audiens futurus non esset:an pararet,
qui senatum decernere non pateretur. Quid si , inquit alius , &
Consul esse,& exercitum habere uolet?at ille, quàm clementer:
Q uid si filius meus fustem mihi impingere uolet? his uocibus,ut
existimarent homines Pompeio cum Cæsare esse negocium , effe=
cit.itaque iam,ut uideo,alterutram ad conditionē descendere uult
Cæsar,ut aut maneat.neque hoc anno sui ratio habeatur aut,si de
signari poterit,decedat.Curio se contra eum, totum parat . quid
assequi possit,nescio.illud uideo,bene sentientem, etsi nihil effece=
rit,cadere non posse.me tractat liberaliter , & mihi suo munere
negocium imposuit:nam si mihi non dedisset eas , quæ ad ludos ei
aduectæ erant Africanæ.potuit supersederi.nunc quando dare ne
cesse est,uelim tibi curæ sit,quod à te semper petij,ut aliquid istinc
bestiarum habeamus: Sitianamq; syngrapham tibi commendo.li=
bertum Philonem istuc misi,& Diogenem Græcum: quibus man=
data,& literas ad te dedi.eos tibi,& rem,de qua misi,uelim curæ
habeas:nam quàm uehementer ad me pertineat,in ijs,quas tibi illi
reddent,literis descripsi. Vale.

*al.ad hunc ordinem ref.

ASCENSIVS.

ETsi de Repub.&c.Dicit Sempronium calumnias cum
plausu tulisse,affertq; multa de Repub. de S.C. & qui
scribæ fuerint in eo,quæ cum sint ipsis duntaxat nota
obscuriora uisa sunt Hubert.quam ut a se explanentur.
Nobis tamen breuiter explicanda uidentur, si non pla
ne,at qualiter poterimus.Ordo itaq; est . Etsi.i. quanquam , habeo
quæ scribam.i.scribere possim tibi de Repub. tamen nihil habeo,
quo putem te gauisurum magis,quæ hoc.s.quod sequitur. Scito C.
Sempronium Rufum,mel idest dulcedinem,ac delicias tuas tulis=
se,idest accepisse calumniam,idest contumeliam, maximo plausu
non suo,sed populi eum libenter uidentis.Q uæris qua causa scili
cet affectus sit calumnia Ea supple est,quod fecit M.Tuccium ac=
cusatorem suum,idest unde prius accusatus fuerat , reum post lu=
dos Rom.lege Plotia de ui scilicet illata.hoc consilio, quod uide=
bat si nemo accessisset reus extraordinarius,causam esse dicendam
sibi,idest se esse,idest defendendum hoc anno. Nam causam dicit,
qui se purgat,& defendit,sententiam dicit,qui iudicat.Porro,idest
autem supple id non erat dubium illi.Nemini,idest non alicui,non
maluit:idest non magis uoluit,deferre: idest præsentare hoc munu
sculum: scilicet ut reus extraordinarius fieret,ulli,aut alicui, quam
accusatori suo scilicet M.Tuccio peramatam autem irrisionem uo
cat talem delationem,& accusationem munusculum. Itaq;,idest &
ita,Sempronius descendit scilicet in forum causarum ad litem fouē
dam sine ullo subscriptore,idest assensore,aut adstipulatore, qui se
cum sentiret. Solent enim idem sentientes nomina sua subscribere
unde tractum ut subscriptores sint superioris scripti approbatores,
& subscribere superius scripta probare: & fecit Tuccium reum. atq;
ego simul atq;,idest eodem tempore quo aut statim postquam audi
ui scilicet Tuccium a Sempronio reum factum accurro innocatus,
Idest licet non essem uocatus,ad subsellia rei,idest ubi reus sedebat
causam dicturus surgo ut more aduocati causam dicturus , neq; uer
bum facio de re,idest causa Tuccii,aut lege de reo scilicet Tuccio.
Ego perago,idest contineo Peragere enim est,ad finem usq; agere.
tunc autem peractum est quando quis uictus,& condemnatus est:
Sempronium totum,idest ex omni parte ,usq; eo,idest in tantum,ut
interponam quoq;,idest etiam,Nestorium,idest calumniam Sem=
pronii in Nestorium,& narrem,idest recitem,illam fabulam,quem=
admodum dederit tibi pro beneficio,idest loco beneficii, siquid es=
set iniuriis suis,quo Nestorius teneretur,idest afficeretur. Hæc quo
que magna contentio tenet,idest occupat,nunc forum scilicet iu=
diciale. M.Seruilius scilicet Sempronius inceperat scilicet agere.
turbarat supple eum in omnibus rebus, neq; reliquerat quicquam
quod non uenderet,ut dixi obscure loquitur neq; operæ precium
esset mentem eius indagasse. Maxime,idest & supple Seruilius, aut
potius Sempronius,erat traditus maxime,idest præcipue nobis in=
uidiæ,idest ad inuidiam,idest molestiam illi excitandam,neq; La=
terensis(proprium est nomen)Pausania postulante,idest cum Pau
sanias postulatet prætorem nobis patronis supple entibus . alii le=
gunt Laterense(prætore,Pausania) postulante nobis patronis, uo
luit recipere,idest approbare quo ea pecunia peruenisset. Q uod Py
lius necessarius Attici nostri scilicet communis amici postulauit eū
reum de repetundis,idest pecuniis,mala arte prouincialibus abla=
tis,& ita iure repetendis. Magna fama surrexit illico , & cœptū est
loqui feruenter,de damnatione scilicet Sempronii . Q uo uento,id
est qua obiectione, Appius minor, proiicitur,idest obruitur, ut im=
plicet,idest innuat de pecunia ex bonis patris,peruenisse ad Serui
lium & diceret causam præuaricationis,idest quare fecerit præuari
cationem,Sestertium semel & octogies esse depositum . Dixi alibi,
quia sestertium etiam neutri est generis,& genitiui nominum neu
tri generis habentium singularem non solent syncopari,ne cū sin=
gularibus casibus concidant,cum tamen uenusta sit cum numerali
bus syncope decentius dici semel & octogies sestertium,quam octo
gintannum sestertia,& sestertiorum.Scribitur autē sestertium I I.
S.i duæ lib.cum semis. Tu admiraris dementiā,immo actiones stul=
tissimas. Q uid supple faceres aut diceres,si audisses nefarias con=
fessiones patris.s. Appii? Ipse mittit in consilium illos eosdem iudi
ces,qui æstimarant litis pro lites cum sententiæ fuissent æquo,idest
æquali numero,idest tot absoluentium quot condemnantium , &
econuerso. Laterensis ignorans leges pronunciauit,quid singuli or
dines iudicassent,& ad postremū non redigunt scilicet iudices sen=
tentias uarias ad unam certam,& ut solent scilicet redigere . post=
quam.s. Laterensis discessit,& Seruilius cœpit est haberi pro ab=
soluto,& legit unum,aut primum,& centesimū caput legis, in quo
.s.capite erat ita.s. scriptum. Id quod maior pars eorum iudicum iu
dicarit,esto ius,& ratum.i.certum,& approbatum: Laterensis sup.
non retulit absolutum in tabulas .i.instrumenta publicorum acto=
rum perscripsit iudicia ordinum.& Appio postulante.i.in ius uocā
te rursus,transegit cum Lucio Lollio,& dixit sup. se relaturum.s.
ad senatum,aut ad iudices. Sic Seruilius,nunc neq; absolutus, neq;
damnatus de repetundis tradetur Seruio Pyllo.s.discutiendus. sunt
qui legant tradetur saucius.i.læsus in fama,sed(ut dixi) omnia ob
scura sunt Nam cum Appius iurasset de calumnia i.calumniam fa
ctam,de diuinatione non est ausus contendere.s.ultra , & cessit.i.
traditus est,aut locum dedit Pylio,& ipse postulatus est a Seruilio
de pecuniis repetundis,& præterea reus factus est de iure usuum,
de quodam emissario suo.s.equo,cuius usum alter sibi uendicarat.
hoc par.s.contendentium habet se recte quia uterq; cautelosus &
litium amans est.Q uod.i.quantum,pertinet ad rempub.nihil actū
est omnino

est omnino multis diebus, expectatione .i. propter expectationem, Galliarum .i. sententiæ dandæ de Gallijs, aut successoribus committendis, aut Cæsari prorogandis, tamen res dilata sæpe & acta grauiter, & uoluntate Cn. Pompeii perspecta aliquando .i. tandem in eã partem, ut placeret eum decedere .s. in Galliam ad succedendũ Cæsari post Cal. Mart. S. C. quod misi tibi est factũ, & authoritates perscriptæ sup. sunt .i. qui eius rei authores fuerunt. Authoritas S. C. i. senatusconsulti, sup. scripta est Prid. Cal. Octo. in æde Apollinis. Scribæ .i. ut dicunt notarii, aut subscriptores affuere sequentes. Lucius Domitius &c.

VICTORIVS.

C Sempronium Rufum, &c.} In melioribus codicibus repetitum est nomen illud. {Rufum} omnino eleganter, non librariorum uitio, ut putarunt, qui bis uocem illam describere neglexerunt. {Siquid iniuriæ suis esset quo Nestorius teneretur} Possum & hic uetustam scripturam proferre, siquid ex ea commodi elici possit. Locus certe uariis & inter se diuersis modis legit, quas tam incertas lectiones quiuis uidere poterit, & etiam alias excogitare. nos in tantis tenebris, cum nihil lucis adferre queamus, uetere scriptura proposita, ad alia transibimus. {Si quod iniuriis suis esset, ut Vestorius teneret} {Et ad extremum ut solent, &c.} Sic omnes antiqui & noui codices, uno excepto nuper Venetiis impresso, habet enim ille. {Vt solet ait referam} & si postea iidem, qui librum ipsum excudere, inter uarietates exemplarium, quas ad finem libri adposuerunt, negatiua particula addita. {Non referam} corrigunt: de qua lectione quid statuendum sit, alii uiderint. Ego sane parum illi confido: nam cum tantopere ab antiquis uestigiis recedat, existimo quempiam coniectura ductum sic perturbatum & deminutum locum supplere noluisse {De ui reus a quodam suo emissario est factus} Est certe miserum uidere, quot uulneribus confectus sit hic M. Cælii liber, cum præsertim ea sint, quæ uix, aut ne uix quidẽ sanari queant: nos quod tutius remedium uisum est ubi, nullam meliorem opem ad ferre possumus, ueterem plagam nudamus: felicioriq; medico tam desperatum ægrotum libẽter tradimus. Vetusti igitur codices. {A quodam suo rusterio factus.} significat autem nota quædam in illis huic loco adposita deprauatum eum esse. quidam ex his reliquiis legunt,} A quodam suo emissario tutio est factus} Nos nec damnamus, nec probamus unusquisq; rem ante oculos sibi positam attente, accurateq; animaduertat, & secum quid agendum sit deliberet, si modo dignam, in quam tantus labos insumatur, iudicarit.

Ex poste. eiusdem.

A Quodam suo emissario est factus} Peccarunt nostri librarii dum ueterem scripturam & maxime medicei codicis, exscriberent: dictionem enim omiserunt, quæ ante. {Rusteio} poni debebat, ea autem hæc est {Emissa} Dolet peccatum illorũ causam fuisse erroris docto, ac diligenti uiro, & tamẽ quod ille ex Asconii commentariis erutum huc accommodari posse censuit, adhuc, si modo uerum est, defendi potest quod scilicet ad Tetium pertinet legi, enim potest. {A quodam suo emissario est Tetio factus} nã S. significasse olim Sextum, uix credo: præterea post. {Factus} in uetere exemplari. {Est} non legitur quod uerbum hic necessarium est ut fortasse possit concinnari ex literis illis, quæ confecto emissario e priscis uestigiis, reliquæ sunt, ut nihil addi ad uulgatam lectionẽ nisi. {Tetio} necesse sit, quod tamen nec ualde confirmare, nec diluere nolumus: est enim res dura, sed subtiliter excogitata. {L. Ateius L. F. A N. Capito} Cũ diu anceps in hac lectione fuissem, existimaui tandem, non incommode ita legi posse: in qua si uitium ullum est, huiuscemodi est, quod defendi possit, nec absurdam ullam sententiam habeat. Manutii prima sua editione literas illas, quæ scrupulum habebant, & quæ ipsis & aliis negocium facessebant, sustulerunt, atq; ita se putarunt omni molestia liberare. Hanc ipsorũ culpam tacui, quæ & magna est, & antiquis scriptoribus periculosa, si quis quæcunq; non intelligit, in illis delet. Quanto modestius me, liberaliusq; gesserim dicere non oportet: nam me fidemq; meã laudare mihi nunc propositum non est. Quod putant literas illas seiungi non oportere, non reprehendo: intelligo enim ipsas Tribũ significare posse. Si negant ueteres in titulis, monimentisq; non patris solum nomen, sed aui etiam ponere solitos, facile redargui possunt: ex Ciceronis enim libris, & aliorum optimorum authorũ hoc intelligitur. Qui Romæ priscas inscriptiones curiosius legerunt, passim hoc animaduertere potuerunt. possemus infinita exempla afferre, sed non erimus nunc pluribus citandis testibus, quæ oporteat, ambitiosi. In magno illo uolumine, quod Epigrammata antiquæ urbis inscribitur multis locis hoc obseruari potest: Sed maxime pagina 152. nec non pagina 146. in quibus plurima uirorum nomina scripta sunt, quæ cuncta aui quoq; nomen retinent, & notis his semper signata, quibus ea tunc signari consuetudo fuerat. {Ad ex Calen Mart.} Locus Varronis restitutus magno auxilio est ad docendum, immutari debere ordinem priorum harum uocum, & pro ad ex Cal. legi debere. {Ex ad Cal.} quemadmodũ Paulus quoque emendat. Illum autem iampridem nos castigauimus, statimq; suspicati sumus, hanc esse huius loci germanam lectionem. Cũ Romæ XXX. fere menses sunt, fuissem, sæpe multumq; cum Marcello Ceruino qui postea in amplissimum ordinẽ a Paulo III. Pont. Max. cooptatus est, de studiis literarum locutus sum: cumq; semel sermo incidisset de uetustis exemplaribus, dixi Florentiæ priscum codicem Terentii Varronis inueniri librorum quos scripsit de agricultura: magno statim desiderio ille affectus est librum hunc uidẽdi, a meq; diligenter petiit, cum Florentiam rediissem, darem saltẽ operam, ut eum impresso aliquo conferrem, & ad se cuncta accurate adnotata mitterem. Non potui hoc amicissimo & optimo uiro denegare. Cumq; in antiquo docuissem menda quædam reperiri, uoluit ille notari a me locos, quos putarem castigatius illic legi, in impressis autem deprauatius: in quo ei quoq; morem gessi. Hunc autem in primis notaui, quem ibi syncere legi, in impressis uero mendosissime iudicabam. Volui autem codicem illum summo studio a me cum antiquo collatum, communem illi esse cum Angelo Colutio, sancto ac docto uiro Citaui igitur huius rei optimos, ac locupletissimos testes. Sed aliud etiam auxilium habebam, nõ minoris momenti, quo locum hunc Cælii ita castigandum esse animaduerterã. nam eodem illu in lapide Colotiano, de quo supra mentionem feci, ita legitur, EX A. D. V. CAL. DEC. AD PR. CAL. SEXT. Vtinam integer esset, magnam utilitatem studiosis literarum afferret: est enim Ciceronis temporibus exaratus. Vtut autẽ est, & ut a me ea scribi potuis, hic eum adponemus, nã huic præcipue loco accommodatus est, in quo etiam bis sunt literæ illæ, quæ in illo lapide sæpe leguntur .i. V. F. Quin autem VERBA FECERVNT, significent, dubitari non potest: id enim Cicero infinitis locis declarat: aperte autem in X. Philip. DCCXCII. Q. & Pansa COS. uerba fecit de literis, & quæ sequuntur.

C. IVLIVS CÆSAR IIII. SINE CONLEGA DIC.
V. F. Q. FABIVS MAXIM. C. TREBONIVS C. F. C. CANINIVS C. F.
IVLIVS CÆSAR DICT. IV. M. ÆMILIVS M. EQ.
C. IVLIVS CÆSAR V. M. ANTONIVS M. F.
VF. P. CORNELIVS P. F.
C. VIBIVS C. F. PANSA.
A. HIRTIVS A. F.
C. IVLIVS CÆSAR.
Q. PEDIVS. Q. F.
V. F.
C. CARRINAS. C. F.
P. VENTIDIVS. P. F.
MILIVS M. ANTONIVS.
EX A. O. V. K. DEC. AD PRID. K. IAN. SEXT.
MVNATIVS L. F. M. ÆMILIVS M. F.
ANTONIVS P. SVLPITIVS CEN. LV STR. N. F.
ANTONIVS.
P. SERVILIVS. P. F.
N. DOMITIVS M. F. C. ASINIVS CN. F.
VF. L. CORNELIVS. L. F.
VF. P. CANIDIVS V. F. IL. SEXTIVS. P. F. I. E. LAP.
M. CLAVDIVS M. L. MVNATIVS PAVL. ÆMILIVS.
Q. ÆMILIVS LEPID. MLO.
M. APPVLEIVS SEX. F. P. SI.
C. SENTIVS SATVRN. Q. LV.
VF. M. VINVCIVS P. F.
P. CORNELIVS C. F. CN. C.
C. FVRNIVS C. F. C. IV.
CL. L. DOMITIVS CN. F. P. CG.
V. F. L. TA.
M. DRVSVS L. F. L.
M. LICINIVS M. F. TI. CLAVDIVS TI. F.
M. VALERIVS. M. F.
V. F. C. VALGIVS C. F.
C. CANINIVS.

{S. C. A. Pridie Cal. Oct. in æde} Mediceus codex cum supra nihil ab impressis hac parte discreparit, hic ab illis diuersus est, neq; .n. habet tres illas priores literas, sed earum loco I. V. sic enim in eo scriptum est, I. V. PRID. CAL. OCT. quam rem explicare, ut uerum fatear non possum {Quo minus de R. P. quamprimum ad Senatum referri} Ita in Mediceo scriptum est. {Quo minus de Rep. Q. P. ad Senatum referri} Hoc autem adnotaui, non quod in impressis ullum mendum: sit sed ut notæ illæ ex hoc loco percipiantur. nam maiorem partem huiuscemodi notis in S. Con-

sultis,& huiuscemodi rebus usos fuisse ueteres planum est. {De ea re ad Senatum,populúq; referri}Mediceus liber.{De ea republica adhuc ordinem referri}Arbitror legendum.{De ea re ad hunc ordinem referri.

PAVL. MANV.

M. Tuccium accusatorem suum &c.}Huius loci sensum, etsi obscurissimus est,tamen declarare conabimur. Reorum causæ ordine agebantur:nam quæ tempore prior fuerat, eius prior item locus erat.excipiebantur tamen eæ causæ,quæ cum causis iam iudicatis coniunctionem aliquam habebant, ut earum quasi appendices quædam uiderentur:eiusmodi enim causis,etiam si post multas alias delatæ essent,tamen primus locus erat constitutus.itaq; in oratione pro Cluentio,Fabritium(inquit)reum statim fecit:utq; ei locus primus constitueretur,propter causæ cõiunctionem,impetrauit.propter causæ coniunctionem,inquit,quod Fabricii causa eadem erat,quæ Scamandri,qui antea condemnatus erat, & infra in eadem oratione: Apud eosdem iudices reus est factus Oppianicus,cum is duobus præiudiciis iam damnatus esset, ab iisdem autem iudicibus locus ei primus est constitutus.hoc ideo factum est quod Oppianici causa coniunctionem habebat cum Fabricii,& Scamandri causa,quos iudices iam damnauerant. Excipiebantur etiã causæ de ui,quæ primo loco agebantur,omissis aliis causis,quæ tẽpore priores fuerant.sic Milonis causa,quod erat de ui, extra ordinem est acta.sic M Cælius,cum Atratini patrem de ambitu reum fecisset.de ui postea accusatus,causam ipse prior dicere coactus est,sic etiam C.Sempronius cum a M.Tuccio esset accusatus, & causam suam eo anno nollet agi(forte quod ex iis, qui tunc iudices erant, aliquos se habere inimicos intelligeret:)accusauit accusatorẽ suũ lege Plotia de ui,eo consilio,ut interposita extraordinaria causa,tẽpus tereretur,& suæ causæ iudicium,cum eius agendæ spacium nõ esset,in annum sequentem necessario reiceretur. Extraordinarius autem reus iudicebatur,cuius causa non ordine,ut aliæ causæ sed primo loco semper ageretur,& inde extraordinaria causa, quæ statim ante omnes causas ageretur,ut cum erat de ui,uel coniunctionẽ habebat cum aliqua causa antea iudicata.{Laterensis leges ignorans pronunciauit,quod singuli ordines iudicassent } Cũ ex tribus ordinibus,qui res iudicabant,duo Seruilium absoluissent, unus condemnasset,uniuersorum autem iudicum æquo numero sententiæ fuissent,Laterensis,qui ordines,non sententias respiceret,absolutũ credidit,seq; eum in tabulas dixit absolutum relaturum postea cum in lege reperisset,non ex ordinum numero,sed e iudicũ maiori parte,uel absoluendos,uel condemnandos esse reos:non retulit, ut dixerat,in tabulas absolutum,ordinum iudicia perscripsit.fusius autem explicabimus,propterea quod obscurior est sensus, ita ut eum pauci uiderint,nemo certe ostenderit:non enim in quo Laterensis Prætor deceptus sit,animaduerterunt.quod nos pluribus uerbis,ut etiam tardiores intelligant,ostẽdemus.Iudicia penes treis ordines erant:qui quidem tres ordines ex senatoribus, equitibus, Tribunis ærariis constabant.fieri autem poterat,ut quem duo ordines absoluissent,unus condemnasset,is tamen non absolutus,sed condemnatus iudicaretur,hoc modo. Eunt in cõsiliũ senatores X X V I. equites X X V.Tribuni ærarii X X I I I I.ex senatoribus absoluunt reũ X I I I I.condemnant X I I ex equitibus absoluunt X I I I. condemnant X I I.ex Tribunis ærariis absoluunt I I I I.condemnant X X.si ex ordinum numero iudicaretur reus,absolutum appareret, quippe cũ ex tribus ordinibus absoluerint duo senatorius,& equester,cum autem lex,quod iudicum maior pars iudicarit, id ius ratũ esse uelit:condemnatum reum,nemo est,quin uideat, cum sententias graues habuerit X L I I I I.absolutorias X X X I. Prætor autẽ Laterensis cum ex more pronunciare deberet,quot sententiis absolutus,quot esset condemnatus reus:leges ignorans,de numero iudicum nihil,de ordinibus,quid singuli iudicassent,pronunciauit, ac se in tabulas absolutum dixit relaturum postea cum lege perspecta, erratum intelligeret: dubius animi,quid ageret: quod neq; contra legem,neq; contra idquod pronunciarat,uellet facere:neq; absolutum,neq; damnatum retulit:tantum ordinum iudicia perscripsit ex quo paulo post infert Cælius,sic nunc neq; absolutus, neq; damnatus Seruilius,de repetundis saucius Pylio tradetur. {A quodã suo emissario}Florẽtini in uetusto codice legi dixerunt,a quodam suo rusterio.ueram lectionem esse puto,a quodam suorum S.Tetio, quã excogitauit amicissimus meus,homo ita omni laude cumulatus,ut ego ei quam paucissimos comparem,neminem certe anteponã. Tetios autem & libertos,& amicos Claudiorum fuisse,e qua gente erat Appius,ostendit Asconius,ubi in oratione pro Milone locum illũ exponit Hæc insidiata Pompeio est.quanquam ibi tantum de Damione Clodii liberto loquitur.sed Damionem Tetiæ gentis fuisse ostenditur ad Atticum L V I.itaq; hic Cælius de Appio loquens, accusatus,inquit,est a quodam suorum Sexto Tetio:nam cũ sextus, antiqui significare uolebant,uel Sex.scribebant,uel S.{L.Iulius L. F. Pom. Annalis}Ex X X X V.tribubus,aliquam(ut inquit Pedianus)necesse erat,cuiuscunq; esset ordinis,ciuis Romanus obtineret.is autem ostendebatur a prænomine suo,a nomine (nomine autem familia significatur)a patris prænomine,a tribu,a cognomine ut Philippica I X.Ser. Sulpitius Q. F. Lemonia Rufus. Lemonia enim tribus est ablatiui casus,ut sit, ex Lemonia, ut inquit Asconius.in lapidibus autẽ antiquis fere semper, in libris aliquãdo prioribus tantummodo literis significari tribus animaduertas,ut in hoc S.C.ubi enim legitur,Pom.scendum est,Pontinam intelligi(nam & Pontina,& Pomptina in lapidibus antiquis,& uetustis libris scriptum est)ubi Pop.Popiliam:ubi Pup.Pupiniam:ubi An. Aniẽsem: quod cum antea non esset exploratum,alii pro An.Capito,duabus uocibus coniunctis legebant Anecapito:Bernardinus autem Rutilius,qui nuper Venetiis obiit,in suis annotationibus credidit, anti quas notas fuisse,quæ significarent, Attii nepos in quo quam deceptus sit,non attinet dicere. si enim ab auo ostendendus aliquis erat,non ab eius nomine,sed a prænomine ostendebatur.Florentini autem in calceoperis,ubi corrigunt impressorum errata,locum,qui recte habebat,deprauarunt:cum enim legeretur, An Capito legendum potius crediderunt, A.N Capito.quos alii postea imitati, in eundem errorem inciderunt, Aniensem tribum non agnoscentes, quæ duabus modo literis,ut iam dixi,scriptura fuerat, quæ me ratio mouit,ut ubi,Paphirrus,una tantum uoce antea legebatur, duabus in nostro libro scriberem,Pup.Hirrus.i. Pupinia Hirrus: tribus enim ante cognomen ponebatur,ut etiam alibi licet uidere.quoniã autem hanc tribuum cognitionem non ita facilem esse perspicimus (nam & Volaterranus,& Alexander,qui dies Geniales scripsit, & alii,quos non necesse est commemorare,parum uidentur in suis libris earum numerum,& nomina tenuisse)studiosis non fore prorsus inutile,aut iniucundum arbitramur,si quæ in hanc rationẽ dispersa in ueterum monumentis leguntur,coacta huc afferamus.

Fuerunt igitur Romanæ tribus X X X V.quarum nomina infrascripsimus,& scriptores aliquot,qui de iis meminerunt, apposuimus,ut inde facilior earum,ac certior unicuiq; cognitio sit.

Aemilia}de qua Cicero ad Atticum xxx.Liuius lib.xxxviii. Antiq.lxxv.

Aniensis}Cicero pro Plancio,Liuius lib.x.familiarium epistolarum cxvii.Antiq.clxxv.& cxc.

Cornelia}Liuius lib.xxxviii.Antiq.cll.

Claudia }Liuius lib.ii.Virgi.lib. vii. Dionysius Halic.v. Antiq. lxxv.& cxiin.

Collina}Varro lib.iiii.de lingua Lati.Plyn.lib.xviii.cap.iii.Sex. Pompeius.Antiq.xxvii.

Crustumina,siue Clustumina}nam in antiquis & lapidibus, & libris sæpissime per l scripta legitur.Cicero pro Plancio,& pro Balbo Antiq cxxxiii.

Esquilinæ}Varro lib.IIII.de lingua Latina Plyn.lib.xviii.cap.iii. Sex.Pompeius in litera V.

Falerina}Liuius lib.ix.Antiq cxx.

Fabia}Horatius episto.vi.lib.j.Suetonius xxxviii. Antiq. lxi. & ccxliii.

Galeria}Liuius lib.xxvii.Ply.lib.vii.cap.xlix.Antiq.lxxxix.& cxlii.

Lemonia}Cicero pro Plancio,& Philippica ix. Sex. Pompeius, Antiq.lxxi.& cli.

Metia}Cicero ad Atticum lxiii.Liuius lib.xxix.Valerius Max. xlix.Sex.Pompeius.

Narniensis}Cicero in Rullum,Liuius lib vi.ubi corrupte legitur Arniensis,& lib.xxix.

Ocriculana}Cicero in Rullum,ubi mẽdose legitur Otriculana.

Oufentina}Liuius lib.ix.Sex.Pompeius in litera V.Antiq. xxix. bis & lxii.

Palatina}Cicero in Verrẽ.iiii.cxxiiii.Asconius. xviii. Varro lib. iiii.de lingua Latina,Plyn.lib.xviii cap.iii.Liuius lib.xx.Sex.Pompeius in litera.V.Antiq.xxix.bis & lxii.

Papiria}Sex.Pompeius,Antiq.lxii & cxxxv.

Pollia}Liuius lib.xxix.Valerius Maxi.cc.Antiq.cx.cxiii.cxlvii.

Popilia}Valerius Maxi.cc familiarium episto.cxvii. Sex.Pompeius Antiq.cccitii.

Pontina}siue Pomptina,utroq; enim modo scribitur:Cic. ad Atticum lxiii.Liuius lib.vii.Sex.Pompeius,Antiq.clxxvi.

Publicia}Liuius lib.vii. Antiq.lxvi.lxxxii.interdum etiam scribitur Poblicia.

Pupinia}Cice.ad Q.Fratrem.cccviii.familiarium epist.cxvii.Liuius dec.cxi.lib.vi.Sex.Pompeius.

Quirina}Asc.lxii.Cicero pro Quinto,ubi antea mendose legebatur Quirinas:familiarium episto. cxvii. Sex. Pompeius, Antiq. xv.xliiii.

Romulia}Sex Pompeius,Cicero in Verrem.ii. item in Rullum, Asconius xviii. Varro lib.iiii.de lingua Latina Antiq.clxv.& in lapide,quem Ferrariæ uidimus.

Sergia}Asconius lxii. Antiq.lxi.lxiii.

Suburrana,}Plynius lib.xviii.cap.iii.Varro lib.iiii. de lingua Latina Sex.Pompeius in litera S,& litera V.

Sapinia}Liuius lib.xxxi.& xli.

Scaptia}Suetonius xxxuiii.Sex.Pompeius,Liuius lib. viii. Antiq.ccccixxvi.

Stellatina}Liuius lib.vi.Antiq.cx.cl.

Sabatina}Liuius lib.vi.Sex.Pompeius.

Terentina}Cicero pro Plancio,Liuius lib.vi.familiarium epist. cxvii.Antiq.cal.cccaaavi.

Tromentina}Sex.Pompeius,Liuius lib.vi.ubi corrupte legitur Promentina: Antiq.cvii.& in Lapide,qui Caietæ est,in quo ita scriptum legitur,L.A T I L L I O.L.F.T R O M E N.

Velina}Cicero ad Atticum la iii.& in Bruto.clxxa.Horatius epistola.v.lib.j.Persius Antiq.aia.

Volitina}Cic.pro Plancio,Antiq lxxv.clv.& in lapide,qui Venetiis est in turri sancti Vitalis,in quo scriptũ est.{Cn. Numerius Cn. F.Vol.Fronto.}

Veientina}Cicero pro Plancio.

Veturia}cuius mentionem in authoribus fide dignis nondum inueni.Hæ sunt X X X V.tribus in quas Vrbs dispertita erat, ea hoc autem numero quatuor tantum urbanæ fuerunt,Palatina,Esquilina,Collina,Suburtana,in quas,ut inquit Ply.transferri ignominiæ esset,dictæ a partibus Vrbis,in queis habitabant:reliquæ omnes rusticæ,laudatissimæ,eorum qui rura haberẽt:quæ propriæ ingenuorum erant,cum urbanæ libertinorum essent,ut author est Asconius X C I I.& L.Florus in epitome lib.X X.Asconium autem, ubi in I I I.oratione in Verrem illud exponit.{V Et X X X.Tribus,} cus de nominibus Sabinarum plures tribus esse factas diaerit,mirari nõ satis possum,cum a Sabinis non tribus,sed curiæ nomina acceperint,ut inquit Liuius lib.I.& Sex.Pompeius de uerborum significatione lib.I I I.Tribus autem unde dictæ sint,uel ea eodem Pompeio,uel ex aliis facile est cognoscere.Vrbem autem in X X X.curias a Romulo,a Seruio autem Tullo,qui multis annis post Romulum regnauit,in I I I I.tantum tribus diuisam esse constat, quæ X X X V.numerum expleuere.Dionysius autem Halic. lib. I I.in is I I I.partes multitudinem omnem,ac trium rursus earum partiũ in denas partes unãquanq; a Romulo diuisam esse scribit: uocatas autẽ partes maiores,tribus:minores,curias.M.itẽ Varro li.I I I I. de lingua Latina agrum Romanum in I I I.partes, unde tribus appellata sit,diuisum fuisse scribit.ex quibus exemplis manifestum est,& tribus a curiis diuersas fuisse,& a Sabinis mulieribuanon tribus,quæ Romuli ætate I I I.modo fuerunt,sed curias esse nominatas.Illud multo magis animaduertendum,diligenterq; considerandum censeo,cur L.Florus in Epitome lib.X I X.duas tribus multis post exactos reges annis adiectas esse dicat,Velinam, & Esquilinã: cum Esquilina ea I I I I.tribubus una fuisset,in quas Seruius Tullius urbem diuiserat.libro etiã V I. Liuius ita scribit:Tribus I I I I. ea bonis ciuibus additæ,Stellatina,Tromentina,Sabatina,Narniẽsis:eæq; X X X V.numerum expleuere.post autem lib.VII. duas tribus ait additas esse,Pontinam,& Publiciam,& duas item lib. I X. Ousentinam,& Falerinam:ut uideatur a se ipso dissentire,nisi,additas,& adiectas,pro auctas(ut quidem ego accipio) dictum uelis. Quæ de tribubus diceremus hæc habuimus.Vbi autem scripsimus Antiq.librũ,qui Romæ olim est impressus,cui titulus est Antiquæ Vrbis epigrammata,significauimus.chartarum autem eiusdem libri numerum subiecimus,ut facilius,quæ uolumus,reperiri possint.

{Ad ex Calen.Mar.}Forte,ex ad Calen.Mart.i.ea Cal.Mart.quod paulo post ostendit.usus est hoc loquendi modo & M.Varro lib.I. de re rustica,etsi libri omnes impressi eo loco deprauati leguntur. ubi enim est,extant ad V I I.Id.Feb.extant ad V I I. Idus Mai, extant ad I I I.Idus Sept.eatant ad I I I.Id.Nou. manuscriptum exemplar habet,ex ad V I I.Id.Febr.ea ad V I I.Id. Maii , ea ad. I I I.Id.Sext.ea ad.I I I.Id.Nou.itaq; legendum est, significat.n. ex eo die qui dicitur,ad.V I I.Id & ex eo die,qui ad.I I I.similiq; locutione usus est ad Atticum alvii nuncii nobis tristes nec uarii uenerant ea ante diem Non.Iun.quod idem est ac si diaisset ex Nonis Iuniis,ut supra ostendimus.illud est animaduertendam, quod ubi in impressis libris legitur,ad I I I I.Calen.ad V I.Id.ad.I I I. Non.& similia,plerũq; in uetustioribus libris pro ad, legitur , a.d. quæ notæ significant ante diem . quod imperiti descriptores cum ignorarent,pro,a.d.scripserunt,ad.

SEBAS. CORR.

C Sempronium Rufum} cuius ὑ[illegible] se cognouisse, ad Atticum scribit Cicero.{Q uæris,qua causa?} Al. quæris, an causa?{Ludos Romanos}Episto.aia.lib.vi.lege Asconium in Verr.2.{Lege,Plotia de ui.}Et si Q.Catullus legem de ui, armata dissensione ciuium,reipub.pene extremis temporibus tulit, constat tamen.M.Plautium Syllanum legem de iudiciis tulisse:ut uideri possit,eodem tempore etiam de ui legem rogasse. {Subscriptore}qui in accusationibus erat secundarum aut tertiarum partium.lege Diuinationem in Verrem.{Nestorium}Al.Vestorium.hic Ciceronis & Attici erat per familiaris, habebatq; nescio quid controuersiæ cum Sempronio,quem uicisse tandem uidetur:cum Cicero ad Atticum scribat,se illius potentiæ inuidere.{Si quid in iniuriis suis esset,quo Nestorius teneretur}Mihi placet (ut mittã quæ ab aliis dicuntur)legere,ut in uetere libro fere scriptũ est: Siquid in iuribus suis esset,quod Nestorius teneret.{Contentio forum tenet}de M.Seruilii præuaricatione,ut ea sequentibus cognoscitur. {M Seruilius}in quem eo tempore Q.{Celer orationem scripsit. {Laterensi}M.Laterensi,qui paucis ante annis cũ Cn. Plantio Aedilitatem petiit,ut tunc suo anno Prætor esset. {Pausania nobis} Sunt qui ex ueteribus etiam libris legant,Pausam a nobis quo modo sæpe locuti sunt ueteres.{Pausa autem illa est quo ea pecunia peruenisset.Cicero quadam quasi appendiculam causæ iudicatæ, atq; damnatæ appellat.nã iubet lex Iulia persequi ab iis , ad quos ea pecunia,quam is ceperit,qui damnatus sit,peruenerit.{Necessarius Attici}propter Pyliam ipsius Attici uxorem. {Eum postulauit}Seruilium.{Appius minor}nam fuit & maior eo tempore , qui Milonem accusauit.{Indicet}Al.imputet.Al implicet. {Causam diceret}Videtur legendum,causa indicet . {Mittit in consilium} Ascon.Ver.iii.{Litem æstimarant}Ascon.{Vt sol.referam}in tabulas absolutum:ut ostendunt sequentia etsi in aliis libris aliter legitur.{Pro absoluto}de præuaricatione.{De diuinatione}lege Asconium.{Iurasset}Al.uitasset.{Scribundo affuerunt}Al.scripta affuerunt.{Q .Metellus Q .F.}adoptione,sed re uera Scipionis Asiatici filius.{Capito.}Al.Ancapito.sed ita legendum est . A.N.Capito: hoc est,Auli nepos,Capito.quod M.Marcellus Coss. S.C.principium.V F.uerba fecit.{D.E.R.I.C.}De ea re ita censuerunt . {C. Paulus}L. Paulus ab omnibus aliis dicitur.{Coss designati.} {Ad Calen.Mart.}Al.ad x.Cal.Mart.Al.A.D ex.a.Calen.Mart.{Dies comitiales}qui erant post Quirinalia hoc est an.Calen. Mart. per quos lege Pupia haberi Senatus non poterat {S.Q .C. } Senatusq; consultum.{Plebemve referri} Al.plebem uel at.omnino legẽdum sit,ut est in Probo,Plebemva latu {Opus esset}post hoc S.C. prid. Cal.oct.factum.{Quibus eorum}fortasse uidendum sit, an ex Probi notis legi oporteat.{Quod eis S.C.A.}S.C.authoritas: ut supra. {Scribendo affuerunt}Al.scripta affuerunt:ut paulo supra . {Quã primum}Al.Q .P.quæ literæ apud Frontinum significant , Quid placeret.{Iulius Pansa}Vibius Pansa,ex ueteribus libris & historia legi debet.{Stipendia merita}emeriti milites.{Causas } causam milites {Totum parat}simulans.nam paulo post transfugit ad populum & pro Cæsare loqui cœpit.Epist.vi.huius libri, quæ post hãc poni debuit.{Ad ludos}Episto.iii.lib.xi.{Superséderi}meis ludis , {Dare necesse est}ludos.

BAPT. EGNA. IN RACEMAT.

Q Vod M.Marcellus N.F.me ad se uel inuitum traxit } In hac epistola sunt hæ in fronte statim appositæ notæ, D.E. R.I.C.quæ sane(ut uideo)sic omnes hactenus torserunt, ut cum multum in illis percipiendis insudarint , tandem uelut animum desponderent,aut inenarratas reliquere , aut (qui morbus iam late serpit)cum minus intelligerent,tanquam nihil cassasq; eraserunt.Est quidem hac tempestate quorundam ea inscitia dicam an insania,ut quæ non ipsi intelligant,statim immutari, statim tolli iubeant,æque ac si Censores,apud quos ne oscedo quidem tuta a multa fuerit,omnes notare,omnibus equum adimere,uel nõ adscripta causa ualeant.Nos,uero,quos non istæc prurigo,uel putius rabies(ut alia sint)tenet,perquisitis diligentius multorũ scriptis,aduertimus eas notas ex ueterum frequentiore usu sic adscribi sæpe solitum.quæ cum id temporis notissimæ essent,nunc desuetudine aut obscuriores,aut superfluæ(si diis placet)æstimãtur. Interpretantur autem notæ illæ ad hanc ferme rationem,D.de.E.ea. R.re.I.ita.C.censuerunt.tametsi Probus est author (hunc credo, Cuius Gellius libellũ de notis citat)pluribus maiores nostros usos ut.s.semper ita plebiscitis & senatusconsultis singulares hasce adscriberẽt literas.Q .D.E.R.F.P.D.E.R.V.I.C.idest,Quod de ea re fieri placeret,de ea re uniuersa ita censuerunt.ut facile in eam sententiam ueniam,quod & Cælius hasce omnes adposuerit, sed sequenti seculo a scriptoribus,quod bis repetitum uidebatur ,'abrasum,amputatumq;.Quod uitium,sed non æque tamen insigne , & Frontini libellum de Aquæductibus,occupauit quibusdam in locis:quos tu ad hunc modum restituas omnes iam facillime, Atque hæc Romanæ urbi scribendi ratio probata est:illa uero Aegypto, ut animalia depingentes,quicquid uellent significarent, &c. Cæterum & illud addimus ueluti corollarium,duas illas in eadem Cælii epistola notas N.& F.nonis Februariis significare , quod addimus, nequis hoc ita quoq; attentare ausit,ut has quoq;,quemadmodum in epistolis Mediolani nuper impressis priores,illas erasere, sic eradat aliquis.Nisi dixeris,Nobilis familiæ potius,quod displicet, interpretandum.

BERN. RVT.

Q Vod is in causa M.Tuccium accusatorem suum post ludos Romanos reum lege Plotia de ui fecit}Lego:Quid, ais,in causa?Frequens enim Cælio,his interrogatoriis inductionibus uti.Nam & alioqui,quæris an causa:quæris in causa,alibi,ut melius,ita non omnino integre legitur . {Quemadmodum tibi pro beneficio dederit,si quod iniurius fuisset, quod Nestorius teneretur}Forte uel in uiis suis,uel in prædiis suis,uel , Iuribus,uel Ruribus. Teneret,certe retineo,ut in aliis est,præter Aldinos.{M.Seruilius,postquam inceperat,omnibus in rebus turbarat, nequid non uenderet,cuiquam relinqueret }Puto melius:M .Seruilius,postquam ut cœperat,omnibus in rebus turbarat,nec quod uõ uenderet,quicquam reliquerat.Itaq; habere Mediolanenses, postea animaduertimus.{ Maximeq; nobis traditus erat inuidiæ }Lego:maximaq; nobis traditus erat inuidia.i.cum iam omnibus esset odio.Idem paulo post:Non dubito,quin perlatum ad te sit,Appii

a Dolabella reum factum. sane non ea quam existimaueram inuidia. {Neq; Laterensis prætore postulante Pausania uobis patronus, quo ea pecunia peruenisset, recipere uoluit. quod Pylius necessarius Attici nostri} Coniunctum cum superioribus scribenda, ut fit ordo sensus: Magna illico fama surrexit, postquam M. Seruilius, &c. ut tamen iudicii istius relatio inde inchoetur, hæc quoque magna nunc contentio forum tenet. Nam ea uerba ad Seruilii iudicium, nō Tuccii pertinent, cuius accusatorem ante calumniam tulisse dixit. Pylium uero idcirco Attici necessarium, quod Atticus Pyliā uxorem haberet, ut in epistolis Ciceronis ad eū sæpe legitur. Sane hic Laterensi repono, quod is hoc iudicio prætor esset: Infra Laterensis, inquit, leges ignorans, pronunciauit &c. uel Laterensis prætor. Pausania uero is erat, quem accusatum de repetundis a Pylio dicit. Cum enim quis repetundarum accusaretur, non modo ipse, sed is etiam ad quem ea pecunia peruenerat, tenebatur. quod quomodo fieret, malo Ciceronis quam meis uerbis ostendere, ne meā quandam doctrinam, nullo authore mihi uidear fingere. Igitur in oratione pro Rabirio, qui eo nomine reus erat, quod pecunia per Gabiniū compilata ad eum peruenisset, ait: Est enim, inquit, hæc causa, quo ea pecunia peruenerit, quasi quædam appendicula causæ iudicatæ atq; damnatæ, sunt lites æstimatæ A. Gabinio, nec prædes dati, nec ex bonis eius potest seruari. lex æqua est. Iubet lex Iulia persequi ab iis, ad quos ea pecunia, quam is ceperit qui damnatus sit, peruenerit. Si est hoc nouum in lege Iulia, sicuti multa sunt seuerius scripta, quam in antiquis legibus, & sanctius iudicata, sane etiam consuetudo huius generis iudiciorum noua sit. Hoc totidem uerbis trāslatum caput est, quod fuit non modo in Cornelia, sed etiam ante in lege Seruilia. Per deos immortales quid agimus iudices? aut quem hunc morem nouorum iudiciorum in Rempublicam inducimus? Erat enim hæc consuetudo nota uobis quidē omnibus: sed, si usus magister est optimus, mihi debet esse notissimus. Accusaui de pecuniis repetundis Iudex sedi, Prætor quæsiui, defendi plurimos: nulla pars, quæ aliquam facultatem dicendi afferre posset, nō mea fuit ita contendo, neminem unquam, quo ea pecunia peruenisset, causam dixisse, qui in æstimandis litibus appellatus non esset. In litibus autem nemo appellabatur, nisi ex testium dictis, aut tabulis priuatorum, aut rationibus ciuitatum. Itaq; in inferendis litibus adesse solebant, qui aliquid de se uerebantur: & cum erant appellati, si uidebatur, statim contradicere solebant. sin eius temporis recentem inuidiam pertimuerant, respondebant postea. quod cum fecissent, permulti sæpe uicerunt. Hæc Cicero. Igitur aut repetundarum reus Pausania noluerat, quo ea pecunia peruenisset, prædes dare, aut prætor eos recipere, quo quasi præiudicio Seruilius prædamnatus existimabatur. {Nunc quomodo dare necesse est} Quando, in alia melius cætera ad hanc epistolam pertinentia, subditumq; senatusconsultum, quod temere in aliam epistolam diuulsum est, in Decuriam contulimus. {Quod Marcus Marcellus Consul N. F. de prouinciis consularibus} Vir doctissimus, & multæ lectionis, Egnatius Venetus quibusdam huius epistolæ notis, quæ statim subiiciuntur, lucem dedit. has uero duas ita est interpretatus, Nonis Februariis. Nos uero, & quod huius clausulæ structuram imperfectam uidebamus, si sic legeretur, & quia senatusconsultorum ueterum Romanorum, quale hoc est cum superiori epistola missum a Cælio ad Ciceronem, aliam fuisse formulam lectione priscorum authorum didicimus, confestim adducti sumus in eam sententiam, ut corrupta nota prior uideretur: atq; pro N, reponendam consonantem V. quæ, Verba significet. Cui consequens fuit, ut posterioris alium sensum diceremus: uidelicet, Fecit. ut sit totum, Verba fecit. Neque enim aliter Cice. locutus est Philippica decima. Quod Pansa consul uerba fecit de literis, quæ a Q. Cepione Bruto proconsule allatæ, & huic ordini recitatæ sunt, de ea re ita censeo. Item octaua: Quod Lucius opimius consul uerba fecit de Repub. de ea re ita censuerunt, uti Opimius consul Rempublicam defenderet. Senatus hæc uerbis: Opimius armis. Item tertia: Quod Tribuni plebis uerba fecerunt, ut senatus Calendis Ianuariis tuto haberi, sententiæq; de summa Reipub. libere dici possint, de ea re ita censeo. Sed & Vlpianus Iurisconsultus, ubi de Velleiano senatusconsulto agit, in Iustinianis pandectis: Cuius, inquit, senatusconsulti uerba hæc sunt, Quod Marcus Syllanus & Velleius tutor consules uerba fecerunt de obligationibus fœminarum, quæ pro aliis reæ fiunt, quid de ea re fieri oporteret, de ea re ita consuluerunt. Tranquillus quoque de Claris Rhetoribus: Fannio (inquit) Strabone, & M. Messala consulibus, M. Pomponius prætor senatum consuluit, quod uerba facta sunt de Philosophis & Rhetoribus, senatores consulti de ea re ita censuerunt, ut M. Pomponius prætor animaduerteret, curaretq;, ut si ei e Repub. fideq; sua uideretur, uti Romæ ne essent. Posset fortassis & aliis testibus comprobari sententia sed hæc abunde satis uisa sunt. Accessit uero coniecturæ huic nostræ, iampridem initæ, exemplaris quoq; cuiusdam manuscripti fides, non illius quidem in plerisq; ualde integri, sed cuius tamen scriptionem extrema pagella cuidā tribueret ludi magistro, alia autem ante eam erat, quæ Franciscum Petrarcham præfe rebat authorem. Vt illud uerum fiat quod Politiano placuisse uideo, de fonte ac capite, unde hi qui extant Ciceroniani codices effluxerint, & deriuati sint. Erat igitur in eo exemplari V, litera, non N, ut iam dubii nihil supersit candido Lectori, cuius quidem officium præstitisse non uidetur hac parte Egnatius (pace eius dixerim.) Profecto enim quemadmodum in codicibus Mediolanensibus duas hasce literas merito expunctas reprehendit: ita par erat, ut se quoq; illas posteriores notas eorundem codicum beneficio intellexisse, non dissimularet. Id satis mirari nequeo obseruationem hanc a Probo Petroq; Diacono in notis præteritā, hasceq; duas literas nunc alia, quam usus fructus, uel Viuens fecit, significatione donatas: cum essent in senatusconsultis frequentissimæ: Sed (ut est apud elegantissimum poetam) nimirum idē omnes fallimur, neq; est quisquam, quem non in aliqua re uidere Suffenū possis. Nos præter hæc addemus ex eadem epistola quædam non omnino spernenda. {Neq; quid prius (inquit) ex Calend. Mart. ad senatum referrent, neq; quid cōiunctim} Lego utrobiq;, Neve quid ex forma antiquarum legum, senatusq; consultorum. quæ lectio in scriptis quibusdam extat exemplaribus. {Sane tum (inquit) uterq; consul faceret} in aliis aliter. nusquam recte. Ego sola coniectura ductus, legendum ita contenderim, Senatusq; consultum facerent. {Quod hi (inquit) non tulissent, utiq; quicunq; deinceps essent, ad populum plebemve referrent} Scribo, non utiq;, sed Vti quicunque deinceps, & reliqua, ut ante. Subiiciemus nunc notas treis, in quas sententiam nostram non cælabimus. {S. A. D.} Corruptas notas arbitramur, uel illam tertiam ex abundanti additam. prima autem Senatorum significare poterit: Altera, Authoritates. ut sit, Senatorum authoritates: uel, Senatores authores. uel, Scripti authores: uel Scriptæ authoritates. Tertiam illam plane ignoramus. Cælii certe non sunt uerba hæc, sed exemplum est senatusconsulti hactenus recitati, inde. s. Quod Marcus Marcellus. Quod ubi scriptum totū est, qui eius authores fuerint, subiicit, quod. s. initio promiserat. Senatusconsultum, inquit, quod tibi misi, factum est, authoritatesque perscriptæ. Statim autem post uerba hæc, exiguo interposito spatio, quasi tituli uice S. C. scribendum fuerit, ut significaretur. Senatusconsultum subiici quod mitteretur. uel, si & hoc placet, addatur eo loco duabus his notis & tertia A. ut authores ostendat. Cætera uero quæ sequuntur, pridie Calen. Octobris & reliqua, male ibi posita sunt. cum post senatusconsulti uerba supponenda fuerint, quod & factum est, ut iam temere repetita uideantur: sicut & id quoque, quod quasi Cælii duæ epistolæ separatæ sunt. Siue igitur hæc, siue illorum senatorum nomina retinere libet (nam & prioris illius senatusconsulti authoritates ante ipsius senatusconsulti uerba scriptæ sunt: ut hæc quoq; residere hoc loco perbelle possint, posterioribus. s. illis abolitis) altera delenda censemus, in quibus tantum alteratis haud modice peccatum est. Atq;, ut alia nunc præteream, quod scribitur. {Lucius Atteius Lucii filius Ancapito} Cum Ancapitones nusquam legerimus, Capitones sæpe, potuit ita notis esse scriptum in hanc sententiam: Lucius Atteius, Lucii filius, Atteii nepos, Capito. Sane, quod relatis authoritatibus alterius senatusconsulti subiicitur, alterum senatusconsultum est cuius initiū: Q. & Marcus Marcellus us de prouinciis. in quo pro ue, scribimus (ut supra quoq;) Verba fecit. erant enim notæ duæ, V. F. quod cum non intelligerent, nec Vf. scribi posse uiderent, Ve, scriptum est. {Senatusq; consulto, inquit, fieri posse} Vera lectio, ni fallor, Senatusq; cōsultum fieri possit. Item illud. {P. Ro.} Scribetur integre, Prætoriam. Id quoq; non recte. {Nam si mihi non dedisset eas. quæ ad ludos ei aduectæ erant Africanæ, potuit supersedere} Lego igitur, Potui supersedere: uel, Potuit supersederi. ex sensu. s. a dandis muneribus. id enim est quod supra dixit, Et mihi suo munere negocium imposuit. Aliaq; item epistola: Turpe tibi erit, Patiscum Curioni decem pantheras misisse, te non multis partibus pluria quas ipsas Curio mihi & alias Africanas decem donauit, ne putes illum: & reliqua. Ita factum iam nostra (puto) erit opera, ut epistola hæc quam antehac non secus multi uitarant, quam nautæ (ut ille inquit) infames scopulos Acroceraunia, commode omnibus legi possit: nec legi solum, sed etiam exactissime intelligi. Quod autem supra in senatusconsultis est, Authoritatesq; perscriptæ, nominaq; authorum senatusconsulti relata: significat idipsum Cicero libro de Oratore tertio, fieri consuesse, cum de L. Crasso loqueretur: Perennules (inquit) cum uehementissima contentione animi, ingenii, uirium, ab eo dicta esse constabat, sententiamq; eam, quam senatus frequens secutus est, ornatissimis & grauissimis uerbis, ut populo Romano satisfieret, nunquam senatus consilium Reipublicæ, neq; fidem defuisse, ab eo dictam, & eundem (id quod in authoritatibus præscriptis extat) scribendo affuisse. Quod tantum abest ut Leonicenus ille interpres assequatur, ut nescio quid ex Liuio nugetur ineptissime, dum nihil nescire pudet.

ETsi de Republica} Variæ narrationes. {Lege Plotia} Lex plotia fuit de oppugnantibus domos. PHIL. MEL.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Et nunciatoria, & petitoria, & commendatoria hæc epistola est. narrat enim quæ Romæ agantur: & pantheras admodum sollicite petit: & M. Fe- thium equitem Ro. ei commendat.

M. Cælius

M. CÆLIVS M. CICERONI S. D. 9

SIc tu inquis, Hirrum tractasti? im mo si scias quàm facile, quàm ne contentionis quidem minimæ fuerit: pudeat te, ausum illum unquã esse incedere tanquam tuum competitorem. post repulsam uero risus facit: ciuem bònum ludit, & contra Cæsarem sententias dicit: expectationem corripit: Curionẽ prorsus non mediocriter obiurgatus. hac repulsa se mutauit. præter ea qui nunquam in foro apparuerit, non multum in iudicijs uersatus sit, agit causam liberaliter, sed raro post meridiem. De prouinciis quod tibi scripseram Idib. Sex. actum iri, interpellat iudicium Marcelli Coss. des. in Calen. reiecta causa est. ne frequentiam quidem efficere potuerant. has literas ad. I I I I. Non. Sept. dedi, cum ad eam diem ne* profligatum quidem quicquam esset. ut uideo, causa hæc integra in proximum annum transferetur: &, quantum diuino, relinquendus tibi erit, qui prouinciam obtineat: nam non expedietur successio, quando Galliæ, quæ habent intercessorem, in eandem conditionem, quàm cæteræ prouinciæ, uocantur. hoc mihi non est dubium: quo tibi magis scripsi, ut ad hunc euentum te parares. Ferè literis omnibus tibi de pantheris scripsi turpe tibi erit, Patischum Curioni decem misisse, te nõ multis partibus pluris. quas ipsas Curio mihi, & alias Africanas decem donauit, ne putes illum tantum prædia rustica dare scire. tu, si modo memoria tenueris. & Cybiratas accersieris, itemq; in Pamphyliam literas miseris (nam ibi pluris capi aiunt) quod uoles, efficies, uehementius laboro nunc, quòd seorsum à collega puto mihi omnia paranda. Amabo te, impera tibi: hoc cura: soles libenter, ut ego, maiorem partem nihil curare: in hoc negocio nulla tua, nisi loquendi cura est, hoc est imperandi, & mandandi. nam simul atque erunt captæ, qui alant eas, & deportent, habes eos, quos ad Sitianem syngrapham misi. puto etiam, si ullam spem mihi literis ostenderis, me isto missurum alios. M. Fetidium, equitem Romanum, amici mei filium, bonum, & strenuum adolescentem, qui ad suum negocium istuc uenit: tibi commendo: & te rogo, ut eum in tuorum numero habeas. agros, quos fructuarios habent *ciuitates, uult tuo beneficio, quod tibi facile, & honestum factu est, immuneis esse, gratos, & bonos uiros tibi obligaris. Nolo te putare Fauonium à columnariis præteritum esse. optimus quisque eum non fecit. Pompeius tuus aperte Cæsarem uetat prouinciam tenere cũ exercitu, & Consulem esse. tamen hanc sententiam dixit, nullum hoc tempore S.C. faciendum: Scipio hanc, ut Calen. Mart. de prouinciis Gallijs, neu quid coniunctim, referretur. Contristauit hæc sententia Balbum Cornelium: & scio eum conquestum esse cum Scipione. Callidius in defensione sua fuit disertissimus, in accusatione satis frigidus. Vale.

*al. promulgatũ.

*al. Cybirate.

ASCENSIVS.

SIc Tu inquis &c. Hac epistola etiam subobscura docet Cælius, quid Romæ agebatur, instat de Pantheris captandis, & cõmendat Ci. M. Fetidium. Ordo est. Tu inquis. s. in epistola, quæ nõ extat. Tu o Cæli tractasti Hirrum sic. i. superasti eũ cum explosione. Immo sup. id dicas, aut mireris, si scias quã. i. quãoñ facile sup. tractauerim sic Hirrum, quáq. i. & quantũ fuerit nequidẽ. i. nõ saltẽ minimæ contentionis. i. laboris, ac difficultatis. pudeat te illum. s. Hirrum ausum esse unquã incedere. s. pompose, tanquã cõpetitorẽ tuũ hoc est, q cũ nõ sic uicisti, ut nõ ausus sit se amplius tecum conferre. Vero. i. sed Hirrus sup. facit nobis risus. i. præbet materiã risus, post repulsam, ludit. i. ad ludum nobis faciendum agit bonum ciuem. i. Reip. fauentem, & dicit sententias contra Cæsarẽ, & corripit expectationem. i. dilationem executionis sententiarum contra Cæsarem latarum obiurgatus: deponentaliter ponit, cum etiam actiue dicatur obiurgo, prorsus. i. in omnem partem, Curionem, non mediocriter. i. uehemẽter, quod. s. lentius in Cæsarem agat. Nã in superiore epistola dictũ est. Curio se contra eũ, uidelicet Cæsarẽ, totũ parat, sed tamẽ idẽ postea corruptus pecunia Cæsaris, totus a Cæsare stetit. Vnde Luca. Venalis Curio linguæ Hirrus sup. mutauit se. i. mores suos, hac repulsa. s. in ædilitatis petitione accepta. Præterea ipse, qui nunquam apparuerit in foro, non uersatus multũ in iudiciis, agit causam liberaliter q d. sine exactione magnæ pecuniæ, quia si eã exigeret, nullam causam agendam haberet, sed raro agit post meridiẽ, aut quia ueneris causa agit & ita pransus nihil facit, aut quia potus agere nihil potest, aut quia hora nona claudebatur forum, unde meretrix tunc prostare promissa, Nonaria, dicta est. Quod scripserã tibi actũ iri. i. quod ageret de prouinciis, Idib. Sext. aut sextilibus. i. augusti mensis, iudicium Marcelli consulis designati reiectum in Cal. Feb. eiusdem mensis, interpellat. i. impedit, ne quidem. i. ut non saltem potuerit efficere frequentiã. s. senatus. Ego dedi. i. misi, tibi has literas ad IIII. nonas Septemb. cũ ne quidẽ. i. non saltem, quicquã esset profligatum. i. confectum ad eam diem. i. usq; ad IIII. nonas Septẽb. ut. i. quantum uideo, hæc causa trãsferetur integra. i. intacta, in proximum annum, & quãtum diuino, idest futurũ autumo, sup. aliquis locum tuum tenturus, erit relinquẽdus tibi qui obtineat prouinciã idest regat eam, donec successor mittatur, nam successio nõ expeditur, idest nõ fit mature, quando: idest quoniam, Galliæ, quæ habent intercessorem: idest oppositorem, & impeditorem successionis, uidelicet Cæsarem, uocautur in eandem conditionem, in quam cæteræ prouinciæ, & ita si Gallis nõ detur successor, nec aliis dabitur. Hoc non est mihi dubium, quo: idest quo circa, aut quanto magis scripsi tibi ut parares te ad hunc euẽtum. Ego scripsi tibi fere omnibus literis de Pantheris. s. capiendis, & mittendis ad ædilitatis põpam exhibendam. Turpe erit tibi Patischum. i. minus potentẽ amicum, misisse Curioni decem Pantheras, te non sup. misisse, aut mittere plures. s. quam decem, multis partibus, idest e multis locis prouinciæ tuæ. Quas ipsas. s. decem pantheras, Curio donauit mihi, & alias decem Africanas. Ne putet illum scilicet Curionem, scire dare tantum prædia rustica, quæ uidetur Curio in detrimentum suam dedisse, unde tacite ridet eum. Tu, si modo tenueris memoria, & accersieris. i. aduocaris, & . i. etiam, Cybiratas. s. uenatores ex Cybira urbe Asiæ aut ut Huber. uult, accersieris. i. adduci feceris, & . i. Cybiratas. s. Pantheras, iuxta Cybira captas itemq; miseris literas in Pamphyliam, quæ non procul a Cilicia est Nam aiunt. s. qui illinc ueniunt, plures capi ibi, tu efficies quod uoles. Ego laboro. i. curo hoc nunc uehementius, quod puto omnia paranda mihi seorsum a collega. i. coædili. Amabo te, blandientis uox, impera tibi, cura. i. ut cures hoc, tu soles libenter nihil curare, ut ego maiorem partem, sup. curare soleo, & nõ totũ negociũ, aut ut ego nihil curare soleo maiorem partem. Nulla cura tua est in hoc negocio s. mittendi pantheras, nisi loquendi. i. mandandi. Nam simulatq; i. statim post quã captæ erunt, habes eos qui alant, & deportent eas, quos misi ad Syngrapham Sitianã. i. ex pecunia ex illius obligatione recipienda impensas faciant. Puto etiam si nullam spem. s. in syngrapha haberem sup. te pecuniam expensurum, aut quid simile more suo inuoluit, deinde obscurius addit, ut in textu uitiũ sup. nihil est cætera probabitur mihi. i. mihi placebunt. Mar. &c. Aggreditur secundam partem epistolæ, dicens Commendo tibi Mar. Fetidium, equitem Romanum, filium amici mei, adolescentem bonum & strenuum, qui uenit istuc. i. ad te ad negocium suum. s. curandum. Et rogo te, ut habeas eum in numero tuorum uult agros. s. suos, quos ciuitates. s. Ciliciæ habent fructuarios. i. fructum pendere obligatos, esse immunes. i. liberos, ab ea pensione tuo beneficio. i. per beneficium tuum: quod est tibi facile, & honestum factu uis fiat: uidetur tamen hic accipi, ut facias. Tu sup. si id feceris, obligaris pro obligaueris tibi uiros. s. patrem & filium gratos & bonos. Nolo te putare Fauoniũ, aut, ut alii legunt Fauolum, esse præteritum. i. neglectum a columnariis. i. aut ad columnas scribentibus, aut opus columnarum curantibus. optimus quisq; non fecit eum. s. obnoxium, aut tanti. Pompeius tuus, uperte supple pronunciauit Cæsarem, &: idest simul, tenere prouinciam cum exercitu, & consulatum, ipse tamen dixit hanc sententiam, uidelicet nullum senatusconsultum faciendum hoc tempore. Scipio supple tulit, hanc scilicet sententiam, ut referretur, idest consultaretur Calend. Martiis, de prouinciis Gallicis, neu, idest neve, quid referretur coniunctim: scilicet de aliis prouinciis, hoc est quamuis in Galliam non mitteretur successor, non ideo in alias prouincias non esse mittendum. Hæc sententia, scilicet Scipionis contristauit Balbum Cornelium, & scio eum conquestum esse cum Scipione, scilicet eius sententiæ authore. Callidius fuit disertissimus, idest facundissimus in defensione sua, idest in se defendendo, & fuit satis frigidus, idest negligens in accusatione scilicet aduersarii sui. Omnia autem obscure dicit, quia de rebus Cice. facile notis loquitur.

VICTORIVS.

AGit causam liberaliter] Vetusti codices. [Liberalis] pro, liberaliter. Si igitur liberalis, accusandi casu intelligas, causas, legere oportebit, ut numeros copules, uel contra facere

non est autem contemnenda haec lectio, quae essent causae liberales notissimum est. Cice. etiam pro Flacco, atq; huic eidem nuper tres equites Ro. honesti, & graues cum in causa liberali eum qui assere bant, cognatum suum esse diceret, non crediderunt. {Agros quos fructuarios habent ciuitates} in uetustis codicibus legitur. {Habet} quod suspicionem mihi auget: nam de mendo ob alias etiam causas ualde timeo. Quidam legunt. {Cybirate} quod diligentius considerandum est. Est autem in VI. ad Atti. locus huic ualde similis & affinis, de quo non minus male existimo. Nam Caelius libertum ad me misit & literas accurate scriptas, & de pantheris: sed a ciuitatibus rescripsi, &c. Videtur enim & illic nonnihil inesse mendi. tota res accuratius animaduertenda: nihil adhuc certi habeo quod asseram.

Ex poste. eiusdem. CVrionem prorsus non mediocriter obiurgatus hac repulsa non mediocriter obiurgatus hac repulsa se mutauit} Quare non assentior illis, qui uoce hac. {Obiurgatus} offensi, censent aliter legendum esse: nulla enim illius lectionis in antiquis codicibus uestigia inuenio.

PAVL. MANV. CVrionem prorsus non mediocriter obiurgatus hac repulsa se mutauit} Obiurgatus, uidetur hic esse uerbum deponens quod alibi non memini me legisse. itaq; libentius ita legerim, Curionem prorsus non mediocriter obiurgat. s. hac repulsa se mutauit. ut una literas esse s. significetur. {Soles libenter, ut ego, maiorem partem nihil curare} Locus ita interpungendus, & est antiqua locutio, qua etiam usus est C X X X I I I I. epistola ad Paetũ lib. I X. decimaquinta. Intellexi tamen (inquit) idem, quod his intelligo literis, non existimasse te mihi licere, res has non omnino quidem, sed magnam partem relinquere & alibi saepius. Caesar autem initio lib. iiii. de bello Gallico, Magnam partem lacte, atq; pecore uiuunt & Lucretius lib. iii. pagina X L. haec uulgeta uitae. Nõ minimam partem mortis formidine aluntur. {Agros, quos fructuarios habent ciuitates} Ita legitur in duobus libris manuscriptis Ioãnis Scalae: alii, uetusti in codicibus non, habent, sed, habet, se legisse dixerunt.

SEBAS. CORR. CVrionem} Alii legunt, a Curione: alii Curionis. {Causam liberaliter} Al. causas liberaleis. {Tibi scripseram} Epist. iiii. huius libri. {Marcelli. Coss. dies} cum L. Paulo. {Profligatum} Germani libri habent promulgatum. {Al. Collega} M. Octauio. {Ciuitates} Alii legunt Cybiratae. {Calumniaris} De hoc loco in Quaestura diximus {Callidius} Episto. I I I I. huius lib. {Frigidus} more suo. lege librum de Claris oratoribus.

BERN. RVT. AGit causam liberaliter} in aliis uarie. ego ita puto: Agit causas liberales: idest ad liberalitatem pertinentes: seruorum. s. qui se in libertatem uindicarent, causas defendit. {De prouinciis, quod tibi scripseram idibus sextilis actum iri, interpellat iudicium Marcelli consulis designati in Calen. reiectum, ne frequentiam quidem efficere potuerat} Diuulsa oratio. uide num ita rectius: De prouinciis tibi scripseram idibus sextilis actum iri, interpellat iudicium Marcelli consulis designati in Calen. reiectum, ne frequentiam quidem efficere potuerat. Nam mediolanensis omnino clarius, ita, In Calen. reiecta est causa: & reliqua ut sit causa. s. prouinciarum interrupta iudicio Marcelli. {Ne profugatum quidem quicquam esset} Alii habent, profligatum. non improbo. Cicero in oratione de prouinciis consularibus: A quo profligata sunt cõfici uelle. Item supra. {Quam ne contentionis quidem maximae fuerit} quam ne, melius. (Et Cybiratas accersieris) non pantheras, ut interpres: sed homines, qui pantheras capiant. {Põpeius tuus aperte Caesarem, & prouinciam tenere cum exercitu, & consul ipse, tamen hanc sententiam dixit} Quid si legas, Pompeius tuus aperte, Caesar & prouinciam tenere cum exercitu, & consul? quasi id admiretur Pompeius. Inde: ipse tamen hanc sententiam dixit, ut aliquid domi atq; in foro, aliud in senatu & rogatus dixerit. Nam alioqui egregius simolator semper est habitus Pompeius. Caelius supra de Pompeio: Tu si Pompeium, ut uolebas, offendisti, qui tibi uisus sit, & quam orationem habuerit tecum, quamq; ostenderit uoluntatem (solet enim aliud sentire, & loqui: neq; tantum ualere ingenio, ut non appareat, quid cupiat) fac mihi perscribas. Et Cicero ad Atticum pluribus locis. Sane Subdubito, recte ne superiori epistolae cõmendatio Fetidiana, adnexaq; ei, coniuncta sint.

Cael. Rhod. Antiq. lect. lib. xx. c. 54. COlonarios in epistola Caelii humiliores intelligimus homines, fortecq; rusticanas tribus. Nolo te putare, inquit, Fauonium a Colonariis praeteritum, optimus quisq; nihil eum fecit. Sic enim uidetur legendum. In epistolis ad Atticum, colonariũ esse arbitror uectigal, quod pro re penderetur rustica De aquaeductu, inquit, probe fecisti: Colonarium uide ne ullum debeamus. quanquam eam illic commutatam esse legem.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Exponit Ciceroni quis rumor in urbe sit de Parthorum copiis: & ut certiorem eius rei faciat petit. Deinde quid deliberauerit senatus in ea re, edocet, postremo operam suam Ciceroni de succedendo ei pollicetur.

M. CAELIVS M. CICERONI S. D. 10

SAne quam literis C. Cassii, & Deiotari sumus commoti. nam Cassius, cis Eufratrem copias Parthorum esse scripsit: Deiotarus, profectas per Commagenem in prouinciam nostram. ego quidem praecipuum metum, quod ad te attinebat, habui, qui scirem quàm paratus ab exercitu esses, nequod hic tumultus dignitati tuae periculum afferret. nam de uita, si paratior ab exercitu esses, timuissem. nunc haec exiguitas copiarum, recessum, non dimicationem mihi tuam praesagiebat. hoc quomodo acciperent homines, quàm probabilis necessitas futura esset, uereor etiam nunc, neque prius desinam formidare, quàm tetigisse te Italiam audiero. sed de Parthorum transitu nuncii uarios sermones excitarunt: alius enim Pompeium mittendum, alius ab urbe non remouendum, alius Caesarem cum suo exercitu, alius Consules, nemo tamen ex S.C. priuatos. Consules autem, quia uerentur ne illud S.C. fiat, ut paludati exeant, * aut contumeliose praeter eos ad alium res transferatur, omnino senatum haberi nolunt, usque eo, ut parum diligentes in Repub. uideantur. sed honeste, siue negligentia, siue inertia est, siue ille, quem proposui, metus, latet sub hac temperantiae existimatione, nolle prouinciam. à te literae non uenerunt: & nisi Deiotari subsecutae essent, in eam opinionem Cassius uenerat, quae diripuisset ipse, ut uiderentur ab hoste uastata, finxisse bellum, & Arabas in prouinciam immisisse, eosq; Parthos esse, senatui renunciasse. quare tibi suadeo, quicunque est istic status rerum, diligenter, & caute perscribas: ne aut uelificatus alicui daris, aut aliquid, quod referret scire, reticuisse. Nunc exitus est anni: nam ego has literas ad X I I I I. Cal. Dec. scripsi. planè nihil uideo ante Calen. Ian. agi posse. nosti Marcellum, quàm tardus & parum efficax sit, itemq; Seruium, quàm cunctator. cuiusmodi putas hos esse? aut qui id, quod nolint, conficere posse, qui, quae cupiunt, tamen ita frigide agunt, ut nolle existimentur? nouis magistratibus autem si Parthicum bellum erit, haec causa primos menseis occupabit. sin autem aut non erit istic bellum, aut tantum erit, ut uos, aut successores paruis additis copiis sustinere possint: Curionem uideo se dupliciter iactaturum: primum: ut aliquid Caesari adimat: inde, ut aliquid Pompeio tribuat, quod uis, quamlibet tenue munusculum. Paulus porrò non humane de prouincia loquitur. huius cupiditati occursurus est Furnius noster. plureis suspicari non possum. haec noui alia, quae possunt accidere, non cerno. multa tempus afferre, & praeparata multa scio. sed intra fines hos quaecunque acciderint, uertentur. illud addo, actiones C. Curionis de agro Campano, de quo negant Caesarem laborare, sed Pompeium ualde * uelle, ne uacuus aduenienti Caesari pateat. Quod ad tuum decessum attinet, illud tibi non possum polliceri, me curaturum, ut tibi succedatur: illud certe praestabo, ne quid amplius prorogetur. tui cõsilij est, si tẽpus, si senatus coget, si honeste à nobis recusari non poterit, uelis ne perseuerare. mei officii est meminisse, qua obtestatione decedens mihi, ne paterer fieri, mãdaris.

*al. Et.
*al. nolle.

ASCENSIVS. SAne quam &c. Scribit Caelius se commotum esse uehementer ob nuncium, quem acceperat de Parthis, qui ferebantur transisse Eufratem idq; causa Ciceronis, quem sciebat non habere exercitum idoneum ad tantum hostem repellẽdum. Deinde exponit, qui sermones essent in urbe super huiusmodi terrore. Rogatq; Cice. ut ad se scribat diligenter, quomodo sese res habebat, pollicetur q; se curaturum, ut ipsi succedatur. Ordo est. Nos sumus sane quam. i. ualde, commoti, literis Caii Cassii, & Deiotari. s. regis Armeniae. Nam Cassius scripsit copias. i. exercitus copiosos Parthorum, esse cis Eufratẽ. i. transisse Eufratẽ Romanã prouinciã uersus. Deiotarus sup. scripsit profectas scilicet copias Parthorum, in prouinciam nostram, scilicet Romanam per Commagenam: scilicet partem illam Syriae, ego quidẽ habui praecipuum metum, quod: idest quantum attinebat ad te. i. aspe

ctare

ftaret ad periculum tuum, qui scirem, quam.i.quantum, hoc est quantum parum paratus esses ab exercitu.i.quantum ab exercitu auxilii sperares, ne hic tumultus afferret dignitati tuæ, quod.i.aliquod periculum s.aut uitæ, aut famæ Nam si esses paratior ab exercitu.i.si haberes exercitum satis instructum, & copiosum, timuissem de uita.s.tua, quia sciebam te pugnam non detractaturum. Nunc exigui.co.præsagiebat i.quodam præsagio futurum denunciabat, secessum i.tuum, non dimicationem tuam. Vereor etiam nunc quo modo omines acciperent.i.interpretarentur hæc.s.te, ob paucitatē copiarum recessisse, si forte recesseris, & quam.i.quantum, probabilis necessitas.s.recedēdi futura esset Neq; desinam formidare prius quam audiero te tetigisse Italiam. Sed nuncii excitarunt sermones uarios, & ita minus constantes, de transitu Parthorum. Enim: pro quia. alius: sup.censet, aut dicit, Pompeium mittendum.s.cōtra Parthos, alius sup.censet Pompeium non remouendum ab urbe alius sup.censet Cæsarem sup.mittendum, cum suo exercitu.s.quem habet in prouincia. Alius, sup.censet consules mittendos, nemo tamē ex senatusconsulto censet, sup.priuatos.i.non fungentes magistratu sup.mittendos Consules autem nolunt omnino senatum haberi .i.consultationem de ea re fieri, quia uerentur ne illud senatusconsultum.i.decretum senatus fiat.s.ut consules exeant in bellum paludati.i.ueste imperiali, ut ad publicos hostes proficiscentes insigniti, & uel ant uerentur, ne res transferatur ad alium.s.imperatorē præter eos, contumeliose.i.quod in contumeliam eorum cederet, si senatus plus spei in alio reponeret, usq; eo.i.intantum, sup.nolunt senatum haberi, ut uideantur parum diligentes in Rep sed sine negligentia est, siue inertia, siue ille metus quem proposui.i.modo dixi sup.ea, aut is latet.i.occultatur honeste, sub hac existimatione.i.opinione temperantiæ, nolle.i.quod ipsi nollent obire, aut eripere tibi prouinciam. Literæ non uenerunt.i.non sunt missæ ad senatū a te, & nisi literæ, supple Deiotari.s.regis essent subsecutæ s.literas Cassii, Cassius uenerat.i.uenisset in eam opinionem, finxisse, idest quod finxisset bellum, ut ea quæ ipse rapuisset, uiderentur uastata ab hoste, & immisisse Arabas in prouinciam, Cice autem confirmauit Arabas fuisse in habitu Parthico: & renunciasse: idest significasse senatui eos esse Parthos. Quare ego suadeo tibi, quicunq; iste status rerum est, supple ut perscribas diligenter, & caute, ne uidearis alicui, aut uelificatus, idest uelo tectus detulisse, sicut apud Iuuenalem. Velificatus Athos. per uelum autem tentorium intelligo. Huberti. nauigasse exponit, aut reticuisse aliquid, quod referret: idest expediret fere. Exitus anni, scilicet tui in prouincia, est: idest appropinquat nunc. Nam ego scripsi has literatis ad xiiii. Cal. Decemb. & plane: idest omnino nihil uideo posse agi ante Calen. Ianua. in quibus est noui anni principium. Tu nosti Marcellum, quam: idest quantum tardus sit, & quam parum efficax: scilicet ad procurandū tibi successorem, itemq;: idest & similiter, nosti, quam: idest quantū: Seruius: scilicet Sulpitius sit cunctator: idest immorator. Cuiusmodi putat hos esse, aut qui: idest quomodo, putas eos, supple posse cōficere: idest perficere, id quod uelint: scilicet confici, qui agunt ita frigide ea quæ cupiunt ut existimentur nolle. Autem: idest sed, si bellum Parthicum erat, hæc causa occupabit nouis magistratibus primos menses. Siu autem: idest sed si, aut non erit isti libellum, aut tum: idest tunc. post nouos magistratus erit, ut successores: scilicet uestri, possint sustinere: idest defendere contra Parthos uos, paruis copiis additis. Ego uideo: idest confidero, Curionem iactaturum: id est periculo obiecturum se dupliciter primum ut adimat idest auferat aliquid Cæsari, cui tunc aduersabatur: idest deinde, ut tribuat Pompeio aliquod munusculum, quoduis: idest quodlibet, & quam libet: idest quantum libet, tenue: idest exile, & modicum. Porro: id est sed, Paulus: scilicet Aemylius, loquitur de prouincia non humane. Furnius noster: scilicet communis amicus, occursurus est: idest obstabit cupiditati huius: scilicet Pauli, ego non possum suspicari plures: scilicet occursuros. Ego noui hæc, & non cerno: scilicet animo alia quæ possunt accidere. Scio tempus: scilicet noui anni, afferre multa: scilicet noua, & multa esse præparata: scilicet ut fiāt sed quæcunq; acciderint, uertentur intra hos fines: scilicet præsentis anni. Illud addo ad actiones. C. Curionis de agro campano: scilicet ad uoluntatem Cæsaris, diuidendo, de quo, scilicet agro uegant: scilicet pleriq; Cæs. laborare: idest solicitum esse, sed Pompeium ualde nolle, scilicet ut diuidatur, ne pateat Cæsari uenienti, scilicet ex Gallis uacuus, scilicet Romano milite. Quod, id quantum attinet ad decessum tuum, scilicet ex prouincia, ego nō possum polliceri me curaturum illud, ut succedatur tibi certe, idest haud dubie præstabo, idest exhibebo, illud, ne, scilicet prouincia prorogetur, idest extendatur tibi amplius. Est tui consilii, idest pertinet ad consilium tuum, si tempus coget, & si non poterit recusari a nobis, scilicet qui pro te precamur honeste, ne, idest an, uelis perseuerare, scilicet in prouincia. Mei officii est meminisse, qua obtestatione tu decedens mandaris pro mandaueris mihi, ne paterer fieri, scilicet prorogationem imperii.

SEBAS. CORR.

Caii Cassii} Hic quæstor, interfecto M. Crasso, reliquias legionum conseruauit, & Syriam in Pop. Ro. potestate retinuit, & postea pro quæstor has literas scripsit, hic etiam postea in Cæsarem coniurauit. {Deiotari} Regis Armeniæ minoris, pro quo extat Ciceronis oratio. {Paulus} Coss. des. {Furnius} Tribu. pleb.

BERN. RVT.

Cuiusmodi putas hoc esse?} Scribo, hos esse. quod præterissem, si non omnia exemplaria in eam mendam ueluti conspirassent. {Aut tum erit, ut uos aut successores, paruis additis copiis, sustinere possint} Melius forte, aut tantum erit. nisi uero ad temporis opportunitatem, anniq; referatur. Scimus autem, Tantum ita scriptum, tantum, quam in tum facile defluat. {Ne aut uelificatus alicui dicaris} Velificatus, alibi significat blanditus & gratificatus. Vtitur uerbo (quod adhuc animaduerterim) Florus, de Valerio publicola loquens, Domus enim suæ ruina (si satis memini) uelificatum eum plebi ait. {Tamen ita frigide agunt, ot nolle existimentur nobis magistratibus autem si Parthicum bellum erit hæc causa primos menses occupauit} Indistincta Lectio. lego, Nouis magistratibus autem, si Parthicum bellum erit, &c. ut Manutiam: hoc est, initio futuri anni. Interpres enim hallucinatur. Si quis, Nobis magistratibus, idest, cum nos erimus magistratus, hoc est futuro anno (Nam designatum ante ædilem scimus) acriter tueatur, pace mea faciet, non etiam sententia {Illud addo ad actiones. C. Curionis de agro Campano} aut Ad abundat, aut ita distinguendum, ut post Curionis uerbum paulisper subsistatur. idipsum est, quod addit a se ait.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Narrat Ciceroni Cælius, quam fuerit contentio in Senatu, ob relationē supplicationum, pro re gesta fortiter pro Cicerone.

M. CÆLIVS M. CICERONI S. D. 15

*NOn diu, sed acriter nos tuæ supplicationes torserunt: incideramus enim in difficilem nodum: nam Curio tui cupidissimus, cui omnibus rationibus * comitiales eripiebantur, negabat se ullo modo pati posse, decerni supplicationes: ne si quid furore Pauli adeptus esset boni, sua culpa uideretur amisisse, & præuaricator causæ publicæ existimaretur. itaque ad pactionem descendimus, & confirmarunt Consules se his supplicationibus in hunc annum non usuros. planè quod utrisque Consulibus gratias agas, est, Paulo magis certe: nam Marcellus sic respondit ei, spem in istis supplicationibus non habere: Paulus se omnino in hunc annum non edicturum: renunciatum nobis erat, Hirrum diutius dicturum: prehendimus eum: non modo non fecit: sed, cum de hostibus ageretur, & posset rem impedire, si, ut numerarentur, postularet, tacuit: tantum Catoni assensus est qui de te iam locutus honorifice, non decrerat supplicationes. tertius ad hos Fauonius accessit. quare pro cuiusque natura, & instituto gratiæ sunt agendæ, his quòd tantam uoluntatem ostenderunt pro sententia, cum impedire possent, non pugnarunt: Curioni uero, quòd de suarum actionum cursu tua causa deflexit. nam Furnius, & Lentulus, ut debuerunt, quasi eorum res esset, unà nobiscum circumierunt, & laborarunt. Balbi quoque Cornelij operam, & sedulitatem laudare possum: nam cum Curione uehementer locutus est, & eum, si aliter fecisset, iniuriam Cæsari facturum dixit: tum eius fidem in suspicionem adduxit, decrerant * qui inique transigi uolebant, Domitij, Scipiones. quibus hac re ad intercessionem euocandam interpellantibus, uetustissime Curio respondit, se eo libentius non intercedere, quòd quosdam, qui decernerent, uideret confici nolle. Quod ad Rempub. attinet, in unam causam omnis contentio contecta est, de prouinciis inquam adhuc. incubuisse cum senatu Pompeius uidetur, ut Cæsar ante Id. Nou. decedat. Curio omnia potius subire constituit, quā id pati: cæteras suas abiecit actiones. nostri porrò, quos tu bene nosti, ad extremū certamē rem deducere non*

*al. conciones.

*al. qui nunquam intr.

*al. audēt *audent. *Scena rei totius hæc Pompeius tanquam Cæsarem non*
sũma rei. *impugnet, sed, quod illi æquum putet, constituat, ait Curionem quærere discordias, ualde autem non uult, planè timet, Cæsarem. Coss. designari prius, quàm exercitum, & prouinciam tradiderit. accipitur satis male à Curione: & totus eius secundus consulatus exagitatur. hoc tibi dico: si omnibus rebus prement Curionem Cæsar defendetur: intercessorē si (quod uidentur) reformidabunt, Cæsar, quoad uolet, manebit. quam quisque sententiam dixerit, in commentario est rerum urbanarum: è quo tu, quæ digna sunt, selige: multa transi, in primis ludorum explosiones: & funerum, & cæterarum ineptiarum plura habet inutilia. denique malo in hanc partem errare, ut quæ non desideras, audias, quàm quicquā, quod opus est, prætermittatur. Tibi curæ fuisse de Siciano negocio, gaudeo. sed quando suspicaris minus certa fide eos tibi uisos, tanquam procurator sic agas rogo. Vale.*

ASCENSIVS.

NOn Diu. Rebus bene gestis in Cilicia, ut uisum est lib. ii. Rogauerat Cice. Cælium, ut ille curaret sibi supplicationes decerni, idq; alios itidem rogauerat non ignorãte Cælio, qui nunc scribit quid quisq; aut dixerit, aut fecerit pro Cicerone, exponitq; contentiones, quæ in senatu factæ erãt, & quod pro Cæsare Curio fecerat. Ordo est. Supplicationes tuæ. i. quas petisti tibi decerni, torserunt. s. angore, nos non diu sed acriter, Enim: idest quia, nos incideramus in nodum difficilem, idest in rem, cuius difficilis erat exitus. Nam Curio cupidissimus tui, cui comitiales. s. dies eripiebantur, quia differebantur aut absumebantur omnibus rationibus, negabat se posse pati ullo modo supplicationes decerni. Ne si adeptus esset quid, idest aliqd boni, fauor, idest per fauorem Pauli. s. Aemylii, uideretur amisisse, supple illud sua culpa, & existimaretur, idest iudicaretur præuaricator: idest desertor causæ publicæ: idest ad Remp. spectantis. Itaq; idest & ita nos descendimus, idest deuenimus ad pactionem, idest ut dicunt compositionem, & confirmarunt pro confirmauerunt, supple se non usuros in hunc annum de his supplicationibus, Pla ne: idest omnino est, quod: idest propter quod, agas gratias utrisq; consulibus, certe magis Paulo Nam Marcellus respondit ei sic supple se non habere spem in istis supplicationibus: Paulus: supple respondit, se non dicturum. s. sententiam de supplicationibus omnino in hunc annum. Renunciatum erat nobis Hirrum dicturum diutius: idest quod uellet dicere, quam in hunc annum Nos prehendimus eum: idest obuiam factum complexi sumus, deprecantes ne id faceret, & ipse non modo: idest non solum, non fecit. s. quod renunciatum erat eum facturum, sed cum ageretur de hostibus. s. a te deuictis, & posset impedire rem. s. quam petis, hoc est supplicationem si postularet, ut supple hostes numerarētur, tacuit, idest, noluit hoc postulando impedire tantum: idest solummodo assensus est Catoni qui etsi locutus honorifice. s. de te non decreuerat, supple tamē supplicationes. Fauonius accessit ad hos. s. duos, s. Hirrum, & Catonē, tertius: idest eiusdem cum eis sententiæ. Quare gratiæ sunt agendæ: supple a te pro natura, & instituto: idest moribus uniuscuiusq;. His. s. posterius nominatis, sunt agendæ gratiæ, quod tantum, idest duntaxat, ostenderunt uoluntatem. s. suam, & supple non pugnarunt: idest non acriter contenderunt pro sententia. s. sua stabilienda, cum possent impedire. s. supplicationem. Curioni uero, supple agendæ sunt gratiæ, quod deflexit: supple se, causa tua: idest propter te, de cursu suarum actionum, quæ differebantur eo quod de rebus tuis referebatur Nam Furnius & Lentulus circumierunt, & laborarunt pro laborauerunt, una idest pariter nobiscum ut debuerunt, quia tibi obnoxii erant, quasi esset ius, idest negocium eorum. Ego possum quoq; laudare operam, & sedulitatem Balbi Cornelii, nam ipse locutus est uehementer cum Curione. s. pro te, & dixit eū facturum iniuriam Cæsari si fecisset aliter, quam dictum est. Tum, idest insuper, adduxit fidem, eius. s. Curionis in suspicionem, ut si nocere uoluisset, non potuisset. Quidem, idest certe, non deerant qui uolebant rem transigi iniquam, utpote Domitii, & Scipiones, quibus interpellantibus: idest inter agendum asserentibus, hanc rē euocandam, supple esse, ad intercessionem, idest impeditionem, Curio respondit uenustissime, se non intercedere, idest impedimentū facere, eo libentius, quod uideret quosdam, qui decernerent: idest adiudicarent mihi supplicationem, nolle, supple eam confici, idest executioni mandari, Quod idest quantum, attinet ad Remp. omnis contentio, scilicet Cæsaris & Pompeii, coniecta est, idest redacta, in unam causam, idest actionem, de prouinciis scilicet non prorogandis, in quam, scilicet causam. Pompeius uidetur adhuc incubuisse, idest inclinatus esse, cum senatu. s. ut sentit senatus. s. ut Cæsar decedat, scilicet de prouincia, ante Id. Nouemb. Curio constituit potius subire omnia quam pati id, & adiecit cæteras actiones suas, quas supra dixit dilatas. Porro: idest sed, nostri scilicet amici, quos tu nosti bene. non audent deducere rem ad extremum certamen: scilicet cum Cæsare futurum. Summa, idest finalis sententia totius rei supple est hæc, Pompeius tanquam non impugnet Cæsarem, sed constituat, quod putet æquum illi, aut Curionem quærere discordias, supple negando Cæsarem debere decedere. Autē, idest sed, Pompeius non uult ualde, & timet plane, idest manifeste, Cæsarem designatum, supple iri consulem prius, quam, tradiderit exercitum, & prouinciam. Sup. Pompeius, accipitur, idest tractatur satis male a Curione, & totus secundus consulatus eius, scilicet Pompeii, exagitatur, idest ab eo turpiter depellitur. Ego dico, idest denuncio tanquam certum, tibi hoc si, scilicet Pompeius & senatus prement Curionē omnibus rebus, Cæsar defendetur, scilicet in prouinciæ continuatione: si reformidarint intercessorem, scilicet Curionem, quod uidentur, scilicet facturi, Cæsar manebit: scilicet in prouincia, quoad, idest quandiu uolet. Est, idest habetur, in commētario rerum urbanarum ad Cice tunc misso, quam sententiam quisque dixerit, e quo, scilicet commentario, tu selige, idest seorsum ab aliis elige, quæ sunt digna, scilicet lectione. transi multa, in primis explosiones, idest contumeliosas exagitationes, ludorum, aut ludiorum, idest actorum fabularum, & supple narrationes funerum, & cæterarum ineptiarum, supple commentarium, aut commentarius, habet plura, idest multa inutilia. Deniq; ego malo, idest magis uolo, errare in hanc partem, scilicet nimis multa scribendo, ut audias ea quæ non desideres, quam supple ut quicquam, quod sit opus, scilicet scitu, prætermittatur. Gaudeo fuisse tibi curæ de negocio Sictiano, ut Syngrapha Sictiana persoluatur. Sed quando, idest quoniam, suspicaris eos, scilicet qui attulerunt, uisos tibi fide minus, id est non satis certo, rogo agas sic tanquam procurator. s. eorum, non iudex. Vale.

VICTORIVS.

SEd Cum de hostibus ageretur, & posset rem impedire} Nos {De Hostiis} scripsimus cum uetustis codicibus. Quanuis autem ratio ipsa, & priscorum exemplariorum authoritas sic legendum esse persuadeant, non tamen (ut uerum fateamur) morem hunc numerandi hostias penitus cognitum habemus, nec tamē ob id synceram (ut putamus) lectionem contempsimus: nam quandoq; speramus inueniri posse hanc consuetudinem numerandi hostias: apud Græcos maxime Romanarum historiarū authores, qui cum externis gentibus scriberent, quæ Romanos ritus ignorabant, diligentius minutiusq; hæc pertractarunt, quæ Latini scriptores ut, passim uulgoq; nota prætęribant. Est autem idem error, cum de eadem re ageret, in epistola ad Quintum Fratrem, Interim ipso decimo die, quo ipsam oportebat hostiarum numerum, & militum renunciare &c. Sic enim etiam eo loco habent antiquiores codices non (hostium) Quomodo etiam poterat hostiū numerū: qui triumphum postulabat, renunciare, qui aut dissipati & deleti essent, aut si manerent, fere in remotissimis regionibus uersarentur? Quod si de cæsis intelligas (oportebat enim definitum quendam numerum uno prælio cecidisse) cum multo ante imperfecti essent quomodo tunc poterant numerari? aut quis rem quæ non præsens sit, & adsit numerat? Multa sunt, ne omnia recenseamus, quæ lectionem illam uulgatam coarguunt: est enim omnino inepta, & noua: sed potius operam demus ut morem hunc, & ritum hostiarum numerum renunciandi in postulatione triumphi inuestigemus: tunc enim scrupuli restabit. non recte autem facere mihi uidentur, qui ea, quæ nō assequuntur suo ingenio, statim delent: existimare enim debent esse alios peritiores, & diligentiores: multaq; præterea, quæ abdita adhuc sunt, cum noui cotidie Græci maxime authores e tenebris eruantur, in lucem propediem esse proditura.

Ex poste. eiusdem.

ET posset rem impedire, si ut numeraretur postulare} Ad Atticum CCCXCIII. de hoc ipso negocio agitur, & de Hirri uoce, qui & ipse affirmabat in potestate sua fuisse, si uoluisset impedire, cuius uoluntas mirifice Ciceroni grata fuit: & cū uideret incipere illum sibi placari, studiosius ei rei operam dedit, si posset illius gratiam diligentia amicorum sibi reconciliare. In Mediceo nulla uarietas est quod alii excogitarunt legi debere. {Numerus daretur} nō reprehendo, nec magnopere laudo: tota res melius perciperetur, si mos ille numerandi hostias cognitus esset, de quo hic & ad Q. Fratrem agitur. Nam. {Hostibus} nullo pacto legendum censeo, & iis argumentis ductus, quæ a me olim adlata sunt, & authoritate priscorum codicum qui duobus in locis, ubi impressi omnes corrupti erant: fideliter, ut puto, ueram lectionem custodierunt Vtinam autem tam facile meam lectionem tueri possem, quam uulgatam refellere.

PAVL. MANV.

NVmeraretur} Assentior amicissimo meo, qui legendum putat, numerus daretur, subintelligitur autem hostium in prælio cæsorum: hostibus enim paulo ante legi ex codice Bernardini Maffei, non, ut quidam uolunt, hostiis. {Decrerant qui inique transigi uolebant} Manuscripti libri, quidem deerant: alii, deserant. alii aliter habent. ex tam uaria lectione adducti sumus, ut decrerant, legendum crederemus. loci autem sensus hic est: Domitius,

tius,& Scipio,cum de Ciceronis supplicationibus transigi, moleste,& inique ferrent,easq; Curionis Tribuni pleb. intercessione impediri cuperent: simulatione beneuolentiæ supplicationes Ciceroni decreuerunt,ut ea re Curionem,qui omnibus eorum actionibus acriter aduersari solitus erat,ad intercedendum elicerent. quibus interpellantibus uenustissime Curio respondit,se eo libentius non intercedere,quod quosdam,qui decernerent,(significabant autem Domitium,& Scipionem)eo animo esse intelligeret,ut confici minime uellent.

SEBAS. CORR. SVpplicationes}de rebus in Cilicia gestis.{Comitiales} epist. III.lib.I.{Ne si quid furore Pauli ademptum esset boni} Al.ne quod fauore Pauli adeptus esset boni.{Hostibus}cæsis. Nam lege cautum erat,nequis triumpharet,nisi quinq; hostium millis cecidisset.& supplicatio triumphi fere prærogatiua erat. Alii tamen,Hostiis legunt.{Assensus est}Episto. XV.lib. XI.{Non decreuerat}Episto. VI.lib.XV.{Scena rei}Al.summa rei.{Defendetur: intercessorem si}Al.defendet intercessorem:si.

BERN. RVT. NAm Curio tui cupidissimus,cui omnibus rationibus comitiales eripiebantur,negabat se ullo modo pati posse, decerni supplicationes,ne,si quod furore Pauli adeptus esset boni,sua culpa uideretur amisisse}Quid si legas , Ne, si quid fauore Pauli adeptus esses boni,sua culpa uideretur amisisse?cum enim cōstituisset Curio tribunus,nequid ageretur publice in senatu,diebus iam comitialibus instantibus,quibus optabat cum populo agere, nolebat intercessioni suæ hac Ciceronis causa præiudicium fieri.senatus enim per legem Pupiam haberi comitialibus diebus non poterat,quod pluribus locis ostendit Cicero.{Nam Marcellus quidē sic respondit ei}scilicet Curioni,melius quam Paulo:quæ responsio incitare potius ad impediendas eas Curionem poterat, quā dehortari.(Paulus se omnino in hunc annum non dicturum) Puto hoc dici:se omnino,quamuis decretæ essent supplicationes,non tamen constituturum,ut toto eo anno haberentur. Quod sequitur, nuncium diutius dicturum: simpliciter accipio.i.loquuturum. ut edicturum, Aldi,ualde arrideat.{Deerant quidem, qui inique transigi uolebant}Vide legi ne possit:Nec deerant quidem , qui neque transigi uolebant:uel,nec deerant quidam. {Quibus hac re ad intercessionem euocandam interpellantibus,uenustissime Curio respondit,se eo libentius non intercedere,quod quosdam,qui decernerent,uideret confici nolle}Quid si legatur,quibus hac re ad intercessionem reuocandam interpellantibus:uel,Euacuandam. Fuit & cum negationem intercedendi uerbo appositam confodi omnino contenderim,quod iam mihi quoq; ipsi displicet. Hoc autem dicit Cælius quosdam uehementius instituisse,ut decernerentur Ciceroni supplicatio.non Ciceronis ipsius causa cui quidem decretū non cuperent,sed ut hoc ueluti præiudicio pateretur Curio intercessionem suam illam,qua comitialibus diebus nihil in senatu referri aut agi,uellet,eleuari. quibus uenuste Curio respondit , eo se libentius non intercedere,quo minus decernerentur Ciceroni supplicationes,quod uideret quosdam qui Ciceroni fauere se fingerent,nec tamen decerni ei supplicationes uellent. Id enim est quod supra dixi.Cui omnibus rationibus comitiales eripiebantur. uolebat enim agere cum populo,puto ut Cæsaris absentis ratio haberetur: senatus contra,uel ipsis comitialibus diebus de prouinciis agi in senatu nitebatur,uti Cæsar citius ea prouincia decederet.inde uerebatur Curio,ne supplicationes istæ decretæ complures dies comitiales auferrent.ideoq; pactum,ne in eum annum haberentur,tametsi decretæ a senatu essent. Itaq; & Ciceroni & Curioni prospectum est, significat de comitialibus contentionem fuisse senatusconsultum. quod supra est: In quo erat.utiq; eius rei causa per dies comitiales senatum haberent. De eripiendis,siue eximendis comitialibus diebus tribuno plebis,Cicero ad Q. Fratrem: Itaq; Cato,inquit, concionatus est,se comitia haberi non siturum,si sibi cum populo dies agendi essent exempti.Erant autem,ut Ciceronis uerbis utar in oratione pro P.Sestio,comitia alia legum, alia magistratuum . Hic de magistratuum comitiis intelligit,cum ait,se comitia haberi non siturum.Certe,siquid,non si quod scribi debet.in quo miror a Manutio tam frequenter peccatū.Quid si rursus scribamus? Furore Pauli ademptum esset boni.nam Curio iam pro Cæsare loquebatur. Paulusq; hic,ut ait Plutarchus.mille quingentis talentis in Cæsaris gratiam sententiam mutauerat,ut appellet furorem hoc ipsum. quod cum acerrime pro Cæsare sentiret,non dubitaret tamen referre de supplicationibus Ciceronis,cum magno discrimine comitialium dierum amittendorum.Sed hoc quidem diutiusculum existimo.propono tamen,ne,siquando cui placeat,confirmare possit, mente excesserit.Potest & Euocandum supra reseruari,ut intercessionem intelligas harum Ciceronis supplicationum decretarum,eodem in cæteris fere sensu:nisi quod Acre commodius legeris, si ita recipis,ut sit,Acre ad intercessionem euocandam interpellantibus.De comitialibus diebus scilicet legum,Cicero ad Q. Fratrem: Consul,inquit,est egregius Lentulus,non impediente collega , sic inquam bonus,ut meliorem non uiderim , dies comitiales exemit omnes.nam etiam Latinæ instaurantur,nec tamen deerant supplicationes,sic legibus perniciosissimis obsistitur,maxime Catonis.

Et,id quod supra quoq; retulimus:Cato concionatus est . comitia haberi non siturum,si sibi cum populo dies agendi essent exempti. Item.De Commageno rege,quod rem discusseram , mirifice mihi & per se & per Pomponium blanditur Appius.uidet enim, hoc genere dicendi si utar in cæteris,Februarium sterilem futurū.Et paulopost:comitialibus diebus,qui Quirinalia sequuntur,Appius interpretatur,non impediri se lege Puppia , quo minus habeat senatum,&,quod Gabinia sanctum sit,etiam cogi,ex Calen.Feb. usque ad Calen.Mart.legatis senatum quotidie dari.Ita putantur detrudi comitia in mensem Martium.sed tamen his comitialibus tribuni plebis de Gabinio se acturos esse dicunt. Magistratuum uero comitia circa Iunium mensem habebantur.ut tamē interdum in dies, uel in Decembrem mensem differentur.Cicero ad Q.Fratrem: Ad IIII.Nonarum Iun.quo die Romam ueni,accepi tuas literas,datas Placentiæ.In eadem epistola: Ambitus redit immanis.nunquā fuit par.qui ne tantus fuit ea coitione Memmii,quam cum Domitio habuit Scaurus,unum uincere Messalam fieret.non dico ὑπερβολάς,uel sestertium centies constituunt in prærogatiua pronunciare.res ardet inuidia.Tribunitii candidati compromiserunt , sestert.CCCC.in singulos apud M.Catonem depositis ,petere eius arbitratu,ut,qui contra fecisset,ab eo condemnaretur: quæ quidē comitia gratuita si fuerint,ut putantur,plus unus Cato fuerit , quā omnes leges,omnesq; iudices,cum a me literas librarii manu acceperis,paulum ocii me habuisse iudicato cum autem mea multum. sic enim habeto,nunquam me a causis & iudiciis districtiorem fuisse atq; id anni tempore grauissimo,& caloribus maximis. Ibidem: Comitia in mensem Septembrem reiecta sunt.Et epist.sequēti: Quod scribis te audisse,in candidatorum consularium coitione me interfuisse,id falsum est eiusmodi enim pactiones,in ea coitione factæ, quas postea Memmius patefecit,ut nemo bonus interesse debuerit & simul mihi committendum non fuit ut his coitionibus interessem,quibus Messala excluderetur,cui quidem uehementer satisfacio rebus omnibus,ut arbitror,etiam Memmio. Domitio ipsi multa iam feci,quæ uoluit,quæq; a me petiuit Scaurum beneficio defensionis ualde obligaui.adhuc erat ualde incertum,& quando comitia & qui consules futuri essent . In eadem : Ex Britannia Cæsar ad me Cal.Septemb dedit literas,quas ego accepi ad IIII. Calē. Octob.Et sequenti. Ad VI.Iduum Octo.Saluius Ostiam uesperi nauis profectus erat cum his rebus,quas tibi domo mitti uolueras eodē die Gabinium ad populum luculente calefecerat Memmius. sic,ut Callidio uerbum facere pro eo non licuerit , postridie autem eius diei,qui erat tum futurus,cum hæc scribebam ante lucem,apud Catonem erat diuinatio in Gabinium futura. In eadem:De ambitu postulati sunt omnes,qui consulatum petunt a Memmio Domitius, a Qu.Curtio bono & erudito adolescente Memmius,a Qu.Pompeio Messala,a Triario Scaurus . magna res in motu est propterea quod aut hominum,aut legum interitus ostenditur Opera datur,ut iudicia ne fiant. Res uidetur spectare ad interregnum. Consules comitia habere cupiunt,rei nolunt,& maxime Memmius,quod Cæsaris aduentu sperat se futurum consulem,sed mirum in modum tacet. Domitius cum Messala certus esse uidebatur.Scaurus refrixerat.Et in sequentibus omnibus comitiorum eorum meminit.deniq; in postremis sic est:Serrani domestici filii funus plectuosum fuit. ad IIII.Calen.Decemb.laudauit pater scripto meo Et in eisdē: In Republica scio quam solicitus esse soleas.uideo Messalam nostrum consulem,si per interregem,sine iudicio:si per dictatorem,tamen sine periculo de comitiis consularibus eiusdem anni ad Atticum: Ad II.Non.Quintil.Suffenas , & Cato absoluti . Et infra: Redii Romam Fontei causa ad VII.Id.Quintil Et mox.Sequere nunc me in campum ardet ambitus:fœnus ex triēte Idib.Quintil.factum erat bessibus,dices.istud quidem non moleste fero o uirum,o ciuem Memmium Cæsaris omnes opes confirmant. cum eo Domitium consulem iunxerunt.qua pactione,epistolæ committere non audeo. Pompeius fremit, quærit . Scauro studet . sed utrum fronte an mente,dubitatur.ἐξοχὴ in nullo est pecunia omnium dignitatem exæquat. Messala languet,non quo animus desit,aut amicis careat sed coitio consulis & Pompeius absunt.ea comitiatis puto fore,ut ducantur tribunitii.candidati iurarunt,se arbitrio Catonis petituros.apud eum sestertia quingena deposuerunt , ut qui a Catone damnatus esset,id perderet,& competitoribus tribueretur. hæc ego pridie scribebam,quam comitia fore putabuntur.sed ad te V Cal.Sext.si facta erunt,& tabellarius non erit profectus tota comitia perscribam. Et tribus subditis epistolis,libro scilicet quarto, quin & primo.Crebras expectationes nobis tui commoues . nuper quidem,cum te iam aduentare arbitraremur.repente abs te in mensem Quintilem reiecti sumus. nunc uero sentio, quod commodo tuo facere poteris,uenias ad id tempus,quod scribis , obieris Qu. Fratris comitia nos longo interuallo uiseris,ac Vpsilanam controuersiam transigeris,Sed & Cælius , qui primis literis ad Ciceronem nihil de comitiis perscripserat (quippe quas ante Calen. Iunias dederat , ut inde colligas , Præterea Marcellum quidem adhuc nihil retulit de successione prouinciarum Galliarum , in Calen.Iunias,ut mihi ipse dixit,eā distulit relationem.& inde.Te ad

IX.Calend.Iun.fubroftrarii,quod Illorum capiti, fit difsiparant periiffe.)fecundis.De domitiis, inquit, confularibus incertisfima eft exiftimatio.ego incidi in competitorem nobilem, & nobilē egē tem.nam M.Octauius Cn.filius,& C Hirrus mecum petit. Sed & in tertiis de comitiis nonnihil.quartis uero,C.Marcellum confulem factum,M.Claudium a repulfa poftulatum a Gallis duobus, P.Dolabellam quindecimuirum factum:Hoc tibi non inuideo,caruiffe te pulcherrimo fpectaculo,& Lentuli Susæ repulfi uultū nō uidiffe.Et infra:Has,ego tibi literas eo maiore mifi interuallo,quod comitiorum dilationes occupatiorem me habebant, & expectare in dies exitum cogebant,ut confectis omnibus te facerem certiorem.ad Calen.Sex.ufq; expectaui prætoris moræ quædam incide runt,mea porro comitia,quem euentum fint habitura,nefcio, opinionem quidem quod ad Hirrum attinet, incredibilem æd pleb.comitiis nacta funt.nam M.Cælium Vicinianum mentio illa fatua, quam deriferamus olim,& promulgatio de dictatore, fubito deiecit,& deiectum magno clamore infecuta eft.inde Hirrū cuncti ad non faciendum flagitare.fpero te celeriter & de nobis quod fperafti,& de illo quod uix fperare aufus es auditurū.Quin & his quas nos quintas numerauimus cum effet iam ædilis defignatus:Has literas(inquit)ad IIII.Non.Septem.dedi.Et fupra Sic tu,inquis, Hirrum tractafti?Tam multa præter inftitutum congesfimus,quod eruditos alioqui uiros aliquot fenferam in ea re nonnihil hærere, propter.f.iftam nō infrequentem comitialium dierum, quos ex Cicerone legum nuncupamus,quæ in Ianuarium menfem incidebāt mētionem:& quod multa etiam in Cicerone atq; aliis authoribus loca ad eam rem pertinentia,mendofe fcripta funt. ut aliquando cogitem de tota comitiorum ratione quæ multos habet fcrupulos, libellum confcribere,nifi quis mihi non tam gloriam,quam ego nō fequor,quam laborem ceffanti præripiat.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Grauiter de Appio calūniatore & uitiligatore hac epiftola conqueritur.

M. CÆLIVS M. CICERONI. S. D. 12

PVdet me tibi confiteri, & queri de Appii hominis ingratisfimi iniuriis, qui me odiffe, quia magna mihi debebat beneficia, cœpit: & cum homo auarus,ut ea folueret,fibi imperare non poffet, occultum bellum mihi induxit, ita occultum tamen,ut multi mihi renunciarent & ipfe facile animaduerte rem male eum de me cogitare. pofteaquam uero confpexi eum * collegium tentaffe,deinde aperte cum quibufdam locutum,cum L.Domitio,ut nunc eft,mihi inimicisfimo homine deliberare uelle, hoc munufculum deferre Cn.Pompeio;ipfum reprehenderem, & ab eo deprecarer iniuriam,quem uitam mihi debere putarem, impetrare à me non potui.quid ergo eft?tum quidem cum aliquot amicis,qui teftes erant meorum in illum meritorum locutus fum. pofteaquam illum,ne cui fatisfacere quidem me dignum habere fenfi:malui collegæ eius homini alienisfimo mihi,& propter amicitiam tuam non æquisfimo me obligare,quàm illius Simiæ uultum fubire.Id poftquam refciit,excanduit,& me caufam inimicitiarum.quærere clamitauit,quafi,quòd mihi in pecunia minus fatisfeciffet,per hanc fpeciem fimultatis eum confectarer. poftea non deftitit accerfere palàm Seruium accufatorem.inire cum Domitio confilia.quibus cum parum procederet,ut* ulla lege mihi poneret accufatorem:compellari ea lege me uoluerunt, qua * dicere non poterant. infolentisfimi homines fummis Circenfibus ludis meis poftulandum me lege Scantinia curant. uix hoc erat Pola elocutus,cum ego Appium Cefa.eadem lege poftulaui:quod meliius caderet,nihil uidi:nam fic eft à populo, & non infimo quoque approbatum,ut maiorem Appio dolorem fama,quàm poftulatio attulerit.præterea cœpi facellum, in domo quod eft, ab eo petere.Conturbat memoria ferui huius,qui tibi literas attulit:nā acceptis prioribus literis,amplius quadraginta manfit.Quid tibi fcribam,nefcio.fcis Domitio diem timori effe,expecto te ualde, & quamprimum uidere cupio. A te peto,ut meas iniurias perinde doleas,ut me exiftimas & dolere,& tuas ulcifci folere. Vale.

*al. collegam.

*al. illa obiiceret.

ASCENSIVS.

PVdet me &c Cælius primo loco huius epiftolæ expofuit magnam Appii cognomento Pulchri erga fe ingratitudinem,qui cum plurimum deberet gratiæ,cœperat odiffe. Deinde narrat quemadmodum idem Appius fubornauerat quendam,qui ipfum Cælium accufaret, contra quem dicit fe defenfum effe,retorquendo accufationē eandem actionis in eum,qui accufarat cum infigni eius infamia. Erat autem Appius,ut ex fuperioribus patet,homo fuperbo, & mobili ingenio, Ciceroni magis propter nobilitatem & potentiam, quam ob uirtutem obferuatus.Ordo eft. Pudet me confiteri tibi.f.rei ueritatem,& quæri.i.conqueri,de Iniuriis Appi.f.Pulchri, hominis ingratisfimi, qui cœpit odiffe me,quia debebat mihi beneficia maxima.f.a me recepta,qui enim accepit beneficium etiam gratis collatum,obligatur fi poteft faltem parta referre. Et cum homo auarus .f.ipfe Appius,non poffet imperare,fibi.i.adducere animum fuum, auaritia captum ad hoc,ut folueret ea.f.debita beneficia, indixit mihi bellum occultum.i.fimultates latentes tamen.i nihilominus, ita occultū,ut multi renunciarent mihi,& ipfe i egomet,animaduerterem facile eum cogitare male de me.i ut faciat mihi malū. Ve eo.i.fed,pofteaquam comperi eum tentaffe.i. folicitaffe contra me collegium,ut opinor augurum,nam ipfe augur fuit,ut prius uifum eft,deinde locutum aperte cum quibufdam.i.etiam mihi notis, & animaduerterem liberare cum Lucio Domitio homine inimicisfimo mihi,ut nunc eft quia non femper ita fuit, uelle deferre Cneo Pompeio etiam inimico,quia Cæfari fauebat Cælius, hoc munufculum.i.facete hanc gratiolam,libenter enim uidiffet Cælium accufari,tum reprehendente ipfum.f.Appium,non potui impetrare, ut deprecarer:ideft precando amouerem ab eo iniuriam.f.mihi inferendam,quem putaram debere mihi uitam. Quid ergo eft? fup. Inquies.i.quid contigit poftea?refponfio.Tum.i.tunc quidem locutus fum aliquot amicis,qui teftes erant meorum meritorum in.f. erga illum,pofteaquam fenfi illum.f.Appium,ne quidem.i.non faltem,habere.i.æftimare me dignum,cui fatisfaceret.i.reponeret debitum,malui,me obligare.i.deuincere, collegæ.i. concenfori eius homini alienisfimo mihi,& non æquisfimo.i.non plurimum fauēti nec rectisfimo in me animo,propter amicitiam tuam.i.quia nouit me tibi effe amicum,quam fubire uultum i.me offerre tanquam fupplicem,confpectui illius fimiæ.i.turpisfimi hominis nihil præter figuram hominis habentis,uidetur autem inuidiofe Simiam dicere. cum illi cognomentum Pulchri fuerit. Poftquam fup. Appius refciit.i.poftquam cognouit id.f.me obligatum collegæ fuo. Refciri proprie eft percipere rem aliquam poftquam facta eft: Deprehendere autem in ipfo facto,ut in adulterio,aut furto.Et ideo quia nautæ in mari funt quafi in alieno elemento,dicuntur a tempeftate deprehendi,unde Maro.Deprenfis olim ftatio tutisfima nautis. excanduit.i.inflammatus eft,& multa ita incenfus & clamitauit i.frequēter clamauit,me quærere caufam inimicitiarum, ut fi ipfe Appius minus.i.non,fatisfeciffet mihi in pecunia,quam uidetur mutuo accepiffe a Cælio,eo confectaret.i.perfequerer eum per hanc fpeciem fimultatis.i.latentis odii.Poftea.f.quam in apertas inimicitias res deuenit,ipfe Appius nō deftitit accerfere.i.incitare, aut in auxiliū fuum aduocare,palam.i.manifefte,Seruium accufatorem, & inire confilia cum Domitio.f.homine inimicisfimo, quibus.f.confiliis cum procederet parum,ut poneret mihi accufatorem, ulla lege.i. per ullam legem,uoluerunt me compellari.i.in ius uocari ea lege, qua.i.per quam,ipfi non poterant dicere.i.agere contra me Infolentisfimi &c.Probat,quod dixerat eos iufta lege fe accufare non poffe,fed iniufte agere,quia ipfi homines infolentisfimi.i.proteruisfimi,& fuperbisfimi,curant me poftulandum.i.in ius uocandum & accufandum fummis Circenfibus,ludibus meis.i.quo tempore fummo ædilitatis meæ honore fungar quia Circenfes ludos populo exhibebo,lege Scantinia,quæ lata eft in pædicones, & mafculorum concubitores,omnium facile turpisfimos,fed Romæ faltem illis tēporibus frequentisfimos,unde Iuuena.Quod fi uexantur leges,& iura,citari Ante omnes debet Scantinia &c. fup. Appius uix erat prælocutus hoc.i ut me lege Scantinia poftularent,cum ego poftulaui eadem lege.f.Scantinia Appium cenforem Nihil uidi quod caderet melius,quia ea lege in alium agere curabat,qua ipfe reus faciendus erat,nam fup.id factum meum eft approbatum fic a populo & a quoq; non infimo.i.a fummo quoq; homine ut fama i.diffamatio,attulerit Appio maiorem dolorem quam poftulatio.i. uocatio in ius,aut accufatio.Præterea i Infuper,cœpi petere ab eo facellum .i.locum facris addictum:uulgus Capellam uocat,quod eft in domo.f.Appii,aut quia eius ornamenta Cælii erant,aut quia in eo turpiter uixerat,& pueros ad facra inuitatos corruperat, ut fit cœpi petere ab eo,quod.i.quale facellum eft in domo.f.eius quafi dicat Bacchanalium,aut impudicorum. Hactenus autem de Appio & eius inuidia locutus connectit fermonem ad alia negocia dicens.

Mora serui huius.i.mei,qui attulit tibi literas,conturbat.i.multum turbat,me.Nam prioribus literis acceptis.i.postquā acceperat priores literas,mansit amplius quadraginta diebus.Nescio quid scribā tibi.s.de exitu litis nostræ. Tu scis diem.s.iudicii futuri, esse timori .i.ad timorem,Domitio.Expecto ualde te,& cupio uidere quamprimum.i.ualde cito,quia iam expleta fuerat Cice. prouincia. Peto a te ut doleas.i.dolenter & cum dolore feras iniurias meas.i.mihi illatas ab Appio,ut existimas.i.iudicas & censes ac opinaris me solere & dolere,& ulcisci tuas.s.iniurias.i.tibi illatas.Notum est doleo cum datiuo & cum accusatiuo construi posse sed cum datiuo quasi absolute positum unde dicimus. dolet mihi aduersus casus tuus.i.dolori est,& ita uerbum ipsum adiungitur rei dolorem inferenti,interdum etiam parti dolorem patienti,ut dolet mihi caput, dolent tibi ilia &c.quod non dicemus poetice doleo caput, doles ilia &c.Cum accusatiuo autem additur rei accipienti dolorem, ut doleo iniurias tuas &c.

VICTORIVS.

Via hoc erat prælocutus} Antiquissimus ille Mediceus codex.{Polæ locutus}habet:nos nihil addimus. ueterē scripturam tantum signasse uoluimus.Quare deliberent alii quomodo legendum sit Paulo autem supra idem codex.{Scādiut} habet pro.{Excanduit}quod si compositum uerbum in usu est, nō est mirandum quandoq; simplex,& si rarius inueniatur a Cælio præsertim,usurpatum fuisse.

Ex poste. eiusdem.

Vix hoc erat Pola elocutus}Hanc olim ipse lectionem adnotaui ex Mediceo lib.quam tunc non restitui,quia nō incideram in locum illum ad Q.Fratrem,ubi de Pola accusatore mentio est,quod tamen non multo post feci. Neq; tamen is sum,qui aut omnia legerim,aut quæcunq; legerim,memoria firmiter teneam.Vnum intelligi potest,hanc synceram lectionem(ut ipsi quoq; affirmant)in nullis a quibusdam inuētam esse uetustis codicibus quos tamen,ut aiunt,& multos & uetustissimos habuerūt non enim testimonium citarent Medicei codicis. Hoc autem ideo adnotaui,ut omnes intelligant,unum hunc & uetustate,& fidelitate longe omnibus aliis antecellere.

PAVL. MANV.

Vix hoc erat Pola elocutus}In uetusto codice,qui est Florētiæ in Medicea bibliotheca ita legitur,ut impressimus. Huius lectionis alii quoq; meminerunt, sed eam minus integram existimarunt.offensi,ut opinor,in uoce,Pola,quod eam se alibi uidisse non meminerant.est autem ea Seruii accusatoris cognomen,de quo ad Q.Fratrem episto.penultima II.libri, his uerbis: Vereor,ne homo teter,& ferus Pola Seruius ad accusationem ueniat.uia igitur(inquit Cælius)hoc elocutus erat Pola, Appium.s. & Domitium summis Circensibus ludis meis lege Scautinia me postulandum curare:cum ego eadem lege Appium Censorem postulaui.ac(ut,quod sentio,libere dicam)supra quoq; ubi legitur, palam Seruium,legēdum potius Polam Seruium,crediderim. sed hoc est coniecturæ.manuscripti enim libri,quos & Venetiis, & Romæ uidi multos,palam,ut est in impressis,habent omnes:a quibus dissentire non temere debemus.{Cœpi sacellum, in domo quod est, ab eo petere}Censorum erat curare ut sacella non in domo cuiusquam essent,sed populo paterent.itaq; Liuius lib.XL.ubi loquitur de Lepido & Fuluio Censoribus,Complura,inquit,sacella, publicaq; sacra occupata a priuatis,ut paterent,essentq; populo curarunt.Cælius autem,ut ostenderet Appium Censorem officio suo deesse,petere cœpit ab eo,ut sacellum in domo priuata ne relinqueretur.cuius rei cura Appii,qui Censor erat,esse debuerat. sed libentius intellexerim de sacello,quod ipse Appius occupasset: ex quo grauior ei concitata esset inuidia,occupatis rebus a Censore, quas Censor ab aliis occupatas populo restituere deberet.

SEBAS. CORR.

De Appii}iam Censoris {Collegam.}L.Pisonem. Al. collegium.{L.Domitio}qui cum ipse Appius Coss.fuerat {Munusculum}accusandi {Cn.Pompeio}filio. {Posteaquam illum,&c.}Al.posteaquam illum ne cui satisfaceret quidem,me dignum habere sensi.malui,&c.Satisfaceret autē,in pecunia.ut paulo post.{Propter amicitiam tuam}Ciceronem enim,& eius amicos oderat L.Piso,cuius inimicitiæ cum Cice.notissimæ sunt.{Illius simiæ}Appii.{Lege Scatinia}quam Scatinius Aricinus in molles & effœminatos tulit. Al.lege Caninia.{Diem timori} Al.idem timori uel diem comitiorum auguratus intelligit.Episto. xiiii. huius libri.

BERN. RVTI.

Posteaquam uero comperi eum collegium tentasse, deinde aperte cum quibusdam locutum,cum L.Domitio, ut nunc est,mihi inimicissimo homine deliberare uelle, hoc munusculum deferre,Cn.Pompeio tum ipsum reprehendente, ut ab eo deprecaret iniuriam,quem uitam mihi debere putarem,impetrare non potui}interpres uidetur hic prius scriptum habuisse quod mihi uitam debere putaram,impetrare non potui.Ego præter hæc arbitror Cum abundare,scribendumq;:L.Domitio ut nunc est mihi inimicissimo homini,deliberare hoc munusculum deferre,idest ad accusationem impingere.Sic supra:Nemini hoc deferre munusculum maluit,quam suo accusatori,idest accusare.Vt nunc est,significat hoc tempore,hoc statu rerum quasi ostendat,nisi resistatur inimiciorem futurum sibi Appium non ut interpres fallitur. {Tum quidem aliquot amicis qui testes erant meorum in illum meritorū locutus sum} Alibi,tamen quasi aliquot,&c.uide num sic, Tandē cum aliquot &c.{Posteaquam illum,necui satisfaceret quidem me dignum habere sensi}Quid si contra. Posteaquam illum,ne qui sibi satisfacerem quidem,me dignum habere sensi,uel, Qui ei. Nam in aliis erat ne quo is satisfaceret,&c.Hoc enim dicit ita se despectum ab Appio ut ne purgari quidem apud se Appius uoluerit: ostenditq; nihil esse cur tam acriter Cælium insectaretur. Interpres uero in eodem,quo solet,luto hæret.{Scis Domitio diem timori esse}Diem possumus comitiorum accipere,quasi iam tum præuideret,si repulsam tulisset,quantos esset risus excitaturus. Interpres nihili,ut assolet,quid loquatur pendit,ut apparet in sequentibus literis.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Gratulatoria partim est hæc epistola,ob affinitatem nouam Dolabellæ partim nunciatoria,dum res exponit quæ in urbe geruntur.

M. CÆLIVS M. CICERONI S. D. 13

GRatulor tibi affinitate uiri mediusfidius optimi:nam hoc ego de illo existimo.cætera porrò, quibus adhuc ille sibi parum utilis fuit & ætate iam sunt decursa, & consuetudine,atque authoritate tua pudore Tulliæ,siqua restabunt,confido celeriter sublatum iri:non est enim pugnax in uitiis,neque hebes ad id,quod melius sit,intelligendum.deinde(quod maximum est,) ego illum ualde amo. Vides Cicero Curionem nostrum lautum intercessionis de prouinciis ex\[i\]tum habuisse:nam cum de intercessione referretur quæ relatio fiebat ex S.C. primaq; M. Marcelli sententia pronunciata esset,qui agendum cum Tribunis pleb. censebat,frequens senatus in alia omnia iit.stomacho est:scilicet Pompeius Magnus,nunc ita languenti,ut uix id,quod sibi placeat, reperiat:transierant illuc,ut ratio esset eius habenda,qui neq; exercitum,neque prouincias tradere uellet.quemadmodum hoc Pompeius laturus sit,cum* cognoscat,quidnam Reipub.futurum sit,si aut non possit,aut non curet,uos senes diuites uideritis: Q.Hortensius,cum has literas scripsi,animam agebat. Vale.*

*al.conciones.

*al.cognoscam quidnam rei.

ASCENSIVS.

GRatulor &c.Cum Ci.præesset Ciliciæ Tullia filia eius post mortem Crassipedis nupsit Dolabellæ,opera amicorum,quibus id oneris abiens dederat,ut etiam iureconsulto filiam locarent,si uirum illa dignum inuenerint,ut Cice.ipse supra ad Appium scripsit purgans,qđ Dolabellæ Appii inimico nupserit.Itaq; Cælius Appii inimicus ut proxima episto.uisum est,gratulatur id ei,laudatq; Dolabellam,& ostendit se ab eo amari,deinde scribit de Curione quid egerit de prouinciis,& addit nonnulla de Cn.Pompeio.Ordo est: Gratulor tibi,idest felicitatem tuam mihi gratam prædico, affinitate.i.propter affinitatē,aut de affinitate,uiri.mediusfidios,idest ita me deus fidei,aut Iouis filius Hercules iuuet,ut uerum dico. optimi.s. Dolabellæ.Nam ego existimo,idest iudico hoc de illo s.quod sit uir optimus.Porro,idest sed,cætera.s.instituta eius,quæ ad rem domesticā pertinent,aut ad bona fortunæ agenda,quibus ille fuit adhuc parū utilis sibi,sunt decursa,idest transacta,& abolita iam.& idest simul ætate,quia non est amplius adolescens.adolescentibus autem raro est animus ad rem auidior,& consuetudine,idest conuersatione cū maturis uiris,atq; siqua idest aliqua restabunt,ego confido: supple ea sublatum iri,idest abolenda celeriter,authoritate tua,quia uerebitur sub tali socero luxuriose aut prodigaliter uiuere, & pudore Tulliæ.s.filiæ tuæ prudentissimæ,in cuius præsentia non audebit posthac peccare.Enim,idest quia,ipse non est pugnax idest pertinaciter addictus uitiis,aut pugnax,idest contumax in uitiis.neque est hebes:idest tardus,& obtusus ad intelligendum id quod sit melius,deinde quod maximum est,quia quos amamus non si nimus faciliter corrumpi,& optimos iudicamus,ego amo illum ualde. O Cice.tu uelles Curionem nostrum,ironice dicit,quia contra sentiebat.habuisse exitum intercessionis:idest obstaculi de prouinciis, lautum,idest pulchrum.Nam cum referretur:idest consularetur, de intercessione,quæ relatio fiebat ex senatusconsulto, & senten-

tia Marci Marcelli, esset pronunciata prima, qui censebat agendū cum trib. pleb. senatus ut frequens in alia omnia, idest aliter cēsuit. Scilicet, idest scire licet, qui id uiderint, Pompeius magnus, scilicet prius habitus, est nunc stomacho: idest animo, ita languenti, ut uix reperiat, quod placeat sibi. Transierat: idest confugerat illuc, ut ne ratio esset habenda illius: scilicet Cæsa qui neq; traderet exercitū neq; prouincias. Vos senes diuites uideritis, quemadmodum, idest quomodo, Pompeius laturus sit hoc cum cognoscat quid nam futurum sit reipub. si aut non possit, aut non curet, scilicet iuuare eā. Quintus Hortensius agebat animam, idest expirabat, cum scripsi has, scilicet literas.

PAVL. MANV. STomacho est: scilicet Pompeius Magnus} Libentius legerē, Stomacho est Magnus, ut duæ illæ dictiones: scilicet Pompeius inducantur, tanquam inanes, & superuacaneæ, nō a Cælio, sed ab imperito scriptæ, qui cum inter legendum in eam uocem Magnus, incidisset, eā istimaos eam obscuriorem fore, nisi alius ipse uerbis illustrasset, supra scripsit: scilicet Pompeius. postea qui librum exscripserunt, imperiti, ut id genus hominum esse solet, neq; quod adulterinum fuit, agnoscentes, in contextum glossema receperunt.

SEBAS. CORR. AFfinitate uiri} Dolabellæ. {Fiebat ea S.C.} quod est in episto. VIII. huius libri. {In alia omnia iit} Marcello loquit Oppius, discessionem faciente, Senatus frequens in alia omnia traosit {Vt nec ratio} Al. ratione. {Animam agebat} & egit.

BERN. RVT. VElles C. Curionem nostrum lautum intercessionis de prouinciis exitum habuisse} Plane accipio, nō (ut Clerico placet) ironicos Hocq; illud forte est, quod ita scribit Plutarchus in Magni uita. Cum consul Marcellus prædonem appellaret Cæsarem, iuberetq; eum a senatu hostem iudicari, ni arma ponat: Curio, comite Antooio ac Pisone senatum redarguere statuit. iussit enim eos qui censerent Cæsarem tantum arma ponere, Pompeiumq; in magistratu esse, e loco transferri. & maior eorum numerus in alteram curiæ partem translatus est post autem, cum iussisset transferri eos, qui censerent ambos ab armis amouendos, nulloq; esse in magistratu, pro Pompeio duo & uiginti tantum sensere, Curioni uero omnes hæsisse nisi ex quo hic ueluti uictor splendidus lætusq; ad plebem prouectus est, atq; ab ea cum plausu iniectuq; sertorum florumq; susceptus. Vides, autē melius arbitror legi, hoc quidem sensu quem supra scripsimus, quam Velles. Vides enim diait quasi prædictæ rei euentu lætus, iactabundusq; Scripserat autē superiori episto. Hoc tibi dico, si omnibus rebus prement Curionem, Cæ. defendetur. Intercessorem si, quod uidētur, reformidarint, Cæ. quoad uolet, manebit. {Transierant illuc, ut nec ratio esset eius habenda, qui neq; exercitū neq; prouincias traderes} Fere est, ut abundare negationem rear ex his, quæ sequuntur: quem sensum Mediolanensis etiam impressio præfert, si non uerba. Transierant autem, non rei, ut interpres, sed senatores.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Narrat, quæ Domitio in repulsa contigerint, deinde suspiciones suas certissimas inter Cæsarem & Pompeium Ciceroni perscribit.

M. CÆLIVS M. CICERONI S. D. 14

*TAnti non fuit Arsacen capere, Seleuciam expugnare, ut earum rerum, quæ hic gestæ sunt, spectaculo careres. nunquam tibi oculi doluissent, si, in repulsa, Domitij uultum uidisses. magna illa comitia fuerunt: & planè studia ex partium sensu apparuerunt: per pauci necessitudinem secuti, officium præstiterunt. itaque mihi est Domitius inimicissimus, ut ne familiarem quidem suum, quem nosti, tam oderit, quàm me: atque eo magis, quòd per iniuriam sibi putat ereptum, cuius ego author fuerim. nunc furit tam gauisos homines suum dolorem, unumq; me studiosiorem Antonij. nam Cn. Saturninum adolescentem ipse Cn. Domitius reum fecit, sanè quam à superiore uita inuidiosum. quod iudicium nunc in expectatione est, etiam in bona spe, post Sex. Peducei absolutionem. De summa Repub. sæpe tibi scripsi me etiam num pacem non uidere: & quò propius ea contentio, quàm fieri necesse est, accedit, eò clarius id periculum apparet. propositum hoc est, de quo qui rerum potiuntur, sunt dimicaturi; quod Cn. Pompeius constituit non pati, C. Cæsarem Consulem aliter fieri, nisi exercitum, & prouincias tradiderit: Cæsari autem persuasum est, se saluum esse non posse, si ab exercitu recesserit. fert illam tamen conditionem, ut ambo exercitus tradant. sic illi amores, & inuidiosa coniunctio non ad occultam recedit obtrectationem, sed ad * bellum erumpit: neque mearum rerum quid cō silij capiam reperio: neque dubito quin te quoque hæc deliberatio sit pertubatura: nam mihi cum hominibus his & gratia est & necessitudo: tamen tantum causam illam non homines odi. illud te nō arbitror fugere, QVIN, homines in dissensione domestica debeant, quandiu ciuiliter sine armis * certetur, honestiorem sequi partem: ubi ad bellum & castra uentum sit, firmiorem: & id melius statuere, quod tutius sit, in hac discordia uideo Cn. Pompeium, senatum, quiq; res iudicant. secum habiturum: ad Cæsarem omnes qui cum timore, aut mala spe uiuant, accessuros. exercitum conferendum non esse. omnino sat spatij sit ad considerandas utriusque copias, & ad eligendam partem. Propè oblitus sum, quod maxime fuit scribendum. Scis Appium Cæs. hic ostenta facere? de signis et tabulis, de agri modo, de ære alieno acerrime agere? persuasum est ei, Censuram lomentum, aut nitrum esse, errare mihi uidetur: nam sordes eluere uult: uenas sibi omneis & uiscera aperit. curre per deos, atque homines, & quamprimum hæc risum ueni: legis Scantiniæ iudicium apud Drusum fieri: Appium de tabulis, & signis agere. crede mihi, est properandum. Curio noster sapienter id, quod remisit de stipendio Pompeij, fecisse existimatur. ad summam quæris, quid putem futurum? si alteruter eorum ad Parthicum bellum non eat, uideo magnas impendere discordias: quas ferrum, & uis * iudicabit: uterque & animo, & copijs est paratus. si sine summo periculo fieri posset, magnum, & iucundum tibi fortuna spectaculum parabat.* Vale.

*al. bellū se erupit. *al. cernatur. *al. uindicabit.

ASCENSIVS. TAnti &c. Narrat risum, quem Domitius repulsa accepta præbuerat, denunciatq; bellum futurum inter Cæsarem, & Pompeium. Ordo est. Capere Arsacem regem Persarum, & expugnare, idest pugnando superare, Seleociam, non fuit tanti, idest tanto precio æstimandum, ut, careres, idest deberes uelle carere, spectaculo earum rerum, quæ gestæ sunt hic scilicet Romæ: Oculi nunquam doluissent tibi, sed semper excitasset te ad risum si uidisses uultum Domitii in repulsa scilicet magistratu petito. Illa comitia quibus populus coiuerat ad creandos magistratus, fuerunt magna, quia multi conuenerant, & studia, idest fauores apparuerunt plane, idest omnino, aut euidenter ex sensu, idest sententia partium scilicet competitorū, per pauci secuti necessitudinem, idest eo quod essent necessarii præstiterunt officium. Triplex est sensus, aut qood pauci præstiterunt officium alicui, quia plurimi secuti erant necessitudinem, aut quod pauci præstiterunt officium Domitio, utpote soli secuti necessitudinem, aut quod per pauci secuti necessitudinem. i. etiam de necessariis Domitii, præstiterunt officium Domitio, qui sensus congruit ei quod sequitur. Itaq; Domitius est inimicissimus mihi ut ne quidem: idest non saltem oderit quenquam familiarem suum, tam: idest tantum, quam: idest quantum me. Ideo autem odit familiares, quod licet essent necessarii, non tamen præstiterunt officium Domitio. atq; Domitius odit eo magis me, quod putat scilicet magistratum, ereptum sibi per iniuriam, cuius scilicet iniuriæ, ego fuerim author. Nunc Domitius furit homines, tam, idest tantum gauisos dolorem suum, idest propter dolorem suum. quia sicut dicimus gaudeo gaudium tuum, ita & dolorem tuum, idest cum gaudeo uideo, sup. furit me unum scilicet gauisum dolorem suum ut studiosiorem Antonii, idest magis fauentem Antonio. Nam ipse Cn. Domitius fecit Cn. Saturninum adulescentem, reum, idest accusauit eum. Vita, sup. erat ei inuidiosa, sane quam, idest multo magis, quam superior, quod iudicium scilicet de Saturnino, est nunc in expectatione, sup. Saturninus inest etiam in bona spe. scilicet absoluendi, post absolutionem Sexti Peducei, scripsi tibi sæpe de summa reipublicæ me non uidere pacem annuam, id est quæ duret annum, aut intra hunc annum. Et quo, idest quanto, ea contentio scilicet Cæs. & Pompeii accedit propius, quam necesse est fieri, eo idest tanto, id periculum apparet clarius, idest euidentius. Propositum de quo sunt dimicaturi qui potiuntur rerum, est hoc idest huiusmodi, qood Cn. Pompeius constituit non pati. C. Cæsarem consulem fieri aliter, nisi tradiderit exercitum & prouincias: Cæsari autem persuasum est, se non posse esse saluum si recesserit ab exercitu, tamen ipse fert. idest offert illā

conditionem,

conditionem, ut ambo iam ipse quam Pompeius tradant exercitus scilicet senatui. Sic idest intantum, illi amores scilicet Soceri & generi, & coniunctio scilicet affinitatis, inuidiosa scilicet cui plurimi inuiderunt, non recedit ad obtrectationem occultam, sed erumpit, idest extendit se ad bellum. Neq; reperio quid consilii mearum rerum capiam, quod idest propter, quod, ne sup quidem dubito, quin hæc liberatio perturbarit quoq; te sic .s. ut me. Nam & gratia & necessitudo est mihi cum his omnibus .s. qui bellum acceptant. Tum idest insuper, ego odi causam illam .s. certantium, non homines .s. ipsos. Ego non arbitror illud fugere te, idest non dubito te scire quin homines debeant, sequi partem honestiorem in dissensione domestica, idest ciuili, quandiu certetur ciuiliter sine armis, ubi .i. postquam, uentum sit ad bellum, & castra, sup. sequi partem firmiorem idest fortiorem, & statuere, idest existimare id melius, quod sit tutius, Ego uideo Cneum Pompeium habiturum secum in hac discordia, senatum, idest omnes senatores, & qui iudicant res, idest iudices, & omnes qui uiuant in timore, aut mala, idest dubia spe, accessuros ad Cæsarem. Exercitum, sup. eorum non esse conferendum .i. comparandum omnino, cum longe melior sit Cæsarianus, aut conferendum ad dimicandum, modo, idest dummodo, sat idest satis spacii sit ad considerandas copias utriusq;, & ad partem eligendam. Ego prope, idest quasi oblitus sum, quod erat maxime scribendum. Scis Appium censorem facere hic ostenta, idest monstra in censendo & agere acerrime de signis .i. effigiebus rerum, de tabulis .s. pictis, de agris modo .i. interdum, de ære alieno .i. debito. persuasum est ei censuram esse lomentum .i. extendi posse ut lomenta, aut nitrum .i. frangi posse, ut nitrum. Nam .s. Appius sordescit .i. fit sordidus uere uultu, & aperit sibi uenas omnes, & uiscera .i. intima animi sui manifestat. Curre .s. admonitus, per deos atq; homines, & uenito rursum hæc quamplurimum, Iudicium legis Scantiniæ .i. de turpi libidine, fieri apud Drusum .s. turpissimum. Appium .s. censorē agere de signis & tabulis .s. non possidendis, Crede mihi properādium .s. est tibi Curio noster existimatur fecisse sapienter, id quod remisit .i. detraxit de stipendio Pompeii. Ad summam .i. finaliter quæris, quid putem futurum, si alteruter .s. aut Cæsar, aut Pompeius, nō eat ad bellum Parthicum, uideo impendere .i. imminere magnas discordias, quas ferrum, & uis .i. uiolentia, uindicabit .i. ulciscetur. Vterq; est paratus & animo & copiis, si possit fieri sine periculo .s. reip. fortuna parabit tibi spectaculum magnum & iucondum, qui enim in arena dimicantes spectant, extra periculum sunt. Vale.

VICTORIVS.

LOmentum, aut nitrum} Veteres codices omnino melius. {Nitrum} nec enim nitrum rea est uilis, & nullius precii, ut fere nitrum, quo nonnullæ gentes pro sale utebantur in condiendis, conseruandisq; obsoniis, uiriditatem etiam brassicæ nitro reddebant. Mart. Ne tibi pallentes moueant fastidia caules, Nitrata uiridis brassica fiet aqua.

PAVL. MANV.

DE agri modo, de ære alieno} Libētius ita lego, quam, ut alii uolunt, de agris modo forte autem id fieri uolebat. Appius quod maiorum memoria uoluerant C. Licinius, & L. Sextius Tribuni pleb. qui leges promulgarunt, unam de ære alieno, ut deducto de capite quod usuris pernumeratum esset, id, quod superesset, triennio æquis portionibus persolueretur: alteram de modo agrorum ne quis plus X L. iugera agri possideret.

SEBAS. CORR.

AR sacen} Parthorum regem {In repulsa} Augurali, M. Antonio competitore augure facto. {Domitii} Lu. Domitii. {Quem nosti} Al. quenquam. {Cn. Domitius} Lu. filius. {Lomenium, aut nitrum} quibus sordes eluuntur.

BERN. RVTI.

NAm Cn. Saturninum adolescentem ipse Cn. Domitius reū fecit} L. hunc Domitium superiori epistola uocat de eodē enim hæc intelligo, qui sit Aenobarbus etiam dictus, petiitq; ut arbitror, auguratum cum M. Antonio. Nam alioqui de pontificatu quoq; Cæsaris etiam tum uiui, imperatorisq;, cum Spinthere Scipioneq; altercatus est in castris. author Plutarchus Nisi uero id probes, quod mihi omnino non improbatur, ut Adolescens ipse Cn. Domitius, malia scribere filiumq; L. Aenobarbi intelligere qui patris impulsu Saturninū accusauerit. Cicero Philippica II. Cn. Domitium (inquit de interfectoribus Cæsaris ironicos) non patris interitus clarissimi uiri, non auunculi mors non spoliatio dignitatis ad recuperandā, sed mea authoritas excitauit. Appianus quoq; tradit L. Domitium Aenobarbum in Pharsalica pugna occisum. Cicero addit, ab Antonio, deniq; Lucium Liuius. Appianus, Cicero, cæteri omnes Aenobarbum nominant: ut uerisimilius sit a iunore accusatum suadet etiam Romana uetus consuetudo, de qua Cicero quoq; in officiorum libris. {Persuasum est ei censuram lomentum aut nitrum esse} Loramentum insulsissime tam legit, quam exponit interpres. Lomento usum tradit Plinius in pictura, ex cœruleo fieri, candidiosq; esse lib. XXXIII. cap. XIII. uerba eius apponam si forte illustrare tenebricosum locum possint: Ex cœruleo fit, inquit, quod uocatur lomentum perficitur id lauando, terendove. & hoc est cœruleo candidius. Idē de nitro. Ex palude Candabra, inquit, creditur nasci Belus amnis, quinq; millium passuum spacio, in mare profluens iuxta Ptolemaidem coloniam. lentus hic currit, insalubris potu, sed cæremoniis sacer, limosus, uado profundus, non nisi refuso mari arenas fatetur, fluctibus enim uolutatæ nitescunt. tunc etenim marino creduntur astringi morsu, nō prius utiles. quingentorum est passuum, non amplius litoris spacium. Idq; tantum multa per secula gignendo fuit uitro. {Nam sordescit uere uultu, & uenas sibi omnes & uiscera aperit} Ita reponit interpres, nullo sensu. Ego puto ita rectius: Nam, dum sordes eluere uult, uenas sibi omnes & uiscera aperit. Sordes eluere Cicero quoq; dicit in Antonium: ut enim quisq; sordidissimus uidebitur, ita libentissime seueritate iudicandi sordes suas eluet.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Pompeium facta collatione uituperat, Cæsarem uero ad cœlum tollit. Adiicit, se magnopere exoptare, ut cum Cicerone conferre possit. Postremo narrat, quemadmodum ob subitos Gallos motus iter facere in prouinciam cogatur.

M. CÆLIVS M. CICERONI S. D. 15

ECquando tu hominem ineptiorem, quàm tuum Cn. Pompeium uidisti, qui tantas turbas qui tam nugax esset, commorit? & quem autē Cæsare nostro acriorem in rebus gerendis, eodem in uictoria temperatiorem aut legisti, aut audisti? quid est? nunc tibi nostri milites, qui durissimis, & frigidissimis locis teterrima hyeme bellum ambulando confecerunt, malis orbiculatis esse pasti uidentur. quid? iam, inquis gloriose. immo, si scias quàm solicitus sum, tum hanc meam gloriam, quæ ad me nihil pertinet, derideas. quæ tibi exponere nisi coram non possum: idq; celeriter fore spero: nam me, cum expulisset ex Italia Pompeium, constituit ad Vrbem uocare: id quod iam existimo, confectum: nisi maluit Pompeium Brundusii circunsedere, peream, si minima causa est properandi isto mihi, quod te uidere, & omnia intima conferre discupio. habeo autem quàm multa? hui uereor, quod solet fieri; ne, cum te uidero. omnia obliuiscar. sed tamen quodnam ob scelus iter mihi necessarium retro ad alpeis uersus incidit? adeo, quòd Intemelii in armis sunt, neque de magna causa. Bellienus uerna Demetrii, qui ibi cum præsidio erat, Domitium quendam nobilem illic Cæsaris hospitem, à contraria factione numis acceptis comprehendit. & strangulauit. ciuitas ad arma iit. eo nunc cum quatuor cohortibus mihi per niueis eundum est. Vsquequaque, inquis, se Domitii male habent. Vellem quidem Venere prognatus tantum animi habuisset in uestro Domitio, quantum ipse catenatus in hoc habuit Ciceroni F. S. D. Vale.

ASCENSIVS.

ECquando Laudando Cæsarē uituperat Pompeiū, qui excitauerit Populum Romanum ad arma: dicit se optare aduentum Ciceronis, & queritur sibi trans alpes proficiscendum esse. Ordo est Ecquando .i. nunquid aliquādo, uidisti hominē ineptiorē, quam Cn. Pompeiū tuū, qui commorit pro commouerit. tantas turbas .i. turbationes rerum, qui esset tam nugax .i. tam uanus, & futilis? quasi dicat non. Ecquē nunquid aliquē, aut legisti, aut audiuisti acriorē Cæsa nostro, in rebus gerēdis .s. fortiter, & tēperatiorē eodem in uictoria? q.d. scio ꝙ nullum. Quid est? hoc est quæris cur sic gestiam? milites nostri .i. Cæsariani, qui ambulando locis durissimis & frigidissimis hyeme teterrima .i. asperrima confecerunt .i. finiuerunt, nunc tibi, ad nullam personam spectat illud tibi, bellum, uidentur esse pasti malis orbicolatis .i. pomis rotundis. sunt qui allegorice mundum intelligere dicant quasi dicat mundi imperium obtinuisse, alii e pomorum pastu macilentos factos Quid inquis iam sumpsit Respondet omnia gloriose, si scias, quam .i. quantum solicitus sum, cum derideas hanc gloriam meam, quæ nihil pertinet ad me. Quæ .i. quales res, ego non possum exponere tibi nisi coram .i. in præsentia, & spero id .s. quod possim coram exponere fore celeriter. Nam cum Cæsar expulisset ex Italia Pompeium, constituit uocare me ad urbē .s. Romam, & existimo id esse cōfectum .i. peractum modo, nisi maluit sup. me circunsedere .i. obsidere, Pompeium Brundusii. Peream si est causa minima. Properandum est mihi isto .i. ad istum locum ubi tu

es, quod .i. quia, discupio .i. anxie cupio, uidere te, & conferre .s. tecũ omnia intima. Habeo autem, quam .i. o quantum multa. hui uereor ne obliuiscar omnia, cum uidero te, quod solet fieri. Sed tamen .i. insuper, iter necessarium incidit mihi ob quoddam scelus retro .i. retrorsum ad alios uersus adeo .s. necessari, quod intemelii populi trans alpim sunt in armis. neq; de magna causa .i. ob magnam causam. Bellienus Verna .i. seruus Demetrii, qui erat ibi cum præsidio, comprehendit, & strangulauit illic Domitium quendam nobilem hospitem Cæsaris numis acceptis, ideo eo, quod numos acceperat a factione contraria. Ciuitas iit .i. confluxit, ad arma. eundum est mihi .i. debeo ire eo .i. ad eum locum, cum quatuor cohortibus per niues, quia hyeme. Inquis .i. tu forte modo dicis. Vsquequaq; .i. an semper tibi laborandum erit? q.d. uellem quidem aliter esse sed Domitii mali .i. perniciosi dant .s. id mali, aut negocii Vellem quidem, sup. ut Verna .s. Bellienus propugnaturus, habuisset tantum animi in Domitio nostro .s. Romano, aut hospite, & amico, quantum ipse catenatus, alii legunt catenandus habuit in hoc Cicer. fratris filio.

VICTORIVS.

Vellem quidem uerna propagnaturus} Sic in omnibus uulgatis. Antiquiores codices multo melius, etsi ne illi quidẽ penitus purgati: sic enim habent. {Venerem propugnaius} Nos emendauimus. {Venere prognatus} ut Cæsarem intelligat, quẽ suæ stirpis originem a Venere duxisse omnibus notum est ut ipse ẽt in laudatione amitæ apud Suetonium docet, Amitæ meæ Iuliæ maternum genus a regibus ortum, paternum cum diis immortalibus coniunctum est: nam ab Anco Martio sunt Martii reges, quo nomine fuit Mater, a Venere Iulii, cuius generis familia est nostra. Appianus lib. V I I. τὸν ἐμφύλιον. θυόμενός τε νυκτὸς μέσης τὸν ἄρη κατεκάλει, καὶ τὴν ἑαυτοῦ πρόγονον ἀφροδίτην (ἐκ γὰρ αἰνείου, καὶ ἴουλος ὁ αἰνείου τὸ τῶν ἰουλίων γένος παρενεχθέντος τοῦ ὀνόματος ἡγεῖτο εἶναι) νεὼν αὐτῇ νικηφόρῳ χαριστήριον ἐν ῥώμῃ ποιήσειν ηὔχετο κατορθώσας. Dion etiam lib. X L I I I I. historiarum, Τοῦτό τε οὖν καὶ τὸν ναὸν τὸν τῆς ἀφροδίτης ὡς καὶ ἀρχηγέτιδος τοῦ γένους αὐτοῦ ποιήσας καθιέρωσεν εὐθὺς, τότε καὶ πολλοὺς ἐπ' αὐτοῖς καὶ παντοδαποὺς ἀγῶνας ἔθηκε. Hanc autem sententiam esse puto & uim horum omnium uerborum, Postquam, inquit, tam ubicunq; molesti sunt Domitii, uellem Cæsar fortius se in uestrum Domitium gessisset, nec dubitasset facere diuina stirpe oriundus, quod Bellenius uerna ausus est facere in suo Domitio. Acerbissimas ast gerebat inimicitias M. Cælius cum L. Domitio, quem Corfinii captum Cæsar dimiserat (ne mirum alicui uideatur, cum aduersus Domitium tam male animatum fuisse) quod prius quarta ab hac epistola docuit, Cum L. Domitio (ut nunc est) mihi inimicissimo homine. Quare offensus est clementia Cæsaris: quantum potest autem, ostendit rectius & honestius Cæsarem potuisse facere, quod uerna commiserat, illius stirpem extollendo, huius contra eleuando, dum catenatum uernam (quæ pessima est seruorum conditio) appellat. Cæsarem autem Venere prognatum.

Ex poste. eiusdem.

IPse Catenatus} Hunc totum locum pessime acceptum olim restitui, ac declaraui, & nisi fallor neq; ad sententiam, neq; ad elegantiam uerborum aliquid desiderari poterat: fuere tamen, qui legi melius putarint, pro {Ipse catenatus, Psechade natus} quorum acumen non contemno: maluissem tamen eos tantam ingenii aciẽ, ubi opus erat, exercere. hoc enim ab illis excogitari nullo pacto hic necessarium fuit: ex uetere enim lectione egregius sensus ducitur, & illa nimis dura, & uiolenta est. Quod autem facere uoluit Cælius, si ita legeretur, non fecisset: studuit enim afferre antitheton superioribus illis uerbis. {Venere prognatus} nec maius excogitare potuit, quam appellare Bellienum ipsum, catenatum: quæ fortuna etiam in seruis deterrima est. Nam quod ancilla natus esset, iam ante ostenderat, cum eum uernam appellauerat, neq; hoc conterere, ac deprimere conditionem illius erat. Dolet, ac uehementer quidẽ dolet, mihi eam necessitatem impositam, ut iis aduerser, a quibus nulla in re dissentire uellem, id tamen feci, quam parcissime potui. Nam quod in antiquis. {Cadenatus} legitur, nullo discrimine ueteres librarii duabus illis literis utebantur, quod ex Mediceo facile colligitur. nã crebro. {Inquid} scriptum est. & contra. {Illut, aliut, animasuerlum, at} pro {Ad} In epist. Cælii, Paucis uerbis iterum, qui multos sæpe dies at te, cum hic eras, non accedebam. nunc cotidie non esse te, at quem cursitem, discrutior.

PAVL. MANV.

QVantum ipse catenatus} Legit amicissimus meus, quantum Psecade natus. ut significetur Bellienus uerna: Psechas. n. ancilla est: uernas autem eos esse, qui ancillis nascantur, nemo nescit. itaq; dicit: si Bellienus ancilla natus Domitium comprehendere, & strangulare non dubitauit: quid Cæsari, qui est Venere prognatus, in uestro Domitio faciundum fuit? Hæc amicissimi hominis lectio, non dubito, quin a doctis probetur: cũ & sensum habeat optimum, & a uetusto codice parum, ac pene nihil discrepet, De Psechade meminerunt Iuuenalis Satyra V I. & Ouidius Metamorphoseon lib. I I I. cum hæc iam scripsissem, codex est allatus ad me perantiquus, in quo ita scriptum erat, quantum ipse cadenatus.

SEBAS. CORR.

GLoriosum?} Al. gloriose? {Imo} Al. omnia. {Intemelii} Plyn. lib. I I I. cap. V. {Venere prognatus} Cæsar: quo de loco in Quæstura diximus. {Domitio} L. Domitio Corfinii capto. {Catenatus} Bellienus. {P. S. D.} filio salutem dic.

BERN. RVTI.

NVnc tibi nostri milites, qui durissimis & frigidissimis locis teterrima hyeme bellum ambulando confecerunt, malis orbiculatis esse pasti uidentur} Melius, num tibi: ut totum interrogatiue legas. De malis orbiculatis Varro in libris rei rusticæ. {Quid iam quis? gloriosæ omnia, si scias, quã sollicitus sum tum hanc meam gloriam, quæ ad me nihil pertinet, derideas} Ita puto integrius, Quid? iã, inquis, gloriose? imo, si scias, &c. uel, Omnino, si scias, &c. Interpres, ut solet, ariolatur. est enim Gloriose, quasi ad gloriosum illum in fabulis militem alludat {Nam me cum expulisset ex Italia, Pompeium constituit ad urbem uocare, idq; iã existimo confectum nisi maluit Pompeium Brundusii circumsederi} Vide, ne rectius: nam me, cum expulisse ex Italia Pompeium, cõstituit ad urbem uocare. idq; iam existimo, confectum nisi maluit Pompeius Brundusii circumsederi. Interpres nugatur de Cælio circumsedendo Brundusii: omnia non modo elegantiæ, sed historiæ quoq; imperitus. Quis enim nescit, Pompeium ex urbe ad primum Cæsaris motum profugisse Brundusium? inde appropinquante Cæsare in Epirum traiecisse? ex Plutarcho, Lucano, Liuii compendio. Floro, Appiano, cæteris. Est igitur sensus: Constituit Cæsar uocare me in urbem, cum expulisset Italia Pompeium. in quo miror tot tantosq; uiros cæcutisse. {Sed tú, quod nam ob scelus iter mihi necessarium retro ad alpeis uersus incidit? adeo quod Intemelii in armis sunt} Lege, ideo, non adeo. etsi non desunt, qui illud & probent, & interpretentur: inepte tamen, Pro tum malim Iam, aut quid huiusmodi. sed & Quoddam, melius, quam Quod nam. {Vsquequaq; inquis, se Domitii male habent} propter Domitiũ Aenobarbum, paulo ante a Cæsare captum apud Corphinium authores historiographi omnes. {Vellem quidem uerna propugnaturus tantum animi habuisset in uestro Domitio, quantum ipse Catenatus in hoc habuit Ciceroni F. S. D.} Alii pro uerna Venerem, pro habuisset, habuisse. Tu uide, num ita forte reponi non infelicissime possit: Vellẽ quidẽ Cæs. propugnaturũ tãtũ animi habuisse (uel Cæsar propugnaturus habuisset) in uestro Domitio, quantũ ipse catenatus (uel catenandus: nam utrũq; defendi potest) in hoc habuit. sensu iam nulli non obuio. Quod supra ait, a contraria factione nummis acceptis ex iisdem historicis constat, cum pecuniis & rebus suis omnibus Aenobarbum a Cæsare abire situm. Significat sane iam catenatum, uel catenandum illum Demetrii uernam .i. seruum libertumve domi natum: ne uidear assentiri Clerico. Sane adiectitia posteriora hæc putaram, nam nec tota in quibusdam erant codicibus, postea tamen conieci, prinsquam Manutianos codices inspicerem, ne me interim ista ipse gloriosa fraudem, Cic. filio S. D ut fit. salutem dic.

Ex poste. eiusdem.

NIsi maluit Pompeium Brundusii circumsedere} Potest ea lectio retineri, quantum ad hæc uerba pertinet. Cice. ad Atticum: At illum, inquit de Cæsare, uere nunciant, & iã tãq; adesse, non ut manum conferat (qui cum enim) sed ut fugam intercludat. Et non longe. De Pompeio scio nihil eumq;, nisi in nauim se contulerit, exceptum iri puto.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Suadet Ciceroni, ne se ad Pompeium transferat. idque pulcherrimis quibusdam argumentis, a metu & exitu uictoriæ. In fine consilium dat, quo pacto se in his angustiis tutum conseruet. Huic autem epistolæ respondet libro secundo: Magno dolore, &c.

M. CÆLIVS M. CICERONI. S. D. 16

EXanimatus sum tuis literis: quibus te nihil nisi triste cogitare ostendisti: neque, id quid esset perscripsisti: neque non tamen, quale esset quod cogitares, aperuisti. has illico ad te literas scripsi. Per fortunas tuas Cicero, per liberos te oro, & obsecro, nequid grauius de salute, & incolumitate tua consulas: nam Deos, hominesq; amicitiamq; nostram testificor, me neque temere tibi prædixisse, neque temere monuisse: sed postquam Cæsarem conuenerim, sententiamq; eius, qualis futura esset parta uictoria, cognouerim, te certiorem fecisse. si existimas eandem rationem fore Cæsari in dimittendis aduersariis, & conditionibus ferendis,

ferendis, erras, nihil nisi atrox, & sæuum cogitat, atque etiam loquitur. iratus senatui exiit. his intercesſionibus planè incitatus est, non mehercule erit deprecationi locus. quare si tibi tu, si filius unicus, si domus, si spes tuæ reliquæ, tibi charæ sunt, si aliquid apud te nos, si uir optimus gener tuus ualet: eorum fortunas non debes uelle conturbare, ut eam causam, in cuius uictoria salus nostra est, odiſſe, aut relinquere cogamur, aut impiam cupiditatem contra salutem tuam habeamus. denique illud cogita: quod offensæ fuerit, in ista cunctatione te prius subiiſſe: nunc te contra uictorem facere, quem dubijs rebus lædere noluisti, & ad eos fugatos accedere, quos resistenteis sequi nolueris, summæ stultitiæ est. uide ne, dum pudet te parum optimatem eſſe, parum diligenter, quid optimum sit, eligas. quòd si totum tibi persuadere non poſſum: saltem, dum, quid de Hispanis agamus, scitur, expecta: quas tibi nuncio aduentu Cæsaris fore nostras quam isti spem habeant amisſis Hispanis, nescio. quod porrò tuum consilium sit ad desperatos accedere, non medius fidius reperio. hoc, quod tu non dicendo mihi significasti, Cæsar audierat: ac simulatq; aue, mihi dixit, statim, quid de te audiſſet, exposuit. negaui me scire: sed tamen ab eo petij, ut ad te literas mitteret, quibus maxime ad remanendum commoueri poſſes. me secum in Hispaniam ducit: nam nisi ita faceret, ego prius, quàm ad Vrbem accederem, ubicunque eſſes, ad te percurriſſem, & hoc à te præsens contendiſſem, atque omni ui te retinuiſſem. etiam atque etiam mi Cicero cogita, ne te, tuosq; omneis funditus euertas: ne te sciens, prudensq; eo demittas, unde exitum uides nullum eſſe, quòd si te aut uoces optimatum commouent, aut nonnullorum hominum insolentiam, & iactationem ferre non potes: eligas. censeo aliquod oppidum uacuum à bello, dum hæc decernuntur, quæ iam erunt confecta. id si feceris, & ego te sapienter feciſſe iudicabo, & Cæsarem non offendes. Vale.

ASCENSIVS.

Exanimatus &c. Cum uersaretur Respub. in magnis periculis propter discordias Cæsa. & Pomp. idq; questus esset Cice. suspicatus Cælius ipsum a Cæsa ad Pomp. defecturum, monet ne id faciat. Huic autem epistolæ respondet illa ii. I I. Magno dolore &c. Ordo est. Ego sum exanimatus .i. factus expers animi, tuis literis .i. per literas tuas, quibus ostendisti te nihil cogitare nisi triste. neq; scripsisti, quid id esset non enim aperuisti quale esset, quod cogitares. Scripsi illico has literas ad te, quibus: sup. o Cicero oro te, & obsecro per fortunas .i. facultates tuas, & per liberos tuos, ut ne consulas .i. per deliberationem incipias. ac facias quid .i. aliquid, grauius de salute, & incolumitate tua, hoc est ne aut tibi per desperationem manum inferas, aut ea incipias, unde saluti tuæ timendum esset. Nam ego testificor .i. testes facio. deos & homines, & amicitiam nostrã, me neq; temere prædixisse. s. quicquam, neq; monuisse. Sed postquam conuenerim .i. allocutus fuerim Cæsarem, & cognouerim sententiam eius qualis esset futura parta uictoria .i. si obtinuerit uictoriam, testificor sup. me fecisse te certiorem .i. tibi eam significasse. Si existimas eandem rationem fore Cæsari in dimittendis aduersariis .i. iis, qui eum persecuti fuerint, & sup. inferendis .i. offerendis, conditionibus. s. cõcordiæ, erras, quia si uictor fuerit in eos nihil aget, nisi atrox, & sæuum, atq; etiam nihil loquitur ipse iratus senatui exiit .i. se proripit e senatu, ipse est plane .i. omnino incitatus. s. ad iram. His intercesſionibus .i. obstaculis a senatu factis, locus non erit deprecationi .i. purgationi culpæ, aut petitioni ueniæ si uicerit. Quare si tu, sup. es curæ tibi, si filius unicus. s. Marcus Cicero, si domus .i. familia, & si reliquæ spes tuæ sunt tibi curæ, si nos, sup. ualemus, & si gener tuus. s. Dolabella amicus Cæsaris uir optimus, non talis tamen omnibus uisus, ualet aliquid apud te .i. habemus aliquid authoritatis tu non debes uelle conturbare fortunas eorum .i. tibi charissimorum & maxime necessariorum, ne cogamur, aut odisse, aut relinquere ei causam Cæsaris in cuius uictoria salus nostra est, aut ne habeamus impiam cupiditatem contra salutem tuam .i. adhærendo Cæsari, & inimicis eius omnibus exitum optando. Deniq; cogita illud, uidelicet quid offensæ .i. læsionis, Cæsari fueris in ista. s. tua cunctatione .i. mora, te subisse .i. paruisse prius & sup. facere nunc contra uictorem, quem noluisti lædere rebus dubiis .i. cum adhuc dubius esset belli exitus, & accedere, ad eos. s. Pompeianos, fugatos s. a Cæsare, quos nolueris sequi resistentes .i. cum adhuc resisterent est summæ stultitiæ. Vide .i. attende, & prospice, nedum pudet te esse parum .i. non satis, optimatem .i. haberi in numero optimatum, & primorum ciuitatis eligas parum diligenter sup. id, quod sit optimum, quia melius esset in media dignitate secure uiuere quam ad summam properantem interfici. Quod si non possum persuadere tibi totum .i. ut omnino Cæsari reconcilieris, expecta saltẽ dum .i. donec, sciatur quid agamus de Hispaniis, quas. s. Hispanias, ego nuncio .i. indico tibi, fore nostras .i. nostrarum partium, aduẽtu Cæsaris. s. in eas, quod etiã euenit. Nescio quam spem, isti. s. temerarii. Pompeium sequentes habere possint. Hispaniis amissis. Porro .i. sed, mediusfidius non reperio .i. non possum cogitare, quod .i. quale consilium tuum sit, accedere ad desperatos. s. de salute tuenda. Cæsar audierat hoc, quod tu significasti mihi non dicendo .i. uehementem dolorem tuum propter Pompeii aduersitatem, aut debilitatem, quam nõ es ausus mihi scribere, sed solummodo signis ostendere, ac simulatq; dixit mihi hæc, exposuit statim, quid audisset de te negaui me scire, sed tamen petii ab eo, ut mitteret literas ad te, quibus. s. literis, posses commoueri maxime ad remanendum. s. in prouincia, donec res cum Pompeio transigatur. Cæsar ducit me in Hispaniam secum: nam nisi faceret ita, ego percurrissem ad te, prius quã accederem ad urbem, ubicũq; esses, & ego præsens .i. coram, contendissem .i. diligenter impetrare studuissem hoc a te, at retinuissem te omni ui O Cicero cogita etiã atq; etiam .i. sæpe, & diligenter, ne euertas funditus te & tuos omnes ne tu sciens & prudens .i. prouidens periculum, dimittas te eo .i. ad id periculi, unde uides nullum exitum esse. Quod si, aut uoces optimatum te ad Pompeium inuitantium, commouent te, aut potes ferre .i. tolerare, insolentiam .i. superbiam, & iactationẽ .i. quorundam hominum Cæsari adulantium, cẽseo sup. ut eligas aliquod oppidum uacuum .i. immune a bello, dum .i. donec, & quandiu, hæc. s. negocia bellica decernuntur. s. uter cedant, quæ cum .i. postquam aut quando, erunt confecta .i. expleta, & .i. pariter, ego iudicabo te fecisse sapienter, & non offendes .i. non lædes Cæsarem, qui permittet te neutrius partes sequi.

VICTORIVS.

Iratus senatui exiit} Sic uulgati codices, & antiqui etiã. Nos tamen scripsimus. {Exiit} Hæc enim ipsa Cælii epistola est etiã lib. X. ad Atticũ: quo loco, etsi impressi. {Exiſtit} habent. {Exiit} tamen retinent noster ille probatior, & recte quidem, ut nos putamus. loquitur enim de Cæsare, qui Roma exiit Senatui iratus, quod ea, quæ nolebat, ab eo impetrare non potuerit: proficiscebatur autem in Hispaniam Exire & alibi positum est absolute, ut X. ad Atticum, Exeamus modo. de se loquitur Cicero .i. ex Italia discedamus. Est autem in omnibus codicibus quibusdam locis aliquantulum suspecta hæc epistola. Nam quod infra in uulgatis legitur. {Parum optimatem esse} in antiquis est. {Parum adoptatim esse} Quod etsi non probo (peruersum enim & inquinatum omnino est) nonnihil scrupuli tamen relinquit, non esse quam habemus, genuinam lectionem, & fortasse aliter legendum locum illum esse. {Ac simulatque haue mihi dixit} Nos antiquam lectionẽ restituimus. {Haue} Hunc autem sensum huius loci credimus esse, Simulatq; Cæsar me salutauit, primis statim uerbis mihi narrauit, quæ de te audisset. audierat autem Cæsar Ciceronem parare fugam, uelleq; omnino ex Italia discedere. Quod si {Hanc} legas, nullum inde commodum sensum elicere poteris. Siquis autem {Haue} quia aspirate scriptũ est, suspectum habet, is omnino infrequens est in antiquorum librorũ, & lapidum obseruatione, in quibus passim sic scribitur. Est pulcherrimis literis ita scriptus lapis Pisis: PARTHENI HAVE BENE BALEAS QVI ME SALVTAS CVM SOSIA FILIA MEA. Item plurimi Romæ sic leguntur: raro autem admodum aliter. Harum autem inscriptionum cũ exempla quædam ab eo petissem, quo possem hanc scripturã nunc abolitam confirmare, magnam copiam mihi Roma misit Marcellus Ceruinus iuuenis omni laude dignus propter summam omniũ ingenuarum artium eruditionem, & candidissimorum morum integritatem. Nonnulla igitur ex iis, quæ illi debeo, exemplis adferam, MACEDO HAVE. BENE VALEAS QVISQVIS ES. FECER. C. MODESTIVS MACEDO PATRI PIISSIMO, ET FORTVNATA CONIVX. CVRANTE RVFINO COLLIBERTO. Item. IPHIGENIA SVAVIS HAVE. VIX. MENSIB. OCTO. Item. HAVE HYGIA ANIMA DVLCISSIMA FIDIAE SECVRISSIMAE QVAE VIX. ANN. XVI. SIT TIBI TERRA LEVIS. Item Hostiæ hanc inscriptionem esse idem mihi affirmauit, IVLIAE SP. F. THAIDI: HAVE THAIS: DII TIBI BENE FACIANT. & aliam etiam ibidem, quam, ne iis tot iam testimoniis clara, longiores simus, prætermisimus: necnon Arimini plures eadem orthographiam seruantes. Nihil igitur dubitandum quin hæc uera sit lectio. Cum autem in pluribus peruetustis codicibus hanc epistolam legerimus (quippe quæ sit etiam inter ad Atticum) omnes concordes sunt in hac lectione.

SEBAS. CORR.

Neq; temere monuisse} Id etiam testatur Cicero ad Atticum sic scribens. Tanti abest, ut Cælius meam sententiã moueat, ut ualde ego ipsi, quod de sua sententia dece sserit, pœnitendum putem. {Conditionibus ferendis} pacis, quas Cæsar æquas ferre uidebatur. {Iratus Senatui} Al. iratus, Senatu. {Exiit} Al. exiliit.

Al.exiit:scilicet in Hispaniam.{Intercessionibus}L.Metelli Trib. pleb.qui quascunq; res agere Cæsar Romæ instituerat,impediebat. {Charæ}Al.curæ {Eorum,&c.}Al. quorum fortunas non debes uelle conturbare,sequere eam causam,in cuius uictoria salus nostra est,ne,aut odisse te,aut,&c.{Offensæ}Apud Pompeium.{Cunctatione}Capuæ,& in ora maritima {At te literas}quæ sunt lib.X.ad Atticum.{Mitteret}ex itinere.{Si te ad uoces}Al.si te uerba, aut uoces.{Quæ cum tu feceris}Al.quæ cum erunt confecta. Al. quæ iam erunt confecta,id si feceris.

BERN. RVT.

Neq;,id quid esset perscripsisti.non tamen,quale esset, quod cogitares,aperuisti}Vel,non enim quale esset,&c. uel quod magis reor,ex annotamēto quopiam marginario interlinearius,qualia multa in manuscriptis codicibus conspiciuntur,ea tota clausula in contextum irrepsit.quæ tamen inter epistolas ad Atticum collocatas,ut a Cicerone ad Atticum earum exemplo misso, legitur:Neq; id,quod esses perscripsisti,neq; non tamen quale esset,quod cogitares aperuisti haud irrationabiliter.{His intercessionibus plane incitatus est}Intercessionibus accipe,spretis a senatu. Nam cum,ut ait author Liuiani compendii,senatusconsultum factum esset,ut successor Cæsari omnino mitteretur,M.Antonius & Q.Cassius tribuni plebis,quoniam intercessionibus id senatusconsultum impediebant.urbe pulsi sunt.id unum fuit,quod sceleri suo Cæsar semper prætenderit,ius scilicet publicum uiolatum,intercessionem authoritatemq; tribunitiam despectā.author Appius,Plutarchus,cæteri,& (qui mihi unus est pro centum millibus)Cicero, Philippica secunda.non,ut interpres.propria enim tribunorum intercessio.{Quid offensæ fuerit in ista cunctatione te prius subisse}Alibi est Contentione,ut forte totum ita legi possit: Iniusta cōtentione te prius subisse.Potest & si ista legas,esse sensus: Cogita tibi iampridem,cum de pari certaretur,in mentem uenisse,quantum offenderes,quantumve peccares contra Cæsarem . In epistolarum quidem ad Atticum uolumine legitur,Quod offensæ fuerint ,in ista cunctatione te subesse:Subesse mendosum est,Subisse melius.ut illud significet,quod pluribus locis ad Atticum ostendit,quo non esset.Pompeium confestim in Epirum sequutus , tam Pompeianis omnibus esse odio,ut si maneat,nihil plus inuidiæ apud eos subiturus sit atq; ita Cunctatione seruabitur.{Vide ne dum putet, parum te adoptatum esse,parum diligenter,quid optimum sit eligas}Parū te optimatem,quidam ueteris impressionis libri cōmodius seruant. Amabant enim ueteres,quod ait Donatus,de proximo similia dicere.Optimatem uero,quam se & esse,& dici etiam gauisus sit Cicero,non uno loco testatum reliquit,maxime uero in oratione pro P. Sestio,Adoptatum,legi non ineptissime non potest. Paulo post: q̄ si te,inquit,aut uoces optimatum commouent.Cicero ad Atticum Nō me igitur is ducit,sed sermo hominum,qui ad me a Philotimo scribitur is enim me ab optimatibus ait conscindi, quibus optimatibus,Dii boni?qui nunc quomodo occurrunt?quomodo autem se uenditant Cæsari?& infra:Id mandaui Philotimo,homini forti,ac nimium optimati.de eadem hac profectione in Pompeiana castra scilicet agens.Deniq; optimatem,in illis ipsis est Cælii literis,quas diximus uolumini ad Atticum insertas,Aldo agnitum.{Quid porro tuum consilium sit}Quod scribendum est.ex aliis omnibus,rationeq; etiam grammatica:in quo sæpissime erratum est ab Aldo, operarijsve eius.Sed præmonendum est,ne quis in errorem illabatur,aut ansam grammatistis cauillandi demus.{Ac simulatq; hæc mihi dixit,statim qui de te audisset,exposuit}Aut mihi di ait,placet:quod Mediolanensia præferunt exemplaria,nullo alioqui sensu.nam superiorem illam Cæsaris sententiam a Cælio cognitā,non puto cum his temporum ratione conuenire Harum literarum meminit in Cicerone Plutarchus:Profectus,inquit,post hæc in Hispanias Cæsar cum rumor increbuisset.Ciceronem in castra Pompeii nauigaturum,ex ipso itinere ad eum scripsit,monens,ac rogans,ne quo progrederetur.Et infra.Hoc,inquit,idem M.Cælius,hoc Dolabella suadebat,ut in eorum epistolis apparet.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Conqueritur multum de Cicerone Cælius,& pœnitentia se duci scribit quod Pompeium non secutus sit.Postremo quid contra Cæsarem moliatur exponit.

M. CÆLIVS M. CICERONI. S. D. 17

Ergo me potius in Hispania fuisse tum,quàm Formiis,cum tu profectus es ad Pompeium? quòd utinā aut non in ista parte Appius Claudius.aut nō in hac C. Curio: cuius amicitia me paulatim in *hanc perditam causam imposuit: nam mihi sentio bonam mentem iracundia & amore ablatam.tum tu porrò,cum ad te,proficiscens noctu Ariminum,uenissem , dum mihi pacis mandata das ad Cæsarem, & mirificum ciuem agis, amici officium neglexisti,neque mihi consuluisti . neque hæc dico, quòd diffidam huic causæ:sed,crede mihi perire satius est , quàm hos uidere.quòd si timor uestræ crudelitatis non esset, eiecti iampridem hinc essemus:nam hic nunc præter fœneratores paucos nec homo,nec ordo quisquam est,nisi Pompeianus.equidem iam effeci,ut maxime plebs,& ,qui antea noster fuit,populus, uester esset.cur hoc,inquis?immo reliqua expecta,uos inuitos uincere*coegero.irritaui in me*Catonem.uos dormitis,nec hæc adhuc mihi uidemini intelligere,qua nos pateamus,& qua simus imbecilli.atque hoc nullius præmij spe faciam , sed quod apud me plurimum solet ualere doloris,atque indignitatis causa . quid istic facitis? prælium expectatis,quod firmissimum est?uestras copias non noui:nostri ualde depugnare,& facile algere,& esurire consuerunt. Vale.

*al. hanc portā,uel partem.

*al.coegere:arruncaniū me

*al.crabrones.

ASCENSIVS.

Ergo me &c.Scripserat Cælius se cum Cæsare abducendum in Hispaniam,quo tamen abductus non erat , sed Formiis manserat.quod Cicero improbarat, unde Cælius nunc duce ad eum scribit incusans eum neglectæ amicitiæ,se tamen Pompeianum effectum dicit, sed uerisisse putari possit.Ordo est ergo ne fuisset potius proficisci in Hispaniam,quam esse Formiis?quasi dicat sic,licet Cic. aliter consuluerat,antequam tu profectus es ad Pompeium,tamen nō eras profectus ad eum quod utinam,aut Appius Claudius prohibuisset in ista parte,aut Caius Curio,cuius amicitia imposuit me paulatim in hanc partem scilicet causæ.scilicet Pompeianæ.Nam sentio mentem bonam ablatam mihi tumore:idest inflatione iracundiæ.Nam impedit ita animum.Tum:idest insuper tu porro cum proficiscens ad te uenissem noctu Ariminum,dum das mihi mandata pacis:idest ut te pacificum nunciarem ad Cæsarem,& agis ciuem mirificum (Ironia est)neglexisti officium amici: neq;:idest quia,non consuluisti,idest consilio perspexisti mihi.Neq; dico hoc,quod diffidam huic causæ:scilicet Cæsar.Sed(crede mihi)satius,idest melius est perire,quam uidere hos:idest nostros milites & fautores tam insolentes.Quod si timor crudelitatis uestræ:idest quam exercetis in uictos,ut Cicero ipse non semel futurum fuisse testatus est,nō esset, nos essemus iampridem:idest a pluribus diebus eiecti hinc:idest ex urbe,aut per superbiam Cæsarianorum,aut sponte,sed inuidiose eiectos fuisse dicit.Nam nec homo,nec ordo,quisquam est nunc hic, præter paucos fœneratores,nisi Pompeianus. Equidem , idest ego quidem,effeci iam maxime,ut partes supple sint uestræ, & ut populus,qui fuit antea noster,esset uester.Cur inquis,imo reliqui expectant supple scire,cur hoc scilicet effecerim.Ego coegero uos inuitos uincere:scilicet uos,uos inquam Coruncanum & M.Catonem in me,ut expergiscatur.Vos dormitis nec uidemini mihi intelligere adhuc,quam,idest quantum,nos pateamus: scilicet iniuriæ , & quam:idest quantum,simus imbecilli:idest debiles. Atq; faciā hoc: idest cogam uos inuitos uincere,nullius:idest non alicuius non spe alicuius præmii,sed quod:idest quia,aut quod:idest quæ res solent ualere plurimum apud me causa doloris,atq; indignitatis: idest indignationis Quid facitis istic.Expectatis prælium,quod est firmissimum:idest certissimum futurum.Ego non noui copias uestras,nostri:scilicet milites,uidelicet Cæsariani,consueuerunt ualde depugnare:idest detrectare pugnam,aut finire pugnam fugiendo,ut innuit,sed sic tamen,ut nescias utri parti faueat,propterea quod alea belli incerta erat,& consueuerunt algere,& esurire : idest pati frigus,& inediam.quod etiam duplicem habet sensum,aut per inertiam,aut per fortitudinem,quia assueti sint malo,& ita ad militiam aptiores.

VICTORIVS.

Iracundiam timore ablatam}Nos{Iracundia, & amore }ut est in antiquis,legimus:etsi non ignoramus eloquentissimum iuuenem Christoph.Longolium(tumore ablatam)hinc,ut opinor, acceptum in suas elegantissimas epistolas transtulisse . Quæritur Cælius se parum felicem in hac re fuisse:partes enim Pompeii fugisse,ne cum inimicissimo esse cogeretur(illic enim erat Appius) Cæsaremq; secutum,illectum amicitia Curionis. Iracundia igitur, & inimicitiæ cum Appio a Pompeii castris Cælium retraxerunt, amor & familiaritas Curionis in Cæsaris amicitiam deduxerunt. Nos quod potuimus præstitimus in his Cælii epistolis: multa prætiisse fatemur.Qui meliorem codicem nacti fuerint , quæ restant non pauca uulnera,sanare facilius poterunt. Alius mihi uisus est in hoc libro,quam in cæteris Mediceus codex . nos ab eo destituti, quantum cupiebamus facere non potuimus:non enim diuinare nostrum consilium est. Illa autem uerba in fine huius epistolæ.{Irritaui in me Catonem}aliter leguntur in illis,sed adeo confuse,& tu-

quinate,

quinate, ut pigeat meminisse. nam quod nonnulli. {Irritaui in me Crabrones} uel {In me Cæsarem} legunt, sunt longe a ueteribus uestigiis. & uereor ne quanto magis corrigere uolunt, tanto magis cõtaminent. iaceant igitur hi loci, donec ex melioribus codicibus uera lectio elucescat.

SEBAS. CORR.

POtius} quoniam si profectus essem, has discordias, in quas incidi, uitassem. {In Hispaniã} quo me ducebat Cæsar. {Quã Formiis esse} Al. quam Formias. {Ante quam tu} Al. cũ tu. {In ista parte.} Pompeiana. Hoc loco semus: aliter in ueteribus libris legi, sed nihil elici potest sensus. {Appius} cuius odio sententiam mutauit cum Pompeium sequi constituissem. {Iracundiæ tumore} alii legunt iracundia, & amore. {Quam hos uidere} Seruiliũ Trebonium & reliquos Cæsarianos. {Vestræ crudelitatis} Pompeius enim discedens ab urbe, in senatu dixerat, eodem se habiturum loco, qui Romæ remansissent, & qui in castris Cæsaris fuissent. {Fœneratores} quibus Cæsar cauerat, datis arbitris, per quos fierent æstimationes possessionum & rerum, quanti quæq; earum ante bellum fuissent, atq; ex creditoribus traderentur. Cælius uero prætor causa debitorum suscepta fore auxilio pollicebatur: uita Quæstura fusius ea Cæsare retulimus. {Effeci} appellatione concessa, legibusq; de mercede habitationum conductoribus donanda, & de nouis tabulis promulgatis. {Plebs} Al. paries. {Cur hoc inqs? &c.} Al. cur hoc inquis? immo reliqua expectant nos iniustos uincere cogere aruncanum me Catonem, &c. locus est mendosissimus.

BERN. RVT.

ERgo me potius fuisset in Hispaniam proficisci, quã Formiis esse} Ergo ne, quod est in Mediolanensibus, non improbos. ut sit illa Octauiani Energia.

Ergo ne supremis potuit uox improba uerbis.
Tam dirum mandare nefas?

Sed ne id quidem, quod uetustiores impressi habent, quam Formiis. ut hoc dicat: Ergo ne potius fuit proficisci in Hispaniam, quã Formias, antequam tu ad Pompeium proficiscerere? q. d. minime. utinamq; a te essem profectus potius Formias, ubi eras, cum. s. superiores ad te dedi literas. Nam ibi fuisse se indicat Ci. lib. II. Illis literis, quibus superiori Cælianæ epistolæ respondet: Sed mea prædiola, inquit, tibi nota sunt, in his mihi necesse est esse, ne amicis molestus sim. Plutarchus prædia in Formiano pulcherrima fuisse Cice. testatur. sed & Cælii uerba hanc sententiam indicant, superioribus literis. Me secum, inquit, in Hispaniam ducit. nam, nisi ita faceret, ego prius quam ad urbem accederem, ubicunq; esset, ad te percurrissem. Nam me inepti interpretis, unde fluxisse ea lectio uidetur, authoritas ne tantulum quidem mouet. uideo tamen eundem, etiam Formiis esse, legendo, sensum elici posse, quẽ nos asserimus {Quod utinam, aut Appius Claudius in ista parte prohibuisset} Puto scribendum, Quod utinam ue aut Appius Claudius me in ista parte esse prohibuisset. Omnia comminiscitur interpres, ne ueritatẽ sensumq; Cælii assequatur. Ego, tametsi obscuris in tenebris rectũ iter polliceri, scio audacis existimari, uideor tamen citra temeritatis crimen affirmare posse, hoc Cælium dicere: Vtinam me nunquam inimicis suis Appius a Pompeianis partibus, quas alioqui secuturus eram, auertisset. Scimus Pompeium socerum fuisse filii Appii Pulchri consularis censorisq;, cui Ci. in Ciliciam successerat, ea eiusdẽ epistolis. Brutiq; etiam ipsum Appium socerũ ut dubitari nõ oporteat, quin is in bellis ciuilibus sit Pompeium secutus. Id quoq; constat, a censore Appio uexatum Cælium ea epistola supra, quæ incipit, Pudet me tibi confiteri. Adiuuat lectionem grammaticis ratio quam nos non omnino solemus despicere, istam enim partem, cum Cice. dicit, ostendit eam, in qua sit Ci. hanc, in qua ipse. {Iracundiæ timore ablatam} Timore. librariorum errore pro Tumore, scriptum asserimus {Neq; mihi consuluisti} Interpres in mendosum incidit codicem, ideoq; non omnino indignus uenia. Mihi, Sine cunctatione scribendum. i. mei nullam curam ostendisti: ut saltem moneres, ut a Cæsare desciscerẽ {Quod si timor uestræ crudelitatis non esset, eiecti iampridem hinc essemus} Hic quoq; aperte interpres decepetus. Nos, opinor Cæsarianos omnes non Cælium unum intelligi. Eiecti uero, a populo, qui iam Cæsarem odisset: quod ostendit Cælius, Plutarchusq; cuius nos uerba in Cæsare, ante retulimus. Et, Vestræ autem, & Nostræ, non absurde legetur {Nec ordo quisquã est} Omnino insanit Clericus. ordo est, hominum, ut ita dicam, gradus & genus. {Cur hoc? inquis immo reliquias expectant} Hos, legi putest. ut sit sensus, Cur hos. s. non trucidat populus? immo, inquit ceteras quoq; Cæsaris copias expectant, ut. s. una omnes adoriantur, atq; conficiant. {Irritaui in me Catonem} Alii, Coruncanos. Quid si Cæsarem? quod potuit scriptum esse nota. Quid si, Crabrones? quod prouerbii loco dicitur. {Quod apud me plurimum solet ualere, doloris atq; indignitatis causa} Hæc, quæ se æquo animo uidere non potuisse ait Cælius, ea arbitror, quæ reuersus post debellatos in Hispania Pompeianos duces in urbem Cæsar effecit. nam dictator creatus est exules reduxit, eorum etiam qui Syllana tempestate proscripti sunt, filios ad honores admisit. ipse Dictator a se cũ nec a senatu, nec a consulibus eligeretur, primus dictus & creatus est, author Plutarchus in Cæsare, Appianusq;. Hunc denique iustum probabilemq; animi ardorem secutum Cælium tum prætorem putu cum a Cæsare desciuisset, seditiones in urbe quam maximas concitasse, nouarum rerum spe plebe solicitata, urbe pulsum, abrogato magistratu, Miloni exuli, qui fugitiuorum exercitum contraxerat, se coniunxisse: utrũq; tandem, cum bellum summa ui pararent, interfectum esse. quanuis uideo apud Liuianam epitomen scriptum Cæcilius Rufus, pro Cælius, lib. III. Sane & ad historiæ fidem, & epistolarum sensum facere arbitror ordinem, in quem nos Cælianas istas literas digessimus. Nos certe ea res, ubi in mentem uenit, plurimum adiuuit.

EPistola ultima eius libri Nam mihi sentio bonam mentẽ iracundiæ timore ablatam} Legendum, iracundiæ tumore: ex uolumine Bunano & est ea plane uera germanaq; lectio. Sic Virgilius tumidam iram dixit, VI. Aenei de Charonte loquens: Tumida ex ira tum corda residunt. Idem. Tumor omnis, & iræ Concessere deum. Et Seneca. Nec datum tempus quo resideret tumor publicus: pro, publica ira desæuiret, & deflagraret. Sed & ille tragicus, in Octauia: Tandem ut residat pectoris nostri tumor: procellet ac conquiescat. Quo & ipso in loco tamen perperam quidam, Timor. Vtrobiq; error fluxit, de similitudine uocum. Tumida autem ira (ut id etiam obiter addatur) a poetis idcirco dicitur, quod in iratis exæstuet, atq; ebulliat ab imis præcordiis sanguis: ut est a Philosophis proditum. Præterea ut mare uentis agitatum, atq; procellis, intumescere dicitur. (unde illud Vergilii, Aut freta ponti incipiunt agitata tumescere. & tumidum æquor, frequens apud poetas) sic tralatione quadam a mari ducta, tumor dicitur illa animi excandescentis & ira perciti commotio, & quidam quasi feruor cõcitatioq; perturbatæ mẽtis. Proinde apte quoq; Virg in illo ex vi. Aenei. quod est paulo ante citatum, uerbo Residunt, utitur, nimirum persistens in metaphora. Nam proprie alias: Cum uenti posuere, omnisq; repente resedit Flatus Sed & j Aenei. Idem multitudinem concitatam, ac populum commotum, atq; furentem, tempestati maris comparat. Contra, ni animum ita tumentem lenire ac placare dicimur, sic Virg Tumida æquora placat: pro, tranquilla reddit Et alibi: Tybris ea fluuium, quam longa est, nocte tumentẽ Lenit. Sed pauca quædam Ciceronis, quæ nonnihil ad præsentẽ faciant rem quoq; subiiciam. Is postquam hosce ex Homero citauit in III. Thusculana uersus.

Ex poste. eiuidem.

Corq; meum penitus turgescit tristibus iris.
Cum decore, atq; omni me orbatum laude recordor:

Sic mox subdit: Num manus affecta recte est, cum in tumore sit? aut num quippiam membrum tumidum, ac turgidum non uitiose se habet? sic igitur inflatus & tumens animus in uitio est. Sapientis autem animus semper uacat uitio, nunquam tumet. Ac cum iratus animus, eiusmodi est, nunquam igitur sapiens irascitur. Sed de hoc quidem satis.

M. T. C. EPISTOLARVM FAMILIARIVM
LIBRI OCTAVI FINIS.

MARCI TVLLII CICERONIS

EPISTOLARVM FAMILIARIVM, LIBER NONVS.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Cupit aduentum Varronis: & quod ad pristina studia literarum se contulerit, nunciat.

M. CICERO M. TERENTIO VARRONI: S. D. 1

EX iis literis, quas Atticus à te missas mihi legit, quid ageres, & ubi esses, cognoui. quando autem te uisuri essemus, nihil sane ex eisdem literis potui suspicari. In spem tamen uenio, appropinquare tuum aduentum: qui mihi utinam solatio sit. etsi tot, tantisq; rebus urgemur ut nullam alleuationem quisquam non stultissimus sperare debeat: sed tamen aut tu potes me, aut ego te fortasse aliqua re iuuare: scito enim me, posteaquam in urbem uenerim, redisse cum ueteribus amicis, idest cum libris nostris in gratiam. etsi non idcirco eorum usum dimiseram, quòd iis succenserem, sed quòd eorum me suppudebat: uidebar enim mihi, cum me in res turbulentissimas infidelissimis sociis demisissem, praeceptis illorum non satis paruisse. ignoscunt mihi, & reuocant in consuetudinem pristinam. teq;, quòd in ea permanseris, sapientiorem, quàm me, dicunt fuisse. quamobrem quando placatis his utor, uideor sperare debere, si te uiderim, & ea quae premant, & ea, quae impendeant, me facile transiturum. quamobrem siue in Thusculano, siue in Cumano ad te placebit. siue (quod minime uelim) Romae. dummodo simul simus: perficiam profecto, ut id utrique nostrum commodissimum esse uideatur. Vale,

ASCENSIVS. EX his &c. Mar. Terentius Var. uir doctissimus, qui de lingua Latina libros ad Ci. scripserat, cū esset studiosissimus Reipub. secutus erat partes Pompeia. ut plurimi alii Cum igitur abesset ab urbe, scripsit Ci. se eius literis ab Attico acceptis intellexisse ubi esset, sed nō quando uenturus esset. Optat autē eius sibi aduentum solatio fore in tātis Reip. malis. Deinde se contulisse ad literarū studia docetq; quo cum uenire uelit Ordo est Ego cognoui ex his literis, quas in illas a te Atticus legit mihi, quid ageres, & ubi esses. Autem .i. sed nihil sane .i. nullo modo, potui suspicari ea iisdem literis, quando essemus uisuri te. tamen uenio in spē .i. incipio sperare, aduētum tuum appropinquare, qui .s. aduentus tuus, utinam sit solatio .i. ad solatiū .i. tibi tam prosper, ut mihi solatium afferat Etsi .i. quanquam, urgemur .i. premimur tot & tantis rebus .s. aduersis, ut quisquam non .i. qui non sit stultissimus nullam .i. non ullam, non debeat sperare, possit tamē optare, ullā alleuationē .i. diminutionē mali, & recreationē animi sed ū, aut tu potes iuuare me, aut ego fortasse sup. possum iuuare te aliqua re Scito enim me postquam uenerim in urbē, redisse cum ueteribus amicis idest cum libris nostris, in gratiam .i. cum eis consuetudinem innouasse Etsi .i. quanquam, nō dimiseram usum eorum, idcirco, quod succenserem .i. subiratus essem iis .s. libris nostris, sed quod suppudebat .i. aliquantulum pudebat me, eorū s. quod ea eis pudorem contraxerim, sicut solemus ab iis, quos offendimus, non qui nobis dedecori sint, quod probat dicens, Videbar enim mihi cū demisissem me in res turbulentissimas .i. in bellum contra Caesa. sociis infidelissimis, aut, qui temere Remp. periculo obiecerunt, aut, qui eam defendere non potuerunt, nō paruisse: idest nō obediuisse satis praeceptis illorum .s. librorum nostrorum, uetantiū nil temere agere. Libri sup. ignoscunt mihi, & reuocant sup. me. in consuetudinem pristinam hoc est libenter mecum conuersantur, hoc est ego cum illis libenter uersor, & dicunt te fuisse sapientiorē quam me, quod permanseris in ea .s. consuetudine cum libris. Quamobrem quando, idest quoniam, ego utor iis .s. libris, placatis: idest pacificatis, ego uideor debere sperare, si uiderim te, me facile transiturum, & ea .s. mala, quae premant, idest in praesentia nos urgeant, & ea, quae impendeant .i. iminceant. Quamobrem siue placebit te adesse supple me, siue in Cumano supple agro, ubi uillam habebat Cic. siue in Thusculano, ubi alteram habuit, & Thusculanas quaestiones scripsit, siue quod minime uelim Romae, dummodo, idest si modo simus simul, perficiam profecto, ut id uideatur commodissimū esse utriq; nostrum.

VICTORIVS. QVas Atticus a te missas mihi legit} Quidam pro. {A te, ad se} legunt Antiquus codex. {Ad te} corrupte: & ex quo utraq; lectio, si aliquantulum eam adiuues, confirmari potest. Ego nō aspernor. {Ad se} Quin enim Varronis essent literae, ea iis, quae subiungit dubium esse nō potest: consuetudo autem est dicere ad quem literae missae sint. Extrema quoq; dictio huius epistolae in impressis etiam anceps est, & {Videatur} enim & {Diiudicetur} legitur, quod ortum est ab incerta ueteri scriptura. In antiquissimis enim. {Diuidetur} eo loco legitur. Quae uox cum aliquantum peruersa sit, quidam duabus literis interiectis (diiudicetur) restituunt. Saepe enim aliqua syllaba truncatae, & diminutae aliquae dictiones reperiuntur incuria librariorum Alii melius legi credunt. {Videatur} Nos priorem opinionem secuti sumus, quia non nimis ab antiqua lectione discedit. {Adire te placebit} Alii emendarunt. {Adesse tibi placebit} locum explanare cupientes nos ueterum scripturam (ut arbitror) synceram & incontaminatam reposuimus. {Ad te} idest, apud te, & in tua uilla. habuit enim M. Varro uillam in Cumano, quod ex procemio Academicorū ad ipsum missorum colligitur.

SEBAS. CORR. ATticus a te} Al. Atticus ad se. {In urbem uenerim} Pōpeio in acie Pharsalica superato {Infideliss. sociis} mihi, qui apud illos nisi cum capitis periculo libere loqui non poteram. {Praeceptis} de prudentia praesertim {Permanseris} quamuis legatus Pompeii in Hispania, & postea mecum, & cum reliquis Dyrrachii fueris. {Adesse tibi} Al. adire te {Videatur} Al. diiudicetur.

BERN. RVTI. SIue in Cumano adire te placebit} Alii codices, siue in Cumano ad se placebit. Sunt qui adesse putent legi posse. nam & Thusculanum Varronis sequens epistola habet, & Cumanū quarta.

PHIL. MELĀ. ILlae epistolae ad Varronem, sunt in primis elegantes. sunt autē scriptae, cum iam Caesar rediisset ex pugna. {Ex his literis} Narratio est, in qua exponit se sperare reditum Varronis, & commemorat quaedam de studiis suis Estq; uenusta prosopopoeia de libris, quos ait hactenus sibi succensuisse: quod non paruerit monentibus, ut a popularibus tumultibus abstineret. nunc inquit se cum eis redire in gratiam, ac petere ab ipsis leuationem doloris. Estq; bella & elegans epistola {His literis} Vide infra lib. XIII. epist. XI. {Nō satis paruisse} Vbiq; monet, ne admisceamus nos popularibus tumultibus, quod etiam hi, qui bonas causas defendunt, corrumpant eas agendo. Sicut & Demosthenes neruos atq; artus sapiētiae esse ait ἀπιστεῖν & illud Epicharmi μέμνασο ἀπιστεῖν. Ita & Euripides, καλὸν ἔξω πραγμάτων ἔχειν πόδα τὸν εὐβουλίας τυχόντα, Bonum est, extra negotia habere pedem, eum qui melius habet consilium.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Reddit rationem, cur epistolam multis ante diebus scriptam Varroni etiamnum miserit. Deinde suadet, ut a conspectu inimicorum se transferat. Se autem ualde cupere, ut simul in ocio literario uiuere possint, & ut Varro operam det, ut id fiat, hortatur.

CICERO VARRONI. S. D. 2

Aninius idem tuus, & idem noster, cum ad me per uesperi uenisset, & se postridie mane ad te iturum esse dixisset: dixi ei me daturum* aliquid mane, & ut peteret, rogaui. conscripsi epistolam noctu: nec ille ad me rediit. oblitum credidi. attamen eam ipsam epistolam misissem per meos, nisi audissem ex eodem, postridie te mane è Thusculano exiturum. at tibi repente paucis post diebus, cum minime expectarē, uenit ad me Caninius mane proficisci ad te statim dixit. etsi erat* ἕωλος illa epistola, præsertim tantis postea nouis rebus allatis: tamen perire meam lucubrationem nolui, & eam ipsam Caninio dedi, sed cum eo, & homine docto, & amantissimo tui, locutus ea sum, quæ pertulisse illum ad te existimo. tibi autem idem consilij do, quod mihi metipsi: ut uitemus oculos hominum, si linguas minus facile possumus: qui enim uictoria se efferunt, quasi uictos nos intuentur: qui autem uictos esse nostros moleste ferunt, nos dolent uiuere. quæres fortasse, cur, cum hæc in Vrbe sint, non absim, quemadmodum tu. tu enim ipse, qui & me, & alios prudentia uincis, omnia credo uidisti. nihil omnino te fefellit. quis est tam lynceus, qui in tantis tenebris nihil offendat? nusquam incurrat? ac mihi quidem iampridem uenit in mentem, bellum esse aliquo exire, ut ea, quæ agebantur hic, quæq; dicebantur, nec uiderem, nec audirem. sed calumniabar ipse: putabam, qui obuiam mihi uenisset, ut cuique commodum esset, suspicaturum, aut dicturum etiam, si non suspicaretur, Hic aut metuit, & ea re fugit: aut aliquid cogitat, & habet nauem paratam. denique leuissime qui suspicaretur, & qui fortasse me nouisset optime, putaret me idcirco discedere, quòd quosdam homines oculi mei ferre non possent. hæc ego suspicans, adhuc Romæ maneo: & tamen* λεληθότως consuetudo diuturna callum iā obduxit stomacho meo. habes rationē mei consilij. tibi igitur hæc. Censeo latendum tantisper ibidem dum deferuescat hæc gratulatio, & simul dum audiamus, quemadmodum negocium confectum sit: confectum enim esse existimo. magni autem intererit, qui fuerit uictoris animus, qui exitus rerum. quanquam, quo me coniectura ducat, habeo, sed expecto tamen. te uero nolo, nisi ipse rumor iam raucus erit factus, ad Baias uenire: erit enim nobis honestius etiam. cum hic discesserimus, uideri uenisse in illa loca ploratum potius, quàm natatum. sed hæc tu melius: modo stet nobis illud, unà uiuere in studijs nostris, à quibus antea delectationem modo petebamus, nunc uero etiam salutem: non deesse, si quis adhibere uolet non modo ut architectos, uerum etiam ut fabros ad ædificandam Rempub. potius libenter accurrere. sin nemo utetur opera tamen & scribere, & legere * πολιτείας, & si minus in curia, atque in foro, at in literis, & libris, ut doctissimi ueteres* fecerunt, nauare Reipub. & de moribus, ac legibus quærere. mihi hæc uidentur. tu quid sis acturus, & quid tibi placeat, pergratum erit, si ad me scripseris. Vale.

*al. aliquid: mane ut.

*.i. obsoleta.

*.i. sensim.

*.i. rerū publicarū rectiones

*al. fecerunt, grauare reipub.

ASCENSIVS.

Aninius tuus &c. Excusat se de epistola tardius ad Varronem missa, deinde consulit Varroni, ut oppressa Repub. conferat se in aliquem locum, ubi non uideatur a suis amicis. quod se facturum dicit. Reddit ad hoc rationes, quare adhuc non discesserat Roma, & demum monet, ut persistat in proposito uiuendi secum literarum studiis, quæ commendat. Ordo est. Caninius tuus. s. amicus, & idem noster cum uenisset nuper. i. paulo ante hac ad me, uesperi. i. tempore uespertino, & dixisset se esse iturum ad te postridie. i. die proxime sequente, mane, dixi me daturum ei aliquid literarum, & rogaui, ut peteret. s. eas a me. Conscripsi epistolam noctu, nec ille. s. Caninius rediit ad me. ego credidi oblitum. s. promissi, aut ad me redire. attamen misissem eam ipsam. i. eandem epistolam per meos, nisi audissem ex eodem te exiturum postridie. i. die proxime subsequente, e Thusculano. s. agro cum uilla. At: idest sed, tibi, uacat illud tibi, cū ad nullum referatur, sed tantum ex modo loquendi additum sit, non omnes tamen textus ipsum habent. Caninius uenit ad me repente: idest celeriter, paucis diebus post, cum expectarem minime, dixit se proficisci statim ad te, & si illa epistola. s. quam noctu scripseram: erat ἕωλ@ eolos: idest antiqua non recens, & marcida, & ita uana præsertim tantis rebus nouis allatis postea: idest cū essent tantæ res nouæ allatæ postea. tamen nolui meam lucubrationem, idest operationem, quasi ad lucernam, perire: idest perditum ire, etsi nullo usui esset illa epistola, & dedi Caninio eam. Eam tamen his insertam non puto forte, quod fuit raptim scripta, de rebus autem scitu dignis. Sed locutus sum cum eo. s. Caninio, & . i. simul, homine docto, &: idest simul, amantissimo tui: idest qui te maxime amat, ea quæ existimo illum pertulisse ad te: idest denunciasse tibi. quasi dicat se ideo nunc breuiorem esse, quod illius uerbis multa Varroni nunciata putet. Affert tamen consilii sui rationem continuens. Tibi &c. Autem: idest sed, ego do mehercule: scilicet ita conseruante, ut uerum dico, tibi id consilii, quod mihimetipsi, uidelicet, ut uitemus: idest fugiamus, oculos hominum, si minus, idest nō satis facile possumus: scilicet uitare linguas hominum. Enim: idest quia, supple ii, qui efferunt: idest extollunt se, uictoria: id est propter uictoriam Cæsaris, intuentur, idest inspiciunt nos quasi uictos, & ita decipiunt nos. Autem: idest sed, ii qui moleste ferunt nostros idest Pompeianos, esse uictos, dolent: idest ægre ferunt, nos uiuere, aut quia nos in culpa putant, aut quia indignos uita censent, qđ cum aliis non perimus. Tu forte quæres, cum hæc: scilicet mala sint in urbe: scilicet Roma, cur non absim: scilicet ab urbe, quemadmodum tu supple abes. Tu enim ipse, qui uincis, & me, & alios prudentia, uidisti credo omnia, nihil omnino fefellit te, idest fugit prudentiam tuam. Quis est tam lynceus, idest tam acute uidens, tracta metaphora, aut a Lynceo animali acutissimi uisus, aut a Lynceo uiro, qui in portu Carthaginensi stans naues a Sicilia proficiscentes cernebat: unde Horat. in episto. Non posses oculis quantū cōtendere Lynceus &c. qui nihil offendat: idest peccet, aut erret in tantis tenebris, idest ignoratione rerum futurarum, & quā nusquā incurrat. s. damnum q. d. nullus. Ac quidem, idest certe, in mentem uenit iampridem mihi. i. cogitaui, esse bellum. i. aliquantulum bonum, exire. s. urbe, aliquo. i. in aliquem locum, ut nec uiderē ea, quæ agebantur hic, nec audirem quæ dicebantur hic ipse. i. egomet, calumniabar. i. per modum cauillantis, licet me scirem recte sentire, arguebam tamen meipsum, quia putabam eum qui uenisset obuiam mihi, scilicet egredienti urbem, suspicaturum, aut dicturum etiam si non suspicaretur, ut cuiq; esset commodum, idest opportunum uisum, hic scilicet Cic. ex urbe fugiens, aut metuit, & fugit ea re, idest ob eam causam, aut cogitat aliquid, idest mali in Cæsarem: & habet nauem paratam, scilicet qua ad hostes transfugiat. Deniq; is, qui suspicaretur leuissime, idest de leuissima culpa, & qui fortasse nouisset me optime, putaret me discedere idcirco, quod oculi mei non possent ferre, idest pati, quosdam homines, scilicet insolentes propter uictoriam Ego suspicans hæc, scilicet de me suspicanda maneo adhuc Romæ, & tamen consuetudo diuturna obduxit, idest opprimendo imposuit, λελήθότως, idest latenter, iam stomacho meo callū. i. partem induratam ex frequentia malorum. Tu habes rationem consilii mei. Igitur supple scribo, aut cōsulo tibi hæc. alii dicunt censeo tibi hoc censeo, idest iudico, latendum supple esse tibi tantisper ibidem: scilicet ubi es, tantisper, idest tandiu dum, idest donec, hæc gratulatio, scilicet quæ fit Cæsari, & Cæsarianis de uictoria, efferuescit, idest feruenter fit aut donec feruorem amittit & refrigeratur. & dum, idest donec, audiamus, quemadmodum, idest qualiter negocium sit confectum, idest absolutum, existimo enim esse confectum. Autem, idest sed, intererit magni, idest multum referret, qui, idest qualis, fuerit animus uictoris, scilicet Cæsaris qui, id est qualis, exitus rerum. s. bellicarum, quanquam habeo, quo coniectura ducat me, idest quod per coniecturam de exitu iudicem, sed tamen, idest attamen, expecto, scilicet exitum rerum Vero pro sed nolo te uenire ad Baias, idest locum illum amœnissimum. unde Satyricus, Ianua Baiarum, & gratum litus amœni Secessus &c. nisi ipse rumor, scilicet de uictoria, erit iam factus raucus, idest defessus multo clamore, ita ut non amplius diuulgetur. Enim, idest quia, honestius erit nobis, cum descesserimus hinc, idest ab urbe, uideri uenisse in illa loca, scilicet amœna, potius ploratum, scilicet calamitatem Reipub. quæ natatum: idest balneatum. Sed tu melius supple considerabis, aut iudicabis hæc. Ista sunt pensanda nobis, modo, idest in hoc rerum statu, Illud, idest firmum si propositum, & stet, idest placeat, ac constitutum sit, nos uiuere una, idest pariter, in

studiis nostris,a quibus,scilicet studiis nos petebamus,aut ut plures habent,cupiebamus antea,scilicet dum Respob.floreret,& nos in ea delectationem,& modo,idest pauloante solatium,scilicet malorum.Vero pro sed,a quibus nos arbitramur etiam nunc salutem non deesse.Siquis uolet adhibere,scilicet literatos.non modo.i.nō solū ut architectos.i.magistros ædificiorū,& principes in ædificando,uerūetiā,ut fabros.i operarios,ad Rēp.ædificādā,poterimus,& .s.etiā,nos accurrere libenter.Sin.i.sed si,nemo utetur opera.s.nostra,tamē sup.poterimus & legere,& scribere politias.i.gubernationes ciuitatū,etsi minus.i.nō poterimus id facere in curia.i.corā senatu,atq; in foro.i.corā iudicibus,at.i.saltē,poterimus in literis,& libris,ut ueteres doctissimi.s.Plato,Ari.& alii philosophi fecerunt nauare.i.dare operā Reip.& quærere.i.disquirere,& disputare de moribus,ac legibus.Hæc uidentur mihi.s.uerisimilia aut facienda. Pergratum erit si tu perscripseris ad me quid sis acturus,& quid placeat tibi.

VICTORIVS. CANINIVS idē tuus,& idē noster} Nulli antiqui codices habēt.{Tuus}quare nos quoq; prætermisimus elegātius sine ea uoce locū & legi,& intelligi putantes.Nā quod paulo post,pro{Nuper uesperi,peruesperi}scripsimus,uetustorū id quoq; exēplarium authoritati tribuimus. Auget autē.{Per}ut sero admodū dicat eū uenisse.& cum se mane postridie dixisset proficisci uelle,docet se uix tēpus habuisse ad scribēdā epistolā.{A quibus antea delectationē,modo solatiū petebamus,&c.}Sic ante in cunctis uulgatis legebatur.Miror olim qui ab antiquis codicibus descripserunt,apertū elegantēq; admodū locū nō intellexisse,& maluisse nōnullis additis dictionibus sententiā totā cōtaminare & labefactare,quā planā & genuinā sequi.Nostrā lectionē tā lucidā esse arbitramur,ut nihil eā opus sit amplius cōfirmare.Illi tres uoces inculcauerant,cuncta suo loco mouerant,& ubi minime cōueniebat,collocarant,ordinē duarū dictionū mutauerant,adeoq; totū hunc locū corruperant,ut ægre ferendū sit,tantā esse imperitorū audaciā,quæ omnia perturbet & euertat,nā quā frigida sit sentētia,quā ex illis uerbis eliciebāt,uix dici potest:optima eruditiorū ingenia facile cognoscēt. Nos hic nullū aliū laborē sustinuimus,nisi dū accurate unius tantū literæ peruersio in antiquo codice cogitamus quo corrigēda sit: insederat aūt quicquid erat uitii in hoc uocabulo {Potius: parius} enim in Mediceo,& in melioribus legebatur,atq; hoc eo libentius admonere placuit,ut uideant eruditi lectores tā parua peruersio in antiquis codicibus quā magnos errores pariat.Nacti.n.eā occasionē sinistri quidā correctores,dū paruā maculā delere uolunt,totas sentētias lacerant,& diuellunt.Per ea autē uerba.{Et potius libenter accurrere}quasi reprehendit seipsum,& quasi castigat segnitiē uerborū superiorū {Nō deesse siquis &c.}Dicit.n.nō esse expectādū dū uocentur,immo si paruā aliquā inclinationē Cæsa ad meliorē ciuitatis statū cōstituendū uiderint,debere ultro se offerre,& libenter accurrere.Qui autē uulgatā lectionem sequebantur,illud. {Modo}pro(nunc)positū credebant,ut illi aduerbio. {Ante}responderet,nos pro(tantū modo)intelligimus.Est autē eadē sententia iisdē pene uerbis pronunciata in extrema epist. ad Appiū, sed est unū perfugiū doctrina,ac literæ quibus semper usi sumus,quam secundis rebus delectationē modo habere uidebantur, nunc uero etiā salutē.Sed ut hæc certa,& firma putamus,sic locū paulo infra illū.{Nauare Reip}corruptum esse arbitramur,antiqui certe libri mendosi sunt ea parte:nullo enim sensu habent.{Grauare Remp.} uerbo autē illi.{Grauare}qui locus hic esse potest? Nos nihil cui acquiescamus,excogitare potuimus:ingeniosiores uidebunt attentius,an ex his uestigiis possint syncerā lectionē indagare.Nos cōmunē lectionē suspectā habemus melioremq; omnino quærendā existimamus.Postquā hæc adnotaui,scripsit ad me M.Ceruinus,de cuius eruditione & amore in me pauloante locutus sum,se uidisse librū manuscriptū Ber.Maphæi nobilissimi,& studiosiss.iuuenis,qui {Iuuaret Rēp}scriptū haberet.quā lectionē nō cōtemno,nec ualde probo:quo.n.potest aliquis in literis & libris prodesse Reip.agēdū profecto est aliquid ab eo,qui uelit Reip.afflictæ ac perditæ utilitatē & opem adferre.Postquā ut cōstitueram silere nō potui ecce quo hunc locū legi nō inepte posse putē cōiecturā aūt ex antiquis uestigiis duco.{At in literis & libris(ut doctissimi ueteres fecerūt) gubernare Remp.}Cum inquit curia & foro excludemur,ut nullo pacto possimus aliquid in Rep.agere,& eius quemadmodum consueueramus,clauum tenere,poterimus in literis & libris Rempu. gerere,eam.s.quam nos fingemus,& ingenio nostro ad optimū statum conformabimus.

Ex poste. eiusdem. CAninius idē & idē noster} Hæc est Medicei codicis cū aliis quos uidi manuscriptis lectio.sā tunc a nobis restituta: quā ueriorē credimus quia eadē est in indice ante librū illū posito:unū facile existimari nō pōt,culpa librarii hoc cōmissum esse, cū duobus locis nulla uarietate eadē uerba scripta sint.nā quo locus ille de diuinatione similis pristinæ huius loci lectioni dici possit,cogitēt doctiores.{Nauare Reip.}Priscā huius loci scripturam iampridē notā fecimus,& quid turbatū in ea esset docuimus,ne pene inuiti,ac coacti:tamē quādā suspicionē nostrā exposuimus, cui nihil nūc addimus,nisi qd locus est in procemio ii.lib. de Diuinatione,qui huic similē,uel eādē potius sententiam habet:illū igitur adscribam,uidetur autē mirifice hanc sententiā adiuuare.In libris enim suiam dicebamus,concionabamur,philosophiam nobis pro Reip.procuratione substitutā putabamus.In cōmuni lectione manifestum uitium,quo.n.recte {Nauare Reipub.}dictum esse possit, nisi intelligatur opus,aut,studiū,nō uideo:hoc autē nimis durum.

PAVL. MANV. CAninius idem tuus,& idē noster} Ita in quibusdā exemplaribus antiquis:in aliis autem,Caninius idem,& idē noster, Priorē lectionē nō immutauimus,quod etiā alibi eodē loquendi modo Cice.esse usum animaduertimus,ut de diuinatione lib.ij.M. Marcellus idem imperator,idem augur optimus.

SEBAS. CORR. NVPER Vesperi} Al.peruesperi {At ibi.}Al.at tibi.{E'ωλ⊗} obsoleta,nō recēs.{λιλαθότως}sensim.{Hæc cēseo} Al.Hoc cēsen. {Deferuescit}Al.Afferuescit. {Gratulatio} de bello Africano.ex Cæsa.sentētia cōfecto.{πολιτείας}Rerump administrationes.{Nauare}Quidā addunt,operam. Alii iuuare alii,Gubernare,legunt.

PHIL. MELA. CAninius idē tuus}ista scripta sunt,cū Cæs.iā uicisset Pōpeiū in pugna Pharsalica,cūq; Antonius prætor Popu.Roma.per Italiam ueheretur,insultans quasi malis publicis {Etsi erat ἕωλ⊗ ἕωλος est proprie Græcis,quod iam est exolesum,das dauerrochenn ist.ἰωλαμα significat crapulā uel potius crudam illā materiam & inutilē, quæ eiicienda est,nec uertitur in sanguinē.{Tibi autē}Suadet Varr. ne in urbē ueniat.{Quæres fortasse}Occupatio. {Ac mihi quidē} Causæ,quare sibi exire ex urbe non liceat.{Tibi igitur} Epilogus.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Promittit aduentum suum Varroni,sed,locum in quo hæret Varro,reiicis in fine de fructu literarum disserit.

CICERO VARRONI S. D. 5

ETsi,quid scriberē,nō habebā: tū Caninio ad te eūti nō potui nihil dare: qd ergo potissimū scribam? q. uelle te puto.cito me ad te esse uēturū.etsi uide quæso satis ne rectū sit nos hoc tāto incendio ciuitatis in istis locis esse.dabimus sermonē iis,qui nesciūt nobis,quocūq; in loco sumus,eūdē cultu.eundē uictū esse.quid refert?tamē in sermonē incidemus.ualdè id,credo laborādū est,ne,cū oēs in omni genere & scelerū & flagitiorū uolutentur,nostra nobiscū,aut inter nos cessatio uituperetur.ego uero neglecta barbarorū inscitia te persequar:quāuis.n. hæc sint misera,quæ sunt miserrima,tamē artes nostræ nescio quō nunc uberiores fructus ferre uidentur,quàm olim ferebant: siue quia nulla nunc in re alia acquiescimus:siue quòd grauitas morbi facit,ut medicinæ egeamus,eaq; nunc appareat,cuius uim non sentiebamus cum ualebamus.sed quid ego hæc ad te cuius domi nascuntur,*γλαῦκ' εἰς ἀθήνας? nihil:idest nisi ut rescribens aliquid,me expectares.sic igitur facies. Vale.

*i.noctuā Athenas.

ASCENSIVS. ETsi,pollicetur se celeriter uenturū ad Var significat tamē locū ubi tunc erat Var.sibi displicere,& demū dicit se magnū fructū ex literis capere.Ordo est:Etsi.i.quanquā,nō habebā quid scribere,tamē nō potui nihil.s.literarū dare amico eūti ad te.Quid ergo scribā potissimū? Scribā sup.id quod puto te uelle,uidelicet me uenturū esse cito.Etsi.i. tametsi,quæso uide.i.cōsidera,ne.i.an sit rectū.i.nō erroneū nos esse in istis locis.s.tā notis aut deliciosis tāto incēdio.i.ardore irarū. & persecutionū ciuitatis.s.Romanæ.Nos dabimus sermonē.i.occasionē de nobis loquēdi,iis qui nesciunt eundē,cultū,& eundem uictū esse nobis in quocūq; loco sumus,hoc est philosophiæ uacare & putabunt nos cōtra se cōsilia agere. Quid refert?sup. inquies, quid de te loquātur homines,dummodo tu bonus sis?tā.i.nihilominus,incidemus in sermonē,quē bonū esset deuitare:qa cura habēda est de nomine bono,& ideo liceat etiā nostra afferre.diuus pater Ang.dicit bonā uitā nostrā nobis esse necessariā,bonā famā nostrā proximo.Est tā et aliena expō sic.Quid refert.s.an una simus necne?Tamē i.nihilominus,incidemus in sermonē.s.hominum de nobis.Ego credo,inquit Ci.id laborandū.i.annitēdū,est nobis ualde. Ne cū oēs.s.alii.uolutentur.i.freqnēter inuoluantur,in omni genere,& scelerū & flagitiorū,cessatio nostra uituperetur nobis,aut inter nos.Vero pro sed,ego persequar.i.donec te cōuenero sequar te, inscitia Barbarorū.i.ineptorū hominū neglecta.i cōtēpta. Enim.i. quia,quāuis hæc quæ sunt miserrima,quia Remp.pessum dederūt, sunt misera.s.nobis,tum artes nostræ.s.liberales,& philosophicæ uidentur nunc nescio quomodo ferre fructus: idest utilitates uberiores,quam ferebant olim,siue quia nunc in nulla alia re quiescimus,siue quod grauitas morbi facit,ut egeamus medicinæ,

& ea: scilicet medicina, appareat nunc, cuius uim: idest potentiam, non sentiebamus, cum ualebamus, idest sani eramus. Sed quid: idest ad quid, ego sup. scribo hæc ad te, cuius domi. i. in cuius domo nascuntur. γλαῦκα ἐς ἀθήνας. i. an, ut feram, γλαῦκα. i. noctuam, ἐς. i. in Athenas, ubi plurimæ sunt noctuæ. q. d. frustra laborem, sicut qui noctuam inferat Athenas, aut aquam in mare. Nihil: idest ad nullum commodum id facio, nisi ut tu rescribens aliquid expectares me. Facies igitur sic, idest me expectans aliquid rescribes.

VICTORIVS.

Etsi quid scriberem non habebam. tamen Caninio ad te eunti} Ita olim emendauimus, & authoritate ueterum codicum moti, qui huius lectionis non parua uestigia retinent, & elegantiore hoc sermone delectati. Mediceus igitur liber, ut alios taceam. {Tamen animo ad te eunti} Quod si primam literam huius nominis illi uoci addas, & ea penultima duas facias, qui error procliuis est: prorsus {Caninio} effeceris. Quod si cui audax meum inceptum uidetur, cogitet eundem librarium eodem pacto non multo post in eodem nomine scribendo peccasse: ubi enim in impressis omnibus Caninius legitur, Sed plus facio, quam Caninius mandauit. in Mediceo. {Animus mandauit} Quemadmodum olim feci de hac tenui animaduersione, nunc uerbum non fecissem, nisi Manutii uulgarem lectionem meæ, non insipienter excogitatæ, præposuissent.

SEBAS. CORR.

Barbarorum} indoctorum, & fortasse Cæsarem mordet, qui Barbaris etiam ciuitatem dedisset. {γλαῦκα ἐς ἀθήνας} noctuam Athenas?

PHIL. MELA.

Pollicetur se ad Varronem uenturum esse, ut frui una communibus studiis possit. Addit igitur quædam præconia literarum. Videmus omnes illas epistolas esse ex illo attico genere, quod est incompositum & breue, quamuis habeat optimos locos. {Etsi quid scriberem} Exordium ab occasione scribentis.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Iocatur cum Varrone, de Stoicorum & dialecticorum possibilitate necessitateq.

CICERO VARRONI. S. D. 4

*i. de his, quæ fieri possunt. *i. Secundum Diodorum iudicare *i. ex iis, quæ fieri nō possunt. *i. iudiciū. *i. Chrysippea. *al. Chrysippias hæc quam. *i. Secūdū Chrysippū quod fieri posit. *al. De Costio.

Περὶ δυνατῶν me scito κατὰ Διόδωρον κρίνειν. quapropter si uenturus es, scito necesse esse te uenire. sin autem non es, τῶν ἀδυνάτων est te uenire. nunc uide, utra te κρίσις magis delectet, *Χρυσίππεια* ne, an hæc quam noster Diodorus non cōcoquebat. sed de his etiam rebus, ociosi cum erimus, loquemur. hoc etiam est *κατὰ Χρύσιππον δυνατόν.* *De Costio mihi gratum est: nam id etiam Attico mandaram. Tu si minus ad nos, nos accurremus ad te, si hortum in bibliotheca habes, nihil deerit. Vale.

ASCENSIVS.

Περὶ &c. Iocose ad Var. scribit de eius aduentu, inducens sententias de futuris contingentibus, ut cum ordine aperiam. Ordo autem est: Scito me κρίνειν crinin: idest iudicare, περὶ peri: idest de, δυνατῶν, idest possibilibus aut contingentibus, κατὰ cata: idest secundum Διόδωρον Diodorum, qui dicit quicquid uenturum est, necesse esse euenire. Quapropter si es uen. scito necesse esse te uenire: Sin autem: idest sed si, non: scilicet es uenturus est, τῶν ἀδυνάτων: idest contingentium te uenire. Nunc uide: idest considera utra: crisis: idest iudicatio, & sententia delectet magis te, an hæc scilicet posterior, qua etiam si non sit uenturus contingentiū, esset te uenire Chrysippias, idest a Chrysippo edita. Et ante Chrysippias forma patronymici fœminini pro nomine possessiuo positi. quasi sit Chrysippea, aut Chrysippica, an: scilicet prior, quā Diodorus noster, scilicet præceptor in philosophia, non concoquebat idest non satis digerebat, & ad uerum enucleabat. Sed nos loquemur etiam de his rebus, cum erimus ociosi. Hoc, idest nos locuturos esse de his rebus est etiam κατὰ Χρύσιππον, idest secundū Chrysippum δυνατόν, idest contingens, ut dicunt ad utrumlibet. supple quod scripsisti te fecisse de Costio. ut opinor unguento ex Costio, est mihi gratum, nam ego mandaram etiam id Attico, scilicet ut emat, aut transigat, si de negocio cum Costio transigendo loquitur. Si tu minus: idest non supple accurres ad nos, nos accurremus ad te. Si habes hortum, idest locum amœnum, aut deambulatoriū in Bibliotheca: idest loco bibliothecæ uicino, nihil deerit scilicet ad uoluptatem.

VICTORIVS.

Περὶ δυνατῶν &c.} Cum ad Varronem uirum eruditissimum scribat, quæstionem illam obscuram tangit, quam περὶ δυνατῶν appellant: de qua magna erat inter philosophos contentio, præcipue inter Diodorum dialecticum, & Chrysippū stoicum. Quam autem uarie hæc illi acceperint, ostendit Cic. in lib. de Fato cum inquit. At hoc Chrysippe minime uis, maximeq; tibi de hoc ipso cum Diodoro certamen est: ille enim id solum fieri posse dicit, quod aut sit uerum, aut uerum futurum sit. & quicquid futurum sit, id dicit fieri necesse esse: & quicquid nō sit futurū, id negat fieri posse. Tu & quæ nō sint futura, posse fieri dicis, ut frangi hanc gemmā, etiā si id nunquā futurū sit. De eadē hac re alibi etiā in paucis illis, quæ remāserunt eius libri paginis loquitur. Rationē Diodori diligēter Alexāder Aphrodisiēsis explicat in cōmētariis in primū τῶν προτέρων ἀναλυτικῶν his uerbis δυνατὰ λέγων καὶ περὶ τῶν δυνατῶν τοῦτο ὁ Διόδωρος λέγεται, ἤτοι ὅ ἐστιν ἢ ἔσται, τὸ γὰρ ... ἀδύνατον ... δυνατὸν ... &c. Chrysippi uero, Plutarchus in libro quem aduersus Stoicos edidit, inscriptum στωικῶν ἐναντιωμάτων. Vbi etiam idem de Dio. confirmat: ea nos, ne longiores simus, omittemus. Iocatur hic Cic. cum docto & graui uiro, docte & grauiter: nec enim unquam possunt ab artificio suo recedere, qui literis & ingenuis disciplinis delectantur. Cognitis diuersis eorum sententiis de hac re quid Cic. nunc dicat manifestum est. A recepta lectione discrepat Mediceus codex eo loco. {Chrysippea ne an hæc quam noster, &c.} sic enim habet. {Chrysippias hæc quam noster, &c.} Et uereor ne ex maiori parte hoc non sine culpa librarii acciderit. eruditiores hoc cēsebunt. Quæ certe supra dixit, ea opinione Diodori dixit, Chrysippi rationem non exponit. In eo quod consequitur nomine integrior est idem codex. {Diodorus} enim recte habet, cum omnes ante nostrum mendose. {Diodorus} haberēt: nec enim de Diodoro, de quo supra, sermo nunc est, nec eum intelligere potest, sed de {Diodoro} philosopho, qui domi Ciceronis multos annos uixit. ob id enim suum illum dicit. de quo cū multis locis agat (ut manifesto percipiatur aliū esse a Diodoro dialectico) fere semper id nomen in impressis codicibus inquinatum est, & in Diodorum imperite immutatum. nescio an semel tantum illud recte in excusis libris scriptum inuenerim, cum antiqua exemplaria contra semper incontaminatum conseruarint. Is est in secundo libro epistolarum ad Atticum Diodorus mortuus est, reliquit nobis H-S fortasse centies. De eodem lib. V. Thusculanarum longius agit.

Ex poste. eiusdem.

Consilii nostri} Hieronymi Ferrarii, magni ingenii, ac multarum literarum iuuenis, animaduersionem laudo, eiusq; sententiam, & ut amici hominis, & ueritatis defensoris libenter sequor. sane in Mediceo ita legitur. {Consilii nostri nisi eos, qui id secuti non sunt, non pœniteret n. p. p.} Quare minus a uetere lectione discedit, qui eam quam Hieronymus excogitauit lectionem, sequitur, quam qui uulgatam lectionem retinere uellet: ex illa enim & {Non} tollendum esset, quod fecerant, & fortasse etiam plura: nam illud. {Quidem} non parum mihi quoq; ipsam turbare uidetur. in noua igitur (nouam appello, quæ nuper exorta est) & elegantior sensus est, & plura priscæ scripturæ uestigia.

PAVL. MANV.

Consilii nostri, ne si eos quidem, qui id secuti non sunt, non pœniteret, nobis p. p.} Vetusti codices sic habent omnes: tantum in eo differunt, quod ubi nos, ne si, scripsimus, habent, nisi, quam uocem non temere immutauimus: qui enim aliter fuisset absurdissimus, is nunc, ut mihi quidem uidetur, aptissimus est sensus. quem pluribus uerbis ostendemus: ut si quis eum probabit, (probabit autem, nisi fallor, quicunq; recte iudicat) acceptam referat huius loci emendationem diligentiæ, atq; iudicio Hieronymi Ferrarii, præstantissimi iuuenis, qui restituendæ antiquitatis studio quodam adductus incredibili, quoti die fere præclarum aliquid in literis a se aut animaduersum, aut excogitatum, ultro ad me defert, ut id aliquando meis typis in communem studiosorum utilitatem diuulgetur. sed ad rem Consilii (inquit) nostri, quod & Pompeium in bellum secuti simus, & eo in Pharsalia superato, uictori nos crediderimus, ne illum quidem nobis pœnitendum putarem, si eos, qui minus id secuti sunt, non pœniteret significat enim, qui secus fecerint, eos iam pœnituisse. quos si non pœniteret, ego tamen, inquit, nobis pœnitendum non putarem.

SEBAS. CORR.

Περὶ δυνατῶν} de his, quæ fieri possunt. {κατὰ Διόδωρον κρίνειν} secundum Diodorum iudicare: qui, cum esset ualēs dialecticus, quicquid futurum esset, id dicebat fieri necesse esse. {τῶν ἀδυνάτων} ex his, quæ fieri non possunt. Al. ἀδύνατον, quod fieri non potest. {κρίσις} iudicium, sententia. {Χρυσιππεία} Chrysippea nam Chrysippus, etiam quæ non essent futura, posse fieri dicebat. {An hæc} Al. an Chrysippea hæc: ut legendum putem, Hæc ne Chrysippea, quæ omnino difficilis est. & propterea Diodorus eam assequi non poterat. {Noster} qui nuper est domi meæ mortuus a quo cum in aliis rebus, tum studiosissime in dialectica exercebar. {Diodorus} Stoicus: & si Diodotus passim legitur. {κατὰ Χρύσιππον δυνατόν} secundum Chrysippum quod fieri potest. nam etsi futurum non est, secundum Chrysipum tamen id fieri potest. {Costio} Al. Coctio. Al. Cestio. quid si Cocceio, qui cum nescio quid negocii Cic. habebat, legatur.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Probat diem, quo conuenturi essent, & excusat se cum Varrone quod Pompeio adhæserint: deuictis uero eo, ocio sese dederint.

CICERO VARRONI. S. D. 5

Mihi uero ad Nons. bene maturum uidetur fore, neque solum propter Rempub. sed etiam propter anni tempus. quare diem istum probo. Itaque eundem ipse sequar. consilij nostri ne si eos quidem, qui id secuti non sunt, non pœniteret, nobis pœnitendum putarem: secuti enim sumus non spem, sed officium reliquimus autem non officium, sed desperationem: ita uerecundiores fuimus, quàm qui se domo non commouerunt: saniores, quàm qui amissis opibus domum non reuerterunt. sed nihil minus fero, quàm seueritatem ociosorum: & quoquo modo res se habet, magis illos uereor, qui in bello occiderunt. quàm hos curo, quibus non satisfacimus, quia uiuimus. Mihi si spacium fuerit in Thusculanum ante Non. ueniendi, istic te uidebo: sin minus, persequar in Cumanum, & ante te certiorem faciam, ut lauatio parata sit. Vale.

ASCENSIVS. Mihi uero &c. Constituerat Varr. Cice. conuenire ad nonas cuiusdam mensis, quem non nominat, unde respõdet se diem illum probare. Deinde purgat factũ utriusque, quod secuti essent Pompeianas partes, & quod eo occiso arma deseruissent, in quibus non erat salus Ordo est: Vero, idest pro certo, quicquid tibi uidetur, uidetur mihi bene, idest multum maturum, idest tempestiuum, neq; citius, neq; serius supple te uenire ad nonas, scilicet mensis per Varronem significati, neq; solum, supple uidetur, id propter tempus: idest opportunitate Reipub. sed etiam propter tempus anni, quare, idest quamobrem, ego probo, idest approbo istum diem, itaq;: idest & ita, ego sequar eundem scilicet diem Nonarum. Ego putaram pœnitendum esse: idest pœnitudinem habendam esse nobis, consilii nostri, nisi non pœniteret eos, qui non sunt secuti id, quia etiam illi, qui sequi noluerunt, uel ausi non sunt, dicunt sequendum fuisse. Nos enim secuti sumus non spem, quia maior spes erat de uictoria Cæsaris, sed officium: scilicet debitum Reipub. Autem: idest sed, nos reliquimus non officium, quia nemo ultra quam potest tenetur, sed desperationem, qua alii ultima audebant. Itaq; nos fuimus uerecundiores: scilicet erga Rempub. quam qui non commouerunt se domo: idest ab urbe, & fuimus saniores: idest prudentiores, quam qui non reuerterunt domũ opibus, idest facultatibus belli amisis. Sed nihil fero minus: scilicet patienter quam seueritatem ociosorum, idest qui nihil egerunt, & tamen alios taxant, & quoquo, idest quocunq; modo, res haberent se, ego magis uereor tanquam iustiores censores, illos qui occiderunt in bello, quam curo hos quibus non satis facimus, quia uiuimus. Si spacium fuerit mihi ueniendi in Thusculanum ante Nonas, uidebo te istic, sin minus, idest si non, persequar te in Cumanum, & faciam certiorem antea, ut lauatio sit parata. Et ita de Costin unguento locutus uidetur.

SEBAS. CORR. Eundem} alii legunt, euntem. {Consilii nostri} Al. cõsilii mei. {Pœniteret} Al. non pœniteret. {Officium} Episto. I I I. lib. V I I {Vereor} Quidam legunt, ueneror.

BERN. RVT. Itaq; eundem ipse sequar consilii nostri, &c.} Distinguo: Itaque eundem ipse sequar consilii nostri, &c. Quid autem si Euntem legas? ut possit esse carminis finis, atq; alterius initium. ex ueteri quopiam poeta, atq; adeo Ennio. Euntem: scilicet in Cumanum, ea subiectis. {Consilii nostri, nisi eos quidem, qui id sequuti nõ sunt non pœniteret} Melius, nisi ne eos quidem, &c. {Et, quoquo modo res se haberent, magis illos uereor, qui in bello occiderunt} Quid, si, Et, quoquo modo, res se habeant, magis illos ueneror, qui in bello occiderunt.

PHIL. MELA. Mihi uero ad N[illegible] Excusatio [illegible] oratio est, qua[illegible] excusatio, cur ad Pompeium profectus sit, & p[illegible] armis discesserit. {Mihi sine VG}.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Nunciat Varroni Cæsaris aduentum, laudatq; ampliter eum, quod ocio literarum relictis turbis bellorum, sese tradiderit.

CICERO VARRONI. S. D. 6

*Caninius noster me tuis uerbis admonuit, ut scire oportere. est igitur aduentus in expectatione, neque tu id ignoras. sed tamen cum ille scripsisset, ut opinor, se in Alsiense uenturum, scripserunt ad eum sui, ne id faceret: multos ei molestos fore, ipsumq; *multis: Ostiæ uideri commodius eum exire posse. id ego non intelligebam quid interesset. sed tamen Hircius mihi dixit, & se ad eum, & Balbum, & Oppium scripsisse, ut ita faceret, homines, ut cognoui, amantes tui. hoc ego iccirco nosse te uolui, ut scires, hospicium tibi ubi parares, *uel potius utrobiq; quid enim ille, facturus, incertum est: & simul ostentaui tibi, me istis esse familiarem, & consilijs eorum interesse. quod ego cur nolim, nihil uideo: N O N enim est idem, ferre, siquid ferendum est: & probare, siquid probandum non est. etsi quid non probem quidem, nescio, præter initia rerum: nam hæc in uoluntate fuerunt: uidi enim (nam tu aberas) nostros amicos cupere bellum hunc autem non tam cupere, quàm non timere. ergo hæc consilij fuerunt, reliqua necessaria. uincere autem aut hos, aut illos, necesse est. scio te semper mecum in luctu fuisse, cum uideremus, quàm illud ingens malum alterutrius exercitus ex ducum interitu: tum uero, extremum malorum omnium esse ciuilis belli uictoriam: quam quidem ego etiam illorum timebam, ad quos ueneramus. crudeliter enim ociosis minabantur. eratq; iis & tua inuisa uoluntas & mea oratio. nunc uero si essent nostri potiti, ualde intemperantes fuissent. erant enim nobis perirati, quasi quicquam de nostra salute decreuissemus, quod non idem illis censuissemus: aut quasi utilius Reipub. fuerit, eos etiam ad bestiarum auxilium confugere, quã uel mori, uel cum spe si non optima, at aliqua tamen uiuere. at in perturbata Repub. uiuimus. quis negat? sed hæc uiderint ii, qui nulla sibi subsidia ad omneis uitæ status parauerunt: huc enim ut uenirem, superior longius, quàm uolui, fluxit oratio, cum enim te semper magnum hominem duxi, tum, quòd his tempestatibus es propè solus in portu, fructusq; doctrinæ percipis eos, qui maximi sunt, ut ea consideres eaq; tractes, quorum & usus, & delectatio est omnibus istorum & actis, & uoluptatibus anteponenda. equidem hos tuos Thusculanenseis die* instar esse uitæ puto libenterq; omnibus omneis opes concesserim: ut mihi liceat ui nulla interpellante, isto modo uiuere. quod nos quoque imitamur, ut possumus, & in nostris studiis libentissime conquiescimus: Q V I S enim hoc non dederit nobis, ut, cum opera nostra patria siue non posit uti, siue nolit, ad eam uitam reuertamur, quam multi docti homines, fortasse non recte sed tamen multi, etiam Reipub. præponendam putauerunt? quæ igitur studia magnorum hominum sententia uacationem habent etiam publici muneris, iis, concedente Repub. cur non abutamur? sed plus facio, quàm Caninius mandauit: is enim, siquid ego scirem, rogarat, quod tu nescires: ega tibi ea narro, quæ tu melius scis, quàm ipse, qui narro. faciam ergo illud, quod rogatus sum, ut eorum, quæ temporis huius, sint, quæ tua interesse audiero, nequid ignores. Vale.*

*al multis Ostiam uide.

*al. potius utrobique.

*al. instar uictoriæ pu.

ASCENSIVS. Aninius. Admonitus per Caninium Cic. a Varrone qui in Thusculano erat, desiderare siquid noui acceperit uelle certiorem fieri, scribit aduentum Cæsaris ex belli reliquiis expectari, docetq; ut Cæsarianis utatur, & quod in re turbata consolationẽ capiat, ex eo, quod se ad omnem statim præparauerat. laudatq; Varronem quod ocio se dediderit. Ordo est. Caninius noster admonuit me uerbis, idest ex mandatis tuis, ut scriberem ad te, siquid esset quod putarem oportere te scire. Igitur, hoc est ut aliquid eiusmodi scribam, aduentus Cæsaris

est in expectatione scilicet multorum, neq; tu ignoras id. Sed tamē cum ille scilicet Cæsar, scripsisset, ut opinor, se uenturum in Alsiē se scilicet solum, aut in Alsiensem agrum Italiæ, sui scilicet amici, & necessarii, scripserunt ad eum, ne idest ut non faceret id, hoc est ne diuerteret se ad Alsiensem agrum. scripserunt enim, aut dicerūt aduentum eius esse in expectatione, & multos fore molestos ei, & ipsum fore molestum supple multis, & scripserunt eum posse exire commodius in Pontinum scilicet agrum. unde nō placet, quod Hubert dicit ex Gallia expectari Cæsarem. Ego nō intelligebam quid interesset scilicet in Alsiensem agrum, an in Pontinum exiret scilicet e naui. Sed tamen Hirtius dixit mihi, & dixit se scripsisse ad eū hoc est ad Cæsarem, & Balbum, & Oppium, qui cum Cæsare erant ut faceret ita, Balbum inquam, & Oppium homines, ut cognoui. Amantes tui, idest qui te amant. Ego uolui te nosse hoc iccirco, ut scires ubi parares tibi hospitium, scilicet procul a Cæsaris itinere, uel potius, supple ut parares hospitium utriq;, scilicet nostrum. Incertum enim est, quid ille sit facturus, & simul ostentaui me esse familiarem illis scilicet Cæsarianis, & interesse consiliis eorū. Quod scilicet esse illis familiarem nihil uideo cur nolim, Non enim idem est ferre, idest tolerare, & pati, si quid est ferendum, idest necesse, ut feram & probare, idest approbare si quid, idest aliquid non est probandum. Etsi, idest tametsi, quid non probem, idest quid est, quod dicere possim me non probare quasi dicat nescio. Enim, idest quia quid scio iam præter initia rerum quasi dicat nihil, & de initiis nihil est, quod recte damnare possit in Cæsare Nam hæc, scilicet initia fuerunt in uoluntate, idest libera electione. Vidi enim nam tu aberas quasi dicat dixissem nos uidisse, sed non dico tecū te uidisse, quia aberas. amicos nostros, scilicet Pompeianos cupere bellum. Autem, scilicet sed hunc, Cæsarem. non tam, idest intantum, cupere, scilicet Bellum, quam non timere si necesse esset gerere. Ergo hæc, scilicet initia fuerunt consilii, idest deliberationis liberæ, reliqua, scilicet quæ secuta sunt, supple fuerunt necessaria. Autem, idest sed ubi duo pugnant necesse est, aut hos, aut illos uincere, aut applicemus notis, aut hos, scilicet Pompeianos, aut illos, scilicet Cæsarianos. Scio te semper fuisse mecum in luctu, cum uideremus, quam, idest quantum, ingens, supple foret illud malum exercitus alterius ex interitu ducum. Vero, idest sed, nos uidimus. cum, idest præcipue, supple uidimus extremum, idest maximum omnium malorum esse uictoriam belli ciuilis. quam, scilicet uictoriam, ego quidem timebam etiam illorum, idest si contigisset illis ad quos ueneramus, scilicet Pompeianis. ipsi enim minabantur crudeliter ociosis, idest non gerentibus secum bella aduersus Cæsarem & tua uoluntas, & oratio mea, scilicet cohortantis ad pacem, erat inuisa iis, scilicet cupientibus bellum Nunc uero si nostri, idest Pompeiani, essent potiti, scilicet uictoria, aut imperio: ipsi fuissent ualde intemperantes, scilicet ultione facienda. Ipsi enim erant petituri nobis: quasi decreuissemus quicquam de salute nostra, quod non idem cēsuissemus, idest adiudicassemus illis, scilicet bella gerētibus, ut quasi fuerit utilius Reip. eos confugere etiam ad auxilium bestiarum scilicet elephantorum regis Iubæ, qui rex erat in Africa, aut etiam serpentium Africæ, per quos Cato transiuit bellum in Cæsarianos gesturus quam uel mori, uel uiuere cum spe, si non optima, attamē aliqua. At, idest sed nos uiuimus, scilicet nunc, ut illi dicunt, in Repub. perturbata, quis negat, supple illud quasi dicat nemo Sed ii uiderunt hæc, scilicet mala Reipub. qui nulla, idest non ulla non parauerunt, supple sibi ulla subsidia, idest subterfugia, aut sustentacula, ad omnes casus uitæ hoc est, qui in solo foro uitam tutari poterant. Oratio superior fluxit, idest deducta est longius quam uolui ut uenirem huc, idest ad hoc dicendum. Cum enim ita sit, quod dixi, idest æstimaui semper te hominem magnum, tum supple uerum est, quod te duco magnum hominem his tempestatibus, quod es prope, idest quasi solus in portu, & percipis eos fructus doctrinæ, quæ maximi sunt, ut consideres ea, & tractes. Quorum, & usus, & delectatio est anteponenda omnibus, & actis, quod uoluptatibus istorum, scilicet contemnendorum, cum se beatos putant. Equidē, idest ego quidem, puto hos dies tuos Thusculanenses, idest quos in Thusculano cum literis ducis esse instar, idest ad statum & æquiualentiam uitæ, & ego concesserim libenter omnibus quasi dicat etiam inimicis, omnes opes, idest facultates meas, ut liceat mihi uiuere isto modo, idest in ocio literario, nulla ui, idest uiolentia, interpellante: idest impediente. quod, idest quam rem nos quoq; imitamur, ut possumus, & conquiescimus libēter in studiis nostris. Quis enim non dederit, idest permiserit & concesserit nobis, hoc, ut cum patria siue non possit, siue nolit uti opera nostra, scilicet in Reipu. administratione, nos reuertamur ad eam uitam, scilicet philosophicam quam multi homines docti, ut Plato, & alii fortasse non recte, idest non decenter, ut disputat in lib Offic. Sed tamen multi putauerunt præponendam etiam Reipub. idest administrationi eius q. d. nullus iustus iudex non dederit, sed omnes dederint. Igitur quæ studia habent uacationem, idest cessationem, & intermissionē, sententia, idest secundum sententiam magnorum hominum, scilicet Platonis, & aliorum, cur non abutamur eadem, scilicet uacatione muneris publici, Repub. concedente iis, scilicet studiis, scilicet uacationem, hoc est cum philosophi plurimi dicant ab Repu. cessandum, interdum propter ueri inquisitionem, quare nō possimus cessare ab eadem, eadem concedente, cum nolit, aut non possit uti opera nostra? Sed ego facio plus quam Caninius mandauit. Is enim rogarat, supple ut scriberem ad te, si ego scirem, quid, idest aliquid. quod tu nescires. Ego autem narro tibi ea, quæ tu scis melius, quam ipse, idest egomet, qui narro, scilicet ea. Faciam ergo illud, quo rogatus sum, ut nequid, idest non aliquid non ignores aliquid eorum, quæ sint huius temporis, idest tempestatis, quæ audiero tua scilicet interesse.

VICTORIUS. Es igitur aduentus Cæsaris in expectatione} Nos arbitrati sumus hanc dictionem. {Cæsaris} uacare, propter modum illū dicendi concisum & compendiosum, quo sæpe utitur, & quem nos antea notauimus. Manifestius autem superuacaneam esse docent uetustiores codices, in quibus est. {Scilicet Cæsaris} ut plane perspiciatur fuisse olim expositionem, declarationemq; uerbi illius. {Aduentus} Superne positam, posteaq; temere a librariis in ordinem uerborum Ciceronis coniectam. Sic etiam ad Atticum loquitur pluribus locis, ut lib. X. Cum quid scriberem, plane nihil haberem: hæc autem reliqua essent, quæ scire cuperem, profectus ne esset, quo in statu urbem reliquisset. Loquitur enim de Cæsare proficiscente in Hispanias, nec tamen nominat: notissimum enim erat quem intelligeret. ita autem de Principibus uiris, Regibusq; loqui mos est. {In Pomptinum uideri commodius eum exire posse} Nos (Ostiæ) ut in antiquis inuenimus, scripsimus, & si satis negligenter nostri librarii hunc locum impresserunt. Punctis enim a superioribus hoc uerbum distinguere debebant, maioreq; prima litera scribere, ut oppidi nomen, sed nos petimus a studiosis ueniā horum errorum: cum enim adesse impressioni nobis non licuerit, hæc illorum uitio commissa peccata corrigere nequiuimus Dicitur autem Exire sæpe nulla mentione habita loci unde disceditur: sed illius tantum in quem uenimus, aut ubi consistimus: ut Exire in prouinciam. & in epistō. ad Cæsarem: C. Trebatium cogitaram quocunque exirem &c. Est hic Exire de naui descendere, ut ad Atticū lib. V I. in Piræea cum exissem. Et in I I. Rhetoricorum Ciceronis de nauis qui tempestate in alto iactati fuissent, Imprudentes legis cū exissent, uitulum immolauerunt. Quanquam exemplum ad Atticum, quod protulimus, ad locum est. dicit enim. {In Piræea} Hic autem in loco hoc uerbum positum esse uidetur, & hanc significationem habere, quia locum tātum consideret ubi terminus erat nauigationis, & ubi de naui exeundum erat, nec spectet unde discedebatur, nec quo peruenire oportebat. Roma enim ultimum eius itineris erat, cuius non fit mentio. nam (exire) etiam sic dici posse, posteriore exemplo declaratum est, quamuis hic adiungat Hostiæ in loco, ut res (ni fallor) exigebat: nam ut dictum est, notare tantum uoluit ubi finis nauigationis fieri debebat. Sermo enim est de Cæsare nauibus ex Hispania redeunte, & uariæ sententiæ erant ubi ille commodius posset finem imponere nauigationi. sic arbitror antiquam & omnium fere manuscriptorum codicum lectionem defendi & constitui posse.

Ex poste. eiusdem. Ostiæ uideri commodius} Ita olim ex uetustis libris scripsimus: Mediceus certe {Optiæ} habet: quare mendum omnino in uulgata, & communi lectione esse arbitramur, cū tantopere a uetere dissentiat. Qui nostram non probat, ipse meliorem ex antiquis uestigiis eruat.

SEBAS. CORR. Aduentus} ex Africa. {Alsiense} Plyn lib. I I I. cap. V. {In Pontinum} Al. Ostiæ. {Vbi utriq;} Al. utar ubiq; Al. utrobiq; Al. ut ubiq;. Et sane cum in certum esset quid facturus esset Cæsar, oportebat Varronem non uno in loco hospitium parare. {Ferendum est} Al. ferendum non est. {Probem quidem, &c.} Al. probem? Quid enim iam scio, præter initia rerum? {Tu aberas} in Hispania legatus. {Nostros amicos} Pompeianos. {Hunc autem} Cæsarem. {Ergo hæc} initia. {Cum uideremus &c} Al. cum uideremus illud ingens malum alterutrius exercitus, & Ducum interitum. {Crudeliter} Episto. I I I. lib V I I. {Nunc uero} in hoc bello Africano. {Decreuissemus} dedentes nos Cæsari. {Censuissemus} Dyrrachii quando me Ducem urgere uoluerunt. {Bestiarum} elephantorum Iubæ. {Ad eam uitam} ociosam {Multi docti} Epicurus, & philosophi ueteres fere omnes ante Phalareum Demetrium qui doctrinam ex umbraculis, & ocio in solem, & puluerem produxit. {Etiam publici} Al. eandem publici. {Quæ tua interesse audiero} Al. quæve audiuero.

BERN. RVTI. Hoc iccirco nosse te uolui, ut scires, hospitium tibi, ubi parares uel potius utrobiq;} Corrupta lectio quidam corruptius Vel potius utar ubiq;, sed legendum, ut in quibusdam: Vel potius utriq;, aut, Vel potius ubi utriq; aut, Vel potius utrobiq;: qđ dicitur de locis duobus, Alsiensi & Pontino, in quorum alterutrū erat uenturus Cæsar: non Romam, ut interpres garrit. quasi scripsum corrigat Cicero, quod Vbi dixerit. {Vt quasi utilius Reip. fuerit} Lego ex aliis, Aut quasi. Sunt autem dicta hæc per ironiam, qđ non uidetur cognouisse Clericus. {Quæ igitur studia magnorum hominum sententia uocationem habent, eandem publici muneris, iis concedente Repub. cur non abutamur?} Eandem, uerbum ex

aliis codicibus superfluit:pro quo nõ absurde legas,Etiã. Amplius uidebis,Concidente potius quam Concedente Repub.le gere uelis.Ego neutrũ reiicio.{Quæ tua esse,audiero}Legi malim, Quæ ve futura esse audiero. Arbitror hoc tempore Cæsarem ex Aegypto nondum reuersum:non ut interpres somniat,in Gallia fuisse.

PHIL. MELÃ.

CAnnius noster}Narratio {Quod ego cum olim}Excusatione,cur se adiuogat Cæsarianois:quam sequitur uituperatio Pompeianorum.{Quis enim hoc}Prædicat studia, in quibus ait honeste consumi ocium,postquam fortuna nos semouerit a gubernatione Reipublicæ.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Reddit rationem Cicero,cur tansepere accelerarit ut Varronem conueniret. Deinde de aduentu Cæsaris rumores uarios aperit.

CICERO VARRONI S. D. 7

*Cœnabam apud Seium,cum utrique nostrum redditæ sunt à te literæ. mihi uero iam maturum uidetur. nam quod antea te calumniatus sum,indicabo malitiam meam. uolebam propè * alicubi esse . siquid bonæ salutis* σύν τε δύ᾽ ἐρχομένω nunc,quando confecta sunt omnia dubitandum non est quin equis uiris:nam ut audiui de Lucio Cæsare filio,mecum ipse,Quid hic mihi faciet patri?itaque non desino apud istos , qui nunc dominantur,cœnitare.quid faciam?tempori seruiendum est . sed ridicula missa,faciamus præsertim cum sit nihil,quod rideamus. Africa terribili tremit horrida terra tumultu.itaque nullum est reiectum τῶν ἀποπροηγμένων,quod non uerear.sed quod quæris.quando,qua quo:nihil adhuc scimus,istuc ipsum de Baiis:nonnulli dubitant,an per Sardiniam ueniat:illud enim adhuc prædium suum non inspexit,nec ullum habet deterius,sed tamen non contemnit.ego omnino magis arbitror per Siciliam, uel iam sciemus: aduentat enim Dolabella,eum puto magistrum fore.* πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων.sed tamen si sciam quid tu constitueris, meum consilium accommodabo potissimum ad tuum:quare expecto tuas literas. Vale.*

*al.alicubi,siquid.
*i.simulq; duo euntes.
*i.multi discipuli meliores magistris.

ASCENSIVS.

COenabam &c.Dicit se nõ probasse properationẽ Varr. in urbem propter speratam reditum Cæsaris,quem dicit uenturum,sed nescire quando Ordo est.Ego cœnabam apud Seium,cũ literæ redditæ sunt a te.s.missæ, utriq; nostrum,hoc est,& Seio,& mihi.Vero pro sed,aut certe sup te uenire in urbem,uidetur mihi iam maturum.i.tempestiuũ nam quod calumniatus sum.i.iniuste arguerim te antea iudicabo malitiam meam.Ego uolebam esse alicubi prope.s.te, si quid bonæ salutis,sup.cõtingere posset syn te dyerchomeno.i.duobus simul euntibus,aut dum duo.simul eunt,ut apud Home. inquit. Vlysses, nunc quoniam omnia sunt confecta.i.sopita bella,non est dubitandum quin.s.aliquid bonæ salutis sit uiris æquis.i.iustis , & integris q.d tibi,& mihi.aut non est dubitandum quin omnia sint.Confecta uiris bonis,& integris.i.per bonos &c.Nam ut.i.postquam ego audiui de filio Lucii Cæsaris.s.quomodo benigne tractauerit aliquem ex hostibus ipse.i.egomet.sup.aiebam mecum,quod Simo Terẽ.in And.ait de Pamphilo suo qui nimis familiariter complexus fuerat Glycerium,quam Simo non putauit illi notam,nisi propter familiaritatem eorum,qui Chrysidem amabant.Quid hic.s.tã pius in hostes faciet mihi patri.i.patris loco,post reconciliationem habendo?Itaq; nõ desino cœnitare apud istos,qui dominantur nũc. Fingit autem per imaginationem id Varronem reprehendere,unde addit.Quid faciam?Seruiendum.i.inseruiendum est tẽpori Sed faciamus missa.i.omittamus ridicula,præsertim cum nihil sit quod rideamus.i.recte ridere possimus.ergo superiora per risum dixit,nã ut cecinit Ennius prius de bello,quod Scipio in Africa gessit. Africa terra horrida tremit terribili tumultu.Itaq; i.& ita ,nullum est, apoproegmenon.i.non propositum sed reiectum quod non uerear. Sed quod quæris quando,qua,quo s.Cæsar ueniet,nihil scimus adhuc.Illud ipsum.Quod dicis te audiuisse de Baiis,nonnulli dubitant,an ueniat per Sardiniam.Ipse enim non inspexit adhuc illud prædium suum.s.quod in Sardinia per uictoriam acquisiuit,nec habet ullum deterius,quia terra ueneni ferax est,sed tamen non contemnit.Ego arbitror omnino.s.magis uenturum per Siciliam,uel.s. etiam,iam sciemus Enim.i.quia Dolabella s.gener meus, aduentat .i.appropinquat.Ego puto eum fore magistrum.s.itineris , polli.i. multi,mathetæ.i.discipuli, creissones i meliores,didascalon.i.magistris,sup.sunt. Apud Græcos cõparatiua genitiuos regunt , apud nos ablatiuum comparatiue posita,itaq; genitiuum in ablatiuũ cõuerti.Sed tamẽ si sciã quid tu constitueris,ego accommodabo cõsilium meum potissimum ad tuum,quare expecto literas tuas.

VICTORIVS.

QVin æquis uiris}Communem lectionem cum liber editus est,secuti sumus:nam in omnibus impressis(exceptis Manutianis,in quorum priore,ac posteriore editione mendosius adhuc.{Equis uelis}scriptum est){Aequis uiris}perperam legebatur:animaduertimus tamen non multo post in Mediceo codice.{Equis uiris}scriptum esse,longe diuerso prioris uocis significatu:& de tota re accuratius disseruimus in fine nostri libelli,ubi errata impressorum correximus.Quare in ea sententia perdurauimus,& hic omnino {Equis uiris}legendum esse putamus, quemadmodum ad Q.Fratrem etiam & in oratione VIII.contra Antonium.Locus etiam ille in extremo III.libri de Officiis,qui mendose in cunctis impressis legitur,in manuscriptis nonnullis integer est,Cum his uiris equisq; ut dicitur,&c.Quare hoc exemplis, quæ hanc lectionem confirmant addere nunc libuit,cum olim relictum esset.Quod si ullus mihi scrupulus restabat . statim euulsus est,quod uidi Iacobum Sadoletum sanctissimum atq; integerrimũ uirum(quem honoris,& amplitudinis causa nomino)ita scripsisse,cum hoc prouerbium in suis illis elegantissimis libris usurparet quibus desiderium nobis lenire uoluit,quo conficiebamur libri Cic.Hortensii appellati,& quod cupiit mirifice cõsecutus est.Quis enim nunc librum Cice magnopere desiderat?Cur autem authoritatem,& iudicium illius uiri in purgandis Cice.scriptis nõ sequar? qui non tantum menda tollere consueuit,sed totos etiam libros uetustate amissos nobis restituit.

SEBAS. CORR.

ΣYν τε δύ᾽ ἐρχομένω} simulq; duo euntes . {Lucio Cæsarẽ filio}A.L.Cæsaris filio.utroq; modo legi potest,& idem significatur.Lucius Cæsar Lucii Cæsaris filius fuit : cui proquæstori in Africa,Catone interfecto,Cæsar uitam concessit,quamuis non ita multo post illum clam interficiendum curarit . {ἀποπροηγμένων}reiectum quæ enim secundum naturam sumenda sunt, sed minoris æstimanda,ea ἀποπροηγμένα Zeno appellabat . {De Baiis} Aliqui legunt,de diebus.{Per Sardiniam ueniat } uenit autẽ postea.{Deterius}nam pestilens est Episto.XXV.lib.VII.{Magistrum fore}qui nos doceat de Cæsaris aduentu. {πολλοὶ μαθηταὶ κρείττονες διδασκάλων}multi discipuli meliores magistris. Cic.n. Dolabellæ fuerat magister.

BERN. RVTI.

NVnc,quod aute a te calumniatus sum}Puto legendum, antea te calumniatus.idq;,ni fallor,rectius.i.te uariis fallaciis in longum deduxi.ut ad Lentulum:Res ab aduersariis nostris extracta est uariis calumniis.quod.s.scripserat superioribus literis se uenturum ad Varronem rus ut una essent Quod sequitur Græce scriptum,uide ne ad mortem Cæsaris spectet , Pompeianorumq;,quos iam utrosq; pertimescebat:ut superiori epist. multisq; præterea ostendit.ut sit , simul euntibus.i.simul morientibus propterea quod in Alexan. bello periclitatus est sæpe ad mortem Cæsar. Vtitur eadem oratione,non tamen sensu,ad Atti.lib.IX.{Dubitandũ,non est,quin æquis uiris}.s.pertimescendum sit,mala multa impendeant:potius,quam quod ca ponit Clericus.

PHIL. MELÃ.

COenabam apud Seium}Breues narration[illegible] ipæ.Locus est apud Homerum lib. XII [illegible] terribilis}Enn[illegible]

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Exigit promissum literarum a Varrone,dicitq; quomodo Academicas quæstiones tractarit. Postremo pollicetur se plura editurum.

CICERO VARRONI. S. D. 8

ETsi minus flagitare,quamuis quis ostenderit,ne populus quidem solet,nisi concitatus,tamen ego expectatione promissi tui moueor, ut admoneam te,non ut flagitem, misi autem ad te quatuor admonitores non nimis uerecundos:nostri enim profecto os eius adolescentioris Academiæ.ex ea igitur media

dia excitatos misi: qui, metuo, ne te forte flagitent: ego autem mandaui, ut rogarent. expectabam omnino iandiu, meq; sustinebam, ne ad te prius ipse quid scriberem, quàm aliquid accepissem, ut possem te remunerari, quam simillimo munere. sed cum tu tardius faceres: idest ut ego interpretor, diligentius: teneri non potui, quin coniunctionem studiorum, amorisq; nostri quo possem literarum genere declararem. feci igitur sermonem inter nos habitum in Cumano, cum esset unà Pomponius. tibi dedi parteis Antiochianas, quas à te probari intellexisse mihi uidebar, mihi sumpsi Philonis. puto fore, ut, cum legeris, mirere id nos locutos esse inter nos, quod nunquam locuti sumus: sed nosti morem dialogorum. posthac autem mi Varro quamplurima, si uidebitur, & de nobis, & inter nos: serò fortasse: sed superiorum temporum fortuna, Reip. causam sustineat. hæc ipsi præstare debemus. atque utinam quietis temporibus, atque aliquo si non bono, at saltem certo statu ciuitatis hæc inter nos studia exercere possemus. quanquam tum quidem uel aliæ quæpiam rationes honestas nobis & curas & actiones darent. nunc autem quid est, sine his cur uiuere uelimus? mihi uero cum his ipsis uix, his autem detractis ne uix quidem. sed hæc coram, & sæpius.

Migrationem, & emptionem feliciter euenire uolo tuumq; in ea re consilium probo. Cura ut ualeas.

ASCENSIVS.

ETsi &c. Quia M. Varro promiserat se scripturũ aliquid quod ad Cice mitteret, idq; distulerat Cic. nunc exigit promissum, quod ideo magis dicit esse debitum, quod ad eũ miserat libros quatuor Academicorũ, quos dicit esse tãquã admonitores obligationis Varronianæ. Ostẽdit antẽ opus Academicorũ factã esse per dialogũ, quia introductæ sunt personæ loquentes, pollicetur q; se scripturũ plura alias. Ordo est: Etsi. i. quanquã, ne populus quidẽ tamẽ in uerecundior esse uidetur quã uiri graues, solet flagitare. i. instanter, & urgenter exigere munus. s. publicum, ut ludorũ scenicorũ, & gladiatorũ. aut eius censũ, quãuis qui ostenderit. i. ludos, paratos, aut munus paratum. nisi, sup. sit concitatus. s. ad flagitandum, aut a tribunis, aut ab rei spectabilitate, tamen ego moueor expectatione promissi tui. s. de libris ad me scribendis, ut admoneam te, non ut flagitem. Misi autẽ ad te quatuor admonitores: uidelicet quatuor libros Academicarũ disputationum Non nimis uerecundos q. d. satis audaces exactores promissi, quia qui munus accipit se ad referendum obligat. Tu. n. profecto nosti os. i. impudentiam Academiæ adolescentioris. i. recẽtioris. Igitur ego misi. s. quatuor admonitores excitatos ex ea media. s. recentiore Academia, qui metuo ne forte flagitent te, ego autem mandaui, ut rogarent te, quod modestius est. Expectabam omnino iandiu. s. ut per te promissum exhiberes, & sustinebam me. i. repressi auiditatem meam ne ipse scriberem, quid. i. aliquid prius ad te, quam accepissem aliquid. s. a te, ut possem remunerari. i. redonare te, munere quam simillimo. i. perquam simili, quia etiam literario & philosophico, sed cum tu faceres tardius. s. promissum. i. ut ego interpretor, cum faceres diligentius non, potui teneri. i. contineri, quin declarem coniunctionem studiorum, & amoris nostri sup. eo genere literarum, quo possem. Feci igitur sermonem habitum inter nos, in Cumano. i. uilla nostra Cumani agri cũ Pomponius. s. Atticus esset una. s. nobiscum, ego dedi. i. assignaui, tibi. s. in disputando, partes Antiochenas. i. munus defendendi ea, quæ ab Antiocho dicta afferentur, quas. s. partes, ego uidebar intellexisse probari a te, quia uisus est, tibi bene locutus, ego sumpsi mihi, sup. partes Philonis. s. defendendas. Puto fore. i. futurum esse, ut mirere cum legeris nos locutos esse. i. introductos esse tanquam loquẽtes, id quod nunquam locuti sumus. Sed tu nosti morem dialogorum. i. uariorum sermonum, & disputationum fictarum. Autem. i. sed o mi Varro, sup. ego scribam ad te, aut nos colloquamur, quod uerbum quidã adiecerunt, alii maluerunt intelligere, eo quod uerba ad loquelam spectantia sæpe subaudientur, post hæc quamplurima. s. alia, si uidebitur. s. congruum, aut opportunũ, & colloquemur, sup. aut commentabimur inter nos de nobis. i. de rebus nostris, & calamitatibus temporum nostrorum, fortasse sero. i. nobis tarde, sed fortuna superiorum temporum. s. tristissimorum sustineat causam Reipub. i. faciat, ut Reipub. satisfiat de iactura accepta, ipsi. i. nos, debemus præstare, hæc. s. nostra, hoc est, ut scribẽdo sustineamus commoda nostra. Atq; utinam nos possemus exercere inter nos hæc studia. i. literaria temporibus quietis, atq; aliquo statu ciuitatis. s. Romæ, si non bono. At. i. sed, saltem certo, ut posset quis licet misere securus tamen uiuere. Quanquã tametsi uel. i. etiã aliæ quæpiam rationes, darent nobis, tum. i. tunc, certus esset Reipu. status honestas curas, & actiones. Autem. i. sed, quid est nunc cur uelimus uiuere, sine his. s. curis & actionibus literariis q. d. nihil. Vero. i. pro certo, uix est mihi cur uelim uiuere. cum his ipsis. s. literis. Autem. i. sed his detractis, nec quidem uix, sed nullo modo, quod enim uix fit, fit quidem licet cũ difficultate, quod quasi fit non fit sed, sup. dicam hæc coram. s. te. & sæpius. Ego uolo. i. opto, migrationem. i. mutationem habitationis, & emptionem. s. nouæ domus, euenire feliciter tibi, & probo cõsilium tuum in ea re. Cura ut ualeas.

VICTORIUS.

TIbi dedi partes Antiochianas} Nos ueterem scripturam secuti sumus. {Antiochinas} nec enim erratum librarii putauimus, quod in multis huiuscemodi nominibus animaduertimus, ut in primo ad Atticum Nosti enim Marinas pro Marianas. Et XIIII. De hæresi Vestorina, pro Vestoriana. Itẽ in cunctis uetustioribus codicibus, & maxime in mediceo. In epist. Polionis, Hirtino prælio. Et in literis Cassii spectra Catina pro Catiana, & Hirtiano. Hoc idem uidetur obseruasse se Priscianus non indiligens, Grammaticus, cuius lib. II. hæc sunt uerba inueniuntur tamẽ authoritate ueterum, uel Euphoniæ causæ maxime in propriis quædam non seruantia supradictas regulas, ut Ligus Liguris Ligurinus, non Ligurianus, Censor Censoris Censorinus, non Censorianus.

SEBAS. CORR.

PRomissi tui} librorum de lingua Latina. {Quatuor} nunc extant duo {Admonitores} Academicarum quæstionum libros. {Adolescentioris} ab Archesila nouatæ. {Tard. faceres} Ita scribit ad Atticum: Varro mihi denunciauerat magnam sane, & grauem προσφώνησιν: biennium præterit, cum ille καλλιππίδης assiduo cursu cubitum nullum processit. {Antiochianas} Al. Antiochinas, Antiochus autem Academiam ueterem se iactabat reuocare, dicebatq; nouam Academiam correptionem ueteris Academiæ potius, quam aliquam nouam disciplinam putandam. {Philonis} quo uiuo patrocinium Academiæ non defuit. Episto. I. lib. XIII. {De nobis inter nos} Al. De nobis inter nos colloquemur.

BERN. RVTI.

EX ea igit̃ media excitatos misi} Media, intima ut Medius fedius Athenis. non, ut Clericus: quod est ineptissimum. {Hæc ipsi præstare debemus} Præstare, sustinere, & quasi rationem excogitare, ne pereant. Hæc s. tempora.

PHIL. MELA.

ETsi munus} Orditur ab occupatione, qua uerecunde admonet Varronem promissi. Deinde narrat de libris, cur eos mittat. {Post hæc autem} Conclusio. Adhortatur eum ad hæc studia tractanda.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Suadet socero gener, ut a Pompeio ad Cæsarem se transferat.

DOLABELLA CICERONI. S. D. 9

SI Vales, gaudeo: & ipse ualeo, et Tullia nostra recte ualet. Terentia minus belle habuit: sed certum scio iam conualuisse eam. præterea rectissime sunt apud te omnia. Etsi nullo tẽpore in suspicionẽ tibi debui uenire: partium causa potius quã tua tibi suadere, ut te aut cum Cæsare, nobiscũ cõiungeres, aut certe in otiũ referres: præcipue nunc iam inclinata uictoria, ne possum quidẽ in ullã aliã incidere opinionẽ, nisi in eã, in qua. s. tua de re tibi suadere uidear, q̃ pie tacere nõ possum. tu autẽ mi Ci. sic hæc accipies, ut, siue probabuntur tibi siue nõ probabuntur, ab optimo certe animo, ac deditissimo tibi & cogitata, & scripta esse iudices. animaduertis Cn. Pompeiũ nec nominis sui, nec rerũ gestarum gloria, nec etiã Regũ, aut nationũ clientelis, quas ostẽtare crebro solebat, esse tutũ, & hoc ẽt, q̃ infimo cuiq; cõtigit, illi nõ posse cõtingere, ut honeste effugere possit, pulso Italia, amissis Hispaniis, capto exercitu ueterano, circumuallato nũc deniq;: q̃, nescio, an ulli unquã nostro acciderit imperatori. quãobrẽ quid aut ille sperare possit aut tu, animũ aduerte pro tua prudẽtia: sic. n. facillime q̃ tibi utilissimũ erit cõsilij capies. illud autẽ à te peto, ut, si iam ille euitauerit hoc periculũ, & se abdiderit in classem, tu tuis rebus cõsulas, et aliquãdo tibi potius, q̃ cuiuis, sis amicus. satisfactũ est iã à te uel officio, uel familiaritati: satisfactũ etiã partibus, et ei Reip. q̃ tu probabas. reliquũ est, ubi nũc est Resp. ibi simus potius, q̃, dũ illã ueterẽ sequimur, simus in nulla. quare uelim mi iucundissime Ci. si forte Põpeius pulsus his quoq; locis, rursus alias regiones petere cogatur, ut tu te uel Athenas, uel in quãuis quietã recipias ciuitatem. q̃ si eris facturus, uelim mihi scribas: ut ego, si ullo modo

potero, ad te aduolem, quæcunque de tua dignitate ab imperatore erunt impetranda, qua est humanitate Cæsar, facillimum erit ab eo tibi ipsi impetrare: & meas tamen preces apud eum non minimum authoritatis habituras puto. erit tuæ quoque fidei, & humanitatis curare, ut is tabellarius, quem ad te misi, reuerti possit ad me, & à te mihi literas referat. Vale.

ASCENSIVS.

SI Vales &c. Vbi res Cæsaris crescere, & Pompeii decrescere cœperunt: Dolabella Ciceronis qui in castris Pompeianis erat gener, cohortatur hac epistola eum, ut discedat illinc ubi nullam spem salutis uideat, trãsferatq; se Athenas, uel in aliquem alium locum bello uacuum pollicetur q; se impetraturum omnia a Cæsare, quæ ad Ciceronis dignitatem pertineant, petitq;, ut Cicero respondeat. Videtur autem hæc epistola scripta ante pugnam Pharsalicam, sed Pompeio iam obsesso. Ordo est: O Cicero gaudeo si uales: scilicet bene, equidem: idest ego quidem, ualeo, & Tullia nostra, quia filia tua, & coniux mea, & Cicero: scilicet filius tuus ualet. Terentia: scilicet uxor tua, & socrus mea, habuit, supple se minus belle, idest bene, quia ualetudinaria fuit aut finxit. turpiter enim uixit. Sed scio certum, sup. esse eam conualuisse iam. Præterea, idest præter ualetudinem Terẽtiæ, omnia sunt rectissime apud te, idest in domo tua. Etsi, idest quanquam, ego nullo tempore debui uenire tibi in suspicionem, idest ut suspiceris me suadere tibi potius causa partium, idest ut parti Cæsarianæ prosim, quam causa tua, idest ut tibi consulam, ut coniungeres te, aut cum Cæsare nobiscũ aut certe referres, scilicet te in otiũ scilicet literarum, & uacationem a bello Ego ne quidem, idest non saltem possum, præcipue tunc iam uictoria inclinata. s. ad Cæsarẽ, incidere in ullam aliam opinionem, nisi in eam in quã ego uidear s. suadere tibi, sup. id quod non possum tacere pie. i. salua pietate in te socerum meum. Tu autem o mi Cic. accipies hæc sic, in eam partem, ut siue probabuntur. i. placebunt tibi, siue non probabuntur, iudices certe. i. nihilominus esse, & cogitata, & scripta ab animo optimo, & deditissimo tibi, Tu animaduertis. bene consideras, Cn. Pomp. non esse tutum, nec gloria nominis sui quæ tanta est, ut magnus ab omnibus nominetur, nec gloria rerum gestarum, quæ etiã incomparabilis erat, nec etiam clientelis i. obseruantiis, & cultoribus tanquam patroni debitis, regum & nationum, quas solebat ostẽtare. i. iactantes ostendere, crebro. i. frequenter, dum Rom. floreret, & animaduertis hoc etiam, quod contingit infimo cuiq;, non posse contingere illi, uidelicet ut possit honeste effugere, illi inquã pulso. i. expulso Italia. s. patria sua, ad quam non auderet se recipere, Hispaniis quas prius tenuerat, amissis, quia Cæsar Pompeianos ante bellum Pharsalicum illinc expulerat, & Hispaniam totam in deditionem receperat. & illi capto, quia ueterani exercitu circumuallato. i. obsesso nunc deniq;. i. tandem, ut Hubertinus sentit, circa Brundusium, quod. s. capi cum exercitu ueterano. i. eum obsideri, & circumuallari, nescio an acciderit unquam ulli Imperatori quia ueterani milites ea erant animi præstantia, ut mori maluerint, quã obsideri. Quamobrem aduerte animum. i. considera, pro tua prudẽtia. i. secundum prudentiam tuam, quid aut ille. s. Pompeius possit sperare, aut tu enim capies facillime sic sup. id consilii, quod erit utilissimum tibi. Autem, idest sed, ego peto a te illud, ut si ille. s. Põpeius, euitauerit hoc periculum. i. ab obsidione liberatus fuerit, & abdiderit se in classem. i. per mare aufugerit meticulosus, tu consulas. i. prospicias tuis rebus, & sis aliquãdo. i. tandem, potius amicus tibi. i. plus facias pro salute tua, quam cuiuis. s. alteri. i. quam facias pro amicitia alterius. Satisfactum est iam a te, uel officio, si fuisti obnoxius Pompeio. Vel familiaritati, si nihil debes præter consuetudinis uicem, satisfactum etiam est. s. a te partibus, & reipu. quã tu probabas. i. pro qua Pompeius se dicit militare reliquum est. i. id restat, ut nos simus ibi. i. in illis partibus, ubi. i. in cuius potestate respub. est nunc, hoc est simus cum Cæsare potius, quam dum sequamur illam ueterem. s. rempub. i. collegium illorum qui tamdiu rẽpu. tenuerunt. simus in nulla. s. repu. quia uetus periit, & nouæ expertes simus. Quare uelim o mi Cicero iucundissime, si forte Pompeius pulsus his quoq;. i. etiam, locis. quia aliis multis, ut Hispaniis totis. & Italia iam pulsus fuerat, cogatur rursus petere alias regiones, ut tu recipias te uel Athenas uel in quamuis, idest quamlibet aliam supple ciuitatem quietam s. ab hoc bello. Quod si eris facturus, uelim scribas mihi, ut ego aduolem ad te si potero ullo modo. Facillimum erit impetrare tibi ipsi, quæcunq; erunt impetranda ab imperatore de tua dignitate, qua humanitate Cæsar est. i. tam magna est Cæsar humanitate ab eo. s. imperatore Cæsare, quod relatiuum postposuit ut habeat quo referatur Et tamen, idest licet, facillimũ fueris impetrare tibi ipsi, idest per teipsum, omnia a Cæsare, quia tibi beoe uelit, si Pompeium deserueris, tamen ego puto preces meas habituras apud eum non minimum, immo plurimum authoritatis, Erit quoq;, idest etiam fidei, & humanitatis tuæ, idest pertinebit ad fidem, & ad humanitatem tuam, ut is tabellarius, idest nuncius qui tabellas, hoc est literas, quia olim in tabellis scriptitabant perferendas suscepit quem ego misi ad te, possit reuerti ad me, quia periculum erat ne detineretur captus, eo quod ab aduersæ partis homine missus uenerat. Et referat mihi literas a te.

SEBAS. CORR.

CApto exercitu} in Hispania. {Circumuallato} ad petrã propè Dyrrachium. {Et ei R.P.} Al. Et ei patri.

BERN. RVT.

PVlso Italia, amissis Hispaniis, capto exercitu ueterano, circumuallato nunc deniq;} Non Brundusii, ut temere somniauit interpres, magno temporum atque historiæ lapsu. sed in Epiro. Plutarchus: interim, inquit, Antonius, transmissis ex Brundusio copiis, aderat. Quibus factus audentior Cæsar, Pompeium prouocabat commodissime metatum. ut cui terrestres ac maritimi commeatus abunde suppeterent. principio Cæsar cum haud magnam inter copiam degeret, postea maxima necessariorum opprimebatur inopia. interea milites radicem quandam auellebant, & commisto lacte uescebantur. interdum ex ea panes inter hostium stationes prætercurrentes iniiciebant, addebantq;, se, quoad huiusmodi radices terra produceret, obsidionem Pompeii non derelicturos.

Ex poste. eiusdem.

CIrcumuallato nunc deniq; } Appianus expositioni nostræ subscribit. Verum ob id, inquit de Cæsare, magis indignatus est, adeo ut opus longe difficillimum & inauditũ quodammodo aggredi tentaret, Pompeii uidelicet exercitum intra muri unius septa circumcludere, & a mari usq; ad mare perpetuis mœnibus sepire. ratus, etsi minime id opus ualuisset, magnam tamen audaciæ eius allaturam famam. per stadia quippe ducenta supra mille, spacium eiusmodi erat amplectendum. Est enim eiusdem nõ modo temporis, sed etiam loci significatio in Epiro, scilicet circa Dyrrachium.

PHIL. MELã.

SI uales} Orditur ab optima ratione. Purgat suspicionem, ne uideatur illi consilium dare magis partium causa, quam ut ipse Cicero saluus sit. {Animaduertis} Colligit argumenta, quibus ostendit quid periculi habeat profectio ad Pompeium. {Illud autem} Consilium, ne se ad Pompeium conferat.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Animi causa Cicero litem Niciæ Vidiiq;, inter quos constitutus iudex erat, scribit.

CICERO DOLABELLÆ S. D. 10

*NOn sum ausus Saluio nostro nihil ad te literarum dare: nec mehercule habebam, quid scriberem, nisi te à me mirabiliter amari: de quo etiam nihil scribente me, te non dubitare certo scio. omnino mihi magis literæ sunt expectandæ à te, q̃ à me tibi: nihil enim Romæ geritur quod te putem scire curare: nisi forte scire uis, me inter Niciam nostrum, & Vidium iudicem esse. profert alter (ut opinor) duobus uersiculis expensum Niciæ alter Aristarchus hos * ὀβελίζει. ego tanquam criticus antiquus iudicaturus sum, utrum sint * τοῦ ποιητοῦ, an * παρεμβεβλημένοι. puto te nunc dicere: oblitus'ne es igitur fungorum illorum, quos apud Niciam? & ingentium culinarum cum Sophia Septimiæ? quid ego? tu adeo mihi excussam seueritatem ueterem putas, ut ne in foro quidem reliquiæ pristinæ frontis appareant? sed tamẽ suauissimum * συμβιωτὴν nostrum præstabo integellum: nec committam, ut, si ego eum condemnaro, tu restituas, habeat Plancus Bursa, apud quem literas discat. sed quid ago? cum mihi sit incertum, tranquillo'ne sis animo, an, ut in bello, in aliqua maiuscula cura, negocio'ue uerserere, labor longius. cum igitur mihi erit exploratum te libenter esse risurum, scribam ad te pluribus. te tamen hoc scire uolo, uehementer populum solicitum fuisse de P. Syllæ morte ante, quàm certum scierit. nunc quærere desierunt, quomodo perierit. satis putant se scire, quod sciunt. ego cæteroqui animo æquo fero. unum uereor, ne hasta Cæsaris refrixerit. Vale.*

* .i. uerunotat.
* .i. poetæ
* .i. interiecti.
* al. ingentium culsrum.
* .i. conuictorem.

ASCENSIVS.

NOn sum ausus & cætera. Cum nihil scribere non audeat, rem ridiculam scribit, sed ideo breuiter, quod nesciat quo animo sit Dolabella. Ordo est. Non sum ausus nihil literarũ dare Saluio. s. uenienti ad te. Nec mehercule habebã, quid scriberẽ nisi te amari mirabiliter a me

de quo

de quo scio certo te non dubitare etiam me nihil scribente. Literæ sunt omnino, mihi magis expectandæ a te, quam tibi a me. Nihil. n. geritur Romæ quod putem te curare scire, idest ut tu scias, nisi forte scire uis me esse iudicem inter Niciam nostrum, & Vidium. Opinor alter, scilicet Vidius, profert, scilicet in libello postulatorio · apensum Niciæ: idest pecuniam in rem eius expositam, & ita sibi debitam: alter: scilicet Nicias, Aristarchus: idest tanquam esset Aristarchus, sicut Horatius dicit de eo qui carmina non placentia deru aut stellis, hoc est obelisco, aut asteriscis notaret, fiet Aristarchus idest Aristarchi similis obelizi, idest ueru transfigit hos: scilicet uersiculos hoc est negat debitum, & dicit delendum. obelus dicitur ueru uel hasta obelizo iugulo, hoc est ueru transfigo. Ego iudicaturus sum tanquam criticus. idest iudex literarum antiquus, utrum: scilicet uersiculi illi, quibus Vidius sibi Niciam obligatum dicit, sint ἆ ποιητοῦ: idest poetæ, hoc est Homeri. Nam Aristarchus receperat uersus Homeri recognoscendos. erant enim plurimi Homero ascripti, qui eius non erant, ea lege, ut additicios transfigat, & deleat, hoc est an sit Niciæ seuere obligantis, an παρεμβεβλημένοι, idest interpositi, & ab alio inserti: idest non scripti a Nicia, sed Vidio, aut altero eius nomine. Puto, supple te nunc dicere o Cic. es ne igitur, quia te seuere dicis iudicaturum, oblitus fungorum illorum: scilicet tam delicatorum? sunt autem fungi boleti, quos: scilicet cœnasti: aut comedisti apud Niciam, & ingentium cochlearum: idest limacum, supple comesarum cum Sophia: scilicet matre Septimiæ? quæ erat uxor Niciæ: Sunt qui legant culinarum idest coquinarū, sed aptius laudantur ingentes cochleæ quam culinæ. Quid ergo o Dolabella tu putas ueterem seueritatem: idest obseruationem, & sequelam ueri. & æqui esse excussam mihi adeo, idest in tantum, ut ne: idest non saltem in foro: scilicet iudiciali appareant reliquiæ frontis, idest seueritatis pristinæ? Sed tamen: idest licet, nolim ob cœnas perperam iudicare. ego præstabo, idest ea hibebo iudicando Symbioten: idest conuiuam nostrum: scilicet Niciam, suauissimū: idest iucundissimum, integellum: idest in modica illa re indemnē: quasi dicat iudicabo scriptum illud esse adulterinum, nec committam, ut si ego condemnaro eum, tu restituas: idest facias eū indemnē ne Plancus Bursa aut Bursæ: scilicet filius, habeat: scilicet Niciam apud quem discat literas: quasi dicat per risum inuidere Planco talem præceptorem, tamen non dubito quin si litem amiserit, ad te confugiturus sit, & ita ad Plancum, ut ab illo iterum audiatur, accessurus, unde uideretur Plancus uir multo doctior, aliquando Niciam præceptorem habuisse, aut constituisse habere, quod Cicero nunc ridet Sed quid ago, alii habent ego, sed opinor legendū ego, ut per parenthesin multa sint incerta: & ordo sit, labor: idest dicendo progredior longius. cum certum sit mihi, ne: idest an, sis animo tranquillo, an uexeris, ut in bello in aliqua causa maiuscula, idest aliquantulum magna, ne, pro uel, in negocio. Igitur cum erit exploratum mihi te risurum esse libenter, scribam ad te pluribus. Tamen nolo te scire hoc populum fuisse solicitum uehementer de morte Publii Syllæ, qui erat de genere Lucii Syllæ, antequā sciuerit certum. nunc: scilicet postquam sciunt mortuum esse, desierunt quærere quomodo perierit, satis putant se scire quod sciunt, idest mortuum esse, unde uidentur soliciti fuisse, quia timerent quod non esset mortuus. Ego qui fero cætera æquo animo, uereor, unum, ne: idest ut non hasta Cæsaris, sub qua ipse proscriptorum bona uendebat, non refrixerit, sed adhuc ferueat: idest feruenter exerceat. Sane quia idem dicimus cum uerbo uereor, cum negatione, & sine negatione, dubius est sensus. Nam si dicit se uereri quod refrixerit, ironia est. certum enim est quod malit refrixisse, & ideo ea posui sic. ut negatio in particula, ee, ne referatur ad uerbum refrixerit, ut sit uereor quod non refriaerit. Mutauit autem supra numerum dicēs sciuerit, & statim post desierunt, eo quod duplex est numerus in uocabulo populus, & similibus collectiuis, singularis in uoce, unde dixit sciuerit, & pluralis in re, unde per synthesin addit, desierunt.

VICTORIVS.

ET ingentium culinarū cū Sophia Septimiæ} Nos hunc locū ualde suspectū habemus. quidā corrigunt {Cochlearū} nos nihil immutare uoluimus, cum nihil certi haberemus: nec tamen locum silentio præterire rectum parauimus, præsertim cū antiquus codex hac parte luxatus sit, non sine nota illa in margine, quam mendosis locis apponit Est autem in illo, ut nihil prætermittamus. {Ingētium gularum} ut appareat unde uerbum illud, quod nunc omnes impressi habent. {Culinarum} deductum sit. {Ego cætera qui animo æquo fero} Hæc erat uulgaris lectio, quæ nihil a uetusta discrepabat, nec tamen eam ueriti sumus damnare & explodere: existimamus enim aliquantum mendi illam occupasse, legiq; debere {Ego cætero qui animo æquo fero} Est enim dura ad modum structura, si illo modo legas: nec uidetur de ullis aliis rebus loqui uoluisse, ut uerbum illud. {Cætera} locum hic habere possit: tantū de morte Syllæ iocose (ut opinor) narrauit: hoc autem aduerbio duobus locis usus est in epistolis ad Atticum, quemadmodum in optimis exemplaribus inuenimus, ut lib. X I I. Ne uiuam mi Attice, si mihi non modo Thusculanum, ubi cæteroqui sum libenter, sed μακάρων νῆσοι tanti sunt, ut, sine te sim totos dies. Et li. X I I I. O loca cæteroqui ualde expetenda, interpellantium autem multitudine pene fugienda. Sed & in Oratore etiam in uulgatis codicibus, illam autem concinnitatem quæ uerborum collocationem illuminat his luminibus, quæ Græci (quasi aliquos gestus orationis) σχήματα appellant, quod idem uerbum ab iis etiam in sententiarū ornamēta transfertur. Adhibet quidem hic subtilis, quē nisi quod solum, cæteroqui recte quidam uocant Atticum, sed paulo parcius. Et in epistola etiam posteriore ad Leptam, Si modo tecti satis est ad comitatum nostrum recipiendum, cæteroqui is mihi locus non displicet. Credimus autem formatum esse hoc aduerbium quemadmodum (alioqui) quod magis in usu est, & eundem pene significatum habet, ut hic ostendat se mortem Syllæ non moleste laturum fuisse nisi uereretur unum incommodum tantum quod ex eius obitu consequi uidebatur, id autem erat, ne hasta Cæsaris refrixisset: ut tacet illum tanquam sectorem & emptorem bonorum ciuium, quæ a Cæsare uendebantur. Est autem facete dictum. Eundem etiā iocum mouet iisdem pene uerbis in eadem persona in epistola ad Cassium. Nos hic D Syllam patrem mortuum habebamus, alii a latronibus, alii cruditate dicebant: populus non curabat, combustum enim esse constabat: hoc tu pro sapiētia tua feres æquo animo, quā quam πρόσωπον πόλεως amisimus. Cæsare putabant moleste laturum, uerentem ne hasta refrixisset: ut accuratius uidendum sit, cū de eodem agi ambobus his locis manifestum sit, cum Priore P. appelletur posteriore uero D in utro mendum sit. Vulgata sane lectio frigida erat & inepta meo iudicio: unius autem literæ correctione arbitror illam ualde illustratam esse nec mirum est in uoce parum frequenti antiquiores etiam librarios deceptos esse.

DE P. Syllæ morte} Trib. locis Syllæ huius sectoris a Ci. mentio facta est, quāuis semper diuersis prænominibus ille distinctus sit, quod culpa librariorum factum puto: eundem omnino hominem in iis hominibus locis affirmarim: nam, quin in epistolis ad Cassium idem, de quo nunc sermo est, intelligatur, dubium esse non potest: tempora enim conueniunt, & iisdē pene uerbis tota res narratur. iam iocatus est de morte illius Cic. cū Cassio, quemadmodum nunc cum Dolabella facit. Tertius locus est, ubi auaritia illius accusatur in secundo libro de Officiis, sic enim inquit: hasta autem agebat, quam L. Sylla eū uibrasset, dictatore propinquo suo. idem sexto & trigesimo anno post a sceleratiore hasta non recessit. nihil mirum igitur, si magno in odio erat apud omnes cum calamitatibus aliorum ciuium patrimonium suum constituere soleret, & in eodem nefario quæstu auide post tot annos iterum uersaretur.

Ea poste. eiusdem.

EXpectandæ} Al. expetendæ. {Niciam} Curtium Niciam grāmaticum. {Alter Aristarchus} Nicias grammaticus, ut Aristarchus {Obelizei} tollit, expungit ut Aristarchus Homeri uersus, quos νόθους uocat. {Τοῦ ποιητοῦ} poetæ. {Παρεμβεβλημένοι} incerti, interiecti. {Ingentium culinarum} Nihil addimus ad ea, quæ in quæstura diximus. {Συμβιώτης} conuiuam Niciam. {Bursa} episto. I I. lib. V I I. {Vt in bello} Contra Pompeii filios tunc Cæsar bellum in Hispania gerebat, ubi Dolabella etiam uulnus accepit {P. Syllæ} qui Cæsaris hastæ præfuit, ut in Quæstura a nobis pluribus dictum est. Episto X V I I & X I X. lib. X V {Ego, cætera qui} Al. ego certe, qui Al. ego inter cætera, quæ. Alii uero legunt. ego cæteroqui. {Refrixerit} mortuo P Sylla sectore qui cū Syllanam uibrasset hastam, a Cæsariana non recessit.

SEBAS. CORR.

NIsi forte scire uis, me inter Niciam nostrum & Vidium iudicem esse} Curtius Nicia celeber grammaticus: de quo multa Tranquillus, hunc ipsum locum Ciceronis citans. {Ne habeat Plancus Bursa, apud quem literas discat} Bursa ille est forte, quem supra lib. V I I. ad M. Marium secunda epistola significat inimicum suum. Interpres uero noster nan dubitat, Niciam temere imperitum dicere, quem Cicero charum sibi ubiq; significat nam & ad Atticum nominat. {Ne hasta Cæsaris refrixerit} Quod si Ne hastam Cæsar refriaerit. Quid, ne non hasta Cæsar refriaerit. Nam si, ne refrixerit, legas, optantis calorem hastæ erit: quod a Cicerone longe abest, cæterisq; etiam uerbis epistolæ. Quod tamen, si seruetur lectio: Cicero ad Atticum: Quid Cæsar? tres habet conditiones, aut emptione ob hastam: Perdere malo (etsi præter ipsam turpitudinem hoc ipsum puto esse perdere) aut delegatione in mācipe annua die: quis erit, cui credam? aut quando ipse Metonis annus ueniet? aut Veteris conditione remissem. σκέψαι igitur, ac uereor, ne iste auctionem nullam faciat, & sedulo is latus Clipso subsidio currat.

BERN. RVTI.

EGo, cætera qui animo æquo fero, unum uereor, ne hasta Cæsaris refriaerit} Nihil omnino muto Ipse de eadem re ad Cassium: Nos hic, inquit, D Syllam patrem mortuum habebamus alii latronibus, alii cruditate dicebant. populus non curabat, combustum enim esse constabat. hoc tu pro sapiētia tua feres æquo animo. quanquā πρόσωπον πόλεως amisimus Cæsarē putabant moleste laturum, uerentem, nè hasta refriaisset. Mindius Marcellus & Accius Pigmentarius ualde gaudebat se aduersarium perdidisse

Ea poste. eiusdem.

& Cassius ad eum. Itaq; Sylla, cuius iudicium probare debemus, cum dissentire philosophos uideret, non quæsiuit, quid bonum esset, & omnia bona coemit. Cuius ego mortem forti mehercule animo tuli. nec tamen Cæsar diutius nos eum desiderare patietur. nã habet damnatos, quos pro illo nobis restituat: nec ipse sectorem desiderabit, cum filium uiderit.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Conquestio de morte Tulliolæ, & inuitatio Dolabellæ, ut ad se ueniat.

CICERO DOLABELLÆ SVO S. D. 11

VEl meo ipsius interitu mallem literas meas desiderares, quàm eo casu, quo sum grauissime afflictus: quem ferrem certe moderatius, si te haberem: nam & oratio tua prudens, & amor erga me singularis multum leuaret. sed quoniam breui tempore, ut opinio nostra est, te sum uisurus: ita me affectum offendes, ut multum à te possim iuuari: non quòd ita sim fractus, ut aut hominem me esse oblitus sim, aut fortunæ succumbendum putem: sed tamen hilaritas illa nostra, & suauitas, quæ te præter cæteros delectabat, erepta mihi omnis est: firmitatem tamen, & constantiam, si modo fuit aliquando in nobis, eandem cognosces, quam reliquisti. Quod scribis, prælia te mea causa sustinere: non tam id laboro, ut, si qui mihi obtrectent, à te refutentur: quàm intelligi cupio, quod certe intelligitur, me à te amari. quod ut facias, te etiam atque etiam rogo: ignoscasq; breuitati mearum literarum: nam & celeriter unà futuros nos arbitror: & nondum satis confirmatus sum ad scribendum. Vale.*

* al. omnino.

ASCENSIVS. VEl meo &c. Ostendit mortem Tulliæ filiæ suæ sibi maximo esse dolori, usq; adeo, ut ad scribendum inutilis sit: gratum præterea sibi esse, quod a Dolabella contra detractores defenditur, non tam quod maleuoli refutãtur, quam quod per hoc se a Dolabella amari intelligat. Ordo est: Ac si dicat Cice. scio o Dolabella quod tu desideras literas meas, quia multis diebus ad te non scripsi, uerum mallem sup. ut desiderares literas meas. uel. i. etiam, interitu meo ipsius. i. propter interitum proprium, quia si interiisset, amplius scribere nõ posset, quam eo casu. i. propter eum casum. s. mortis filiæ, quo sum afflictus grauissime: q. d. quod ad te non scripsi pluscul is diebus, est propter mortem filiæ meæ. Velim autem sit potius propter mortem meam. Quem. s. casum de morte filiæ meæ, ferrem certe moderatius. i. temperantius, si haberem te. i. si mecum esses. Nam & oratio tua prudens & amor. s. tuus singularis erga me leuaret multum: sup. dolorem meum. Sed quoniam ego sum uisurus te breui tempore ut opinio nostra est, tu offendes. i. inuenies me affectum. s. dolore ita ut possim iuuari multum a te, non quod sim fractus, ita ut aut sim oblitus me esse hominem, aut ut putem succumbendum sup. esse. i. necesse, esse succumbere fortunæ. Sed tamen illa hilaritas nostra, & suauitas. i. comitas, & affabilitas morum, quæ delectabat te præter cæteros, est mihi omnis. i. tota erepta. tamen tu cognosces in nobis eandem firmitatem & constantiam, quam reliquisti, si modo. i. modo demus, quod ita sit, quod firmitas & constantia fuit aliquãdo in nobis. Quod scribis te sustinere prælia. i. certamina, mea causa. i. pro me ab obtrectatoribus defendendo, ego non tam laboro id ut si qui obtrectent mihi. i. de laude mea ob inuidiam detractent, refutentur a te q. d. non sum appetens uindictæ, aut non tanti eos facio, ut magni faciam eorum refutationem, quam idest quantum cupio intelligi. s. ab omnibus: q. d. ego enim certe scio, sup. id quod certe intelligitur, me amari a te. Quod ut facias. i. ut me ames ego rogo etiam atq; etiam, & sup. ut ignoscas breuitati mearum literarũ. Nam &. i. simul, arbitror nos futuros celeriter. i. breuiter, una. i. pariter, & nondum sum satis confirmatus ad scribendum, propter dolorem de morte filiæ.

SEBAS. CORR. EO casu} Tulliæ morte. {Mea causa sustinere} contra eos, qui me putant non tam filiam, quam Reipub. tempora lugere.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Familiaris est epistola, amorem Ciceronis erga Dolabellam declarans. Est autem responsoria ad duo capita epistolæ illius, de Baiarum, scilicet aere mutato, & oratione pro Deiotaro, quam se mittere dicit.

CICERO DOLABELLÆ S. D. 12

GRatulor Baiis nostris, siquidem, ut scribis salubres repente factæ sunt nisi forte te amant, & tibi assentantur, & tandiu, dum tu ades, sunt oblitæ sui. quod quidem si ita est, minime miror, cœlum etiam, & terras uim suam, si tibi ita conueniat, dimittere. Oratiunculam pro Deiotaro quam requirebas, habebam mecum, quod non putaram. itaque eam tibi misi. uelim sic legas, ut causam tenuem, & inopem, nec scriptione magnopere dignam, sed ego hospiti ueteri, & amico munusculum mittere uolui leuidense crasso filo, cuiusmodi ipsius solent esse munera. Tu uelim animo sapienti: fortiq; sis, ut tua moderatio, & grauitas aliorum infamet iniuriam. Vale.

ASCENSIVS. GRatulor &c. Gratulatur Cice. Dolabel. quod apud Baias pristinam receperit sospitatem, deinde dicit orationem pro Deiotaro rege a se habitam, quam secum habere non putarat, se ad eum mittere, sed non plurimi faciendam. Vnde modeste sua extenuat. Ordo autem est. Gratulor, Baiis nostris, idest nobis, aut familiaribus, quidem, idest certe, si ut scribis factæ sunt supple tibi, repente, idest statim, ubi in balnea earum te immiseris, salubres, idest salutem & sospitatem afferentes, nisi forte supple Baiæ, aut balnea apud Baias, amant te. s. captæ sunt amore tui, & sunt oblitæ sui, idest naturæ suæ, tantisper idest tandiu, dum, idest donec tu ades. Latenter autem quantũ perspicere possum, hoc dicit, Baias quidem corporibus sospitatem afferre, sed cum delicias immodicas afferant, animos eneruare. Grauior autem est animorum, quam corporum morbus. Vnde si plenã sospitatem attulerunt Dolabellæ, dicit eas mutasse naturam suam, aut potius, nam sic Dolabel. nisi manifeste carperet Dolabel. eo genere morbi laborasse, qui apud Baias potius augeri, quam leuari soleret. Vnde si leuatus est, Baiæ naturam suam mutauerant. Quod quidem. s. eas oblitas sui, si est ita, ego miror minime cœlum etiam & terras dimittere uim suam, si conueniat ita tibi, idest si tibi utile sit. Ego habebam mecum oratiunculam, idest paruam orationẽ pro Deiotaro, pen. breui, rege Armeniæ habitam, quam requirebas, idest exigebas a me. Quod non putaram. Itaq;, idest & ita misi tibi eã quam. s. oratiunculam, uelim supple, ut legas sic, ut causam tenuem idest exilem, & inopem, idest non argumentosam, de qua difficile sit copiose dicere: nec dignam magnopere scriptione idest ut scribatur. Sed ego uolui mittere hospiti ueteri. & amico: scilicet Deiotaro, munusculum leuidense: idest habens formam leuidensem: idest uestis leuiter densatæ crasso filo hoc est orationem leuiter contextã & rationibus parum acutis. cuiusmodi munera ipsius. s. Deiotari solent esse, hoc est modici ualoris, & parum elegantia. Leuidensa genus est uestis, authore Seruio, ita dicta quod leuiter densata & rexta sit Ego uelim supple ut tu sis animo sapienti, & forti, ut moderatio, & grauitas tua infamet: idest infamia afficiat iniuriam aliorũ. s. qui de te male loquuntur.

VICTORIVS. MVnusculum mittere uolui leuidense crasso filo} Nos uerbũ illud. {Volui} in nullis antiquioribus codicibus inuenimus, nec tamen delere uoluimus, cum aliquid omnino, si non sit illud, desideretur, ut perfecta sit sententia nisi fortasse (qd suspicor) uerba illa sint ex aliquo poeta. quæ si tota haberemus, locum hunc per se illustrem, & planum facerent: nunc ignorata non paruas tenebras eidem offundunt. Nos ut in re incerta, nihil quod certi proferamus, habemus.

Ex posit. eiusdem. MVnusculum mittere uolui} Officii mei quondam esse putaui, ueterem huius loci scripturam notam facere: quod nũc repeto, quia alii in pluribus antiquissimis uocem, quam tunc diximus in nostris melioribus non inueniri, inuenisse se affirmant quibus fidem deesse non credimus, quemadmodum nos etiã hæc non fingimus. Mediceus certe codex ita legit. Munusculum mittere leuidense crasso filo} Nihil tamen ne nunc quidem immutamus. Eruditissimi illi, atq; humanissimi uiri, de quibus antea locutus sum, qui plura manuscripta exemplaria huius mei laboris adiuuandi

iuuandi causa accurate inspexerunt, affirmant se in nullo. {Volui} inuenisse.

PAVL. MANV.

MVnusculum mittere nolui} uerbum, nolui, uetustis in libris alii negant esse. Nos inuenimus in antiquissimo codice Vincentii Ricett, & in eo, quem habet Paulus Bo eus, & in aliis, quos Romæ cum impressis contulimus.

SEBAS. CORR.

SAlnbres} iocatur Cicero, quia sic Dolabella scripserat. nam Baiis alioqui, authore Strabone, sunt aquæ calidæ, ad sanandos morbos optimæ. {Oratiunculam} quæ nunc quoq; extat. {Leuidense} Eras. in prouerb.

BERN. RVT.

NEc scriptione magnopere dignam} quæ a me conscriberetur. Multas enim habuit orationes Cicero, quas tamen non scripsit, non ut Crescentinas ineptie. De P. Sylla, puto, Cicero ad Atticum: Ille ad Calendas Septemb. Athenis non uidetur fore. multa eum in Asia dicuntur morari: maxime Pharnacis legio XII. ad quam primum Sulla uenit, lapidibus egisse hominem dicitur. Et sequenti epistola: Sulla, ut opinor, cras erit hic cum Messala: idest currunt ad illum pulsi a militibus, qui se negant usquam, nisi acceperint. ergo ille huc ueniet, quod non putabam.

D. Erasm. Rhoter.

SEd ego hospiti ueteri & amico, munusculum mittere nolui Leuidense crasso filo, cuiusmodi ipsius solent esse munera} Munus Leuidense prouerbiali nimirum figura uocat munus uile, minimiq; precii: cuiusmodi uulgaribus amicis missitare diuites consueuerunt. Proinde M. Tullius orationem suam, parum elaboratam atq; expolitam, Leuidense munus appellat.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Petit a Dolabella, ut apud Cæsarem Suberini causam agat, cum excusatione artificiosa Caleni, quod necessitate Pompeii partes secutus sit.

CICERO DOLABELLÆ S. D. 13

CAius Suberinus Calenus & meus est familiaris, & Leptæ nostri familiarissimi pernecessarius. is cum uitandi belli causa profectus esset in Hispaniam cum M. Varrone ante bellum, ut in ea prouincia esset, in qua nemo nostrum post Afranium superatum bellum ullum fore putarat: incidit in ea ipsa mala quæ summo studio uitauerat: oppressus est enim bello repentino. quod bellum commotum à Scapula, ita post ea confirmatum est à Pompeio ut nulla ratione se ab illa miseria eripere posset. eadem causa ferè est M. Planij hæredis, qui est item Calenus, Leptæ nostri familiarissimus. hosce igitur ambos sic tibi cõmendo, ut maiore cura, studio, solicitudine animi cõmendare non possim. uolo ipsorum causa: meq; in eo uehementer & amicitia mouet & humanitas. Lepta uero cum ita laboret, ut eius fortunæ uideantur in discrimen uenire: non possum ego non aut proxime, atque ille, aut etiam æque laborare. quapropter etsi sæpe expertus sum, quantum me amares, tamen sic uelim tibi persuadeas, id me in hac re maxime iudicaturum. peto igitur à te, uel si pateris, oro, homines miseros, & fortuna, quam uitare nemo potest, magis, quàm culpa calamitosos, conserues incolumeis: uelisq; per te, me hoc muneris cum ipsis amicis hominibus, tum municipio Caleno, qui cum mihi magna necessitudo est, tum, Leptæ, quem omnibus antepono: dare. quod dicturus sum, puto equidem non ualde ad rem pertinere, sed tamen nihil obest dicere. res familiaris alteri eorum ualde exigua est, alteri uix equestris. quapropter quando his Cæsar uitam sua liberalitate concessit, nec est quod ijs præterea magnopere possit adimi: reditum, si me tantum amas, quantum certe amas, hominibus confice. In quo nihil est, præter uiam longam: quam idcirco non fugiunt, ut et uiuant cum suis, et moriantur domi. quod ut enitare, contendasq;, uel potius ut perficias (posse enim te, mihi persuasi) uehementer te etiam atque etiam rogo. Vale.

ASCENSIVS.

CAius Suberinus &c. Cum apud Cæsarem plurimum posset Dolabella, commendat ei Cice. C. Suberinum, & M. Planium tam suos, quam Leptæ familiares, rogatq;, ut in Hispania commẽdatos habeat, & apud Cæsarem pro eis restituendis patriæ diligenter agat. Ordo est. Caius Suberinus Calenus: idest ex Caleno urbe Campaniæ Italiæ est, is est & simul familiaris meus, & per necessarius: idest ualde necessarius Leptæ familiarissimi nostri. Is: scilicet Suberinus cum profectus esset in Hispaniam cum M. Varrone, causa uitandi belli, ante bellum, ut in ea prouincia, in qua nemo post Afranium nostrũ idest Romanum imperatorem superatum, putaret ullum bellũ fore, idest futurum esse, incidit in ea ipsa mala, scilicet belli, quæ uitauerat summo studio. Ipse enim oppressus est bello repentino, quod bellum commotum: idest incitatum a Scapula: scilicet duce a Põp. misso, confirmatum est postea, a Pompe. scilicet Sexto Cnei filio, ita ut nulla ratione posset eripere se ab illa miseria. Eadem causa fere Marci Planii Hæredis: scilicet cognominati. Nisi sit legendũ Planci, hæredis: idest qui est hæres Planci, sed si id esset, Cice. eum potius propter Plancum, quam Leptam commendasset, qui est item: idest similiter Calenus familiarissimus Leptæ nostri. Igitur ego cõmendo tibi hos, aut hosce ambos, sic ut non possim commendare supple eos maiore cura, studio, solicitudine animi. Volo: scilicet eos tibi commendatos esse, causa ipsorum, quia ita de me meriti sunt, & amicitia, & humanitas mouet me uehementer: scilicet ut uelim causa ipsorum etiam, si non essent familiares Leptæ. Lepta uero cum laboret: scilicet pro eis ita, ut fortunæ: idest diuitiæ eius uideantur uenire in discrimen: idest periculum, ego non possum non laborare, aut proxime supple tantum, atq; idest etiam sicut ille, aut etiam æque, idest æqualiter. Quapropter, & si: idest quanquam, expertus sum, sæpe quantum amares me, tamen ego uelim persuadeas tibi sic me iudicaturum id scilicet quantum me ames, maxime in hac re, id est in susceptione huius commendationis. Igitur peto a te, uel oro, si pateris. s. te a me orari ut conserues incolumes, idest saluos & illæsos homines miseros & calamitosos: idest ærumnosos, magis fortuna. s. aduersa quam nemo potest uitare, quam culpa. s. sua. Et uelis me dare i. ut ego dem. s. per intercessionem tuam, hoc muneris. i. beneficii, cum. s. ita sic quod ipsis hominibus amicis. s. Sube. & Pla. tum idest multo magis Caleno municipio, qui cum. i. cum quo, hoc est cum quibus ciuibus est mihi magna necessitudo. i. obligatio mutui officii. Tum, idest adhuc magis uelis me dare hoc muneris Leptæ quem antepono omnibus, equidem, idest ego certe puto supple id quod sum dicturus, non pertinere ualde ad rẽ, sed tamen nihil obest, idest nocet dicere. Res familiaris est alteri eorum ualde exigua, idest modica, & est alteri. i. reliquo uix equestris i. quæ satis sit ad censum equestrem, hoc quadringentorum millium sextertiũ Quapropter quando, idest quoniam Cæsar concessit his uitam liberalitate sua, nec est quod possit præterea i. præter uitam, adimi. i. auferri iis magnopere. i. magni æstimandum, confice i. plene impetra hominibus reditum. s. in patriam suam, uidelicet Calenum, si tu amas me tantum, quantum certe amas. In quo. s. reditu nihil est. s. difficile, aut potius ipsis obtinendum, quia in patria parum aut nihil habene præter uiam longam. s. ex Hispaniis Calenum usq; quam. s. uiam longam, ipsi non refugiunt idcirco, ut uiuant cum suis, & moriantur domi, quod ut enitare & contendas, uel potius perficias, persuasi enim mihi te posse. s. perficere: rogo te ut uehementer etiam atq; etiam. i. iterum atq; iterum.

SEBAS. CORR.

MVarrone} tunc Pompei legato. {Ante bellum} ciuile. {In ea prouincia esset} etiam post Varronis deditionem. Nã eodem tempore Varro & Afranius in Hispania fuerunt, hic in citeriore, ille in ulteriore. {Putarat} Al. putaret. {Scapula} quem Oppius quoq; seditionis caput appellat. {Pompeio} Cn. Põpeio Cn. F. {Via equestris.} H-S CCCC.

PHIL. MELA.

C. Suberinus} Narratio est, quam sequitur commendatio, ut quibusdam calamitosis reditum conficiat.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Laudat hac epistola fortitudinem prudentiamq; Dolabellæ, & ut deinceps sibi similis sit, hortatur.

CICERO DOLABELLÆ COS. S. D. 14

ETsi contentus eram mi Dolabella tua gloria, satisq; ex ea magnam lætitiam, uoluptatemq; capiebam: tamen non possum non confiteri, cumulari me maximo gaudio, quod uulgò hominum opinio socium me ascribat tuis laudibus: neminem conueni (conuenio autem quotidie plurimos: sunt. n. permulti optimi uiri, qui ualetudinis causa in hæc loca cõueniant,

præterea ex municipiis frequẽtes necessarij mei) quin omnes, cum te summis laudibus ad cœlum extulerunt, mihi continuo maximas gratias agant: negant enim se dubitare, quin tu meis præceptis, & consiliis obtemperans, præstantißimum te ciuem, & singularem Consulem præbeas. quibus ego quãquam uerißime possum respondere, te, quæ facias, tuo iudicio, & tua sponte facere, nec cuiusquam egere consilio: tamen neque planè assentior, ne imminuã laudem tuam, si omnis à meis consiliis profecta uideatur: neq; ualde nego: sum enim auidior etiam, quam satis est, gloriæ. est tamen non alienum à dignitate tua, quod ipsi Agamemnoni regum Regi fuit honestum, habere aliquem in consiliis capiundis Nestorem: mihi uero gloriosum, te iuuenem Consulem florere laudibus quasi alumnum disciplinæ meæ. L. quidem Cæsar, cum ad eum ægrotum Neapolim uenissem, quãquam erat oppressus totius corporis doloribus, tamen ante, quàm me planè salutauit, ò mi Cicero, inquit, gratulor tibi cum tantum uales apud Dolabellam, quantum si ego apud sororis filium ualerem, iam salui esse possemus. Dolabellæ uero tuo & gratulor, & gratias ago. quem quidem post te consulẽ solum possumus uere Consulem dicere. deinde multa de facto, ac de re gesta: tum nihil magnificentius, nihil præclarius actum unquã, nihil Reipublicæ salutarius. atque hæc una uox omnium est. à te autem peto, ut me hanc quasi falsam hæreditatem alienæ gloriæ finas cernere, meq; aliqua ex parte in societatem tuarum laudum uenire patiare. quãquam mi Dolabella (hæc enim iocatus sum) libentius omnes meas si modo sunt aliquæ meæ laudes, ad te transfuderim, q̃ aliquam partem exhauserim ex tuis. nam cum te semper tantum dilexerim, quantum tu intelligere potuisti: tum his tuis factis sic incensus sum, ut nihil unquam in amore fuerit ardentius.

*NIHIL est enim (mihi crede) uirtute formosius: nihil pulchrius, nihil amabilius, semper amaui (ut scis) M. Brutum propter eius summum ingenium, suauißimos mores, singularem probitatem, atque constantiam: tamen Idib. Mart. tantum accessit ad amorem, ut mirarer locum fuisse augendi in eo, quod mihi iampridem cumulatum * esse uidebatur. quis erat, qui putaret ad eum amorem, quem erga te habebã, posse aliquid accedere? tantum accessit, ut mihi nũc denique amare uidear, antea dilexisse, quare quid est, quod ego te horter, ut dignitati, & gloriæ seruias? proponam tibi claros uiros, quod facere solent, qui hortantur? neminem habeo clariorem, quàm te ipsum. te imitere oportet, tecum ipse certes. nec licet quidem tibi iam tantis rebus gestis non tui similem esse. quod cum ita sit, hortatio non est necessaria, gratulatione magis utendum est. contigit enim tibi, quod haud scio an nemini, ut summa seueritas animaduersionis non modo non inuidiosa, sed etiam popularis esset, & cum bonis omnibus, tum infimo cuique gratißima. hoc si tibi fortuna quadam contigisset, gratularer felicitati tuæ: sed contigit magnitudine tum animi, tum etiam ingenij, atque consilij. legi enim concionem tuam: nihil illa sapientius: ita pedetentim, & gradatim tum accessus à te ad causam facti, tum recessus, ut res ipsa * maturitatem tibi animaduertendi omnium concessu daret. liberasti igitur & urbem periculo, & ciuitatem metu: neque solum ad tempus maximam utilitatem attulisti, sed etiam ad exemplum. quo facto intelligere debes in te repositam esse Rempub. tibiq; non modo tuendos, sed etiam ornandos esse illos uiros, à quibus initium libertatis profectum est. sed his de rebus coram plura propediem, ut spero. Tu quando Rempub. nosq; conseruas, fac ut diligentißime te ipsum mi Dolabella custodias. Vale.*

*al. etiam

* al. authoritatem.

ASCENSIVS.

ETsi contentus. Cæsare in senatu interfecto cum quidã eidem aras & diuinos honores decernerent, Dolabella consul singulari animi magnitudine eis restitit, & puniendos curauit, quod factum summa æquitate populus censuit, unde, nunc eidem Cice. uehementer gratulatur, docetq; laudem quodammodo in se conuerti, atq; ita se multum adiecisse ad amorem suum in eum. Ordo est: Etsi. i. quanquam o mi Dolabella, ego contentus eram, gloria tua, & capiebam ex ea satis magnam uoluptatem & lætitiam, tamen ego non possum non confiteri. i. quin confitear, me cumulari. i. augeri maximo gaudio, quod opinio hominum adscribat me uulgo. i. passim quasi per totũ uulgus, socium tuis laudibus. i. participem esse debere in laudibus tuis tanquam socium & adiutorem præclari facti. Ego neminẽ conueni. i. colloquendi gratia adii. Cõuenio autem quotidie plurimos. Sunt enim permulti uiri optimi, qui causa ualetudinis. s. malæ: idest ægritudinis, conueniant in hæc loca. s. ubi sum, uidetur autẽ Baiis tunc fuisse, aut in Cumano, seu Thusculano: præterea necessarii mei conueniunt frequentes ex municipiis. s. proximis, quin omnes cum idest postquam extulerunt te summis laudibus ad cœlum, agant mihi continuo maximas gratias: Negant enim: scilicet omnes, se dubitare, quin tu obtemperans præceptis & cõsiliis meis præbeas: idest exhibeas te ciuem præstantissimum & consulem singularem: idest egregie excellentem. Quibus ego quanquam possum respondere uerissime, te facere ea quæ facias iudicio tuo & sponte tua, quod dicunt proprio instinctu, nec agere consilio cuiusquam, tamen neq; plane: idest omnino & aperte assentio, ne imminuam laudem tuã, quia, ut docuit Hesiodus, primus uirtutis gradus est per se bene agere. Secundus consilio alterius. si omnis. s. laus tua uideatur profecta, idest orta a consiliis meis, neq; nego ualde. Sum enim auidior gloriæ etiam quam satis est. Est tamen non alienum a dignitate tua habere aliquem Nestorem: idest senem prudentem ut Nestor erat, qui iam tertiam uiuebat ætatem, in capiundis consiliis, quod. s. habere Nestorem, fuit honestum: idest pulchrum & honore dignum Agamemnoni regi regum, idest summo imperatori Græcorum, in quorum exercitu multi erant reges. Vero pro sed gloriosum est mihi te iuuenem consulem florere laudibus quasi alumnũ disciplinæ meæ. Lucius Cæsar auunculus Marci Antonii quidem, idest certe, quasi dicat ut de aliis taceam, cum uenissem Neapolim ad eum ægrotum quanquam esset oppressus doloribus totius corporis, tamen antequam me salutauerit plane: idest plene, inquit o mi Cicero, ego gratulor tibi cum, idest quoniam tantum uales apud Dolabellam, quãtum si ego ualerem apud filium sororis. s. meæ hoc est apud M. Antonium, qui Cæsarem occisum mirifice extulit, nos possemus esse salui, quia Respub. reciperet pristinas uires. Vero: idest sed aut ad uerum, ego gratulor & ago gratias Dolabellæ tuo scilicet quondã genero & adhuc necessario. Quem quidem: scilicet Dolabellam, nos possumus dicere: idest appellare uere consulem solum post te consulem, quasi omnes intermedii non fuerint ueri consules, quia non consuluerint Reip. sed nocuerint. Deinde supple adiecit aut locutus est multa, de facto: scilicet tuo ac de te gesta, tum supple adiecit nihil actum supple esse magnificentius, nihil præclarius, nihil salutarius Reipub. Atq; hæc una uox omnium: idest quod Lucius Cæsar de te prædicauit omnes prædicant. Autem, idest sed, ego peto a te ut finas: idest permittas me cernere hanc quasi falsam hæreditatem gloriæ alienæ, hoc est gloriæ a te partæ, me succedere tanquam hæredẽ, e cum non sim uerus hæres, non enim e me nata est: & ita non debet ad me reuerti, & pro: idest patiare me ex aliqua parte, in societatem tuarum laudum, quanquã o mi Dolabella. Sum enim iocatus: idest per iocum locutus, hæc: scilicet superiora, ego transfuderim, idest quasi de uase in uas fundendo adduxerim libentius ad te, omnes laudes meas, si modo aliquæ sunt laudes meæ, quã exhauserim aliquam partem ex tuis: scilicet laudibus. Nam cũ ego dilexerim te semper tantum, quantum tu potuisti intelligere. Valla dicit. Cum & tum sic posita, solo indicatiuo congruere, unde hic legendum putaret dilexi, tum: idest multo magis incensus sum his factis tuis. Si quæras a Valla quomodo his dicat & tuis, dicet his de quibus loquor, & tuis, quæ fecisti, sic, ut nihil fuerit mihi unquã ardentius in amore. Enim: idest quia crede mihi nihil est formosius uirtute, quæ, ut ex sententia Platonis inquit in officiis, si oculis cerni posset, admirabiles excitaret amores sui. Nihil est pulchrius, nihil amabilius uirtute. idest animi fortitudine quæ a uiribus proprie uirtus dicitur. Ego amaui semper, ut tu scis M. Brutum interfectorem Cæsaris, propter summum ingenium eius, suauissimos mores, singularem probitatem, atq; constantiam eius, tamen tantum accessit ad amorem: scilicet eius, Idibus Martii, quibus cũ Cassio & aliis coniuratis Cæsarem interemit, ut mirarer, locum augendi: idest ut augeatur, fuisse in eo: idest in ea re, hoc est uehementissimo amore, quod uidebatur mihi iampridem: idest a plurimus diebus etiam cumulatum: idest sic refertum & plenum ut nihil posset superaddi, metaphora est a mensura referta & cumulo desuper aucta. Quis erat qui putaret aliquid posse accedere. i. addi ad eum amorem quem habebam erga te? q. d. nullus. tamen, idest attamen tantum accessit, ut uidear mihi nunc denique, idest tandem amare, scilicet te, quod longe plus est quam diligere, nã diligere, idest secor sum quemuis legere: ut eum si dignus sit amemus, & supple uidear dilexisse supple te antea, idest ante hoc tempus. Quare quid est: scilicet causæ aut rationis, quod idest propter, quod, ego horter te ut seruias, idest inseruias dignitati & gloriæ, & supple proponam tanquam exemplar, claros uiros? quod solent facere supple ii qui hortantur.

hortantur.quasi dicat,nihil est causæ,quia nemine habeo clariorem quam teipsum.opportet supple ut imitere te.s.ipsum,& supple ut ipse certes tecum,nec quidem :idest certe,licet tibi tantis rebus gestis:idest postquam tantas res gessisti,non esse similem tui, idest degenerare deinceps a præclaris inceptis tuis sæpe admonui cum de moribus loquitur,nomen si hic simile aptius genitiuo iungi,unde hic similẽ tui dixit,de corporis similitudine,cũ datiuo.Q uod, idest quæ res,cum sit ita,scilicet ut dictum est,hortatio,scilicet tui non est necessaria,sed supple utendum est magis gratulatione,scilicet ob præclara incepta,a quibus degenerare non liceat.Contingit enim tibi,quod haud scio,idest nescio an nemini scilicet alteri contigerit.uidetur dicendum alicui,scilicet alteri,sed utrunq; nescisse & dubitasse potest Cicero an scilicet alicui alteri contigerit, & an nemini,supple alteri:quia duarum contradictoriarum ueritas est æque incerta,nota enim ueritate unius,statim scitur falsitas alterius.Et ita quicunq; nescit an alicui,etiam nescit an nemini;nã altero scito alterum ignorari non potest.Consuetior tamen modus loquendi esset,an alicui,sed interdum duæ negationes non plus efficiunt quam una.Contigit autem ut summa seueritas ,idest summus rigor animaduersionis,idest iustæ punitionis in eos. qui Cæsari diuinos honores decreuerant,non modo: idestnon solum non esset inuidiosa.sed esset etiam popularis,idest plausibilis, & placẽs populo & ita sit quod esset gratissima omnibus bonis . tum : idest multo magis fuit gratissima infimo cuiq;:idest maxime plebeio.Si contigisset hoc tibi quadam fortuna:idest felici euentu.ego gratularer felicitati tuæ,sed contigit magnitudine , idest propter magnitudinem,tum animi:scilicet tui,tum etiam ingenii atq; cõsilii. Ego enim legi concionem tuam:idest orationem quam habuisti ad populum.nihil:supple fuit,aut legi sapientius illa : scilicet concione tua Ergo etiam sapientia dici possunt,ita:idest usq; adeo, pedetentim:scilicet quasi tenendo ingressum pede:hoc est ita gradatim supple factus est tum accessus a te ad causam facti.tum egressus,scilicet facti ad te.ut ipsa res:idest casus qui euenerat, daret tibi maturitatem:idest celeritatem animaduertendi::idest puniendi, concessu: idest permissione;seu(ut alii legunt)consensu omnium.Notum est ex præceptis rhetoricis,quando causa turpis est a causa ad personã transeundum esse,& rursus quando persona inuidiosa,ad necessitatem facti.itaq; Dolabellæ nunc accessus causæ ad se fuit, nunc recessus a se ad causam facti,ut persuaderet maturandum fuisse. Igitur hoc faciendo,tu liberasti & urbem periculis:scilicet pereundi, & ciuitatem:idest populum metu,neq;:idest & non,& attulisti nõ solum ad tempus,idest pro temporis parte maximam utilitatẽ,sed etiam debes intelligere Rempub.idest salutem Reipub. esse repositam:idest collocatam in te,ad exemplum facti:scilicet tui, quia facto tuo ostendisti aliis quid facere debeant. & debes etiam intelligere illos uiros:scilicet Brutum,Cassium,& reliquos coniuratos,a quibus initium libertatis:scilicet a tyrannide Cæsaris,est profectũ idest ortum nõ solum tuendos:idest protegendos esse tibi : sed etiã ornandos:scilicet dignitatibus,& honoribus publicis.Sed : supple nos loquemur propediem de his rebus plura,ut spero. Tu mi Dolabella,quando:idest quandoquidem,conseruas Rempub.& nos: fac ut custodias scilicet ab insidiis Antonii , & Augusti diligenter teipsum.

VICTORIVS. DEinde multa de facto,ac de re gesta]Interpretatur Græcã uocem πρᾶξιν quam in epistolis ad Atticum in hac re exponenda non semel usus est:multis etiam aliis in locis eodem Latino uerbo græcum expressit. In Philippica prima : Erectus.n. maximi,& pulcherrimi facti conscientia. Ad Atticum ἡ πρᾶξις καλὴ μὲν, ἀτελὴς δὲ. & si cum commode facere potest,Græco potius utitur.Recentiores interpretes Aristotelis in libris,quos confecit de uita & moribus actionem potius appellarent: putant enim distingui oportere apud Latinos diuersas res diuersis nominibus, quemadmodum apud Græcos fit.illi enim habẽt ποίησιν & πρᾶξιν posterioremq; semper seruarunt,ut actionem redderent,quod Cicero,quemadmodum apparet,neglexit.nam hic non de manuũ opere,sed de ciuili facinore agitur.

SEBAS. CORR. TVa gloria}quam adeptus es tollenda columna Cæsari erecta,locoq; sternendo,proposita iis cruce & saxo,qui id amplius tentarent.{ In hæc loca}Pompeianum,Puteolanum & Cumanum.{Coss.præbeas}cum M.Antonio . {L.quidem Cæsar}qui Coss.fuit cum C .Figulo:uel(ut alii uolunt) cum Q.Martio Thermo.{Sororis filium}M.Antonium.{Salutarius} In ueteribus libris,& lib.X I I I I.ad Atticum sic legitur:Salutarius testatus est.etsi uerbum illud ibi quoq; nonnulli tollunt. {Transfuderim}Al.transtulerim.{In amore fuerit}Al.in amore me fuerit.{ Id. Mart.}quibus ille,& reliqui Cæsarem interfecerunt. { Animaduersionis}cum in audaces,sceleratosq; seruos,tum in impuros & nefarios liberos qui columnam erexerant.{Vrbem periculo}incendii. {Ciuitatem metu}seditionis.{Illos uiros}Brutum,Cassium,& reliquos.

PHIL. MELA. ETsi contentus}Gratulatio est initio figurata translatione. Transfert enim in se partem cõsilii & facti Dolabellæ.{Sum enim} Al.exemplo.{L.quidem Cæsa.}ad testimonio Cæsaris.{Q uanquam mi Dolab }Correctio,negat se detrepturum aliquid de laudibus Dolabellæ.{Nam cum te} Ab amore erga ipsum. {Q uare quid est}Adhortatio,cum honorifica prædicatione facti, uidelicet a fine,& a consilio.a fine , quod placeat etiam infimis : a consilio,quod uidelicet non temere,sed consulta rem perfecerit.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Duabus epistolis Pæti respondet, duabus partibus,priore per asseuerationem illarum rerum,quas prius Pæto,de eius ualetudine curanda scripserat:posteriore autem de Neapolitana domo,quam dicit se tempestiue emisse,cum recte Romæ esse non liceat.

CICERO PAPYRIO PÆTO. S. D. 15

*DVabus tuis epistolis respondebo: uni , quam triduo ante acceperam à Zetho:alteri , quã attulerat Phileros tabellarius.ex prioribus tuis literis intellexi peragratam tibi esse curam meam ualetudinis tuæ: quam tibi perspectam esse gaudeo: sed,mihi crede,non perinde, ut est reapse,ex literis perspicere potuisti:nam cum à satis multis(non enim possum aliter dicere)& coli me uideam,& diligi,nemo est illorum omnium mihi te iucundior: nam quòd me amas,quòd id & iampridem,& constanter facis,est id quidem magnum,atque haud scio,an maximum, sed tibi commune cum multis:quòd tu ipse tam amandus es,tamq; dulcis,tamq; in omni genere iucundus,idest proprie tuum . accedunt non Attici, sed salsiores,quam illi Atticorum,Romani ueteres, atque urbani sales.ego autem(existimes licet quod lubet)mirifice capior facetiis,maxime nostratibus,præsertim cum eas uideam primum oblitas Latio tum cum in urbem nostram est infusa peregrinitas,nunc uero etiam bracatis.& transalpinis nationibus,ut nullum ueteris leporis uestigium appareat.itaque te cum uideo,omneis mihi Granios,omneis Lucilios,& ut uere dicam Crassos quoque , & Lælios uidere uideor.moriar,si præter te quenquam reliquum habeo,in quo possim imaginem antiquæ , & uernaculæ festiuitatis agnoscere.ad hos lepores cum amor erga me tantus accedat, miraris me tanta perturbatione ualetudinis tuæ tam grauiter exanimatum fuisse?Quod autem altera epistola purgas te non dissuasorem mihi emptionis Neapolitanæ fuisse:sed authorem commorationis urbanæ,neque ego aliter accepi : intellexi tamen idem, quod his intelligo literis,non existimasse te, mihi licere , id quod ego arbitrabar,res has non omnino quidem , sed magnam partem relinquere.Catulum mihi narras,& illa tempora: quid simile?ne mihi quidem ipsi tunc placebat diutius abesse ab Reipub.custodia sedebamus enim in puppi,clauumq; tenebamus.nunc autem uix est in sentina locus.an minus multa S.C.futura putas,si ego sim Neapoli?Romæ cum sum,& urgeo forum,S.C.scribuntur apud amatorem tuum,familiarem meum . & quidem , cum in mentem uenit ponor ad scribendum:& ante audio S.C.in Armeniam,& Syriã esse perlatum,quod in meam sententiam factum esse dicatur,quàm omnino mentionem ullam de ea re esse factam.atque hoc nolim me iocari putes:nam mihi scito iam à Regibus ultimis allatas esse literas,quibus mihi gratias agant,quòd se mea sententia Reges appellauerim:quos ego non modo Reges appellatos,sed omnino natos nesciebam.quid ergo est?tamen quandiu hic erit noster hic præfectus moribus,parebo authoritati tuæ:cum uero abierit, ad fungos me tuos conferam.domum si habebo : in denos dies , singulos sumptuariæ legis conferam.sin minus inuenero,quod placeat:decreui habitare apud te:scio enim me nihil gratius tibi facere posse.*Domum Sullanam desperabam iam,ut tibi proxime scripsi: sed tamen non abieci.tu uelim,ut scribis,cum fabris eam perspi-*

*al.domũ Silianam.

ciat: si enim nihil est in parietibus, aut in tecto uitij, cætera mihi probabuntur. Vale.

ASCENSIVS.

Dvabus &c. Respondens Cicero duabus epistolis Papyrij primo dicit incolumitatem sibi curæ esse, deinde, laudat eum & eius sales ac leporem in dicendo. demũ quia consuluerat ne uendita domo quam Romæ habuerat: Neapolim migret, respondet nullam causam esse: cur Romæ esse uelit. Ordo est: Ego respondebo scilicet hac una epistola, duabus epistolis tuis, uni scilicet epistolæ, quam acceperam a Zetho triduo ante: scilicet quam secunda esset allata, alteri quam Phileros tabellarius, idest tabellarum, hoc est literarum portator attulerat. Ego intellexi ex prioribus literis tuis sententiã meã esse pergratam tibi, & animum meum perspectum supple esse, idest plane cognitum circa curam ualetudinis tuæ, quam, scilicet ualetudinem, scilicet bonam, ego gaudeo esse tibi. Sed crede mihi tu absens non potuisti perspicere, idest perfecte uidere & cognoscere literis perinde, idest ita ut est te scilicet ipsa, hoc est quantum de ualetudine tua solicitus fuerim. Nam cum uideam me & coli & diligi a satis multis, non enim possum dicere aliter, quasi dicat nõ possum dicere ab omnibus, tamen: supple idest nemo omnium illorum scilicet qui me colunt & diligunt, est iucundior mihi te, idest quã tu sis. Nam quod tu amas me, & quod facis, idest quod amas me, etiam pridem, idest a pluribus diebus, & constanter, idest perseuerãter, est quidem, idest certe magnum, atq; haud: idest non scio, an: scilicet sit maximum: sed est tibi commune cum multis: quia multi me & colunt, & amant Sed quod tu ipse es tam amandus: idest amabilis. tamq;, idest & tam dulcis, tamq;. idest & tam iucundus in eo genere: scilicet doctum, & charitatum, idest proprie, idest peculiari ter tuum. Accedunt. s. ad mores tuos iucundissimos, sales, idest lepores dicendi, hoc est sermones bene conditi lepore, & acrimonia, nõ Attici, idest Athen. sed ueteres Romani atq; Vrbani, idest in urbe Romana, idest salsiores, idest aptius conditi quam illi scilicet nobilissimi sales Attici. Ego autem, licet existimes, idest iudices, quid libet, idest quicquid lubet, capior, idest afficior delectatione mirifice facetiis maxime nostratib idest Romanis, præsertim cum uideam eas oblitas, idest obliuioni traditas Latio i. in Latio. Hube. autẽ exponit oblitas Latio. i. Latiis moribus refertas ab obliuor participin idest cum uideas eas esse uetustissimas & sapere Latium, idest tales inquit quales erant tunc, cum primũ peregrini immissi sunt in Italiam &c. Quæ expositio mihi non placet, primum quod non diceret oblitas media breui de facetiis, quibus nihil tam alienum quã esse oblitum, deinde quod manifeste dicat paulatim abolitas, & demum quod aptios est sententia, si obliuioni traditas, quam si illitas Latiis moribus dicas. Nam penuria rerum solet casum excitare charitatem, neq; possent esse urbanæ, si non essent Latinis moribus congruæ. Accipitur ergo ab obliuiscor passiue, sicut in buco. Vir. Nunc oblita mihi tot carmina. Tum, idest tunc primum, cum peregrinitas idest ratio loquendi externa præsertim græcanica, est infusa in nostram urbem. s. Romam, nunc uero uideam eas oblitas nationibus etiam brachatis. i. brachis, hoc est longioribus tunicis utentibus, a quibus dicta est Gallia brachata. Et pro. i. nationibus transalpinis: unde uidentur sicut nunc clerus, ita tunc totus Popu. Roma Gallicanus Romanam linguam accepisse, quæ in eam, quæ nunc est, degenerauerit, ita ut nullum uestigium ueteris leporis appareat. s. alibi. itaq;. i. & ita cum, idest quando, ego uideo te, ego uideor mihi uidere omnes Graccos, omnes Lucilios, & ut dicam uere idest syncere & non ficte, ego uideor mihi uidere, omnes Crassos quoq; & Lælios, idest omnes priscos Romanos facundia & lepore dicendi nobilitatos, quales fuerũt Gracchi, Lucilii, Crassi, & Lælii. Moriar, id est permitto ut moriar, si habeo quenquam reliquum præter te, in quo ego possim agnoscere imaginem, idest imitatricem speciem festiuitatis, idest ut dicunt, solennitatis loquendi antiquæ, idest priscæ, & uernaculæ, idest natiuæ & domesticæ, non peregrinæ, sed quasi inter uernas, idest natos domi nostræ ex ancillis nostris. Cum tantus amor, scilicet tuus erga me, accedat, idest addatur ad hos lepores, idest sales & festiuitates dicendi, miraris me fuisse exanimatum, idest animo priuatum tam grauiter, tantu perturbatione, idest ob tantam perturbationem ualetudinis tuæ? quasi dicat non debes mirari. Deinde transiens ad alteram epistolam dicit: quod autem purgas, idest excusas te altera epistola, te non fuisse mihi dissuasorem, idest dehortatorem emptionis Neapolitanæ,, idest nouæ domus Neapoli habendæ. Sed authorem: idest approbatorem commorationis urbanæ, idest quæ esset in urbe Roma: neq; ego accepi, idest interpretatus sum aliter, scilicet quam tu dicis intelligendum, intellexi tamen idem quod intelligo his literis, scilicet ultimo datis, te non existimasse, idest iudicasse licere mihi id quod ego arbitrabar, uidelicet non licere relinquere has res, scilicet urbanas omnino, idest penitus, sed magnam partem, scilicet earum. Tu narras: idest adducis mihi in exemplum Catulum, qui nunquam uoluit penitus rem suam urbanam distrahere & alienare. Quid simile sup. est de Catulo & de me? quasi dicat nihil, quia, ne quidem, idest non etiam aut nõ saltẽ, placebat mihi ipsi tunc cum essem exilio damnatus, abesse diutius ab custodia Reipub. Nos enim sedebamus, scilicet tunc in puppi, & tenebamus clauum, idest gubernaculum nauis, idest regebamus ad nutum Rempub. ut Naucletus seu patronus nauem. Nunc autem uix locus est scilicet nobis, in sentina, idest infimo & uilissimo loco nauis, quo omnes sordes defluunt. An putas, minus multa senatuscõsulta futura, scilicet Romæ, & si ego sim Neapoli? quasi dicat non esse putandum, cum nulla sint pere ũ futura, siue Romæ, siue alibi futurus sit. Cum ego sum Romæ, & urgeo, idest cogo forũ, idest iudices: senatusconsulta scribuntur apud amatorem tui familiarem meum, quasi dicat quẽ bene nosti, & sunt qui ironicos locutum uelint. Equidem, idest ego quidem, cum uenit in mentem, idest cum cogito, ponor idest adhibeor ad scribendum, scilicet sententiam, & audio ante senatusconsultum esse perlatum in Armeniam & Syriam, quod: scilicet senatusconsultum dicatur esse factum, in idest secundum sententiam meam, quam omnino ullam mentionem esse factam de ea re. Atq; nolim supple, ut putes me iocari, idest per iocum dicere hoc. Nam scio literas esse allatas mihi iam ab ultimis, idest ultimarum regionum regibus, quibus agunt gratias mihi: quod appellauerim se reges mea sententia, idest pronunciando sententiam meam, quos ego nesciebam non modo reges appellatos, sed omnino natos. Ergo quid est? idest quæris qd decreuerim facere. tamen, idest nihilominus quamuis triste sit Romæ esse, quandiu hic noster præfectus moribus, idest censos quem nosti, erit hic scilicet Romæ, ego parebo authoritati tuæ. i. non migrabo, nec discedam ab urbe. Vero. i. sed, cum. i. quando ipse aberit, conferam me ad fungos tuos. i. boletos optime conditos, hoc est ueniam ad te. Si ego habebo. s. Neapoli domum, ego conferam singulos dies legis sumptuariæ, idest scriptæ de sumptibus moderandis, in dies denos, idest tam parcus ero, ut quæ lex sumptuaria permittit expendere in singulos dies expendam tantum in denos sin autem, idest sed si minus, idest non inuenero quod placeat, idest domum quæ placeat, ego decreui habitare apud te. Scio enim me nihil posse facere gratius tibi. Ego desperabam. i. nullo modo sperabam iam ut scripsi tibi proxime, domum Syllanam, sed tamen non abieci eã .i. si præter spem mihi offeratur, acceptare eam. Ego uelim sup. ut tu perspicias eam cum fabris. s. murariis, ut scribis. s. te facturum. Si enim nihil uitii. i. corruptionis est in parietibus aut in tecto, cætera probabuntur, idest placebunt mihi.

VICTORIVS.

PErgratam tibi esse sententiam meam} Nos maluimus hunc locum ut in uetustioribus reperimus tradere mendosum & lacerum, quam ut a quibusdam (ut opinor) suppletus erat. Quod si attentius uerba illa odoraberis, senties profecto supposita esse: tam male inter se cohærent, & tam parum reliquis cõueniunt. Si nostrum consilium probabitur, gaudebimus: scimus autem eruditorum multorum consensum in repudiandis, expungendisq; dictionibus sententiisq; omnibus, quæ temere intra bonorum authorum fines irruperant. {Non perinde ut est re absens literis, &c.} Veteres codices. {Vt est reapse ex literis} Sic enim non solum pro re ipsa prisci illi dicebant, ut Pacuuius, Si non est ingratum reapse quod feci. sed posteriores, & politiores etiam ut Cicero, cuius in V. de finibus hæc sunt uerba. Quamobrẽ ordiamur ab eo quod modo posui, quod idẽ reapse primum est. Nonnulli antẽ sunt, qui omnia in quæ non passim incidunt, ut obsoleta, & rudia fastidiant. {Omnes mihi Gracchos, omnes Lucilios} Veteres omnes codices. {Granios} habent, quæ uera est huius loci lectio, fuit enim Granius quidam ualde facetus, sed amaris quandoq; salibus dicax. Lucilius item Satyras suas multis salibus, iocisq; respersit. De Granio meminit Cic. lib. II. de Oratore, Qui igitur distinguemus a Crasso, a Catulo, a cæteris, familiarem nostrum Granium, aut Vargulam amicum meũ non mehercule in mentem mihi quidem uenit: sunt enim dicaces, Granio quidem nemo dicacior. Aliis etiam locis de Granio meminit ut faceto Nam Granium, Luciliumq; & dicaciores, & humilioris fortunæ homines coniungit. Crassum autem, & Lælium, qui & nobiliores, urbanioresq; erant, ab illis separat.

Ex poste. eiusdem.

INtellexi pergratam illi} Locum quem in optimis ac uetustissimis codicibus lacerum comminutumq; esse docuimus, alii, qui nullos locos tacere, ac desperatos esse patiuntur, quoquo modo potuerunt, restituere. de quorum lectione solicitus non fui, compertum habens, illam nouam commentitiamq; esse.

PAVL. MANV.

INtellexi pergratam tibi esse curam meã ualetudinis tuæ} Hunc locum ex libris manuscriptis restituimus.

SEBAS. CORR.

PErgratã tibi esse, &c.} In quatuor ueteribus libris, quos ego habebam, sic legitur: Pergratam tibi esse curã meã ualetudinis tuæ, quã tibi perspectã esse gaudeo. {Vt est re, absens} Al. ut est reapse. Al. ut est re, ab us. {Trãsalpinis.} Nam Cæsar ciuitate donatos quosdã e semibarbaris Gallorũ in curiam recepit. {Gracchos} C. & Tib. Gracchos. Al. Granios: & sanis. Q. Granio L. Crassi amico nemo fuit dicacior. {Lucilios} C. Lucilium poetam qui

elegantissime

elegantisſime iocari,& mordere ſolitus erat.{Craſſos} L. Craſſum oratorem {Lælios}C.Lælium ſapientem.de his omnibus meminit Cicero in libris de Oratore.{Moderationis}gubernationis. Alii tamen legunt,Commorationis.{Catulum}Q. Catulum Q.F.quem Cæſare & Bibulo Coſſ.uixiſſe oſtendit alibi Cicero:ut hæc epiſtola Cæſare non Coſſ.ſed Dictatore ſcripta uideri debeat. quod magis etiam probat mentio de Siliana domo,de qua ad Atticum eo tempore ſæpe ſcripſit.Catulus autem,is fuit quem neq; periculi tempeſtas,neq; honoris aura potuit unquam de ſuo curſu uitæ aut ſpe aut me dimouere.{Amatorem tuum}Cæſarem:& ſi nõ deſunt,qui hæc omnia ad M.Antonium Coſſ.referant,ut in epiſt.I.lib.X I I. nos de Cæſare dicta accipimus.{Ponor}a Cæſare, tanquam ſcribẽdo affuerim.{Præfectus moribus}Cæſar:qui, authore Dione, non Cenſor,ſed præfectus moribus fuit ante,quam contra Pompeii filios in Hiſpaniam proficiſceretur.{Cum uero aberit} Al.cum uero abierit.ſ.in Hiſpaniam.Sumptuariæ legis}Lege Mac.lib.I I I.Satur.ſed eam nunc intelligit,quam eo tempore Cæſa. ea de re tulit, uel certe ſeruari iuſſit.{Sullanam}Al.Silianã.idq; nos probamus.

BERN. RVT. PRæſertim cum eas uideam primum oblitas Latio,tum,cũ in urbem noſtram eſt infuſa peregrinitas}Vide an oblitas ſit potius infectas,& quaſi deturpatas,quam quod retur Creſcentinas,decoratas.{Sed authorem moderationis urbanæ } Quid ſi? commorationis,uel morationis.{Intellexi tamen idem, quod his intelligo literis}Niſi abundent omnia præter prima duo uerba,ego quidẽ hunc me non extrico.Senatuſconſulta ſcribuntur apud amatorem tuum,familiarem meum}Cæſarem puto dici.nam eorũ temporum uidetur epiſtola,quibus Cæſar cum Iulio conſulatum geſſit.non enim dicam,Bibulo.{Equidem cum in mentem uenit, ponor ad ſcribendum}Et quidem,arbitror ſcriptum a Cicerone, idq; in aliis eſt,in quibus tamen iiſdem Mihi abundat,Venit autem in mentem,non mihi,ut Clericus annotatur.ſed illi,quem nos Cæſarẽ interpretamur.Ponor ad ſcribendum,ideſt,nomen meum ſenatuſconſultis in terq; authoritates perſcriptas inſeritur,quaſi ego ſcribẽdo affuerim.Qua de re tametſi nonnihil in decuria attigimus,nũc tamen addo Ciceronis uerba ad Catonem lib.X V.Reſq; ipſa declarat tibi illum honorem noſtrum ſupplicationis fuiſſe iocundũ, quod ſcribendo affuiſti.hæc enim ſenatuſconſulta non ignoro ab amiciſſimis eius,cuius de honore agitur,ſcribi ſolere. Sed & alibi ſæpe ſcribendo ſenatuſconſulto adeſſe ait.Plutarchus quoq; nominatim cautum rogatione Clodiana,qua iuſſus eſt exulare Cice.tradit,nequis de reducendo ferret,nequis ſcribendo adeſſet. Vt Cæſarem accipiam,facit,quod eſt de donatione regnorum:de qua in primum librum multa coniecimus.

PHIL. MELA. DVabus tuis epiſtolis}Propoſitio,Fui ſolicitus de tua ualetudine.Ratio,quia te uehementer amo. {Nam quod me} Secunda ratio eleganter amplificata eſt Collatione & cauſis:non ſolum me amas, ſed etiam cæteris es amabilior, præcipue propter ſingularem urbanitatem.Atq; hic commoratur in deſcriptione urbanitatis.{Quod autem ait.}Altera pars epiſtolæ,nouã cauſam habet,de emendis ædibus.{Catulum mihi}confutatio,nõ eſſe cauſam,quare res omnes quas Romæ habet, non debeat uendere.{Parebo}Concluſio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Narrat Cicero,qua moderatione & prudentia utatur in uiuendo & loquendo cum Cæſare Cæſarianiſq;.deinde conſolationum ſuarum capita aliqua illi perſcribit. Poſtremo iocos aliquos feſtiuos de uictu utriuſq; adiicit.

M. C. PAPYRIO PÆTO. S. D. 16

DElectauerunt me literæ tuæ:in quibus primum amaui amorem tuum, qui te ad ſcribendum incitauit, uerentem, ne Silius ſuo nuncio aliquid mihi ſolicitudinis attuliſſet. de quo tu mihi antea ſcripſeras, bis quidem eodem exemplo, facile ut intelligerem te eſſe commotum:& ego tibi accurate reſcripſeram,ut quoquomodo in tali re,atque tempore aut liberarem te iſta cura,aut certe leuarem.ſed quando proximis quoque literis oſtendis,quantæ curæ tibi ſit ea res: ſic mi Pæte habeto, quicquid arte fieri potuerit(non enim iam ſatis eſt conſilio pugnare: artificium quoddam excogitandum eſt)ſed tamen quicquid elaborari,aut effici potuerit ad iſtorum beneuolentiam conciliandam,& colligendam,ſummo ſtudio me conſecutum eſſe,nec fruſtra, ut arbitror.ſic enim color,ſic obſeruor ab omnibus iis,qui à Cæſare diliguntur,ut ab eis me amari putem:nam (etſi NON facile diiudicatur amor uerus,& fictus,niſi aliquod incidat eiuſmodi tempus, ut,quaſi aurum igne,ſic beneuolentia fidelis periculo aliquo perſpici poßit) cætera ſunt ſigna communia:ſed ego uno utor argumento,quamobrem ex animo,ueréq; arbitrer diligi,quod & noſtra fortuna ea eſt,& illorum,ut ſimulandi cauſa non ſit, de illo autem,quem penes eſt omnis poteſtas, nihil uideo, quod timeam, niſi quod omnia ſunt incerta,cum à iure diſceſſum eſt, nec præſtari quicquam poteſt,quale futurum ſit, quod poſitum eſt in alterius uoluntate,ne dicam libidine. ſed tamen eius ipſius nulla re à me offenſus eſt animus:eſt enim adhibita in ea re ipſa ſumma à nobis moderatio.ut enim olim arbitrabar eſſe meum,libere loqui,cuius opera eſſet in ciuitate libertas:ſic ea nunc amiſſa, nihil loqui, quod offendat aut illius,aut eorum,qui ab illo diliguntur, uoluntatem.effugere autem ſi uelim nonnullorum acute, aut facete dictorum offenſionem,fama ingenii mihi eſt abiicienda.quod ſi poſſem,non recuſarem.ſed tamen ipſe Cæſar habet peracre iudicium: & ut Seruius frater tuus,quem literatiſſimum fuiſſe iudico,facile diceret,hic uerſus Plauti non eſt,hic eſt,quod tritas haberet aureis notandis generibus poetarum,* & conſuetudine legendi: ſic audio Cæſarem,cum uolumina iam confecerit* ἀποφθεγμάτων, ſiquid afferatur ad eum pro meo,quod meum non ſit,reiicere ſolere. quod eo nunc magis facit,quia uiuunt. mecum ferè quotidie illius familiares.incidunt autem in ſermone uario multa, quæ fortaſſe illis cum dixi,nec illiterata:nec inſulſa eſſe uideantur. hæc ad illum cum reliquis actis perferuntur: ita enim ipſe mandauit. ſic fit,ut,ſiquid præterea de me audiat,non audiendum putet. quamobrem Oenomao tuo nihil utor:etſi* poſuiſti ioco uerſus Accianos.ſed quæ eſt inuidia? aut quid nunc mihi inuideri poteſt? uerũ fac eſſe omnia.ſic uideo philoſophis placuiſſe,iis,qui nihil ſoli uidentur uiis uirtutis tenere:NIHIL eſſe ſapientis præſtare, niſi culpam:qua uideor mihi dupliciter carere, & quòd ea ſenſerim, quæ rectiſſima fuerunt,& quod,cum uiderem præſidii non ſatis eſſe ad ea obtinenda,uiribus certandum cum ualentioribus non putarim.ergo in officio boni ciuis certe non ſum reprehendendus. reliquum eſt,nequid ſtulte,nequid temere dicam, faciamue contra potenteis.id quoque puto eſſe ſapientis.cætera uero quid quiſque me dixiſſe dicat,aut quomodo ille accipiat,aut qua fide mecum uiuant ii,qui me aßidue colunt,& obſeruant,præſtare non poſſum. ita fit,ut & ſuperiorum conſiliorum conſcientia, & præſentis temporis moderatione me conſoler, & illam Accii ſimilitudinem, non modo iam ad inuidiam,ſed ad fortunam transferam: quam exiſtimo leuem,& imbecillam,ab animo firmo,& graui,tanquam fluctum à ſaxo frangi oportere.etenim cum plena ſint monimenta Græcorum,quemadmodum ſapientißimi uiri regna tulerint uel Athenis,uel Syracuſis,cum ſeruientibus ſuis ciuitatibus fuerint ipſi quodammodo liberi:ego me non putem tueri meum ſtatum ſic poſſe,ut neque offendam animum cuiuſquam,nec frangam dignitatem meam? Nunc uenio ad iocationes tuas, quando tu ſecundum Oenomaum Accii,non,ut olim ſolebat,Attellanũ,ſed,ut nunc fit, Mimum introduxiſti.quem tu* mihi popilium,quem* denariũ narras? quam tyrotarichi patinam? facilitate mea iſta ferebantur antea:nunc mutata res eſt.Hirtium ego,& Dolabellam dicendi diſcipulos habeo,cœnandi magiſtros:puto enim te audiſſe (ſi forte ad uos omnia perferuntur) illos apud me declamitare, me apud illos,cœnitare.tu autem quòd mihi bonam copiam eiures nihil eſt. tum enim cum* rem augebas,quæſtiunculis te faciebam attentiorẽ: nunc cum tam æquo animo bona perdas,non eo ſis conſilio,ut,cum me hoſpitio recipias,æſtimationem te aliquam putes accipere. etiã hæc leuior eſt plaga ab amico,quàm à debitore.nec tamen eas ex-

*al. ex conſ.

*.i.dictorum.

*al. poſui ſti loco.

*al.Mihi Põpilium

*al.Oenomaum,uel Thynnarium.

*al.rem habebas, quæſtiunculis.

*nus quero, ut magnæ reliquiæ fiant. quod erit, magnificum sit, & lautum. memini te mihi Phameæ cœnam narrare: *temperius fiat: cætera eodem modo, quòd si perseueras me ad matris tuæ cœnam uocare, feram id quoque: uolo enim uidere animum, qui mihi audeat ista, quæ scribis, apponere, aut etiam polypum Miniani Iouis similem. crede mihi, non audebis. ante meum aduentum fama ad te de mea noua lautitia ueniet. eam extimesces. neque est, quòd in promulside spei ponas aliquid, quam totam sustuli: solebam enim *antea delectari oleis, & lucanicis tuis. sed quid hæc loquimur? licet modo isto uenire. tu uero (uolo enim abstergere animi tui metum) ad tyrotarichum antiquum redi. ego tibi unum sumptum afferam, quod balneum calfacias oportebit: cætera more nostro superiora illa lusimus. De uilla *Seliciana & curasti diligenter, & scripsisti facetissime. itaque puto me prætermissurum, salis enim satis est. Sannionum parum. Vale.*

*al. tēperatim.

*al. antea delibitari

*al. Caeciliana.

ASCENSIVS.

DElectauerunt, &c. Veritus erat Papyrius Pætus ne Cicero libertate nimia in loquendo efferretur contra Cæsarem aut amicos eius. Itaq; cum de eo locutus esset cum Silio, timēs ne Silius aliquid solicitudinis afferret, si ei hoc renunciasset: scripserat ad Ciceronem binas literas eodem exemplo, ut saltem alteræ redderentur. Ad quas Cicero primum dicit rescripsisse diligenter, deinde narrat qua arte utatur in uiuendo cum Cæsare & Cæsarianis, ita ut libere dicta non accipiantur in malam partem. Demum declarat unde illis temporibus consolationem accipiat iocans cum ipso Pæto & uictum utriusq;. Ordo est. Literæ tuæ delectauerunt me, in quibus primum amaui amorem tuum, qui te incitauit ad scribendum uerentem: idest timētem, ne Silius attulisset mihi aliquid solicitudinis: idest negocii suo nuncio: idest denunciatione, de quo & tu scripseras mihi antea bis quidem eodem exemplo: idest iisdem uerbis & rationibus, ut intelligerem facile te esse commotum: scilicet timore Et ego rescripserā tibi accurate, idest adhibita cura, ut aut liberatem te ista cura: idest solicitudine, quoquo: idest quocunq; modo, in tali re atq; tempore, aut certe: idest saltem, si liberare non possem aut nollem, leuarē te: idest deoneratem te: scilicet ista cura. Sed quoniā tu ostēdis quoq; idest etiam, proximis literis: scilicet tuis, quantæ curæ ea res sit tibi: o mi Pæte habeto sic: idest teneto pro certo, quicquid potuerit fieri arte, non enim est iam satis pugnare consilio, quia quoddam artificium est excogitandum: idest cogitando inueniendum. Sed tamē: idest nihilominus quicquid potuerit elaborari aut effici, me consecutum esse: idest obtinuisse summo studio ad conciliandam: idest de nouo acquirendam & colligendā: scilicet ex occasionibus quātumlibet paruis beneuolentiam istorum: scilicet Cæsarianorū. Nec supple consecutus sum frustra, ut arbitror. Ego enim color, passiuū uerbum color colens: idest ueneror, & obseruor, idest timeor lædi, sic ab omnibus iis, qui diliguntur a Cæsa. ut putē me amari ab his. Nam etsi, idest quanquam amor uerus & fictus, non diiudicatur: idest discernitur facile nisi aliquod tempus eiusmodi incidat, ut quasi: idest perinde, atq; aurum potest perspici: idest probari igne, sic beneuolentis fidelis possit perspici, idest perfecte nosci, periculo aliquo: cætera: scilicet extra periculum sunt signa communia: scilicet tam uero, quam ficto amico. Sed ego utor uno argumento, quamobrem ego arbitror me diligi ex animo & uere. Quia & nostra fortuna est ea, & illorum, ut non sit causa simulandi: idest cur simulent: scilicet me amare si non amarent: autem, idest sed, ego nihil uideo, quod timeam de illo penes quem, idest in cuius manibus est omnis potestas, hoc est de Cæsare Nisi quod omnia sunt incerta, cū discessum est a iure. i. cum quis regit Remp non secundum leges. sed pro arbitrio suo nec quicquam potest præstari. i. firmiter polliceri cautione data, quale sit futurum, quod positum est in uoluntate, ne dicam in libidine alterius. Sed tamen animus ipsius: uidelicet Cæsaris, nulla re est offensus a me: enim pro quia: ut: idest quemadmodū ego arbitrabar olim meum esse loqui libere, cuius. s. mea opera, idest diligentia & labore libertas esset in ciuitate. s. Roma, quæ aliter periisset, sic sup. meum est, ea. s. libertate ciuitatis amissa nunc nihil loqui, quod offendat uoluntatem, aut illius. s Cæsaris, aut eorum qui diliguntur ab illo. Autem, idest sed, si ego uelim effugere offensionem nonnullorum dictorum acute aut facete . fama ingenii est abiicienda mihi: quod. s. abiicere famam ingenii si ego possem, id ego non recusarem Sed tamen ipse Cæsar habet peracre iudicium, & ut Seruius frater tuus quem iudico fuisse literatissimum: diceret facile, hic uersus non est Plauti, quod. s. Seruius haberet aures tritas: idest assuetas notandis generibus, idest notando genera poetarum, & consuetudine legendi, sic audio Cæsa. cum iam confecerit, idest ex diuersis collegerit, uolumina, idest libellos apophthegmaton, idest acute & sententiose, ac mordaciter dictorum, solere: idest quod ipse Cæsar soleat reiicere idest abiicere & nō recipere, si quid idest si aliquid dictum afferatur ad eum pro meo, quod non sit meū, idest a me dictum & excogitatum. Quod: idest quam rem ipse facit nunc eo, idest tanto magis, quia fere. s. omnes familiares eius uiuūt mecum quotidie. Autem, idest sed multa incidunt in sermone uario, idest in loquendo, aut dum loquimur de uariis rebus non dicit in sermonem, quia de uno eodemq; sermone loquimur, citra transitionem in alium, quæ fortasse cum dixi illis. s. familiaribus Cæsaris, uideantur nec illiterata nec insulsa, immo sapere literaturam & sales. Hæc. s. dicta mea perferuntur ad illum uidelicet Cæsarem, cum reliquis actis: idest publicis meis dictis & iam in acta relatis, ipse. n. mandauit scilicet suis, ita supple facere. Sic fit ut si Cæsar audiat præterea, idest præter ea quæ a suis afferuntur quid, idest aliquid de me, ipse putet non audiendum supple esse. Quamobrem ego nihil utor Oenomao tuo, idest tragœdia tua scripta de Oenomao Martis filio rege Elidis & Pisæ & patre Hippodamiæ, quē Accius in tragœdia inducit, de inuidia conquerentem. de qua dicit Ci. nō esse sibi querendum cum nihil habeat cui inuidendum sit, etsi, idest quanquam posuisti, idest inseruisti uersus Accianos: idest Accii poetæ tragici. Sed quæ est inuidia, aut quid potest inuideri nūc mihi? quasi dicat nulla & nihil. Verum fac esse: idest esto ne sint omnia, idest inuideatur mihi immerito Ego uideo sic placuisse iis philosophis, uidelicet Stoicis, qui soli uidentur mihi tenere uim, idest potestatem uirtutis, idest cognoscere quātum ualeat & quid sit uirtua, nihil esse sapientis pertinere ad sapientem, præstare, idest persoluere, & quod dicunt facere bonum, est enim præstare quod ab alio aut a se peccatum est emendare & reparare, nisi culpam, idest sapientem nulli rei esse obnoxium quam præter culpam suam euenit, qua scilicet culpa ego uideor mihi carere dupliciter, &: idest si mui quod senserim ea: scilicet de bello ciuili fugiendo: quæ fuerūt rectissima, & cum uiderem non satis præsidii, idest roboris militaris ad obtinenda ea: scilicet quæ sensi obtinenda, putarim pro putauerim non supple esse certandum cum uiribus ualentioribus quales erant Cæsa. Ergo cum scilicet ita sit, ego non sum certe reprehendendus in officio, idest facto ciuis boni. Reliquum est, idest restat cum nihil male fecerim in Rempub. nequid dicam stulte, nequid dicam temere, ue pro uel nequid faciam stulte & temere contra potentes, quales sunt Cæsariani, & ego puto id quoq; scilicet nihil dicere aut facere temere esse sapientis, uero pro sed non possum præstare, idest et bibere cætera utpote quid quisq; dicat me dixisse, aut quomodo ille, scilicet Cæsar accipiat, aut qua fida uiuant mecum ii, qui colunt & obseruant, idest uenerantur me assidue. Ita: idest & sic fit ut ego consoler me, &. idest simul conscientia consiliorū superiorum: idest superioris temporis quæ recta fuerunt, & moderatione, idest temperatione in dictis & factis temporis præsentis, & transferam illam similitudinem Accii, idest quam adduxisti ex tragœdia Accii, non modo non, ad inuidiam, idest non imputabo factum meum inuidiæ, sed transferam ad fortunam: idest imputabo fortunæ. quam scilicet fortunam, ego existimo leuem & imbecillē: idest debilem, oportere frangi ab animo firmo & graui tanquam fluctum a saxo, idest a scopulo in mari posito. Etenim: idest nam certe cum plena sint monumenta, idest scripta ad memoriam rerū, Græcorum scilicet auctorum, quemadmodum uiri sapiētissimi tulerunt regna, idest dominia & tyrannides, uel Athenis uel Syracusis cum ipsi: scilicet sapientissimi uiri fuerint quodammodo liberi, quia animus eorum non seruiebat, cum liberaliter quæ imperarentur facerent ciuitatibus suis: idest reliquis ciuibus, quibus præsidere debebant, seruientibus: quia inuite imperata obeuntibus. ego non putē supple me posse tueri statum meum sic, ut neq; offendam: idest lædam, & ad succensionem prouocem animum cuiusquam, nec frangam: idest non imminuam dignitatem meam. Quia necesse est sub tyranno alterum facere, aut illum offendere seruando dignitatem, aut illi obsequendo dignitatem diminuere Nunc uenio ad iocationes tuas. Quando: idest quandoquidem tu introduxisti secundum Oenomaum, idest fabulam illam ab Oenomao (ut iam dixi) denominatam, Accii, scilicet poetæ, non Attellanam. s. actorem uerbis rudib. & in composito gestu, ut solebat olim. s. introduci, sed ut nūc fit, mimum, idest gesticulatorē, qui gestu uerba & mores eorū quos agit, imitatur, Quem Popilium narras tu mihi, quem Denariū sup. narras tu mihi: locus obscurus est, quia desiderantur Accii tragœdiæ, quibus notis, locus erit apertissimus: sicut qui diceret Gnathonem Terentii plane agit, si periisset Eunuchus Terentii plane obscurus esset locus, nunc clarissimus. Dubium est an Denarium pro homine, an potius pro numo accipiat, & dicat Ciceronē more Popilii emisse denario patinam Tyrotarichi, idest casei salsi & uetusti, unde ait quam patinam Tyrotarichi sup. narras mihi? ista. s. secū mata amara ferebantur facilitate, idest lenitate mea, nunc res est mutata. Ego habeo Hirtium & Dolabellam discipulos dicendi, & supple magistros cœnandi: quia sumptus faciunt, aut coquendi peritiores sunt. Puto enim audisse te, si forte omnia, scilicet quæ Romæ fiant, perferantur ad uos, illos declamitare, idest frequenter se exercere in dicendo per causas fictas apud me, & me cœnitare, idest frequenter cœnare apud eos. Autem, idest sed, nihil est quod tu

esures,

eiures, idest iurando eripias, & extorqueas mihi bonam copiam, scilicet obsoniorum. Hubertinus intelligit eiures, idest expresse iures per bonam copiam deam. Ego enim faciebam te attentiorem quæstiunculis, idest paruis quæstionibus tunc, cum habebas rem, idest diuitias, hoc est te exercebam, ut hominē qui mihi curæ esset, nunc cum perdas bona, scilicet tua tam æquo, idest in utramq; sortem parato animo: non sis eo consilio: idest ne hoc tibi persuadeas, ut cum recipias me hospitio, putes te accipere aliquam existimationem aut potius æstimationem, scilicet obsoniorum tuorum Etiam, idest præter hoc quod bona tua mihi facis, hæc plaga, idest pœna & mulcta, est leuior ab amico quam a debitore, quia leuius est nihil ab amico quam a debitore recipere. Nec tamen quæro, idest exigo eas cœnas, ut magnæ reliquiæ fiant. Id quod erit, sit magnificum & lautum: omnia accipi debent ioco dicta. Memini te narrare mihi cœnam Phameæ scilicet lautam & immensam. supple cœna tua sit temperius, idest non sit tam magna, cætera supple fiant eodem modo, idest æque laute. Quod si perseueras uocare me ad cœnam matris scilicet tuæ, ego feram, idest patiar quoq;. idest etiam id, uolo enim uidere animum supple eius, qui audeat apponere mihi ista quæ scribis, aut etiam polypum, idest piscem multorum pedum similem Iouis Miniani, idest rubicundi quasi minio tincti, aut miniani a mimo introducti in fabula, crede mihi non audebis supple talem apponere. Fama de mea lauritia ueniet ad te ante aduentum meum tu extimesces eam. Neque est quod ponas aliquid spei in promulside, idest dulciario illo aut liquamine ex mulso. hoc est quod putes me promulside contentum fore, quam scilicet promulsidem ego sustuli, idest deposui de cœna mea totam. Ego enim solebam delectari antea oleis & lucanicis scilicet illis tuis salsis ex carne suilla rubente. Sed quid, idest ad quid loquimur hæc? liceat modo uenire isto, idest ad illum locum ubi tu es. Tu uero redi ad Tyrotarichum, idest caseum salsum antiquum, uolo enim abstergere metum animi tui. Ego afferam tibi unum sumptum, quia oportebit quod calefacias balneum, cætera supple facias & pares, more nostro: nos lusimus, idest per iocum diximus illa superiora. Tu & curasti diligenter & scripsisti facetissime de uilla Seliciana. Itaque ego puto me prætermissurum, idest dimissurum eam. Salis enim satis, idest facetiarum est, parum supple est Sanniorum, idest fatuorum, obscœnorum, quos Græci bomolochos uocant.

VICTORIUS.

AVt facete dictorum offensionem fama ingenii &cæ.} Nulli ueteres codices. {Offensionem} habent. quidam eius loco alio atramento repositum habent. {Opinionem} Nos. {Famam} maluimus scribere. hac cōiectura ducti, quod sæpe cum duo sint eadem fere uocabula, librarii alterum uacare arbitrantes, relinquant. Sententia autem egregia ex hac lectione colligitur. Querebatur Cicero quod sæpe nonnulla acute, & facete dicta ad Cæsarē adferebantur, quæ fortasse illum Reipub statum taxarent, aut aliqua ratione Cæsarem læderent: quorum cum author ignoraretur, omnes aiebant a Cicerone esse pronunciata, quod illi creare periculum posset. Dolet se nulla ratione posse id incommodum uitare: unā tantum uiam sibi dicit esse, ut effugiat famam acute, & facete dictorum (famam autem, quia uno ore omnes omnia salse, & urbane dicta illi tribuebant) & hanc esse famam ingenii abiicere, idest ex hominum mentibus firmam opinionem delere, quam de suo ingenio habebant. Si enim quod fieri non poterat, famam, quæ erat de suo ingenio, extinxisset, non amplius hominum consensus omnia acute dicta in illum contulisset. Nos in re incerta, & in qua alii etiam sibi non parum permiserint, exposita nostri iudicii ratione, nonnihil nobis indulsimus: rationem tamen nostram patefacere uoluimus ut si cui (quod fieri potest) nostrum iudiciū displicuerit, possit uulgatam, communemq; lectionem sequi. nos nihil repugnabimus. Videat tamen accurate cum una omnino dictio supplenda sit, an nostra commodior, aptiorq; sit: nam quod facilius hanc librarius negligens omittere potuerit, multo uerisimilius. {Quem denariū narras} Multi locum hunc mendosum esse existimauerunt, uariisque modis corrigere aggressi sunt, ut postremo Veneti. {Quem Oenomaum narras} scribere ausi sint, cum illi dictioni nullus hic locus (nisi fallimur) esse possit: quamuis supra de Oenomao Accii sermo sit. erat enim Oenomaus tragœdiæ nomen, ut putamus, ab Accio scriptæ. Nam & Nonius Accium Oenomao sæpe citat. Qui aliquid hic mutandum censuerunt omnes uidentur coniecturas aliquas nō satis firmas secuti esse: nos nullius industriam insectamur, nec tamen fuit cur eos imitaremur: animaduertimus enim in cunctis manuscriptis. {Denarium} legi. Quare contra tot librorum consensum aliquid decernere, nimis audax, & periculosum uisum est. Quanuis autem huius lectionis certam aliquam rationē reddere nequeamus, noluimus tamen eam reiicere: multa enim esse scimus, uel infinita potius, quæ a nobis ignorantur, & multis etiam quanuis eruditis obscura sunt: non tamen ob id deprauata sunt æstimanda, & explodenda, ut putamus. Eandem hanc uocem inuenies in tertia ab hac episto quo loco edulium quoddā significare uidetur, quod magni apud me momenti fuit, nequid hoc temere mutaremus. Neque ollam, inquit, denariorum implere. Nam quamuis Thesaurus in ollis a senibus maxime condi soleat, unde argumentum & titulum suæ comœdiæ Plautus accepit: arbitror tamen argutiorem quempiam esse sensum horum uerborum, uoluisseq; Ciceronem hoc loco ludere, & materiam ioci ex ambiguitate illius dictionis traxisse, quod tamen non affirmo: nec enim ullo testimonio aliorum authorum confirmare possum. Id autē q̄ suspicati sumus non inepte, ut puto, consideratis diligenter ambobus his locis, notum facere uoluimus. Quod si recipitur probaturq; edulium illic significare, nō uideo cur hic quoq; idem significare non possit, neq; cur hinc uocem hanc delere tentent, cum illic eam manere sinant. eandē enim eius utroq; loco rationem esse puto. eruditiores hoc diligētius considerare poterunt, quorum ego iudicio semper libenter acquiescā. Satis hic nobis fuit consilii nostri rationem ostendere, quod nō (ut cuncti fere alii fecerunt) dictionem hanc delere uoluimus. {Illos apud me declamitare, me apud eos cœnitare} Locus hic quoq; in omnibus antiquioribus, & in multis etiam, quos uidi manuscriptis parentum nostrorum ætate, luxatus est & mancus, multa enim uerba desunt Librariorum incuria in describendo omissa. nos nihil immutauimus, etsi locum suppletum existimemus, quia non incommoda omnino uerba restituta sunt: sententiam autem hanc ipsam prorsus desiderari arbitramur: consilii tamen nostri memores rem silentio præterire non potuimus. Sic autem quos uidimus, manuscripti codices omnes habent. {Puto enim te audisse (si forte ad nos omnia perferuntur) Illos cœnitare &c. {Tum enim cum rem habebas quæstiunculis te faciebam attentiorem} Peruetus ille codex Mediceus solus rectam lectionem seruat nam qui ab eo descriptus uidetur, quem aiunt Francisci Petrarchæ manu exaratum, ut fit, ab illa integritate degenerat Sic omnia fatis In peius ruere, ut inquit prudentissimus poeta. {Quæstiunculis} enim legit, e quo uulgatam lectionem perfluxisse arbitramur. Ille incorruptior. {Quæsticulis} adhuc retinet, quæ uox huic sententiæ mire quadrat. olim enim cum rem habebat, dicit consueuisse se illum attentiorem paruis quibusdam lucris facere. Vtitur autem hac ipsa huius uerbi diminutione Cicero lib. II. de diuinatione. Aut fissum iecoris cum lucello meo aut meis quæsticulis cum cœlo terra rerūq; natura. {Solebam enim antea delectari oleis & lucanicis tuis} Petrarcha, seu quis fuit qui de Mediceo descripsit, hic etiā deceptus est: cum enim per uetus ille. {Delibrari} haberet, scripsit ipse. {Debiitari} Quæ cum uana esset lectio, & nihil significans, alii. {Delectari} quod nunc in uulgatis omnibus. sententiam sequentes, suppleuerunt: nō tamen antiqua lectio una nobis, quod sciam, adhuc codice immobiliter manens amplius negligenda est.

FAcete dictorum famam} Hic in paruo negocio dicere possum, quod fortissimus ille Brasidas Lacedemonius multa maiore in re dixit: cum enim traiecto clypeo spiculo transfixus in prælio fuisset, interrogatus postea quomodo id factum esset, respondit, Clypeus me prodidit: idem ego dicere possum, optimum, ac fidelissimum Mediceū librum me prodidisse: cuius enim ope tanquam scuto me tegere consueueram, id mihi uitio fuit. Cum {Offensionem} non inuenissem in eo, cogitaui non incommode {Famam} legi posse. quæ res diu me solicitum habuit: tamen multis in locis inueniens Ciceronem ita locutum esse, cognoui erratum librarii, me quoq; in errorem induxisse. In Verr. III. XCII. offensionem negligentiæ uitare, atq; effugere non possum. In epistola ad Sulpitium XLVIII. Sed tamen quoniam effugi eius offensionem, &c. Hæc exempla quanquam alia quoq; sunt, me in margine mei exemplaris damnata lectione quam reposueram, adnotasse, testis erit mihi Prosperus Pacetus, doctus & officiosus iuuenis, qui mihi Ciceronis epistolarum uolumen nuper a Paulo impressum in Decimanum meum attulit, nonnullasq; horas mecum consumpsit, quibus & quid de hoc, & de nonnullis Ciceronis locis sentirem, narraui. {Cum uolumina iam confecerit, ἀποφθέγματα si quid} Scribi uolumus in nostris libris tres dictiones has. {Vel per se} quas antea cuncti impressi habebant, quia in antiquis libris non erant, nec idoneam sententiam habere uidebantur: quod si quis illas amat, hunc intellectum ex illis eliciat necesse est, Cæsarē per se, & a nullo admonitū distinguere posse ueras facetias Ciceronis a falsis. Si autem recordabimur quod paulo ante de admirabili ipsius ingenio Cicero dixit, nullo pacto hæc necessaria existimabimus, sed potius omnem sententiam illa conturbare iudicabimus. Non laudamus igitur illos, qui has uoces in sedem ab ipsis improbe occupatam restituerunt: cum in sermone de amicitia Cicero inquit, Multa breuiter & commode dicta intellexit ἀποφθέγματα. nam primo de Officiis Græcam etiam uocem adponens, iisdem pene uerbis eam expressit. {Etsi posuisti loco uersus Accianos} Ita olim emendauimus, cum in omnibus impressis libris deprauate. {Posuisti ioco} legeretur: neque tamen ullum postea de hac castigatione uerbum fecimus. Quia tamen uidemus aliquos deprauatam potius lectionem, quam integram sequi uelle, ideo nunc ipsam certe ueram esse docebimus: ab authoritateq; ueterum codicum initium sumemus. Nam in Mediceo, & in aliis uetustioribus. {Loco} legitur: præterea sententia elegantior est, & modus hic loquendi crebro in Cicerone usurpatus. {Posuisti loco} ubi congruebant, & miri-

Ex poste. eiusdem.

fice quadrabant: In epistolis ad Quintum Fratrem CCXC. Quod
& ampla erant, & loco posita: Top. CCCXLIII. Concedunt
tamen aliquid emptori, quod ornandi causa apte & loco positum
uideatur. Varro de re Rustica li j Quod quæ suo quidq; loco sunt
posita, ea minus loci occupant. Cum idem significare uellet Cice.
II. Thuscu. inquit adiungere loco Philo, & proprium numerū, &
electa poemata & loco adiungebat. Quod exemplū mirifice huic
loco aptum est, quamuis uerbum sit. {Quod mihi bonam copiā iu-
res} Probo Ferrarii declarationem, diligentiamq; ipsius ualde amo,
qui ea lacetis, decurtatisq; Terentii Varronis Commentariis huius
loci interpretationem sedulo eruerit, & ne ullus alicui scrupulus
relinquatur, affirmo infinitis locis in Mediceo ubi I, esse debebat.
{Ei} scriptum esse, ut in epistola D. Bruti, {sine eiumentis} ad Len
tulum, {iei declarani} paucis post uersibus, {eidem ille Plato} & ad
Quin. Valerium. {Municipibus uolaterraneis.} Id etiam Latini li
brarii in Græcis uocibus faciebant, ut sæpe non suis locis hanc di
phthongum ponerent, ad Gallum. Quæ uidetur λειπ᾽ατα attu-
lisse. ad Trebatium. Si tu statueris πολειτεύειν nō oportere. Quod
in priscis etiam lapidibus non semel obseruaui. Quibus omnibus
exemplis, & sexcentis aliis, si opus esset, planum fit, peruersionem
hanc nullam uim habere ad labefactandam ueram lectionem. {Cu
rem habebas, quæsticulis te faciebam attentiorem} Hæc est Medi-
cei codicis lectio, quam uehementer probo: deq; ipsa olim accura-
tius disputaui: cum rem habebas, cum diues eras. quæsticulis, & lu
cellis te attentiorem faciebam ut enim a lucro lucellum, ita a quæ
stu quæsticulus ὑποκοριστικῶς. Verbum præterea. {Attentiorē} quod
quasi patrimonii augendi rationem docet, & quo in hac re ea pri-
menda optimi authores passim utuntur, ualde ueterem scripturam
confirmat Terentius Adelphis: Attentiores sumus ad rem omnes,
quam sat est. Cicero ipse in Verrem: Qui in re aduentitia, & hære-
ditaria tam diligens, & attentus fuisset.

PAVL. MANV.

FAcete dictorum offensionem} Florentini uocem, offensionē,
in codicibus uetustis esse negant, quam nos in septem legi-
mus. Itaq; nihil immutamus, Illi ex ingenio reposuerant, fa
mam dixit autem, effugere dictorum offensionem, pro effugere di-
cta, in quæ imprudentes incurrimus, & offendimus. {Illos apud me
declamitare, me apud illos cœnitare} Ita legitur in antiquissimo
codice Vincentii Ricii: ut iam existimandum non sit locum ex in-
genio suppletum fuisse, ut nonnulli se credere dixerunt. {Tu autē
quod mihi bonam copiam eiures, nihil est} Hieronymus Ferrarius,
iuuenis subtilissimi iudicii, legendum arbitratur, bonam copiam iu
res, hoc sensu: non est, quod te mihi semper præsto fore, tuiq; bonā
copiam facturum esse iures. ut respexerit ad id, quod M. Varro scri
bit lib. VI. de lingua Latina: Debitores nonnulli pro pecunia quā
debebant, operas in seruitutem dabant, dum soluerent. Id Sylla di
ctator sustulit: uoluitq;, ut ii bonam copiam iurarent. i. ut sui facul-
tatem creditoribus semper esse facturos iuramento promitterent.
{Aestimationem te aliquam putes accipere} Allusit ad æstimatio-
nem possessionum, quam Cæsar per arbitros debitorum causa fieri
uoluerat. ut ii creditoribus facilius satisfacerent. qua de re initio li
bri III. de bellis ciuilibus, his uerbis, Cum fides tota Italia esset
angustior, neq; creditæ pecuniæ soluerentur, constituit, ut arbitri
darentur, per eos fierent æstimationes possessionum, & rerū, quanti
quæq; earum ante bellum fuissent, atq; eæ creditoribus traderen-
tur. hoc & ad timorem nouarum tabularum tollendum, minuen-
dumq;, qui fere bella, & ciuiles dissensiones sequi consueuit, & ad
debitorum tuendam existimationem esse aptissimum existimauit.
Suetonius etiam in Cæsare, De pecuniis (inquit) mutuis, disiecta
nouarum tabularum expectatione, quæ crebro mouebantur, decre
uit tandem ut debitores creditoribus satisfacerent per æstimationē
possessionum, quanti quasq; ante ciuile bellum comparassent, de-
ducta summa æris alieni, siquid usuræ nomine numeratum, aut per
scriptum fuisset. qua conditione quarta pars fere debiti deperibat.
Cum igitur Papyrius ex eo Cæsaris decreto magnā a debitoribus
plagam accepisset, æstimatis eorum possessionibus, non quanti ue-
nire tunc possent, sed quanti ante ciuile bellum fuissent: iocans, ut
solet, Cicero, Ne credas, inquit, cum me hospitio recipias æstimatio
nem te aliquam accepturum. & dixit, æstimationem aliquam, tan-
quam si, magnum aliquod damnum, dixisset. Papyrius enim æstima
tiones. i. prædia per arbitros inique æstimata a debitoribus accipiēs
crediti iacturam non minimam fecerat. deinde sequitur, Etiam hæc
leuior est plaga ab amico, quam a debitore, hoc est, & tamen, quod
ab amico bona tua comedantur, non id tibi æque graue esse debet,
atq; illud est, quod debitorum causa deperdis: a quibus possessio-
nes, quanti uendere nunquam poteris, accipiendæ tibi sunt.

SEBAS. CORR.

SIllius} a quo Cicero uillam emere uolebat, ut ad Att. li. XII.
sæpe scribit, ubi nescio quo modo illum cū tabellariis etiā mi
scet. {Præstari} Al. præsciri. {Offensionē} Famam alii, alii opi
nionem legunt. {Seruius} Seruius Claudius, qui Metello & Afra-
nio Coss. obiit: cuius libros Pætus Ciceroni donauit. {Ex consuetu-
dine} Al. ex consuetudine. {ἀποφθεγμάτων} dictorum. {Oenomao}
de quo Accius tragœdiam scripsit. {Tuo} cuius tu exemplum ex
Accia sumptum mihi ad uitandam inuidiam proponis. {Ioco} Al.
loco. {Philosophis} Stoicis. {Attellanum} ut muccum, lege Diome
dem. {Mimum} ut Laberium, ut Publium. {Introduxisti} post Oe-
nomai exemplum, in tuis literis iocans scripsisti, de his fere rebus,
quæ sequuntur. {Pompilium} piscem, de quo Plynius, cum alibi, tū
lib. XXXII. cap. ultimo meminit. Alii Popilium legunt nos in
uetere libro etiam Polypum uidimus, ut commodius paulo post re
petat. {Denarium} Edulium esse nolunt aliqui: alii Thynnariū, alii
aliter reponant: quasi intelligi non possit denarius, quo se polypū
empturum scripsisset Pætus, quem Cicero, ut precium minimum se
fingat spernere. {Tyrotarichi} Sic ad Atticum: Eo die in Pæti no-
stri tyrotarichum imminebam. {Eiures} iures non posse præstare.
{Augebas} Al. habebas. {Quæstiunculis} Al. quæsticulis. {Aesti-
mationem} pensionem per alicuius prædii æstimationē soluēdam.
{Putes accipere} pro hospitio. {Leuior est plaga} non accipere hāc
æstimationē. {Phameæ} Al. Phæniæ. {Temperatius} Al. tēperius.
{Matris tuæ} parcioris fœminæ. {Miniani Iouis} qui a Cēsoribus
miniandus locatur. {Similem} igne ubi coctus sit, rubentem. {Dele
ctari} Al. delibitari. {Seliciana} Al. Siliana, ut, in superiori episto.
{Salis} elegantiæ, uel reuera salis. {Est} in illa uilla. {Sannionum}
hominum ridiculorum in quos ut salibus possimus Sannionū, &
Samiorum, alii scribunt. {Pacum} ut in loco parum celebri: Ego ue-
ro (scribit ad Atticum) sequor celebritatem.

BERN. RVTI.

VT quasi aurum igni, sic beneuolentia fidelis periculo ali-
quo perspici possit} periculo discrimine: non, ut Clericus,
experimento. Id ita expressit Ouidius:

Scilicet ut fuluum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides.

{Si quid afferatur ad eum pro meo, quod meum non sit, reiicere so
lere} In aliis, uel pro se, siquid afferatur, &c. quod ego per se, mutā
dum retinendamq; puto. {Siquid præterea de me audiat, non au-
diendum putet} Præterea. i. præter audita a me ex familiaribus suis
non, ut Clericus: id enim iam dictum erat. Non audiēdum, quasi nō
uerum tametsi nec illiteratum sit, nec insulsum. Hoc pertinent, quæ
sic Plutarchus scribit in Cicerone: Sed neq; a Cæsare, inquit, iā di-
ctatore lacessendo abstinuit, nam, cum ille prædia paruo admodū
precio Seruiliæ uendidisset, multis, ut fit, utilitatem mirantibus. At
quo melius, loquit, empta sciatis, Tertia deducta est. Illa nāq; filiam
suam nomine Tertiam Cæsari conciliasse, & ad eum duxisse putaba
tur. {Sed ut tunc fit, mimum introduxisti} Vt nunc fit, quod in aliis
est, probo ex sensu. {Quem tu mihi Pompilium, quem Denarium
narras? quam Tyrotarichi patinam?} Videnum ita legi forte pla-
ceat. Quem, Thynnarium narras? ut eo uerbo confectum ex thyn-
nis edulium accipias. Plynius enim sic scribit de thynnis. Hi mem-
bratim cæsi ceruice & abdomine commendantur, atq; edulio recē
ti duntaxat, & tum quoq; graui ructu, & reliqua lib. IX. cap. XV. si
quis forte plura desideret. Nam & ibidem Pompilum piscem nomi
nat. Iidem sæpe, inquit de thynnis, nauigia uelis euntia comitan-
tes, mira quadam dulcedine per aliquot horarum spatia & passuū
milia a gubernaculis non separantur, ne tridente quidē in eos sæ-
pius iacto territi quidam eos, qui hoc e thynnis faciunt, Pompilos
uocant. Ita erit & Pompilium, e Pompilo edulium. Interpres uero
in hunc locum tanquam in Seriphum rana, obmutuit. Considera
quæ sequantur: si parum felicē, certe non temerariam admonitio-
nē nostram iudicabis de Tyrotaricho. Cicero ad Atticum, & alii
aliquot, præsertim coquinarii, & (ut ille inquit) gulæ proceres.
{Facilitate mea ista ferebantur antea} Ego, inquit, modestia & hu-
manitate quadam mea isthæc antea patiebar. non, ut Clericus. {Vt,
cum me hospitio recipias, existimationē te aliquam putes accipe-
re} Quid si æstimationē legas? non, ea istimationē. Hoc enim puto
dici: cum bona habebas, uiuens in patria, tametsi tu tua sponte es-
ses prodigiasculus, ego te tamen ad eē conseruandam quæstiuncu
lis meis reddebam diligentiorē: cum scilicet ex te quærerē, quid si
ægrotus factus esses? quid, si filius multis angerere? atq; eiusmodi
aliis. nunc uero, cum te uideo nihil curare, quāiū in bonis habeas,
ne putaris, si mihi cœnam dederis, te a me esse æstimationē cœnæ
recepturum. Iocatur enim Cic. cum festiuo homine. ut quod supra
est. {Quod mihi bonam copiam eiures} possit esse negatiuum iura
mentum: ut dicimus, deprecari mortē, precari, ne cui mors infera-
tur. Vel ita: non est quod me dicas esse te ipso locupletiorē, ideoq;
sumptuosiorē mihi cœnam condicas. Neq; enim ualde penetrat in
sensum Clericus. {Etiam hæc leuior est plaga ab amico, quam a de-
bitore.} Et iā, duobus uerbis scribo: hoc est, minus damni est, si ami
cum non redditurum cœnam recipias, quam si debitor, cui sub usu
ris credideris, decoxerit. nam Vbertinum non sequor. {Quod si per
seueras ad me matris tuæ cœnā uocare} quasi minus sumptuosam;
contra quam Clericus. {Salis enim satis est, Sannonum parū} Alii,
Sannionum. Hermolaus apud Plynium obiter, Samniorum. ut pos-
sit etiam Sanniorum. nam Probus a Sanna potius quam a Samnitis
deducit. Quid autem dicit Cicero? num? Villa quidem in Salinis
est, nihil tamen habet salium insulsa est, & plane rustica. nam & Ply
nius, ubi de sale agit: Adeoq;, inquit, necessarium elementum est, ut
transierit intellectus ad uoluptatem animi quoq; Sannia sales ap-
pellantur:

pellantur: omnisq; uitæ lepos, & summa hilaritas, laborumq; requies, non alio magis uocabulo constat. De Sannionibus Nonius, Cicero de Oratore, Terentius in Eunucho. Sequor autem illam lectionē apud Plyn. quoq;, quam ne Hermolaus quidem omnino respuit: tametsi omnis faciie in alteram eius castigationē itum est, contra quam ipse præceperat. Huc. n. allusit Ply. aut eodē quo Cic. fere. est enim, ut alicunde sumptum ex ueteribus poetis arbitrer.

Ex posit. eiusdem.

SI quid præterea de me audiat, non audio dō putet} est eiusdem generis, quod lusit in Cæsarē dictatorē. Cum. n. quidam ras oriri lunam diceret. Ita est, inquit Cic. ex edicto. quasi Cæsar, qui annum digesserat, non hominibus modo, sed astris etiā seruitutem imposuisset, author Plutarchus in Cæsare.

PHIL. MELĀ.

DElectauerunt me} Exordium a literis Pæti. {Sed quoniam} Narratio, in qua commemorat se operam dare, ut sibi Cæsaris & cæterorum beneuolentiam conciliet. {De illo autē} Inseritur purgatio, quare existimet non offendi Cæsarē. {Sic uideo philosophus} Locus communis, quare præsentia pericula contemnat: quia bono uiro satis est culpam præstare, cætera despicienda.

Cæl. Rhodig. Antiq. Lect. lib. 7. cap. 47.

CIcero in quadam ad Pætum epistola. Quam mihi inquit, tyrotarichi patinam narras? facilitate mea ista ferebantur antea, nunc mutata res est.} Quæri scio inter eloquentiæ Ciceronis candidatos, quid uerbum non admodum frequēs apud Latinos sibi uelit, tam hic quam in epistolis ad Atticum. Inuenio apud Græcos dici quidē tarichos salsamentum. Suidas tamē, carnē intelligere mauult sale conspersam: addito etiam etymo παρὰ τὸ ἐκ γαστρὸς ἔξω χωρίζεσθαι, quod eliquetur inde tabes gari modo. nam ichor tabes est, ac cruor. Id fuisse annonæ uilioris, ut credam, facit Aristophanis interpres, cum in comœdia, cui titulus est ἱππεῖς, ita scribat, ὅπου τὸ ταριχοπωλεῖον, αὐτὶ δ᾽ ὅπου τὰ εὐτελῆ πωλεῖται, Vbi, inquit, est tarichopoleum: hoc est, ubi tenuia uenduntur. Tarichos Phrygium & Gadiricum est apud Eupolin, in Marica. Iulius Pollux Aegyptia addit, & Sardoa quoq;. Sed & Tilti Tarichos dicitur ab eodē, & λεπιδωτόν, quod squammatū intelligit, quod seruile cibarium fuisse monstrat comicus Plato, καὶ πρίω ἅμα τὶ λεπτὸν τάριχος παρὰ τοῖς οἰκέταις. Ex iis ducor coniectura, non tā (ut nonnullorum plerisq; est usum) a Caseo duci tyrotarichum, quā a loco ubi conficeretur, inde q; Romam subuectaretur uti ex Hispania, & locis aliis. Nec me fallit Apicium scribere, quisquis is est, patellam tyrotaricho ea quocunq; uolueris salso coques ex oleo exossabis & cerebella cocta, pulpas piscium, iecuscula pullorum, caseū mollē excaldatum, hæc omnia calefacies in patella. Apud Philippidem Eustathio referente, legitur, τυρῷ καὶ ταρίχῳ. ubi authori idē probare nititur, tarichus neutro dici genere. ut apud Menandrum, ἐπέπασα ἐπὶ τὸ τάριχος ἅλας. i. sale inspersi tarichos. & masculino apud Aristophanem, τάριχον τουτονὶ πλύνων. i. Tarichū abluens hunc. Horæum tarichos inueni apud Pollucē lib. VII. siue horatarichos, sicuti etiam tarichopolas, quos latine salarios dicit Martialis, hoc est qui salsamenta uendunt.

NICOL. Scola.

DElectauerunt me tuæ literæ} Hæc epistola ut in omnibus diuulgatis libris est uidere XVI. loco aliarum legitur, subsequiturq; eam, quæ incipit, Duabus tuis epistolis. In manuscripto codice nostro, & antiquiori, & fide digno, post eam subsequuntur complures aliæ, quæ (ut diximus.) VIII. in lib. leguntur, ut sunt: Est ne? uel? Inuideo tibi, quid multa quotidie. Qua tu cura sis. Nō dubito quid perlatum ad te sit. Quam cito tu isthinc. Etsi de Repub. quæ tibi scribam. Quod M. Marcellus Coss. filios. Sic tu, inquis, Hirrum tractasti? Et has quidē omneis post. Delectauerunt me tuæ literæ, accedit. Sed de ordine neq; tantopere insudandum, cum præsertim non adeo continuæ sint, ut ordine quodā certo legi debeant. Sunt enim, ut casus puto obtulerat, eo in corpus congestæ. Nunc uero ad uarietatē uerborum accedamus, cum cætera dixisse nolo, ut lectores admoneam, quanta sit tēporum incuria uarietas bonis in libris.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Petit a Papyrio, ut scribat sibi quid de agris diuidundis futurum censeat. simul exponit, quam spem de suis Cicero propter Cæsaris beneuolentiam obtinebat.

M. C. PAPYRIO PÆTO S. D. 17

*NOn tu homo ridiculus es, qui, cum Balbus noster apud te fuerit, ex me quæras quid de istis municipijs, & agris futurum putem? quasi aut ego quicquam sciam, quod iste nesciat: aut, si quid aliquando scio, non ex isto soleam scire. immo uero, si me amas, tu fac, ut sciam, quid de nobis futurum sit: habuisti enim in tua potestate, ex quo uel ex sobrio, uel certe ex ebrio scire posses. sed ego ista mi Pæte non quæro: primum quia de lucro prope iam quadriennium uiuimus, si aut hoc lucrum est, aut hæc uita, superstitem Reipub. uiuere: deinde quòd scire quoque mihi uideor, quid futurum sit: fiet enim quodcunque uolent, qui ualebunt: ualebunt autem semper arma. nobis igitur satis esse debet quicquid conceditur. hoc siquis pati non potuit, mori debuit. Veientem quidem agrum, & Capenatem metiuntur. hic non longe abest à Thusculano: nihil tamē timeo: fruor dum licet, opto, ut semper liceat. si id minus contigerit: tamen quando ego uir fortis, *idemq; philosophus uiuere pulcherrimum duxi, non possum eum non diligere, cuius beneficio id consecutus sum. qui si cupiat esse Rempub. qualem fortasse & ille uult, & omnes optare debemus: quid faciat: tamen non habet, ita se cum multis colligauit. sed longius progredior: scribo enim ad te. hoc tamen scito, nō modo me, qui consiliis non intersum, sed ne ipsum quidem principem scire quid futurum sit: nos enim illi seruimus, ipse temporibus. ita nec ille, quid tempora postulatura sint: nec nos, quid ille cogitet, scire possumus. hæc tibi antea non rescripsi: non quo cessator esse solerem, præsertim in literis: sed cum explorati nihil haberem, nec tibi solicitudinem ex dubitatione mea, nec spem ex affirmatione afferre nolui. illud tamen ascribam, quod est uerissimum, me his temporibus adhuc de isto periculo nihil audisse. tu tamen pro tua sapientia debebis optare optima, cogitare difficillima, ferre quæcunque erunt. Vale.*

*al. idē q. Phi.

ASCENSIVS.

NVm tu homo &c. Mos erat Romanis ut ueteranis militibus aliquot agros ad uitæ sustentationē darent, quod & Cæsar se facturum decreuerat: quod cum Pætus a Cicerone doceri uoluit, scribit eum melius debere scire, qui Balbum consulere potuerit, aperit tamē quid sentiat, & quo animo quod euenerit, ferendum sit, docet. Ordo est. Nū d. non ne tu o Pæte es homo ridiculus. i. risum excitans & ridēdus, qui, cum Balbus noster fuerit apud te, quæras ea me quid potē futurum de istis municipiis. i. oppidis municipalibus & agris: scilicet illis adiacentibus, quos rumor erat Cæsarē uelle ueteranis suis distribuere, quasi aut ego sciam quicquam quod iste: scilicet Bal. ne sciat, aut si ego scio quid: idest aliquid aliquando, ego non soleam scire supple, ea isto: scilicet qui apud te fuit, hoc est ex Balbo Immo uero: idest econtrario si tu amas me, tu fac, ut sciam quid sit futurum de nobis, idest de agris nostris. Tu enim habuisti in tua potestate: scilicet Balbum, ex quo tu posses scire uel ex sobrio, uel certe ex ebrio quia ebrius, insipiens, pueri dicent tibi uerum. Sed o mi Pæte ego non quæro ista, idest non sum solicitus de istis rebus. Primum quia uiuimus iam prope, idest quasi quadriennium, de lucro, idest ultra quam putauimus nos uiuere posse, si aut hoc est lucrum aut hæc est uita uidelicet uiuere superstitem reipub idest post interitum reipub. Deinde non quæro, supple quod, idest eo quod ego uideor mihi scire, quoq;: idest etiam quid sit futurum. Enim: idest quia, id supple fiet quodcunq; uolent, qui ualebunt: idest plus poterunt autem: idest sed arma: idest in armis præstantiores, ut Cæsariani ualebunt semper. Igitur satis debet esse nobis quicquid conceditur. Siquis non potuit pati hoc: idest ut habeat satis ea eo quod sibi conceditur, ipse debuit mori. Quidem: idest certe supple Cæsariani, metiuntur: idest metiendo inter se diuidunt agrum Veientem & Capenatem: idest inter Veios & Capenas iacentem, hic: scilicet ager non abest longe a Thusculano: scilicet agro, ubi Cic. erat possessio. Tamen idest nihilominus. ego nihil timeo: scilicet de ablatione agri mei. Ego fruor, idest ex eo fructum capio, dum. i. quandiu licet, opto ut liceat semper. Si id idest semper licere frui meis minus, idest non contigerit: idest datum sit, tamen quando. i. quoniam, ego uir fortis scilicet habitus, aut haberi cupidus. i. philosophus, duxi: idest existimaui, uiuere esse pulcherrimum, non possum non diligere eum. s. Cæsarem, cuius beneficio ego consecutus sum id: scilicet ut uiuam. Qui si cupiat Rempub. esse qualem &: idest etiā ille uult fortasse, & nos omnes debemus optare: tamen non habet quid faciat, quia non posset etiam si uellet, Rempub. restituere pristinæ libertati, ita: idest usq; adeo colligauit: idest deuinxit se cum multis, qui scilicet si respub. uigeret, deponendi essent. Sed ego progredior longius scilicet quam necesse est. Scribo enim ad te, cui scilicet pauca sufficerent, cum sis uir prudens, & perspicaci ingenio. Tamen scito hoc non modo me, qui non intersum consiliis non scire quid futurum sit, sed ne quidem, idest non etiam ipsum principem, scilicet Cæsarem scire quid sit futurum. Vbi est non modo, non me:

degi posset non modo me, ut illa negatio, ne, utriq; particulæ seruiret. Nos seruimus illi: scilicet Cæsari, ipse sup. seruit: idest inseruit temporibus, idest rebus se pro tēpore habentibus. Ita nec ille sup. scire potest quid tempora sint postulatura, nec nos possumus scire quid ille cogitet. Ego non scripsi hæc antea, non quod, melius quā quo, solerem esse cessator: idest pigritans præsertim in literis, scilicet scribendis, sed cum nihil haberem explorati: idest certi, nec un lus afferre tibi solicitudinem ex dubitatione mea, nec spem ex affirmatione, scilicet de re dubia. Ego tamen adscribam: idest scribendo addam illud, quod est uerissimum, me nihil audisse adhuc his temporibus de periculo isto, scilicet quod times de agris nobis eripiendis, tu tamen debebis optare optima pro sapientia tua, idest secundum quod exigit sapientia tua, & debebis cogitare difficillima. s. explicata posse euenire, & debebis ferre quæcunq; erunt siue difficillima, siue mediocria.

VICTORIVS.

Tamen quando ego uir fortis idemq; Philosophus} Antiqua lectio meo iudicio melior, ingeniosiorq;. {Cū ego uir fortis, idem quod philosophus} iocatur enim fere semper in his epistolis: Si non contigerit, inquit ut possim agros conseruare, quod eos militibus diuidere uelit Cæsar, licet hoc magnum fortunis meis detrimentum adferat, non tamen possum Cæsarem non amare, a quo uitam salutemq; impetraui, cum ego uir fortis tantopere uiuere pulcherrimum duxerim, quod non debebam post tot patriæ calamitates. Erat q; honestius philosopho, quā mihi: quod enim uiro forti turpe est, id nullam philosopho reprehensionem adfert. Feci igitur, dicit uir fortis (sibi enim uir fortis uidebatur Cic. propter res a se fortiter in consulatu gestas) quod philosophus agere debebat. Vir enim fortis amissa sua dignitate amplius in uita manere uelle non debet. Philosophus autem humanas omnes res, fortunæq; iniurias, & iniustos patriæ dominatus adeo contemnit, ut Socrates etiam, cum Athenis XXX. Tyranni essent, pedem porta non extulerit.

Ex posteriore eiusdem.

Non modo me} Hic quoq; locus a me ope Medicei codicis iam tum purgatus fuit, cum in cunctis antea impressis mendose {non modo non me} legeretur.

PAVL. MANV.

Non modo me} Codices omnes uetusti hanc lectionem habent, quam, ut incorruptam, secuti sumus. qui antē ea sunt offensi, ex ingenio particulam, nō, interiecerunt. uide quæ diximus in illum locum epistolæ penultimæ libri primi. Non modo præmiis, sed ne periculis quidem.

SEBAS. CORR.

Agris futurum putem} an Cæsaris militibus diuidendi sint. {Vir fortis idemq; philosophus.} Al. uir fortis idem, quod Philosophus.

BERN. RVTI.

Num tu homo ridiculus es?} Non, quod alii habent, puto melius, hoc enim uim affirmantis, illud magis dubitantis habet.

PHIL. MELA.

Num tu homo} Tota epistola reiectio quædam est: negat se scire, quos agros Cæsar militibus diuiserit. Ratio, quia ne quidem de uita nostra certi sumus. {Deinde quod scire} Venusta correctio. Immo scio, quia semper omnia fiant ex arbitrio uictoris. Postremo redit ad reiectionem. {Qui si cupiat} Excusat Cæsarem, quod non sit liberum facere quæ uelit. {Sed longius} Præcisio. {Hæc tibi} Epilogus. {Tu tamen} Grauissima clausula.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Dicit se omnibus modis non modo uti, sed & frui suo consilio & prudentia, quia bonarum artium studia sibi cordi esse asserit, & de ludo quoque suo iocatur.

CICERO S. D. PAPYRIO PÆTO 18

Cum essem ociosus in Thusculano, propterea quòd discipulos obuiā miseram, ut iidem me quàm maxime conciliarent familiari suo: accepi tuas literas plenissimas suauitātis: ex quibus intellexi probari tibi meum consilium, quòd, ut Dionysius tyrannus, cum Syracusis expulsus esset, Corinthi dicitur ludū aperuisse: sic ego sublatis iudiciis, amisso regno forensi, ludum quasi habere cœperim. quid quæris? me quoque delectat consiliū: multa enim consequor. primum, id quod maxime nunc opus est, munio me ad hæc tempora. id cuiusmodi sit, nescio: tantum uideo, nullius adhuc consilia me huic anteponere: nisi forte mori melius fuit, in lectulo, fateor, sed non accidit. in acie non fui. cæteri quidem, Pompeius, Lentulus tuus, Scipio, Afranius fœde perierunt, at Cato præclare. iam istuc quidem, cum uolemus, licebit, demus modo operam, ne tam necesse nobis sit, quàm illi fuit: id quod agimus. ergo hoc primum. sequitur illud. ipse melior fio, primum ualetudine, quam intermissis exercitationibus amiseram: deinde ipsa illa, siqua fuit in me, facultas orationis, nisi me ad has exercitationes retulissem, exaruisset. Extremum illud est, quod tu nescio an primū putes: plureis iam pauones confeci, quàm tu pullos columbinos. tu istic te Atteriano iure delectato, ego me hic Hirtiano. ueni igitur, si uir es, & disce iam* προλεγόμενα, quæ quæris: etsi sus Mineruam. sed quando, ut uideo, æstimationes tuas uendere non potes, neque ollam denariorum implere: Romam tibi remigrandum est. satius est hic cruditate, quàm istic fame. uideo te bona perdidisse: spero idem istuc familiares tuos. actum igitur de te est, nisi prouides. potes mulo isto, quem tibi reliquum dicit esse, quando cantherium comedisti, Romam peruehi. sella tibi erit in ludo tanquam hypodidascalo, proxima: eam puluinus sequetur. Vale.

* i. antedicta.

ASCENSIVS.

Cum essem. Amissa repub. se dicit ad literarum studia cōuersum, Balbo, Hirtio, Dolabellæ ludum aperuisse, eo quod illos in arte dicendi exercuit: non tamen post cōsulatum mercede præcepit. Ordo est Cum essem ociosus in Thusc. scilicet agro cum domo, propterea quod miseram discipulos. s. meos obuiam. s. officii gratia ut opinor Cæsari, ut iidē. s. discipuli mei Balbus, Hirtius, & Dolabella conciliarēt, idest amicitia coniungerent me, quam maxime familiari suo. s. Cæsari, accepi literas tuas plenissimas suauitatis. Ex quibus intellexi consilium meum probari, idest approbari, tibi, idest a te, quod ut, id est quemadmodum Dionysius tyrannus cum esset expulsus Syracusis, urbe Siciliæ, ubi tyrannidem exercuerat: dicitur aperuisse, id est omnibus patefecisse, ludum. s. literarium, hoc est scholas publicas, sic ego iudiciis. s. fori sublatis & regno forensi, idest actione causarum in qua Cic. nuper regnauerat, amisso, cœperim habere quasi ludum: idest locum exercitationis in arte dicendi. Quid quæris: id est quid uis ut amplius dicam? consilium supple hoc delectat quoque: idest etiam me. Ego enim consequor: idest obtineo multa. Primum munio me ad hæc tempora, uitam tuendo & amicos comparando, quod est maxime opus nunc. Id cuiusmodi &c. Ordo est: Nescio cuiusmodi: idest quale sit id. s. se munire ad tempora, tantum. i. duntaxat uideo. i. cognosco me nullius consilia anteponere: idest præferre adhuc huic. s. consilio meo, nisi forte melius fuit mori in lectulo. i. non uiolenta morte, fateor. s. melius fuisse si accidisset, sed non accidit, & non fui in acie. s. ut uiolenta morte perirem. Cæteri quidem sup. nobiles uiri ut Pompeius, Lentulus tuus, Scipio, Afranius, perierunt fœde. i. ignominiose. autem. i. sed Cato sup. dices, quod periit præclare, quia Vticæ ne in potestatem Cæsaris ueniret, sibi manum intulit. Alii autem aut fugam meditantes, aut non fortiter bellantes perierunt. Augustinus tamen sanctus in lib. de ciuitate dei, docet Catonem, neq; fortiter, neq; prudenter, neq; iuste egisse inferendo sibi manum. Iam quidem istuc. i. sic præclare perire, ut Cato Vticen. periit, licebit. i. concederur sup. nobis cum uolemus, modo. i. solummodo demus operam id efficiamus ne sit tam necesse nobis. s. sic perire, quam fuit illi. s. Catoni, qui perpetuum tenorē uitæ suæ conseruare non potuisset, nisi mortem sibi consciuisset, id quod. i. quam rem agimus. i. curamus. ergo hoc. s. quod dixi me munire ad hæc tempora est sup. primum, illud. s. manum inferre in summa necessitate, sequitur. i. est secundarium. Ipse. i. ego fio melior, primum ualetudine quia sanior fio. quam. s. ualetudinē amiseram exercitationibus. s. in dicendi arte amissis, deinde illa ipsa facultas. i. facilitas & potestas orationis, siqua fuit in me, exaruisset. i. extincta fuisset, nisi retulissem me ad has exercitationes. s. dicendi, declamādi, scribendi. Illud. s. quod iam dicam, est extremum, quod nescio an tu putes primum. i. primo eligendum, ego iam confeci. i. absumpsi, deuoraui iam plureis pauones, quam tu sup. cōfecisti pullos columbinos. Delectato tu istic. s. ubi es tu, iure. i. succo seu brodio, hoc est aqua, in qua carnes sunt decoctæ, Atteriano. i. quod Atterius tibi apponit. Ego sup. delectabo me hic sup. iure Hirtiano: idest quod Hirtius familiaris meus, & Cæsaris amicus mihi apponet. Igitur ueni si es uir. i. uirilis animi, & disce prolegomena. i. prædicationes, & declamationes præuias, quas quæris. Etsi. i. quanquā hoc ego uideor, facere quod sus, idest imperitissimum animal, sup. faceret docendo Mineruam. i. deam scientiæ, & artificii omnis inuentricē. Sed quando. i. quoniā, ut uideo. i. cognosco, tu nō potes uēdere æstimationes tuas. i. precia rerum tuarum, neque implere ollam, idest fideliam, hoc est uas terreum in terram defodiendum, denariorum, idest nummi, remigrandum supple est tibi Romam. Satius est, supple perire hic, idest Romæ cruditate, idest cibo indigesto

gesto propter crapulam, quam istic. s. ubi es, fame. Ego uideo. i. intelligo te perdidisse bona, & spero istos familiares tuos idem. s. fecisse. Igitur actum est te de. i. tu peristi, nisi prouideas. Omnia iocose sunt dicta, non tamen sine notatione Pæti. Tu poteris peruehi Romam isto mulo, quem dicis relictum fuisse tibi, quando. i. quoniam, comedisti. i. precia in obsoniis absumpsisti, cantherium. i. equum castratū & molliter ingredientem, ideo autem castratum ne inter equas petulantior sit. Sella. i. sedes erit tibi in ludo literario, hoc est in scholis meis, proxima: s. mihi præceptori, tanquam hypodidascalo. i. submonitori seu submagistro. Puluinus. i. plumis oppletum sedis fulcimentum sequetur eam. s. sellam, hoc est habebis super sellam puluinum.

VICTORIVS. ET disce iam προλεγομένας quas quæris.} Vereor ne hic locus aliquid mendi contineat, quod tamen ubi sit indicare non possum: in tantis angustiis temporis, nihil melius mihi facere posse uideor, quam ueterem scripturam notam facere: maioris ingenii, ac doctrinæ uiri totum hoc diligentius considerabunt. In Græcis autem & Latinis uerbis uarietates aliquæ cernuntur: nam sunt etiam qui Græca uerba commutent, & neutro genere προλεγόμενα scribant, qui etiam consequens Latinum uerbum, ita conformant, ut Græco respondeat. Mediceus codex. {Es disceam, προλεγομένας quas quæris, & si sus Mineruam, sed quomodo uidero, si æstimationes tuas} & quæ sequuntur.

PAVL. MANV. AEstimationes tuas uendere non potes} Hunc locum qui recte interpretaretur, neminem uideo fuisse. significat autem possessiones per æstimationem a debitoribus acceptas, & quemadmodum supra, posuit æstimationes pro rebus æstimatis.

SEBAS. CORR. DIscipulos} Hirtium & Dolabellam. {Obuiam} Cæsari. {Familiari} Cæsari. {Regno} Epistola. XXV. lib. VII. {In acie non fui} ualetudine impeditus.} Pompeius} ab Achilla, & L. Septimio interfectus. {Lentulus} L. Lentulus a Rege Aegyptio comprehensus, & in custodia necatus. {Scipio} a P. Sitio apud Hypponem circumuentus. {Afranius} a P. Sitio captus. {Cato} qui se ipse Vticæ interfecit. προλεγομένας} prædictas.

BERN. RVT. IN acie non fui} idest, prælio Pharsalico. Plutarchus: commisso deinde, inquit de Cicerone, in Pharsalia prælio, in quo ipse ualetudine aduersa impeditus non affuit. M. Cato, qui naualibus copiis apud Dyrrachium præerat, cognita Cæsaris uictoria, classem & exercitum Ciceroni tradere uoluerat. Crescentinas uero in bello ait non interfuisse Ciceronem, mendacissime.

Ea poste. eiusdem. SCipio, Afranius fœde perierunt} Erat in aliis male, Scipio Africanus. de Afranii cæde, bello, quod in Africa Cæsar gessis, author Liuiani compendii lib. cxiiii.

PHIL. MELá. CVm essem ociosus} Distributio est. Partitur enim cōsilii sui utilitates in quatuor membra: Scholas habere prodest mihi, ad conciliandos familiares Cæsaris, ad ualetudinem, ad eloquentiam, & ad uictum. {Cæteri quidem} Amplificatio per collationem eorum, qui opponentes se ac resistentes Cæsari, fœde perierunt aut sibi ipsis attulerunt mortem.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Iocosa epistola, qua accusat Pætum, qui negauerat Balbum magnifice a se exceptum, cum aliud Balbus confessus sit.

M. C. PAPYRIO PÆTO. S. D. 19

TAMEN à malitia non discedis: tenuiculo apparatu significas Balbum fuisse contentum, hoc uideris dicere, cum Reges tam sint cōtinētes, multo magis consulareis esse oportere. nescis me ab illo omnia expiscatū: recta enim à porta domum meam uenisse, neque hoc admiror, quod non ad tuam potius. sed illud, quod nec ad suam. ego autem tribus primis uerbis, Quid noster Pætus? at ille adiurans, nusquam se unquam libentius. hoc si uerbis assecutus es, aureis ad te afferam nō minus eleganteis: sin autem obsonio peto à te, ne pluris esse Balbos quā disertos putes. me quotidie aliud ex alio impedit, sed si me expediero, ut in ista loca uenire possim: non committam, ut te sero à me certiorem factum putes. Vale.

ASCENSIVS. TAmen a malitia &c. Scripserat Pætus Balbum a se tenui mensa acceptum, & contentum fuisse. Sed quoniā Cice. iturus erat ad Pætum ipsum dicit eum hoc fecisse astute, ut Ci. qui minor Balbo erat, cogatur minore sumptu contentus esse. Verum quia Balbo laudata est cœna, petis se non minoris a Pæto fieri, quam Balbum fecerit. Omnia autem per iocum scripta puto. Ordo est. Tamen, idest tametsi, te sæpe admonui, ut simplicius & benignius mecum agas, tu non discedis a malitia, idest fraude & uersutia tua. Tu significas Bal. fuisse contentum apparatu tenuiculo, idest aliquātulum tenui, & hoc dicendo, uideris dicere, hoc cum reges, idest opulentissimi uiri, & magnifici cœnarum datores, ant reges, hoc est Cæsa. familiares, fiot contioentes, idest modici sumptus, oportere consulares. supple uiros, qualis erat Cice. multo magis, supple continentes esse. Tu nescis me expiscatum, idest quasi per inescationem, qua pisces capiuntur omnia subtiliter extorsisse ab illo scilicet Hirtio. Enim, idest qa, nescis supple uenisse domum meam, recta, idest nullam partem exorbitando a porta, scilicet urbis. Neq; admiror, hoc quod non potius: supple uenerit ad suam scilicet domum. Sed illud, supple admiror, quod nec supple uenerit prius ad suam: supple domum quā ad meam. Ego autem, supple allocutus sum, ant percunctatus tribus primis uerbis. Quid noster Pætus: supple egit te recipiendo. at ille Balb. adiurans supple dixit nusquam libentius scilicet cœnaturum, aut cœnatum fuisse. Si tu assecutus es hoc, idest tale testimonium Balbi, aut talem prædicationem Balbi uerbis, idest sermonibus, ego adferam ad te non minus elegantes aures, scilicet quā Balbus. Sin autem, idest sed si, supple assecutus es, obsonio, idest genere cibi, ego peto, idest exigo a te, ne putes Balbos quasi dicat balbutientes. alludit enim ad uocabulum, cum Balbos minime balbutiret, quam disertos q. d. quā me deserte loquentē. Aliud. s. impedimētum, sup. ortum ex alio. i. unū nat hea alio impedit quotidie me sed si expediero me, idest liberauero his impedimentis. ita: supple ut possim uenire in ista loca, scilicet ubi tu es, non committam, idest non faciam, aut non dabo occasionem. ut putes, idest putare possis te factum certiorem a me. s. de aduentu meo sero. i. nimis tarde, ne. s. excusandus sit, si nihil parauerit.

SEBAS. CORR. REges.ns} Balbus, qui Cæsaris amicus est. {Consulareis} ut ego sum. {Domum meam uenisse} Alii legunt, domum meā uenit. {Balbos} iocus.

PHIL. MELá. SCripserat Pætus Ciceroni prædicanti lautas familiariū suorum mensas, Balbum tenui contentum fuisse. Id Cicero ioco sic accepit, ac si Pætus ideo scripserit, ne quid lautum a se expeteret Cicero. {Tamen a malitia} Iocosa narratiuncula {Ne pluris esse Balbos} Allusio in nomine Balbi.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Iocosa & hæc epistola, dum de studio suo culinario Pætū certiorē facit.

M. CICERO PAPYRIO PÆTO S. D. 20

*DVpliciter delectatus sum tuis literis: & quod ipse risi: & quod te intellexi iam posse ridere. me autem à te, ut scurram uelitem, malis oneratum esse, non moleste tuli. illud doleo, in ista loca uenire me, ut constitueram, non potuisse: habuisses enim non hospitem, sed contubernalem: at quem uirum? non eum, quem tu es solitus promulside conficere. integram famem ad ouum affero: itaque ad assum uitulinū opera perducitur. illa mea, quæ solebas antea laudare, ò hominem facilem, ò hospitem non grauem, abierunt: nam omnem nostram de Rep. curam, cogitationem de dicendis in senatu sententia, cōmentationem causarum abiecimus: in Epicuri nos aduersarij nostri castra coniecimus: nec tamen ad hanc * insolentiam, sed ad illam tuam lautitiam, ueterem dico. cum in sumptum habebas: etsi nunquam plura * prædia habuisti. proinde te para: cum homine edaci tibi res est, & qui iam aliquid intelligat. * ὀψιμαθεῖς autem homines scis quam insolentes sint. dediscendæ tibi sunt sportellæ, & a tolagani tui. * nos iā ex areis tantum habemus, ut Verrium tuum, & Camillum, (qua munditia homines? qua elegantia?) uocare sæpius audeamus. sed uide audaciam: etiam Hirtio cœnam dedi, sine pauone tamen. in ea cœna cocus meus præter ius feruens nihil potuit imitari. hæc igitur est nunc uita nostra. mane salutamus domi et bonos uiros multos, sed tristeis, & hos lætos uictores: qui me quidem perofficiose, et per*

*al. indolentiam.

*al. prælia.

*. i. Sero discentes.

*al. nos iā ex artis.

*amanter obseruant. ubi salutatio defluxit, literis me inuoluo, aut scribo, aut lego. ueniunt etiam: qui me audiant quasi doctum hominem, quia paulo sum quàm ipsi, doctior. inde corpori omne tēpus datur. patriam eluxi iam & grauius, & diutius, quàm ulla mater unicum filium. sed cura, si me amas, ut ualeas: ne ego te iacēte bona tua*comedam: statui enim tibi ne ægroto quidem parcere. Vale.*

*al. comedim.

ASCENSIUS.

DVpliciter &c. Locutus fuerat Pætus liberius in Ciceronem, & eum quodammodo momorderat, quod sibi minime molestum fuisset, nunc scribens Cicero uicissim in eum iocatur. Ordo est. Ego sum delectatus literis tuis dupliciter, & quod ipse, idest egomet risi, & quod intellexi te posse iam ridere. Autem, idest sed, ego tuli non moleste, me oneratum esse a te malis, idest maledicis probris, & conuiciis, ut scurram uelitem, idest uelitati solitum, hoc est leuiter referre, & ita contemptibilem. Leuis enim armaturæ milites uelites dicuntur, per metaphoram. ergo dicit se uelitem æstimatum, ut qui non nisi leuia conuicia referre ualeat. Ego doleo illud, me non potuisse uenire in ista loca, scilicet ubi tu es, ut constitueram, scilicet uenire. Habuisses enim non hospitem, idest amicum hospitio susceptum, & cito recessurum, sed contubernalem: idest cohabitatorem assiduū eiusdem contubernii. At, idest sed quem, idest qualem uirum, supple habuisses, non eum quem tu solitus es conficere, idest exaturare promulside, idest liguamine, aut alio cibo dulciatio, & uili. Manet autem in metaphora a uelite incepta, nam uelites uulneribus confici solent, ubi autem fames sedata est, uidentur manducones confecti, & quasi enecti. Ego adfero, hoc est attulissem famem integram ad ouum, idest ad primum ferculum. Nam ab ouo cœnas incipere solebant, & finire pomis, ut attestatur Horatius primo sermonum, & ita opera, scilicet edendi, perducitur usq; ad assum uitulinum. credam esse nouissimum genus obsonii, quod ex carne uitellini, quæ facilis digestionis est, apponebatur. Hubertinus autem de uitello oui intelligit, sed modica esset opera, quæ ab ouo ad uitellum perduceretur. Illa mea, scilicet sobrietatis præconia, quæ solebas laudare: scilicet dicendo de me, o hominem facilem, o hospitē non grauem, idest non molestum abierunt: idest recesserunt, nunc: scilicet a me. Nam nos abiecimus omnem curam nostram de republica, & omnem cogitationem de sententia dicenda in senatu, & omnem commentationem: idest inuentionem dicendarum: scilicet causarum. Sententiam dicit iudex, causam reus, aut eius defensor. Nos coniecimus: idest intrusimus nos in castra Epicuri aduersarii nostri: hoc est militamus nunc sub Epicuro, summum bonum in uoluptate ponente, cuius sententiæ maxime refragantur nostri, hoc est Stoici, in uirtute & honestate summum bonum locantes. Nec tamen supple coniecimus nos ad hanc insolentiam. s. ad hunc immodicum sumptum, quem nuper cœpi facere, sed ad illam, idest nobilem lautitiam tuam: dico ueterem non recentem cum habebas prædia in sumptus, idest quæ satis essent sumptibus faciendis. Etsi, idest quanquam, nunquam habuisti plura prædia. s. quā nunc habes. Innuit ergo quod animus non copia rerum diuitem faciat: nam quæ olim in sumptus sufficiebant Pæto prædia, nunc non sufficiunt. Proinde, idest ideoq; parate: res, idest negocium est tibi cum homine edaci, idest assidue, & multum edente, & qui intelligat iam aliquid. s. de lautitiis cœnarum, licet tarde inceperit discere. Autem, idest sed, tu scis, quam, idest quantum, insolentes, idest importuni, & proterui sunt homines ὀψιμαθεῖς, idest qui iam grandes natu discunt. Aliter legitur ab Hubertino, a quo in multis discedo sciens, & forte nō insciens. Sportellæ, idest minimæ portiones pecuniariæ, quæ salutatoribus dabantur a diuitibus, sunt dediscendæ, idest abolendæ tibi, & artolagani tui, idest cibi ex pane, & placentis, sup. sunt dediscendi tibi Nos habemus iam tantum s. uectigalis aut pensionis, ex areis, idest tritura quæ fit in areis, ut audeamus sæpius uocare. s. ad cœnam Verrium tuum, & Camillum, qua, idest o qua. i. quasi munditia, homines, qua elegantia, idest eleganti munditia, Sed uide, idest animaduerte, audaciam. s. meam. Ego dedi etiā Hirtio q. d. delicatissimo homini cœnam sine pauone. Tamen cocus meus nihil potuit imitari in ea cœna præter ius feruens. Igitur, quia nos Epicuro addiximus, hæc, idest huiusmodi est nūc uita nostra, Nos salutamus mane domi. s. nostræ, &, idest simul bonos uiros multos, sed tristes, & supple salutamus hos uictores lætos, qui obseruant, quidem me, idest uenerantes cauent me offendere ac lædere, perofficiose, idest ualde officiose, & peramanter, idest ualde amanter. Vbi idest postquam salutatio, idest officium salutandi, de quo Mart. Prima salutantes atq; altera suscipit hora: Exercet raucos tertia causidicos defluxit, idest transiit, inuoluo, idest occupo me literis, aut scribo supple aliquid. Veniunt etiam qui audiunt me. s. docentem, quasi hominem doctum, quia paulo, idest modico doctior sum quā ipsi Inde, idest deinde omne tempus datur, idest impenditur, corpori. s. curando & souendo. Ego eluxi, idest usq; ad finem luxi, iam patriam, idest interitum reipub. &. i. simul grauius, & diutius, quam ulla mater sup. luxit, filium. s. suum unicum. Sed cura, idest diligentē operam da, si amas me, ut ualeas, idest saluus sis, ne ego comedā bona tua te iacente, idest decumbente propter ægritudinem. Enim. i. constitui ne quidem. i. non etiam ægroto parcere tibi. i. bonis tuis.

VICTORIUS.

CVm mecum sumptus habebas} Nos ueterem scripturam & si parum planam, & fortasse mendosam reposuimus: quod enim aliud faceremus in tantis tenebris, nō habuimus. Q d si illam non satis integram esse eruditiores iudicabunt, nos tamen confidimus, ut minus inquinatā, uiciniorem esse uere lectioni. hāc rem in arbitrio optimorū ingeniorum relinquimus. Est sane & aliis locis (ni fallimur) in antiquis codicibus negligenter scripta hæc epistola: {Cassatra} enim pro castria illi habent. quod corruptū arbitror: & infra {Artolagini} pro {Artolagani} quæ uox etiam apud Athenæum est lib. III. ubi etiam eius confecturā docet his uerbis: ἐς δ' τὸ καλούμενον ἀρτολάγανον ἐμβάλλεται οἰνάριον ὀλίγον καὶ πέπερι γάλα τε καὶ ἔλαιον ὀλίγον ἢ στέαρ Præterea locus ille {Nec tamen ad hanc insolentiam} parum mihi certus uidetur, quem tamē quia sic inuenimus in cunctis melioribus, nō mutauimus: etsi sciamus nonnullos cōiectura ductos legere {Indolentiam} quod parū nobis probatum est, quanuis meliorem uocem reponere nesciamus. utq; omnia hæc in medium proposuisse non inutile existimamus: & ut omnes uideant quantis in tenebris uersemur circa bonorum authorum integritatem, & ut possit unusquisq; in tam dubia & incerta re iudicium suum sequi. {Ex arcis tantum habemus} Vetustiores codices. {Artis} loco {Areis} habent, sed tamen {Ex} propositionem retinent. Alii aliis modis locum restituerunt, ut quidam etiam ausi sint. {Ex arte coci} legere, contra ueterum exemplariorum authoritatem. Ego institutum meum ab antiqua scriptura modice declinandi tenens. {Et artis} legi: alibi enim in antiquis codicibus, nec semel {Ex} pro {Et} scriptum obseruaui: sententia autem, & uerborum structura egregie respondent. nam & paulo ante dixit se iā aliquid intelligere, & quanuis sero, tamen aliquid didicisse: nunc autem explicat quantum in ea arte progressus sit. Quod siquis ueterem scripturam tueri uelit, uideat an {Ex artis} dictum esse possit, quemadmodum in epistolis ad Atticum, ex Apollodori, ut intelligatur, ratione aut præceptis, sitq; hæc una earum locutionū, quæ concisæ sunt, & ad imitationē Græci sermonis prolatæ, ut ad Opis, per Locustæ & Varronis ducere: magna est in Scapulæ celebritas: de quibus longius accuratiusq; alibi loquar. {Bona tua comedam} Antiquiores codices priscam, & obsoletam hac ætate uocem retinent. {Comedim} enim & Mediceus, & Petrarchæ liber pro comedam habent. Quam lectionem agnoscit & Nonius Marcellus de proprietate sermonis. postquam enim Plautū in Bacchidibus usum esse hac uoce docuit, addit, Cicero ad Varronem epistola Petisset, Cura si me amas, &c. Vbi animaduertendum est locum esse corruptum, legiq; debere pro {Petisset, Pæti, set cura &c. facili & frequenti errore eadem literā inutiliter repetendi, & duas dictiones coagmentandi, & coniungendi. Et hoc maxime loco confirmatur, quomodo has epistolas, quæ familiares falso, & inepte nostris temporibus appellatæ sint, uocare, & citare debeamus: concordant enim cum uetere ipsarum inscriptione uerba Marcelli: totus enim liber ad Varronem inscribitur & cæteros. Cum igitur dixit, Cicero ad Varronem. librum hunc designauit. in quo etiam sunt Epistolæ ad Pætum cum autem epistola Pæti: idest ad Pætum missæ, certius declarauit ubi hæc sint uerba. nam quin ita locus ille legi debeat, neminem arbitror dubitaturum nunc re aperta & indicata. Quid. n. uox illa {Petisset} eo loco faciat? nam Periocha illa Ciceronis a uoce hac {Sed} non a {Cura} incipit. quam, si attente locum leges, uidebis Marcellum nullo modo omittere debuisse. Peccarunt autem in describendo codice Nonii, etsi plurimis ille mendis scatet, quia legitimum titulum harum epistolarum ignorabant, pariterq; rationē hanc non tenebant, qua utebantur antiqui in citandis locis harum epistolarum, quibus diligenter obseruatis non amplius de harū epistolarum inscriptione dubitandum est. Et locus Nonii antea corruptus, & multa offusa caligine obscuratus omni modo purgatus luci claritatiq; suæ restitutus est.

Ex poste. eiusdem.

CVm in sumptus habebas} Qui mendosissimus antea erat, hunc locum restituimus, quod ita in nostris priscis exemplaribus scriptum offendimus, quem tamen leuiter suspectum immerito habuimus. Non ægre ferimus, si aliquos huius laudis socios habemus, qui saltem nos amare deberent, quod industriæ ipsorum locum inuenimus. Mediceus codex (illum autē ante oculos habemus, quo fidelius hoc opus nauemus) ut nunc animaduertimus {In sumptum} unitatis numero habet. {Ὀψιμαθεῖς autem homines} Expresst, ut opinor, Græcam uocem Horatius Sat. X prioris sermonum libri, cum inquit, O seri studiorum. Multa autem græca uerba Horatius elegantissime expressit. cum enim plures sententias ab eius nationis philosophis, ac poetis acciperet, cōsuetudinem quoq; sermonis studiose imitatus est. {Nos iam, & artis tantum habemus} Mediceus codex nos iam ex artis. Quare suspicati olim sumus legi posse {Et artis} quam castigationem, aut sequemur, aut abiiciemus, prout illam ab eruditis aut laudari, aut damnari acceperimus. {Hunc autem sensum elicitebamus: } dixerat

enim

enim antea se rationem uitæ mutasse,& cui ualde prius aduersatus erat.{Epicuro in disciplinam se tradidisse } tantum in hoc studio profecimus:non enim usum tantum,& exercitationem habemus, sed iam tantum artis,ut:& quæ sequuntur . nec tamen huic ualde confidimus.Non latet autem nos genus quoddam possessionum Areas esse,ex quo certi quæstus capiebantur,& quibus minime noceri posset,ut Ci.quod in admirabilibus illis disputationibus ostendit.Quod siquis communem lectionē amabit{ex areis habemus} opinor interpretabitur,ea areis tantos fructus capimus,ut nos impensa non deterreat,sed possimus cœnas sumptuosas facere.

PAVL. MANV.

NEc tamen ad hanc insolentiam } Cur alii mendum esse in uoce,insolentiam,existimarint,non uideo.insolentiā enim pro nimiis sumptibus,qui.s.fiebant in cœnas,accepit:a quibus se alienum esse dicit:lautitiam tantum quærere. quod etiā supra,epistola huius libri X V I.his uerbis ostendit. Nec tamen eas cœnas quæro,ut magnæ reliquiæ fiant . quod erit,magnificum sit, & lautum.insolētiā eodē sensu posuit Philippica I X. CCXXIII. magnifice enim,inquit,Ser.Sulpitius maiorum . continentiam diligebat,huius seculi insolentiam uituperabat.& in oratione pro Sex. Roscio.X X I I.Qui in sua re fuisset egentissimus,erat, ut fit,insolens in aliena.{Cum in sumptum habebas} Vetustiorum codicum hæc est lectio,quam Florentini etiam receperunt,licet eam(ut ipsi dixerunt)mendosam suspicati.mihi ea uel maxime probatur ut desiderari nihil credam.dixit autem,cum in sumptum habebas , pro eo quod dicimus,cum ad sumptum copiæ suppetebant , cum pro sumptu facultates erant,cum erat tibi quod esset in sumptum satis: sic enim hoc loco in sumptum.i.pro sumptum,dixit , quemadmodum etiam ad Atticum epistola V. libri . V I I I. Tyronem Curio commendes,ut et,siquid opus erit,in sumptum eroget.epistola etiā quæ sequitur,eodem libro.sed enim,inquit, uideo in sumptum ab aliis mutuatum.& ad eundem lib.X V.uelim cures, ut permutetur Athenas,quod sit in annuum sumptum imitamur igitur lautitiam tuam,inquit,illam ueterem,cū habebas in sumptum. etsi nunc quidem plura prædia tibi sunt,quæ.s.a debitoribus pro pecunia,quam credideras,inuitus accepisti , æstimata ex edicto Cæsaris quanti quæque ante ciuile bellum fuissent:hæc enim quasi per iocum dicta sunt,ut irrideatur Pætus,qui non habeat in sumptum , ut antea,cū ei possessiones multo,quam antea,plures sint.{Ea areis} Sunt,qui legant,& artis.quorum sententia nō admodum mihi probatur:particula enim,&,inanis,atque ociosa uidetur esse.

SEBAS. CORR.

ASsum Vitulinum}assam uitulinam carnem,quæ hodie quoque inter ultima fercula in cœnis apponitur.{Perducitur} Al. producitur.{Ad illam tuam}qui Epicureus es.{Cū me cum sumptus habebas}Al.cum in sumptum habebas.{ἀπόφθεγμα} sero discentes.lege Gell.lib.X V.cap X X X.{Dediscendæ}Al.deducendæ.{Es areis}Al.ex artis,ea arcis,& artis.Nos,ex te artis alibi legimus.{Comedam}Al.comedim,ex Nonio.

BERN. RVT.

INtegram famem ad ouum affero,ita usque ad assum uitellinū opera perducitur}Vereor,ne in uerbo iocetur Cice.sitque hic ex poeta aliquopiam locus.qui cum de ouo esset loquutus,uitellinum subdidit quasi de ouo uitello intelligere se fingeret,cum tamen uitulum diceret.assi alioqui uerbum adiunctum innuit. Nos nihil,quod in mētem uenerit,subiiciebimus,ut aliquid diuinationibus istis tenemus prodesse.nam interpres quidem iam cautior . {O hominem facilem.o hospitem non grauem}non ut,Clericus, lætum & facetū deposita seueritate,sed parum molestum,& leuioris impensæ.{Cōmentationem causarum abiecimus}Non mentionem & sermonē, ut delirat Clericus:sed meditationem,neque enim nunc ago causas, inquit,ut præmeditari oporteat.atque ita sobrie uiuere . {Etsi nunquam plura prælia habuisti}Quid si?prædia.idest, nunquam fuisti ditior,quippe qui nihil iam cures.tametsi prælia quoque seruari potest

PHIL. MELÁ. Io.Riul. Attend.

DVpliciter delectatus}Est & hæc iocosa:ait se uenturum ualde famelicum,& facturum ipsi negocium . {Patriam eluxi} Elegantissimum ἦθος.{Sed cura}Repetitio superioris ioci. Libro I X.epistola ad Papyrium Pætum,cuius initium , Dupliciter delectatus sum tuis literis,&c.sic in fine hodie.{Sed cura,si me amas,ut ualeas,ne ego te iacente,bona tua comedam,Statui enim tibi ne ægroto quidem parcere}Non.Marcelius adnotauit,Comedim,hic esse legendum , pro comedam quomodo Plautus quoque in Bacch.Quod dem scortis,quodque in lustris comedim,congreget pater.Neque uero mihi displicet illud comedim, uerbum antiquum,nam uerisimile est hunc locum,Ne ego te iacente bona tua comedim sicuti alios plerosque es uetere aliquo esse poeta sumptum Quod quidam,credo,parum aduertentes, cum insolētia uerbi offenderentur,locum deprauarunt.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Est hæc epistola pro pem odum contentiosa. Confutat enim quod Papyrius fulmina tonitruaque in epistolis Ciceronis esse dixerit,quæ ipse assequi nequiret. Confutat etiam falsum Papyrii de familia sua mendacium,quod putares neminem nisi plebeium hoc nomine Romæ floruisse.

M. C. PAPYRIO PÆTO. S. D. 21

AIn,tandem? insanire tibi uideris, quòd imitere uerborum meorum, ut scribis,fulmina?tum insanires, si consequi non posses : cum uero etiam uincas,me prius irrideas, quàm te,oportet. quare nihil tibi opus est illud à Trabea,sed potius *ἀπόφθεγμα meum . uerumtamē quid tibi ego uideor in epistolis? nonne plebeio sermone agere tecum? nec enim semper eodem modo.quid enim simile habet epistola aut iudicio,aut concioni? quin ipsa iudicia non solemus omnia tractare uno modo.priuatas causas,& eas tenueis,agimus subtilius:capitis,aut famæ scilicet ornatius.epistolas uero quotidianis uerbis texerē solemus . Sed tamen mi Pæte qui tibi uenit in mentem negare Papyrium quenquam unquam nisi plebeium fuisse?fuerunt enim patritij minorum gentium:quorum princeps L.Papyrius Mugilanus: qui Consul cum L.Sempronio Atratino fuit,cum antea Censor cum eodem fuisset.annis post R.C. 312 .sed tum Papysii dicebamini . Post hunc X I I I.fuerunt sella curuli ante L.Papyrium Crassum,qui primus Papysius est uocari desitus.Is Dictator cum L.Papyrio Cursore magistro equitum factus est annis post,R.C.415. & quadriennio post Consul cum C.Duillio.hunc secutus est Cursor,homo ualde honoratus:deinde L.Masso ædilitius:inde multi Massones:quorum quidem tu omnium patritiorum imagines habeas uolo.deinde Carbones , & Turdi insequuntur , hi plebeij fuerunt, quos contemnas,censeo : nam præter hunc Cn. Carbonem quem Damasippus occidit,ciuis è Repub.Carbonum nemo fuit.cognouimus Cn.Carbonem,& eius fratrem scurram: quid his improbius?de hoc amico meo Rubriæ filio nihil dico.tres illi fratres fuere,P.C.M.Carbones.Publius Flacco accusante condemnatus fugit.Marcus ex Sicilia.Caius accusante L. Crasso , Cantharidas sumpsisse dicitur.is Trib.pleb.seditiosus,& P.Africano uim attulisse existimatus est.hoc uero,qui Lilybæi à Pompeio nostro interfectus est,improbior nemo,meo iudicio,fuit.iam pater eius accusatus à M.Antonio,sutorio atramento absolutus putatur. quare ad patritios censeo reuertare:plebeij quàm fuerint importuni uides. Vale.

*.i.dictū.

ASCENSIVS.

AIn,tandem.Scripserat Pætus se imitando uehementiā dicendi Cice.uisum sibi insanire.ad quod respondet Cice simulque redarguit , quod dixerat Papyrios omnes plebeios fuisse.Ordo est.Ain,idest ais ne tandem, ut tu uideris tibi insanire,quod mirere,ut scribis, fulmina,id est uehementem impetum uerborum meorum.tum insanires. tum: idest tunc,si non posses,& supple uelles cōsequi:idest obtinere uim meam dicendi.uero pro sed,cum:scilicet ita sit quod uincas: idest superes me,oportet supple ut irrideas prius me,quam te.Quare cū sis in dicendo acrior,quam ego,nihil opus est tibi illud a Trabea,id est sumptum ab oratione habita in Trabea,idest in ueste regali , & augurali,& ita tranquillum & sedatum,sed potius apophthegma, idest acre dictum meum,& sententiosum.Verūtamen quid uideor tibi agere in epistolis:nonne uideor agere tecum sermone plebeio, idest uulgari?Nec enim supple decet loqui semper eodem modo. Enim,idest quia,quid simile habet epistola.aut iudicio aut concioni?quasi dicat nihil,& ita licet simus in iudicio aut concione acuti & uehementes,non continuo tales erimus in epistolis. Quin,id est quia etiam nos non solemus tractare ipsa iudicia uno modo etiā omnia,quia nos agimus causas priuatas & omnes tenues.i.modici momenti subtilius. i deductius,& magis tenuiter.s.i.scire licet cur id faciamus,quia agimus causas capitis aut famæ.i.ubi aut uita,aut fama in periculo est,ornatius:uero.i.sed nos solemus texere.i.cōponere epistolas uerbis quotidianis.Sed tñ o mi Pæte qd.i.ad qd, aut

legamus qui, idest quomodo, uenit tibi in mentem negare quenquã Papyrium fuisse unquam nisi plebeium, idest humilem & ignobilem? fuerunt enim sæpe Papyrii, patritii, idest de genere patrũ conscriptorum seu senatorum gentium minorum, idest posteriorum nõ ab illis centum, quos Romulus patres legerat orti, quorum Lucius Papyrius Mugilanus supple fuit princeps, idest principium capiẽs & primus, qui fuit consul cum Lucio Sempronio Atracino, cũ fuisset antea censor cum eodẽ scilicet Sempronio, annis trecentis duodecim, sed uos qui estis de genere Papyriorum dicebamini tum, id est tunc Papysii. Sic Valesii dicebantur. qui postea Valerii, & Fusii qui fuerunt. Tredecim scilicet magistratus de genere Papyriorum fuerunt sella curuli, idest qui ædiles facti eo quod nobiles sella curuli gaudebant, post hunc scilicet Sempronium ante Lucium Papyrium Crassum, qui primus est desitus, idest desiuit uocari Papyrius, quia sumpsit cognomentum Crassi. Is Papyrius factus est dictator cum Lucio Papyrio Cursore magistro equitum annis quadringentis, seu trecentis quindecim post Romam conditam, & factus est consul cum Caio Duello quadriennio, idest spacio quatuor annorum post. Cursor scilicet alter de genere Papyriorum, homo ualde honoratus secutus est scilicet in magistratu, hũc scilicet Lucium Papyrium. Deinde supple secutus est L. Masso ædilitius, idest ædilitiæ dignitatis: inde supple secuti sunt multi Massones, quorum quidem omnium ego uolo supple ut tu habeas imagines, scilicet cereas in stemmate tuo, quia omnes sunt de progenie tua. Deinde insequuntur, scilicet in locum Papyriorum, Carbones & Turdi, idest sic cognominati, hi, scilicet Carbones & Turdi, fuerunt Plebeii quos censeo supple ut contemnas, idest uilipendas. Nam nemo Carbonum fuit ciuis e Repu. per publicum magistratum quem gesserit, præter hunc Cneum Carbonem quem Damasippus occidit. Nos cognouimus Cneum Carbonem & eius fratrem scurram, id est infami uita & sermone uictum quæritantem. Quid supple fuit improbius iis? quasi dicat nihil. Ego nihil dico de hoc, scilicet Carbone amico meo, filio Rubriæ. Tres fratres fuerunt illi: Publius, Caius, Marcus Carbones. Publius condemnatus Flacco accusatore, id est accusante, fugit scilicet ab urbe. Marcus supple fugit ex Sicilia. Caius Lucio Crasso accusante, idest cum ab illo accusaretur, dicitur sumpsisse cantharidas, idest uermiculos uenenatos in ficis interdum nascentes, quorum succo homines cito enecantur. Is. s. Caius sup erat tribunus plebis seditiosus & existimatus est attulisse uim, idest necem Africano, qui domi suæ inuentus est extinctus. Vero pro sed, nemo fuit meo iudicio, idest quantum ego iudico, improbior hoc, scilicet Marco Carbone, qui interfectus est Lilybæi cum fugam pararet, s Pompeio nostro scilicet amico. Iam, idest deinde pater eius accusatus a Marco Antonio putatur absolutus atramento sutorio, idest cum nota infamiæ sicut improbi sutorio atramento idest quo sutores pelles denigrant suggillari solent. quare ego censeo supple ut reuertare ad patres, idest ad primos illos Papyrios, qui patritii ac uiri boni fuerunt, hoc est te de illorum genere etiam moribus asseras, quia tu uides quam: idest quantum importuni fuerint plebeii scilicet Papyrii, idest qui e plebe in familiam Papyriorum asciti sunt.

VICTORIVS.

Sed prius meũ ἀπόφθεγμα} Nos ut in uetere illo Mediceo inuenimus ἀπότευγμα scripsimus. Mirum autem est quam emposite, & recte in eo exemplari Græcæ dictiones perscriptæ sint, ut raro admodum in illis aliquid desideretur. est autem hæc uox & alibi a Cicerone usurpata in epistolis ad Atticum lib. XIII. Vbi enim ἐπίτευγμα magnum nullum fieri possit. ἀπότευγμα uel non magnum molestum futurum sit. Quid opus est παρακινδυνεύειν? cum enim Latinam uocem non habet quæ possit rem quam uult exacte exprimere, Græca utitur ad familiares scribens. Quod enim supra dixerat, si consequi non posses, nunc breuius una uoce exponit. Tunc autem ἀπότευγμα facit aliquis, cum rem quã adgressus est, non consequitur & nanciscitur. Quod igitur conatus erat Pætus, stylum Ciceronis imitari, nec ei ex animi sententia successerat, dixerat fortasse prius ipse se ἀπότευγμα fecisse, quod autem esset ἀπότευγμα, a Trabea uix nunc sciri potest tam minuta res post tot secula.

Ex poste. eiusdem.

Sed potius ἀπότευγμα meũ} Mediceus liber ΝΑΠΟΤΕΥΓΜΑ. quare iam tu ne ἀπότευγμα censuimus esse legendum: ita autem ueterem hanc lectionem confirmauimus, ut mirentur aliquos deteriorem meritoq; eiectam sequi maluisse.

SEBAS. CORR.

Trabea} poeta comico, de quo in Quæstura dictum est. {ἀπόφθεγμα} dictum Al. ἀπότευγμα, quasi repulsa quædã in uetere libro sic erat scriptum: Quare nihil tibi opus est illud a Trabea, sed potius non potiri meum. ut sint Trabeæ uerba. {Minorum gentium.} Tarquinius Priscus e eorum in patres legit, qui deinde minorum gentium sunt appellari. {Atracino} Al. Atratino. {Ante Censor} Liuius lib IIII. prius Coss. quam Cens. facit. {Papysii} ut Valesii, ut Fusii Quintil. lib. I. cap. VI {Is dictator} a T. Manlio Torquato dictus. {C. Duilli} C. Cæsone Duilio Helua. {Cursor} L. Papyrius Cursor, qui annis post R. C. CCCCXL. dictator fuit. {Præter hunc C. Carbonem} qui Aruina dictus est. {Damasippus.} L. Damasippus, tunc Prætor. {Occidit} in curia Hostilia. {E. R. P.} ex optimatium partibus. {P. C. M. &c.} Al. C. Cn. M. Carbones. M. P. Flacco accusante condemnatus fur magnus ex Sicilia. {L. Crasso} Oratore. {Hoc uero} Cn. Carbone ter Cos. {Atramento} corruptis iudicum tabellis. Al. a tormento. {Patritios} Al. partes.

BERN. RVTI.

Priuatas causas, & eas tenues agimus subtilius} Priuata iudicia hoc a publicis differebant, quod in priuatis quilibet accusator admittebatur, ut quorum iniuria ad omnes pertineret: priuata, quæ priuatim ab illo uno, cuius intererat, agreretur. Id ex iurisconsultis etiam nunc discas, apud quos titulum legimus de publicis iudiciis. Interpres uero decipitur. Cicero alioqui nobis subscribit, cum addit, capitis aut famæ. s. ornatius.

PHIL. MELã.

An tandem?} Reprehendit Pætum, quod fulmina uerborũ dixisset in epistolis Ciceronis esse. {Fuerunt enim} Catalog[illegible]orum ipsius.

D. Eras. Rhoter.

Iam pater eius accusatus a M. Antonio, sutorio atrame[illegible]n absolutus putatur} Subesse uidetur prouerbium. Sentit, opi[illegible], hominem absolutum fuisse iudicum corruptela, non citra infamiam.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Faceta disputatio, nec ut apparet affectata. Est autem tota pro sententia Stoicorum, qui nullum uerbum inhonestum putabant, cuius significatio erat honesta. Laudat tamen postea Academicos utpote uerecundiæ amatores.

M. C. PAPYRIO PÆTO. S. D. 22

*AMo uerecundiam, uel potius libertatem loquendi. atque hoc Zenoni placuit, homini mehercule acuto: etsi Academiæ nostræ cum eo magna rixa est. sed, ut dico, placet Stoicis suo quanque rem nomine appellare: sic enim disserunt, nihil esse obscœnum, nihil turpe dictu: nã siquod sit in obscœnitate flagitiũ, id aut in re esse, aut in uerbo, nihil esse tertium. in re non est. itaque non modo in comœdijs res ipsa narratur, ut ille in Demiurgo modo (forte nosti canticum: meministi Roscium) Ita me destituit nudum: totus est sermo uerbis tectus, impudentior, sed etiam in tragœdijs: quid est enim illud? Quæ mulier una? quid inquam est? Vsurpata duplex cubile? quid illud? Pheræi hic cubile Inire est ausus. quid est: Virginem me quondam inuitam per uim *uiolat. Iuppiter bone, uiolat? atqui idem significat, sed alterum nemo tulisset. uides igitur, cum eadem res sit, quia uerba non sint, nihil uideri turpe. ergo in re non est. multo minus in uerbis: si enim quod uerbo significatur, id turpe non est, uerbum, quod significat, turpe esse non potest. anum appellas alieno nomine: cur non suo potius? si turpe est, ne alieno quidem: si non est, suo potius. caudam antiqui penem uocabant, ex quo est propter similitudinem peniculus: at hodie penis est in obscœnis, at uero Piso ille Frugi in annalibus suis queritur, adolescenteis peni deditos esse. quod tu in epistola appellas suo nomine, ille tectius penem, *sed iam multis factum est tam obscœnum, quàm id uerbum, quo tu usus es. quid? quod uulgo dicitur, cum nos te uolumus conuenire, num obscœnum est? memini in senatu disertum consularem ita eloqui, hanc culpam maiorẽ, an illam dicam? potuit obscœnius? non, inquis: non enim ita sensit. non ergo in uerbo est. docui autem in re non esse: nusquam igitur est. liberis dare operam, quàm honeste dicitur? etiam patres rogant filios: eius operæ nomen non audent dicere. Socratem fidibus docuit nobilissimus fidicen is, Connus uocitatus est. num id obscœnum putes? cum loquimur terni, nihil flagitij dicimus: at cum bini, obscœnum est: Græcis quidẽ, inquies. nihil est ergo in uerbo: quando & ego græce scio: & tamen tibi dico bini, idq; tu facis, quasi ego græce, non latine dixerim. ruta, & menta, recte utrunque. uolo mentam pusillam ita appellare ut rutulam: non licet. bellatectoriola dicis: dic ergo etiã pauimẽta isto modo: nõ potes. uides igitur nihil esse, nisi ineptias? turpitudinem nec in uerbo esse,*

*al. uiolat Iuppiter bene.

*al. sed quia multi, factum.

nec

*al. diuisor.

*al. tur. suppēdit, uel det, uel suscipitur.

*i. sapiens rectiloquus eris.

nec in re itaque nusquam esse. ergo in uerbis honestis obscœna ponimus: quid enim? non honestum uerbum est *diuisio? at inest obscœnū. cui respondet intercapedo. num hæc ergo obscœna sunt? nos autem ridicule, si dicimus, ille patrem strangulauit, honorem non præfamur: sin de Aurelia aliquid, aut Lolia, honos præfandus est. & quidem iam non etiam obscœna uerba pro obscœnis sunt. batuit, inquit, impudenter: depsit, multo impudentius: atqui neutrum est obscœnum, STVLTORVM plena sunt omnia. testes uerbum honestissimum in iudicio, alio loco non nimis. at honesti, Colei lanuini. Cliternini, non honesti. quid? ipsa res modo honesta, modo *turpis. suppedit, flagitium est: iam erit nudus in balneo: non reprehendes. habes scholam Stoicam * ὁ σοφὸς εὐθυῤῥήμων ἔσῃ. quam multa ex uno uerbo tuo? te aduersus me omnia audere gratum est. ego seruo, & seruabo (sic enim assueui) Platonis uerecundiam. itaque tectis uerbis ea ad te scripsi, quæ apertissimis agunt Stoici. sed illi etiam crepitus aiunt æque liberos, ac ructus esse oportere. honor est igitur. Calend. Mart. Tu me diliges, & ualebis.

ASCENSIVS.

Amo uerecundiam &c. Sicut de rebus ita de uerbis erat inter philosophos cōtrouersia. Academici enim & Peripatetici ea æstimauerunt multa esse rer non inhonestas cum sint naturales & necessariæ, quæ tamen non sint propriis uocabulis appellandæ. Contra sentiebant Stoici, quia si turpia, ut sunt adulterium, incestus, homicidium, parricidium, furtum, sacrilegium & similia, inhoneste suis uocabulis exprimuntur: quæ turpia non sunt, inhoneste explicari nō possunt si suis explicentur. De quibus sententiis cum Pætus quæsiuisset, utra placeret, Cice. excusatis nonnihil Stoicis dicit se in Academicorum potius iturum sententiam, qui uerecundiores quam Cynici sunt. Ordo est. Ego amo uerecundiam loquendi, quam Academici commendant, uel potius libertatem quam Stoici. Alii legunt, uel potius libertate. i. quam libertatem, quia Cice. alibi significat uerecundiam sibi potius placere quā libertatem loquendi. Atqui, obiectio est. sed quomodo hæc. s. rem quoq; appellare suo. i. proprio nomine placuit Zenoni. s. principi Stoicæ sectæ, homini, mehercule, acuto. i. subtili, & si: idest quanquam magna rixa: idest lis & controuersia est Academiæ nostræ: idest quam frequentius imitamur cum eo. s. Zenone. sed, ut dico, placet Stoicis. quia Zenoni placuit. ipsi. n. Stoici disserunt: idest argumentantur sic. Nihil esse obscœnum, nihil esse turpe dictu: idest dum dicitur aut ad dicendum. Nā si quod idest aliquod flagitium: idest peccatum magnum sit in obscœnitate, ipsi supple disserunt, id esse aut in re aut in uerbo, nihil esse tertium: scilicet præter rem aut uerbum, quod possit esse obscœnum. Supple obscœnitas non est in re. Itaq;: idest & ita, res ipsa narratur non modo, idest non solum in comœdiis, ut ille supple inducitur dicere in Trinumo in comœdia illa, a qua Plautus titulū Trinumi mutuatus est. Virgo: idest puella modo, idest pauloante, destituit: idest fugiens dereliquit me nudum. Tu forte nosti canticum: idest carmen poetæ in comœdia, & meministi Roscium, idest eum Roscius illud recitaret agendo personam iuuenis id dicentis. Sermo totus est tectus uerbis, sed supple est impudentior re, quia significando se nudum a uirgine nuda destitutum, innuit se prius rem cū ea habuisse, sed etiā in tragœdiis supple narratur res ipsa, eo quod turpis non sit. Quid enim est illud quod dicit in tragœdia. Quæ mulier una, idest cum sit una, quid inquam est Vsurpata: idest usum conuertit duplex cubile? q. d. uidetur quidem res turpis, & tamen non est secundum Stoicos, quia tam in comœdiis quam tragœdiis satis exprimitur. nam dicendo, quæ mulier cum sit una: intelligitur, aut a duobus simul stuprum passa, aut duobus uiris succubuisse cum duplex usurpet cubile, quasi de cubili mariti dormientis ad cubile mœchi se transtulerit. Itaq; potent unum esse exemplum, & duo. si unum, sensus est: quod mulier cū sit una, duplex cubile usurpet, idest duos uiros appetat. si duo, sensus est prioris, quod mulier una duobus simul operam turpem nauarit: posterioris, quod mulier una duplex cubile frequentarit. Quid illud, scilicet in alia tragœdia? hic ausus est intrare cubile Pherei: scilicet tyrāni, & Zelotypi, qui nunquam ad uxorem ingressus esse fertur, nisi stipatus armatis, & excussa muliere, & toto cubili, an telum, aut ferrū aliquod lateret, & tamē ab ea interfectus est. alii legunt, ut inducatur Phereus dicere in tragœdia, hoc modo: Quid illud Pherei: idest quid dicit Phæreus in tragœdia: scilicet hic ausus est inire cubile? q. d. certum est, quod significat coniugem eius uiolatam. Quid est supple illud in tragœdia? Violat per uim me quondam uirginem. Iupiter bone uiolat. Atqui: idest sed, quo modo idem significat, scilicet quod dicitur sicut uerbis tectis, & apertis, sed nemo tulisset, id est passus fuisset, alterum, scilicet uerbum quod proprium est, forte, honor sit auribus, futuit, aut quid simile. Tu igitur uides cū res sit eadem, quia uerba non sint: scilicet turpia nihil uideri turpe, ergo supple turpitudo aut obscœnitas non est in re, quia re satis indicatur, & multo minus est in uerbis. Si enim id quod significatur uerbo, idest res significata non est turpis, uerbum quod significat supple illud non potest esse turpe. Tu appellas anum: idest podicē aut culum, alio nomine: scilicet circumlocutione, ut posterior aut clunes &c. cur non appellas supple eum potius suo: idest proprio nomine. Si turpe est: scilicet quod dicitur, ne quidem: idest non saltem supple dici aut nominari debeat alieno: scilicet nomine: si nō est supple turpe, dici aut uocari debet potius suo scilicet nomine. Antiqui scilicet Romani, uocabant caudam penem, ex quo est penicillus, quo pictores utuntur propter similitudinem, scilicet cum cauda. At penis est: idest connumeratur, hodie in obscœnis, scilicet uocabulis, quia accipitur pro cauda salaci: hoc est pro mentula. At: idest sed. Piso ille frugi, idest parcus, & ad frugem intentus, queritur, idest conqueritur in annalibus suis. adolescentes esse deditos peni: idest libidini, & uirgæ salaci. Id quod tu appellas in epistola nomine suo: idest proprio: utpote mentulam, ille: scilicet Piso: supple appellat tectius, idest coopertius, penem, sed supple nomen penis, factum est iam multis tam obscœnum, quam illud uerbum scilicet mentula, quo tu usus es. Quid supple dices de illo quod dicitur uulgo, cum nos uolumus conuenire te, num, idest nunquid obscœnum? quasi dicat minime: quia memini consularem. s. uirum disertum eloqui in senatu ita, scilicet conuenire te uolumus, & tamen conuenire uulgo accipitur sicut a nobis coire: unde sunt qui putant hic legendum coire pro conuenire. Dicam, Hanc culpam maiorem an illam, potuit, scilicet dicere obscœnius? non inquis. Non enim sensit ita. Ergo supple obscœnitas est in uerbo quia idem uerbum significat rem honestam & inhonestam autē pro sed docui supple obscœnitatem non esse in re. Igitur nusquam est per locum ab inductione sufficienti, quia non est dabile tertium. Etiam patres rogant filios dare, idest ut dent operam liberis. & tamen dare operam liberis, est generare, & non audent dicere nomē eius operæ, scilicet quam cogant ut filii dent, hoc est habendi rem cum muliere. Nobilissimus fidicen docuit Socratem fidibus, scilicet canere. Is, scilicet fidicen, uocitatus est Connus, aut, ut alii scribunt, Cunnus, quod membri mulieris nomen est, sed Græci u non habēt, uerum eodem fere modo profertur, licet per u scribatur membrum illud, num, idest nunquid id supple est obscœnum? quasi dicat, nequaquam, quia proprium est uiri nomen. Cum nos loquimur, idest loquendo proferimus terni, idest illud nomen, nihil dicimus: flagitii, idest turpi flagitio digni. at cum supple loquimur bini, idest dicendo illud uerbum, quod Græce scribitur βινῶ idest futui aut futue, idest egi aut age rem ueneream, inquies, obscœnum est quidem Græcis, licet non Latinis. Ergo nihil est. s. obscœni in uerbo quando, & .i. etiam ego scio Græce scilicet loqui. & tamen dico tibi bini, & tu facis id, quasi ego dixerim Græce non Latine. Ruta, & menta utrūq; dicitur recte, idest honeste, ego uolo, idest demus ut uelim mentam pusillam, idest per diminutionem appellare ita ut rutulam scilicet, pusillam appello. non licet, quia mentula obscœnū est uocabulū. Volo supple appellare tectoriola, idest parua tectoria, hoc est incrustationes & cooperimenta, bella, idest bona & uenusta, dic ergo etiam pauimenta isto modo, idest per diminutionem uidelicet pauimentula, non potes: quia sic iterū profertur mentula nomen obscœnū. Tu igitur uides nihil esse, scilicet in uitanda tali turpitudine nisi ineptias, quia licet dicendo pauimentula fingat in fine id quod turpe putatur, tamen non illud significatur. uides igitur turpitudinem nec in uerbo esse, nec in re, & ita nusquā esse, quod pro Stoicis concludit. Ergo nos qui dicimus in uerbis obscœnitatem esse ponimus obscœna, idest res obscœnas in uerbis honestis, idest dicimus per uerba honesta significari. Quid enim, idest quomodo nō ponamus? diuisio non idest non ne est uerbum: idest uocabulō honestū? quasi dicat etiam. At, idest attamen obscœnum inest: scilicet in eo, aut quia capitur per circūlocutionem pro rima & fissura muliebri, ut sentit Huber. aut quia scilicet dure, ut a Græcis profertur, prolata diuisio sonat ut diuitio, idest in diuersis uiro & corrumpo, quod nimirū obscœnū est, cui scilicet uocabulo respondet, idest synonymū est, intercapedo, idest distātia, spacium, aut loci, aut temporis intermedii. nunquid hæc quoq;, scilicet intercapedo obscœna, supple est sicut diuisio? quasi dicat minime, & tamen idem sunt. Antem idest sed, si nos dicimus ridicule, idest ad excitandū risum, ille strangulauit patrem, non præfamur, idest fando non præmittimus honorem, idest honor sit auribus uestris aut tuis, aut saluo honore ita loquar, cū tamen turpissimū sit quia immanissimum peccatum, strangulare patrem suum. Sin, idest sed si supple nos dicimus aliquid scilicet libidinosum de Aurelia, aut Lolia, idest meretriculis illis famosis, sed minus flagitii admittentibus, honos est præfandus, idest ne aures audientis lædamus, præmittēdus. Et quidem uerba non obscœna sunt, idest habentur iam pro obscœnis. In quit scilicet Comicus quidam aut Tragicus, batuit, idest percussit, ut opinor, Salacis uerbere caudæ, quia additur impudenter, &

suppressit.i.subagitauit multo impudentius. Atqui.i.sed quomodo pro obscœnis habentur? neutrum.i.nec batuere, quod est percutere, nec supprimere est obscœnum.s.ea propria significatione. Sed omnia sunt plena stultorum.i.turpitudinem censentium, ubi nulla est. Testes est uerbum i.uocabulum honestissimum in iudicio ubi citantur & audiuntur testes, alio loco.i.extra illam significationẽ est.s.uerbum nominis.s.honestum quia testes & testiculi sunt uirilitatis indicia & quasi testes uidelicet colei. At.i.sed. colei sup. sunt honesti.i honeste nominantur, aut quia καλεῖς, coleos græce uaginam significat, aut quia in consuetudine loquentium non inhoneste nominabantur etiam pro testibus seu testiculis. Lanuuini.i.colei lanugine.i.pube tecti, & cliternini.i.colei sic alio nomine dicti, sup. sunt non honesti. Quid sup. dices? ipsa res est modo honesta modo turpis.s.secundum æstimationem hominum. Suppendit est flagitium.i qui dicit hoc uocabulum suppendit, aut, ut alii legunt, suppellit quasi flagitium committit, tam obscœnum est dictu, sonat enim idem quod subagitat & quasi pellem subigit aut qui desuper pependit. Iam erat nudus in balneo.i.si quis hoc dixerit, tu non reprehendes, quia non uidetur obscœnum cum tamẽ nudum esse homini pudori sit, taceo siquid turpius celat, nam pro eodem suppellere aut suppendere & esse nudum in balneo accipit, cum dicat eandem rem modo honestam modo turpem. Tu habes scholam Stoicã ὁ, articulus & sicut gallice le, & theutonice de, sophos.i.sapiẽs euthyrremon.i.eris, hoc est ex Stoicorum schola poteris testiloquus euadere Quam.i.o quãtum multa sup. attulimus uerba, ex uno uerbo tuo.i.quo usus es obscœne putans quod in uerbis nõ sit obscœnitas gratum est.i.acceptum mihi te audere omnia aduersus me.i. ausum esse obscœnis uerbis uti. Ego seruo & seruabo uerecundiam Platonis.s.in loquendo.ego.n.assueui sic.s.facere. Itaq; ego scripsi ad te uerbis tectis.i.coopertis ea sup. quæ Stoici agunt apertissimis sup. uerbis. Sed illi.s.Stoici aiunt crepitus.s.narium aut culi, hoc est pedendi sonitus oportere esse æque liberos ac ructus.s.oris Igitur honor est Calen Martiis, quibus rei uxoriæ operam dabant. unde Flaccus, Martiis cœlebs quid agam Calẽ q.d.loqui obscœne & re uenerea, est apud Stoicos honestum, cum nullum censent uerbum turpe, cui res sit illicita Tu diliges me & ualebis. Non ergo semper ponitur in fine uale, nec solæ sunt uoces uale & ualere.

VICTORIUS.

AMo Verecundiã} Quæstio quæ hac epistola lepide simul & erudite explicatur, ab aliis etiam agitata est. Docet enim cum de pulchritudine & turpitudine nominum lib. III. Rhetorices Aristoteles disserere, rationem hanc quã postea, ut patet, Stoici arripuerunt (quod turpitudo.s.non esset in uerbis) sophisticam esse eiusq; fallaciæ authorem Brysonem fuisse, & quemadmodum ea solui debeat, accurate subtiliterq; his uerbis disputat Est enim (inquit) aliud alio magis proprium nomen & magis simile rei magisq; aptum & accommodatum ad constituendam rẽ ante oculos. Præterea non eodem pacto se habens significat hanc rem & illam, quapropter ob hoc etiam aliud alio turpius aut honestius iudicandum est: ambo enim sane & honestum, & turpe significant, non tamen quatenus honestum, aut turpe, at hæc quidem? uerũ magis aut minus. Expositis autẽ Cice. diligenter Stoicorũ argumentis, quãuis ad ea non respondet, se tamen Platonis uerecundiam sequi male ostendit, qui obscœnas res tectis uerbis solitus est significare. Hoc igitur a doctore suo Aristoteles accepit: sed non solum ipse ut pudorem seruaret, ab ea sententia quæ tunc (ut uidetur) ualde celebris erat, alienus fuit, sed rationes quasdam, & argumenta excogitauit, quæ eam inanem & falsam esse docerent. Nunc postquam quod propositum fuit, hac epistola Ciceroni declaratũ est, ad quasdam eius partes purgandas, quæ fœdis maculis inquinatæ sunt, ueniamus: facilius enim iudicari & statui poterit de probitate & prauitate illarũ, tota totius epistolæ sententia percepta & cognita. explicat etiam Cice. hanc eandem disputationem contra uerecundiam lib. j. officiorũ, sed breuius. {Vt ille in Trinummo uirgo modo} Antiqua cuncta exemplaria, quæ uidimus, etiam margines Germani libri, ubi illi quasdam diuersas a uulgatis lectiones ex antiquo, ut testati sunt, & mihi sane persuadent, codice posuerunt, habent {Vt ille in demiurgo modo} intelligit aut Turpilium comicũ, qui fabulam docuit hoc titulo. Non Marcellus Turpilium citat in Demiurgo in dictione {Questi} item in dictione. {Porti} item alibi hunc Turpilii uersum adducit in Demiurgo, Apertæ suræ, brachia autem errorẽ mihi corde exuscitabant. Nam uox illa {Modo} significat hanc comœdiã paulo ante recitatã fuisse Quod uerba etiam illa. {Nosti canticũ, meministi Rosciũ} confirmant. locũ autẽ hunc in Trinummo apud Plautum non inueniri, omne dubiũ tollit, coarguitq; uulgatam lectionẽ falsam, & deprauatam esse. {Sed iam multis factũ est iã obscœnũ} Nos antiquam lectionẽ in nostro libro reposuimus synceram, ut arbitror, & incorruptam, planam certe, & claram, Quod tu in epistola suo nomine appellas, Piso ille frugi testius, & minus aperto uocabulo appellabat penem. sed quia multi, post eũ.s.sic appellauerunt, ut ipse antea appellarat, cũ amplius nõ tectum esset, & obscurũ, factũ est tam obscœnum quam id uerbum quo usus est Pætus. {Postquã.n.nõ latuit, nec clam fuit quid ea uoce significaretur, stat im factum est turpe, & obscœnum non enim intelligi ab omnibus quid ea denotaretur, ipsam uerecundiorem faciebat. ideoq; infinitis pene nominibus apud Græcos, nec paucis et apud Romanos hæ hominis partes, quæ honestæ nominari nõ possunt, indicantur: unusquisq; reconditam uocem sectatur, uulgatam & nimis apertam propter turpitudinem fugit, & aspernatur. {Batuit (inquit) impudentius} Est & hoc uerbum ex illis quæ turpem rem significabant, cum alium etiam haberent non obscœnum significatum: nam pro uerberare frequenter accipiebatur. Habemus & nos huic simile uerbum & nomine & significatu.i. quod ab hoc deductum uidetur, & ipsum quoq; uerberare & flagello cædere significat, quod flagitiosam & nefandam rem alio significatu innuit, & eandem (ut puto) quam apud Romanos Battuere Quanuis enim Cicero impudentius adhuc esse tradat Despere quam Batuere: dicit hoc fortasse, quia tunc non tantopere detestabantur eas libidines, quæ priore uerbo significantur, quam nos nunc merito facimus. sed licenter illis amoribus utebantur: sed non nostrũ est neq; ad hoc institutum pertinet, quod grauius aut leuius peccatum scelusve sit, modo te perquirere: illo certe quod uerbo Depsere innuitur nihil spurcius fœdiusq; fieri potest, ueniam mihi datum iri spero, qui ut huius epistolæ sensum aperirem, & declararemq;, breuiter & tecte de obscœnis rebus aliquantulũ disputaui. {Depressit multo impudentius} Vetusti codices. {Dempsit} Nos literam M uacare putauimus, ac {Depsit} scripsimus. Non. Marcellus Varronem, Mysteriis hac uoce usum esse docet hoc uersu, Sed tibi fortasse alius molit, & depsit. a Græco autem (ut eius uerba sunt) magis significantiam & originem trahit. quod autem uersus Homeri in Odyssea, quem Nonius citarat, nullum uestigium ibi est: ut inane illud spacium repleatur, uideodum est an reponi hic debeat κηρὸν δὲ ψεύσας μελιηδέα μή τις ἀκούσῃ qui est in XII. lib. cum sermo esset de Vlysse, qui mollita cera aures sociorum obturabat, ne cantus illi Sirenum audirent. quid uero δέψειν apud Græcos sit, notissimũ est. Tanta erat priscorum comicorum licentia, ut nedum puduerit Aristophanem obscœno nomine in comœdia uti, totam hanc rẽ scurriliter designet, & pingat: quod mirum est, ea tempora tantam uerborum obscœnitatem ferre in theatro potuisse, & tantopere risu, in eisq; insanire homines illos solitos, ut paterentur sinistre facetos poetas tam turpiter, scelesteq; bonis moribus illudere. {Supplere flagitium est} Nos parua admodum immutatione ab antiquis exemplaribus {Suppedit} legimus: nam sic etiam supra {Batuit, depsit} tertia persona singularis numeri. Res autem clara est. Non solũ inquit, uerba, quæ rem significant, sed res ipsa etiam quæ uerbis illis declaratur, pro loci ratione modo turpis est, & culpatur, modo si nõ honesta, tamen concessa, & non reprehensa. Quod enim in balneis nudum nulli datur, id alibi committere flagitium est. manifestum est autem quid intelligat.

Ex poste. eiusdem.

PEnicillus} Non uideo cur necesse sit receptam lectionẽ mutare: in nostris sane priscis exemplaribus eam inuenimus. potuit enim quemadmodum Sex. Pompeius Peniculus, inquit, ita Cicero ὑποκοριστικῶς Penicillus dicere. Mediceus hic nulla in re ab impressis discrepat, nisi quod {Penum} habet, non {Penem} quod an probari possit, doctiores uidebunt. {Cum nos te uolumus conuenire} Quintilianus lib. VIII. (qui & ipse de hac re docte, & accurate disseruit) sine iunctura deformiter sonat, ut si cum hominibus notis loqui nos dicimus, nisi hoc ipsum {hominibus} medium sit, in præfata uidemur incidere. {Non honestum uerbum est diuisor} Mediceus codex {Diuisior} quare {Diuisio} legendum fortasse sit. accurate tamen uidendum, quid sit obscœni in hoc uerbo. {Diuisio} ita enim loquitur Cicero, ut significare uideatur, quãuis totum honestum sit, in eo tamen deformitatem aliquam latere, nam in dictione Intercapedine, si nominatiuo casu quis utatur, manifestum est: tunc enim Pedo dicitur, quod obscœnum est, quia rẽ fœdam significat: & si multi hunc locum ridicule interpretantur, & ut ego quod sentio libere exponam, arbitror, qui {Diuisio} utitur in sermone, pudorem uiolare quod in ea uoce pronuncianda dicas diuisi, non aliter, ac Pedo obscœnum est quanuis diuersum flagitium denotet: qui enim Diuisi inquit, nefariam rem se fecisse ostẽdit. Plautus hoc uerbo eodem intellectu usus est. Pol. equidem dicam palã, me non diuides. ut in uerbis etiam illis quæ honestiore significatu huic respondent, quibus usi sunt qui confecerunt epigramma in custodem hortorum.

Præcidere puer moneo. & in alio
Furum scindere podices solebam.

Ideoq; nisi fallimur, Cic. inquit, cui respondet intercapedo. Nã ut qui {Intercapedo} dicit, extrema nominis illius parte peccat: ita q {Diuisio} priore. An uõ oportet uerbũ {Diuisio} frangere, ac dissecare? ut obscœnitas in eo intelligatur, in {Intercapedo} sane necesse est, deformitas.n.in eo dissecto ac disiuncto est, sed in toto uerbo. {Diuisio} obscœnũ inest, quod rẽ nefariã alio occultiore significatu contineat. hæc autem uitia in oratione fiunt, cum aut coniungitur, quod separatum esse debet, aut quod coniunctum dissecatur. Illis quæ quondam excogitata a nobis sunt ad purgandam, & explicandam hanc epistolam necessaria (quæ doctrinæ, & elegantiæ plena est) hoc addere non inutile esse existimauimus.

Pet

PAVL. MANV.

PEr tum uiolat} Antiqui uiolauit uirginem, pro, uitiauit, & cum muliere fuit, pro, concubuit, modeste dicebant. author M. Varro lib. V. de lingua Latina. Peniculus In omnibus fe re manuscriptis libris ita legitur. cuncti tamen impressi, penicillus habent. quam lectionem ab iis repositam existimo, qui, quid peni culus significaret, non intellexerunt. quæ quidem uox a Sex. Pom peio lib. X I I I I bis exponitur. Peniculi (inquit) spongiæ longæ propter similitudinem caudarum appellatæ: penes enim uocaban tur caudæ. & inferius Penem caudam uocabant. hinc peniculos di cimus, quibus calceamenta terguntur. ex quo uel maxime uetusti codicis lectio comprobatur: eundē enim sensum S. Pompeius iisdē uerbis, quibus Cicero, complexus est Plautus quoq; in Menæch mis, actu. I. Iuuentus (inquit sub persona parasiti) nomen fecit Pe niculo mihi, ideo quia mensam, quando edo, detergeo. ut eius uo cis significatio obscura iam esse non possit. hunc autem locum in geniosissimo, atque eruditissimo iuueni Hieronymo Ferrario de bemus.

SEBAS. CORR.

PLacet Stoicis} quos in primo de Officiis libro hac in parte audiendos negat. {Trinumo uirgo} Al. Demiurgo, quæ fuit Turpilii fabula. Al. Ditriurgo, uel Detriuirgo. {Nudum} Al. nudam Bacchus. {Vsurparo} Al. usurpat. {Cum nos} cū nos, enim proferimus. {Au illam} aui profertur. {Pauimenta} ex diminutione enim nasceretur, pauimentula. {Diuisor} Hinc Plautinus coquus in Aul. Me non diuides. {Depressit} Al. depsit, & dempsit. {Lanu uini} Lanuuio} Oppido. {Cliterni} a Cliterna. {Suppellere} Al. sup pedit. {ὁ σοφὸς εὐθυρρημονεῖ} sapiens rectiloquus erit Epist. XVI. lib. X I I.

BERN. RVTI.

AMo uerecundiam, uel potius libertatem loquendi} Legetur opinor, rectius, Amo uerecundiam, tu potius libertatem lo quendi: ex iis sequentibus. Vt ille in Trinumo, uirgo modo (forte nosti canticum, meministi Roscium) ita me destituit nudū ita mihi penem excoriauit, & ostendit, ut ille inquit, Iudæum nul la sub cute pondus. hoc enim puto dici {Quod tu in epistola ap pellas suo nomine} Priapum dixerat, puto: uel illam, quam sanctus Numa mentulam. {Hanc culpam maiorem, an illam dicam} Verba consularis, in quibus ex uerborum coniunctione obscœnum fit ca cophaton, quoniā & culum nominare uidetur, & quasi dicere hoc maius lasciuiæ ac libidinis uitium. f. pædicandi culpam autem, ab uno, dicam? est enim quale illud. cum nos te uolumus conuenire, non idem exemplum, ut ineptit Clericus. {Potui obscœnius} Le gendum ex aliis codicibus & sensu, potuit obscœnius: {Bella tecto riola, dic ergo etiam pauimenta isto modo. non potes} Non est satis assequutus sensum Crescentinas. hoc enim suauiter dicit Cicero, si, ut a tectoriis diminutiuum deducis tectoriola, quod non est tur pe: ita si a pauimentis dicas pauimentula, obscœnum erit. uideberis enim dicere, fers priapo mulierē. {Quid enim? nam honestum uer bum est diuisio? as inest obscœnum? cui respondet intercapedo} Hic quoq; Non aptius legetur, quam Num. ut sit, Quid enim? non honestum, &c. Beroaldus in commentariis Tranquillianis, diuiso rem hoc loco agnoscit, ut alii habent, & pædiconem significari pu tat. {At honesti colei lanuuini, cliternini non honesti} Ariolatur interpres. Quid si ita intelligamus, ut apud Lanuuinos (quos sci mus populum fuisse, qui Lanuuium incoleret) colei honestū quip piam significarent: Cliterninis autem, quod & nobis, testiculos. Ce pit enim iam ostendere, idē uerbum alibi honestum, alio loco tur pe esse: ut quod de testibus dixit. Aut culei forte cognomen fuerit Lanuuinæ gentis: q. d. Cic. tam propinquis locis idem uerbum, & inhonestum est, & honeste usurpatur. Nam & Honesti uerbum, sci mus ad dignitatem etiam gentis referri: ut fit etiam in eo uerbo io cus. quod si placeat, etiam Liuternini legere possis: quoniā & Lin ternum & Lanuuium in Latio, aut contermina Campania, ex Ply nio, & Geographis aliis. Cur enim nostrati principe non utar? Hoc uero tale est ut si quis hodie dicat: Coleones Bergomates honesti, Brixienses non honesti, quod sit Bergomi Coleonum familia Bar tholomæo duce inclyta. {Suppellere, flagitium est. Iam erit nudus in balneo, non reprehendes} Quid si Suppellere, a pelle potius sit quam a pello? ut significet, reiecta pelle præputium, ac mentulam nudam ostendere. Agit enim non iam de uerborum, sed rerum ob scœnitate. Locus autem exigit istam declarationis turpitudinem: itaq; ueniam præfamur. {Honorem igitur Calen. Martiis} Aldus: honor est. Calen. Martiis. Vt significet, quod & interpres putat, Ca len. Martiis datas literas. Tu uide num ideo Calen. Martiis hono rem habendum dixerit, propterea quod fœminis eæ quasi uendica bantur. unde illud: Munera fœmineis tractas secreta Calē. Moneo tamen, nihil decerno, nam utrūq; seruari sine piaculo potest.

PHIL. MELĀ.

AMo uerecundiam} Recitat Stoicorum opinionem de liber tate loquendi, quæ Cynica potius est quam urbana. {Dic ergo etiam} Iudicium Cic. de his rebus. {Quam multa ex} Ironice, & irrisorie dictum.

Cæl. Rho dig. An tiq. Lect. lib. I I. ca. 39.

TEstes a Græcis δίδυμοι appellantur: Dicuntur & colei ab eruditis, atq; item Lanuuini, & cliternini. ut est in Cicero. episto ad Pætum. Apud quem tamen attiserit magis, si clito rios legas, potius quam cliterninos, dictione ab Græcis producta, apud quos clitorium est muliebre pudendum. quod & sacandrus di citur. unde κλειτοριάζειν, turpiter membrum id attrectare significat. Pollux per κ scribere mauult, ubi ait lib. I I. Onomastici: Totum in uirginali, siue interfœmineo, uocatur κτείς. i. pecten, aut epision. ri ma uero dicitur schisma, quod arctum illatenus quandoq; est, ut mulier fieri nequeat, sicuti commeminit Vlpianus. quæ interiacet subsultans caruncula, nympha nuncupatur, aut myrthon, siue epi deris aut κλειτορὶς cletoris. Est & κλειτορίζειν, hoc est cletorium, apud illos: sed id uerbum, quandoq; mensam indicat regiam, quandoq; etiā gloriā Iam opinor restitutus est candori suo M. Tullius.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Iocatur cum Pæto, qui scripserat se pedibus ægrum: ait siquidem, se uen turum, quod coquus illius adhuc membris integer sit, & cum eo liberalius conuicturum.

M. C. PAPYRIO PÆTO S. D. 23

HEri ueni in Cumanum. cras ad te fortasse. sed cum certum sciam, faciam te paulo ante certiorem. etsi M. Ceparius, cum mihi in sylua Gallinaria obuiā uenisset, quæsissemq;, quid ageres, dixit te in lecto esse, quòd ex pedibus laborares: tuli scilicet moleste, ut debui, sed tamen constitui ad te uenire, ut & uiderem te, & uiserem, & cœnarem etiam: non enim arbitror co cum etiam te arthriticum habere. expecta igitur hospitem cum mini me edacem, tum inimicum cœnis sumptuosis. Vale.

ASCEN SIVS.

HEri &c Laborabat Pætus ut Cic. audiuerat, pedibus, ipse tamen more suo iocans dicit, se nihilominus ad eū iturum, quia credit coquum eius non laborare eodem morbo, nec lecto teneri, quo minus ualeat cœnam para re Ordo est. Ego ueni heri in Cumanum. i. in possessio nem meam apud Cumas. Cras sup ueniam fortasse ad te. Sed cum sciam certum. i. ut rem certam, ego faciam te certiorem. i. significa bo tibi pauloante. s. quam uenturus sim Etsi Marcus Ceparius cū uenisset mihi obuiā in sylua Gallinaria, & quæsissem pro quæsiuis sem sup. ab eo, quid ageres, dixit te esse in lecto, quod laborares ex pedibus. i. dolore pedum. Scilicet. i. scire licet, quid fecerim eo audi to. quia tuli. i. portaui ut dicunt, seu passus sum, moleste, ut debui. s. portare morbum amici, sed tamen. i. nihilominus constitui uenire ad te, ut &. i. simul uiderem te, tanquam amicum. cuius uidendi es sem cupidus, & uiserem. s. tanquam ægrotum, cœnarem etiam tan quam apud bonum conuiuiorum instructorem. Non enim arbitror te habere etiam coquum arthriticum. i. articulari morbo laborātem. Nam ἄρθρον dicitur articulus. Igitur expecta hominem minime. s. nequaquam edacem. i. multum comedentem, tum. i. insuper inimi cum cœnis sumptuosis. i. magnorum sumptuum, in quibus. s. multæ maneant reliquiæ. nam ut alibi iocose dixit, tales cœnas odit, in uens se potius gaudere cibo delicato & modico, quam multo & uulgari. Nam licet pluris bos quam turdus constet, delicatus tamē malit ad turdum inuitari quam ad bouem.

SEBAS. CORR.

I N Sylua Gallinaria} lege Strabonem libro quinto. {Arthri cum} Al. Arthriticum.

PHIL. MELĀ.

H E R I Veni} Iocosa narratio, de suo aduentu.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Monet Pætum, ut consuetudinem cœnandi intermissam & relictā redin tegret, & animi causa concœnationes conuiuiaq; amicorum celebret.

M. C. PAPYRIO PÆTO. S. D. 24

RVfum istum amicum tuum, de quo iterum iam ad me scribis, adiuua rem quantum possem, etiam si ab eo læsus essem, cum te tantopere uiderem eius causa laborare. cum uero & ex tuis literis, & illius ad me missis intelligam et iudicem, magnæ curæ ei salutem meam fuis se: non possum ei non amicus esse,

neque solum tua commendatione, quæ apud me, ut debet, ualet plurimum, sed etiam uoluntate, ac iudicio meo: uolo enim te scire mi Pæte, initium mihi suspicionis, & cautionis, & diligentiæ fuisse literas tuas. quibus literis congruentes fuerunt aliæ postea multorum: nam & Aquini, & Fabrateriæ consilia sunt inita de me, quæ te uideo inaudisse. & quasi diuinarent, quàm his molestus essem futurus, nihil aliud egerunt, nisi me ut opprimerent. quod ego nõ suspicans, incautior fuissem, nisi à te admonitus essem, quamobrem iste tuus amicus apud me commendatione non eget. utinam ea fortuna Reipub. sit, ut ille me quam gratissimum possit cognoscere. sed hæc hactenus. Te ad cœnas itare desisse, moleste fero: magna enim te delectatione, & uoluptate priuasti: deinde etiam uereor (licet enim uerum dicere) ne nescio quid illud, quod solebas, dediscas, & obliuiscare cœnulas facere: nam si tum, cum habebas quos imitarere, non multum proficiebas, quid nunc te facturum putem? Spurina quidem, cum ei rem demonstrassem, & uitam tuam superiorem exposuissem: magnum periculum summæ Reipub. demonstrabat, nisi ad superiorem consuetudinem tum cum fauonius flaret, reuertisses: hoc *tempore ferri posse, si forte tu frigus ferre nõ posses. sed mehercule mi Pæte, extra iocum, moneo te, quod pertinere ad beate uiuendum arbitror, ut cum uiris bonis, iucundis, amãtibus tui uiuas. nihil est aptius uitæ, nihil ad beate uiuẽdum accommodatius, nec id ad uoluptatem refero, sed ad *communitatem uitæ atque uictus, remissionemq; animorum, quæ maxime sermone efficitur familiari, qui est in conuiuiis dulcissimus: ut sapientius nostri. quàm Græci illi *συμπόσια, aut *σύνδειπνα, idest compotationes, aut concœnationes: nos conuiuia, quòd tum maxime simul uiuitur. uides ut te philosophando reuocare coner ad cœnas! Cura ut ualeas. id foris cœnitando facillime consequere. sed caue, si me amas, existimes me, quod iocosius scribam, abiecisse curam Reipub. sic tibi mi Pæte persuade, me dies, & noctes nihil aliud agere, nihil curare, nisi ut mei ciues salui, liberiq; sint. nullum locum prætermitto monendi, agendi, prouidendi. hoc denique animo sum, ut, si in hac cura atque administratione uita mihi ponenda sit, præclare actum mecum putem. Etiam atque etiam. Vale.

*al. tẽpore ferre te pos.

*al. comitatem.

ASCENSIUS.

RVsum istum &c. Scribit quam iustis de causis debeat habere Rufum, commendatum: quem Pætus commendauerat. Deinde quia scripserat se prætermisisse ire ad cœnas amicorum, cum ioco reuocat & inuitat eum ad pristinam consuetudinem: quam approbat non tam causa cibi quam conuictus: dicitq; se Respub. curam non abiecisse. Ordo est. Ego uduuarem quantum possem Rufum istum amicum tuum, de quo scribis iam iterum ad me, etiam si essem læsus ab illo, cum. i. quando quidẽ ego uiderẽ te laborare tantopere. i. tam diligenter & operose, causa eius. i. ut eum commendatum haberẽ. Vero pro sed cum ego intelligam. i. cum ita sit quod intelligam & iudicẽ. i. censeam, & i. simul literis tuis & illius. s. Rufi, misisti ad me, salutẽ meã. s. cum essem in exilio, fuisse ei magnæ curæ, non possum non esse. i. non possum facere, quin sim amicus ei, neq; solum commendatione tua. i. propter commendationẽ tuam, quæ ualet plurimũ, apud me, ut debet. s. ualere, sed etiã uoluntate. i. propria inclinatione & sponte mea, ac iudicio. Enim. i. quia, o mi Pæte ego uolo te scire literas tuas fuisse mihi initium suspicionis, & cautionis. i. cautelæ, & custodiæ, & diligentiæ, quibus. s. literis tuis multæ aliæ. s. literæ multorum, fuerunt postmodum congruentes. i. concordes & cõsonæ. Nã consilia sunt inita de me. s. opprimendo aut capiendo, &. i. simul Aquini. i. in eo oppido Italiæ per S. Thomam nobilitato, & Frabateriæ etiam oppido Italiæ, quæ. s. consilia ego uideo. i. intelligo etiã te audisse, & quasi diuinarent, quam. i. quantum molestus essem futurus his, nihil egerunt aliud, nisi ut opprimerent me. Quod: idest quam rem, ego non suspicans, fuissem incautior, nisi essem admonitus a te. Quamobrem iste amicus tuus. i. tam beneuolus & fauorabilis mihi non eget commẽdatione apud me. Vtinam ea. i. talis sit fortuna Reipub. ut ille. s. Rufus quem mihi commendasti, possit cognoscere me quam gratissimum. i. ualde gratum. Sed hæc hactenus sup. de Rufi commendatione dicta sunt. Fero moleste te desisse ire ad cœnas. Tu enim priuasti te magna delectatione & uoluptate. Deinde. i. insuper etiam uereor, licet enim dicere uerum, ne dediscas illud nescio quid quod solebas, hoc est, laute instruere cœnam & obliuiscare. i. obliuiscaris facere cœnulas. s. modicas. Vnde diminutiuo utitur quasi per contemptum. Nam si nõ proficiebas multũ tum. i. tunc cum. i. quando habebas quos imitarere. i. posses imitari. s. frequentando eorum cœnas, sed modicas pro opiparis reponendo, quid putem te facturum nunc. s. cum non amplius aliorũ cœnas frequentes? q. d. nihil aliud quam obliuisci conuiuandi rationem. Quidẽ. i. certe Spurina. s. medicus, & aruspex peritissimus. cum demonstrassem ei, & exposuissem. i. declarassem uitam tuam superiorẽ demonstrabat magnum periculum summæ rei. i. uitæ tuæ impendere, nisi reuertisses ad superiorẽ. i. priorem consuetudinẽ. s. conuiuandi. Tum. i. tunc, cum Fauonius. i. uentus ille a fauendo, aut fouendo dictus, ab occidente tempore uerno flans, flaret: quod (ut iã dixi) in Veris principio fieri solet: sup. demonstrabat nunc facis. i. nõ ire ad cœnas aliorum, posse fieri hoc tempore, si tu non posses ferre frigus. Sed o mi Pæte mehercule, modus est iurandi sæpe a uobis expositus, ego moneo te extra iocum, ut uiuas cum uiris bonis, iucundis, & sup. amantibus tui. Nihil enim: sup. est aptius uitæ nihil est accommodatius ad uiuendum beate. s. in hac uita, nec ego refero. i. reduco id ad uoluptatem, sed ad comitatem. i. affabilitatẽ & mansuetudinem uitæ, atq; uictus, & ad remissionem. i. relaxationẽ: animorum, quæ. s. remissio fit maxime. i. præcipue sermone familiari, qui. s. sermo familiaris est dulcissimus in conuiuiis, ut nostri. i. Romani aut Latini sapientius sup. uocauerunt Symposia. i. compotationes, nos syndipna. i. concœnationes, nos sup. uocamus conuiuia quod uiuitur simul maxime tum. s. dum comeditur, aut compotatur. Tu uides. i. intelligis, ut. i. qualiter ego philosophando coner reuocare te ad cœnas. s. solito more frequentandas. Cura ut ualeas, tu consequere. i. obtinebis facillime id. s. ut ualeas cœnitando. i. frequenter cœnando foris, quod quidem uerũ si sobrie. Sed si tu amas me, caue sup. ut non existimes me abiecisse, curam Reipub. eo quod scribam iocosius. O mi Pæte persuade tibi sic. i. fac ut sic credas me nihil aliud agere dies & noctes. Admonui sæpe contra Vallæ opinionem. ubi tempus est continuatum, frequentiorem esse per accusatiuum temporis locutionem etiam apud Ciceronem, ut hoc loco cui simile est illud VI. Aenei. Noctes atq; dies patet atri ianua ditis, nihil curare sup. aliud, nisi ut ciues mei. i. quorum iam cõsul fui sint salui & liberi. Ego nullum. i. nonnullum, non prætermitto nullum locũ monendi, agẽdi, prouidendi. s. ut salus & libertas ciuium seruetur. Denique ut uno uerbo concludam, ego sum hoc animo. i. habeo hunc. i. huiusmodi animum, ut si uita sit ponenda mihi. i. deponenda, in hac cura atq; administratione. s. Reipub. Et reuera non multo post pro repub. extinctus est, sed iam oppressa, primũ a Cæsare, & deinde a triumuiris, & potissimum ab Antonio: ego putem. i. existimem & censeam etiam atq; etiam. i. frequenter & accumulate actum mecum præclare. i. præclare mihi contigisse, quia dulce & decorum est pro patria mori. Non opus est admonitore quod sæpe tibi dixi Romanos gaudere suo casu. i. ablatiuo, quo Græci carent quo circa dixit: hoc denique sum animo. i. huius sum animi, quod ẽt, dicere liceat. sed minus Romane, magis tamen fortassis grammatice, siquid Seruio credimus. Notum præterea puto tunc quemuis apte dicere. ut ciues mei &c. cum ipse est eorum princeps, aliter diceret conciues mei &c.

VICTORIUS.

RVsum istum amicum tuum} hãc epistolam (nisi fallor) scripsit Cice. post Cæ necem: quod uerba quoq; hæc, quæ in ipsa posita sunt, declarant: Nam & Aquini, & Fabrateriæ cõsilia sunt inita de me. De eadem enim re Cicero in Philipp. egit. {Hoc tempore fieri posse} Vetusti codices. {Ferri} non quod {alii pro Tempore, tẽpore} legunt, in nullo inueni antiquo codice. Idem dicimus de uoce illa. {Seruitutem} quam alii in {Seueritatem} commutarunt. Nos enim omnibus uetustis exemplaribus cõcordes uulgatos codices nunquam damnare ausi sumus, ideoq; & hic & aliis locis hæc argute ab aliis excogitata non recipimus.

SEBAS. CORR.

SPVRINA} Augur. {Communitatem} Al. comitatem.

BERN. RUT.

HOc tempore fieri posse, si forte tu frigus ferre non posses} quid si, hoc tẽpore. quia dixit est Fauonius flaret. tametsi utrinq; exprimi idem sensus potest. Et hanc autem epistolã, & tres superiores proximas quod ante ciuilia bella scriptæ sunt, arbitror Papyrianis hisce ordine omnibus præponendas. id cũ ex sententia earum, tum epistola ad M. Cælium, quæ est lib. II. hoc initio, Fabio uiro optimo, discas.

PHIL. MELÁ.

RVsum istum} Respondet commendationi & pollicetur suũ officium. {Magna enim te} Iocus de conuiuiis. {Spurina quidem} confirmatio instituti ioci de conuiuiis. {Sed mehercule} Adhortatio ad hilariorem uitæ consuetudinem. {Vides ut, te} Epilogus huius loci. {Sic tibi} responsio ad occupationem. {Nullum locum} Amplificat illam solicitudinem.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Iocatur cum Pæto, quod de re militari præcepta quædam ad eum scripserit, deinde commendat M. Fabium quendam, qui cum fratre controuersiam habebat: petitq; ut litem illam sopiat, ne discordia inter eos gliscat.

M. T. C.

M. T. C. IMP. PAPYRIO PÆTO. 25

*SVmmum me ducem literæ tuæ reddidere. planè nesciebam te tam peritum esse rei militaris. Pyrrhi te libros, & Cyneæ uideo lectitasse. itaque obtemperare cogito præceptis tuis, hoc amplius, nauicularum habere aliquid in hora maritima. contra equitem Parthum negant ullam armaturam meliorem inueniri posse. sed quid ludimus? nescis, quo cum imperatore tibi negocium sit? *Κύρου παιδείαν, quam contriueram legendo, totam in hoc imperio explicaui. sed iocabimur aliàs coràm, &, ut spero, breui. Nunc ades ad imperandum, uel ad parendum potius: sic enim antiqui loquebãtur. Cum M. Fabio (quod scire te arbitror) summus mihi est usus: ualdeq; eum diligo cum propter summam probitatem eius, ac singularem modestiam, tum quod in his controuersiis, quas habeo cum tuis combibonibus Epicureis optima opera eius uti soleo. is cum ad me Laodiceam uenisset, mecumq; eum ego esse uellem: repente percussus est atrocissimis literis, in quibus scriptum erat, fundum Herculanensem à Q. Fabio fratre proscriptum esse, qui fundus cum eo communis esset. Id M. Fabius pergrauiter tulit, existimauitq; fratrem suum, hominem non sapientem, impulsu inimicorum suorum eo progressum esse. nunc, si me amas, mi Pæte negocium totum suscipe, molestia Fabium libera, authoritate tua nobis opus est, & consilio, & etiam gratia. noli pati, litigare fratres & iudiciis turpibus conflictari. Mathonem, & Pollionem inimicos habet Fabius. quid multa? non me hercule tam perscribere possum, quàm mihi gratum feceris, si ocio sum Fabium reddideris. id ille in te positum esse putat, mihiq; persuadet. Vale.*

*.i. Cyri disciplinam.

ASCENSIVS.

SVmmum me ducem] Quia Pætus scripserat ad Ci. multa præcepta de re militari, quam non exercuerat, Cicero iocans scribit se multum adiutum illius præceptis, quæ ex alicuius magni ducis ut Pyrrhi & Cyneæ libris eum excerpsisse autumat, innuens plane experimento ea non didicisse. Deinde commendat ei M. Fabium quendã amicum suum, qui habebat controuersiam de agro, rogatq; eum adiuuet. est autem non uulgaris commendatio, sed digna quæ ab legentibus memoriæ mandetur. Ordo autem est: Literæ tuæ quibus plurima præcepta rei militaris scripsisti reddiderunt. i. effecerunt. Tracta metaphora a ludimagistro qui eum puerum erudiendum acceperit, reddit eruditum: hic autem Cic. e literis Pæti lectitandis, didicerat, unde reddiderunt ipsum summum quia peritissimum ducem. s. exercitus. Ego plane. i. omnino nesciebam te esse tam peritũ rei militaris. Ego uideo te lectitasse. i. frequenter legisse libros Pyrrhi. s. regis Epirotarum, quem Annibal secundum in præstantia rei militaris censuit, eo quod castrametari primus docuisset, unde de ea re aut libros scripsisse, aut scribere potuisse uerisimile [illegible]. Præterea optime disposuisse præsidia indicat illud Gnathonis Terentiani in Eunucho. Sic olim Pyrrhus factitauit. i. sic disposuit & instruxit aciem, ut tu o Thraso nunc fecisti. & Cyneæ, qui Pyrrhum uidetur docuisse, & de re militari scripsisse. Fuit, authore Cice. in libro de senectute, Thessalus, ut ut ait Solinus tanta memoriæ ui præditus, ut Pyrrhi legatus Romam missus, postero quã ingressus erat die & senatorium & equestrem ordinem totum propriis nominibus salutauerit. Itaq. i. & ita, quia in præceptis tuis optimos præceptores secutum arbitror, cogito obtemperare. i. obedire præceptis tuis. & sup. cogito, quod ridicule dicit hoc amplius. s. quam præcepisti, habere aliquid nauicularum in ora maritima. i. iuxta littora quia. s. eius rei petiti, negant ullam armaturam posse inueniri meliorẽ contra equitem Parthum: non enim equis in usuculis quibus aufugitur, pugnatur. Vnde non resistendo sed fugiendo Parthum uicerit. Sed quid. i. ad quid ludimus. i. ioco tecum agimus? Tu nescis cum quo. i. quali imperatore negocium sit tibi. i. qualis ego sim imperator. ego explicaui. i. exercui in hoc imperio Pædiam Cyri. i. librum Xenophontis de eruditione Cyri regis Persarum, quæ adhuc extat & his diebus cum aliis, tum a Francisco Philelpho translata est. Est autem παιδεία cum ei diphthongo in media, disciplina & eruditio præsertim puerorum. Nam παιδία pædia sine diphthongo in media, dicitur infantia, & παῖς pæs pædos, puer. In eo autem lib. Xenophon non tam qualis Cyrus fuit quam qualem esse decuit, describit, quam. s. pædiam ego contriueram. i. frequenti attrectatu absumpseram totam, legendo. i. cum eam legerem. Sed nos iocabimur alias. i. alio tempore, coram. i. in mutua præsentia quasi a facie ad faciem, ut spero breui. Nunc ades. i. adsis, aduent ad imperandum. s. mecum, uel potius ad parendum. i. obediendum. sic enim antiqui loquebantur, libere. s. loquẽtes, & se, cum alii imperarent, aliis ut pote senatui & legibus parere distitsutes. Summus usus. i. summa consuetudo uitæ, est mihi cum M. Fab. quod i. quam rem ego arbitror te scire, & diligo eum ualde. Tum. i. simul propter probitatem ac singularem modestiam eius, tum quod soleo uti optime opera eius in his controuersiis. i. contentionibus, quas habeo cum Epicureis. i. hominibus gulæ & uoluptati deditis, combibonibus. i. compotoribus tuis, hoc est quod potens potator est uini & æqualis haustus, quod ipse epotare non possum & pro me ebibit. Omnia autem iocu dicit. Is cum uenisset Laodiceam. i. ad eam urbem in prouincia Ciliciana, ad me, & uellem eum esse mecum, ipse percussus est. i. attonitus factus repente literis atrocissimis, hoc est inimicissimis quibus scriptum erat, fundum Herculanensem esse proscriptum. i. uenalem inscriptum a Q. Fabio fratre. s. suo. Qui fundus est communis. s. M. Fabio cum eo. s. Q. Fabio. M Fabius tulit id pergrauiter, & existimauit fratrem suum hominem non sapientem progressum esse eo. i. ad eam impudentiam & iniquitatem impulsu inimicorum suorum. Nunc o mi Pæte si amas me suscipe. i. ad te cape totum negocium. s. Marci, & libera Fabium. s. Marcum molestia. s. litis aut contra uenditorem aut contra emptores accipiendæ. Opus est nobis authoritate tua & consilio & etiam gratia. Noli pati fratres litigare, & conflictari turpibus iudiciis Fabius s. Marcus habet Mathonẽ & Pollionem. s. aduocatos inimicos. Quid multa sup. scribã de eo ad te? Mehercule ego non possum perscribere tam. i. tam diligenter, aut tam plene, quam. i. quantum gratum feceris. s. mihi, si reddideris. i. effeceris Fabium ociosum. i. absolutum omni negocio. Ille. s. Fabius putat & persuadet mihi id positum esse in te. i. in tua potestate.

PAVL. MANV.

NVnc ades ad imperandum, uel ad parẽdum potius, sic enim antiqui loquebantur} Difficilis locus: qui me diu ualde torsit. interpretes enim omnes, alii eum, ut scopulum euitarũt, alii, dum uideri uolunt intelligere quod minime omnium intelligunt, ineptiarum nescio quid attulerunt, quod rideri magis, quam refelli debeat. comperi igitur locutionem esse ueterem, & antiquis usitatam: licet eius non multa habeamus exempla. quibus enim in scriptis ueteres illi dicendi modi frequentius potuissent deprehendi, ea ferme omnia perierunt. itaq; ex unius Sallustii uerbis locus hic ad Pætum exponitur. facile enim colligitur, antiquos, ad imperandum, passiue dicere solitos, ut etiam Cice. ipse exponit. sed ponamus Sallustii uerba, quæ sunt in Iugurtino. L II. Iugurtha, inquit, ubi armis, uirisq;, & pecunia spoliatus est: dum ipse ad imperãdum Tisidium uocaretur, rursus cœpit flectere animum suum, & ex mala conscientia digna timere. ad imperandum, dixit. i. ad parẽdũ & ad imperata facienda: quemadmodum Cic. ades ad imperandũ, pro, ades, ut ego tibi imperem.

SEBAS. CORR.

KΥ΄ρου παιδείαν} Cyri institutionem, a Xenophonte, conscriptam. {In hoc imperio} Ciliciensi. {M. Fab.} Epist. XIIII. lib. II.

PHIL. MELÁ.

SVmmum me ducem} Narratio iocosa. Iocatur enim cum Pæto de ratione administrandi belli, quam præscripserat Ciceroni. {Sed quid ludimus} Serium quiddam admiscet. {Nunc ades} Epilogus primæ partis. {Cum M. Fabio} Alia narratio, in qua commendat ei causam amici periclitantis de suis bonis. {Nunc si me} Propositio. {Authoritate} Prima ratio, a facultate. {Noli pati} Secunda ratio, ab inhonesto. {Quid multa} Epilogus per præcisionem.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Descriptio cœnæ, cui excusatio interseritur, quod cum meretricula usus fuerit eadem mensa.

M. C. PAPYRIO PÆTO. S. D. 26

ACcubueram hora nona, cum ad te harum exemplum in codicillis exaraui. dices, ubi? apud Volumnium Eutrapelum: & quidem supra me Atticus, infra Verrius, familiares tui. miraris tam exhilaratam esse seueritatem nostram? quid ergo faciam? te cõsulo, qui philosophum audis. angar?

exruciem ne me? quid assequar? deinde quem ad finem? uiuas, inquis, in literis. an quicquam me aliud agere censes? * haud possem uiuere, nisi in literis uiuerem. sed est earum etiam non satietas, sed quidam modus. à quibus cum discessi, & si minimum mihi est in cœna, quod tu unum* ζήτημα Dioni philosopho posuisti, tamen quid potius faciam, prius quàm me dormitum conferam, non reperio. audi reliqua. infra Eutrapelum Cytheris accubuit. in eo igitur, inquis, conuiuio Cicero ille, Quem aspectabant, cuius ob os Graij ora obuertebant sua? non mehercule suspicatus sum illam affore: sed tamen ne Aristippus quidem ille Socraticus erubuit, cum esset obiectum habere eum Laida: habeo, inquit, Laida: non habeor à Laide. græce hoc melius. tu, si uoles, interpretabere. me uero nihil istorum ne iuuenem quidem mouit unquam, nedum senem. conuiuio delector, ibi loquor aliquid, quod in* solum, ut dicitur: & gemitum in risus maximos transfero. an tu id melius, qui etiam philosophum irriseris? cum ille, si quis quid quæreret, dixisset, cœnam te quærere à mane dixeris. ille Baro te putabat quæsiturum, unũ cælum esset, an innumerabilia? quid ad te? at hercule cœnam nunquid ad te? tibi præsertim? sic igitur uiuitur: quotidie aliquid legitur, aut scribitur: deinde, ne amicis nihil tribuamus, epulamur unà non modo non contra legem, si ulla nunc lex est, sed etiam intra legem, & quidem aliquanto. quare nihil est, quod aduentum nostrum extimescas. non multi cibi hospitem accipies, sed multi ioci. Vale.

*al. ut possem ui.

*i. quæstionem.

*al. solatium (ut dicitur) et genitum.

ASCENSIUS.

Accubueram &c. Iocatur rursus Cic. cum Pæto scribens se acceptum fuisse ab Eutrapelo in cœna admodum in eosa, in qua interfuerunt familiares eius Atticus & Verius, & Cytheris meretricula In qua cœna dicit se præstitisse magnam fortitudinẽ ac continentiam, addens nonnulla faceta de Pæto Ordo est: Ego accubueram .i. in conuiuio fueram, nam ueteres accubabant comedentes, hora nona quæ conuiuiis addicta erat. unde Mart. Imperat extructos frangere nona thoros. cum exaraui .i. scripsi stylo proscindendo ceram, ut aratro sulcamus terram in codicillis .i. tabellis ceratis exemplum literarũ ad te .s. mittendarum. Dices .i. quæres, ubi .s. accubueram sup. accubueram apud Volumnium Eutrapelum, & quidẽ Atticus sup. accubabat supra me .i. in parte superiore, & Verius infra .s. me .i. in parte inferiore, familiares tui .i. qui duo sunt familiares tui. Miraris seruitutẽ nostram, quia tunc quodammodo seruiebant Romani, esse tã .i. in tantum exhilaratam .i. lætificatam. Ergo si non licet læte uiuere, consulo te .i. peto consilium a te, qui audis philosophum .s. in ea re: hoc est Epicureum, quid faciam .i. quid consulis ut faciam? angar .i. dolore constringar? excruciem ne me? Quid assequar .i. quid lucrer? Deinde ad quẽ finẽ sup. faciam id: Tu inquis .i. respondere potes, uiuas in literis. An censes me agere quicquam aliud? Ego haud .i. nõ possum uiuere, nisi uiuerẽ in literis .i. in studio literario. Sed est etiam non satietas, sed modus quidam .i. mensura certa, earum .s. literarum a quibus .s. literis in libris cum discessi, etsi .i. quanquam, minimum .i. minima pars esset mihi in cœna, quod ζήτημα .i. quam quæstionem, unum .i. solum, tu posuisti .i. proposuisti, Dioni philosopho, hoc est si minimum esset in cœna, quid faciendum sit: tamen .i. licet minimum sit, non reperio quid faciam prius quã conferam me dormitum .s. quod melius esset quam cœnare utcũq;, si nõ lautissime. Audi reliqua, Cytheris meretricula famosissima, accubuit infra Eutrapelum .s. Volumnium, quod uocabulum significat facetum. Igitur, inquis, Cicero ille .s. nobilissimus orator, quem expectabam .i. de quo quidẽ in eius laudem ut tunc notum erat retulit quod eum unum expectabat .i. ex omnibus unum aspiciebat, & ob cuius os .i. oris facundiam & uultus eloquentiam, Graii .i. Græci obuertebant ora sua, dolebant .s. se etiam eloquentia ab Romanis uinci, sup. accubuit aut fuit in eo conuiuio, in quo .s. meretricula aderat? Mehercule, inquit Cicero, ego non sum suspicatus illam affore, sed tamen .i. nihilominus, sup. non fuit tãtu dedecori mihi: nam Aristippus quidem ille .s. notissimus, Socraticus .i. Socraticæ disciplinæ, non tamen uitæ sectator. quia Socrates summopere continentiam laudabat, unde in eos qui uerbo & non facto eum imitabantur dicit Iuuenalis. Cum sis inter Socraticos notissima fossa Cynædos: non erubuit cum esset obiectum, eum habere Laida, meretricem Corinthiam superbissimam, quia inquit, habeo Laida, non habeor a Laide, quia non cepit me. hoc sup. dicitur melius .i. elegãtius græce: tu interpretabere .s. latine si uoles. me uero nihil horum mouit .i. affecit unquam, ne quidẽ .i. non etiam iuuenem, cum essem iuuenis, ne .i. nedum nunc senem. Ego delector non meretrice, sed conuiuio. Ego loquor ibi aliquid, quod .s. dictum in solum ut dicitur .i. quod nullius testimonio possit redargui, cum unius testimonium nullum sit: solent autem qui liberius loquuntur in mappam se inuoluere, sicq; dicta sua præfari, & transfero .s. in cœnam, & gemitus & risus maximos, idest omnia tam tristia quam læta. An tu supple fecisti melius, qui &c. Reliqua aperta sunt.

VICTORIUS.

Sed tamen Aristippus quidem ille Socraticus non erubuit} Nulli ueteres habent particulam illã negatiuam, quare nos cum Germanico codice. {Ne Aristippus quidẽ ille Socraticus erubuit} scripsimus: fere autem semper. {Quidem} ante se habet. {Ne} Græca autem uerba Aristippi quæ melius uisa sunt Ciceroni dictũ illud exprimere, nos adferemus, ut possint studiosi facile cum interpretatione Ciceronis conferre, sunt autẽ apud Athenæum, δειπνοσοφιστῶν lib. XII. ἔ δὲ ἀρίστιππ© [illegible] λαΐδ© ἔχω, ἀλλ' οὐκ ἔχομαι {Ibi loquor aliquid, quod in solum, ut dicitur, &c.} Locus obscurus & multis suspectus: uetustioribus omnibus exemplaribus cum uulgata lectione conuenit: uerbum tantũ. {Aliquid} nõ habẽt antiqua, quare neq; nos recepimus. Uerũ alii, aliis modis dum corrigere uolunt, locum hunc magis deprauarunt. Quidam pro {Solum, Solatium} reponunt, coniectura ducti, & ea inani, & falsa. utinam autem iam certa esset sentẽtia, quam uerba sunt incorrupta: prouerbium enim est, sed rarum admodũ, qua de causa parum perspicitur, unde dictum sit: a Cicerone tamen lib. I. de Natura deorum iterum usurpatum est, Abuteris ad omnia atomorum regno, & licentia Hinc quodcunq; in solum uenit (ut dicitur) effingis atq; efficis. Nos nihil aliud possumus: tantum non temere euertendam esse hanc receptam cum antiqua consentientem lectionem, admonemusq;, locũq; alium indicauimus quo Cice. hoc eodem prouerbio usus est. Quod autem iidem. {Genium} pro {Gemitum} emendare uoluerunt, a fide etiam in hoc antiquorum codicum discessere. {A me dixeris} Mediceus ille peruetus codex. {A mane} una cum Petrarchæ libro. quare nos quoq; eos secuti ita legimus. Sic etiam loquitur Plautus in Amphitryone, Hæc illis pugnata est pugna usq; a mane ad uesperum. Sic itidẽ Lucilius apud Firmianum lib. X. Nunc uero a mane ad noctem, festo atq; profesto Totus idem paritérq; dies populusq; patresq; Iactare, &cæ. Nec mihi difficile est credere, sic etiam Ciceronẽ referentem familiarẽ Pæti sermonẽ dixisse. {Ille uero} Nor {Ille Baro} ut in iisdem probatissimis codicibus inuenimus: quæ si rara est uox, non idẽ repudianda & delenda. Quantum autem de hac re iudicare possumus, ille fatuus significat, & stultus. sic enim & alibi hanc uocem acceptam uidimus, etsi fere ab omnibus sua sede mota, & indigne deiecta est: Lib. II. de Diuinatione ante Venetam editionem ita in cunctis impressis locus hic legebatur, Huic equidem Antichobaro inquit uictum te esse non uides? mendose proculdubio. sic etiam in multis manuscriptis & nonnullis antiquioribus uidimus. Illi quam gratiam in prima uoce corrigenda a studiosis omnibus merito inite debebant, amiserunt, dum parum considerate posteriorem, quæ integra erat corrumpunt. nam quod pro {Anticho, Antipho} scripserunt, laudem meruerunt. Fuit enim Antipho Atheniensis, quẽ nũc intelligit, coniector somniorum, & (ut Græci dicunt) ὀνειροκρίτης, scripsit autem quomodo debeant iudicari somnia, de quo etiã Artemidorus lib. II. ὀνειροκριτικῶν cap. de Sepia loquitur: μέμνηται ἡ ἀνδρων τούτων καὶ ἀντιφῶν ὁ ἀθηναῖος. Quod autem pro {Baro, tu uero} reposuerunt, culpam deprecari non possunt. Est autem ualde similis locus in Diuinatione, de quo nunc locuti sumus, huic quẽ in manibus habemus. Hanc eandem uocem (ut opinor) in cunctis manuscriptis codicibus inuenies lib. II. de finibus hoc loco, Hæc cum loqueris, nos barones stupemus, tu uidelicet tecum ipse rides. etsi in impressis {Varrones} male, & mendose. Stolidos autẽ quosdã uidetur & hic innuere. Nam quod in epistolis ad Atticum incontaminata manet hæc uox, locum illum satis celebrem citare nõ necesse iudicauimus. tot autẽ locis inuentam, & si raram, & obsoletã uocem errare amplius sua regione pulsam passi non sumus. Doctiores conabuntur eam certius explicare: nos quod opera nostra potuimus, non indiligenter fecimus.

Ex post. eiusdem.

Habeo, inquit, non habeor a Laide} Sic omnes ueteres libri, non ut Manutii iterũ iã impresserunt. {Habeo, inquit, Laida, non habeor a Laide} Suspicari porro aliquis posset, ne semel quidẽ Laidis nomen ponendũ esse, nedũ bis collocetur: uti in Græco Aristippi dicto, quod a nobis apud Athenæũ inuentum est, nusquã est, & hæ uoces, quanto magis breues, concisæq; sunt, tanto magis elegantes, & acutæ uidentur. Quod ex plurimis ueterũ apophthegmatibus facile intelligi potest. sunt enim illa pronunciata mira breuitate. Demetrius etiã ille Phalereus hoc aperte docet: ipsius enim uerba sunt in commentario, περὶ ἑρμηνείας: Ἔστι δὲ ἀποφθεγματῶδες ἡ βραχύτης. præterea Cicero in Lælio, cum naturã apophthegmatis exprimeret, inquit: Multa breuiter, & cõmode dicta memoriæ mandabam. Et hæc fortasse causa est, cur Cice. existimarit, melius hanc sententiã Græce dici posse, quã Latine, quod breuius, concisiusq; ea sermone enuncietur: nisi potius quia nõ eũdem tum apud Latinos homines habet. {Habeo} quam apud Græcos

cos ἔχω:& {Habeor,quam ἔχομαι doctiores hoc indicabunt. Clemens etiam ipse in II. Stromate uocem hanc Aristippi, non tam presse tamen continuęq; eam protulit:hæc ipsius uerba sunt. ταύτῃ τοι δῆλον οὖν τῷ δ᾽ ἄξει καὶ αὐτὸ σιππ[illegible] ὁ κυρηναῖος προσβάλλειν τῷ τῆς ἀληθείας αἰχοῦντος σοφιστοῦ, ὀνειδιζόμενος ὡς ἐπὶ τῷ [illegible] χρῆσθαι λαΐδι τῇ ἑταίρᾳ δι᾽ [illegible], ἔχω γάρ, ἔλεγε, λαΐδα καὶ οὐκ ἔχομαι ὑπ᾽ αὐτῆς Sententia igitur hic contentus fuit,uerba nō ualde eleganter composuit. {Et gemitum,& in risus maximos transfero} Hæc nostra est in cunctis a nobis antiquis codicibus inuenta lectio:alii & gemitum etiam emendant,quos nec reprehendo, nec laudo.locus sane obscurus est. Quare cum ante de omni hac parte accurate disseruerim,uerbum de ea amplius non faciam. {Cœnam te quærere a mane dixeris} Ita sane olim imprimi iussimus, quam lectionem alii postea probarunt,ac receperunt.uerūtamen cum accuratius de hac re cogitaremus,animaduertimus omnibus in locis ubi{A mane}est,sequi statim{Ad noctem}aut{Ad uesperum} quēadmodum Plautus sæpe locutus est.quod scrupulum mihi iniecit, an cum id seruatum hic non sit,mendum insit.& num prior lectio accommodatior sit.Hirtius tamen libro dixit, Præsertim cum milites a mane diei ieiuni sub armis stetissent defatigati.

PAVL. MANV. ET gemitum etiam in risus maximos transfero} Hunc locum alii,iea,ut nos;iam ante emendarant,sed interpunctis aliter illi distinxerant,ut sensum plane alium efficerent nos Ciceronem credimus hoc dicere,in conuiuio cum patriā satis luxi,a mœstitia & gemitu uel maximam ad hilaritatē,maximosq; risus me cōuerto. {Ille Baro} Baro mulier fuit philosophiæ dedita, ut scribit Suidas,ex eo philosophos,qui stolidiores essent,non philosophos, quod eo nomine uiderentur indigni,sed Barones uocabant,ut quasi mulierculæ per contemptum appellarentur.

SEBAS. CORR. HArum exemplum} Al.literarum exemplum. Apud Volumnium} Epist.XXXIII.lib.VII.{ζήτημα.} quæstionem. {Quem spectabant,&c.} Carmen Ennianum in Telamone. {Nedū senem} Al ne nunc senem.{Quod in solō}uenit.uide Quæsturam.{A me dixeris} Al.a mane dixeris.{Ille uero} Al.ille Baro.

BERN. RVTI. MIraris tam exhilaratam esse seruitutem nostram. Seueritatem,puto legendum. Sic ad Dolabellā: Adeon tu mihi excussam seueritatē ueterem putas,ut ne in foro reliquiæ pristinæ frontis appareant? Quid potius faciam,prius quam me dormitum conferam,non reperio} quam.s. in conuiuio esse : non literis (ut ait Clericus) operam dare.{In eo igitur,inquis,conuiuio,Cicce.ille,quem spectabam) Alibi.expectabam,quid si omnes spectabant:uel,expectabant.nam & alibi apud Ciceronē reperimus,expectare pro spectare,si modo integri codices.{Ibi loquor, aliquid, quod in solum ,ut dicitur, & gemitum & risus maximos}transfero Quid dicit?num?quod totum meum colloquium uel in gemitum, uel in risus uersatur.nunc enim ingemisco casum Reipu. nunc me ad risum conuerto. An solum humum significat?ut Quo legendū sit,hoc sensu:quo & gemitum & risus tandem in humū deuoluo, capite.s.deiecto,quod tristis est.{Cœnam te quærere a me dixeris} Quærere,nō interrogare an ego cœnam darem,sed poscere ac desiderare. Iocatur enim in ui uerbi duplici.{At hercule cœna nunquid ad te?tibi præsertim} Nisi interrogatoriam notam aut sustuleris,aut ita collocaris,(At hercule cœna nunquid?ad te. tibi præsertim)perierit elegantissima sententia. Hoc enim dicit . nunquid cœna alicubi parata sit præsertim tibi i.in quam tu inuitatus sis, pertinet ad te quærere?quod non percepit Clericus. Innumerabilium cœlorum opinionem etiam Plynius irridet.

PHIL. MELA. ACcubueram hora nona} Narratio de sua cœna, quam cum amicis quibusdam sumpserit. Item de uitæ suæ consuetudine qua utatur in repub.oppressa.{Quod in solum,ut dicitur} Alii sinum legunt.

ARGVMENTVM HVBERTINI IN LIBRVM X. ET XI.

ET Absui,quoniam huius libri & sequentis epistolarū omnium argumenta ex historia sumuntur,ne in qualibet epistola idem narrare opus sit,historiæ seriem paulo altius repetendam putaui,quo facilius omnium epistolarum argumenta pateant,quæ multis aut incognita sunt,aut falso exposita propter ignorantiam historiæ, quam breuissime igitur fieri potest enarremus,maxime Appianum secuti. occiso C. Iulio Cæsar. in senatu animorum cum uarii motus essent , & alii laudarent interfectores,a quibus uideretur initiō libertatis profectum esse,alii irritati oratione M.Anto.qui explicita ueste Cæs. cruenta & ensibus perforata,de tanti uiri crudeli cæde cōquestus erat,ortæ sunt magnæ seditiones,& deinde etiam inter ipsos bella ciuilia,de prouinciis enim contendebant Siquidē M Anto D.Bruto diffidens Celtas ei eripere conatus est,ac pro eis Macedoniam tradere,ut ipse testatus est in oratione,quam habuit ad populū. Factæ igitur sunt uariæ partes:nam Anto.bellacissimorum uirorū legiones quatuor adhæserant Lepidus uero quatuor in Iberia legiones habebat. Asinius Pollio duas.Plancus in altera Celtarū prouincia tres,qui Antonii partes,ut scribit Appianus electuri uidebantur.Cæsa.autem Octauianum duæ legiones delectorum sequebātur, quæ ab Antonio ad ipsum transierant. Tyronum item una.Duæ ex primis enim eo militantibus,nec hæ numero perfectæ aut armis instructæ omnes,sed ex nouiter delectis suppletæ fuerant. M.aūt Anto.in Celtas profectus cum Decio persuadere nequisset,ut in Macedoniam transiret,ubi eum superauit,ad ciuitates ire properauit, a quibus cum esset acceptus, ueritus est Decius,ne ab omnium prohiberetur introitu:itaq; fictis literis sibi a senatu redditis , a quo cū exercitu prope Romam euocaretur,eo modo In Italiam ire persexit Recipientibus illum cunctis uelut redeuntem usq; Mutinā progressus est,ubi statim portas concludi imperauit,& Mutinensium omnia ad uictum necessaria in medium afferre,& eo modo Anto.expectauit,contra quem Anto.ira delatus,Mutinæ urbem muro,fossaq; præcinxit,sic ut Decius obsidione premeretur. Quare Cice.pro Decio agente,ut Anto.hostis iudicaretur,cū Pisone Anto.partes defendente,id impetrari non potuisset:permissum est tamen Cice.ut legatis mandata tradenda perscriberet,qui ita dicitur scripsisse,ut Anto.confestim Mutina discederet.Celtica prouincia Decio concederetur,quæ intra Rubiconem amnem, qui Italiam a Celtis diffinit,sita est:his mandatis Anto.traditis,Anto. uehementi ira concitus,multa in senatum,multa etiam in Cice. acerbissime dixit,& cum mandatis parere noluisset,senatus eum statim hostem iudicauit,& omnem exercitum,qui cum eo erat,nisi statim ab eo discederet. Verūtamen discedente Anto.ab obsidione,inclinante iam hyeme Decius fame laborat. Itaq; Hirtius,& Cæsa.propius Mutinam castra mouent,ne deficiente Decio exercitum Anto.sibi uindicaret. liberato itaq; Decio Mutinensi obsidione a Cæsa. senatus non satis gratus in eum fuit,qui decreto honore triumphi Cæs. militumq; eius,mentionem non satis gratam habuit,ob quæ Cæsa.reconciliata per M.Lep.M.Anto.gratia,Romam cum exercitu uenit,& perculsis aduentu eius iis qui in eū iniqui erant,cū XVIII. annos haberet,consul creatus,qui statim tulit legem de quæstione habenda in eos,quorum opera pater occisus est,postulatq; ut ea lege M Bru.C.Cas.D Brutus absentes damnati sint, cū M. Anto.& Asinius Pollio,& Munatius Plancus cum exercitibus suis coniuncti uires ampliassent,D.Bru.cui senatus,ut sequeretur Anto.mandauerat,relictus a legionibus suis cum profugisset,iussu Ant in eius potestatē uenerat cæsus a Capeno Sequanæ interfectus est. Reliqua quæ sequuntur sunt de triumuiratu Cæ.& Anto & Lep quæ quia non multum pertinent ad hunc locum & ad has epistolas, silentio prætereo. Quæ autem hoc loco narrata sunt,partim ad decimi,& partim ad undecimi lib.argumēta pertinebunt: aliaq; pars uni epistolæ pertinet,alia alii.cum igitur in his tantis periculis reipub.uereretur Cice.ne Plancus coniungeret se cum M.Ant. neq; id aperte diceret,M.Anto.in odium adducens hortatur Plancum ut in rempub.tuendam & conseruandam incumbat,præcipue cum speraret habiturum consulatum in annum sequentem,se autē pollicetur habiturum cum charum tum eius causa,tum etiam causa reipub. Postremo ostendit ea sibi gratissima esse,quæ Plancus in Furnium conferat.

M. T. C. EPISTOLARVM FAMILIARIVM LIBRI NONI FINIS.

MARCI TVLLII CICERONIS

EPISTOLARVM FAMILIARIVM,

LIBER DECIMVS.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Hortatur hac epistola Plancum ad rempub. capessendam Cicero, omnemq; operam suam illi pollicetur.

M. T. CICERO L. PLANCO IMP. COS. DES. S. D. 1

ET ABFVI Proficiscẽs in Græciam: & posteaquam de medio cursu Reipu. sum uoce reuocatus, nunquam per M. Antonium quietus fui. cuius tanta est non insolentia (nam id quidem uulgare uitium est) sed immanitas, non modo ut uocem, sed ne uultum quidem liberum possit ferre cuiusquam. itaque mihi maxima cura est, non de mea quidem uita, cui satisfeci uel ætate, uel factis, uel (siquid etiam hoc ad rem pertinet) gloria: sed me patria solicitat, in primisq; mi Plance expectatio Consulatus tui: quæ ita longa est, ut optandum sit, ut possimus ad id tempus Reipub. spiritum ducere. quæ potest enim spes esse in ea Repu. in qua hominis impotentissimi, atque intemperantissimi armis, oppressa sunt omnia? & in qua nec senatus, nec populus uim habet ullam? nec leges ullæ sunt, nec iudicia, nec omnino simulacrum aliquod, aut uestigium ciuitatis? sed quando acta omnia mitti ad te arbitrabar, nihil erat, quod singulis de rebus scriberem. Illud autem erat amoris mei, quem à tua pueritia susceptum non seruaui solum, sed etiam auxi: monere te, atque hortari, ut in Rempub. omni cogitatione, curaq; incumberes. quæ si ad tuum tempus perducitur, facilis gubernatio est: ut perducatur autem, magnæ tum diligentiæ est, tum etiam fortunæ. sed & te aliquanto ante (ut spero) habebimus: & præterquam quod Reipub. consulere debemus, tamen tuæ dignitati ita fauemus, ut omne nostrum consilium, studium, officium, operam, laborem, diligentiam ad amplitudinem tuam conferamus: ita facillime & Reipub. quæ mihi charissima est, & amicitiæ nostræ, quam sanctissime nobis colendam puto, me intelligo satis facturum. Furnium nostrum tanti à te fieri, quantum ipsius humanitas & dignitas postulat, nec miror, & gaudeo: teq; hoc existimare uolo, quicquid in eum iudicij officijq; contuleris, id ita me accipere, ut in me ipsum te putem contulisse. Vale.

ASCENSIVS.

ET Absfui. Si argumenta huius libri & undecimi agnoscere uis, Hubertinũ legito, qui plura narrat. Igitur de insolentia atq; crudelitate M. Anto. quemadmodũ iñc consul omnes leges, iudicia, & sanctos mores ita pessundabat, ut ne uestigiũ quidem ullũ ciuitatis relinqueretur & sic adducit in odiũ ueritus ne Plancus cũ M. Aoto. coniungeretur aduersus rempub. deinde de expectatione consulatus Planci, in annũ sequentem, & quantopere eũ consulem uidere cuperet, ut reipub. subuenires, quam M. Anto. occupare conabatur. Postremo Furniũ familiarem suũ illi commendat. Cn. Plancus ciuis Ro. qui Cice. in Macedonia exulantem hospitio suo suscepit. Plancus autem, ut inquit commentarius, a planis pedibus cognomen sumptũ, nam planca est tabula. Ordo est Et absfui, idest utrũq; uerũ est, & quod absfui. s. Roma proficiscens in Græciam, ut uero simile est Athenas, & quod postea quam reuocatus sum de meo cursu. i. incepto itinere, uoce reip. nõ quod respub. uocem habeat, sed quod præsentiam suam reip. necessariam & ab ea expeti nosset. Nunquam fui quietus per M. Anto. i. propter molestiam M. Anto. cuius s. M. Anto. tanta est insolentia. i. in dicendo. nam id quidem. s. insolentiæ uitiũ, est uitiũ uulgare, sed tanta est immanitas. i. ferocitas efferata, ut non modo non possit ferre. i. pati uocem i. loquelam cuiusquã sup. liberam, sed ne quidem. i. non saltem uultũ liberũ i. libertatis animi indicem, q. d. lætũ & ingenuum Itaq. i. & ita maxima cura est mihi non quidem de uita mea cui satisfeci, hoc est quam consummaui, uel ætate, uel factis, uel gloria, si etiam hoc. s. gloriam assecutũ esse pertinet: quid, idest aliquid, aut in aliquo: ad rem non dicit quid sibi curæ sit, sed intelligimus, Antonii immanitatẽ frangere, aut rẽp. liberari ab eo, aut quid simile, quod ad alia transiens negleait dicere. Sed patria solicitat me, & imprimis. i. præcipue o mi Plãce, expectatio est ita longa ut sit optandũ. i. ut habeamus optare, ut possimus ducere. i. protrahere spiritũ. s. uitalem. i. producere uitam, supple usq; ad id tẽpus. s. quo consul eris, quod paulo post euenit. Docet autem cur eius consulatum tantopere desideret dicens. Enim. i. quia, quæ spes. s. libertatis potest esse in ea repub. in qua omnia sunt oppressa armis hominis impudentissimi atq; intemperantissimi. s. M. Anto. q. d. nulla. Et in qua. s. repub. nec senatus, nec populus habet ullam uim. i. potestatem, cũ tamen per senatũ senatusconsulta & per populũ plebiscita soleant & debeant fieri. Et in qua supple nec ullæ leges sunt, sup. quæ seruarentur, nec iudicia s. iusta & libere ac legitime prolata, nec omnino simulacrũ. i. imago ac uestigiũ aliquod ciuitatis. i. cõmunitatis ciuiũ sub unis mœnib. & legibus uiuentiũ Sed quando. i. quoniam ego arbitrabar omnia acta s. in re publica: hoc est publica instrumenta, & scripta actorũ mitti ad te . s. per amicos, & familiares tuos, nihil erat quod scribere deberem de rebus singulis. i. seorsum de unaquaq; re. Transit aũt ad alteram partem epistolæ, quæ est amoris confirmatiua. dicens: illud aũt. s. quod sequitur. erat amoris mei. s. in te, quem. s. amorem susceptũ. i. pie, & beneuole receptũ a pueritia. s. tua, nam Plancus longe iunior erat nõ solũ seruaui: sed etiam auxi, illud inquam: uidelicet monere, atq; hortari te: ut incumberes i. inuitaris in rempub. omni cogitatione, & cura quæ. s. respub si perducitur i. manet in uigore, & libertate sua, ad tempus tuũ. i. donec consul eris, gubernatio est facilis s. deinceps futura. Autem. i. sed est magnæ tũ. i. pariter diligentiæ. tũ. i. pariter fortunæ. i. prosperi euentus: quia non omnia, quæ diligenter conamur, assequimur, refragante fortuna. ut. s. respu. perducatur usq; ad tempus tuũ. Sed & habebimus te aliquando ante . s. quam consul fias, ut spero & præterquam quod debemus consulere, idest prodesse, & prospicere reipub. tamen cũ. i. insuper, fauemus dignitati tuæ, ita ut conferamus omne consiliũ, studiũ, officiũ nostrũ, & supple omnem operam, laborem, diligentiam ad amplitudinem tuam. s. fouendam. Ita. i. & sic intelligo facillime me satisfacturũ, & . i. simul. reipub. quæ est charissima mihi, & amicitiæ nostræ, quam puto colendam nobis sanctissime. i. inuiolatissime. Ego nec miror, & gaudeo. s. insuper. Furniũ nostrũ. s. communem amicũ fieri a te tanti, quantũ humanitas & dignitas ipsius postulat. & uolo te existimare. i. opinari hoc. quicquid iudicii: idest bonæ æstimationis. & officii: idest beneficii contuleris in eum. me accipere id ita, ut putem te contulisse in me ipsum: idest beneficium impendisse mihi ipsi.

VICTORIVS.

HOminis impudentissimi} Antiqua omnia exemplaria {Impotentissimi} Impotens aũt sæpe, ut a ueteribus iam Grammaticis notatũ est, dicitur ualde potens. plerũq; tamen in malam partem: ut Impotens Sylla. Cicero Thusculanarum lib. V. Qui nihil metuant, nihil agant, nihil concupiscant, nulla impo-

tentia

tentia efferantur Eadem ratione appellauit elegantissimus poeta, Freta impotentia. Cicero in epistola ad Lepidum, Sin ista pax perditum hominem in possessionem impotentissimi dominatus restitutura, hoc animo scito esse oẽs sanos, ut mortẽ seruituti anteponãt.

Ex poste. eiusdem.

ET absui proficiscens in Græciam} Vnum est, quod quãuis par ui omnino ponderis fortasse multis uideatur, cum plurimis in locis inuenerim, hic potissimum adnotare uolui. in Mediceo codice{ Afui}scriptum est: quod semper ille seruat: cum F sequitur, ut posteriorem præpositionis literam abiiciat: cuius rei Grámatici, si cum causa factum est, rationem inuenient: ego tamẽ hanc animaduersionem spernere nolui. ad Appium, ut cum tá longe afuturus essem. Ad Trebatium. Sin frustra diutius afueris. ad eundem: Eram enim afuturus mense Decembri. ad Cornificium, si culpa a quibusdam afuisset. in Episto. Lentuli, Tantum enim afuit. & aliis omnibus in locis. In Pandectis etiam Florentinis idem semper obseruatum est, quo libro nullus, nec antiquior, nec integrior esse existimatur. Hoc tantum uariatum est hac parte, in antiquis quos uidi. nam non multopost uulgatam lectionem habent.

PAVL. MANV.

DE medio cursu} Ex ueteri codice ita emendauimus. sic autem locutus est in fine libri tertii de officiis, eadem de re loquens. Si ipse, inquit, uenissem Athenas: quod quidem esset factum, nisi me de medio cursu clara uoce patria reuocasset. Itẽ ad Marcum Brutum epistola, cuius initium est, Messalam habes. itaq; in medio Achaico cursu, cum Etesiarum diebus auster me in Italiam retulisset.

SEBAS. CORR.

COss. Des.} cum D. Bruto {Proficiscens} Iure legationis libero. {De meo cursu} Alii legunt, de medio cursu, qui fuit ultra Leucopetram. {Voce reuocatus} accepta M. Antonii cõcione, allato Bruti & Cassii edicto, audita fama, senatum Calend. Sext. frequentem fore, & Antonium ad authoritatem Senatus rediturum, & me desiderari, & subaccusari. {Quietus fui} id ostendunt Philippicæ. {Impudentiss.} Al. impotentissimi. {Tuum tempus} tui Consulatus tempus. {Furnium} C. Furnium legatum.

BERN. RVT.

NAm id quidem uulgare uitium est} Idest, multis cum eo cõmune. non ut interpres, notum omnibus, ipsum esse insolentem. Item ante. {Posteaquam de meo cursu reipub. sum uoce reuocatus} non senatus, ut interpres somniat, sed dat inanimatæ rei sensum. i. commodo ipso reipub quod me quasi reuocare uidebatur. Cicero prima Philippica, & lib. X V. ac. X V I. ad Atticum, rem totam explicat, quæ qui legerit, nec, quid fuerit ista Ciceronis legatio, scisse istos interpretes uidebit. Habebat enim duplicem, & uotiuam, quam a Cæsare antea uiuo impetrauerat & hãc liberam a Dolabella consule post Cæsaris mortem. Dolabella, inquit, me sibi legauit ad I I I I. Non. April. id mihi heri uesperi nunciatum est, uotiua ne tibi quidem placebat. etenim erat absurdum, quæ si stetisset respub. bonis, non sumeres euersa illa uota dissoluere. & habent, opinor, liberæ legationes definitum tempus lege Iulia. & reliqua. Ita & Philipp. I. Quæ cum audire mallem, quam uidere, haberẽq; ius legationis liberum, ea mente discessi, ut adessem Calend. Ianuarii. Epistola uero ad Atticum lib. X V I. cuius initium, Octauo Iduum Sextil. causam reuersionis exequitur: ubi nihil est de isto Senatus decreto, quod iste tam temere comminiscitur.

PHIL. MELã.

HVius libri epistolæ sunt scriptæ post interfectum Cæsarem consulibus Hirtio & Pansa. Porro secutum est mortem Cæsaris ingens ciuile bellum. dimicarunt enim de imperio Antonius, Lepidus, Augustus, Brutus. Quia uero Plãcus sortitus erat alteram partem Galliarum, timebat Cicero ne se coniungeret cum Antonio, qui bellum mouerat contra Brutum. Ideoq; diligentissime hortatur Plancum ad suscipiendam curam reipub. Estq; suasorii generis epistola. {Et absui} Narratio continet querelam de Antonii petulantia, & immanitate. {Itaq; mihi} Affectus elegans, de solicitudine pro patria. {Et in qua} Distributio. {Sed quando} Propositio, seu petitio, ut senatui se adiungat, & rempub. contra furiosum ciuem defendat. {Sed &} Defert officium suum. {Ita facil.} Clausula. {Furnium nostrum} Obliqua commendatio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Excusatoria epistola, quod Plancum non defenderit, ut superiore epistola pollicitus fuerat, rationes sunt a noua Antonii crudelitate & periculosa præsentia sumptæ. Postremo callide operam suam rursus pollicetur.

M. C. L. PLANCO IMP. COS. DES. S. D. 2

MEum studium honori tuo pro necessitudine nostra non defuisset, si aut tutò in senatum, aut honeste uenire potuissem. sed nec sine periculo quisquam libere de Republi. sentiens uersari potest in summa impunitate gladiorum: nec nostræ dignitatis uidetur esse, ibi sententiam de Repu. dicere. ubi me et melius, et propius audiant armati, q̃ senatores. quapropter in priuatis rebus nullum officium, neque studium meum desiderabis: ne in publicis quidem, siquid erit, in quo me interesse necesse sit, unquam deero, nec cum periculo quidem meo, dignitati tuæ. in ijs autem rebus, quæ nihilominus, ut ego absim, confici possunt, peto à te, ut me rationem habere uelis et salutis, et dignitatis meæ. Vale.

ASCENSIVS.

MEum studium &c. Scripserat Plancus ad Cicerõ se intellexisse honorem suum non fuisse ab eo defensum Quocirca se purgat hac epistola Cicero, & dicit nulla alia causa id prætermissum a se, nisi quod non licuisset sibi tuto in senatum ire, aut libere sententiam dicere propter M. Antonium. pollicetur autem operam suam. Ordo est: Studium meum. i. diligens fauor, & concertatio, non defuisset honori tuo. s. protegendo, si potuissem uenire in senatum aut tuto. i. sine periculo, aut honeste: tuto autem non potuit tantisper dum Antonio obstitit, honeste uero non potuisset, si astipulatus fuisset. Sed nec quisquam sentiens libere. i. ut liberum hominem decet, de repu. potest uersari. s. in senatu, sine periculo. s. uitæ, in summa impunitate. i. ubi summa est impunitas gladiorum. i. uiolentiæ armis illatæ: nec uidetur esse nostræ dignitatis. i. pertinere ad nostram dignitatem, dicere ibi sententiam de repub. ubi armati audiant & melius & propius. i. de minore distantia me, quam senatores. Quapropter tu nullum. i. non ullum, non desiderabis, quia præsens erit tibi, desideramus autem absentia, aut non extantia. ullum neq; officium neq; studium meum, in rebus priuatis. i. non pertinentibus ad rempu. quæ in senatu agantur, ne quidem. i. non etiam deero unquam dignitati tuæ in publicis siquid erit in quo necesse sit me interesse, nec quidem. i. nõ etiam cum periculo meo. Sunt qui legant, nunquã, quod si legendum est, ita distinguam. Nec in publicis quidem, siquid sit, in quo necesse sit me interesse: quia nunquam deero dignitati tuæ nec quidem cum periculo meo. Autem. i. sed, ego peto a te ut uelis habere rationem. i. beneuolum respectum & curam & salutis & dignitatis meæ, in his. i. huiusmodi rebus quæ possunt confici. i. complete fieri. nihilominus ut. s. demus quod ego absim. i. licet absim.

SEBAS. CORR.

VENIRE Potuissem} per Antonium. Episto. I I. lib. X I I. {Armati} Ab Antonio.

PHIL. MELã.

MEum studium} Excusatio, quare non uenerit in senatum, cum studiis amicorum opus haberet Plancus. ad consequendum consulatum, nec dixerit sententiam. {Quapropter} Correctio. {In his autem} Petitio in conclusione.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Et hæc hortatoria est, ut Reipub. iuuandæ studeat. laudat autem principio Plancum, ut beneuolentiam & gratiam illius, quod non satis fideret ei, ueneretur.

M. C. L. PLANCO IMP. COS. DES. S.D. 3

CVm ipsum Furnium per se uidi libentissime, tum hoc libentius, quòd illum audiens te uidebar audire: nã & in re militari uirtutem, et in administranda prouincia iustitiam, et in omni genere prudentiam mihi tuam exposuit: et præterea mihi non ignotam in consuetudine, et familiaritate suauitatem tuam adiunxit: præterea summam erga se liberalitatem. quæ omnia mihi iucunda, hoc extremum etiam gratum fuit. ego Plance necessitudinem constitutam habui cum domo uestra, ante aliquanto, quàm tu natus es: amorem autem erga te ab ineunte pueritia tua, confirmata iam ætate familiaritatem, cum studio meo, tum iudicio tuo constitutam. his de causis mirabiliter faueo dignitati tuæ. quam mihi tecum statu o esse communem. omnia summa consecutus es uirtute duce, comite fortuna. eaq; es adeptus adolescens, multis inuidentibus, quos ingenio, industriaq; fregisti. nunc me amantissimum tui nemini concedentem, qui tibi uetustate necessitudinis potior possit esse, si audies: omnem tibi reliquæ uitæ dignitatem ex optimo Reipub. statu acquires. scis profecto (nihil enim te fu-*

*al. statuo studeoq; habere cõmunem uel statuo habere esse

communẽ. ut non ab surde qui dam legen dum putẽt s.a. debere esse com= mu.

gere potuit) fuisse quoddam tempus, cum homines existimarent, te nimis seruire temporibus. quod ego quoque existimarem, si te ea, quæ patiebare, probasse etiam arbitrarer: sed cum intelligerem, quid sentires, prudenter te arbitrabar uidere, quid posses. nunc alia ratio est omnium rerum. tuum iudicium est, idq; liberum. Consul es designatus, optima ætate, summa eloquentia, maxima orbitate Reipub. uirorum talium. incumbe per Deos immortales in eam curam, & cogitationem, quæ tibi summam dignitatem, & gloriam afferat. unus autem est, hoc præsertim tempore, per tot annos Repub. deuexata, Reipub. bene gerendæ cursus ad gloriam. hæc amore magis impulsus scribenda ad te putaui, quàm quód arbitrarer te monitis, & præceptis meis egere: sciebam enim ex iisdem te hæc haurire fontibus, ex quibus ipse hauseram. quare modum faciam. hoc tantum significandum putaui, ut potius amorem tibi ostenderem meum, quam ostentarem prudentiam, interea, quæ ad dignitatem tuam pertinere arbitrabor, studiose, diligenterq; curabo. Vale.

ASCENSIVS.

CVm ipsum &c. Cum esset Plancus in Celtis cum tribus legionibus, neq; Cice. ei satis fideret, neq; tamen auderet id aperte dicere, nititur eũ occulte retinere in amore. Primum ita dicit se libenter uidisse Furnium narrantem iucunda de Planco, quod ex arte facit, qua præcipimus ea quæ ab aliquo desideramus, aut obtinere uolumus, significare penes illum esse, unde qui misericordiam petunt misericordiá laudare solent, sicut etiam in psalmo. Miserere mei deus secundum magnam misericordiam tuam. Quinetiá quem immitem putamus. si opus sit ab eo misericordiam implorare, misericordem fingimus. Quia ergo Plancum in fide & studio erga rempubli maximopere manere cupit, dicit se bene de eo sperare, monetq;, quod ex amore se facere dicit, ut patriam tueatur. Ordo est: Cum. s. ita sit quod uidi Furnium libentissime per se. i. sua ipsius causa, tum. s. multo magis est quod uidi eum libentius, hoc. i. propter hoc, quod ego audiens illum, uidebar. s. mihi audire te. Nam ipse exposuit. i. expresse narrauit mihi, &. i. simul, uirtutem tuam in re militari, & iustitiam tuam in prouincia administranda, & prudentiam tuam in omni genere. Pulchre assignat rebus qualitates congruas Nam in re militari maxime utilis est uirtus. i. fortitudo, quæ proprie uirius a uiribus dicitur. in prouincia administranda, ut in alia omni administratione publica, maxime opus est iustitia, prudentia autem ad omnem rem gerendam utilis est Nam fortitudo sine prudentia, temeritas est. Iustitia autem sine prudentia esse non potest, nõ enim potest ius suũ cuiq; reddere, qui nesciat quid suum cuiusq; sit. Sicut & fortitudo quæ uirtus est, sine iustitia nõ est, immo uirtutes illæ quatuor principales fortitudo, prudentia, iustitia, & temperantia sic se habent ut alia nulli sine aliis plene contingat. Et præterea. i. præter dictas uirtutes tuas, ipse adiunxit. s. narrando mihi suauitatem tuam in cõsuetudine & familiaritate non ignotam, immo notissimã mihi Præterea. i. præter hæc omnia adiunxit summam liberalitatem. s. tuã erga se, quæ omnia sup. fuerunt iucunda mihi, quia attulerunt uoluptatem. Hoc extremum. s. quod liberalis in amicum fuisti, fuit etiã gratum, quia attulit utilitatem. Ego o Plance habui necessitudinẽ. i. necessariam coniunctionem amicitiæ constitutam. i. cõmuni consensu statutam, cum domo. i. familia uestra. i. maiorum tuorum, aliquãto ante quam tu natus es. Autem. i. sed, habui sup. constitutum amorem erga te, ab pueritia tua ineunte. i. ab eo tempore quo puer esse incipiebas transacta infantia, & sup. habui familiaritatem ætate. s. sua, iam confirmata. i. stabilita, constituta, tum. i. simul studio meo, tum. i. simul iudicio tuo. s. quo studium meum comprobasti. Ego faueo, de his causis. i. ob has causas, mirabiliter dignitati tuæ, quam. s. dignitatem, ego statuo. i. constituo & propono habere communem mihi tecum Tu consecutus es omnia summa, ita uerius legitur, cum sint qui legant omnia sum consecutus, sed de se non loquitur Cice. uerum de Planco qui iam consulatum adeptus erat. Notandum autem omnia in ... cum superlatiuo congruere, uirtute sup. existente tibi duce, & fortuna comite & ita quasi inseruiente, & tu adeptus es ea. s. summa, adolescens. i. adhuc in adolescẽtia inuitis inuidentibus, quos fregisti ingenio & industria, Nunc si audies me amantissimum tui & nemini cedentem, qui posset esse tibi potior uetustate necessitudinis, tu acquires tibi omnem dignitatẽ nitæ reliquæ ex optimo statu reipub. Tu profecto. s. nihil enim potuis fugere te. i. latere, quoddam tempus fuisse cum homines existimarent. i. iudicarent te nimis seruire. i. obsequi temporibus. i. dispositioni temporum, hoc est hominibus tunc plurimum potentibus, quod ego quoq; existimarem. i. iudicarem te fecisse, si ego arbitrarer te etiam probare. i. approbare & ex iudicio tuo facere, quæ patiebare. s. patiebaris. i. coactus faciebas. Sed cum ego intelligerem quid sentires. s. faciẽdum, ego arbitrabar te uidere. i. cognoscere quid posses q. d. cum plura potuisse quam putarer, quia aliter non fecisset quæ fecit. Nunc, alia est ratio omnium rerum, iudicium est tuum & id iudicium est liberum. i. tu potes libere ea sententia tua omnia iudicare & facere. tu es designatus. i. declaratus consul, ætate optima quia adhuc fere adolescens, eloquentia summa, & maxima orbitate. i. spoliatione aut carentia reipub. i. quam passa est aut accepit respub. talium, uidelicet fortium uirorum. Incumbe. i. toto pectore & conatu intende, per eos immortales. s. rogamus in eam curam & cogitationem, quæ afferat tibi summam dignitatem & gloriam. Autẽ. i. sed, unus cursus est ad gloriam præsertim hoc tempore rep. deiecta. i. pessundata. i. eo quod fuit per tot annos deperdita. s. cursus reipub. gerendæ bene, hoc est per solam reipub. rectam administrationem potest nunc quispiam celeriter ad gloriam peruenire. Ego putaui hæc scribenda sup. esse ad te, magis impulsus. i. eo quod essem impulsus amore. s. tui, quam quod arbitrarer te egere præceptis & monitis. s. cuiuspiam. Ego. n. sciebam te haurire hæc ea iisdẽ fontibus, ex quibus ego hauseram, quia ea libris philosophorum & ex consideratione reipub. Romanæ quare. i. quamobrem ego faciá modum. i. finiam. Ego putaui nunc tantum. i. duntaxat significandum. s. quid sentirem, ut ostenderem tibi potius amorem meũ, quã ostentarem. i. iactanter demonstrarem prudentiam. s. meam. Ego curabo interea studiose & diligenter ea quæ arbitrabor pertinere ad dignitatem tuam.

VICTORIVS.

QVam mihi tecum statuo esse communem} Mediceus liber statuo habere esse communem. ut arbitror legendum est, {debere esse communem} elegantius omnino, quod tamen doctiores iudicabunt. Nunquam fere tam deprauatũ hũc codicem inueni, quin aliquid commodi ex eo capi possit, ad restituendos locos illos, qui integri falso existimantur.

SEBAS. CORR.

STatuo esse communem} Al. statuo habere communem. {Quoddam tempus} sub Cæsare. {Deuexata} Al. deiecta. {Hoc tantum} Al. nunc tantum.

BERN. RVTI.

SIs profecto} nihil enim te fugere potuit (fuisse quoddã tempus, cum homines existimarent, te nimis seruire tẽporibus) Scis, ut alibi, sensus exigit. Sane indicat, Plancum Cæsarianum fuisse. quod & Cælius. Plancus quidem, inquit, tuus Rauennæ est, & magno congiario donatus a Cæsare nec beatus, nec bene instructus est.

PHIL. MELA.

CVm ipsum Furnium} Exordium a tabellarii persona. {Nam &.} Exponit quid commemorauerit & indicauerit Furnius de Planco. {Nunc me amantiss.} propositio, ut rempub. defendat {Scis profecto} Collatio prioris seruitutis sub Cæsare, & præsentis libertatis. {Nunc alia} Adhortatio. {Consules} Ab occasione. {Hæc amore} Epilogus, ex occupatione.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Hortationem Ciceronis sibi gratam fuisse dicit, & cur eam hoc animo acceperit, exponit.

PLANCVS CICERONI S. D. 4

GRatissimæ mihi tuæ literæ fuerunt, quas ex Furnij sermone te scripsisse animaduerti. ego autem præteriti temporis excusationẽ affero, quòd te profectum audieram, nec multo ante rediisse sciui quam ex epistola tua cognoui: nullum enim in te officium, ne minimum quidem, sine maxima culpa uideor posse præterire. in quo tuendo habeo causas plurimas, uel paternæ necessitudinis, uel meæ à pueritia obseruantiæ, uel tui erga me mutui amoris. quare mi Cicero, quod mea, tuaq; patitur ætas, persuade tibi te unum esse, in quo ego colendo patriam mihi constituerim sanctitatem. omnia igitur tua consilia mihi non magis prudentiæ plena, quæ summa est, uidentur, quàm fidelitatis, quam ego ex mea conscientia metior. quare si aut aliter sentirem, certe admonitio tua me reprimere: aut, si dubitarem, hortatio impellere posset, ut id sequerer quod tu optimum putares. nunc uero quid est, quod me in aliam partem trahere poßit? quæcunque in me bona sunt aut fortunæ beneficio tributa, aut meo labore par

ta, etsi

ta,etsi à te propter amorem carius sunt æstimata,tamen uel inimicißimi iudicio tanta sunt,ut præter bonam famam nihil desiderare uideantur.quare hoc unum tibi persuade,quantum uiribus eniti,consilio prouidere,authoritate mouere potuero.hoc omne Reipub.semper futurum.non est ignotus mihi sensus tuus: neque,si facultas,optabilis mihi quidē, tui præsentis esset,unquam à tuis cōsiliis discreparem:nec nunc committam,ut ullum meum factum reprehendere iure poßis.Sum in expectatione omnium rerum, quid in Gallia citeriore,quid in Vrbe Ian.mense geratur,ut sciam. interim maximam hic solicitudinem,curamq́; sustineo,ne inter alienа uitia hæ gentes nostra mala suam putent occasionem . quòd si perinde,ut ipse mereor,mihi successerit:certe & tibi,cui maxime cupio,& omnibus uiris bonis satisfaciam.Fac ualeas, meq́; mutuo diligas.

ASCENSIVS.

GRatisfimæ &c Respondet Plancus superiori epistolæ ostendens gratam sibi esse admonitionem Cice. & se libenter pariturum,dicens.Literæ tuæ fuerunt mihi gratisfimæ,quas.s.literas ego animaduerti te scripsisse ex sermone,idest ut dicunt relatione Furnii. Ego autē affero excusationem,temporis præteriti , idest quod prætermiserim hactenus respondere,& ita multum temporis sit præteritum,quod audieram profectum,idest discessisse:nec sciui multo ante quā cognoui ex epistola tua.s post reditum ad me scripta,te rediisse.Enim idest quia nullum,idest non ullum ego non uideor posse præterire sine maxima culpa ullum officium in te,nec quidem, idest non saltem,aut non etiam minimum,In quo.s officio in te tuendo,idest eū seruando,ego habeo causas plurimas, uel.s. causam necessitudinis paternæ:idest quam cum patre meo contraxisti , uel obseruantiæ meæ:idest qua te obseruaui & ueneratus sum a pueritia , uel mutui amoris tui erga me,uidetur redundare erga me , aut particula mutui,nam erga unum non est mutuus amor,sed utriusq; duorum erga alterum.Quare o mi Cice.quod mea & tua ætas patitur , persuade tibi te unum esse in quo colendo ego constituerim, idest uelim constituisse,sanctitatem patriam , idest patri debitam . Igitur omnia consilia tua uidentur mihi nō magis plena prudentiæ quæ summa est,quam fidelitatis,quam.s fidelitatem seruatam patri in me,ego metior ex mea conscientia.i tam magnam iudico,quantam uolo tibi seruare.Quare.i quamobrem si aut sentirem aliter.i.quā tu iudicas sentiendum præsertim de repu certe admonitio tua posset me reprimere.ne.s .quod sentirem executioni mandarem, aut si dubitarem i.anceps & dubius essem,utram partem debeam sequi, adhortatio tua posset impellere me ut sequerer id,quod tu putares optimum .s.ea omnibus Honesta est locutio,& amoris plena, si forma dicendi conspiciatur.Nunc uero.s.cum neq; aliter sentiā neq; dubitem,quid est quod possit trahere me in aliam partem?q.d.nihil,quia quæcunq; bona sunt in me,aut tributa.s mihi beneficio fortunæ,cui Romani semper plurimum tribuebant, ut docet Plutarchus in libello de fortuna Romanorum & uirtute Alexandri , aut parta meo labore Debebat loco fortunæ patrem luminum ponere, a quo omne datum optimum & omne donum perfectum,sed uanū erat illi ante lucem surgere.Etsi i.quanquam supple bona mea sunt æstimata,idest appreciata a te carius:idest pluris quam sint, propter amorem.s.tuum in me,tamen tanta sunt,iudicio uel:idest etiā inimicissimi,ut nihil uideantur desiderare : idest putare sibi deesse præter bonam famam.Quare persuade tibi hoc unum,quantū potuero:alii legunt potero:idest datum fuerit eniti uiribus,prouidere consilio tuo,mouere authoritate:scilicet mea,hoc omne futurū supple esse semper reipub.idest ad utilitatem reipub. Sensus tuus non est ignotus:idest perspectus est mihi,neq; discreparem unquā a consiliis tuis si facultas optabilis mihi quidem,licet forte nō omnibus,tui præsentis esset mihi.Nec committam,idest & non patiar nunc:scilicet cum abero,ut possis reprehendere iure ullum factū meum.Ego sum in expectatione omnium rerum,ut sciam quid geratur in Gallia citeriore,idest cis alpes Italiam uersus, ubi sunt Ligures & Insubres,& ubi tunc Brutus erat , quid geratur in urbe.s. Roma Ianuario mense:scilicet proxime futuro,in quo comitia haberi solebant.Ego sustineo interim hic idest in Gallia ulteriore maximam solicitudinem & curā,ne agentes:scilicet Romæ inter alienæ uitia:idest qui in hoc bello neutris fauent,putent mala nostra: scilicet quæ ob discordiam patimur coacti abesse ab urbe,esse occasionem suam:scilicet petendi consulatus nobis debiti quod si successerit mihi perinde:idest ita ut mereor,ego certe satisfaciam , & tibi cui maxime cupio : scilicet satisfacere , & omnibus uiris bonis:scilicet aliis,nam Ciceronem quoque uirum bonum putat. Fac ualeas & diligas me mutuo.s.ut te diligo.

SEBAS. CORR.

PRofectum audieram}ut in Græciā ires {Patriam mihi } Al. paternam mihi {Mouere potuero}Al.monere potero. {In Gallia citeriore.}Mutinæ.{Ian.mēse geratur} Hirtio & Pāsa Cos.

BERN. RVT.

TAmen uel inimicissimi iudicio tanta sunt}Non M.Antonium unum significat,sed inimicissimum quenq; . {Quid in urbe Ianuario mense geratur} Non propter creationem Magistratuum,quam uterq; interpres falso in eum mensem coniicit:quum & fieret circa Iulium plerunque mensem,ut libro. VII. ostendimus,constantique nunc Ciceronis grauissima authoritate confirmamus: Bibuli(inquit ad Atticum) qui sit exitus futurus, nescio:ut nunc sese habet,admirabili gloria est. qui quum comitia in mensem Octobrem distulisset,quod solet ea res populi uoluntatem offendere,putarat Cæsar oratione sua posse impelli concionē ut iret ad Bibulum,multa quum seditiosissime diceret, uocem exprimere non potuit.quo igitur Ianuarii mensis mentio? quia scilicet consules futuri erant:idest ingressuri magistratum , multo ante designati,Pansa atq; Hirtius,& senatum habituri , quid non erat per multos menses habitus,uel prohibentibus uel absentibus Antonio & Dolabella Coss.Ostendit id Cicero & prima & tertia Philippica:Vt adessem,inquit,Calendis Ianuarii,quod initium Senatus cogendi fore uidebatur.&,Expectantur Calen. Ianuarii , quas non expectat Antonius,qui in prouinciam Decii Bruti summi & singularis uiri cum exercitu impetum facere conatur.

PHIL. MELā.

GRatissimæ mihi} Exordium cōtinet excusationem,cur nō scripserit.(Ego autem)Ratio.{Omnia igitur } Propositio, qua dicit se probare eius consilia {Nunc uero} Confirmatio consilii Ciceronis,a præteritis rebus gestis {Quare hoc unum tibi persuade}Repetitio propositionis,ab authoritate. {Sum in expectatione omnium rerum}De sua solicitudine & studio. {Quod si perinde}Pollicitatio.

GIBERTI LONCOLII LEMMA.

Rursus hortatur Plancum ut rempub.defendat,usus maxime argumento a spe laudis & gloriæ.

CICERO PLANCO IMP.
COS. DES. S. P. D. 5

BInas à te accepi literas eodē exemplo:quod ipsum argumento mihi fuit diligentiæ tuæ:intellexi enim te laborare,ut ad me tuæ expectatißimæ literæ perferrentur. ex quibus cepi fructum duplicem,mihiq; in comparatione difficilem ad iudicandum , amorem'ne erga me tuum,an animum in Rempub. pluris æstimandum putarem.est omnino patriæ charitas,meo quidem iudicio,maxima:sed amor,uoluntatisq; coniunctio plus certe habet suauitatis.itaque commemoratio tua paternæ necessitudinis, beneuolentiæq; eius,quam erga me à pueritia contulisses, cæterarumq; rerum,quæ ad eam sententiam pertinebant,incredibilem mihi lætitiā attulerat.rursus declaratio animi tui, quem haberes de rep.quēq; habiturus esses,mihi erat iucundißima:eoq; maior erat hæc letitia,q. ad illa superiora accedebat.itaq; te non hortor solum mi Plance,sed plane etiā oro,quod feci iis literis,quibus tu humanißime respondisti:ut tota mente,omniq; animi impetu in Rēpub.incumbas,nihil est,quod tibi maiori fructui,gloriæq; esse possit:NEC quicquā ex omnibus rebus humanis est præclarius , aut præstantius,q̄ de rep.bene mereri:adhuc enim patitur tua summa humanitas,& sapientia,me,quod sentiam , libere dicere. fortuna suffragante uideris res maximas consecutus. quod quanquam sine uirtute nō potuisses:tamen ex maxima parte ea,quæ es adeptus, fortunæ,tēporibusq; tribuuntur.his tēporibus difficillimis Reip. quicquid subueneris,id erit totū,& propriū tuū . incredibile est omniū ciuiū,latronibus exceptis,odiū in Antoniū.magna spes in te,& in tuo exercitu magna expectatio,cuius per Deos gratiæ, gloriæq; caue tempus amittas.sic moneo,ut filiū:sic faueo,ut mihi, sic hortor,ut & pro patria,& amicißimum. Vale.

ASCENSIVS.

BInas &c.Respondens Ci literis a Planco receptis dicit, se ex illis plurimū gauisum ob illius beneuolentiā in se, deinde ad remp.defendendam & ad immortalē gloriā comparandam cohortatur,& postremo de odio in M. Anto & de spe atque expectatione Planci agit, dicēs:

Ego accepi a te binas literas.i.duas epistolas.eodem exemplo.i.eadem forma,& iisdem uerbis scriptas quod ipsum fuit mihi argumento.i.approbationi diligentiæ tuæ Intellexi enim te laborare.i.uffectanter curare,ut literæ expectatissimæ perferrentur ad me de inde.i.de eo loco,aut de ea re unde scriptæ sunt.Ex quibus.s.literis cœpi duplicem fructum,difficilem mihi ad iudicandum in comparatione.i.ad discernendum uter fuerit maior, hoc est ne pro an putarem amorem tuum erga me,an animum tuum in Rempub.æstimandum.i.appretiandum esse pluris.Charitas patriæ est omnino meo quidem iudicio,maxima,sed amor & coniunctio uoluntatis habet certe plus suauitatis.i.honestæ delectationis. Itaq; commemoratio tua necessitudinis paternæ.i quæ fuit cum patre tuo & beneuolentiæ eius quam tu contulisses erga me,a pueritia.s.tua,& sup.commemoratio cæterarum rerum quæ pertinebant ad eandem sententiam,attulerunt,mihi incredibilem lætitiam. Rursus.i.ea altera parte declaratio animi tui quem haberes de Repub . & quem esses habiturus si.s.pro meritis tibi successerit,erat mihi iucundissima,& hæc lætitia erat eo maior,quod aut quo.i quanto sup.magis accedebat ad illa superiora.s.de necessitudine patris tui & obseruantia tua,in me. Itaq; o mi Plance ego non solum hortor te ,sed plane etiam oro,quod i.quam rem feci his literis, quibus respondisti humanissime,ut incumbas in rempub.i.sis procliuis ad eam seruandam tota mente & omni impetu animi tui Nihil est quod possit esse tibi maioris fructus.i utilitatis & gloriæ , nec quicquam ex omnibus rebus humanis est præclarius aut præstantius quam bene mereri de Repub Enim,idest quia,summa humanitas & sapientia tua patitur adhuc dicere libere quod sentiam,tu uideris consecutus maximas res fortuna suffragante,idest aspirante & fauente tibi, quod.s.maximas res consequi,quanquam non potuisses sine uirtute,tamen ea quæ adeptus es,tribuuntur fortunæ & temporibus,sed supple quicquid subueneris reipub.his temporibus difficillimis.i.periculosissimis Reipub.quia alii eam defendere,alii inuadere moliuntur,id erit totum tuum & proprium.Odium in Antonium omnium ciuium exceptis latronibus est incredibile, magna spes est in te,& magna expectatio in exercitu tuo.Cuius gratiæ & gloriæ tempus,caue per deos.s.rogatus ne amittas Ego moneo sup.te,sicut filium,& ego faueo sup.tibi ut mihi,ego hortor sup.te ut proprium & amicissimum.

SEBAS. CORR.

AD me tuæ expectatissimæ} Al.ad me mihi expectantissime.{Lætitiam attulit} Al.lætitiam attulerat.{Maiori fructui} Al.maioris fructus.{Pro patria} Al.proprium.

BERN. RVTI. PHIL. MELI.

QVod feci his literis,quibus tu humanissime respondisti} Q & alii integre seruant codices.

HAec Epistola est suasorii generis,estq; responsoria, quæ pertinet ad præcedentem Planci epistolam.{Binas a te} Exordium a literarum prædicatione.& est uenusta collatio publici & priuati officii {Est omnino}Commoratur in comparatione.{Idq; te non hortor}Petitio,seu adhortatio. {Nihil est}Ratio ex honesto {Adhuc enim}Collatio utilitatum:per fortunam consecutus eras magna,nunc uirtute consequeris.{Magna spes}Tertia ratio,ab expectatione ciuium.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Dissuadet Planco,ne pacem componat inter Brutum & Antonium , q non sit ea futura ex usu & reipublicæ & ipsius Planci.

CICERO PLANCO IMP. COS. DES. S. D. 6

*QVæ locutus est Furnius noster de animo tuo in Rempub. ea gratissima fuerunt senatui , populoq; R. probatissima, quæ autem recitatæ sunt literæ in senatu , nequaquam consentire cum Furnii oratione uisæ sunt : pacis enim author eras, cum collega tuus uir clarissimus à fœdissimis latronibus obsideretur qui aut positis armis pacem petere debent : aut si pugnantes eam postulant uictoria pax,non pactione,parienda est.sed de pace literæ uel Lepidi , uel tuæ quam in partem acceptæ sint , ex uiro optimo fratre tuo,& C.Furnio poteris cognoscere.me autem impulit tui charitas,ut quanquam nec tibi ipsi consilium deesset,& fratris,Furniiq; beneuolentia,fidelisq; prudentia tibi præsto esset futura:uellem tamen meæ quoque authoritatis pro plurimis nostris necessitudinibus præceptum ad te aliquod peruenire. crede igitur mihi Plance,omneis,quos adhuc gradus dignitatis consecutus sis(es autem adeptus amplissimos)eos honorum uocabula habituros,non dignitatis insignia,nisi te cum libertate populi Romani & cum senatus authoritate coniunxeris.seiunge te quæso aliquando ab iis,cum quibus te nõ tuum iudicium,sed temporum uincula coniunxerunt.complures in perturbatione Reipub. Consules dicti:quorum nemo consularis habitus , nisi qui animo extitit in Rempub.consulari.talem igitur te esse oportet . qui primum te ab impiorum ciuium tui dissimillimorum societate seiungas: deinde te senatui,bonisq; omnibus authorem , principem , ducem præbeas: postremo ut pacem esse iudices non in armis positis , sed in abiecto armorum,& seruitutis metu.hæc si & ages,& senties tum eris non modo Consul,& consularis, sed magnus etiam Consul,& consularis.sin aliter:*tum in istis amplissimis nominibus honorum non modo dignitas nulla erit, sed erit summa deformitas.hæc impulsus beneuolentia scripsi paulo seuerius . quæ tu in *experiendo ea ratione,quæ te digna est , uera esse cognosces. XIII.Calen. April.*

*al.tua.

*al.expẽdendo.

ASCENSIVS.

QVæ locutus &c.Cum Furnius retulisset Romæ Plancum esse paratissimum ad omnia pro reipub.defensione sustinenda,superuenerunt literæ Planci suadentis, ut pax cum Antonio fiat.quam pacem Cic ne Plancus adhæreat Antonio,nunc improbat adducens Antonium in odium.Ordo est. Ea quæ Furnius locutus est de animo tuo in rempub.fuerunt gratissima,sup.mihi.& probatissima senatui populoq; Roma. Autem.i.sed literæ.s.tuæ sed caute supprimit pronomen,quæ fuerunt recitatæ in senatu,nequaquam uisæ sunt consentire cum oratione Furnii.Eras enim.s.in illis literis, author.i.approbator pacis.s.cum Antonio cum collega tuus uir clarissimus.s.Decius Brutus tecum consul designatus obsideretur.s Mutinæ. a latronibus fœdissimis.s Antonianis Qui.s.latrones debent aut petere pacem,armis depositis s.prius aut si postulant eam s.pacem pugnantes,pax ex parienda.i acquirenda eis,uictoria.i.per uictoriam, non pactione.i non ex conditionibus pacis ante uictoriam oblatis. Sed in poteris cognoscere ea uiro optimo fratre tuo & ex Caio Furnio in quam partem literæ,uel Lepidi,uel tuæ de pace sint acceptæ q.d.in pessimam. Autem.i.sed charitas tui.i quæ est mihi in te impulit me,ut quanquam nec consilium deesset tibi ipsi quia potes tibi ipsi consulere,& beneuolentia & fidelis prudentia fratris & Furnii esset futura tibi præsto.i.parata auxilio. Tamen uellẽ pro pluribus necessitudinibus nostris,aliquod præceptum quoq;.i.etiã nostræ authoritatis peruenire ad te.Igitur o mi Plan.crede omnes gradus dignitatis quos consecutus sis adhuc.i.ad hanc usq; diem (tu autem adeptus es quam amplissimos).i.in primis amplos.s.gradus,eos habituros uocabula honorum,non insignia dignitatis, hoc est magistratus quidem & honores uocabuntur,sed nihil ex eis tibi dignitatis accedet,nisi coniunxeris te cum libertate Popu Romani & cum authoritate senatus.Quæso.i.exigo & requiro a te seiunge i.separa te aliquando.i.tandem,ab his.s.fautoribus Antonii & Cæsaris interempti,cum quibus non iudicium tuum supple coniunxit te.sed uincula i. necessitates temporum coniunxerunt te. Complures dicti sup.sunt consules in conturbatione Reipub. quorum nemo habitus sup est.i reputatur,consularis.i consulari potestate dignus nisi qui extiterit i.emerserit animo consulari.i.consule digno,in:idest erga Rempub. Igitur oportet te esse talem qui seiungas.i separes primum te ab societate ciuium impiorum dissimillimorum tui.s.in moribus.deinde qui sup. præbeas supple te,& senatui & omnibus bonis authorem,principem,ducem, postremo ut iudices pacem esse non in armis positis.i.depositis & dimissis , sed in metu armorũ & seruitutis abiecto hoc est in abiectione talis metus.Si tu ages & senties i.iudicabis supple agenda hæc,tu eris tum .i.tunc non modo consul & consularis,sed etiam magnus cõsul & consularis.Sin.i.sed si,supple ages & senties aliter, non modo nulla erit dignitas tua in illis amplissimis nominibus honorũ ,ut sunt nomina Imperatoris & consulis,sed etiã summa deformitas.Q oia ut dicit Iuuenalis.Omne animi uitium tanto conspectius in se Crimen habet,quanto maior qui peccat habetur.Ego scripsi hæc,impulsus,idest instigatus a beneuolentia, paulo.i.modico seuerius.i omnis seuere,quæ tu cognosces esse uera , experiendo in ea ratione.i. forma quæ digna est te Datum.&c.

SEBAS. CORR.

COllega tuus }D Brutus tecum Cos. Des.{Latronibus}M. Antonio,& eius amicis . {Obsideretur.} Mutinæ . Fratre tuo Planco Plotio {Aliquando ab iis}Cæsarianis.{In rempub.Consulari}Al.in Rempub.consularis . {Tum in istis} Al.tua in istis.

BERN. RVT.

QVæ tu in experiendo in ea ratione, quæ te digna est, uera esse cognosces} In, abundat: ut sit, Quæ tu in experiendo ea ratione, quæ te digna est, uera esse cognosces. Hæc uero tametsi leuia sunt, non omittimus tamen, quia quam politissimum habere atq; omni menda perpurgatum hoc epistolarum opus cupimus. itaq; non tam docendi (quis enim hæc nescit, qui modo aliquid sapit?) quam colligendi, & nihil prætereundi gratia adnotamus. Nisi uero ratione hoc loco, pro negocio ac re: quomodo Cicero, aliiq; receptæ authoritatis authores persæpe usi. Huiusmodi est & quod initio literarum, Gratissima probatissima, sine copula legitur. ut uel, Mihi gratissima, S.P.Q.R. probatissima, scribi debuerit: uel, Et probatissima.

PHIL. MELA.

NArratio de oratione legati, & literis Plãci. {Quæ locutus} Exordium ab occasione. {Sed de} Præcisio. {Me autẽ} Occupatio: quanquam tibi non deest consilium, tamen ego dabo. {Crede igitur} Adhortatio, quam amplificat inserta ratione: Senatui te adiungito, nam alioqui honores tui non erunt ueri honores. {Hæc si} Conclusio adhortationis. {Hæc impulsus} Excusatio, quod uideri possit seuerius scripsisse.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Cur breuius illi de re sua scribat, exponit: deinde operam suam omnem Reip. pollicetur, petens a Cicerone, ut si dignitatem eius defendat.

PLANCVS IMP. COS. DES. CICERONI. S. D. 7

PLura tibi de meis consilijs scriberem, rationemq; omnium rerũ redderem uerbosius, quo magis indicares omnia me Reipub. præstitisse, quæ & tua exhortatione excepi, & mea affirmatione tibi recepi, (non minus enim à te probari, quã diligi semper uolui: nec te magis in culpa defensorem mihi paraui, quàm prædicatorem meritorum meorum esse uolui) sed breuiorem me duæ res faciunt: una quòd publicis literis omnia sum persecutus: altera, quòd M. Varisidium, equitem Romanum, familiarem meum, ad te ipsum transire iußi, ex quo omnia cognoscere posses. non mediusfidius mediocri dolore afficiebar, cum alij occupare poßeßionem laudis uiderentur: sed usque mihi temperaui, dum perducerem eo rem, ut dignum aliquid & Consulatu meo, & uestra expectatione efficerem. quod spero, si me fortuna non fefellerit, me consecuturum, ut maximo præsidio Reipubli. nos fuisse & nunc sentiant homines, & in posterum memoria teneant. A te peto, ut dignitati meæ suffrageris: & quarum rerum spe ad laudem me uocasti, harum fructu in reliquum facias alacriorem: non minus posse te, quàm uelle, exploratum mihi est. Fac ualeas, meq; mutuo diligas.

ASCENSIVS.

PLura tibi &c. Admonitus Plancus & stimulatus adhortatione Ciceronis ad Rempub. tuendam, dicit se scripturum fuisse pluribus uerbis quid esset acturus, nisi & scripsisset publice & dedisset mandata Varisidio: paucis tamen dicit se ita facturum ut homines perspiciant beneuolentiam suam in Rempub rogatq; ut dignitatem suam defendat. Ordo est. Ego scriberem tibi plura de consilijs meis, & redderem uerbosius, idest pluribus uerbis, rationem omnium rerũ, quo idest ut iudicares magis me præstitisse, idest exhibuisse, causa reipu. omnia quæ &, idest simul excepi, idest ex multis intellexi præcipue facienda exhortatione tua Et recepi, idest promisi tibi, scilicet perficienda, affirmatione, idest per affirmationem meam, non enim uolui minus probari. i. approbari & commendari a te scilicet in hoc facto q̃ diligi semper. Nec paraui magis mihi te defensorẽ in culpa, idest si admisissem culpam, quam uolui esse prædicatorem, idest buccinatorem meritorum meorum. Sed duæ res faciunt me breuiorem, scilicet in scribendo, una, scilicet res facit me breuiorem quod sum persecutus omnia literis publicis, idest publice ad Senatũ missis. Altera quod iussi M. Varisidium equitem Romanum familiarem meum, transire ipsum: idest in propria (ut dicunt) persona ad te, ex quo posses cognoscere omnia. Ego mediusfidius afficiebar dolore non mediocri, sed ingenti, cum alii uiderentur occupare: idest tanquam uacuam sibi uindicare possessionem laudis. Sed tempera ui mihi, idest compescui impetum meum, usq; dum perducerẽ rem eo, idest ad id, ut efficerem aliquid dignum & consulatu meo & expectatione uestra, quod spero me consecuturũ si fortuna non fefellerit, idest deceperit me ut homines &, idest pariter sentiant & nunc & teneant in memoria in posterum scilicet tempus adueniens, nos fuisse reipub maximo præsidio, idest protectioni ab ingruentibus occupatoribus. Ego peto a te ut suffrageris, idest auxilium & fauorem præbeas dignitati meæ, & quarum rerum spe tu uocasti me ad laudem, facias me alacriorem in reliquum. s. tempus fructu harum: scilicet rerum. Exploratum est: supple mihi, idest certo scio te non minus posse quam uelle. Fac ut ualeas, & diligas me mutuo.

SEBAS. CORR.

PVblicis literis} quæ sequuntur. {Alij occupare} qui ante me bonam uoluntatem in rempub. sunt professi. {Temperaui} Lege sequentem episto.

PHIL. MELA.

PLura me tibi} Excusatio breuitatis: scriberem tibi prolixius, nisi ad senatum scripsissem, & misissem legatum. {Non mediusfid.} de suo erga rempub. animo ac studio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Nunciat senatui Plancus, quid in Gallia, quod ad dignitatem Reipublicæ defendendam pertinere putauerit, egerit: petitq; ut omnia illius consilia, facta, dicta, ita accipiant, ut persuadeant sibi omnia ad Rempublicam defendendam designata fuisse.

L. PLANCVS IMP. COS. DES. S. D. COSS. PRÆTT. TRIBB. PL. S. P. PL. Q. R. 8

SI cui forte uideor diutius & hominum expectationẽ, et spem Reipu. de mea uoluntate tenuisse suspensam, huic prius excusandum me esse arbitror, quàm de insequenti officio quicquam ulli pollicendum: non enim præteritam culpam uideri uolo redemisse, sed optimæ mentis cogitata iampridem, maturo tempore enunciare. non me præteribat, in tanta solicitudine hominum, & tam perturbato statu ciuitatis fructuosißimam esse profeßionem bonæ uoluntatis: magnosq; honores ex ea re compluris consecutos uidebam. sed cum in eum casum me fortuna demisisset, ut aut celeriter pollicendo magna in spe ad proficiendum impedimenta opponerent, si in eo mihi temperauissem, maiores occasiones ad opitulandum haberem: expeditius iter communis salutis, quàm meæ laudis, esse uolui: nam quis in ea fortuna, quæ mea est, & ab ea uita, quam incognitam hominibus arbitror, & cum ea spe, quam in manibus habeo, aut sordidum quicquam pati, aut perniciosum concupiscere potest? sed aliquantum nobis temporis, & magni laboris, & multæ impensæ opus fuit, ut, quæ Reip. bonisq; omnibus polliceremur, exitu præstaremus: neque ad auxilium patriæ nudi cum bona uoluntate, sed cum facultatibus accederemus. confirmandus erat exercitus nobis, magnis sæpe præmijs solicitatus, ut ab Repub. potius moderatà, quàm ab uno infinita speraret. confirmandæ complures ciuitates, quæ superiore anno largitionibus, conceßionibusq; præmiorum erant obligatæ: ut & illa uana putarent, & eadem à melioribus authoribus petenda* existimarent. alliciendæ etiam uoluntates reliquorum, qui finitimis prouincijs, exercitibusq; præfuerunt: ut potius cum pluribus societatem defendendæ libertatis iniremus, quàm cum paucioribus funestam orbi terrarum *uictoriam pararemus. muniendi uero nosmetipsi fuimus aucto exercitu, auxilijsq; multiplicatis: ut, cum præferremus sensus aperte, tum, etiam inuitis quibusdam, sciri quid defensuri essemus, non eßet periculosum. itaque nunquam diffitebor, multa me, ut ad effectum horum consiliorum peruenirem, & simulasse inuitum, & dißimulaße cum dolore, quòd præmatura denunciatio boni ciuis imparati quàm periculosa eßet, ex casu collegæ uidebam, quo nomine etiam C. Furnio legato, uiro forti atq; strenuo, plura etiam uerbo, quàm scriptura mandata dedimus, ut &*

*al. perficiendum.

*al. existi. eliciendæ.

*al. uictoriã pareremus.

testius ad nos perferrentur, & nos essemus tutiores. quibusq; rebus & communem salutem muniri, & nos armari conueniret, præcepimus. ex quo intelligi potest, curam Reipub. summe defendendæ iampridem apud nos excubare. nunc, cum Deum benignitate ab omni re simus paratiores, non solum bene sperare de nobis homines, sed explorate iudicare uolumus. legiones habeo quinque sub signis & sua fide, uirtuteq; Reipub. coniunctissimas; & nostra liberalitate nobis obsequenteis: prouinciam omnium ciuitatum consensu paratissimam, & summa contentione ad officia certantem: equitatum, auxiliorumq; tantas copias, quantas hæ gentes ad defendendam suam salutem, libertatemq; conficere possunt. ipse ita sum animo paratus uel prouinciam tueri, uel ire quo Resp. uocet, uel tradere exercitum, auxilia, prouinciamq; ; ut uel omnem impetum belli in me conuertere non recusem, si modo meo casu aut confirmare patriæ salutem, aut periculum morari possim. hæc si iam expeditis omnibus rebus, tranquilloq; statu ciuitatis polliceor, in damno meæ laudis, Reipub. commodo lætabor. sin ad societatem integerrimorum, & maximorum periculorum accedam, consilia mea æquis iudicibus ab obtrectatione inuidorum defendenda commendo. mihi quidem ipsi fructus meritorum meorum in Reipu. incolumitate satis magnus est paratus. eos uero, qui meam authoritatem, & multo magis uestram fidem secuti, nec ulla spe decipi, nec ullo metu terreri potuerunt, ut commendatos uobis habeatis, petendum uidetur. Valete.

ASCENSIUS.

SIcui forte. Plancus absens, consul designatus cum diu post designationē cōsulatus tacuisset, neq; quicquā ad senatū populumq; Roma. scripsisset de animo suo erga Rēp. qualē deceret cōsulē præstare, hac epistola excusat tarditatē epistolarū suarū, callide indicans eā totē cū suā tū Reip fuisse. Indicat præterea qualē exercitum habeat, & quid pro Rep. decreuerit. Salutatio sic legitur, Cn. Plancus Imperator cōsul designatus salutē dicit Cōsulibus, Prætorib. Tribunis plebis, Senatui, populo, plebiq; Romanæ Ordo est. Si ego uideor forte cui. i. alicui tenuisse suspeosam &. i. simul expectationē hominū & spē Reip. de uoluntate mea. s. erga se, ego arbitror me excusandum esse huic prius, quā pollicendū quicquā ulli de officio insequenti. i. quod deinceps impendere decreui. Non. n. uolo uideri redemisse. i. recompensasse aliquo merito, culpā præteritā, quia uult nullā in se culpā fuisse, sed sup. nolo uideri enunciare tēpore maturo. i. opportuno, neq; nimis tardato, neq; nimis festinato cogitata iampridem. i. a multo tēpore mentis optimæ. i. beneuolentissimæ in Rēp. Nō prætertibat me. i. bene sciebam, professionē bonæ uoluntatis esse fructuosissimā. i. utilissimā, in tanta solicitudine hominū & tā perturbato statu ciuitatis, & uidebam cōplores cōsecutos sup. esse magnos honores ea ea re. s. quā professi fuerant, & declarauerant uoluntates suas, sed cū fortuna demisisset me in eū casum ut, aut opponerē impedimenta ad proficiendū in magna spe, pollicendo celeriter, aut si tēperauissem mihi. i. opportunitatē temporis seruassem in eo. i. in ea re, haberē maiores occasiones ad opitulandū. i. opē ferendā Reip. uolui haberi, expeditius. i. facilius & paratius iter. i. ingressum salutis cōmunis, quā meæ laudis, hoc est malui tardando facere unde Reip. prodessem, quā cito pollicendo mihi laudē cōsequi. Nā quis potest aut pati sordidū, aut cōcupiscere perniciosum. s. in Rep. in ea fortuna quæ mea est? hoc est qui imperiū Pop. Ro. adeptus sit, & ab ea uita quā ego arbitror cognitā omnibus in me: q. d. honestissima & innocentissima, & cū ea spe quā habeo in manibus, quia uideor posse cōstituere aut euertere Rēp. Sed opus fuit nobis aliquantulō tēporis & magni laboris & multæ impensæ, ubi opus cū genitiuo cōstruitur, & cū nominatiuo aut accusatiuo, nisi aliquantulō aduerbiū sit. sic. n. cū genitiuo locutio fieret: nā nō possumus dicere, opus est aliquantulō magni laboris &c. ut præstaremus casu. i. in hoc, ea quæ pollicemur. s. nunc Reip. & omnibus bonis. s. ciuibus, neq; accederemus nudi cū bona uoluntate ad auxiliū patriæ sed cū facultate. s. auxiliandi. Ad hoc autē, Exercitus quia dubiæ fidei, erat cōfirmandos, solicitatus sæpe nobis. i. a nobis magnis præmiis, ut speraret potius ab Rep. moderata. s. munera, quā infinita ab uno. s. tyranno, Antonio. Cōplures ciuitates quæ erant obligatæ. s. Antonio superiore anno largitionibus & concessionibus præmiorū, sup. erant cōfirmandæ, ut putarent & illa. s. promissa uana, & existimarēt eadē petenda a melioribus authoribus, quia a Reip. fautoribus. Etiā uoluntates reliquorū, qui præfuerunt prouinciis finitimis. i. a finibus, & exercitibus: sup. erant eliciendæ. i. ex hominibus iā Antonio addictis eliciendæ, ut sup. nos omnes, hoc est nos simul cū illis iniremus. i. contraheremus & faceremus potius societatē libertatis defendendæ. i. ad defendendā libertatē po. Roma. hoc est nostrā, quā pateremur cū paucioribus. s. Anto. Lep. Augusto, & eorū fautoribus, uictoriā funestam. i. perniciosam orbi terrarū. Muniendi. Prosequitur reliqua quæ necessaria uisa erant, priusquā animū suū in Rempub. aperiret, dicens. Vero. i. sed, nosmetipsi fuimus muniendi. s. ab inimicorū incursione, exercitu aucto, & auxiliis multiplicatis, ut cū proferremus. i. publicaremus aperte sensus. i. sententias nostras, tunc nō esset periculosum sciri quid essemus defensuri etiā sup. a quibusdam inuitis. i. inuite audientibus nos a Repu stare, & Reip. fauere. Itaq; quia hoc consilio mentē celaui, nunquam diffitebor. i. negabo, me & simulasse multa. s. quæ nō essent, esse, inuitum. i. contra uoluntatē meā, & dissimulasse. i. finxisse nō esse, quæ erant, cū dolore, quia doluit non audere aperte fauorē suū in Rempub. ostendere, ut peruenirem ad effectū horū consiliorū. s. proxime dictorū, hoc est ut interea sic se muniret & instrueret, ut uel inuitis hostibus Remp. defendere posset. Ideo autē dissimulaui, inquit, quod. i. quia ego uidebam. i. cognoscebam ex casu collegæ. s. D. Bruti, quā. i. quantum periculosa esset præmatura. i. accelerata, & ante maturitatem ostensa, denunciatio. i. declaratio ciuis boni: quia Reip. studiosi, imparati. s. ad resistendum inimicis. Quo nomine. i. sub quo prætextu aut cuius ratione, nos dedimus etiam Caio Furnio legato uiro forti atq; strenuo plura mandata uerbo, quā scriptura, scripto. i. publicanda, ut. s. ea mandata &. i. simul, perferrentur tectius, quia tutius ad nos, & nos essemus tutiores, quia minus suspecti, si literæ fuissent deprehensæ. Et nos præcepimus. s. Furnio, ut diceret quibus rebus conueniret. i. utile esset, & i. simul, salutem cōmunē muniri, & nos armari & protegi. Ex quo. i. ex qua re, potest intelligi. s. ab omnibus, curam Reip. defendendæ summe. i. summopere excubare. i. uigilare iampridem. i. iam a pluribus diebus apud nos. Nunc cū benignitate deū. i. deorū nos simus paratiores. i. instructiores ad bellum ab omni re. i. ex omni parte & re necessaria, uolumus homines nō solum bene sperare de nobis. i. de uictoria nostra, sed iudicare explorate. i. certe tanquam de re explorata. Ego habeo quinq; legiones sub signis. s. militaribus coniunctissimas Reipu. & fide & uirtute sua, & obsequentes. i. obedientes & inseruientes nobis nostra liberalitate. Et habemus prouinciam paratissimam consensu omnium ciuitatum, & certantem contentione summa ad officia. s. præstanda, hoc est quæ prima aut maxima præstare possit, & habemus tantas copias equitatus & auxiliorum. i. auxiliariorū militum, quantas. s. copias hæ gentes. s. in prouincia Gallicana possunt, conficere. i. simul facere & præstare ad salutem & libertatem suam defendendam. ipse. i. egomet, ita sum paratus animo uel tueri prouinciam. s. contra Antonianos, uel ire sup. eo, quo Respu. uocet, uel tradere. s. successori a senatu misso, exercitū, auxilia, & prouinciā, ut non recusem conuertere in me, uel. i. etiam omnem impetum belli, si modo. i. dummodo, possim aut confirmare salutem patriæ, aut morari. i. in mora tenere periculum. s. patriæ casu. i. interitu meo. Si ego polliceor hæc iam omnibus rebus expeditis, & statu ciuitatis tranquillo. i. si forte iam debellatum est aut peractum cū Antonio: ego lætabor commodo Reip. in damno laudis meæ, quia adhuc nihil præclari egerat, sed se duntaxat accinxerat & instruxerat. Sin. i. sed si accedam ad societatem integerrimorum. i. nulla parte imminutorum & maximorum periculorum, ego commendo mea consilia defendenda æquis iudicibus ab obtrectatione inuidorū. Quidē. i. certe fructus satis magnus est paratus mihi ipsi in incolumitate. i. prospero statu reip. Vero pro sed uidetur petēdum sup. esse. i. oportere peti ut habeatis cōmēdatos uobis eos, qui sequuti meā authoritatē & multo magis fidem uestram, nec potuerunt decipi ulla spe. s. remunerationis ab aduersariis pollicitæ, nec terreri ullo metu. s. eisdem illato, quales erant Furnius & frater eius ac Laterensis.

VICTORIUS.

VIctoriam pateremur} Sic omnes impressi, nos {partiremur} cum uetustis fere exemplaribus. Illi enim unius literæ defectu, {Patiremur} Partiri autem causas habes apud hunc authorem. nam quod Germani in suo codice emendarunt {Pataremus} minus mihi satisfacit ea lectio patare enim nobis potius dicimus rem cupitam, & optatam. Nulli præterea codices antiquiores uocem eam habent: partiri autem cum paucioribus recte dictum est. Malui, loquit, plures socios habere, indeq; minorem laudem adipisci eius uictoriæ, quam cum paucis, ut maiorem gloriam, si recte res cessisset consequerer, partiri & diuidere uictoriam. iacturam enim potius æquo animo laudis facere uolui (defendendæ reipublicæ socios quærens, cum pluribusque uictoriam communicans) quam cum paucioribus periculose nimis, & temerarie eam diuidere. etsi enim eam adeptus cum paucioribus maiorem gloriam acquirerem: nimis magno tamen reipub. damno id fecissem, funesta enim uictoria fuisset.

Ex poste. eiusdem.

VIctoriam partiremur} Cum docuissem in Mediceo, & aliis uetustis. {Patiremur} scriptum esse, non uideo cur nonnulli me ex ingenio. {Partiremur} legere dicant: nam quod iidem rationes, quibus usus sum, parum firmas appellant,

non sunt

non sunt fortasse tam inanes, quam putant: non possunt autē hæc ostendi γεωμετρικῶς, etsi argumentis (ut illi dicunt) usus nō sum, sed potius authoritate priscorum codicum. Addam exemplum Ciceronis, quod aliquam uim habet ad hoc confirmandum. In Philip. Partirentur inter se, qui Capitolium, qui Hostia, qui urbis portas occuparent.

PAVL. MANV.

VIctoriam pararemus} Hæc lectio cum & in libro manuscripto Vincentii Riccii sit, (ut omittam alios) & sensu, non uideo, cur quicquam immutetur. Alii uocem, pararemus, improbant, & partiremur, ex ingenio legunt, sed, ut quiuis intelligere potest, rationibus nituntur parum firmis.

SEBAS. CORR.

TEnuisse suspensam} Plancus, inquit, Paterculus, dubia fide, quarum essent, partium, diu secum luctatus, Senatuiq; se literis uēditans, moa D. Bruti proditor fuit. Magna in spe} Alii legunt, magna mihi ipse præmiis solicitatus} a M. Antonio. {Largitionibus} Episto. I. lib. X I I. {Alliciendæ} Al. eliciendæ. {Pararemur} Al. pateremur. Rectius alii legunt, partiremur. {Ea causa collegæ} in mutinensi obsidione. {Prouinciam} re & nomine. {Eos uero} milites. {Spe decipi} ab Antonio.

BERN. RVTI.

VT aut celeriter pollicendo magna in spe ad proficiendum impedimenta opponerem} Etsi non inconcinna lectio, ego tamen uerear, ne scriptum reliquerit Cicero, magna mihi ipse ad proficiendum, &c. {Tum etiam inuictis quibusdam sciri, quid defensuri essemus, non esset periculosum} Inuitis, quam inuictis legi malim: id & interpreti receptum, significat autem Antonium.

PHIL. MELā.

SI cui forte} Cum Antonius Brutū obsedisset Mutinæ, Plancus quasi colludens cum Antonio, exercitum suum quietū tenuit. Ea res multis præbebat magnam suspicionem, Plancum omnino alienatum a senatu, Antonio fauere, ideoq; apud omnes male audire cœpit. Necessario itaq; hic publicis literis excusat se Plancus, cur nihil scripserit senatui, neq; de sua uoluntate, neque ipse hactenus illis turbis se immiscuerit. {Huic prius excusā.} Defensio, propositio, occupatio. {Non me præteribat} Excusatio, quare serius denunciet se esse hostem Antonii. {Sed quum} Ex utilitate profuit dissimulatio. {Nam quis} Amplificatio ex sua persona. {Neq; ad auxilium} Rēdit ad utilitatis explicationem, seu congeriem. {Confirmandus erat} Congeries: quæ fuerint præparanda, exercitus confirmandus, ciuitates retinendæ in fide. {Nunc quū} Altera pars, in qua pollicetur Reipub. suam operam. {Hæc si iam} Epilogus. {Mihi quidem} Clausula.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Principio testatum facit amorem suum erga Ciceronem, deinde operam suam omnem Reipub. pollicetur, postremo de exercitu suo illum certiorem facit.

PLANCVS IMP. COS. DES. CICERONI. S. P. D. 9

NIhil me tibi temere scripsisse, aut te cæteris de me frustra recepisse lætor. certe hoc maius habes testimonium amoris mei, quo maturius tibi, quàm cæteris, consilia mea uolui esse nota. in dies uero meritorum meorum fieri accessiones, peruidere te spero, cogniturū magis recipio. quod ad me attinet mi Cicero (ita ab imminentibus malis Respub. me adiuuante liberetur) sic honores præmiaq; uestra suspicio, conferenda cum immortalitate, ut sine his nihil de meo studio, perseuerantiaq; sim remissurus. nisi in multitudine optimorum ciuium, impetus animi mei fuerit singularis, & opera præcipua: nihil ad meam dignitatem accedere uolo suffragatione uestra: concupisco autem nil mihi, contraq; ipse pugno. sed & temporis, & rei te moderatorem facile patior esse. NIHIL aut sero, aut exigue à patria ciui tributum potest uideri. Exercitum ad V I. Calend. Maias Rhodanum traieci. magnis * itineribus Viennam equites mille uia breuiore præmisi. ipse si à Lepido non impediar, celeritate satisfaciam. sin autem in itinere meo se opposuerit, ad tempus consilium capiam. copias adduco & genere, & numero, et fidelitate firmissimas. Te ut diligas me, si mutuo te facturum id scis, rogo. Vale.

* al. itineribus Viē na.

ASCENSIVS.

NIhil &c. Primo ostendit Plancus amoris sui certitudinem ex consilii apertione, deinde pollicetur se in dies magis de Repub. meriturum, & demum scribit ubi nā habeat exercitum. Ordo est: Ego lætor me nihil scripsisse tibi temere. i. inconsiderate ac uane, aut te recepisse i. promisisse de me frustra, hoc ē sic euenisse, ut ego tibi, ut tu aliis promisisti. Certe tu habes hoc. i. tanto maius testimonium amoris mei, quo. i. quanto maturius. i. citius uolui consilia mea esse nota tibi, quam cæteris. Vero. i. sed, spero te præuidere accessiones. i. incrementa meorum meritorum. s. in Rempub fieri in dies. s. singulos, & recipio. i. polliceor te cogniturum. s. adhuc magis. Quod i. quantum attinet ad me, o mi Cice ita sup. opto ut Respub. liberetur ab malis imminentibus me adiuuante, sic suspicio. i. cum ueneratione tanquam supra me posita aspicio, uestra præmia conferenda certe cum immortalitate, nam cuicūq; consulatus ob merita in Rempu. decretus fuit, immortali honore donatus uideretur, ut nihil sim remissurus de studio meo iuuandæ Reipu. & perseuerantia mea in fide, sine his. s. præmiis, hoc est etiam si nulla præmia cōtuleris. Nisi impetus animi mei fuerit singularis, & opera mea præcipua, in multitudine optimorum ciuium, ego nihil. i. non aliquid, nō uolo aliquid accedere. i. addi ad dignitatem meam suffragatione uestra. i. uestro fauore & suffragio. Autem. i. sed, concupisco nihil mihi supple eorum contra quæ quidem ipse pugno q. d. non uolo per uim quicquam præmii extorquere, aut honores assequi, quia contra eos qui talia uolunt pugno, sed ego patior facile te esse moderatorem & temporis & rei. i. te discernere & quando, & quid mihi conferendum sit. Autem. i. sed nihil potest uideri tributum ciui a patria, aut sero. i. nimis tarde quoad tempus, aut exigue. i. nimis modice quo ad rem. Ego traieci. i. traduxi Rhodanū i ad alteram partem Rhodani, exercitum s. meum ad V I. Calen Maias, hoc est X X V. diem Aprilis, magnis itineribus. s. ut dicunt diætis. Ego præmisi uia breuiore. i. per uiam breuiorem, Viennā: idest ad eam urbem super Rhodanum sitam, mille equites. ipse, idest ego satisfaciam, celeritate. i. longiorem uiam celeritate superabo, si non impediar a Lepido. si autem Lepidus opposuerit se in itinere meo, Ego capiam consiliū ad tempus, idest pro qualitate temporis & rei. Ego adduco copias firmissimas, & genere, quia ueteranos aut Gallos, & numero, quia copiosas, & fidelitate, quia liberalitate deuinctas: Ego te rogo ut diligas me, si scis, idest cōfidis te facturum mutuo, idest in eum a quo tantundem amaris.

SEBAS. CORR.

SIc honores} quos tu mihi tua sententia decreuisti {Viennā} Al. Vienna. {A Lepido} Episto. X X X V. huius libri.

BERN. RVT.

COntra quod ipse pugno} Quid si contraq; me ipse pugno, uel, contraq; ipse pugno. Atq; his uerbis uerecunde præmia postulat. In sequentium literarum aut mendosa dies, aut non suo loco posita ait enim superioribus Plancus, Exercitum ad sextum Calen. Maias. Rhodanum traieci.

PHIL. MELā.

NIHIL Me tibi} Narratiunculæ complures.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Hortatur Plancum, quem prius laudat, ut Rempublicam tueatur, operamq; suam pro Planci dignitate promouenda pollicetur.

CICERO PLANCO IMP. COS. DES. S. D. 10

ETsi satis ex Furnio nostro cognoueram, quæ tua uoluntas, quod consilium de Repub. esset: tamen lectis tuis literis, liquidius de toto sensu tuo iudicaui. quamobrem quanquā in uno prælio omnis fortuna Reipubli. disceptat, quod quidem, cum hæc legeres, iam decretum arbitrabar fore: tamen ipsa fama, quæ de tua uoluntate percrebuit, magnam es laudem consecutus. itaque si Consulem Romæ habuissemus, declaratum esset à senatu cum tuis magnis honoribus, quàm gratus esset conatus, et apparatus tuus: cuius rei non modo non præterijt tempus, sed ne maturū quidem etiamnum, meo quidem iudicio, fuit: IS ENIM denique honos mihi uideri solet, qui non propter spem futuri beneficij, sed propter magna merita claris uiris defertur, & datur. quare sit modo aliqua Respubli. in qua honos elucere possit: omnibus, mihi crede, amplissimis honoribus abundabis, IS AVTEM, qui

uere appellari potest honos,non inuitamentum ad tempus,sed per petuæ uirtutis est præmium,quamobrem mi Plance incumbe toto pectore ad laudem:subueni patriæ:opitulare collegæ,omnium gen tium consensum & incredibilem conspirationem adiuua. me tuo rum consiliorum adiutorem,dignitatis fautorem, omnibus in re= bus tibi amicissimum fidelissimumq; cognosces: ad eas enim causas quibus inter nos amore sumus,officijs,uetustate coniuncti,patriæ charitas accessit,eaq; effecit,ut tuam uitã anteferrem meæ. IIII. Calend. Apr. Vale.

ASCENSIVS. ETsi &c.Cum post Furnii legati relationem de uolun tate Planci erga Rempub.ipse Plancus scripsisset sua consilia Ciceroni,ipse Cice.cum hac epistola summo pere laudat,ostenditq; eum non cariturum meritis præ miis,si modo aliqua sit Respub.futura:quod tunc meri to uereri potuit,cum paulo post sit a triumuiris occupata, & Cice ro ipse proscriptus & mox deprehensus,capite est plexus Ordo est Etsi.i.quanquam ego cognoueram satis e a Furnio nostro.s.commu ni amico:quæ uoluntas tua: & quod consilium.s.tuum esset de Re pub.tamen literis tuis lectis.i.postquam legeram literas tuas,iudi caui liquidius.i.clarius & defecatius de toto sensu tuo.i.sententia de Repub.Quamobrem quanquam omnis fortuna Reipub.disce ptat.i.uersatur in ambiguo:ut qui in iudicio disceptant ante sentẽ tiam latam,in uno prælio.s.ad Mutinam committendo: quod qui dem.s.prælium ego arbitrabar.s.cum hæc scriberem: fore.i.futurũ iam decretum.i.alteri parti adiudicatum,& ita profligatum & fini tum.Huber.intelligit a senatu per decretum mandatum Planco: quod non placet,si enim senatus mandasset,frustra Cicero indicas set.præterea decernitur armis utrius partis res sit, aut utra uiuat: unde illud Maronis,inter se coisse uiros & decernere ferro : licet Seneca cernere pro decernere legat.uult ergo dicere quod prope diem futurum esset prælium cum Antonianis, in quo decernatur utrum Respu.an tyranni rerum potituri sint:decretum ergo.i.pro fligatum & finitum,iam cum leges hæc.i.has literas. tamẽ tu es cõ secutus magnam laudem ipsa fama.i.per ipsam famam,quæ percre buit multum.i.diuulgata est de uoluntate tua.s.procliui in Remp. Itaq; si ego habuissem Romæ consulem,declaratum esset a senatu .i.publico decreto cum authoritate consulis cum magnis honori bus tuis,quam.i.quantum gratus esset conatus, & apparatus tuus .s.pro iuuanda Repub.quia ut uisum est,scripserat se collegisse ma ximas & fidelissimas copias Cuius rei.s.faciendæ, tempus non mo do.i.non solum,non præterit,sed ne quidem non fuit maturum.i. tempestiuum etiam nunc iudicio meo:quia melius fieret Republi. stabilita,quod propediem futurum sperauit Cice.nunquam tamen uidit.Enim.i.quia,Is denique honos solet uideri mihi.s.uerus,qui de fertur & datur claris uiris,non propter spem futuri beneficii, cum nihil adhuc præclari fecerint,sed propter magna merita.q.d.ea pe ctandum esse donec quod paratus erat facere fecerit.Quare modo .i.dum modo aliqua Respub.sit,in qua honos possit elucere.i.re splendere,crede mihi,tu abundabis omnibus amplissimis.i.sum mis honoribus.Vbi omnis cum superlatiuo non inepte iungitur, quod Vallam notasse mireris.autem.i.sed,is.s.honos, qui potest ap pellari uere honos.i.honor:idem enim sunt,non est inuitamentum .i.prouocamentum ad tempus.s.duraturum,sed præmium uirtutis perpetuæ.Quamobrem o mi Plance incumbe toto pectore ad lau dem Subueni patriæ.Opitulare.i.opem fer collegæ.s.tuo iam ob sesso.adiuua consensum omnium gentium bene de Repub.sentien tium & conspirationem incredibilem omnium gentium,ubi con spiratio dicitur de communi studio in Rempub. & ita in bonã par tem accipitur.Tu cognosces me adiutorem consiliorum tuorũ:fau torem dignitatis tuæ,& amicissimum & fidelissimum tibi in omni bus rebus.intelligit,si toto pectore ad ueram laudem incubuerit. Causam huiusmodi fauoris affert subdens. Enim.i.quia, charitas patriæ.i.quam simul habemus in patriam accessit.i.addita est, ad uenit ad eas causas quibus sumus coniuncti inter nos, amore.s.mu tuo,officiis,beneficiis ea debito mutuo,& uetustate.s.amoris & ne cessitudinis:nam ut supra uisum est,pater Planci erat Ciceroni ma xime necessarius,& Plancus ipse a puero charissimus.Et ea.s.cha ritas patriæ effecit ut anteferrem.i.præponerem tuam uitam meæ .s.uitæ,quod difficile est creditu,& difficilius factu,facile tamen di ctu.uerũtamen quia non pauci Romanorum uitam suam pro pa tria ea posuerunt,& uitam Planci Cicero putat magis patriæ neces sariam quam suam,non est omnino incredibile. supple scriptũ aut datum est,quod tamen non putem a Cicerone additum IIII.Ca lend. Apr.

SEBAS. CORR. IAm decretum}Hirtio & Pansæ Cos.& Octauio Cæsari propræt. contra M.Antonium.{Si Cos.Romæ habuissemus}ambo enim iam contra M.Antonium exierant: sine quorum altero ea res agi nõ poterat.{Etiamnum}in ueteribus libris hic & alibi fere sem per legitur,Etiam nunc.{Sis modo}Al.si modo erit.

BERN. RVTI. QVanquam in uno prælio omnis fortuna Reipub.disceptat} In uno prælio, alii habent codices. quod ego sequor po tius:illo.s.quod Hirtius Pansaq; & Octauius ad Mutinam cum M.Antonio habuerunt.

PHIL. MELĀ. ETsi satis}Narratio,qua comprobat illius consilia. {Is enim denique}αἰτιολογία,quare nondum sint decreti honores. {Is autem qui}Ex definitione honoris sumpta est αἰτιολογία.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Gratias agit Plancus pro officiis,quibus a Cicerone afficitur: nunciatq; Ciceroni,quantum onus pro defensione Reipub.humeris suis incumbat.

PLANCVS CICERONI S. P. D. 11

IMmortales ago tibi gratias, a= gamq; dum uiuam.nam relaturum me, affirmare non possum: tantis enim tuis officijs non uideor mihi respondere posse : nisi forte(ut tu grauissime,disertissimeq; scripsi= sti)ita sensurus es, ut me referre gratiam putes,cum memoria tene= bo.fide filij tui dignitate esset a= ctum,amabilius certe nihil facere potuisses.Primæ tuæ sententiæ infinitis cum muneribus,posteriores ad tempus,arbitriumq; amico rum meorum compositæ,oratio assidua, & perpetua de me iur= gia cum obtrectatoribus propter me,notissima mihi sunt. quare non mediocris adhibenda mihi est cura,ut Reipubli.me ciuem di= gnum tuis laudibus præstem,in amicitia tua memorem, atque gra tum.quod reliquum est,tuum munus tuere: & me,si, quem esse uo luisti,eum exitu rebusq; cognoscis,defende ac suscipe. Cum Rho danum copias traiecissem,fratremq; cum tribus millibus equitum præmisissem,ipse iter ad Mutinam dirigerem:in itinere de præ= lio facto,Brutoq; & Mutina obsidione liberatis audiui.animad= uerti nullum alium receptum,Antonium, reliquiasq; quæ cum eo essent,habere nisi in his partibus : duasq; ei spes esse propositas, unam Lepidi ipsius,alteram exercitus,quòd quædam pars exer= citus non minus furiosa est,quàm qui cum Antonio fuerunt.equi tatum reuocaui,ipse in* Allobrogibus constiti, ut perinde ad om= nia paratus essem, ac res me moneret. si nudus huc se Antonius conferet,facile mihi uideor per me sustinere posse, remq; publi= cam ex uestra sententia administrare,quamuis ab exercitu Lepi= di recipiatur.si uero copiarum aliquid secum adducet, & si deci= ma legio ueterana,quæ nostra opera reuocata cum,reliquis est,ad eundem furorem redierit:tamen,nequid detrimenti fiat, dabitur opera à me:idq; me præstaturum spero, dum istinc copiæ traii= ciantur,coniunctæq; nobiscum facilius perditos opprimant. hoc tibi spondeo mi Cicero,neque animum,neque diligẽtiam mihi de= futuram.cupio mehercules nullam residuam solicitudinem esse: sed si fuerit,nec animo,nec beneuolentiæ,nec patientiæ cuiusquã pro uobis cedam.do quidem ego operam,ut etiam Lepidum ad hu ius rei societatem incitem:omniaq; ei obsequia polliceor, si modo Rempub.respicere uolet.utor in hac re adiutoribus, interpreti= busq;,fratre meo, & Laterense, & Furnio nostro,non me impe= dient priuatæ offensiones,quo minus pro Reipub.salute etiam cũ inimicissimo consentiam.quòd si nihil profecero, nihilominus ma ximo sum animo, & maiore fortasse cum mea gloria uobis satisfa ciam,Fac ualeas,meq; mutuo diligas.*

*al.fue. statimq; equita. *al.Allo= brogibus iter con= stitui.

ASCENSIVS. IMmortales &c.Scripserat Cice.ad Plancum se omnia diligenter fecisse pro tuenda eius dignitate, & pro eo fortiter certasse,de quo Plancus gratias agit, dicitq; si bi Rempub.eri maiori curæ futurã,simulq; docet quid speret se facturum aduersus Antonium adiuuantibus Laterense & Furnio.Ordo est:Ego ago tibi.s.uerbis,aut scriptis gra

tias

tias immortales.i.non intermorituras nec e memoria abolendas,& agam dum.s.donec uiuam, nam non possum adfirmare me relaturum.i.reipsa paria beneficia redditurum. Ego enim non uideor mihi posse respondere.i.satisfacere, tantis officiis tuis, nisi forte ut tu scripsisti grauissime & disertissime tu sensurus es.l.indicaturus, ita ut putes me referre gratiam.i.re ipsa satisfacere, cum.i.quando tenebo memoria.s.beneficia in me collata, hoc est quando habebo gratias, ut memorem esse sit instar relationis beneficii. Si actum, idest transactum & constitutum esset de dignitate filii tui, tu nihil potuisses facere amabilius sup.mihi. Primæ sententiæ tuæ sup.de me compositæ sunt.i constitutæ cum muneribus.i.officiis, infinitis.i. plurimis in me liberaliter collatis, posteriores.s.sententiæ tuæ compositæ sunt ad tempus, idest pro ratione temporis & ad arbitrium amicorum meorum. Oratio.s.tua, assidua i.sermo quotidianus & iurgia.s.tua perpetua, idest continua cum obtrectatoribus supplemeis propter me.s.habita, sunt mihi notissima. Quare non mediocris cura adhibenda est mihi ut præstem.i.exhibeam Reipub. me ciuem dignum laudibus, & sup.memorem, atq.i.& gratum in amicitia tua. Quod reliquum est tuere.l.defende munus tuum.i.partes & officium, & defende ac suscipe me, si cognosces.i.cognoscere uoles eum exitum rebus, quem noluisti esse. Cum traiecissem copias Rhodanum, qui fluuius est Galliæ Lugdunen. & præmisissem fratrem cum tribus millibus equitum, & ipse i ego dirigesem iter ad Mutinam, ubi D Brutus obsidebatur. Notandum autẽ proprio nomini ciuitatis licere præpositionem addere. audiui in itinere de prælio facto & de Bruto & Mutina liberatis obsidione. Animaduerti nullum, idest non ullum, Antonium & reliquias.s.copiarum quæ essent cum eo, non habere ullum alium receptum.l.locum refugii, nisi in his partibus.s.in quibus essem. Et duas spes esse propositas ei.s.Antonio, unam Lepidi.s ad se trahẽdi, alterã exercitus ipsius, quod quædam pars exercitus non minus furiosa est.i.male sentiens de Repub. quam qui fuerunt cum Antõ. reuocaui equitatũ.i. equitum exercitum, ipse, idest egomet mansi stans in Allobrogibus .i. Gallis circa Viennam & Lugdunum, ut essem paratus ad omnia. Proinde, idest perinde ac, idest sic, ut res, idest utilitas rei moneret me. si Antonius conferet se huc, idest ad hunc locum ubi essem, nudus, idest inermis, ego uideor posse suscipere.s.negocium capiendi aut debellandi Antonii facile per me, idest sine adiutorio, & administrare rem, ex sententia, idest uoluntate nostra, quamuis supple Antonius recipiatur ab exercitu Lepidi. Si uero adducet secũ aliquid copiarum, & si decima legio ueterana: idest ueteranorum militũ, quæ præcipuæ fortitudinis habebatur, quæ reuocata est cum reliquis.s.legionibus, opera, idest diligentia nostra, quia uolebat ad Antonium transire, redierit ad eundem furorem.s.transeundi ad Antonium: tamen idest nihilominus, opera dabitur a me, ne quid detrimenti, idest damni fiat.s.Reipubli. & spero me præstaturum, idest exhibiturum & effecturum id, dum modo copiæ.s.nouæ traiiciantur istinc, idest ex Italia trans alpes, & coniunctæ nobiscũ opprimant facilius perditos.s.milites, qui Rempub perdant. O mi Cicero ego spondeo tibi hoc, neq; animum, neq; diligentiam defuturam mihi: cupio mehercule, nullam solicitudinem esse residuam, id est reliquam, hoc est uolo penitus extirpare inimicos Reipu. Sed si fuerit.s.aliqua solicitudo residua, ego nec cedam animo nec beneuolentiæ, nec patientiæ, idest perseuerantiæ cuiusquam pro nobis: idest derelictus nobis. Ego quidem do operam, ut Incitem etiam Lepidum ad societatem huius rei s.opprimendi. Antonii, & polliceor ei omnia obsequia, si modo uolet respicere.s.misericorditer & fauẽter Rempub. Ego utor in hac re fratre meo, & Laterense nostro & Furnio nostro.i.communibus amicis, adiutoribus & interpretibus, idest quasi intercessoribus & significatoribus uoluntatis meæ. Offensiones priuatæ, idest læsiones priuatorũ hominum, aut quas priuatim fecero, non impedient me quo minus sentiam pro salute Reipub. etiam cum inimicissimo. Quod si nihil profecero.s.sic sentiendo pro Repub. nihilominus ego sum maximo animo, & satisfaciã uobis, idest uestræ cupiditati fortasse maiore animo, cũ gloria mea hoc est si uincere non potero, & alios in sententiam meam attrahere, paratus sum pro Repub. fortiter pugnando, si sors dabit, cadere, quod gloriosius erit quam uerbis uicisse. Fac sup. ut ualeas & diligas me mutuo, idest quod mutuo facturus es.

VICTORIVS. VNam Lepidi, ipsius alterã exercitus} Ita puto legi debere, Vnam Lepidi ipsius, alteram exercitus: nã elegantior multo hæc est lectio, & nullo periculo corrigi potest: nulla.n. deprauatio in uerbis, in distinctione tantum peccatum fuerat.

SEBAS. CORR. PRælio facto} ab Hirtio & Pansa Coss. & Octauio Cæsare Proprӕt. {Quædam pars exercitus} Episto. XXXV. huius libri. {Ex uestra sententia} Al. ex nostra sententia. {Decima legio} quæ olim ab Antonio regi solita, tunc erat in exercitu Lepidi. {Nostra opera} Al. uestra opera. {Dum istinc} ea Gallia Cisalpina. {Laterense} M. Iuuentio Laterense Lepi. legato.

BERN. RVT. C Plancus Imperator Con. desig.} Supra infraq; Cn. Plancus est Ciceroni ad M. Brutum, & Philippica tertia, & XIII. Lucius. Hoc, ne diuersi putarẽtur, qui unus idẽq; erat, adscripsimus: simul ut plura loca ad consentientem scripturã reuocaremus. Miretur uero quis, cur, quod supra uidimus, nondum ingressis in consulatum suum Hirtio ac Pansa, iam in alterum annum Plancus ac D. Brutus designati fuerint, nisi sciatur, Cæsarem paulo ante mortem, expeditionem in Parthos molitum, ciuitati discessurum in quinquennium magistratus creasse, author Appianus, Plutarchusq;: qui M Brutum in quartum annum designatum consulem, quum tum esset prætor, præterito Cassio, scribit in Cæsare. {Et me, si quem esse uoluisti, eum exitum rebus, quem cognosces, defende ac suscipe} Vacat, quem, illud posterius. ut sit: Et me, si, quẽ esse uoluisti, eum exitum rebus cognosces, defende ac suscipe. Alii codices. nam interpres quidem mendosum sequitur.

PHIL. MELA. IMmortales ago} Exordium. captat beneuolentiam a gratiarum actione. {Quare non} Vicissim pollicetũs operam suam. {Quũ Rhodanum} Narratio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Scribit Planco, quam gratæ fuerint & sibi & senatui literæ illius, hortaturq; eodem illo superiore argumento ad Rempub. defendendam.

CICERO L. PLANCO IMP. COS. DES. S. D. 12

ETsi Reipub. causa maxime gaudere debeo, tantum ei te præsidij, tantum opis attulisse extremis penè temporibus: tamen, ita te uictorem complectar Republi. recuperata, ut magnam partem mihi lætitiæ tua dignitas afferat: quam & esse iam, & futuram amplissimam intelligo: caue enim putes ullas literas unquam gratiores, quàm tuas, in senatu esse recitatas. idq; contigit tum meritorum tuorum in Rempub. eximia quadam magnitudine, tum uerborum, sententiarumq; grauitate, quod mihi quidem minime nouum, qui & te nossem & tuarum literarum ad me missarum, promissa meminissem, & haberem à Furnio nostro tua penitus consilia cognita: sed senatui maiora uisa sunt, quàm erant expectata: non quòd unquam de tua uoluntate dubitasset: sed nec quantum facere posses, nec quo progredi uelles, exploratum satis habebat. itaque cum ad VII. Id. Apr. mane mihi tuas literas M. Varisidius reddidisset, easq; legissem, incredibili gaudio sum elatus. cumq; magna multitudo optimorum uirorum, & ciuium me de domo deduceret, feci continuo omneis participes meæ uoluptatis. interim ad me uenit Munatius noster, ut consueuerat: & ego ei literas tuas* ostendi: nihildum enim sciebat: nam ad me primum Varisidius: idq; sibi à te mandatum esse dicebat. paulo post idem mihi Munatius eas literas legendas dedit, quas ipsi miseras, & eas, quas publice. placuit nobis, ut statim ad Cornutum Prætorem urb. literas deferremus, qui, quòd Consules aberant, consulare munus sustinebat more maiorum. senatus est continuo conuocatus, frequensq; conuenit propter famam, atque expectationem tuarum literarum. recitatis literis, oblata religio Cornuto est, pullariorum admonitu, non satis diligenter eum auspicijs operam dedisse. idq; à nostro collegio comprobatum est. itaque res dilata est in posterum. eo autem die magna mihi fuit pro tua dignitate contentio cum Seruilio. qui cum gratia effecisset, ut sua sententia prima pronunciaretur, frequens eum senatus reliquit, & in alia omnia discessit: meæq; sententiæ, quæ secunda pronunciata erat, cum frequens assentiretur senatus, rogatu Seruilij P. Titius intercessit. res in posterum dilata. uenit paratus Seruilius, Ioui ipsi iniquus, cuius in templo res agebatur. hunc quemadmodum fregerim, quantaq; contentione Titium intercessorem deiecerim, ex aliorum te literis malo cognoscere: unum hoc ex meis: senatus grauior, constantior, amicior tuis laudibus esse non potuit, quam tum fuit. nec uero tibi senatus amicior, quam cuncta ciuitas*

*al. graviores.

*al. dedi.

*mirabiliter enim populus Roma. uniuersus, & omnium generũ, ordinumq; consensus ad liberandam Rempub. conspirauit. perge igitur, ut agis, nomenq; tuum commenda immortalitati: atque hæc omnia, quæ habent speciem gloriæ, collecta inanissimis splendoris insignibus, contemne, breuia, fugacia, caduca existima. uerũ DECVS in uirtute positum est, quæ maxime illustratur magnis in Rempub. meritis. eam facultatem habes maximam. quam quando *complexus es, & tenes: perfice, ut ne minus Respubli. tibi quàm tu Reipubli. debeas. me tuæ dignitatis non modo fautorem, sed etiam amplificatorem cognosces. id tum Reipubli. quæ mihi est mea uita charior, tum nostræ necessitudini debere me iudico. atque in his curis, quas contuli ad dignitatem tuam, cepi magnam uoluptatem, quòd bene cognitam mihi T. Munatij prudentiam, et fidem, magis etiam perspexi in eius incredibili erga te beneuolentia, & diligentia. III. Id. Apr.*

*al. comple. es, tene,

ASCENSIVS.

ETsi Reipub. Cum scripsisset Plancus ad Cice. & senatum de uoluntate sua in Rempub. ostendit Cice. quanti literas illas fecerit, hortaturq; ut pergat ueram gloriam uirtute assequi, docetq; Munatii erga ipsum beneuolentiam. Ordo est. Etsi. i. quanquam ego debeo maxime gaudere causa Reipub. te attulisse ei pene. i. quasi extremis. i. ultimis temporibus. i. quibus prouincia habenda est, tunc autem eum sentirent ad successorem perfectæ rei peruenturam, raro magna inceptare solebant, tantum præsidii & protectionis honorificæ & custodiæ & tantum opis. i. auxilii, tamen ita. i. sic, &. i. comprecariua locutio, complectar te. i. precor ut detur mihi te complecti Repub. recuperata, ut tua dignitas. s. quam ea ea uictoria consequeris, adferat mihi magnam partem lætitiæ, quam. s. dignitatem tuam ego intelligo & esse iam & futuram amplissimam. Enim. i. quia, caue sup. ut aut ne putes ullas literas, unquam grauiores esse recitatas in senatu quam tuas. Et id. s. quod grauissimæ æstimatæ sunt, contigit tum. i. simul eximia quadam magnitudine meritorum tuorum in Rempub. tum. i. simul grauitate uerborum & sententiarum, quod minime nouum sup. fuit quidem. i. certe, aut saltem ut de aliis taceã mihi qui, &. i. simul nossem te, & meminissem. i. memoria tenerem, promissa literarum tuarum missarum ad me, & haberem a Furnio nostro consilia tua penitus cognita. Sed sup quæ scripsisti, erant uisa senatui maiora, quam erant expectata, non quod. s. senatus dubitasset unquam de uoluntate tua, sed sup. quod nec habebat satis exploratum. i. cognitum quãtum posses facere, nec quo. i. usq; ad quãtum laboris & periculi uelles progredi. s. pro Repub. Scripserat. n. quod ad mori eni usq; pro ea certare uellet. Itaq; cũ Varisidius reddidisset mihi literas tuas ad VII. Idus, hoc est ad VI. diem Aprilis, & ego legissem eas, ego sum elatus. i. supra me raptus incredibili gaudio. Cumq;. i. & cum magna multitudo optimorum uirorum & ciuium deduceret me. s. in senatum aut forum de domo. s. priuata, ego feci continuo omnes participes uoluptatis meæ. i. indicaui omnibus tuam uoluntatem in Rempub. de qua æque gauisi sunt ac ego. Interim Munatius noster uenit ad me, ut consueuerat, ac ego dedi ei literas tuas, nihil enim sciebat dum: idest tunc adhuc. Nam Varisidius, sup. uenerat primum ad me, & dicebat id, s. ut primũ ad me ueniret, esse mãdatum sibi a te. Idem Munatius dedit mihi paulo post legendas eas literas, quas tu miseras ipsi, Et eas quas miseras publice. s. recitandas in senatu. Placuit nobis ut deferremus statim literas ad Cornutum prætorem urbis. s. Romæ, qui. s. Cornutus sustinebat munus consulare. i. fungebatur officio consulari, eo qđ consules aberant, more maiorum. i. sicut apud maiores & priscos Romanos, prætor urbanus fungebatur officio consulum absentiũ. Senatus est continuo conuocatus, & conuenit frequens propter famam atq; expectationem literarum tuarum. Literis. s. tuis, recitatis. i. postquam erãt recitatæ, religio: idest metus de non seruato auspicio, est oblatus, idest obiectus Cornuto: admonitu pullariorum: idest eorum qui pullos ad auguria & auspicia nutritos obseruabãt, eum non satis diligenter operam dedisse, est comprobatum supple a collegio nostro uidelicet augurali. Itaq;: idest & ita res est dilatu in posterum: idest in diem sequentem. Autem: idest sed magna contentio supple fuit mihi, eo die. s. postero, cum Seruilio, pro dignitate tua. s. tuenda, qui. s. Seruilius cum effecisset gratia, idest fauore quorundam, ut sententia sua pronunciaretur prima, frequens senatus: idest plurima pars senatus, reliquit eum: idest non est secutus aut secuta sententiam eius, & discessit in alia omnia, idest probasset potius alia omnia, quam quæ a Seruilio dicebantur, & cum frequens senatus assentiretur meæ sententiæ quæ pronunciata erat secunda, P. Titius intercessit, idest se opposuit, rogatu: idest ob preces Seruilii Res est dilata in posterum idest in diem rursus sequentem. Seruilius uenit paratus. s. ad resistendum sententiæ Ciceronis, iniquus ipsi Ioui. s. Autori Reipub. Romanæ, in cuius templo res agebatur. Ego malo: idest magis uolo te cognoscere ex literis aliorum supple quam ex meis, quemadmodum ego fregerim hunc, idest impetum huius. s. Seruilii, & quanta contentione abiecerim Titium intercessorem, idest repugnatorem sententiæ meæ. Volo supple te cognoscere aut cognosce, hoc unũ ex meis sup. literis. Senatus non potuit esse grauior, constantior, amicior tuis laudibus quã fuit tum: idest tunc. Nec uero senatus supple est amicior, idest fauentior tibi, quam tota ciuitas. Enim: idest quia, Popu. Romanus uniuersus & consensus omnium generum & ordinum conspirauit: idest consensit mirabiliter ad liberandum Rempu. Perge: idest procede & perfice inceptum igitur ut agis, & commenda nomen tuum immortalitati, quia constituerat Plancus aut Rempub. cum solicitudine liberare aut pro ea mori. Atq; contemne hæc omnia quæ habent speciem: idest similitudinem gloriæ, sed non ueram gloriam, utpote collecta insignibus inanibus: idest friuolis, splendoris: idest magistratus clari, hoc est ex honoribus sine uirtute acquisitus, & existima breuia, quia diu durare non possunt, cum breuis sit hominis uita, fugacia, quia etiam si uita perduraret, hominem destituere solent, & cito ad alium transfugere, & caduca, quia per naturã suã sunt instabilia, splendor enim ille qui in principio magistratuum est, cito languescit. Verum: idest solidum & perpetuum decus est positum in uirtute, quæ. s. uirtus illustratur maxime magnis meritis in Rempub. Tu habes eam facultatem. s. conferendi magna merita in Rempub. maximam, quam. s. facultatem quando: idest quoniam complexus: idest aggressus es, tene & perfice, ut ne: idest non minus Respub. debeat tibi, quam tu debeas Reipub. Tu cognosces me non modo: idest non solum fautorem, sed etiam amplificatorẽ dignitatis tuæ. Ego iudico me debere id. s. ut sim amplificator dignitatis tuæ, tum: idest simul, Reipub. quæ est mihi charior uita mea, tum: idest simul necessitudini nostræ, scilicet a patre tuo primum contractæ. Atq; ego cepi magnam uoluptatem in his curis, quas contuli ad dignitatem tuam, quod perspexi prudentiam & fidem Titi Munatii cognitam mihi bene, idest multum, etiam magis: idest amplius quam prius, incredibili beneuolentia & diligentia eius erga te. Datum, &c.

VICTORIVS.

ET tuarum literarum ad me promissa meminissem} Sic omnes ueteres, & noui codices, quos uidi, habent. Cælius tamẽ quidam Rhodiginus, homo multæ lectionis. {Præmissa} corrigit ex antiquis (ut ipse ait) exemplaribus, intelligitq;. {Præmissa} primitias quasdam. Sic etiam legit locum Plynii contra Hermolai emẽdationem, Oleiq; ac uini præmissa remeans secũ tulisset. quod non reprehendo: nimis tamẽ mihi durum uidetur, & ab epistolarũ claritate alienum hic {præmissa} legere. esset enim obscurior, & nõ parum uiolenta translatio. Nã quantũ ad antiquorũ codicũ fidem, habuimus nos miræ uetustatis Mediceũ. Vellẽ autẽ eos, qui antiquis exẽplaribus nituntur, ubi sint hæc egregia uetustatis monimẽta, notũ facere. Quanuis enim nullius eruditi uiri fidẽ condemnemus, nihil tamen nobis non suspectum esse debet, cũ homines plerumq; omnia tentent, ut suis opinionibus fidẽ acquirant. promissa autẽ intelligit ea, quæ in suis literis Plancus facturũ se esse promisesat. {Breuia, fugacia, & caduca existima} Antiquiores codices, Mediceus inquã, & qui Petrarchæ fuit, hac parte luxati sunt, & manci: sic enim habent. {Breuia fugato caduca existima} quam rẽ propter librorũ dignitatẽ, & probitatẽ, nullo modo silentio præterire potui, quanquã receptã lectionẽ rectã & uerã esse iudico. nec uideo quomodo ueterẽ tueri si uelim possim: credendũ igitur est hoc erratum fuisse librarii. cũ raro autẽ accidere soleat ut peccet, non alienũ mihi uisum est hoc etiã testari præter deformatã illã dictionẽ. {Fugacia} coniunctio non est in antiquioribus.

Ex poste. eiusdem.

TVa dignitas adferat} In Mediceo adferat scriptũ est: {Affert} igitur legi debet: contaminata ab imperito uera lectio fuit, qui dum credidit se emendare, corrupit, quod Paulus etiã animaduertit. {Breuia, fugacia, caduca} Receptã iampridẽ lectionẽ retinendã censeo, & si fui cũ & ipse {Fucata} legi posse existimarim, quod tamen nunc non ualde probo: hæc enim sententia est (ut opinor) huius loci, ut ostendat, inanẽ gloriam ὀλιγοχρόνιον esse & paruo tẽpore perdurare: cũ enim supra inquit, Atq; hæc omnia, quæ habent speciẽ gloriæ: intelligit res fucatas, & quæ splẽdidæ, ac honestæ uidentur, non tamen habent uerã ac solidã gloriã, neq; uerã dignitatem, quas omnes imbecillas recte dixit, & facile euolare e manibus. Si enim hic {Fucata} legeretur, cum uerba illa, quæ habent inanem speciem gloriæ, nihil significent, nisi quæ fucata sunt (si quis μεταφορικῶς loqui uelit) dixisset Cicero quæ fucata sunt, fucata sunt, quod probari nullo pacto potest.

PAVL. MANV.

TVa dignitas affert} Antea legebatur, afferat, nos, affert, e uetusto codice, quem habet amicus meus Ioannes Scala, uir & humanitatis, & eruditionis prope singularis. est autẽ sensus, Ita mihi detur te uictorem complecti Repub. recuperata, ut mihi magnam lætitiæ partem tua dignitas affert, uerbum complectar, qui crediderunt esse indicatiui modi, uocem, affert, ut ipsi putabant, emendarunt, ut ego existimo, deprauarunt. {Breuia, fugacia, caduca existima} In uoce fugacia, uetusti codices uariant, alii fugacia, alii fugato, habent. ego, & si uulgata lectio sensu non caret,

tamen

tamen libentius legerem, fucata: ut tralatio sit a mulieribus, quarũ sæpe nitor non naturalis, sed fucatus est. hæc (inquit) fucata existima, quoniam uerum splendorem non habent sed collecta sunt inanissimis splendoris insignibus.

SEBAS. CORR.

GRatiores} Al. grauiores. {Quam tuas} octauas huius lib. {Promissa meminissem} Episto. iiii. huius lib. Quidam tamẽ legunt, præmissa, exponũtq; primitias quasdam, ita sane in manuscriptis libris sæpius leges. {Cornutum} M. Cornutum. {Continuo conuocatus} ut ad rem nouam. Episto. xxviii. lib. X I I. {A nostro collegio} augurum. {Seruilio} de quo ad M. Brutum in epistolis, quæ sunt a Germanis nuper inuẽtæ, sic scribit: In Planci causa Seruilius exarsit, mecumq; per biduum contendit: item, Acerbissime tulit Seruilius assensum esse mihi de Planco. {P. Titius} Trib. pleb. {Complexus, & tenes} Al. complexus es, tene.

BERN. RVTI.

ETsi reip. causa maxime gaudere debeo &c.} Hanc epistolam arbitror illi, quæ est ad senatum populumq; Rom. a Planco scripta, subiungi debere: tum huic eo loco sitæ eam quæ incipit, Nihil me tibi, post eam uero addi superiorem, cuius initium, Immortaleis ago tibi gratias. Nam eam quidem quæ incipit, Etsi satis ex Furnio, uel omnibus hisce quas modo nominauimus, atque adeo illi ipsi quæ sic inchoatur, Plura tibi, puto præponendam, ut sit numero septima. Hoc arbitror ad sententiam literarũ consequendam percipiendamq; pertinere, in quo iam uel Tyronis culpa esse potest. Quod siquis etiam eam quæ sequitur, præponat huic Planci, quam ultimam hactenus fecimus, cuius initiũ, Immortales ago, non inepte meo iudicio fecerit: atq; etiam eas quæ incipiunt, O gratam famam, nam ne interpres quidem absurde est, quantum intelligo, ratiocinatus, de coniungendis duabus istis Planci epistolis.

Cæl. Rhodig. Antiq. Lect. lib. 3. cap. 20.

APud Plynium præmissa uini uocantur primitiæ: Hermolaus emendans, promissa reponit, publica lectione expuncta. Mihi autem mire arridet uerbum Præmissa, ut intelligamus primitias quasdam sicuti præmissa sacrorum dicuntur. Vtitur eo uocabulo & M. Tullius epistola quadam ad Plancum: Et tantum, inquit, literarum præmissa meminissem. Etiã si in uulgatis modo codicibus passim scriptum inueniamus promissa, non præmissa scosus nullio, aut leuissimo.

PHIL. MELÃ.

ETsi reipub.} Exordium: Etsi reipu. causa gaudeo, tamẽ & gaudebo tua causa. {Caue enim} Ratio: Placuerunt omnibus tua promissa {Recitatis literis} Narratio certaminum de honoribus Planci. {Perge igitur} Adhortatio ad defendendam rempub. ex honesto. {Quam quoniam} Repetitio adhortationis. {Me tuæ} Defert suum officium.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Cupit testatam Planco suam erga illum uoluntatem in augenda dignitate facere, hortaturq; bellum cum Antonio inchoatum conficiat.

CICERO PLANCO IMP.
COS. DES. S. D. 13

*VT primum potestas data est augendæ dignitatis tuæ, nihil prætermisi in te ornando, quod positum esset aut in præmio uirtutis, aut in honore uerborum. id ex ipso S.C. poteris cognoscere: ita enim est perscriptum, ut à me descripta dicta sententia est: quam senatus frequens secutus est summo studio, magnoq; consensu. ego quanquam ex tuis literis, quas mihi misisti, perspexeram te magis iudicio bonorum, quàm insignibus gloriæ delectari: tamen considerandum nobis existimaui, etiam si tu nihil postulares, quantum tibi à Repub. deberetur. tu contexes extrema cum primis: qui enim M. Antonium oppresserit, is bellum confecerit. itaque Homerus non Aiacem, nec Achillem, sed Vlyssem appellauit *πολιπόρθον.*

*.i. urbis direptorẽ

ASCENSIVS.

VT Primum &c. Dicit Plancum ex senatusconsulto perspicere posse quantum ipse Cice. pro eius dignitate cõtenderit. Hortaturq; ut bellum cum Antonio cõficiat. Ordo est, Vt. i. ubi primum, potestas augendæ dignitatis tuæ est data. i. concessa & facta mihi: nihil prætermisi in te ornando, quod positum esset aut in præmio uirtutis aut in honore uerborum. Tu poteris cognoscere id. i. quod ita fecerim ex ipso senatusconsulto: quod missum erat ad Plancũ, & de Planco augendo. Ita enim sup. senatusconsultum est perscriptum, ut sententia dicta est a me descripto. i. de eo scribendo, quam. s. sententiam meam senatus frequens. i. plurima pars senatorum, secutus est summo studio & magno consensu. Ego quanquam perspexeram ex literis tuis quas misisti, te magis delectari iudicio bonorum, ut sunt reipub. fautores, quam insignibus gloriæ: tamen existimaui considerandum supple esse nobis, etiam si tu nihil postules, quantum debetur tibi a repu. Tu contexes. i. conferes extrema. i. præmia & gloriam, cum primis. i. cum sudore & labore ac periculis. Labor autem erit in opprimendo Antonio, Præmium, summus in rep. locus. Qui enim oppresserit M. Antonium, is cõfecerit. i. finierit bellũ. Itaq; Home. non Aiacem, nec Achillem, appellauit πολιπόρθον. i. urbis populatorem & expugnatorem, quamuis uterq; esset fortissimus bellator, sed Vlyssem, qui callido consilio plus ualuit quam illi uiribus. Quasi dicat consilio potius quam uiribus contra Antonium contendendum πολίπορθος & pro eodem πολιπόρθιος dicitur a nomine πόλις, quod est oppidum seu urbs, & uerbo πορθέω qđ est populor. i. oppugno.

SEBAS. CORR.

EX tuis literis} octauis huius lib. {Vlyssem appellauit} semper, inquit Strabo. nam Achillem toterdum etiam appellauit. Vlysses uero apud Ouidium etiam quæ ab Achille sunt gesta, sibi, quod illum a se iuuentum ad bellum perduxerit, quasi suo iure accepta referri postulat. Vide præterea, quæ lib. I I Iliad. scribit interpres Homeri: ne dicam finem cuspicì oportere. πολιπόρθον urbis expugnatorem.

PHIL. MELÃ.

VT primum} Narratio in qua commemorat suum studium in augenda dignitate Planci. {Tu contexes} obliqua adhortatio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Laudat uoluntatem Planci, hortaturq; ut in eo proposito perseueret.

CICERO PLANCO IMP.
COS. DES. S. D. 14

O Gratam famam biduo ante uictoriam, de subsidio tuo, de studio, de celeritate, de copijs. atqui, etiam hostibus fusis, spes omnis in te est: fugisse enim ex prælio Mutinensi dicuntur notißimi latronum duces. EST autem non minus gratum extrema delere, quàm prima depellere. equidem expectabam iam tuas literas, idq; cum multis: sperabamq; etiam Lepidum temporibus admonitum, tecum, & Reipub. satis esse facturum. in illam igitur curam incumbe mi Plance, ut ne qua scintilla teterrimi belli relinquatur. quod si erit factum: & Rempub. diuino beneficio affeceris, & ipse æternam gloriam consequere. III. Id. Mai. Vale.

ASCENSIVS.

O Gratam. Gratulatur Planco quod bonam famam consecutus sit sine dispendio, nam bellum ad quod operam suam pollicitus erat, confectum erat biduo post. Hortatur tamen ad reliquias delendas, dicens: O famam gratam: sup. sparsam biduo ante uictoriam de subsidio tuo de studio in rempu. de celeritate, de copiis, atq; etiam de hostibus fusis. s. a te in Gallia. Spes omnis est in te. Enim. i. quia, notissimi duces latronum. i. Antonianorum dicuntur fugisse ex prælio Mutinensi. i. apud Mutinam commisso. Autem. i. sed, non minus gratum. i. utile & acceptum est delere extrema. s. belli, quam depellere prima. Equidem. i. ego quidem expectabam iam literas tuas idq;. i. & id sup. feci cum multis, quia etiã alii multi eas expectabant. Et sperabam etiam Lepidum admonitum temporibus, quia res Antoniana cœperat labi, esse sup. tecum & satisfacturum reipu. Igitur o mi Plance incumbe in illum curam ut ne qua. i. non aliqua scintilla. i. particula uel minima pars quæ ut scintilla magnum posset incendium excitare. bellum autem nunc diluuio, nunc incendio comparari solet belli teterrimi. i. execrandi eo quod contra rempublicam cœpti, relinquatur. Quod si erit factum. s. per te, tu affeceris. i. afficies rempub. beneficio diuino. i. æterno, aut diuino, incomparabili, & ipse consequere. i. obtinebis gloriam æternã. Datũ &c.

SEBAS. CORR.

ANte uictoriam} apud Mutinã. {Atqui etiam} Al. atq; etiã. {Latronum duces} M. Antonius & eius amici.

BERN. RVT.

BIduo ante uictoriã de subsidio tuo, de studio, de celeritate, de copiis, atq; etiã hostibus fusis, spes omnis est in te} Quid si legas? Itaq; etiã hostibus fusis, spes omnis est in te. nã interpres quidẽ Gallos fusos intelligit, perperam. quum supra scripserit Plancus, prouinciã habere se omniũ ciuitatũ consensu paratissimam, & summa contentione ad officia certantem. Illud interim

mirari subit quod prælium ad Mutinam dies, hisce insequentibus & Galbæ literta & inserta & io scripta, in nuit circa Maii initia cũ missum. quum tn ultima Philippica Cicero potius ad Idus Quin-tiles ostendat..

PHIL. MELá.

O Gratam famam} Narratiuncula, quod omnibus nota sit uo-luntas Planci erga rempublicam. Et addita est adhortatio, ut ipsum Antonium & reliquias exercitus persequatur. {In illam igitur} Adhortatio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Nunciat Ciceroni, quid pro republica, ut Antonium opprimeret, egerit cum Lepido.

PLANCVS IMP. CICERONI S. D. 15

His literis scriptis, quæ postea acci-dissent, scire te, ad Rempub. puta-ui pertinere. sedulitas mea (ut spe-ro) & mihi, & reipub. tulit fru-ctum: nanque assiduis internuncijs cum Lepido egi, ut omissa omni contentione reconciliataq; uolun-tate nostra, communi consilio Rei pu. succurreret: se, liberos, Vrbem pluris, quàm unum perditum abiectumq; latronem putaret: ob-sequioq; meo, si ita faceret, ad omneis res abuteretur. profeci itaq; per Laterensem internuncium: fidem mihi dedit, se Antonium, si prohibere sua prouincia non potuisset, bello persecuturum: me, ut uenirem copiasq; coniungerem, rogauit, eoq; magis, quòd & Antonius ab equitatu firmus esse dicebatur, & Lepidus ne medio-crem quidem equitatum habebat: nam etiam ex paucitate eius, non multis ante diebus, decem qui optimi fuerant, ad me transierunt. quibus rebus ego cognitis, cunctatus non sum: in cursu bonorum consiliorum Lepidum adiuuandum putaui. aduentus meus quid profecturus esset, uidi: uel quòd equitatu meo persequi, atque op-primere equitatum eius possem: uel quòd exercitus Lepidi eam partem, quæ corrupta est, & ab Repub. alienata, & corrigere, & coercere præsentia mei exercitus possem. itaque in Isara flu-mine maximo, quod in finibus est Allobrogum, ponte uno die fa-cto, exercitum ad IIII. Id. Maii traduxi. cum uero mihi nuncia-tum esset, L. Antonium præmissum cum equitibus, & cohortibus ad Forum Iulij uenisse: fratrem cum equitum quatuor millibus, ut occurreret ei, misi ad prid. Id. Maii: ipse maximis itineribus cum quatuor legionibus expeditis, & reliquo equitatu subsequar. si nos mediocris modo fortuna Reipub. adiuuerit: & audaciæ perdi-torum, & nostræ solicitudinis hic finem reperiemus. quòd si latro præcognito nostro aduentu, rursus in Italiam se recipere cœpe-rit. Bruti erit officium occurrere ei: cui scio nec consilium, nec animum defuturum. ego tamen, si id acciderit, fratrem cum equita-tu mittam, qui sequatur, Italiamq; à uastatione defendat.

Fac ualeas, meq; mutuo diligas.

ASCENSIVS.

His literis &c. dicit se fecisse quod pollicitus erat in epi-stola cuius principium est. Immortalet &c. unde uide-tur post illam ponenda. Ordo est. Ego putaui pertine-re ad rempub. te scire ea quæ accidissent, his. s. superio-ribus literis Immortalet &c. scriptis. Seduliras mea tu-lit, idest attulit, ut spero fructum, idest utilitatem & mihi & reipub. Nanq; egi cum Lepido assiduis internunciis, ut omni contentio-ne omissa, & uoluntate nostra, beneuolentia inter nos reconciliata ipse succurreret reipub. consilio communi, & putaret, idest existi-maret pluris, se s. ipsum, liberos. s. suos, & urbem. s. totam quam unũ latronem perditum & abiectum uidelicet Antonium & sup. dixi agendo cum eo, quod abuteretur, idest ad uoluntatem suam non parcendo uteretur, nã abuti est absumere res utendo eis, unde abuti mur uino oleo &c. utimur uestibus, & domo &c. neq; capitur hic in malam partem, sed in liberam. obsequio meo ad omnes res si face-ret ita Itaq; ego profeci per Laterensem internuncium, nam sup. dedit mihi fidem, idest sancte promisit se persecuturum bello An-tonium si non posset prohibere, idest arcere prouincia sua. Roga-uit me ut uenirem & coniungerem copias. s. meas cum suis, & eo ma-gis supple rogauit, quod & Antonius dicebatur esse firmus, idest fir-miter munitus ab equitatu, & Lepidus nẽ quidem, idest non saltẽ mediocrem habebat equitatum. Nam etiã decem. s. equites qui fue-rant optimi, transierunt ad me ex paucitate eius, idest quã ipse ha-bebat, non multis diebus ante. s. quam me rogaret. Quibus rebus co-gnitis, ego non sum cunctatus, idest immoratus, putaui Lepidum adiuuandum in cursu, idest tantisper dum esset in cursu bonorum consiliorum. Vidi, idest animaduerti, quid aduentus meus esset pro-fecturus, idest utilitatis facturus, uel quod possem persequi, atq; op-primere equitatum eius equitatu meo, uel quod possem & corrige-re & coercere præsentia, idest per præsentiam exercitus mei, eam partem exercitus Lepidi quæ est corrupta. s. donis aut pollicitatio-nibus Antonianis & alienata ab repub. Itaq; ponte facto uno die in Isara flumine maximo quod est in finibus Allobrogum, est tamẽ minus Rhodano, sed Rhodanus secat Allobrogas ab Gallis, tradu-xi exercitum ad quartum Idus Maii. Cum uero nunciatum esset mihi Lucium Antonium fratrem Marci præmissum cum equiti-bus & cohortibus uenisse ad forum Iulii urbem Galliæ non longe ab Alpibus, misi fratrem sup. meum cum quatuor millibus equitum ad secũdum Idus Maii ut occurreret & ei subsisteret, ei. s. Luc. An-tonio. Ipse, idest ego subsequar maximis itineribus cum quatuor le-gionibus expeditis & reliquo equitatu. Si modo. i. dummodo me-diocris fortuna Reipub. adiuuerit, nos reperiemus hic, idest in hoc conflictu finem &. i. simul audaciæ perditorum. s. hominum, & soli-citudinis nostræ. quod si latro. s. Antonius cœperit recipere se. i. re-dire tanquam in locum tutiorem in Italiam, rursus. i. iterum cognito aduẽtu nostro, erit officium Bruti occurrere ei, cui. s. Bruto, scio nec consilium, nec animum defuturum. Ego tamen si id acciderit, idest si redierit in Italiam, mittam fratrem sup. meum cum equita-tu, qui sequatur sup. eum, & defendat Italiam a uastatione, quam Antonius esset facturus Fac ualeas & diligas me mutuo.

VICTORIVS.

Cunctatus non sum in cursu bonorum consiliorum. Lepidũ adiuuandum putaui} Interpunctiones non suo loco collo-catæ, ut puto, corrumpunt elegantissimam sententiam: ip-se enim prorsus ita legendum existimo. {Quibus rebus ego cogni-tis cunctatus non sum: in cursu bonorum consiliorum Lepidum adiuuandum putaui.} Quamuis omnia nunc plana & aperta esse opinet, præclareq; intelligi, ac probari etiam iudicium meũ, tamen sensum meæ lectionis breuiter exponam: Quibus rebus cognitis, summam celeritatem adhibui, putauiq; officium meum esse Lepi-dum adiuuare, dum bona ac reipub. utilia consilia animo uersaret, quod non sæpe ille faciebat: Nam si legemus quemadmodum ante in cunctis impressis erat. {Cunctatus non sum in cursu bonorũ con-siliorum} aut nullus aut durus & insulsus prorsus ex hac lectione sensus elicietur.

SEBAS. CORR.

His literis} Vndecimis huius libri. {Latronem} M. Antoniũ. {L. Antonium} M. Antonii fratrem. {Forum Iulii} oppidũ Narbonensis prouinciæ. lege Plyn lib. 3. cap. 4.

BERN. RVTI.

Plancus prætor Ciceroni} Melius est, ut cum cæteria inscri-ptionibus congruat: Plancus imperator, Cos. designatus Ci-ceroni. Tametsi, ut arbitror, ea prætura sit in eam prouinciã missus.

PHIL. MELá.

His literis} Narratio, de sua diligentia in Lepido sibi concili-ando, & de suis consiliis in administrando bello. {Itaq; in Isara} De Isara flumine est apud Plynium lib. iii. cap. v. {Quod si latro} Concludit narrationem pollicitatione.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Quanta fuerit Senatus erga Lepidum uoluntas post recitatas literas nar-rat, hortaturq; Plancum ut strenue pro republica laboret.

CICERO PLANCO. S. D. 16

Nihil post hominum memoriam glo-riosius, nihil gratius, ne tempore quidem ipso opportunius accidere uidi, quàm tuas Plance literas: red-ditæ sunt enim frequenti senatu Cornuto, cum is frigidas sanè, & inconstanteis recitasset literas Le-pidi. sub eas statim recitatæ sunt tuæ, non sine magnis quidem cla-moribus: cũ rebus enim ipsis essent, et studijs, beneficijsq; in Rem-pub.

pub.gratißimæ;tum erant grauißimis uerbis,& sententijs. flagitare senatus instituit Cornutum,ut referret statim de tuis literis. ille se considerare ait uelle. cum ei magnum, conuitium fieret cuncto à senatu: quinque Tribuni pleb. retulerunt. Seruilius rogatus, rem distulit. ego eam sententiam dixi, cui sunt assensi ad unum. ea quæ fuerit, ex S.C. cognosces. tu quanquam consilio non eges, uel abundas potius, tamen hoc animo esse debes, ut nihil huc reijcias, ne'ue in rebus tam subitis, tamq; angustis à senatu consilium petendum putes. ipse tibi sis senatus. quocunque te ratio Reipub. ducet, sequare. cures, ut ante factum aliquod à te egregium audiamus, quàm futurum putarimus. illud tibi promitto, quicquid erit à te factum, id senatum non modo ut fideliter, sed etiam ut sapienter factum comprobaturum. Vale.

ASCENSIVS. NIhil Eiusdem est fere argumenti cum illa Etsi reip. causa. ostendit enim quam gratæ fuerunt senatui Planci literæ, hortatur ut pergat hostes persequi, neq; differat donec consilium a senatu acceperit. Ordo est. Nihil ni di acceidere gloriosius, nihil gratius, ne quidem. i. & nō etiam tempore ipso opportunius post memoriam hominum. i. post tantum temporis quantum homo posset memoria complecti, quam o Plance literas tuas. Sunt enim redditæ, senatu sup. frequenti, Cornuto. i. a Cornuto prætore urbis & consulis officio fungente. Cum is. s. Cornutus recitasset literas Lepidi frigidas sane. i. ualde frigide operam suam pollicentis, & inconstantes quia ambigue scriptas, tuæ. s. literæ recitatæ sunt statim, sub. i. post eas, quidē idest certe nō sine magnis clamoribus. l acclamationibus. Cum enim literæ tuæ essent gratissimæ, rebus ipsis & studiis & beneficiis in rempu. tum. i. multo magis erant plenæ grauissimis uerbis ac sententiis, ubi plenæ cum ablatiuo contra Vallæ opinionem. Senatus instituit. i. cœpit flagitare Cornutum, ut referret. i. consultationem faceret statim de literis tuis. Ille ait. i. respondit se uelle consid rare, & cum magnum conuitium fieret ei a cuncto: idest simul toto senatu, quinq; Tribuni plebis retulerunt. i. in consultationem attulerunt quid de literis tuis sentiendum esset. Seruilius quia aduersarius rogatus s. sententiam distulit rem. i. noluit tunc dicere. Ego dixi eam sententiam cui assensi sunt. s. senatores ad unum: idest uno dumtaxat Seruilio excepto. Tu cognosces ex senatusconsulto. s. ad te misso, quæ fuerit ea. s. sententia mea. Tu quanquam non eges uel potius abundas consilio, tamen debes esse hoc animo, ut nihil reiicias: idest ex humeris tuis excussum transferas huc: idest ad nos. neve putes consilium petendum a senatu in rebus tam subitis: idest subito faciendis & tam angustis: idest tam modicum tempus ad deliberationem habentibus. Ipse: idest tute sis tibi senatus, sequere te idest consiliū tuum, quocunq; ratio reipub deducet te. Cures ut audiamus aliquid factum egregie a te antequam putaremus futurum. Ego promitto tibi illud quicquid factum erit a te, id senatum comprobaturum non modo ut factum fideliter, sed etiam ut factum sapienter.

VICTORIUS. TVm erant grauissimis uerbis, ac sententiis} Ita hunc locum emendauimus, cum in omnibus impressis. {Sententiis plenæ} legeretur id autem fecimus, secuti fidem priscorum codicum, in quibus postremæ uocis uestigium nullum reperitur: & Quintiliani authoritatem, qui affirmat, Ciceronem ita semper hoc uerbo usum esse, ut diceret. Plenum uini, & non Vino, ut posteriores fecerunt: non dixisset igitur Plenæ uerbis ac sententiis Cicero. Quemadmodum autem sine ea uoce sensus manere possit, obscurum non est Quod in Catone maiore Cicero inquit, Haud magna cum re, sed fide plenus, non est septimus casus {Fide} neq; contra testimonium Quintiliani hoc facit: sed ita ab eo dictum est. ut in epistola quæ hanc sequitur a Planco dictum fuit, quo obside fide illius ue societatis quod nos olim accurate adnotauimus. Nullam huius loci mentionem fecissemus, nisi Manutii in posteriore, quemadmodum in priore sua editione fecerant, uerbis, ac sententiis plenæ, legerent.

SEBAS. CORR. SEntentiis plenæ flagitare} Al. sententiis grauissimæ flagitare. Al. sententiis flagitare.

PHIL. MELÁ. NIhil post hominum} Narratio de publicis literis, quod fuerint gratissimæ, & quod inde magnam consecutus sit dignitatem. {Tu quanquam} Adhortatio, ut utatur occasionibus belli, & peragat defendere rempub. {Cures ut} Confutat obiectionem Planci.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Narrat Ciceroni, quomodo instituerit Antonium uictum persequi bello, ut finem tandem hisce malis imponat.

PLANCVS IMP. CICERONI S. D. 17

ANtonius Idib. Maii ad Forum Iulij cum primis copijs uenit. Ventidius bidui spacio abest ab eo. Lepidus ad forum Voconii castra habet. qui locus à Foro Iulii quatuor & uiginti millia passuum abest: ibiq; me expectare cōstituit, quemadmodum ipse mihi scripsit, quod si omnia mihi integra & ipse & fortuna seruauerit: recipio uobis, celeriter me negocium ex sententia confecturum. Fratrem meum aßiduis laboribus, concursationibusq; confectum, grauiter se habuisse antea tibi scripsi, sed tamen cum primum posse ingredi cœpit: non magis sibi, quàm Reipub. conualuisse se existimans, ad omnia pericula princeps esse non recusabat. sed ego eum non solum hortatus sum, uerum etiam coegi istò proficisci: quòd illa ualetudine magis conficere se, *quàm me tueri poßet in castris. & quòd acerbißimo interitu Consulum Rempub. nudatam, tali ciue Prætore in urbanis officijs indigere existimabam. quod siquis uestrum non probabit, mihi prudentiam in consilio defuiße sciat, non illi erga patriam fidelitatem. Lepidus tandem quod ego desiderabam fecit, ut Appellam ad me mitteret, quo, obside fide illius, & societatis in Repu. administranda uterer. studium in ea re suum mihi L. Gellius, de tribus fratribus, Segauiano probauit. quo ego interprete nouißime ad Lepidum sum usus. amicum eum Reipu. cognoscere uideor: libenterq; ei sum testimonio, & omnibus ero, qui bene merentur. Fac ualeas, meq; mutuo diligas, dignitatemq; meam, si mereor, tuearis, sicut adhuc singulari cum beneuolentia fecisti.

*al. q̄ me iuuare.

ASCENSIVS. ANtonius &c. Postquam Antonius apud Mutinam superatus est, celeri cursu ad alpes se proripuit sperans Ventidium ad se uenturum ex Piceno cum tribus legionibus, & Lepidum ac Plancum sibi coniungendos. Scribit ergo ad Cice. Plancus ubi sit Antonius, & ubi Lepidus, & quid speret se pro repu. facturum. deinde docet cur fratrem Romam miserit. Ordo est. Antonius uenit ad forum Iulii, idest urbem illam Galliæ Cisalpinæ, idest Italiæ, Idibus Maiis, cum primis, idest expeditissimis copiis. Ventidius abest ab eo spacio bidui, idest itineris duorum dierum Lepidus habet castra ad forum Voconii, oppidum trans alpes, qui locus abest a Foro Iulii, quatuor & uiginti millia passuum, & constituit expectare me ibi: quemadmodum ipse scripsit mihi. quod si & ipse. s. Lepidus, & fortuna seruauerit mihi omnia integra, idest non impedita, nec uiolata aliqua perfidia: recipio, idest polliceor uobis confecturum celeriter negocium, idest totum bellū ex sentētia, idest arbitrio nostro. Ego scripsi tibi antea, ex tamen literæ non extant, fratrem meum confectum, idest debilitatum defatigatum assiduis laboribus, & concursationibus (præmiserat enim eum ut uidimus.) habuisse se grauiter, idest multum ægrotasse, sed tamen cum primum cœpit posse ingredi, existimans se conualuisse non magis sibi, idest ad utilitatem suam, quā reipub. idest ad utilitatem reipu. non recusabat esse princeps ad omnia pericula. Sed ego non solum hortatus sum eum, uerum etiam coegi proficisci isto, idest istuc, hoc est ad nos Romam, quod ipse & idest simul, posset magis conficere, idest interimere se illa ualetudine. s. tam aduersa, quam tueri me in castris, & quod existimabam rempub. nudatam, idest orbatam & spoliatam, acerbissimo interitu consulum s. Hirtii & Pansæ qui in conflictu cum Antonianis ceciderant, ut Appianus late recitat, indigere in officiis urbanis, tali, idest tam fideli & prudenti ciue prætore. Quod. s. consiliū meum & factum fratris, siquis uestrum non probabit, idest non approbabit, sciat prudentiam defuisse mihi in consilio, non fidelitatē illi. s. fratri meo, erga patriam. Lepidus tandem fecit quod ego desiderabam, ut mitteret Appellam legatum suum ad me, quo obside sup existēte, aut habito, ego uterer fide illius & societate in rep. administranda Lucius Gellius probauit, idest ostendit mihi in ea re studium suum. s. in rempu. Segauiano. s. uno de tribus fratribus, hoc est, ut intelligo, Segauiano mihi obside dato. quo. s. Gellio interprete: idest internuncio, ego sum usus nouissime, idest ultime ad Lepidum Ego uideor cognoscere eum. s. Gellium amicum reip. & libenter sum ei testimonio. s. fidelitatis, & ero omnibus qui bene meren-

iur. Fac ualeas & diligas me mutuo: & tuearis dignitatem meam si mereor, sicut fecisti adhuc .i. in hunc usq; diem cum singulari beneuolentia, idest ea comitante.

VICTORIVS. QVam me tueri posset in castris} Nos {Iuuare} ea antiquo eo dice, quod etiam Germani adnotarunt, decepit hoc loco (ut opinor) eos, qui ab antiquis descripserunt, quod hoc uerbum per unum tantum .u. in illis est, aliter ac nunc scribimus. Nam si {Iuuare} legissent, nunquam commisissent, ut eius loco (tueri) scriberent {Quo obside fide illius, & societate in repub. administranda uteret} Nonnulli genitiuo casu recte (fidei illius & societatis) emendarunt: uno tamen dissentiunt ab antiquis codicibus, quod in illis (fide) est, non (fidei) ut fortasse eadem ratione dictum sit, qua Verg. Libra die, somniq; dixit. & in Rosis, Ad prima radios interitura die. Quam lectionem confirmat, quod in uulgatis omnibus {Fide} etiam legebatur, etsi illi ablatiuo casu intelligebant, ideoq; pro {Societatis} societate emendarant improbe omnino, & imperite, quia syncetam lectionem non intellexeruot. {Quid in animo habuerim cum Leernus} Quidam legunt {Lernus,} uel {Lerinus} nos uetustam scripturam reposuimus. {Læuus:} euo demq; credimus esse hunc & illum, de quo sic non multo post, Læuo Caspio dabo perferenda.

Ex poste. eiusdem. QVā me iuuare posset in castris} Non receperunt hanc a me restitutam lectionem Manotii, quæ mihi ualde probatur. aperui antea unde mendum, quod impressos codices occupauerat, ortum esse posset, in antiquis enim libris {Iuuare} semper scriptum est: ut in loco, de quo paulo ante egimus: in cursu bonorum consiliorum Lepidum adiuuandum putaui. {De tribus fratribus Segauiano probauit} Vereor sane, ne aliqua macola hunc locum fœdauerit: sed eum ita in cunctis manuscriptis legatur, & negocium de quo agitur obscurum sit, periculosum esse puto aliquid immutare.

PAVL. MANV. OBside fide} Sic in omnibus uetustis exemplaribus. & dixit, fide, pro fidei, generandi casu, quemadmodum etiam Sallustius in Iugurtha. decima parte die reliqua, pro diei. id qđ Gellius adnotauit: qui etiam C. Cæsarem, huius die, & huius specie dicēdum putasse tradit. {De tribus fratribus Segauiano probauit} Ita legitur in omnibus libris manuscriptis, forte melius. S. Gauiano, ut significetur Sextus Attilius Gauianus. de quo in oratione ꝓ Sestio. sensus erit, In ea re (ut. s. Lepidus Appellam ad me mitteret) studium mihi suum Gellius probauit, de tribus autem fratribus, (quidpiam significat nobis minus notum, cuiusmodi in epistolis ad Atticum scriptis multa sunt) Sexto Gauiano.

SEBAS. CORR. VEntidius} treis legiones habens. {Isto proficisci} Romam. {Quod illa} Al. quod ea illa. Al. quod etiam illa. {Me tueri} Al. me iouare. {Interitu Coss.} Hirtii & Pansæ.

BERN. RVTI. MIhi prudentiam in consilio defuisse sciam} Sciat, in aliis rectius. {Lepidus tamen, quod ego desiderabam, fecit} Quid sit tandem.

PHIL. MELĀ. ANtonius Idibus} Narratio de statu rerum, & sua diligētia. {Fratrem meū} Excusatio, quod frater ualetudinis causa in urbem ex castris redierit. {Sed ego, eum} translatio culpæ. Et quod acerbiss.} Ratio ex honesto. {Lepidus tamen} Alia narratio, de uoluntate Lepidi, & aliorum auxiliis.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Narrat Ciceroni consilium suum, de sua Lepidiq; coniunctione.

PLANCVS CICERONI S. 18

QVid in animo habuerim eum *Leuus, Neruaq; discesserunt à me, & ex literis, quas eis dedi, & ex ipsis cognoscere potuisti, qui omnibus rebus consilijsq; meis interfuerunt. accidit mihi, quod homini pudenti, & cupido satisfaciendi Reipubli. bonisq; omnibus accidere solet, ut consilium sequerer periculosum magis, dum me probarem, quàm tutum, quod habere posset obtrectationem. Itaque post discessum legatorum cum binis continuis literis & Lepidus me, ut uenirem, rogaret, & Laterensis multo etiam magis propè implorans obtestaretur, nullam rem aliam extimescens, quàm eandem, quæ mihi quoque facit timorem, uarietatem, atque infidelitatem exercitus eius: non dubitandum putaui, quin succurrerem, meq; communi periculo offerrem. sciebam enim (& cautius illud erat consilium, expectare me ad Isaram, dum Brutus traiiceret exercitum, & cum Collega consentiente sicut milites faciunt, hostibus obuiam ire.) tamen siquid Lepidus bene sentiens detrimenti cepisset, hoc omne aßignatum iri aut pertinaciæ meæ, aut timori uidebam, si aut hominem offensum mihi, coniunctum cum Repub. non subleuaßem, aut ipse à certamine belli tam neceßarii me remouißem. itaque potius periclitari uolui, si possem mea præsentia & Lepidum tueri, & exercitum facere meliorem, quàm nimis cautus uideri. solicitiorem certe hominem non suis contractis neminem puto fuisse. nam quæ res nullam habebat dubitationem, si exercitus Lepidi absit, ea nunc magnam affert solicitudinem, magnumq; habet casum: mihi enim si contigisset, ut prior occurrerem Antonio, non mehercule horam constitisset, tantum ego & mihi confido, & sic perculsas illius copias, Ventidijq; Mulionis castra despicio. sed non possum non exhorrescere, siquid intra cutem subest uulneris: quod prius nocere potest, quàm sciri, curariq; poßit. sed certe, nisi uno loco *metaremur, magnum periculum ipse Lepidus, magnum ea pars exercitus adiret, quæ bene de Repub. sentit. magnam etiam perditi hostes accesionem sibi fecissent, siquas copias à Lepido abstraxissent. quæ si aduentus meus represserit, agam gratias fortunæ, constantiæq; meæ, quæ me ad hanc experientiam excitauit. itaque ad XII. Calend. Iun. ab Isara castra moui: pontem tamen, quem in Isara feceram, castellis duobus ad capita positis reliqui, præsidiaq; ibi firma posui, ut uenienti Bruto, exercituiq; eius sine mora transitus esset paratus. ipse, ut spero, diebus octo, quibus has literas dabam, cum Lepidi copiis me coniungam. Vale.

*al. Leernus.

*al. me teneren.

ASCENSIVS. QVid In animo &c. Rogatus fuerat a Lepido Plācus ut se cum eo adiungeret aduersus Antonium, quod consilium licet suspectum haberet Plancus, dicit se maluisse sequi, quam accusari detrimento fuisse reipub. si per se stetisset quominus Antonium Lepidus persecutus fuisset, dicit ergo se coniunctum iri cum Lepido octo diebus postquam has dederat. Ordo est. Tu potuisti cognoscere quid habuerim in animo, cum Leernus & Nerua, discesserunt a me, & idest simul, ea literis quas dedi eis supple ad te, & ex ipsis, idest ex eorum relatione, qui interfuerunt omnibus rebus & consiliis meis. Accidit mihi scilicet deinde supple id quod solet accidere homini pudenti, idest uerecundo, & cupido satisfaciendi reipub. & omnibus bonis, ut sequerer magis consilium periculosum, dum, idest dummodo probarem, idest probatum aut probum facerem, & ostenderem me, quam scilicet consilium tutum, idest sine periculo, quod posset habere obtrectationem. Consilium autem aperui in argumento & statim explanabitur. Itaq; post discessum legatorum, uidelicet Leerni & Neruæ, cum scilicet ita esset, quod & Lepidus rogaret me binis literis continuis, idest alteris super alteras missis, & Laterē. multo magis etiam prope, idest quasi plorans obtestaretur, idest deos & fidem meam in testes adducens rogaret ut uenirem. s. ad Lepidum, obtestaretur inquam Lateren. nullam aliam rem extimescens quā eandem, quæ mihi quoq; facit timorem. Multi textus habent implorans & nōnullam pro nullam, sed minus probantur. quia si quā aliam extimuisset Laterensis, non tā excusabilis esset Plancus. quod inquam eandem quæ, &c. hoc est quam uarietatem, idest uariabilitatem. Nam uarium quoq; dicitur, quod est uariabile, ut Aenei. IIII. Varium & mutabile semper Fœmina, ut. de uarietas mutabilitas, atque infidelitatem exercitus eius, idest Lepidi, qui pollicitationibus Antonii fere corruptus erat, non putaui dubitandum, quin, idest quominus, succurrerem. s. Lepido quem fidum uterq; existimabat, & offerrem me periculo communi. s. mihi & Lepido, si non posset inducere exercitum in sententiam suam, nihil autē de Lepido tunc timebat. Sciebam enim, & consilium erat cautius, idest hominis magis caute agentis, me expectare ad idest iuxta Hisaram aut Isaram flumen, dum idest donec Brutus. s. Decius traiiceret exercitum. s. trans alpes, & ire obuiam hostibus cum collega s. Bruto consentiēte, sicut milites faciunt. s. dum pari consensu in hostem inferuntur, idest tunc uidebam si Lepidus bene sentiens. s. de repub. ut putabatur, cepisset quid, idest aliquid detrimenti, hoc omne assignatum iri, idest qđ assignaretur, aut pertinaciæ meæ aut timori. s. meo: pertinaciæ, si aut non subleuassem, idest adiuuissem in onere belli portando, hominem offensum, idest inuisum mihi, coniunctum cū repub. idest licet esset coniunctus cum rep. noluerim tamen iuuare eo

quod

quod esset inuisus multis, aut sup. timui, si remouissem me a certamine belli tā necessarii. Itaq; ego uolui potius periclitari.i.experiri, si.i.an, mea præsentia possem, &.i.simul, tueri.i.protegere Lepidū & facere exercitū sup eius meliorē, quā uideri nimis cautus, si.s.nollē, aut nō auderē me Lepido coniungere. Ego puto certe neminem fuisse hominē solicitiorē.i.magis solicitū sup. quā me, nō suis cōtractis.i.ob res quas ipse nō contraxit. Nā ea res quæ nullā dubitationē habebat, si exercitus Lepidi abesit.s.longe a prouincia, quia tunc certū fuisset quod Bruto coniungi deberet, ut Antoniū oppugnaret: affert nunc magnā solicitudinē, & habet magnū casum, quia incertum est an Lepidus Antonio iungi uelit, quod si faciat, nō tutū sit utriusq; exercitui occurrere, sicut solius Antonii. Enim.i.quia, si contigisset mihi ut occurrerem prior Antonio.s.antequam ille cum Lepido coniungeretur, mehercule, sup. Anto.nō constitisset.i.mansisset stans, horam.i.per spacium unius horæ, tantū.i.tam multū, &.i.simul, confido mihi.i.uiribus meis, & despicio.i.contemno & uilipendo, copias illius.s.Antō.perculsas.s.ex clade apud Mutinā acceptā, & Castra.i.exercitus, qui in castris sunt. Ventidii Mulionis.i.qui aut Mulio fuerat.i.agitator mulorū, aut sic cognominatus, aut per contemptum dictus, quod nihil militare sciret, quā mulos clitellarios agere. Sed non possum nō exhorrescere: quia quod latet timere nequimus, uerū idipsum exhorrescere possumus: hoc est nequid lateat, unde legendū putem propter particulam aduersatiuam, sed non exhorrescere: negauit enim se aut Anto. aut Ventidium timere. Sed inquit, non possum non exhorrescere.i.quin exhorrescam.i.cū horrore quodam formidem, siquid uulneris subest intra cutem.i.latet in Lepidi uoluntate, quod nocere potest prius quam possit curari, quia non potest sciri nisi cū summo periculo. Sed certe nisi tenerē me uno loco.s.cū Lepidi.ipse Lepid.adiret magnū periculū.s.ab Anto.& ea pars exercitus.s.Lepidi, quæ bene sentiret de repub. adiret magnū periculū, quia ab Anto.cū aliis nō bene sentientibus oppugnaretur. Et hostes perditi.i.in quibus nihil est boni, fecissent etiā sibi magnā accessionē.i.magnū incrementum, si abstraxissent a Lepido quas.i.aliquas copias, abstracturi autem nō sunt, sed omnes cū Lepido attracturi, quæ.s.dicta hoc est periculū bonorū & accessionē malorū, si aduentus meus represserit, agam gratias fortunæ & constantiæ meæ, quæ excitauit me ad hanc experientiā.s.faciendā. Itaq; i.& ita, in hoc proposito, ego moui castra ab Isara ad duodecimū Cal. Iunias, tamē reliqui pontē quē fecerā in Isara, duobus castellis.i.ut dicunt fortalitiis positis ad capita.i.extremas partes pontis, & posui ibi præsidia firma, ut transitus esset paratus sine mora Bruto & exercitui eius. Ipse.i.egomet, ut spero, cōiungam me cū copiis Lepidi, octo dies sup. post illos, quibus dabam has literas.

VICTORIVS.

Ventidiiq; ie Mulionis castra despicio} De admirabili huius fortuna plurimi ueteres authores locuti sunt, nota sunt omnibus quæ Gellius, quæ Dion, quæ alii quoq; tradidere: cū infimo loco natus esset, cōsecutū fuisse summos honores: & gentem cui nulli antea Romani Imp. pares fuerant, ipsum profligasse, ac tribus maximis prælis uicisse. Quemadmodū necesse erat, hæc res inusitata, ac noua inuidiā illi faciebat: & nō sine stomacho quibus cognita erat obscuritas parentū ipsius, uidebant eū in maximis honoris, ac dignitatis gradibus collocatū. Plures in illū uersus facti sunt, quorū nonnullos etiā A. Gellius adponit, qui grauiter rē perferrent gerent. Puto etiā elegantissimū epigramma quod post lusus in Priapum Virgi. nomine scribitur, eundē accusare: quāuis.n. nomen eius in quē factū est, positū nō sit, siquis tamen acute perspiciet, uidebit omnia illa mirifice Ventidio huic conuenire. intelligo epigramma cuius initiū est, Sabinus ille: quod imitatione nobilissimi illius Iambi Catulli factū est, Phaselus ille quē uidetis hospites. elegantis. n. ingenii uir, quicūq; ille fuit, uerbis pene Catulli et ignobilitatē generis, & sordidissimā artē obiecit. Quod Sabinum ipsum appellat, existimo, a regione, in qua ortus erat, ita appellatū fuisse. nā Gellius Picentē illū tradit qui populi uicini Sabinis sunt. Neq; repugnat ut arbitror quod testes adducit, qui epigramma cōfecit, Galliæ Cisalpinæ ciuitates sordiū istius, & uilissimæ artis quā tractauerat: quāuis.n. in Sabinis ortus esset, in Gallia Cisalpina artem mulionicam exercere potuit, aut si nō in illis locis exercere, illhac saltē sæpe iter facere: ut incolæ eorū locorū ipsum hunc quæstū facientem uidere potuerint. Gellius tradit, ipsum curandis mulis uictitasse: nā quæ in fine epigrammatis exponuntur, de altissimo dignitatis gradu ab ipso occupato, respondent fœlicitati istius, & mire quadrant iis, quæ ab aliis de ipso tradita sunt. Sunt maculæ plures in epigrammate, quarum nōnullæ facile tolli possunt, aliæ ægre, ut puto. sed omnia doctiores, acutioresq; uiri accuratius cōsiderabunt. Postquā aūt mētio semel elegantissimi carminis facta est, nō malū erit, locum in eo deprauatum restituere, omnem enim occasionem studiosos adiuuādi arripiendam puto. In Iambo igitur cuius initium est.

Quid hoc negocii est: ita hic uersiculus legitur,

Vuæq; quales flaua non legit Crete.

legi autem debet.

Vuæq; quales flaua legit Arete.

Hanc ueriorē esse lectionē dicimus, nā in manuscriptis libris eam inuenimus, & habemus etiā nō parua argumēta, quibus confirmetur: quemadmodū.n. si ita legamus, omnia cōueniunt, ita si modo tepositam sequamur, nōnulla parū respondent. nomē in prima quod ad {Crete} adiunctū est, nō bene quadrat prouinciæ, multeri aūt aptissimū est: neq; quāuis nunc Creteſe uinū in honore sit, quæ optimū uinū fundunt uues, eædem uuat τραγίμους, ita.n. appellant Græci edules, gignunt. Sed iis argumentationibus relictis, concinnior est hæc sententia & poetæ familiarior. Arete.n uxor Alcinoi Phæacū regis fuit, cuius horti nobiles erant, & ab omnibus poetis decantati. oam in iisdem his lusibus duo illi uersiculi leguntur.

Si quot habes uersus, tot haberes poma Priape,

Esses antiquo ditior Alcinoo Acuti ingenii, ac politæ eruditionis uir hæc olim epigrammata castigauit, ac multa ex ipsis menda sustulit: hunc tamen locū dū corrigere uoluit, nisi fallor, deprauauit. Itaq; ad.XII.Calen.Iun.} Mediceus codex A D.XII.K.Iun} Quemadmodum in lapide Colotiano legi ante ostendimus EX. A. D.V.K.DEC.i.ante diem.XII.K.Iun. Quam interpretationē harum literarum Paulus quoq; probat. Ex his locis intelligi facile potest integritas, ac fides Medicei codicis.

SEBAS. CORR.

Lernus} ab aliis Lemus, & Lennus: ab aliis, Lænus, ex epist. XXI. huius libri legitur. {Legatorū} Leui Cispii & Neruæ. {Traiiceret exercitū} alpes uel Isarā. {Sicut milites} Bruti & mei. {Faciunt} consentiunt. {Bene sentiens} nunc, uel fingens bene sentire. {Non suis contractis} Alii legunt, in suis contractis. {Nullā habebat} Al. nullā habeat: uel, nullam habet. {Si exercitus Lepidi abiit} nulla n. tunc infidelitas mihi timorē faciebat. {Mulionis} Plynius lib VII.cap.XLIII. {Metaremur} Al hærerem Al me tenerem, idq; ut exercitum Lepidi in officio continerem. quanuis cū Lepido nondum me coniunxerim. Epist. XXIII. huius libri.

BERN. RVT.

Nonnullam rem aliam extimescerent} Non ullam, lego ex aliis quibusdam codicibus, & sensu. {Sed certe, nisi uno loco metenerem} Quid si? nisi uno loco metaremur.

Ex poste. eiusdem.

Itaq; post discessum legatorum, cum binis continuis literis} &c. De legatis puto intelligi, quos author est Appianus, a senatu in castra missos, in Galliam Cisalpinam, ut legiones quartam, Martiāq; pollicitationibus magnorum præmiorū, pecuniæq;, apud D. Brutum existentis, ab Octauio ad D. Brutum, authoritatemq; Senatus traducerent. quos ait non ausos alloqui separatas ab Octauio legiones, infecta re Romam reuersos: non, ut quidam sentire uidētur, a Lepido ad Plancum missis.

PHIL. MELā.

Narratio sui consilii, quare uelit se cum Lepido coniungere ante aduentum Bruti: uidelicet ut retineat hoc modo exercitum Lepidi ne ad Anto. transeat. {Quid in animo} Exordium, πάθος a periculi magnitudine {Itaq; post discessum} Narratio qua exponit quod fuerit periculosum illud consilium. {Sciebā enim} Cōfutatio obiectionis. {Solicitiorē certe. Epiphonema, estq; mutatio personæ: de se enim in tertia persona loquitur. Gellius lib. IIII.cap.XV. {Si quid intra cutem} Elegans metaphora. {Sed certe} Exponit illam similitudinem.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Nunciat Planco, quam gratæ fuerint Senatui literæ: deinde solicita ratione hortatur, ad respub. studium.

CICERO PLANCO IMP. S. D. 19

Quanquā gratiarū actionē à te nō desiderabā, cum te re ipsa, atq; animo scirē esse gratissimū. tamē (fatendū est enim) fuit ea mihi periucunda: sic enim uidi, quasi ea quæ oculis cernuntur, me à te amari. Dices, Quid antea? Semper quidē, sed nunquā illustrius. Literæ tuæ mirabiliter gratæ sunt Senatui cū rebus ipsis, quæ erant grauissimæ, & maximæ, fortissimi animi, summiq; consilii: tū etiā grauitate sententiarū, atq; uerborum. sed mi Plance incumbe, ut belli extrema perficias. in hoc erit summa & gratia, & gloria. cupio omnia Reip. causa: sed mehercule in ea cōseruanda iam defatigatus, non multo plus fauco patriæ, quàm tuæ gloriæ: cuius maximam facultatem tibi Dii immortales, ut spero, dedere: quam complectere obsecro: qui enim Antonium oppresserit, is hoc teterrimū bellū, periculosissimūq; confecerit. Vale.

ASCENSIVS.

Quanquam Dicit se non expectasse a Planco gratiarum actiones, gratum tamen fuisse: cohortaturq; eum ad reipub. defensionem, dicens. Quanquam non desiderabā a te actionem gratiarum, cum scirem te esse gratissimū re ipsa, & animo. tamen.s.gratiarum, actio fuit mihi per

iucunda, quod sup. dico (fatendum est enim) quia uerum est. Ego enim uidi sic quasi ea quæ cernuntur oculis. s. exterioribus, me amari a te. Dices, quid antea sup. tibi uisum est? Semper quidẽ sup. idem uisum est, sed nunquam illustrius. i. clarius. Literæ tuæ sunt gratæ Senatui mirabiliter, cum. s. ita sit quod fuerint gratæ rebus ipsis. i. propter res ipsas, quæ erant grauissimæ & maximæ, & fortissimi animi & summi consilii, tum etiam grauitate uerborum & sententiarum. Sed o mi Plance incumbe. i. enitere ut perficias, extrema belli. summa & gratia & gloria erit in hoc. i. in hac re Ego cupio omnia. s. prospera causa reipub. sed mehercule ego iam defatigatus. i. usq; ad extremum fatigatus in ea. s. repub. conseruanda, non faueo multo plus patriæ, quam gloriæ tuæ, cuius. s. gloriæ Dii immortales dedere tibi, ut spero, maximam facultatem, quam complectere obsecro. Qui enim oppresserit Anto. is confecerit. i. finierit hoc bellum teterrimum. i. execrabile, & periculosissimum.

PAVL. MANV. GRauissimæ, & maximæ fortissimi animi summiq; consilii} Sic habent omnes impressi libri. nos in nostro ita legi, & interpungi noluimus: grauissimæ, & maximæ, fortissimi animi, summiq; consilii, ut animi maximæ res sint, consilii grauissimæ.

SEBAS. CORR. GRatiarum} Epist. X I. huius libri. {Cõfecerit} Epist. X I I I. huius libri.

PHIL. MELÃ. QVanquam gratiarum acti.} Exordium a literis Planci, & eius gratitudine: {Dices} Obiectio. {Sed mi Plance} Adhortatio, ad opprimendum Antonium. {Qui enim Anto.} Clausula in epilogo.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Petit, ut de incerto rumore coniunctionis Lepidi cum Antonio Senatum certiorem faciat, hortaturq; ut finem bello imponat.

CICERO PLANCO. S. D. 20

ITa erant omnia, quæ istinc afferebantur, incerta, ut, quid ad te scriberem, non occurreret: modo enim quæ uellemus, de Lepido, modo contrà nunciabantur. de te tamen constans fama, nec decipi posse, nec uinci. quorum alterius fortuna partem habet quandam, alterum proprium est prudentiæ tuæ. sed accepi literas à Collega tuo, datas Idibus Maii: in quibus erat, te ad se scripsisse, à Lepido non recipi Antonium. quod erit certius, si tu ad nos idem scripseris: sed minus audes fortaßе propter inanem lætitiam literarum superiorum. uerum ut errare mi Plance potuisti (quis enim id effugerit?) sic decipi te non potuiße, quis non uidet? nunc uero etiã erroris causa sublata est: culpa enim illa, BIS ad eundem, uulgari reprehensa prouerbio est. sin, ut scripsisti ad Collegam, ita se res habet: omni cura liberati sumus, nec tamen erimus prius, quàm, ita eße, tu nos feceris certiores. mea quidem, ut ad te sæpius scripsi, hæc sententia est, qui reliquias huius belli oppresserit, eum totius belli confectorem fore: quem te & opto esse, & confido futurum. Studia mea erga te, quibus certe nulla esse maiora potuerunt, tibi tam grata esse, quàm ego putaui fore, minime miror, uehementerq; lætor: quæ quidem tu, si recte istic erit, maiora, & grauiora cognosces. I I I I. Cal. Iun.

ASCENSIVS. ITa erant &c. Binis literis declarauerat Plancus se coniungendum breui cum Lepido, sed intellexisse Lepidũ ad Antonium transisse, quod Cice. nunc scribit non ita esse. Monet ergo ut bellũ conficiat dicens. Omnia quæ afferebantur istinc. i. a te & exercitu tuo, erant ita incerta, ut non occurreret quod scriberem. i. scribere deberẽ ad te. enim. i. quia modo. i. interdum ea nunciabantur de Lepido quæ uellemus: modo. i. interdum contra. i. contraria, utpote quæ nollemus, tamẽ constans fama est de te. s. te nec posse decipi. i. capi per insidias, nec uinci. i. per uim apertam, quorum. s. duorum fortuna habet partem quandam alterius. s. eius quod est uinci non posse, alterum. s. decipi non posse, est proprium prudentiæ tuæ Sed accepi literas datas a Collega tuo. s. D. Bru. Idib. Maiis, in quibus erat, te scripsisse, Anto. non recipi a Lepido, quod erit certius si tu scripseris idẽ ad nos, sed fortasse minus. i. non, audes, propter inanem lætitiam literarum superiorum, in quibus scripserat se propediem coniungendum cum Lepi. Verum o Plance tu noluisti id. s. ut errarem, uel, ut errare id. i. in ea re. Quis enim effugerit id. s. aliquando errare aut potius id quod scriptum erat in literis tuis nobis, quia eas non habemus, ignotum. quis non uiderit te potuisse decipi sic. s. per tantam fraudem, cum haberes obsides & Laterensem interpretem & authorẽ, sed quia prius dixit famam constantem esse, ipsum non posse decipi. Legunt hic quidam, non potuisse. Verum quia dicit sic, stare potest ipsum non plane deceptum, sed sic. i. ex parte. Nunc uero etiam causa erroris est sublata iam, hoc est credulitas quæ nulla esse debet de homine semel fœdifrago Culpa enim illa, bis ad eundem. s. scopulum nauem impingere, aut ad eundem insidiarum locum incidere, aut ad eandem causam erroris excere, est reprehensa prouerbio uulgari. s. dictanti non dandam ueniam excusantibus eundem errorem. Sin. i. sed si, sup. prius non errasti, sed res habet se ita ut scripsisti ad Collegam. s. Bru. nos sumus liberati omni cura, Nec tamẽ erimus. s. securi, aut certiores, priusquam feceris nos certiores ita esse. Sententia mea quidem est hæc ut scripsi sæpius ad te, qui oppresserit reliquias huius belli. s. cum Anto. eum fore confectorem. i. finitorem totius belli, quem. s. confectorem totius belli ego & opto & cõfido te futurum esse. Ego minime miror, & uehementer lætor, studia mea erga te, quibus certe nulla potuerunt esse maiora, esse tibi tam grata, quam: idest quantum ego putaui. fore: idest futura esse. Quæ quidem. s. studia mea erga te, tu cognosces maiora & grauiora, si recte erit istuc. i. tecum & cum exercitu tuo. Quarto Calendas Iunias.

SEBAS. CORR. ALterius} nec uinci. {Alterũ} nec decipi. {Accepi lite.} Episto. X I I I I. lib. X I. {Adscripsisse} Al. scripsisse. Alii uero legunt, ad se scripsisse. {Literarum} X V I I. & X V I I I. huius libri, quibus scripsisti Lepidum (ita enim credebas) bene sentire, teq; breui cum illo coniuncturum. {Plance potuisti}, Al. Plance noluisti. {Causa sublata est} cognito Lepidi consilio. {Bis ad eundem} lapidem offendere, turpe est. {Ita se res habet} a Lepido non recipi Antonium.

BERN. RVTI. VErum ut errarem, id Plance noluisti} Voluisti arbitror melius. {Quis enim id effugerit? sic decipi te nõ potuisse: quis non uidet?} Arbitror rectius, quis enim id fugerit, sic decipi te non potuisse, quia non uidet? Est enim, puto, sensus: Voluisti me superioribus illis literis quasi per iocum in errorem inducere. non enim tu deceptus es. Iam uero alteris literis noluisti errorem meum confirmare, quod tibi turpe fuisset. Siquidem bis amicum fallere notatur etiam uulgari prouerbio. Id enim puto dici potius quã quod ait interpres. Volui, etiam Clericus uidetur habuisse in suo exemplari.

PHIL. MELÃ. ITa erant omnia} Narratio, uarios esse rumores de Lepido, a cuius exercitu Antonius receptus dicebatur, & quod ipse quoque Lepidus cum Antonio se coniunxisset. {Bis ad eundem} δὶς πρὸς τὸν αὐτὸν τῷ αἰσχρὸν προσκρούειν λίθον. {Mea quidem} Adhortatio, ut hoc bellum contra Antonium conficiat.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Nunciat Ciceroni, quo pacto frustratus sit eum Lepidus, & qua ratione perfidiam eius deprehenderit.

PLANCVS CICERONI. S. 21

PVderet me inconstantiæ mearũ literarũ, si nõ hæc ex aliena leuitate penderet. omnia feci, quare Lepido cõiuncto ad Rẽp. defendendã minore sollicitudine uestra perditis resisterẽ. omnia ei & petẽti recepi, & ultro pollicitus sum: scripsiq; tibi biduo ante, confidere me bono Lepido esse usurũ, cõmuniq; cõsilio bellũ administraturũ. credidi chirographis eius, affirmationi præsentis Laterensis. qui tũ apud me erat, reconciliarẽq; me Lepido, fidẽq; haberẽ, orabat. nõ licuit diutius bene de eo sperare. illud certe caui, & cauebo, ne mea credulitate Reipu. summa fallatur. cũ Isarã flumẽ, uno die ponte cõfecto, exercitũ traduxißem, pro magnitudine rei celeritatem adhibens, quòd petierat per literas ipse, ut maturarem uenire: præstò mihi fuit stator eius cum literis: quibus, ne uenirem denunciabat: se posse conficere per se negocium: interea ad Isaram expectarem. indicabo temerarium meum consilium tibi: nihilominus ire decreueram, existimans eum socium gloriæ uitare. putabam poße me nec de laude ieiuni hominis

ni hominis delibare quicquam, & subesse tamen propinquis locis, ut, si durius aliquid esset, succurrere celeriter possem. ego non ma lus homo hoc suspicabar. at Laterensis uir sanctissimus suo chirographo mittit mihi literas, meisq́; desperans de se, de exercitu, de Lepidi fide, querensq́; se destitutum: in quibus aperte denunciat, uideam ne fallar: suam fidem solutam esse: Reipub. ne desim. exemplar eius chirographi Titio dedi. ipsa chirographa omnia, & qui bus credidi, & ea quibus fidem non habendam putaui, Læuo Cispio dabo perferenda, qui omnibus his interfuit rebus. accessit eo, ut milites eius, cum Lepidus concionaretur, improbi per se, corrupti etiam per eos qui præsunt, Canidios, Rufrenosq́; & cæteros, quos, cum opus erit, scietis, conclamarint uiri boni, pacem se uelle, neque esse cum ullis pugnaturos, duobus iam Consulibus singularibus occisis, tot ciuibus pro patria amissis, hostibus denique omnibus iudicatis, bonisq́; publicatis. neque hoc aut uindicarat Lepidus, aut sanarat. Huc me uenire, & duobus exercitibus coniunctis obiicere exercitum fidelissimum, maxima auxilia, principes Galliæ, prouinciam cunctam, summæ dementiæ, & temeritatis esse uidi: mihiq́;, si ita oppressus essem, remq́; pub. mecum perdidissem, (*al. prodidissem.) *mortuo non modo honorem, sed misericordiam quoque defuturã. itaque rediturus sum: nec tanta munera perditis hominibus dari posse finam. exercitum locis ut habeam opportunis, prouinciam tuear, etiam si ille exercitus desciuerit, omnia ut integra seruem dabo operam, quoad exercitus huc summittatis, pariq́; fœlicitate Rempub. hic uindicetis. nec depugnare, si occasio tulerit: nec obsideri, si necesse fuerit: nec mori, si casus inciderit, pro uobis paratior fuerit quisquam. quare hortor te mi Cicero exercitum huc traiiciendum quamprimum cures, & matures prius, quàm hostes magis corroborentur, & nostri perturbentur, in quo si celeritas erit adhibita, Respub. in possessione uictoriæ deletis sceleratis permanebit. Fac ualeas, meq́; diligas. Fratrem meum tibi fortissimum ciuem: & ad omnia paratissimum excusem literis? qui ex labore in febriculam incidit assiduam: & satis molestam. cum primum poterit istuc recurrere: non dubitabit: ne quo loco Reipubli. desit. Meam dignitatem commendatam habeas rogo. concupiscere me nihil oportet. habeo te & amantissimum mei: &, quod optaui, summæ authoritatis. tu uideris, quantum, & quando tuum munus apud me uelis esse. Tantum te rogo: in Hirtii locum me subdas & ad tuum amorem: & ad meam obseruantiam.*

ASCENSIVS.

PVderet me &c. Quia scripserat Plancus se sperare ut haberet Lepidum & coniunctum & fidum ad rempub. defendendam, ideo cũ annuenisset se ab eo deceptũ, hac epistola se excusauit, omnẽq; culpã transtulit in leuitate & perfidiã Lepidi, quã quo deprehenderit etiã scribit, & se uix cõtinere potuisse quin ad eũ iuerit, sed uidisse fore summæ dementiæ obiicere & se & suos tantis periculis. Purgatq; fratrẽ quod nõ citius uenerit, cõmẽdatq; eũ, rogatq; ut ipsemet in Hirtii locũ substituatur. Ordo est. Puderet me incõstantiæ literarũ mearũ, si sup. literæ meæ nõ penderent ex leuitate. i. inconstantia aliena. s. Lepidi. Mallem tamẽ legere, penderet, ut sit, si inconstantia literarũ mearũ nõ penderet ex leuitate aliena. Feci omnia, quare. i. quãobrẽ. Lepido cõiuncto. s. mihi ad defendendã rẽp. ego resisterẽ perditis. s. ciuibus Antonio & eius fautoribus sup. cũ minore solicitudine uestra Ego &. i. simul, recepi. i. promisi omnia sup. Lepido petenti, & scripsi tibi biduo ante, me cõfidere, me usurũ Lepi. bono. i. amico & fauorabili, & administraturũ bellũ cõsilio cõmuni. i. cõmunicato cũ Lepido. Credidi. i. fidem adhibui, chirographis. i. scriptis manu eius. s. Lepidi, credidi affirmationi Laterẽ. qui erat tũ. i. tunc apud me, & orabat, sup. ut reconciliarẽ. i. in amicitiã cõiungerẽ me Lepido, & haberẽ fidẽ. i. cõfiderẽ. Nõ licuit. i. nõ est datũ aut cõcessum sperare bene de eo. s. Lepido, diutius. i. multũ diu. Ego certe caui. i. cauendo insidias effeci, & cauebo. s. deinceps, ne summa. i. suprema salus reipu. fallatur. i. decipiatur, & faudetur, credulitate mea. i. per credulitatẽ meã, hoc est facilitate credẽdi. Cũ traduxissem exercitũ Hisarã aut Isarã. i. duxissem trans Isarã flumẽ in Delphinatu, põte effecto uno die, in quo cõmẽdat celeritatẽ: mirũ est tamẽ qd' alibi dicit duobus castellis, & multo præsidio capita pontis munitare liquisse, si uno die pontẽ fecerit, adhibens celeritatẽ pro magnitudine rei, quæ. s. id exigebat, utpote accessio Lepidi & exercitus eius ad rẽp. uti sperabat, q. i. quia, ipse. s. Lepidus caput rei petierat per literas ut maturarẽ uenire. Stator. i. minister publicus, dictus a stando, q stet paratus ad eundũ quo mittatur, fuit præsto. i. præsens cum literis eius, quibus denunciabat. i. cõtrariæ sententiæ factus significabat ne uenirẽ. s. ad ipsum. Et denunciabat se posse cõficere. i. absoluere negociũ. i. expugnationẽ Antonii, & liberationẽ reip. per se, & sup. ut expectarẽ sup. eũ ad Isarã. Indicabo tibi o Ci. cõsiliũ meũ temerariũ. ego decreuerã ire. s. ad Lepidũ, nihilominus. i. quãuis denunciasset mihi ne irẽ, ea istimans eũ uitare. i. fugere socium gloriæ, hoc est uelle se solũ habere laudẽ deuicti Anto. Putabã. s. secundo loco, me nec delibare. i. degustare quicquã de laude hominis ieiuni. i. sic auidi ad laudẽ, ut ieiunus est ad cibũ, & putabã tamẽ subesse. i. clã inesse locis propinquis, ut si aliquid esset. i. accideret durius, hoc est si forte succumberet Lepidus, possem succurrere celeriter. Ego homo nõ malus. i. minime astutus, suspicabar hoc. at Laterensis uir sanctissimus. i. integerrimæ fidei, mittit mihi literas suo chirographo i. scripto manus suæ, & desperans meis. s. copiis, de se, de exercitu, de fide Lepidi, & querẽs se destitutũ. i. derelictũ solũ in fide. In quibus. s. literis, ipse denunciat aperte sup. ut uideã. i. prospiciam, ne fallar, fidẽ suã esse solutã, aut a se aut a Lepido, si a se, sensus est fidẽ suã nõ esse obligatã ad præstanda quæ nõ posset, cũ denunciaret se amplius nõ posse: si a Lepido, dic solutã i. uiolatã & interruptã, ne desim. i. ut cõsulã reip. Ego misi Tytio, ea ẽplar. i. ut dicunt, duplũ chirographi. i. manuscripti eius. Ego dabo Læuo Cispio perferẽda. s. ad senatũ, omnia chirographa. i. scripta manibus Lepidi, Laterẽsis, & aliorũ, & quibus credidi. s. promissis eorũ & ea quibus putaui fidẽ nõ habẽdã. i. nõ credẽdum esse, qui. s. Læuo Cispius interfuit omnibus his rebus. Accessit. i. additũ est, eo. i. ad eã infidelitatẽ Lepidi, ut cũ Lepidus cõcionaret. i. orationẽ haberet ad milites suos: milites eius improbi per se. i. propria natura, & corrupti etiã per eos qui præsunt, utpote per Canidios, Rufrenos, & cæteros quos scietis cũ opus fuerit, cõclamarint: sup. tãquã uiri boni se uelle pacẽ neq; esse pugnaturos cum illis, & hoc duobus cõsulibus singularibus. s. Hirtio & Pansa iã occisis, tot ciuibus amissis pro patria. Deniq; omnibus. s. Antonianis iudicatis. s. a senatu hostibus, & bonis. s. eorũ publicatis: neq; Lepidus aut uindicarat hoc, aut sanarat. i. ad sanũ cõsiliũ cõuerterat. Ego uidi. i. cõsideraui, me uenire huc. i. ad talẽ exercitũ, & obiicere. s. trucidandũ duobus exercitibus cõiunctis. s. Antonii & Lepidi, exercitũ fidelissimũ, & ita diligendũ, & maxima auxilia Galliæ, & cunctam prouinciã, esse summæ dementiæ & temeritatis. & uidi si oppressus essem ita, & perdidissem Rẽpu. mecũ, nõ modo honorẽ. sed quoq;. i. etiã, misericordiã defuturã mihi mortuo. Itaq; rediturus sum. s. in prouinciam, nec sinam. i. patiar, tanta munera. s. tã fidelẽ & bene instructum exercitum posse dari. i. obiici, hominibus perditis Ego habebo exercitum locis opportunis, tuear. i. protegam prouinciam, etiã si ille. s. Lepidi exercitus desciuerit. i. defecerit a Repu. ad Antoniũ, & dabo operam ut seruem omnia integra. i. neq; imminuta. Quoad. i. donec mittatis huc exercitũ, & uindicetis. i. libertati restituatis Remp. pari fœlicitate, qua. s. apud Mutinam. Nec quisquã fuerit paratior. s. quã ego, depugnare. i. excidionalem pugnam obire, si occasio tulerit. i. dederit, nec obsideri, si necesse fuerit, nec mori pro uobis, si casus inciderit. Quare o mi Cic. ego hortor te sup. ut cures exercitũ traiiciendũ. i. trans Alpes mittendũ huc. i. ad nos, quã primũ. i. ualde cito, & matures. i. acceleres priusqã hostes corroborentur, nã & nostri qui pauciores, & debiliores sunt, perturbantur. In quo. i. in qua re, hoc est exercitus traiectione, si celeritas erit adhibita, Respub. manebit in possessione uictoriæ. s. apud Mutinam initæ, & hoc sceleratis. s. reliquis deletis. Fac sup. ut ualeas & diligas me. Hic uidetur finis superioris epistolæ, ut sequentia nouã constituant, aut saltẽ seorsum scripta censeantur. Sunt. n. alterius argumẽti, & quæ sic scripta uidentur, ut a solo Ci. legantur, cũ superiora ab omnibus legi possint. Ordo aũt est. Ea eadem literis. s. mittẽdis ad senatũ, fratrẽ meũ ciuẽ fortissimũ tibi & paratissimũ ad oĩa. s. mandata obeunda? qui. s. frater incidit ex labore. i. fatigatione, in febriculã assiduã & satis molestã. Cũ primũ poterit, nõ dubitabit recurrere istuc. i. ad nos, ne quo. i. aliquo loco desit Reip. Ego rogo sup. ut habeas dignitatẽ meã cõmẽdatã. s. tibi, hoc est suscipias eã protegendã ab obtrectatoribus. Sed sup. nihil oportet me cõcupiscere. nã sup. habeo te &. i. simul, amantissimũ mei, & quod optaui, summæ authoritatis, q. d. qui uelis cũ sis amãtissimus mei, & possis me defendere, cũ sis summæ authoritatis. Tu uideris. i. tuũ fuerit uidere, & iudicare, quantum. i. quam magnum & quando. i. quo tempore, uelis tuum munus esse apud me. i. me tibi esse obnoxium, aut tuũ munus esse apud me, idest me obire munus & partes tuas: q. d. fuero semper & in omnibus paratus, ut sit simile illi postea ab Aeolo apud Ver. ad Iunonem dicto, Tuus o regina quid optes Explorare labor, mihi iussa capessere fas est. Et rogo te tãtum idest duntaxat supple ut subdas, idest sufficias & substituas me in locum Hirtii, idest sim pro Hirtio consul. & idest simul ad amorẽ tuũ. s. augendum in me, & ad obseruantiam meam. s. augendam in te obseruando, quasi dicat cum id & amor tuus in me, & obseruãtia mea in te exigat.

SEBAS. CORR.

Scripsiq; tibi} Episto. X V I I I. huius lib. {Quum Isaram flumen, uno die ponte confecto} Al. sin quum Isara flumine uno die ponte confecto Videtur legendum. Quum in Isara flumine, uno die ponte confecto, exercit. {Literas mihi, in usq; desperás} Al. literas mihi, meisq; desperans. quod mihi placet, ne uerbum, uel potius Latinam locutionem desideres. {Titio dedi.} Al. Titio misi. {Leuocispii} Alii legunt, Lxuo Cispio. forte legēdum est, L. Cispio de quo in Commentariis Oppius meminit. {Viri boni} Al. ut uiri boni {Hostibus denique} M. Antonio, Ventidio, & eorum militibus. {Mecum perdidissem} Al. Mecum prodidissem. {Si ille} exercitus Lepidi. {Hic uindicetis} ut Mutinæ, & alibi. {Paratior fuerit} Al. paratior fuit. {In Hirtii} tui alumni charissimi.

BERN. RVTI.

Fratrem meum tibi fortissimum ciuem, & ad omnia paratissimum excuses literis} Num rectius. excusem? ut sit cum interrogatione. an potius, licet, pro literis: aut tale aliud?

PHIL. MELA.

Vderet me} Excusatio per translationem, quare a Lepido fuerit deceptus. {Huc me uenire} Consilium, quare retro castra mouerit. {Nec depugnare} Epiphonema. {Quare hortor} Petitio ut curet in Senatu, · imprimum mitti exercitum, quo Antonio & Lepido resisti possit. {Fac ualeas} Petitiones aliæ.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

De agris diuidendis agebatur Romæ, quod cum Plancus accepisset, ut militibus suis gratiæ esset, ipse quoque petere instituit, & de ea re literas Ciceroni scripserat, ad quas respondet Tullius.

CICERO PLANCO. S. 22

IN te & in Collega omnis spes est, Dijs approbantibus. concordia uestra, quæ Senatui declarata literis uestris est, mirifice & Senatus, & cuncta ciuitas delectata est. Quod ad me scripseras de re agraria: si consultus Senatus esset, ut quisque de te honorificentissimam sententiam dixisset, eam secutus essem: quod certe ego fuissem: sed propter tarditatem sententiarum, moramq; rerum, cum ea quæ consulebantur, ad exitum non peruenirent, commodissimum mihi, Plancoq; fratri uisum est, uti eo, quod ne nostro arbitratu componeretur quis fuerit impedimento, arbitror te ex Planci literis cognouisse. sed siue in S. C. siue in cæteris rebus desideras aliquid, sic tibi persuade, tantam esse apud omneis bonos tui charitatem, ut nullum genus amplissimæ dignitatis excogitari possit, quod tibi non paratum sit. Literas tuas uehementer expecto, & quidem taleis, qualeis maxime opto. Vale.

ASCENSIVS.

IN te &c. Cum Bru. recepisset se in Galliam ad Plancū, scripserat Plancus se cum eo ad patriæ defensionē consentire, de qua re nunc dicit Cice. senatum populumq; Roma. mirifice lætatum. Deinde quod de Agraria lege rogatus erat, dicit se ad id paratum fuisse, sed opportunitatem defuisse, iterum inflammans hominem ad Reipu. protectionem, & ad literarum scriptionem. Ordo est: Omnis spes. s. Reip. aut salutis est in te o Plāce, & in Collega. s. tuo Bruto. diis approbantibus. i. nota nostra & uestra secundantibus. Et: idest simul senatus, & cuncta ciuitas. s. Romana, delectata est mirifice, concordia uestra. i. propter uestram concordiam, quæ declarata est: idest clare significata senatui literis uestris. Quod tu scripseras ad me de re agraria. i. de agris diuidendis militibus tuis, ut bene de Repub. meritis, si senatus esset consultus: idest rogatus sententias, ut quisq; dixisset sententiam honoratissimam. s. tibi, secutus essem eam, qua. s. sentētia honoratissima tibi aut de te, ego certe fuissem, sed cū ea quæ cōsulebātur: idest de quibus fiebat consultatio, non peruenirent ad exitum: idest ad decretionem, uisum est mihi & fratri s. tuo Planco, commodissimum, uti eo. s. quo ut scis usi sumus, quod. s. decretum quo usi sumus. ego arbitror te cognouisse ex literis Planci. s. fratris tui, qui fuerit impedimento, idest impediuerit, ne componeretur: idest fieret & absolueretur, arbitratu nostro, idest secundum arbitratum & uoluntatem nostram, hoc est Planci & meam. Sicut in multis aliis epistolis, quia res erat nota scribenti & ei ad quem scribit, nobis mā sit ignota. Quis enim diuinauerit quid fuerit quo usi sint, aut quis impediuerit quo minus senatusconsultum & sententia utriusq; factum fuerit. Sed siue tu desideras aliquid in senatusconsulto, siue in cæteris rebus, persuade tibi sic, charitatem tui: idest in te esse tantā apud omnes bonos, i. pote Reip. amatores, ut nullum genus dignitatis amplissimæ, possit excogitari. s. a te quod non sit paratum tibi. Plus est quod dicit excogitari, quā si diceret posci: facilius enim est aliquid excogitare quam poscere. Plus etiā est quod dicit quod tibi non paratum sit, quam si diceret, quod tibi nō detur, quia quod paratum est, expectat habiturum, etiam si non petierit. Ego expecto uehementer literas tuas, & quidem taleis qualeis maxime opto, hoc est quibus significes te hostes deleuisse, aut quid simile.

SEBAS. CORR.

De re agraria} Al. de lege agraria. Episto. X X I I I I. huius lib. & epist. X X. lib. X I {Quis fuerit impedimento} Fortasse Seruilius. Epist. X I I. huius lib.

BERN. RVTI.

M. T. C. Cn. Planco prætori des. S. D. Consuli designato, scribi debuit. præturam enim, quod & ante diximus, aut gesserat superiore anno, aut tum gerebat. nisi utrūq; malis: ut sit, Prætori, cons. desig. uel, Proprætori, Cos. desig. De Cn. supra quoque monuimus.

PHIL. MELA.

IN te & collega} Narratio. {Quod certe ego fuissem} pro mea natura, qualis ego sum.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Et se Laterensemq; excusat, ne temere credidisse Lepido existimentur, hortaturq; Ciceronem, ut det operam apud senatum, ut Octauius cum exercitu ad eum mittatur.

PLANCVS CICERO. S. 23

NVnquam mehercule mi Cicero me pœnitebit maxima pericula pro patria subire, dum si quid acciderit mihi, à reprehensione temeritatis absim. confiterer imprudentia me lapsum, si unquam Lepido ex animo credidissem: CREDVLITAS enim error est magis, quàm culpa: & quidem in optimi cuiusque mentem facillime irrepit. sed ego non hoc uitio penè sum deceptus: Lepidum enim pulchre noram. quid ergo est? pudor me, qui in bello maxime est periculosus, hunc casum coegit subire: nam nisi uno loco essemus, uerebar ne cui obtrectatorum uiderer & nimium pertinaciter Lepido offensus, & mea patientia etiam alere bellum. itaque copias propè in aspectum Lepidi, Antoniiq; adduxi, quadragintaq; millium passuum spacio relicto consedi, eo consilio, ut uel celeriter accedere, uel salutariter recipere me possem. adiunxi hæc in loco eligendo, flumen oppositum, ut haberem, in quo mora transitus esset: Vocontii sub manu ut essent, per quorum loca mihi fideliter pateret iter. Lepidus desperato aduentu meo, quem non mediocriter captabat, se cum Anto. coniunxit ad. I I I I. Cal. Iun. eodemq; die ad me castra mouerunt. uiginti millia passuū cum abessent, res mihi nunciata est, dedi operam Deum benignitate, ut & celeriter me reciperem, & hic discessus nihil fugæ simile haberet, non miles ullus, non eques, non quicquam impedimentorū amitteretur, aut ab* illis furentibus latronibus interciperetur. itaque prid. Non. Iun. omneis copias Isaram traieci, pontesq; quos feceram, interrupi, ut & spaciū ad se colligendū homines haberent, & ego me interea cū collega coniungerē: quē triduo, cū has dabā literas, expectabam. Laterensis nostri & fidē, & animū singularem in Remp. semper fatebor, sed certe nimia eius indulgentia in Lepidū, ad hæc pericula perspiciunda fecit eum minus sagacē, qui quidem cum in fraudem se deductum uideret, manus, quas iustius in Lepidi perniciem armasset, sibi afferre conatus est. in quo casu tamen interpellatus, adhuc uiuit, & dicitur uicturus. sed tamen de hoc mihi parum certum est, ego magno cum dolore parricidarum elapsus sum his: ueniebant. n. eodē furore in me, in quo in patriam incitati. iracundias autem harum rerū recenteis habebāt, q. Lepidū castigare nō destiterim, ut extingueret bellū: q. colloquia facta improbabam: q. legatos fide Lepidi * missos ad me, in conspectum

*al. aliis feruentibus.

*al. missū àb A. ad me cum

spectum

*al. C. Cattium.

spectum: uenire ueturam: quod C. Catinium Vestinum Trib. mil. missum ab Antonio ad eum cũ literis exceperam. in quo hanc capio uoluptatem, quod certe quo magis me petiuerunt, tanto maiorem his frustratio dolorem attulit. Tu mi Cicero, quod adhuc fecisti, idem præsta, ut uigilanter, neruoseq; nos, qui stamus in acie, subornes. ueniat Cæsar cum copijs, quas habet firmißimas: aut, si ipsum aliqua res impedit, exercitus eius mittatur: cuius ipsius magnum periculum agitur. quicquid aliquando futurum fuit in castris perditorum contra patriam, hoc omne iam conuenit. Pro urbis uero salute cur non omnibus facultatibus, quas habemus, utamur, quod si uos istic non defueritis, profecto, quod ad me attinet, omnibus rebus abunde Reipub. satisfaciam. Te quidem mi Cicero in dies mehercule habeo chariorem, solicitudinesq; meas quotidie magis tua merita exacuunt, nequid aut ex amore, aut ex iudicio tuo perdam. opto, ut mihi liceat iam præsenti pietate meorum officiorum tua beneficia tibi facere iucundiora. Vale. VIII. Id. Iun. *Ciuarone, ex finibus Allobrogum.

*al. Ancarone.

ASCENSIVS.

NVnquam &c. Quia Plancus ab Lepido ut uidimus, deceptus erat, hac epistola se purgat, ne putetur per imprudentiam suam fuisse deceptus. Deinde scribit quemadmodum sibi & suis prospexerit postquam perfidiam Lepidi cognouerat, purgatq; Laterensem qui Lepidũ commendarat, non malitiose quo Plancum deciperet, sed propter nimiam indulgẽtiam suam erga Lepidum. Dicit autem ea ex fraude se tantum doluisse ut parum abfuerit quin sibi mortem inferret. Narrat etiam quam ægre tulerint Lepidus & Antonius quod se. i. Plancum, non circumuenerint. Hortaturq; ut Cæsarem Octauiũ ad se mittat. Ordo est: Nunquam o mi Cicero: idest non pœnitebit unquam mehercule me subire maxima pericula pro patria, dum: idest dummodo. si quid. s. aduersitatis acciderit mihi. ego absim: idest immunis sim a reprehensione temeritatis: idest si non uererer temeritatis argui, si præter opinionem quicquam acciderit. Ego confiterer me lapsum imprudentia, si unquam credidissem ex animo: idest syncere, & plene Lepido, dico: supple me lapsum fuisse, non peccasse. Enim: idest quia credulitas: idest facilitas in credendo, est magis error, quam culpa & quidem: idest certe: ipsa irrepit: idest tacite illabitur, facillime in mentem optimi cuiusq;. Quod perquam uerũ est: Nam mali cum credant omnes sui similes, non facile decipiuntur. Sed ego sum pene, idest quasi deceptus non hoc uitio. s. credulitatis. dicet supple ergo quid est. s. quod errasti? Responsio. Pudor qui est maxime periculosus in bello, quia audacem fortuna iuuat, coegit me ad hunc casum Nam si essem uno loco: idest si manerem in prouincia mea. uerebar ne uiderer cui: idest alicui obtrectatorum idest inuidorum, famæ meæ detrahentium. infensus: idest iratus Lepido nimis pertinaciter. si. s. pro communi salute nollem me illi cõiungere, & uiderer etiam alere bellum, mea patientia: idest longanimitate, aut tarditate, quod paterer hostem tam diu uiuere, quem coniunctus cum Lepido possem statim opprimere. Itaq; adduxi copias: supple meas prope: idest quasi in conspectum Lepidi, & Antonii. Consedi: idest locum quietis reperi, a consido, quod sic accipitur Aenei. j. Vultis & his mecum pariter considere regnis. unde uerum est sido quoq; sedi habere in præterito, quod docet Valla: spacio quadragintaquinq; millium passuum relicto. s. a castris Lepidi, eo consilio: ut possem uel accedere celeriter. s. ad Lepidũ, si fuisset in ea sententia, in qua esse debebat. uel possem recipere me: idest a conflictu eripere, cum salute. s. mea & exercitus. Ego adiunxi. i. addidi. hæc. i. has res, quas res dicam in loco. s. considendi eligendo: idest in eligendo, ut haberem flumen oppositum. s. exercitui Lepi. in quo. s. flumine, esset mora transitus. i. in quo transeundo moram traheret Lepidi exercitus. Et: supple adiunxi, hoc est effeci, ut Voconii (alii legunt Vocontii) populi in illis partibus Galliæ, essent sub manu, idest in potestate mea, per quorum loca iter pateret mihi fideliter Lepidus aduentu meo, quem captabat non mediocriter, immo ardenter, desperato, coniunxit se cum Anto. ad quartum Calen. Iunias, & . s. ipsi coniuncti mouerunt castra. s. sua, ad me. s procedendo, res est nunciata mihi, cum abessent uiginti millia passuum. Ego dedi operam benignitate deum: idest deorum, qui eam mẽtem dederant ut & . i. simul reciperem: idest in loca tuta retraherem me celeriter, & hic discessus nihil haberet simile fugæ, & ullus miles, non amitteretur, eques ullus non amitteretur, quicquã impedimẽtorum. s. itineris, hoc est machinarum & sarcinarum bellicarum nõ amitteretur, aut interciperetur: idest in medio itinere per insidias caperetur ab illis latronibus feruentibus, idest ardentibus ad prædam. Itaq; ego traieci pridie nonas Iunias, idest die præeunte Nonas Iunias: idest quarto die Iunii, copias meas Isaram. s. flumẽ Galliæ in Delphinatu, & interrupi pontes quos feceram, ut homines idest milites mei haberent spacium ad colligendum se, idest ad resumendum animum & ad componendas res turbatas celeri profectione. Ego enim iungerem me interea, scilicet cum hostes pontes reficerẽt, cum Collega, scilicet Bruto, quem ego expectabam triduo, idest intra triduum affuturum, cum ego dabam, scilicet ad se has literas. Ego fatebor, idest protestabor semper & fidem & animum singularem in, idest erga Rempub. Laterensis nostri: scilicet communis amici. Sed certe nimia indulgẽtia: idest immoderatus amor eius in Lepidum, fecit eum minus sagacem: idest prouidentem ad hæc pericula perspicienda. Qui: scilicet Laterensis, quidem, idest certe, cum uideret se deductum in fraudem, idest deceptum a Lepido, conatus est afferre sibi manus, idest seipsum interficere inferendo sibi manus, quas armasset iustius in perniciem, idest cædem & interitum Lepidi, in quo tamen casu ipse interpellatus, idest impeditus uiuit adhuc, & dicitur uicturus, quia non adegerat adhuc uulnus satis altum. Sed tamen parum certum est mihi de hoc. s. an uicturus & conualiturus sit, & ego elapsus sum his. s. malis & insidiis, cũ magno dolore parricidarum. s. Antonii & Lepidi patriam persequentium, & eius defensores trucidantium. Ipsi enim ueniebant incitati in me eodem furore, quo in patriam. i. ut me penitus opprimerẽt. Autem idest sed, ipsi habebant iracundias harum rerũ. i. ob has res recentes, quod non destiteram. i. desiueram aut prætermiseram, castigare i. obiurgando monere Lepidum ut extingueret bellũ, quod improbabam colloquia facta. s. inter ipsum & missos ab Ant. aut potius Ant. & ipsum, quod uetueram legatos dimissos. i. a diuersis missos ad me fide Lepidi. i. data eis fide a Lepido, nihil molestiæ a me passuris, uenire in conspectum. s. meum, & quod interceperam. i. in medio itinere ceperam C. Catinium Vestinum. i. ex Vestinis populis Italiæ ultra Picenum iuxta Amiternos missum ad me ab Anto. In quo. s. facto, aut in qua re ego capio hanc uoluptatem quod certe quo. i. quanto magis petiuerunt me. s. capere aut occidere, tanto maiorem dolorem frustratio. i. irritus conatus attulit iis. Tu o mi Cicero, præsta sup mihi id sup. quod fecisti adhuc, ut subornes. i. per subsidia adiuues uigilanter & neruose. i. firmiter & solide, nos qui stamus in acie. s. pro patria cõtra hostes. Veniat Cæs. Octauius adolescens tunc adhuc, & ab Repu. stare uisus, sed mox cum Anto. & Lepido conspiraturus, cum copiis quas habet firmissimas, aut si aliqua res impedit eum, quo minus possit uenire, mittatur exercitus. s. eius. Cuius ipsius. s. Cæsaris magnum periculum agitur. i. impẽdet, fuderat enim Anto. copias apud Mutinam, & ita putauit Plan. qđ non esset cum illo in gratiam rediturus, & hostes omnes uires suas collegerant. Vnde addit. Quicquid futurum fuit aliquando. s. quouis tempore, in castris proditorum contra patriam, hoc omne conuenit iam. i. congregatum est, uero. i. sed e contrario, cur nõ utamur omnibus facultatibus. i. copiis & opibus quas habemus, pro salute urbis? q. d. nullam esse rationem, tacite tamen saluti suæ consulere uidetur. Quod si uos non defueritis. s. Reip. istic. s. Romæ, aut istic. i. in ista re, profecto ego satisfaciam abunde Reipub. in omnibus rebus, quod. i. quantum attinet ad me. Quidem. i. certe, o mi Cic. ego habeo te in dies chariorem. i. te diligo per singulos dies cum quodam incremento, & merita tua. s. in me exacuunt. i. uegetant & instigant quotidie magis solicitudines meas, ne quid perdam, aut ex amore tuo. s. in me, aut ex iudicio tuo. s de me. Opto ut liceat mihi facere beneficia tua in me, iucundiora. s. tibi, & etiam mihi, pietate. i. pia exhibitione meorum officiorum iam præsenti, quæ nunc est futura iucundum autem est in gratos beneficium conferre, & gratos referre.

VICTORIVS.

VEl cum salute recipere me possem} Aliquantum mẽdi hoc loco habent antiquiores codices. {Salutari} enim legunt pro salutariter, ni fallimur: est autẽ Planco familiare aduerbium. sequenti enim epistola in uulgatis etiam, nedum ueteribus, & melioribus libris, Nihil enim me nõ salutariter cogitare scio. & nos igitur (salutariter) scripsimus. usurpauit etiam Cic. hoc aduerbiũ. {Aut ab illis fuerentibus latronibus} Mediceus codex & Petrarchæ liber, Germanicus item impressus, qui sæpe antiquam lectionem in margine adpositam habet, omnes conueniunt: & pro {Fuerentibus, Feruentibus} legunt. Nos igitur hunc consensum probatissimorũ codicum aspernari non potuimus: nam quod paulo supra hac ipsa epistola Lepido {Offensus} cum antea {Infensus} legeretur, scripsimus, ueterum in hoc etiam codicum authoritatem secuti sumus.

Ex posteriore eiusdem.

QVod legatos fide Lepidi missos} Antea Lepidi dimissos. Quis non uideat, qui attente legat, ita scribendum esse, mẽdumq; ortum quod negligenter librarius postremam syllabam Lepidi bis scripserit. Exponit Plancus, cur tantopere sibi Antonius, ac Lepidus infensi sint, & in aliis rebus narrat sibi illos ualde iratos, quod Antonii legatos ad se missos Lepidi fide, nedum audire uoluerit, in conspectum suum uenire prohibuit. Lepidi autem fide: quia fidem suam Lepidus interposuerat, a Planco illos uiolatum non iri. Legatos missos, ut paulo post inquit, C. Cattenum missum ab Antonio ad eum cum literis.

PAVL. MANV. ELapsus sum his}Dictio,his,cum oleret mendum, scripsi ad
amicissimum meum,ut is mihi,de ea quid sentiret, expone-
ret.rescripsit,corruptam se iam pridem iudicasse: nuper au-
tem rarissimæ uirtutis,& summæ nobilitatis hominem, Benedictū
Accultum Rauennæ Cardinalem, quem ego honoris amplitudi-
nisq; causa nomino,cum has Ciceronis epistolas succisiuis tempo
ribus legendo percurreret,eam emendasse,nempe sic, Elapsus sum
bis:ut se dicat Plancus periculum bis effugisse: semel, cum ad Lepi
dum non accessit,neq; se unquam cum eo uoluit coniungere:quod
si fecisset,ipse cum uniuerso exercitu in Antonii potestatem Lepi
do prodente deuenisset:iterum,cum audito Lepidi Antoniiq; ad-
uentu,celeriter se recepit.

SEBAS. CORR. HOc initio}credulitate.{Nisi uno loco essemus} Al.si uno lo
co essem.{Lepido infensus}Al.Lepido offensus.{Mea pa
tientia}mea pertinacia,aliis magis placet.{Cum salute}Al.
salutariter. Al.salutari loco.{Vocontii}Plyn lib.iii.cap.iiii.{Capta
bat}quamuis ante denunciasset,ne ueniret.Episto.X X I. huius li
bri.{Furentibus}Al.feruentibus. {Homines haberent}prouincia-
les.{Dicitur uicturus}non uixit tamen.{Improbabam} improba-
ram,fortasse melius.{Catinium}Al Catiū. {Interceperam}Al.ea-
ceperam.{Cæsar}C.Octauius Cæsar.{Cuius ipsius} ut qui Anto-
nium fugarit.{Ciuarone}Alii legunt,Auenione.Ciuarum in ea re
gione scriptores agnoscunt.

BERN. RVTI. HVnc casum cogit subire}Coegit,in aliis integre. de re enim
præterita loquitur:qua de,etiam epistola X V I I I. {Nam,
si uno loco essem}Quid si? nam,si non uno loco essem:uel,
essemus,quod ante dixit,Nisi uno loco me tenerē. uel metaremur.
Etsi scio extortum etiam ea his uerbis sensum a Clerico.

PHIL. MELi. NVnquam mehercule}Exordium a prædicatione diligen-
tiæ {Confiterer}Excusatio temeritatis.{To mi Cice.} Ad-
:. . {Quicquid aliquādo}Ex periculi magnitudine.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Ciceronem certiorem facit & de exercitu,& de suspicione, quam habet de Cæsare,ne cum Antonio conspiret.

PLANCVS IMP. COS. DES.
CICERONI. S. D. 24

*FAcere non possum, quin in singu-
las res meritaq; tua tibi gratias
agam: sed mehercule facio cum pu
dore:neque enim tanta necessitu-
do,quantam tu mihi tecum esse uo
luisti,desiderare uidetur gratia-
rum actionem,neque ego lubenter
pro maximis tuis beneficijs tam ui
li munere defungor orationis, &
malo præsens obseruantia,indulgentia,assiduitate memorem me
tibi probare.quòd si mihi uita contigerit,omneis gratias, amici-
tias,atque etiam pias propinquitates in tui obseruantia, indulgen
tia,assiduitate uincam.amor enim tuus,ac iudicium de me, utrum
mihi plus dignitatis in perpetuum,an uoluptatis quotidie sit al-
laturus,non facile dixerim. De militum commodis fuit tibi curæ:
quos ego non potentiæ meæ causa (nihil enim me non salutariter
cogitare scio) ornari uolui à senatu:sed primum, quòd ita meri-
tos iudicabam,deinde quòd ad omneis casus coniunctiores Reip.
esse uolebam:nouissime,ut ab omni omnium solicitatione auersos,
eos taleis uobis præstare possem,quales adhuc fuerunt. Nos adhuc
hic omnia integra sustinuimus. Quod cōsilium nostrum,etsi,quan
ta sit auiditas hominum,non sine causa,talis uictoriæ, scio, tamen
uobis probari spero:non enim,siquid in his exercitibus sit offen-
sum,magna subsidia Respub.habet expedita, quibus subito impe-
tui,ac latrocinio parricidarum resistat:copias uero nostras no-
tas tibi esse arbitror. In castris meis legiones sunt ueteranæ tres,
tyronum uel luculentissima ex omnibus una. in castris Bruti una
ueterana legio,altera bima,*octo tyronum. ita uniuersus exerci-
tus numero amplissimus est,firmitate exiguus. quantum autem in
acie tyroni sit committendum,nimium sæpe expertum habemus. ad
hoc robur nostrorum exercituum,siue Africanus exercitus, qui est
ueteranus,siue Cæsaris accessisset,æquo animo summam Reipu.
in discrimen deduceremus.aliquanto autem propius esse, quod ad
Cæsarem attinet,uidebamus:nihil destiti eum literis hortari: ne-
que ille intermisit affirmare,se sine mora uenire:cum interim auer
sum illum ab hac cogitatione,ad alia consilia uideo se contulisse.
ego tamen ad eum,Furnium nostrum cum mandatis, literisq; misi,
siquid forte proficere posset. scis tu mi Cicero, quod ad Cæsaris
amorem attinet,societatem mihi esse tecum:uel quòd in familiari-
tate Cæsaris,uiuo illo,iam tueri eum,& diligere mihi fuit neces
se.uel quòd ipse,quoad ego nosse potui,moderatissimi,atque hu-
manissimi fuit sensus:uel quòd ex tam insigni amicitia mea,atque
Cæsaris,hunc filij loco,& illius,& uestro iudicio substitutum,nō
perinde habere mihi turpe uidetur.sed quicquid tibi scribo, do-
lenter mehercule magis quàm inimice facio. quòd uiuit Antonius
hodie,quòd Lepidus unà est,quòd exercitus habent non contem-
nendos,quòd sperāt,quod audent. id omne Cæsari acceptum refer
re possunt.neque ego superiora repetam.sed ex eo tempore, quo
ipse mihi professus est se uenire,si uenire uoluisset: aut oppres-
sum iam bellum esset,aut in aduersissimam illis Hispaniam cum de
trimento eorum maximo detrusum. quæ mens eum, aut quorum
consilia à tanta gloria,sibi uero etiam necessaria,ac salutari auo-
carint,& ad cogitationem consulatus bimestris summo cum ter-
rore hominum,& insulsa cum efflagitatione transtulerint, expu
tare non possum.multum in hac re mihi uidentur necessarij eius
& Reipub.& ipsius causa proficere posse:plurimum,ut puto,tu
quoque,cuius ille tanta merita habet,quanta nemo præter me.nun
quā enim obliuiscar maxima,ac plurima me tibi debere. De his re
bus,ut exigeret cum eo,Furnio mandaui,quod si, quantam debeo,
habuero apud eum authoritatem,plurimum ipsum iuuero.nos in-
terea duriori conditione bellum sustinemus, quod neque expedi-
tissimam dimicationem putamus,neque tamen refugiendo commis
suri sumus,ut maius detrimentum Respub.accipere poßit. quod si
aut Cæsar se respexerit, aut Africanæ legiones celeriter uene-
rint,securos uos ab hac parte reddemus. Tu,ut instituisti, me di-
ligas rogo,proprieq; tuum esse tibi persuadeas. V.Calend.Sext.
ex castris.

*al. octo milliū tyr.

ASCENSIVS. FAcere &c. Cum egisset Cice.omnia diligenter pro di-
gnitate Planci,& potissimum de re agraria,Plancus se
artificio arguto memorem ostendit. Nā significans non
esse satisfaciendum Cice. per actionem gratiarum, gra-
tias agit,& se habere indicat maximas,deinde ostendit
quam diffidat copiis suis,in quibus plurimi erant tyrones. Dicitq;
Cæsarem Octauium esse causam,quare Antonius & Lepidus non-
dum sint oppressi,significat enim eum latenter consentire cū An-
to. Dicit autem se misisse ad Cæsarem cum mandatis suis. Ordo est.
Ego non possum facere quin agam gratias tibi in.i.ob singulas res
& merita tua. Sed mehercule facio:sup.illud cum pudore. Neq;.n.
tanta necessitudo.i.necessaria conciliatio amicitiæ,quantam tu uo
luisti esse mecum,uidetur desiderare.i.poscere actionem gratiarum.
Neq; ego defungor libenter tam uili munere orationis.i.uerborum
pro maximis beneficiis tuis.i.agendo pro beneficiis gratias quas re
ferre deberem,& malo.i.magis uolo probare.i.ostendere me tibi me
morem. s.beneficiorum.i.gratum præsens.i.quando ero præsens, ob
seruantia.i.ueneratione & cultu,quibus sic obseruamus aliquem,ut
caueamus quicquam aut dicere aut facere,quod illum offendat. in-
dulgentia.i.concessione obsequii etiam ultra quam oporteat, assi-
duitate.s.obsequiorum. Quod.s.præsentem esse, si contigerit mihi
in uita,ego uincam.i.superabo,omnes amicitias gratas. alii legunt
omnes gratias,amicitias &c. utrunque placet,sed quia ad propin
quitates addidit,pias,puto,ad amicitias etiam,gratas,addidisse,at-
que etiam omnes propinquitates.i.consanguinitates & coniunctio
nes sanguinis,pias.i.pietate obsequiosas in maiores suos,uincam in
quit in obseruantia tua. Valla diceret tui,sed tua quam tibi impen-
sam a me possidebis,in indulgentia & assiduitate, quibus se memo
rem probare iam dixit. Enim.i.quia,ego non dixerim.i.diiudicaue-
rim facile utrum amor tuus ac iudicium. s.tuum de me sit allatu-
rus,nouæ figuræ locutio,nam per zeugma diceret allaturū, & per
syllepsim allaturi,aut quia res sunt inanimes,allatura. s.amor unde
procedit iudicium,mihi plus dignitatis in perpetuum.i.quæ sit in
perpetuum

perpetuum duratura, an uoluptatis, quotidie.i.quæ quotidie innouabitur. Fuit tibi curæ.i.habuisti curam de commodis militum. Rogauerat enim Plancus ut per Cice.militibus diuiderētur agri, quos .s.milites ego uolui ornari a senatu non causa potentiæ meæ.i.ut potentior euadam. Scio enim me nihil cogitare nō salutariter.i.qđ non sit cum salute Reipub.coniunctum. Sed sup.uolui eos ornari, primum quod iudicabam eos meritos esse ita, deinde quod uolebā eos esse coniunctiores Reipub.ad omnes casus, nouissime.i.postremo loco, ut possem præstare.i.exhibere uobis, eos auersos.i.abhorrentes ab omni solicitatione omnium tales quales fuerunt adhuc .i.Reipub fideles. Nos sustinuimus hic.i.in prouincia adhuc omniu integra.s.salua, & nulla imminuta. quod consilium nostrum.s.sustinendo omnia integra, & si.i.quanquam scio quanta sit auiditas hominum talis uictoriæ.s.habendæ, non sine causa, quia in ea tota salus Reipub.pendebat, tamen spero probari.i.approbari uobis, idest a uobis. Non enim &c. Affert rationem quare probabile putet consilium suum, quod nondum commiserit pugnam dicens Enim, idest quia, siquid sit offensum.i.peccatum & erratum in his exercitibus .s.quos habemus, hoc est si male esset nobis pugnatum, mitioribus tamen id uerbis, ad uitandum malum omen persequitur, Resp.non habet magna subsidia.i.magnas copias subsidio uenturas, ea pedita .s.parata, quibus.s.subsidiis ipsa resistat.i.resistere possit ad latrocinia parricidarum, impetu subito, alii legunt ac latrocinio, ut sit, quibus resistat subito impetu pro impetui declinatione antiqua ac latrocinio parricidarum.s.Antonii, Lepidi, & aliorum patriam persequentium, Vero: pro sed, ego arbitror copias nostras esse notas tibi. In castris meis sunt legiones ueteranæ tres tyronum.i.nouitiorum militum, una.s.legio.uel.i.etiam luculentissima.i.clarissima ex omnibus. In castris Bruti est: sup.una legio ueterana.i.ueteranorū militum.i.qui multos annos in militia exegerūt, altera.i.adhuc una bima.i.duorum annorum.i.eorum qui biennium militauerunt, octo sup.legiones Tyronum sup.sunt. Itaq; uniuersus exercitus est amplissimus numero, exiguus firmitate, quia plurima pars Tyronum est: autem.i.sed nos habemus nimium expertum.i.compertum cum malo nostro, quantum sit committendum Tyroni.i.nouo militi in acie. Siue exercitus Africanus.i.ex Africa reductus, qui est ueteranus, siue exercitus Cæsaris.s.Octauii, accessisset.i.additus fuisset, ad hoc robur, exercituū nostrorum, nos deduceremus in discrimen.i.periculum summam Reipub.hoc est salutem eius, æquo animo.i.libenter congressi essemus cum hostibus, conflictu pernicioso. Autē .i.sed nos uidebamus.i.considerabamus id quod attinet.i.spectat ad Cæsarem, esse aliquanto propius.i.coniunctius saluti Reipub. Et ita ego nihil.i.nulla re, aut nullo modo destiti.i.prætermisi, seu intermisi hortari eum literis, neq; ille.s.Cæsar, loquitur ut notum de Octauio, qui postea Augustus dictus est, intermisit.i.interdum omisit, affirmare se uenire, sine mora, hoc est ad singulas literas meas respondit se uenire, cum ego uideo illum.s.Cæsarem, auersum.s alienatū interim.i.interea temporis, ab hac cogitatione.s.fauendæ Reipu.contulisse se ad alia cōsilia. Ego tamen misi ad eū Furnium nostrum.s.amicum, & ut opinor legatum, cum mandatis & literis sup.nostris, si forte possit proficere quid.i.in aliquo. Scis tu o mi Cice. quod.i.quatenus aut quæ res attinet ad amorem Cæsaris.s.Octauii, societatem esse mihi tecum i.me habere in ea te socium, uel quod .i.quia in familiaritate Cæsaris.s.Iulii sup.fuerim, uiuo illo.i.dum ille uiueret, necesse fuit mihi, si uidelicet uir bonus & fidelis amicus uelim haberi, tueri & diligere iam.s.post cædem eius, eum: uel quod.i.quia ipse.s.Cæsar, quoad.i. quatenus potui nosse.i.nouisse, fuit sensus moderatissimi atq; humanissimi, quia non superbe nec immaniter dominatus est, immo fuit usq; ad pœnitudinem clemēs uel quod turpe uidetur mihi ea tam insigni amicitia mea.i post tā insignem amicitiam meam atq; Cæsaris.s.Iulii, non habere.i.æstimare, & amplecti hunc.s.Octa.Cæsa.substitutum.s.testamento Iulii Cæsa.loco filii, iudicio & illius.s.Cæsaris cæsi, & uestro, perinde .i.ita ut substitutus est, hoc est ut filium Cæsaris nobis dum uiueret amicissimi. Sed quicquid scribo tibi, ego facio mehercule magis dolenter.i.quia dolet mihi Cæsarem non recte sentire de Repu.quam inimice.i.quasi sim inimicus Cæsaris. Quod Antonius uiuit hodie .i.adhuc, & Lepidus est una.i.simul cum Antonio, quod habent exercitus non contemnendos, quod sperant.s.uictoriam, quod audent.s.nos lacessere, possunt referre acceptum.i.agnoscere se debere ut a quo acceperint, id omne Cæsari.s.Octauio. Acceptum ferre, est fateri se accepisse, etiam si quis non acceperit. Pulchre autē cū datiuo dicitur, quando uolumus innuere beneficio alterius nos aliquid habere, ut hoc loco. Neq; ego repetam superiora.i.quæ multū præcesserunt, sed ex eo tempore quo ipse.s.Cæsar professus est mihi se uenire, si uoluisset uenire, aut bellum esset iam oppressum.i.sopitum, aut extrusum.i.ui eiectum ex Italia cum maximo detrimento eorum.s.Antonii & Lepidi, in Hispaniam aduersissimam illā.s.bello gerendo, Ego non possum exputare.i.excogitare, aut comminisci quæ mens, aut quorum consilia auocarint eum a tanta gloria.s.libertate patriæ, necessariu etiam ac salutari sibi, & transtulerint eū ad cogitationē cōsolatus bimestris.i.duos tantum menses duraturi per mortem consulum obtinendi, cum summo terrore hominum.s.qui uerebantur ne consul effectus percussores Iulii Cæsaris persequeretur, quod etiam euenit, eisq; deletis monarchiam inuasit, & cum efflagitatione insulsa.i.insipienti. Necessarii.i.coniunctissimi amici, & consanguinei eius uidentur posse proficere.i profectum facere multum in hac re.s.ut a consulatu desistat, & Antonio nō adhæreat, & .i.simul.causa Reipub. & ipsius.s.Octauii. & ut puto tu quoq;, sup.uideris posse proficere plurimum, cuius ille.s.Octauius habet tanta merita, quanta nemo sup.habet præter me, sup.quod dico. Enim.i.quia ego nunquam obliuiscar me debere tibi maxima ac plurima.s.a te suscepta beneficia. Ego mādaui Furnio.s.legato meo, ut exigeret.i.postularet & quasi quereretur cum eo.s.Octauio, de his rebus.s.ut ad saniorem mentem redeat. Quod si habuero apud eum tantam authoritatem quantum debeo.s.habere.i. meritus sum de eo ut habeam: ego iuuero ipsum plurimum, quia ad saniora consilia reduxero. Nos sustinemus interea.s.dum Furnius cum eo aget, bellum conditione duriore.i.multum aspera, quod neq; putamus dimicationem, idest præliationem expeditissimam, idest maxime utilem fore, neq; tamen commissuri, idest passuri sumus, refugiendo, scilicet dimicationem, ut Respub.possit accipere maius detrimentum. Quod si aut Cæsar.s.Octauius respexerit, idest miseratus Rēpub.aspexerit, aut lege, resipuerit, aut legiones Africanæ, idest quæ in Africa nunc sunt, uenerint celeriter, nos reddemus uos securos ab hac parte.s.quam tuendam recepimus. Rogo sup. ut diligas me, ut instituisti, idest data opera cœpisti, & persuadeas, supple me esse tuum proprie.i.peculiariter, sic ut non alterius. Quinto &c.

VICTORIVS.

QVibus subito impetui, ac latrocinio parricidarum resistat} Nos ut in uetertimo Mediceo codice inuenimus. {Impetu} scripsimus, ut etiam in epistola ad P.Seruilium, Vt intelligat hanc commendationem sibi magno usu atq; adiumento fuisse. Sæpe autem sic protulisse huiuscemodi nomina tertio casu Virgilium, notissimum est: ut in IIII.Georgico. Quod nec concubitu indulgent, &, Teq; aspectu ne subtrahe nostro, & aliis locis. quod diligentissimus uir Ioannes Pierius in suis Virgilianis castigationibus adnotat Nam quod hunc locum ut Ciceronis citat, cum sit ex epistola L.Plancii, μιμωντικὸν ἁμάρτημα: uel potius sequitur nonnullorum morem, qui cunctas epistolas quæ his uoluminibus continentur, quia non ualde stylo inter se diuersæ sunt, ut si Ciceronis essent, adducunt. ne minimum probi & eruditi hominis erratum cum maxima eiusdem laude coniungam: docetq; ille Cæsarem tantum tam minutarum rerum authorem in huiuscemodi nominibus I, literam censuisse abiiciendam: dominatuq;, & ornatu, & reliqua huiusmodi & scribendum & proferendum esse.

SEBAS. CORR.

IN tui obseruantia} Al.in tua obseruantia. {Sit ullaturus} De hac locutione in quæstura leges, etsi suspicamur, Sit allaturum, legi debere. {De militum commodis} per agros dandis. Episto.XX. lib.XI {Sustinuimus} non pugnauimus. {Impetui} Al.impetu, eodem casu, quod ego tamen in poetis potius, quam in oratoribus probarim. {Octo tyronum} Quidam legunt, Octo millia tyronum. Epistolo.enim XXXIII.huius lib.uidemus legiones duas nec frequētes agnosci, licet Appianus X.scribat {Africanus exercitus} cui T.Sextus, & Q.Cornificius præerant. {Sine Cæsaris} Octauii. {Ad alia consilia} triumphi, & Consulatus petitionem. {Ad Cæsaris} Octauii. {Societatem} in hoc Octauii amore.} Familiaritate Cæsaris} Iulii Cæsaris. {Atq; Cæsaris} Iulii Cæsaris. {Hunc} Octauium. {Et illius} Iulii Cæsaris in testamento. {Vestro iudicio} testimonio adoptionis publicæ a Prætoribus ex more descripto, & illo Cæsaris nomine, & tot honoribus ornato. {Perinde} Al proinde. {Id omne Cæsari} Octauio, qui nec D.Bruto reconciliari noluit, nec Antonium fugientem persequi. {Aduersissimam.} propter Asiniū Pollionem, qui ibi habet exercitum. {Hispaniam} Lepido ante decretam. {Detrusum} Al.extrusum. {Consulatus bimestris} post Hirtii & Pansæ mortem. {Exputare} Al.explicare. {Merita habet} in Philippicis leges. {V.Calen.Sex.ex castris} Al.V.Calend.ex castris.

BERN. RVTI.

ET ad cogitationem consulatus bimestris} Potest id quidem per extenuationem esse dictum. Quid tamen si Quimestris legas? quod tot essent ad Ianuarium ab initio Sextilis menses. hæc enim ad V.Calen.Sex.scripta apparet. Illud addo, æstimari oportere, quæ sunt lib.iiii.ad Cn.Plancum literæ, hunc ne scriptæ fuerint, atq; ita in hunc librum, suo.s.loco ex temporum ratione retrahendas. tres certe in uolumine ad Atticū legimus ad hunc Plancum: quas qui libri huius initio adscripserit, belle & rerum cognitioni, & nescio cui elegantiæ consuluerit. Quis enim dubitat, quin & in his colligendis nonnihil Tyro peccarit, & multum sit de illius diligentia, temporum iniuria derogatum atq; detractum? Quis enim credat, quæ est paulo post ad Appium, ab illo in tā alienum locum collocatam, tamq; ab aliis quæ iustum uolumen conficere, disiunctam? Itaq; & ea apud alias ad eundem ponenda est, meo iudicio. Cæterum, quo minus idem Plancus hic atq; ille existimetur, impedimento esse potest, quod ille inimicus Iulii Cæsaris fuisse uidetur ex illis epistolis. at hic supra: Scis tu, mi Cicero, qđ ad Cæsaris amorem attinet, societatem mihi esse tecum, uel quod in familiaritate Cæsaris, uiuo illo, iam tueri eum & diligere mihi fuit necesse: uel quod ipse, quoad ego nosse potui, moderatissimi atque

humanissimi fuit sensus: uel quod ex tam insigni amicitia mea atq; Cæsaris, hunc filii loco & illius & nostro iudicio substitutum, non perinde habere, mihi turpe uidetur. Sed & Cic. idcirco nimis eum seruisse temporibus scribit: ut tamen mutari potuerit, & ex Pompeiano ad Cæsarem cum fortuna simul inclinare. itaq; æstimandum relinquimus.

PHIL. MELÁ.

GRatiarum actio, cui addita est breuis commemoratio meritorum Cic {Facere nõ possum} Propositio exordii: Debeo agere gratias {Sed mehercule} Extenuatio sui officii, per collationẽ uerborum & factorum. {De militum commodis} Narratio, quare suis militibus petierit præmium diuidendorum agrorum a Senatu. {Nos adhuc} De consiliis belli, quod uoluerit confligere cum hostibus, & qualẽ habeat exercitum. {Aliquanto autem} De Augusto {Scis tu mi Cicero} Occupatio. {Sed quicquid tibi} Accusatio Octauii, quod relicto bello constituerit abire Romam, ad petendum Consulatum. {Nos interea} Epilogus. {Tu, ut instituisti} Petitio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Ciceronem certiorem facit & de exercitu, & de suspicione, quã habet de Cæsare, ne cum Antonio conspiret.

M. T. CICERO C. FVRNIO S. P. D. 25

*SI interest, id quod homines arbitrantur, Reipub. te, ut instituisti, atque fecisti, nauare operam, rebusq; maximis, quæ ad extinguendas reliquias belli pertinent, interesse: nihil uideris melius, neque laudabilius, neq; honestius facere posse: istamq; operam *tuam, nauitatem, animum in Rempu. celeritati Præturæ anteponendam censeo: nolo enim te ignorare, quantam laudem consecutus sis: mihi crede, proximam Planco, idq; ipsius Planci testimonio, præterea* fama, scientiaq; omnium. quamobrem si quid operis tibi etiam nunc restat, id maximopere censeo persequẽdum, Quid enim honestius? aut quid honesto anteponendum? si autem satisfactum Reipub. putas: celeriter ad comitia, quando mature futura sunt, ueniendum censeo: dummodo nequid hæc ambitiosa festinatio imminuat eius gloriæ, quam consecuti sumus. multi clarissimi uiri cum Reipub. darent operam, annum petitionis suæ non obierunt. quod eo facilius nobis est, quòd non est annus hic tibi destinatus, ut, si Ædilis fuisses, post biennium tuus annus esset. nunc nihil prætermittere uidebere usitati, & quasi legitimi temporis ad petendum. uideo autem Planco Cos. & si etiam sine eo rationes expeditas haberes, tamen splendidiorem petitionem tuam fore, si modo ista ex sententia confecta essent. omnino plura me scribere, cum tuum tantum consilium, iudiciumq; sit, non ita necesse arbitrabar: sed tamen sententiam meam tibi ignotam esse nolebam. cuius est hæc summa, ut omnia te metiri dignitate malim, quàm ambitione: maioremq; fructum ponere in perpetuitate laudis, quàm in celeritate Præturæ. Hæc eadẽ locutus sum domi meæ, adhibito Quinto fratre meo, & Cæcinna, & Caluisio, studiosissimis tui, cum Dardanus libertus tuus interesset. omnibus probari uidebatur oratio mea: sed tu optime iudicabis. * Vale.*

*al. tuam nauitatem.

*al. fama, sentẽtiaq;

ASCENSIVS.

SI interest &c. Furnius Planci legatus diligentissime se pro Rep gesserat, præsertim in Gallia Narbonẽsi, itaq; cum proannis comitiis præturã esset petiturus, uelletq; obdita relicta prouincia in urbẽ uenire, Cic hac epistola suadet ne id faciat, cum honori non sit futurõ, & facilius assequatur sub consulatu Planci proximo Ordo est. Si id quod homines arbitrantur, interest. i. refert & in utilitate est Reip. te. Ve instituisti. i. cœpisti, aut proposuisti, atq; fecisti. s. hactenus nauare. i. abunde dare operam, & interesse rebus maximis quæ pertinẽt ad extinguẽdas reliquias belli. s. contra Anto. sumpti, tu nihil uideris posse facere, neq; laudabilius neq; honestius. s. quam hoc, & ego cẽseo istam operam tuam, nauitatẽ. i. strenuitatẽ operæ & animum. i. studium in Rẽp. anteponendum esse priori celeritati præturæ. Nolo. n. te ignorare, quantam laudẽ consecutus sis, proximam Planco. s. Planci laudi, idq;. i. & id testimonio ipsius Planci præterea. i. insuper fama & sciẽtia omnium. Quamobrẽ siquid operis restat tibi etiã nunc. i. adhuc, ego censeo magnopere id persequendũ. i. perficiendum tibi. Quid. n. est honestius? aut quid est anteponẽdõ honesto? q. d. nihil. Sin autẽ. i. sed si tu putas satisfactũ sup. esse Reip. ego censeo. i. iudico ueniẽdũ, sup. esse tibi ad comitia. i. congregationes & cōciones populi ad magistratus eligendos, celeriter, quando. i. quoniã futura sunt mature. i. cito. Dummodo hæc festinatio ambitiosa. i. plena ambitionis & suspecta de ambitione nequid. i. aliquid nõ imminuat aliquid, eius gloriæ quã sumus consecuti. Multi uiri clarissimi cũ darẽt operã Reip. i. cũ essent militiæ, aut in legatiõe, aut alio officio publico, nõ obierunt. i. non adiuerunt seu inierunt annũ petitionis suæ. i. quo poterant legitime petere magistratum. Nã per ordinẽ fere quasi gradatim ad summos honores ascẽdebãt, quod. s. nõ obire anoõ petitionis uestræ est facilius uobis. s. qui in castris agitis, ꝙ hic. i. præsens annus nõ est destinatus. i. adiudicatus & addictus tibi o Furni, ut. i. quẽadmodũ annus tuus esset post biennium, si fuisses ædilis, sed quia nõ fuisti ædilis biennio ante, non est nunc annus petitionis tuæ. Nunc. i. quando non est annus tuus, tu nihil. i. nõ aliquid, nõ uidebere prætermittere aliquid usitati, & tẽporis quasi legitimi ad petendõ. Autẽ. i. sed ego uideo petitioné tuã. s. præturæ, Planco Cõsule. i. si differres eã donec Plancus imperator tuus esset cõsul, & si. i. quãquã, haberes etiã sine eo. i. eius auxilio & suffragio, rationes. i. uias & media impetrandæ præturæ expeditas. i. a nullo impeditas sed paratas ad manũ, tamẽ. i. nihilominus splẽdidiorẽ, sup. futurã, quia splẽdidũ esset legatũ sic ab imperatore suo cõmẽdari, ut dignus cẽseatur qui magistratũ obtineat, si modo. i. dummodo. s. quæ nunc pro Rep. geritis, essent cõfecta, perfecta & absoluta. Ego non arbitrabar ita. i. multũ necesse me scribere omnino plura, cũ tantũ. i. duntaxat consiliũ & iudiciũ tuũ, utrũ. s. hoc anno an alio petere malis, sed tamẽ nolebam sententiã meam esse ignotam tibi. Cuius. s. sentẽtiæ meæ. i. iudicii de petitione tua: hæc est summa. i. breuis expressio caput cõsilii cõplectens, ut malim. i. magis uelim te metiri. i. æstimare dignitate. i. secundũ dignitatẽ, quã ambitione. i. secundũ ambitionẽ. i. te iudicare id maxime utile & expetendũ tibi, quod ea dignitate tua sit, nõ quod ambitionẽ tuã expleat, & te ponere maiorẽ fructũ in perpetuitate laudis quã celeritate præturæ. Ego locutus sum hæc eadẽ. s. quæ scribo domi meæ adhibito. s. cõsilio meo, & Cæcinna & Caluisio studiosissimis tui. i. tibi summe fauentibus, cum Dardanus Libertus tuus interesset. Oratio mea. i. sententia, uidebatur probari omnibus. i. ab omnibus, sed tu iudicabis optime, quia potuisti rem optime nosse.

SEBAS. CORR.

C Furnio} L. Planci legato. {Nauitatẽ} Alii legunt, maturitatẽ. Alii, nauatã. {Anteponendã} Al anteponẽdũ. {Sciẽtiaq;} Al. sentẽtiaq;. {Si Aedil. fuisses} Atqui nõ fuisti, sed Trib. pleb. tantum, L. Paulo & C. Marcello Coss. {Videbere} etiam si petitionem Præturæ in sequentẽ annõ differres. {Planco Cos.} In sequentem annum iam nunc designato.

BERN. RVTI.

VT, si ædilis fuisses, post biennium tuus annus esset} Aperta quidem sententia, sed tamen Clericus inepte non desinit, neq; enim is est quem putat, sensus, quo uidetur Furnium fuisse ædilem contendere, cum contra innuat Ci. occulteq; celeritatẽ nimiam reprehendat eius qui cum nondum fuisset ædilis, præturã uel ex medio ciuili bello peteret. qui, ẽt si tunc nõ petisset præturã, quã post ædilitatẽ actã biennio petere solebant, nihil uideretur omisisse legitimi atq; usitati tẽporis, utpote q nõdũ fuisset ædilis.

PHIL. MELÃ.

SI interest} Dilemma. Est. n. duplex propositio. S. . . . Resp. opus habet opera tua, ne properà ad præturam. {Si autem satis factum} Altera propositionis pars; Si isthic Respu. nõ habet opus opera tua, ueni Romam. {Multi clariss.} ab exemplis. {Video autem} Ab opportuno. {[illegible] pilogus.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Rursus dissuadet Furnio petitionem præturæ. hortatur autem, ut Rẽp. quantum possit, adiuuare pergat.

M. T. CIC. C. FVRNIO. S. P. D. 26

LEctis tuis literis, quibus declarabas aut omittendos Narbonenses, aut cum periculo dimicandum, illud magis timui, quod uitatũ non moleste fero. Quod de Planci, & Bruti concordia scribis, in eo uel maximam spem pono uictoriæ. De Gallorum studio, nos aliquãdo cognoscemus, ut scribis, cuius id opera maxime

ra maxime excitatum sit: sed iam, mihi crede, cognouimus. itaque iucundißimis tuis literis stomachatus sum in extremo: scribis enim si in Sextilem comitia, cito te: si iam confecta, citius, ne diutius cum periculo fatuus sis. ò mi Furni, quàm tu causam tuam non nosti, qui aliena tam facile discas, tu nunc candidatum te putas, & id cogitas. ut aut ad comitia curras, aut, si iam confecta, domi tuæ sis, scilicet ne cum maximo periculo, ut scribis, stultißimus sis. non arbitror te ita sentire: omneis enim tuos ad laudem impetus noui. quòd si, ut scribis, ita sentis: non magis te. quàm de te iudicium reprehendo meum. te adipiscendi magistratus leuißimi, & diuulgatißimi, si ita adipiscare, ut plerique, præpropera festinatio abducet à tantis laudibus, quibus te omnes in cœlum iure, & uere ferunt? scilicet id agitur, utrum hac petitione, an proxima prætor fias, non ut ita de Repub. mereare, omni honore ut dignißimus iudicere. utrũ, nescis, quàm alte ascenderis, an pro nihilo id putas? si nescis: tibi ignosco: nos in culpa sumus. sin intelligis: ulla tibi est Prætura uel officio, quod pauci, uel gloria, quam omnes sequuntur, dulcior? hac de re & ego, Caluisius, homo magni iudicij, tuiq́; amantißimus, te accusamus quotidie: comitia tamen, quando ex his pendes, quantũ facere possumus, quod multis de causis Reip. arbitramur conducere, in Ian. mensem protrudimus. Vince igitur, & uale.

ASCENSIVS. LEctis &c. Rursus deterret Furnium a petitione præturæ. Hortaturq́; eũ ut potius & prius ea pediat, quæ pro Repub. instituerat, ex eo enim dicit eum maiorem laudem assecuturum. Hortaturq́; ne domum te nondũ confecta redeas, cum non minus honorifice alias prætor fieri possit. Pollicetur autem se daturum operam ut comitia in Iannarium differantur. Ordo est. Literis tuis lectis. i. post quam lectæ sunt literæ tuæ, quibus declarabas aut Narbonenses. s. Gallos dimittendos, aut dimicandum: sup. esse cum periculo, ego magis timui illud. s. pugnari cum periculo, quod ego fero non moleste uitatum sup. esse. Ego pono uel. i. etiam maximam spem uictoriæ, in eo quod scribis de concordia Planci, & Bruti. nos cognoscemus. i. disquiremus aliquando de studio Gallorum, quos Furnius ad defectionem spectare scripserat, & ideo ab exercitu amouẽdos, cogooscemus inquã cuius opera id. i. studium Gallorũ in Ant. maxime excitatũ sit. Sed crede mihi, nos iam cognouimus, q. d. propter ambitionem tuã ab æmulo tuo ad hoc sunt inciati. Itaq́; stomachatus. i. indignatus, & ira commotus sum literis tuis iucundissimis, in extremo. i. calce earum, Scribis enim si comitia. s. sint differenda in Sextilem. s. mẽsem, hoc est qui nunc Augustus dicitur, te cito. s. affuturum, si comitia sup. sint iam confecta, te sup. rediturum citius, ne sis diutius fatuus cum periculo scilicet tuo, quia fatuus uidetur, qui neglecto proprio bono, communi inseruit, cum cõmune quodammodo propriũ sit. O mi Furni, quam. i. o quantum tu nosti causam tuam qui discas tam facile, alienas. s. causas, tu putas me nunc candidatum. i. candida ueste ad petitionem præturæ indutum. Et cogitas. i. solum id in animo habes. s. ut aut curras ad comitia, aut ut sis domi tuæ, si comitia sup. sint iam confecta s. Ironiæ apta noa, ne sis stultissimus, ut scribis cum maximo periculo, quia in bello periculosissimo. Ego nõ arbitror te sentire ita. Ego enim noui omnes impetus tuos ad laudẽ. Quod si sentis ita ut scribis, ego non magis reprehendo te, quam iudicium meum de te, quo. s. te bonum ciuem & prudentem uisũ existimo. Festinatio præpropera. i. ante tempus properata, adipiscendi magistratus leuissimi, & diuulgatissimi, si adipiscare. i. obtineas sup. eum ut plerique per importunas preces, aut per ambitum aliquẽ occultum, abducet te a tantis laudibus, quibus omnes ferunt te in cœlum iure, quia per ipsum præcipue Plancus in fide manserat. Scilicet, iterum indignare & ironicos loquẽtis uox, q. d. scio cur ita properes, quia. s. id agitur. i. in eo omnis uis iacet, utrũ fias prætor hac petitione. s. quæ nunc fiet, an proxima. i. in proximis comitiis, & nõ sup. id agitur, ut ita mereare de Repu. ut iudicere. i. iudiceris dignissimus omni honore. Vtrom nescis quam alte ascenderis? an putas. i. reputas, id pro nihilo? si nescis. s. quam alte ascenderis, ego ignosco tibi, nos sumus in culpa, quia tibi non significauimus. Si intelligis, est ulla prætura dulcior tibi, uel officio, quod pauci assequuntur uel gloria, quam omnes assequuntur. i. ab obtinendam sequuntur? q. d. certe nulla esse debet, quia melius est officium fecisse, aut gloriam meruisse sine prætura, quam præturam sine illis. Et ego & Caluisius homo magni iudicii & amantissimus tui, accusamus te quotidie de hac re. i. ob hanc rem, Nos tamen protrudimus aut protendimus comitia in mensem Ianuarium, quantum possumus facere, quod arbitramur conducere. i. utile esse Respu. multis de causis. i. ob multas causas, quod sup. dico aut facio, quando. i. quandoquidem, tu pendes, idest suspensus es ex his. s. comitiis. Igitur uince. s. & ambitionem tuam & hostes, & Vale.

SEBAS. CORR. AVt omittendos} Al. aut dimittendos. {Illud magis timui} dimicare cum periculo. {Cognouimus} sua opera excitatũ. {In extremo.} Al. in extremis. {Si ita adipiscare} ambitiose, & Reipu. incommodo. {Nos in culpa sumus} quid id tibi non significauimus. {Protendimus} Al. protrudimus.

BERN. RVTI. DE Gallorum studio nos aliquando cognoscemus } In nos remq́; publicam, potius quam (ut Clericus) in Antonium, quoniam subiicit: Itaq́; iucundissimis tuis literis stomachatus sum in extremo. quasi. s. Furnius id studium sua opera excitatũ honeste significaret, ideoq́; se creari prætorem postularet. Plancus supra: Prouinciam habeo, inquit, omnium ciuitatum consensu paratissimam, & summa contentione ad officia certantem. Et aliquanto post, pontesq́; quos feceram, interrupi, ut spacium & ad se colligendum homines haberent. {Vel gloria, quam omnes assequuntur, dulcior?} Sequuntur, rectius, gloriam enim omnes sequimur, pauci assequimur. Etsi Clericus uerborum uim non dubitat confundere.

PHIL. MELA. LEctis tuis} Narrationes. {Non arbitror} Mollis se pech eno. {Te adipiscendi} Ratio ab honesto.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Lepidum primo accusat, quod in ciuilit senatui pro datis honoribus gratias non egerit. Deinde suadet, ut ita pacem faciat inter senatum & Antonium, ne tandem in seruitutem Rempub. propellat.

M. T. C. M. LEPIDO. S. P. D. 27

QVòd mihi pro mea summa erga te beneuolentia, magnæ curæ est, ut quam amplißima dignitate sis, moleste tuli, te Senatui gratias nõ egisse, cũ eẽs ab eo ordine ornatus summus honoribus. Pacis inter ciueis conciliandæ te cupidum esse lætor; pacem eam si à seruitute seiungis, consules & Reipub. & dignitati tuæ: sin ista pax perditum hominem in possesßionem impotentißimi dominatus restitutura est, hoc animo scito esse omneis sanos, ut mortem seruituti anteponant. Itaque sapientius, meo quidem iudicio, facies, si te in istam pacificationem non interpones, quæ neque Senatui, neque populo, neque cuiquam bono probatur. sed hæc audies ex alijs, aut certior fies literis. tu pro tua prudẽtia, quid optimum factu sit, uidebis.

ASCENSIVS. QVod mihi &c. Lepido a senatu mandatum erat, ut Antonium oppugnaret. Ille uero corrupto animo & in Remp. male affecto se cum Antonio coniuncturum decreuit. Scripsit autem se uelle Romam uenire conciliãdæ pacis inter ciues gratia, quam nequam cum intellexisset Cice. acerbe accusat Lepidum ingratitudinis, & pacem laudat modo bona sit. Ordo est: Quod idest quia summæ curæ est mihi, ut sis quam amplissima dignitate, idest habeas amplissimam dignitatem, pro summa beneuolentia mea erga te, sup. ideo, tuli moleste, te non egisse senatui gratias, cum esses ornatus ab eo ordine. s. senatorio summis honoribus. Ego lætor te esse cupidum pacis conciliandæ, idest componendæ inter ciues, si tu seiungis, idest separas eã pacem a seruitute, hoc est si uis ut illi cum pace rempub. tractẽt, qui eam liberam esse uelint, tu consules, idest proderis & Reipu. & dignitati tuæ. Sin, idest sed si ista pax. s. quam conciliare uis, est restitutura hominem perditum. s. Antonium, in possessionem dominatus, idest tyrannidis, impotentissimi, idest superbissimi, scito omnes sanos hoc animo sup. esse, ut anteponant seruituti mortẽ. i. potius moriantur quam illi seruiant. itaq́; tu facies, meo quidẽ iudicio, sapientius, si non interpones te in istam pacificationem, quæ neq́; probatur, idest bona uidetur senatui, neq́; populo, neq́; cuiquã bono. Sed tu audies hæc ex aliis, aut fies certior, idest disces per literas. Tu uidebis, idest considerabis pro prudentia tua, idest secundum prudẽtiam tuam, quid sit optimum factu idest ut fiat.

SEBAS. CORR. ESses ab eo} Al. esses quotidie ab eo. {Ornatus} statua equestri inaurata in rostris inter alia donatus. {Pacis inter ciues} Epi sto. vi. huius libri. {Perditum hominem} M. Antonium.

BERN. RVT. TE Senatui gratias non egisse, cum esses ab eo ordine ornatus summis honoribus} Eius senatusconsulti quinta Philip. uerba hæc sunt: Cum a M. Lepido Imper. Max. Pont.

sæpenumero respu & bene & fœliciter gestis sis, populusq; Roma. intellexerit ei dominatum regiū maxime displicere, cūq; eius opera, uirtute, consilio, singulariq; clementia, & mansuetudine bellum acerbissimum ciuile sit restinctum, Sextusq; Pompeius Cn. F. Magnus huius ordinis authoritate ab armis discesserit, & a M. Lepid. Impe. Maxi. Pont. summa Senatus populiq; Ro. uoluntate ciuitati restitutus sis, Senatum populumq; Roma. pro maximis plurimisq; in rēp. M. Lepidi meritis, magnā spē in eius uirtute, authoritate, fœlicitate reponere ocii, pacis, concordiæ, libertatis, eiusq; in rēp. meritorum Senatum populumq; Romanum memorem fore, eiq; statuā equestrem inauratam in rostris, aut quo alio loco in foro uellet, ex huius ordinis sententia statui placere. Qui honos P C. mihi maximus uidetur primum, quia iustus est: nō enim solum datur propter spem temporum reliquorum, sed pro amplissimis meritis redditur. nec uero cuiquam possumus commemorare, hunc honorem a Senatu tributum iudicio Senatus soluto, & libero. Et xiii. de eodē: Itaq; ei & honores decreui, quos potui amplissimos, in quibus uos mihi estis assensi. nec unquam de illo, &c. Interpres uero nescio quid garrit imperite. s. de Imperio ei, contraq; Antonium bello destinato. Idem ad M. Brutum: At in Lepido reprehendimur, cui cum statuā in rostris statuissemus, iidem illam euertimus. Nos illum honore studuimus a furore reuocare. uicit amentia leuissimi hominis nostram prudentiam: nec tamen tantum in statuenda Lepidi statua factum est mali, quantum in euertenda boni. literas uero, quibus significatum senatui est a M. Lepido pacem inter ciues quæri. i. Antonio cū repub. non arbitror eas esse, quæ hoc libro paulopost leguntur, de quibus quid sentiam suo loco dicemus: sed eas potius: de quibus Cicero Philippica XIII. longissime, & ad Plancum: sed de pace literæ uel Lepidi, uel tuæ quam in partem acceptæ sint, ex uiro optimo fratre tuo, & C. Furnio poteris cognoscere.

PHIL. MELā.

Quod mihi} Narratiuncula. {Pacis inter} Concessio. {Pacem eam si} Reprehensio es pacis simulatæ incommodis. {Itaque sapientius} Epilogus cōstans breui adhortatione.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Nunciat Trebonio, quam forti animo sit pro defensione reipub. Oportet autem animaduertere principium ænigmaticū de epulis hoc est absumptione & Cæsaris morte.

M. T. CICERO C. TREBONIO S. D. 27

Quàm uellem ad illas pulcherrimas epulas me Idib. Mart. inuitasses: reliquiarū nihil haberemus. at nunc cum his tantum negocii est, ut uestrum illud diuinum in rempub. beneficium nonnullam habeat querelam. quòd uero à te uiro optimo seductus est, tuoq; beneficio adhuc uiuit hæc pestis, interdum, quod mihi uix fas est, tibi subirascor: mihi enim negocii plus reliquisti uni, quàm præter me omnibus: ut enim primum post Antonii fœdissimum discessum senatus haberi libere potuit, ad illum animum meum reuerti pristinum, quem tu cum ciue acerrimo, patre tuo in ore, & amore semper habuisti. nam cum senatum ad XIII. Calen. Ian. Tribuni pleb. uocauissent, deq; alia re referrent, totam Rempub. sum complexus, egiq; acerrime, senatūq; iam languentem, & defessum ad pristinam uirtutem consuetudinemq; reuocaui, magis animi, quàm ingenii uiribus. hic dies, meaq; contentio, atque actio spem primum popu. Roma. attulit libertatis recuperandæ: nec uero ipse postea tempus ullum intermisi, de Repub non cogitandi solum, sed etiam agendi. quòd nisi res urbanas, actaq; omnia ad te perferri arbitrarer, ipse perscriberem, quanquam eram maximis occupationibus impeditus: sed illa cognosces ex aliis, à me pauca, & ea summatim. Habemus fortem senatum: Consulareis partim timidos: partim male sentientes. magnū damnū iā factum est in Seruio. L. Cæsar optime sentit: sed quòd auunculus est: non acerrimas dicit sententias. Consules egregii: præclarus, D. Brutus: egregius, puer Cæsar. de quo spero equidem reliqua: hoc uero certum habeto: nisi ille ueteranos celeriter conscripsisset: legionesq; duæ de exercitu Antonii ad eius se authoritatem contulissent: atque is oppositus esset terror Antonio, nihil Antonium sceleris, nihil crudelitatis præteriturum fuisse. hæc tibi etsi audita esse arbitrabar: uolui tamen notiora esse. plura scribam, si plus ocii habuero. Vale.

ASCENSIVS.

Quam uellem &c. Cum uideret Cice. quantum Antonius uexaret rempub. post mortem Cæsaris, conqueritur de Trebonio qui eum detinuerat ante fores Senatus, donec Cæsar interficeretur, per hoc enim factum est quominus ille quoq; occideretur, & respub. mere liberaretur. quod factum uelit, scribitq; quam fortiter in Antonium in senatu dixerit, laudans bonos Ordo est. Quam. i. o quantum uellē sup. ut inuitasses me, Idibus Martiis quibus Cæsar a coniuratis discerptus est, ad illas pulcherrimas epulas. s. quibus Cæsarem absumpserunt coniurati. nos nihil haberemus reliquiarum, quia etiam Antonium delendum curasset. Satis autem crudeliter Cæsaris cædē epulis comparat. At. i. sed tantum. i. tam multum negocii est nunc cum his. s. reliquiis, ut illud diuinum beneficium uestrum in rempu. habeat nonnullam. i. quandam querelam. s. non consummationis. Quod uero. s. Antonius seductus est. i. ab oculis coniuratorum abductus: capitur enim in bonum, a te uiro optimo. i. de rep. optime sentiente, & quod hæc pestis uiuit adhuc beneficio tuo, ego subirascor tibi interdum. Quod uix est mihi fas. i. licitum & permissum. Tu enim reliquisti mihi plus negocii. i. curæ & laboris, quam omnibus præter me. Enim. i. quia, ut. i. postquā Senatus potuit haberi libere primum post discessum fœdissimum Anto. s. Marci: ego reuerti. i. iterum conuerti, pristinum animum meum ad illum. s. Senatum, quem. s. Senatum tu habuisti semper in ore & amore, cum patre tuo ciue acerrimo. i. maxime strenuo Nam cum trib. pleb. uocauissent Senatum ad xiii. Calen. Ianua. & si tribuni referrent. i. consulerent Senatum de alia re, ego sum complexus totam rempu & egi acerrime. s. pro rep. contra Antonium, & reuocaui Senatum iam languentem & defessum. i. extreme fessum, ad uirtutem & consuetudinem pristinam, magis uiribus animi. i. actionis, quam uiribus ingenii. Hic dies & contētio mea. s. in Antonium, attulit Popu Roma. spem libertatis recuperandæ Nec uero ipse. i. ego prætermisi postea. i. deinceps ullum tēpus, non solum cogitandi, sed etiam agendi s. in Senatu. de rep. i. de eius libertate tuenda. Quod nisi arbitrarer res urbanas & omnia acta. s. in Senatu & iudicio perferri. s. scripto ad te. ipse. i. egomet perscriberem. quanquam eram impeditus s. cum hæc scriberem, occupationibus maximis. Sed tu cognosces illa ex aliis, sup. cognosces pauca a me, aut ex me. Et ea sup. cognosces summatim. i. per summas, non per singulas particulas. Nos habemus Senatum fortem & habemus consulares. i. qui aliquando consules fuerunt, partim timidos, partim sentientes male, quia contra bonum publicum. Magnū damnum factum est in Seruio. i. Seruii morte, Lucius Cæ. sentit optime, sed quod. i. quia, ipse est auunculus. s. M. Ant. ipse non dicit sententias acerrimas. Consules sup. sunt egregii. s. Hirtius & Pansa, Decius Bru. sup. est præclarus, Cæsar. s. Octauius est puer egregius, de quo. s. Cæsa. equidem. i. ego quidem, spero reliqua: hoc est quod perseuerabit in amore reipu. qui tamen solum dominaturus est, sed clementer. Vero pro sed: habeto hoc certum, nisi ille. s. Cæsa. scripsisset celeriter ueteranos. s. milites, & nisi duæ legiones de exercitu Antonii contulissent se ad authoritatem eius, atq; is s. Cæsar esset, oppositus terror Anto. Antonium nihil sceleris & nihil crudelitatis fuisse præteriturum. i. prætermissurum. Ego etsi arbitrabar hæc esse audita tibi, tamen uolui esse notiora tibi. Ego scribam plura, si habuero plus ocii.

SEBAS. CORR.

C. Trebonio} Asiam consulari imperio obtinenti, qui paulo post Smyrnæ a Dolabella est interfectus. Huius episto. est xvi. lib. xii. {Epulas} Cæsaris cædem, cœnam uocat epist. iiii. lib. xii. {Nihil haberemus} quoniam Antonium interfecissemus, ut nos etiam primo constituistis, sed M. Brutus prohibuit. {Seductus est} Sic Philip. ii. Te Cæsaris interficiendi Narbonæ consilium cum C. Trebonio cepisse notissimum est: & ob eius consilii societatem, cum interficeretur Cæsar, tum te a Trebonio uidimus seuocari. {Fœdissimum discessum} ex urbe in Galliam Cisalpinā. {Deq; alia re referrent} de præsidio Cos. des. episto. VI. lib. XI. {Consulareis partim} Episto. V. lib. XII. {Auunculus est} M. Antonii. {Cos egregii} Hirtius & Pansa. {Conscripsisset} in Campania, Antonio Brundusium tunc profecto. {Legionesq; duæ} Martia & Quarta. {Contulissent} relicto M. Antonio, Brundusio reuertente.

PHIL. MELā.

Quam uellem} A uoto: Vtinam cum Cæsare Antonius quoq; esset interfectus. {Quod uero} Querela, contraria uoto. {Vt enim primum} Narratio, quæ egerit in Senatu post discessum Antonii pró Republica. {Habemus fortem} Alia narratio, quales uiros habeat respublica.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Approbas studium suum in Appio defendendo.

M. CICERO APPIO. S. D. 29

De meo studio erga salutem, & incolumitatem tuam, credo te cognoscere ex literis tuorum, quibus me cumulatissime satisfecisse certo scio. nec iis concedo, quanquam sunt singulari in te beneuolentia, ut te saluum malint, quàm ego. illi mihi necesse est, concedant, ut tibi plus, quàm ipsi, hoc tempore prodesse possim: quod quidem nec destiti facere, nec desistam, & iam in maxima re feci, & fundamenta ieci salutis tuæ. tu fac bono animo magnoq; sis, meq; tibi nulla re defuturum esse confidas. Pridie. Non. Quint. Vale.

ASCENSIVS. De meo &c. Ad eundem Appiũ uidetur scribere, ad quẽ scribit lib. I I I. agens de rebus prouinciæ, nunc autem de salute eius scribens, dicit se pro ea iecisse optima fundamenta, nec cessaturum deinceps Ordo est: Ego credo te cognoscere de studio meo erga salutem & incolumitatem tuam, ex literis tuorum, quibus ego scio certo me satisfecisse cumulatissime, idest abundantissime, nec concedo iis, idest eis. i. nõ fateor me ab eis uinci, quanquam sunt singulari beneuolentia in te, ut malint, idest magis uelint te supple esse saluum quam ego. Necesse est supple ut concedant, idest attribuant mihi illud. s. ut. i. quod possim prodesse tibi hoc tempore plus quam ipsi. Quod. s. tibi prodesse quidem, idest certe, ego nec destiti facere, nec desistam, & feci iam in maxima re, id est pro maxima parte, & ieci fundamenta, idest posui initia salutis tuæ, tracta metaphora a fundamentis ædificiorum, quæ quod in imo fiunt desuper iaci solent. Tu fac supple, ut sis animo bono & magno, & confidas me nulla re defuturum tibi. Pridie nonas Quintiles, idest quæ postea Iuliæ dictæ sunt.

SEBAS. CORR. Appio] Eũ æstimant docti eundem esse Appium, ad quem epistolæ lib. I I I. sunt scriptæ: a quibus cur in præsentia dissentiam nihil habeo. quin dies adscripta id magis uerum ostendit. siquidem hæc data est epistola pri. Non. Quint. Cicero uero ad Non. Sex. ex prouincia decessit. {Prodesse possim} ut Procos. in mea prouincia. Quid autem id esset, dictum est lib. I I I. Si quis tamen aliter sentiat, nõ aduersor, ne si uelit quidem eum esse, qui est in epistola. X X I I. lib. X I.

BERN. RVT. M. T. C. Appio S. P. D.] Vide, ne sit alius ab illo cõsulari, qui prouinciam Ciliciam ante Ciceronem proconsul obtinuerit, paterq; eius forte, de quo libro proximo ad D. Brutum Cicero: Cum Appio Claudio. C. F. summa mihi necessitudo est, multis eius officiis & meis mutuis constituta. Et infra: Magno tibi erit ornamento nobilissimum adolescentem beneficio tuo esse saluum. cuius quidem causa hoc melior debet esse, quod pietate adductus propter patris restitutionem, se cum Antonio coniunxit.

PHIL. MELA. De meo studio] Narratio de cura ac studio suo pro salutẽ Appii.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Narrat conflictum cum Antonio, uires recensendo, uictoriamq; speratam Ciceroni, bonisq; omnibus annunciat.

SER. GALBA M. CICERONI. S. 30

Decimoseptimo Calen. Maii, quo die Pansa in castris Hirtii erat futurus, cum quo ego eram (nam ei obuiam processeram milia passuum centum, quo maturius ueniret) Antonius legiones eduxit duas, secundam et quintam trigesimam, & cohorteis prætorias duas, unam suam, alteram Syllani, & euocatorum partem. ita obuiam uenit nobis, quòd nos quatuor legiones tyronum habere solum arbitrabatur. sed noctu, quo tutius uenire in castra possemus, legionem Martiam, cui ego præesse solebam, & duas cohorteis prætorias miserat Hirtius nobis. cum equites Antonii apparuißent, contineri neque legio Martia, neque cohortes prætoriæ potuerunt: quas sequi cœpimus coacti, quando eas retinere non poteramus. Antonius ad Forum Gallorum suas copias continebat: neque sciri uolebat se legiones habere: tantum equitatum, & leuem armaturam ostendebat. posteaquam uidit se inuito legionẽ ire Pansa, sequi se duas legiones iussit tyronum. posteaquam angustias paludis, & syluarum transiuimus, acies est instructa à nobis duodecim cohortium. nondum uenerant legiones duæ, cum repente Antonius in aciem suas copias de uico produxit, & sine mora concurrit. primo ita pugnatum est, ut acrius non posset ex utraque parte pugnari: sed dexterius cornu in quo ego eram cum Martiæ legionis cohortibus octo, impetu primo fugauerat legionem trigesimam quintam Antonii, ut amplius passus quingentos ultra aciem, quo loco steterat, processerit. Itaque, cum equites nostrum cornu circumire uellent, recipere me cœpi, & leuem armaturam opponere Maurorum equitibus, ne auersos nostros aggrederentur. interim uideo me esse inter Antonianos, Antoniumq; post me esse aliquantò. repente equum immisi ad eam legionem tyronum, quæ ueniebat ex castris, scuto reiecto. Antoniani me insequi: nostri pila conicere uelle. ita nescio quo fato sum seruatus, quòd cito sum à nostris cognitus. in ipsa Æmylia ubi cohors Cæsaris prætoria erat, diu pugnatum est. cornu sinisterius, quod erat infirmius, ubi Martiæ legionis duæ cohortes erant, & cohors prætoria, pedem referre cœperunt, quòd ab equitatu circumibantur, quo uel plurimum ualet Antonius. cum omnes se recepißent nostri ordines, recipere me nouißimus cœpi ad castra. Antonius tanquam uictor castra putauit se posse capere. quò cum uenit, complureis ibi amisit. nec egit quicquam. audita re Hirtius cum cohortibus uiginti ueteranis redeunti Antonio in sua castra occurrit, copiasq; omneis eius deleuit, fugauitq; eodem loco, ubi erat pugnatum ad Forum Gallorum. Antonius cum equitibus hora noctis quarta se in Castra sua ad Mutinam recepit. Hirtius in ea castra rediit, unde Pansa exierat, ubi duas legiones reliquerat, quæ ab Antonio erant oppugnatæ. sic partem maiorem suarum copiarum Antonius amisit ueteranarum: nec id tamen sine aliqua iactura cohortium prætoriarum nostrarum, & legionis Martiæ fieri potuit: Aquilæ duæ, signa sexaginta sunt relata Antonii, Res bene gesta est: Ad X I I. Calen. Maii, ex castris. Vale.*

*al. C C.

ASCENSIVS. Decimoseptimo &c. Galba unus fuit ex his qui in Cæsarem cõiurauerant, cui post eius mortem cum Antonius descisset a uoluntate Senatus, commissæ sunt quædã legiones aduersus eundem Anto. qui Mutinæ obsidebat Brutum. Narrat autem hac Epistola quemadmodũ eo die de quo Pansa & Hirtius consules erant futuri, in castris, Antonius eos aggressus sit, & quid in eo conflicto effectum. Ordo est: Antonius eduxit legiones duas. X V I I. Cal. Maii, hoc est in Aprili septendecim diebus ante primum diem Maii, quo die Pansa erat futurus in castris. &: supple etiam Hirtius, qui consules erant. cum quo. s. Pansa ego eram. Nam processeram ei obuiam. s. officii, & honoris gratia, centum millia passuum, quo, idest ut ipse ueniret maturius, idest citius, sed tamen in tempore opportuno. Antonius inquã eduxit legiones duas. s. secundam, & trigesimamquintam: & duas cohortes prætorias, unam. s. cohortem suam, alteram Syllani. i. cui præerat Syllanus: appositorie partem euocatorum. Ita quia bene instructus uenit obuiã nobis, idest quia arbitrabatur nos habere tantũ idest duntaxat quatuor legiones tyronum, idest nouitiorum militum. Sed Hirtius miserat nobis noctu, idest tempore nocturno quo, idest ideo ut possemus uenire tutius in castra, legionem Martiam quæ præstantissima habebatur, & duas cohortes prætorias quæ ueteranorum erant. Cum, idest postquam, equites Anto. apparuissent, neq; legio Martia neq; cohortes prætoriæ ab Hirtio missæ, potuerunt contineri. s. quin in hostes irruerent. Quas. s. legiones, nos coacti, ne eos turpiter deseramus, cœpimus, idest incepimus sequi. Docet quomodo coacti, quando, idest quandoquidem nos non poteramus retinere. s. sub signis & in statione sua eas. Antonius obtinebat copias suas ad Forum Gallorum, quod Galli in ea regione condiderant oppidulum dictum Celtarum forum seu uillam ab Appiano

eo quod Celtæ condiderans aut frequentare solebant, neq; uolebat sciri, idest ut sciretur. Est aute.n uerbum impersonale, se habere.i. quod ipse haberet legiones.i.exercitum pedestrem, quia osteodebas .s.nobis tantum.i. duotaxat aut solummodo, equitatum.i.exercitū equestrem, aut equitum seu equo mereotiom, & armaturam leuem .i.uelites, qui equitatum comitabantur, quia cum leuiter essent armati, cum equis fugere & inuadere poterant, ideo autem noluit sciri ut inciderem in iosidias. Posteaquam Pansa uidit legionem ire.i. proficisci io Antonium se inuito, iussit duas legiones tyronum sequi se. Posteaquam trāsiuimus aogustias paludis & syluarum, acies duodecim cohortium est instructa a nobis. Nam sup. duæ legiones, ut opinor, prætorianæ nondum uenerant, Antonius produxis de uico.s Fori Gallorum repente copi is suas in aciem & concurrit.s.nobiscum sioe mora.i.dilatione facta. Pognatum est primo.s.concursu ita ut non posset pognari ex utraq; parre acrius. Ersi.i.tametsi cornua, & dexterius.i.dexterum, in quo ego eram, inquit Cic. cum octo cohortibus legionis Martiæ, fugauerat trigesimam quotam legionem Antonii, ita supple ut processerit amplius centum passus ultra aciem, quo loco steterat.s.prius. Itaq; cum equites uellent circumire cornu nostrum quod persequendo hostem processerat longius, ego cœpi recipere me.i.retrocedere ad castra tanquam loca tutiora, & oppooere equitibus Maurorom armaturam leuem.i uelites leuiter armatos, ne aggrederentur aduersus nostros. Interim.i.inter id faciendum, uideo.i.agnosco me esse inter Antoniauos, & Aotonium esse aliquanto post me, ego immisi repente eqoum.s.meum ad eam legionem tyrooom, quæ ueniebat ex castris scuto reiecto.i.post tergum iacto, ne ferrer ab insequentibus Antonianis, sup cœperunt insequi me, aut Insequi pro iosequebaotur me. Nostri.s.milites uelle sop.cœperunt aut uelle pro uolebant, conicere.i.simul iacere in me pila.s.tela sua oblooga. Ita nescio quo fato sum seruatus, quia peritus tam a meis quam ab hostibus. sum autem seruatus, quod.i. quia sum cognitus cito a nostris. Pugnatum est diu in ipsa Aemylia .s.uia, ubi erat cohors prætoria Cæsaris.s.Octauii. Cornu sinisterius .i.qui erans in cornu sinistro capitur enim collectiue pro iis qui in cornu sunt: unde cœperunt dicere, quod.s.corno erat iofirmius.i.q erant infirmiores, ubi erant duæ cohortes legionis Martiæ, & cohors prætoria, cœperunt referre.i.retrocedere, quod.i.quia circumibantur.i.concludebantur ab equitatu quo Antonins oalet uel.i.ēt plurimum, cum omnes ordines nostri.i.milites in ordines dispositi recepissent se.s.in castra, ego nouissimus.i.ultimus cœpi recipere me ad castra. Anto. tanquam uictoe.s.esset, putaoit se posse capere castra. quo.i.ad quæ, cum.i.postquam uenit, amisit ibi complures, nec egit quidquam.i.nihil cepit. Hirtius aud.ta re occurrit cum uiginti cohortibus Anto. redeonti in sua castra, & deleuit omnes copias eius, fugauitq; ab eodem loco ubi erat pugnatum, sup. usq; ad Forum Gallorum. Ant. recepit se cum equitibus hora quarta noctis in castra sua ad.i.apud Mutinam. Hirtius redus in castra unde.i ex quibus Pansa exierat, ubi.s.Pāsa relliquerat duas legiones, quæ erās oppugnatæ ab Anto. Sic Antonius amisit maiorem partem copiarum suarum ueteranarum. Nec tamen id potuit fieri sine aliqua iactura.i.detrimento cohortum prætoriarum nostrarum, & legionis Martiæ. Duæ aquilæ.i.uexilla magna, sexaginta signa.s.minora uexilla Anto. sunt relata.s.ex conflictu. Res est gesta bene.i.fœliciter. Ad XII. Calen. Maii, sop. dedimus has ex castris.

VICTORIVS.

VT amplius passus centum ultra aciem, &c.} Nos passuū numerum in nullis manuscriptis inuenimus: notam igitur mēdi apposuimus, quæ significet numerum desiderari. {Gladiatoribus autem} Sic omnes uulgati, uno excepto, qui nuper Venetiis impressus est, Gladiatoris enim habet, proculdubio male. Nec eoim (ut putes) inoenies dici ludis gladiatoriis. (gladiatoribus) autem in usu erat.i.die illo quo munera gladiatorum dabantur: us Ludis etiam dicebatur, quo die ludi committebantur. Cice. ad Atticum multis locis hoc ostendit, maxime lib. II de Clodio loquens, Q oinetiam cum caodidatum deducerem, is qoærit ex me, num cōsuessem Siculis locum gladiatoribus dare. Idest eo die quo pugoarent gladiatores. In IX. etiam Philippica circa finem, Citeūq; eam statuam, locum Gladiatoribus, lud.sq; liberos, posterosq; eius, quaqua uersus pedes V. habere. Item pro P. Sestio: Etenim tribus locis significari maxime popu. Roma. iudicium, ac uoluntas potest, concione, comitiis, ludorum, gladiatorumq; consessu. Quod autē paulo post {Authorari se nolebat} legunt iidem, repudiantes receptam & eandem ueterem lectionē, quæ est {Authore sese nolebat} in hoc quoq; iudicium eorum non probo. ægre enim tulit Balbus, quod cū ante bis ille gratis pugnasset, postea authore sese noluit, ideoq; cum multis modis excruciatū necauit. Quod si dictio illa. {Deprêssus} mutanda sit, {Deprehensus} malim quam aliter: uetusti tamen codices uulgatam lectionem retinens.

Ex poste. eiusdem.

DEcimoseptimo Calen. Maii.} Mediceus codex in hoc loco Galba Ciceroni Sal. XVII. K. Maii.} In indice. {Galba Ciceroni Sal. ad XVII. K. Maii.} paruo omnino discrimine sed quod adnotari debuit. {Amplius passus ultra aciem} In Mediceo, & in aliis uetustis libris numerus defecit, alii reposuerunt quingentos, qui nullum locum lacerum uideri uolunt: nobis diuersum studium atq; illis esse, iam omnibus manifestum esse potuit: magnopere nos laboramus, nequid commentitium ac nouum in his epistolis legatur: illi non sine causa omnia integra uideri uolunt, quasi nō multis in locis, & apud Græcos, & apud Latinos aothores, & numeri, & notæ ponderum defecerint, melius autem nobiscum ageretur, si ut sunt, manci illi, & laceri, a typographis traderētur. In apophthegmatibus Plutarchi, quis non uidet, qui subtiliter illum locū animaduertit, notas defecisse, quæ pondus significarent: uerba sunt ex epistola Alexaodri magni ad Leonidam pædagogum, ἀπεστάλκαμέν σοι τάλαντα λιβανωτοῦ καὶ κασίας. hic enim prorsus pondus esse debebat. in ipsius uita idem aothor cum pondus ponere nollet, aliter locutus est, ἀπεστάλκαμέν σοι λίβανον ἄφθονον καὶ σμύρναν. misimus, inquit, tibi magnam uim & uberem copiam thuris, & myrrhæ. Sexcenta alia exempla huius erroris afferre possemus.

PAVL. MANV.

AMplius passus quingentos} Passuum numerum quem alii manuscriptis in libris se non uidisse dixerunt, competimus in codice perantiquo Vincentii Ricii, iuuenis optimis & literis, & moribus ornatissimi.

SEBAS. CORR.

SErgius Galba} Hic Cæsaris in Gallia fuit legatus, & postea In eum cum reliquis coniurauit. {Quo die Pansa} qui post habitum delectum Roma ueniebat, Hirtio multo ante profecto. {Millia passus} millia passuum, ex ueteribus libris, & Latina locutione leges. {Syllani} qui in Italiam sioe mandatis a Lepido missus, ad Antonium uenerat, arbitratus id esse Lepidi cōsilium. Sunt tamen libri ueteres io quibus scriptum sic est, S. illam euocatorum partem. Et sane, si Dioni credimus, hæc pugna ante facta est quam M Syllanus se cum Antonio coniungeret {Præesse solebam} Cæsaris (sic enim ego arbitror) legatus. {Duas cohortes} unam suam, alteram Cæsaris Octauii. {Forum Gallorum} cuius uestigia esse ea uolunt docti, quæ suot prope castrum Francum in Aemylia uia: a quibus nec Blondus dissentit. {Legionem ire} Martiam. {Duodecim cohort.} decem, quæ legionem faciebant, & duarum, quæ erant prætoriæ. {Legiones duæ} tyronum. {Concurrit} Al. cucurrit. {Et sic dexterius} Al. etsi dexterius. {Passus centum} Alii D. Alii CC. reponunt. io maouscriptis libris numerum non inuenimus. {Cohors prætoria} Hirtii.

PHIL. MELA.

DEcimoseptimo} Narratio de pugna, qua uictus est Antonius.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Excusat se cur minus scripserit, conqueriturq; de Balbo prætore suo, & quem animum habeat erga rempublicam, ostendit. Postremo consilium capiat a Cicerone, num in prouincia mansurus sit, an in Italiam se transferre debeat.

C. ASINIVS POLLIO M. T. CICE. S. P. D.

MInime mirum debet tibi uideri: nihil me scripsisse de Repu. posteaquam itum est ad arma: nam saltus Castulonensis, qui semper tenuit nostros tabellarios: etsi nunc frequentioribus latrociniis infestior factus est: tamen nequaquam tanta in mora est, quanta qui locis omnibus dispositi ab utraque parte, scrutantur tabellarios et retinent. Itaque nisi naui perlatæ literæ essent: omnino nescirem: quid istic fieret. nunc uero nactus occasionem: posteaquam nauigari cœptum est: cupidißime, & quàm creberrime potero: scribam ad te. Ne mouear eius sermonibus: quem tametsi nemo est qui uidere uelit: tamen nequaquam perinde ac dignus est, oderint homines: periculum non est: adeo est enim inuisus mihi: ut nihil non acerbum putem: quod commune cum illo sit. natura autem mea: & studia trahunt me ad pacis: & libertatis cupiditatem. itaque illud initium ciuilis belli sæpe defleui. cum uero non liceret mihi nullius partis esse: quia utrobique magnos inimicos habebam: in ea castra fugi: in quibus planè tutum me ab insidijs inimici sciebam non futurum. compulsus eò: quò minime uolebam: ne in extremis essem: planè pericula non dubitanter adij. Cæsarem uero: quòd me in tanta fortuna modo cognitum, uetustissimorum familiarium loco habuit: dilexi summa cum pietate & fide.

fide. quæ mea sententia gerere mihi licuit, ita feci, ut optimus quisque maxime probarit: quod iussus sum eo tempore, id ita feci, ut appareret inuito imperatum esse. cuius facti iniustißima inuidia erudire me potuit, quàm iucunda libertas, & quàm misera sub dominatione uita esset. ita, si id agitur ut rursus in potestate omnia unius sint: quicunque is est, ei me profiteor inimicum: nec periculum est ullum quod pro libertate aut refugiam aut deprecer. sed Consules neque S.C. neque literis suis præceperant mihi quid facerem: unas enim post Id. Mart. demum à Pansa literas accepi, in quibus hortatur me, ut Senatui scribam, me & exercitum in potestate eius futurum. quod, cum Lepidus concionaretur, atque omnibus scriberet, se consentire cum Antonio, maxime contrariũ fuit. Nam quibus commeatibus inuito illo per illius prouinciam legiones ducerem? aut si cætera transissem, num etiam alpeis poteram transuolare, quæ præsidio illius tenerentur? adde huc, quòd perferri literæ nulla conditione potuerunt: sexcentis enim locis excutiuntur, deinde etiam retinentur à Lepido tabellarij. Illud me Cordubæ pro concione dixisse nemo uocabit in dubium, prouinciam me nulli, nisi qui à Senatu missus uenisset, traditurum. nam de legione trigesima tradenda, quantas habuerim contentiones, quid ego scribam? qua tradita, quanto pro Republ. infirmior futurus fuerim, quis ignorat? hac enim legione noli acrius, aut pugnacius quicquam putare esse. quare me eum existima esse, qui primum pacis cupidißimus sim (omneis enim ciues planè studeo esse saluos) deinde qui & me, & Rempubl. uindicare in libertatem paratus sim. Quòd familiarem meum in tuorum numero habes, opinione tua mihi gratius est. inuideo illi tamen, quòd ambulat, & iocatur tecum. quæres quanti æstimẽ. si unquam licuerit uiuere in otio, experieris: nullum enim uestigium abs te discessurus sum. Illud uehementer admiror, non scripsisse te mihi, manendo in prouinciane, an ducendo exercitum in Italiam, Reipubli. magis satisfacere poßim. ego quidem, etsi mihi tutius, ac minus laboriosum est manere: tamen quia uideo tali tempore multo magis legionibus opus esse quàm prouinciis, quæ præsertim recuperari nullo negocio possunt, constitui, ut nunc est, cum exercitu proficisci. deinde ex literis, quas Pansæ misi, cognosces omnia: nam earum tibi exemplar misi. XVII. Calen. Apri. Cordubæ.

ASCENSIVS.

MIoime &c. Cum in tumultibus bellorum ciuilium post cædem Cæsaris, contra Antonium Asinius Pollio esset Cordubæ in Hispania, neq; quicquam a profectione sua Romam scripsisset, ne haberetur suspectus, quia fuerat Cæsarianus, hac epistola se excusat transferens culpam cessationis suæ in latrones, a quibus literæ intercipiebantur. Postquam uero cœptum est nauigari, dicit se quamprimum scripsisse. Scribit autem se cupidissimum pacis & Cæsaris partes necessitate secutum Dicit etiam se a Lepido ne in Italiam transiret prohibitum, nec cuiquam se traditurum prouinciam sine iussu Senatus, demum se cupere uehementer consuetudinem Ciceronis dicit. Ordo est: Minime mirum debet uideri tibi, me nihil scripsisse de republ. postea quam itum est ad arma, scilicet contra Antonium. Nam saltus Castulonensis: idest locus sylnosus, & etiam saltuosus in Hispania iuxta Castulonem oppidum, qui tenuit semper: idest omni tempore, tabellarins nostros, idest eos qui ferunt tabellas hoc est literas nostras, & si idest quanquam factus est nunc infestior, idest maiorẽ tum inferens frequentioribus iis, tamen ipse nequaquam est in tanta mora idest impedimento nostros remorandi, quanta supple sunt ii qui dispositi omnibus locis scrutantur ab utraq; parte aut factionis aut regionis tabellarios, & retinent. Itaq; nisi literæ essent perlatæ, naui idest nauigio, ego nescirem omnino quid fieret illic, scilicet Romæ ubi tu es. Nunc uero nactus occasionem, postea quam cœptum est nauigari, scribam ad te cupidissime. & quam: idest quã tum potero creberrime. Ne mouear sermonibus eius scilicet pessimi delatoris, uidelicet ut opinio est, Balbi quæstoris eius, quẽ tametsi nemo est qui uelit uidere, tamen homines non oderunt periode ac, idest tantum quantum dignus est, periculum non est: scilicet si eum oderint, aut si male de me loquatur. Ipse est mihi adeo inuisus, idest in odio habitus, ut nihil putem non acerbum quod sit commune cum illo. Autem, idest sed natura mea & studia mea, idest inclinationes naturales & exercitia mea trahunt me ad cupiditatem pacis & libertatis. Itaq; ego defleui sæpe illud initium belli ciuilis, scilicet inter Cæsarem, & Pompeium. Vero, idest sed, cum non liceret mihi esse nullius, idest neutrius partis, quia tales pro hostibus, Pompeianis indicabantur, sed hic affert aliam occasionem dicens quia habebam utrobiq; idest ab utraq; parte magnos inimicos, ego fugi in ea castra, scilicet Cæsaris in quibus sciebam me non futurum tutũ plane, idest omnino, ab insidiis inimici: scilicet a Pompeio stantis, compulsus eo quo nolebam minime, idest ad bella ciuilia gerenda, ne essem plane: idest omnino in extremis, idest deputaret cum abiectissimis, & pessimis militibus, adii non dubitanter pericula. Vero peo sed, ego dilexi cum summa pietate & fide Cæsarem, scilicet Iulium, quod idest quia, ipse habuit me cognitum, modo, idest paolo ante, in tota fortuna, loco, idest æstimatione familiarium scilicet suorum uetustissimorum. Ego feci ea quæ licuit mihi gerere sententia mea, idest ex arbitrio & iudicio proprio, ita ut optimus quisque probarit, idest laudarit maxime, ego feci id quod iussus sum supple facere eo tempore, ita ut appareret imperatum esse inuito. quasi dicat si quid hostile gessi, id coactus feci, & ita frigide feci, ut coactus uideret. Cuius facti inuidia iniustissima, quia quod potuit fecerat, potuit erudire, idest docere me, quam, idest quantum iucunda supple esset libertas, & quam, idest quantum misera uita esset sub dominatione, idest tyrannide. Ita pro itaq; idest & si, id agitur idest prætenditur, ut omnia sint rursus idest iterum in potestate unius, ego profiteor me inimicum ei quicunq; is est. Sciebat autem Antonium esse. Veruntamen postea sub Augusto rerum domino suauissime uixit. Nec ullum est periculum quod aut fugiam aut deprecer, idest precer ne sit mihi obeũdum, pro libertate, scilicet publica. Sed Cõsules, scilicet Pansa & Hirtius, neq; præceperant mihi quid facerẽ per senatusconsultum, idest mittendo ad me senatusconsultum, idest decretum Senatus, neq; literis suis. Ego enim accepi demũ post Idus Martias unas literas a Pansa scilicet Consule, in quibus hortatur me ut scribam Senatui, me & exercitum scilicet meum, futurũ in potestate eius. s. Senatus, quod. s. significasse me futurum in potestate Senatus. fuit maxime contrarium, idest nociuum, cum Lepidus concionaretur. i. uerba ad milites suos faceret, atq; scriberet omnibus se consentire cum Anto. Nam quibus commeatibus. i. ut dicatur uictualibus pro itinere necessariis ego ducerem. i. ducere possem legiones per prouinciam illius. s. Lepid. illo inuito q. d. nullis, aut si sup. Lepid. uitans transissem cætera. s. loca, num. i. nunquid poteram transuolare etiam alpeis quæ tenentur præsidio illius. s. Lepi. q. d. minime. Adde huc. i. ad hanc rationem, aut excusationẽ, quod literæ nulla conditione potuerunt perferri. i. literæ enim excutiuntur. i. inuestigantur & leguntur sexcentis. i. plurimis locis, deinde. i. insuper tabellarii retinentur etiam a Lepido. Nemo uocabit illud in dubium, nemo poterit asserere illud dubium me dixisse Cordubæ, quæ ciuitas est Hispaniæ Bæticæ, pro concione. i. ante omnes ad concionem concitatos, me traditurum nulli prouinciam, nisi qui uenisset missus a Senatu. s. Romano Nam quid. i. ad quid scribam quantas contentiones habuerim de legione trigesima tradenda. i. quod nolim cuiquam tradere? Qua. s. legione tradita. i. si fuisset alteri ut Lepido, aut Antonio tradita, quis ignorat quanto infirmior pro repub. fuissem futurus? q. d. nemo. Enim. i. quia o Cice. noli putare quicquam esse acrius, aut pugnacius. i. efficacius ad pugnam, hac. s. legione trigesima Quare existima. i. iudica me esse eũ, primum qui sim cupidissimus pacis. Ego enim studeo. i. studiose cupio, omnes ciues esse saluos, Deinde sup. eum, qui sim paratus uindicare. i. asserere, & me & rempu. in libertatem. Quod habes familiarem meum, opinor de Appio loqui, in numero tuorum, est mihi gratius opinione tua. i. quam opinaris. Inuideo tamen illi quod ambulat & iocatur tecum, hoc est uelim id mihi contingere. Quod. s. tecum ambulare & iocari quanti æstimem. i. appretiandum iudicem, tu experieris si licuerit sup. nobis uiuere unquam in ocio. Ego enim nullum uestigium discessurus sum a te. Ego admiror uehementer illud te non scripsisse mihi, utrum sup ego possum magis satisfacere reipub manendo in prouincia, hoc est in Hispania, an ducẽdo exercitum in Italiam Ego quidem, etsi. i. quanquam tutius ac minus laboriosum est mihi manere. s in prouincia, tamen quia uideo multo magis opus esse. s. reipub. tali tempore. s. quo disceptatur pro libertate, legionibus. s. quibus defendatur respub. quam prouinciis quibus augeatur, præsertim sup. illis prouinciis, quæ possunt recuperari nullo negocio: constitui ut nunc est. i. ut res se nunc habent, proficisci. i. discedere hinc in Italiam cum exercitu. Deinde, idest insuper, tu cognosces ea. s. quæ decreuerim facere, ex literis quas misi Pansæ. s. Consuli, a quo literas acceperat. Sunt qui legant quas Pansa mihi, sed non procedit: nouit enim quæ Pansa scripserat etiam prius Cicero. Nam misi tibi exemplar. i. diploma, aut duplum earum. Datum sup. aut scriptum Cordubæ. XVII. Calen. Aprilis.

VICTORIVS.

QVæ res quanti æstimem} Culpa librariorum primæ uoces disiunctæ in nostris sunt, quod nisi, quæres, legi debere uidissem, nũquã receptã lectionẽ, quæ cõmodũ habet sensum, reiecissem, ut hãc nõ bene sibi hærẽtẽ reponerẽ. Eadẽ lo-

eutio est in episto. ad Catonem, Q uæres fortasse quid sit quod ego hoc, nescio quid gratulationis, & honoris, a Senatu tanti æstimem.

PAVL. MANV.

Q Vantas habuerim contentiones} Antea conciones. nos, cõtentiones, emendauimus ex uetusto codice Pauli Boti, & ex epistola sequenti. in qua idem Pollio ita scribit: Nec uero minus Lepidus ursit me & suis, & Antonii literis, ut legionem trigesimam mitterem sibi. {Q uæ res quanti æstimem, si unquam licuerit uiuere in otio, experieris} Ita legunt Florentini, omnino cum uetustis codicibus: sed locutio est inconsequens, & parũ Latina: quam restituere non difficile est: nam si duæ illæ syllabæ, quæ res, iungantur, & locus aliter interpungatur: nihil erit, quod reprehendas. sic igitur in nostro libro imprimi uoluimus. quæres, quãti æstimem. si unquam licuerit uiuere in otio, experieris.

SEBAS. CORR.

C Asinius Pollio} Hispaniæ a Iulio Cæsare adhuc uiuo præfectus {Itum est} Post Cæsaris mortem. {Castulonensis} * Plyn. lib. III. cap. III. & Cæsar lib. I. de bello ciuili. {Ne moueat.} Al. ne moueare. {Eius sermonibus} Balbi Q uæstoris, si moueare: Antonii, uel Lepidi, si moueat legas. {Ciuilis belli} inter Cæsarem & Pompeium. {Ea castra} Pompeii. {Insidiis inimici.} Fortasse Catonis, quem altero & uicesimo ætatis suæ anno accusauit. {Compulsus eo} In Cæsaris castra. {Sed Coss.} Hirtius & Pansa. {Post Idib. Marti.} post Cæsaris mortem. {Contrarium fuit} scribere me, & exercitum in Senatus potestate futurum, ut uolebat Pansa. sed potius tegendum fuit consilium, ut Antonium & Lepidum fallerem. {Per illius prouinciam} Narbonensem, in qua tunc erat Lepidus. {Teneremtur} Al. tenentur. {Trigesima tradenda} Sequẽti episto. {Conciones} Q uidam legunt, contentiones. {Familiarem meum} Cornelium Gallum. {Q uod quanti} Al. res quanti. {Pansa mihi misit} Al. Pansæ misi.

BERN. RVTI.

D Einde ea literis, quas Pansa mihi misit, cognosces omnia, nam earum tibi exemplar misi} Videtur habuisse Clericus, Q uas Pansæ Cos. misi. idq; omnino ad cætera congruentius, si modo codices antiqui adiuuent: nã & ad Coss. scripsisse mense Aprili, infra ait. Exemplum, quidem in aliis est, Itẽ ante. {Q uod cum omnibus Lepidus concionaretur} Non, ut Clericus, Pollionẽ exercitumq; eius in potestate Senatus futurum: sed quod sublicie... se Lepidum consentire cum Antonio. {Q uod familiarem meum tuorum numero habes} Cornelium Gallum puto dici, de quo in sequentibus literis; Gallum Cornelium familiarem meum poscito.

PHIL. MELA.

M Inime tibi mirum} Egregia epistola est, & plane Attica. Excusatio silentii. {Adeo est inuisus} Propositio: Non coniungam me cum Antonio. {Natura autem} Ratio a sua natura. {Q uum uero} A signis. {Ita si id agitur} Conclusio. {Vnus enim} ...tio. {Q uare ne} Conclusio repetita.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Conqueritur de Balbo flagitia eius recensens, & quo animo erga Senatum rempublicamq; sit: postremo quid apud exercitum agat, exponit.

C. ASINIVS POLLIO M. CICERONI S. 32

B Albus Quæs. magna numerata pecunia, magno pondere auri, maiore argenti coacto de publicis exactionibus, ne stipendio quidem militibus reddito, duxit se à Gadibus, & triduum tempestate retentus ad Calpen, Calen. Iun. traiecit sese in regnum Bogudis, planè bene peculiatus. his rumoribus utrum Gadeis referatur, an Romam (ad singulos enim nuncios turpissime consilia mutat) nondum scio. sed præter furta, & rapinas, & uirgis cæsos socios, hæc quoque fecit: ut ipse gloriari solet, eadem, quæ C. Cæsar: ludis, quos Gadibus fecit, Herenniũ Gallum histrionem summo ludorum die, annulo aureo donatum, in quatuordecim sessum deduxit: tot enim fecerat ordines equestris loci. Quatuoruiratum sibi prorogauit: comitia biennij biduo habuit, hoc est renunciauit quos ei uisum est: exules reduxit, non horum temporum, sed illorum, quibus à seditiosis Senatus trucidatus, aut expulsus est Sex. Varo Procos. illa uero iam ne Cæsaris quidem exemplo, quòd ludis prætextam de suo itinere ad *L. Lentulum Procos. solicitandum posuit: & quidem, cum ageretur, fleuit, memoria rerum gestarum commotus. gladiatoribus autem Fadium quendam militem Pompeianum, quia, cum depressus in ludum bis gratis depugnasset, authorare sese nolebat, & ad populum confugerat, primum Gallos equites immisit in populum (coniecti enim sunt lapides in eum cum arriperetur Fadius) deinde abstractum defodit in ludo, & uiuum combussit: cum quidem pransus, nudis pedibus, tunica soluta, manibus ad tergum reiectis inambularet, & illi misero quiritanti, Ciuis Roma. sum, responderet, Abi nunc, populi fidem implora. bestiis uero cиueis Romanos, etiam in his circulatorem quendam auctionum, notissimum hominem Hispali, quia deformis erat, obiecit. cum huiusmodi portento res mihi fuit. sed de illo plura coram. Nunc, quod præstat, quid me uelitis facere, constituite. treis legiones firmas habeo: quarum unam uigesimam octauam, cum ad se initio belli accersisset Antonius hac pollicitatione, quo die in castra uenisset, denarios quingenos singulis militibus daturum, in uictoria uero, eadem præmia, quæ suis legionibus: (quorum quis * ullum finem, aut modum futurum putauit?) incitatissimam retinui, ægre mehercule, nec retinuissem si uno loco habuissem, utpote cum singulæ quædam cohortes seditionem fecerint. reliquas quoque legiones non destitit literis, atque infinitis pollicitationibus incitare. nec uero minus Lepidus ursit me & suis, & Antonij literis, ut legionem trigesimam mitterem sibi. itaque quem exercitum neque uendere ullis præmiis uolui, nec eorum periculorum metu, quæ uictoribus illis portendebantur, diminuere, debetis existimare retentum, & conseruatum Reipub. esse, atque ita credere, quodcunque imperassetis, facturum fuisse, si, quod iussistis, feci: nam & prouinciam in otio, & exercitum in mea potestate tenui: finibus meæ prouinciæ nusquam excessi, militem non modo legionarium, sed ne auxiliarium quidem ullum quoquam misi, & si quos equites decedenteis nactus sum, supplicio affeci. quarum rerum fructum satis magnum Republi. salua tulisse me putabo. sed Respubli. si me satis nouisset, & maior pars Senatus, maiores ex me fructus tulisset. Epistolam, quam Balbo cum etiamnum in prouincia esset, scripsi, legendam tibi misi, etiam prætextam, si uoles legere, Gallum Cornelium familiarem meum poscito. VI. Id. Iun. Cordubæ. Vale.

*al. Lentulũ Cos.

*al. ullam fidem.

ASCENSIVS.

B Albus &c. Commemorat Pollio Balbi quæstoris sui fugam ex Hispania, & quasdam crudelitates, quas exercuit in quosdam. Deinde etiam ineptias eius in ludis quos iactabat se fecisse exemplo Cæsaris. postea uero exponit se totum arbitrio Senatus populiq; Roma. dicitq; se facturum quicquid ab his constitutum fuerit, ostenditq; quẽ exercitum habeat, & quemadmodum eum uia retinuerit propter pollicitationes quas ei M. Antonius fecerat. Et postremo declarat qua moderatione usus sit, & in retinendo exercitu, & in conseruanda prouincia, quæ omnia ad sui commendationem, & studii sui in rem publi. ostentationem facit. Ordo autem est. Balbus quæstor, idest receptor, accumulator pecuniæ publicæ in Hispania, duxit, idest proripuit se a Gadibus, idest ultima parte Hispaniarum, magna pecunia numerata, idest ut dicunt moneta supple coacta, idest coaceruata, & magno pondere auri, & maiore pondere argenti coacto de exactionibus publicis, idest quas publico nomine fecerat, ne quidem, idest non saltem stipendio: idest mercede militari reddito militibus, & ipse retentus tempestate: scilicet aduersa triduum: idest per tres dies ad Calpen. idest montem illum in finibus Hispaniæ, traiecit se Calen. Iun. in regnum Bogudis, idest in Mauritaniam, peculiatus, idest numatus, aut peculatus: idest deprædatus prouinciam plane: idest omnino, bene: idest multum. Ego nondum scio his rumoribus supple diuulgatis, utrum referatur Gadeis, an Romã: mutat enim turpissime, ut uir nullius fidei & constantiæ, consilia ad singulos nuncios: scilicet quos mittit diuersa nunciantes. Sed supple Balbus fecit præter furta & rapinas, & socios cæsos uirgis, quoque. i. etiam, hæc eadẽ quæ Caius Cæsar sup. factitauit, ut ipse solet gloriari. i. iactanter dicere. fecit (dico) ludos quos fecit Gadibus. Ipse deduxit Herenniũ Gallũ Histrionẽ, donatũ. i. pro dono auctum & decoratum annulo aureo, summo. i. ultimo die ludorum in decimum quartum sessum, idest. sedile, aut deduxit sessum, ut sederet in quatuordecim

quatuordecim: scilicet gradibus theatri. Enim: idest quia tot: idest xiiii. erant ordines: idest gradus loci equestris: idest in quibus habẽtes censum equestrem. i. quadragies mille sestertium solummodo sedebant, lege lata ab Othone. unde Iuuena. Sic libitum uano, qui nos distinxit Othoni. Reliqui autem in ea cauea sedebant. Ipse prorogauit sibi, quasi dicat propria authoritate, quatuoruiratum. i. magistratum quem quatuor uiri simul gerunt. Ipse habuit biduo i. spacio duorum dierum comitia biennii. i. duorum annorum, hoc est renunciauit. i. significauit saltem se habuisse comitia. ipse reduxit exules quos uisum est. i. placitum est ei reducere, non horum tẽporum. s. in quibus etiam boni uiri exulant, sed illorum. s. temporum, quibus Senatus. s. prouincialis est trucidatus aut expulsus a seditiosis, Sexto Varo proconsule. i. consulari potestate in Hispania fungẽte. Vero pro sed, ipse fecit illa. s. quæ sequuntur, ne quidem. i. nõ etiã exemplo. i. ad exemplum Cæsaris quod posuit, aut proposuit, ludis. s. factis prætextam. i. uestem illam nobilem, ad solicitandum Luciũ Lentulum proconsulem de itinere suo. i. proferret iter suum donec ludi essent peracti, aut posuit de itinere suo. i. qua iter esset facturus ad solicitandum. i. afficiendum forte inuidia Lucium. Et quidem. i. certe, ipse commotus memoria rerum gestarum. s. ab ipso Cæsare, fleuit cum ageretur. i. inter agendum. Autem. i. sed, posuit gladiatoribus. i. inter gladiatores quendam militem Pompeianum Fadium. s. nomine, quia cum ipse Fadius depressus. i. ui intrusus in ludum. i. in arenam depugnasset. i. ad finem usq; hoc est ad uictoriam pugnasset, bis gratis. i. sine mercede, nolebat. s. amplius pugnare auctore se. s. i. Balbo, & . s. Fadius confugerat ad populum, ut ab eo defenderetur ipse Balbus, immisit primum in populum Gallos equites. s. ad recipiendum Fadium, ideo autẽ immisit Gallos, enim. i. quia, lapides sunt coniecti. s. a populo in eum. s. Balbum, cum. i. quando, Fadius acciperetur. s. ab eo. Deinde ipse Balbus defodit. i. in terra, fodit. s. Fadium abstractum. s. per Gallos e populo, & combussit uiuum, in ludo. i. in publico spectaculo, quidem. i. certe, cum pransus, & ita potus ac ebrius inambularet. s. circa rogum, perinde ac sacrificium facturus nudis pedibus, quia saltem alterum nudum habebant sacrificantes, ut Aenei. iiii. de Elissa dicitur. Vnum exuta pedem uinclis in ueste recincta. i. soluta, nequid non solutum. i. non liberum uideretur in sacrificio, unde addit. Tunica su. i. habens tunicam solutã, & manibus reiectis ad tergum, ut. s. nullam hostiæ uim inferre putaretur, responderet illi misero. s. Fadio quiritanti. i. inuocanti quiritium nomen & opem clamanti ac dicenti, natus sum ciuis Romanus, responderet inquam, abi nunc implora fidem populi. s. ut te a dimicando defendant, qui non possunt ab igne defendere. Bestiis uero supple obiecit ciues Romanos, & obiecit in his. i. inter hos ciues Romanos. Hispali. i. in eo oppido Hispaniæ Bæticæ, quendam circulatorem. i. circunforaneum exercitatorem auctionum. i. uenditionum sub auctione hoc est Sectorem, aut auctionum. i. fabularum ridicularum, hominem notissimum, quia erat deformis, quæ causa erat quod notissimus esset, aut quod obiectus bestiis deuorandus ab eis. Cum &c. Ordo est: Res. i. commercium, fuit mihi, quia quæstorem eum sortitus erat, cum huiusmodi portento. i. mõstro hominis. Sed sup. dicam plura de illo coram, idest cum adero. Nunc quod præstat, idest de quo utilius est loqui, constituite quid uelitis me facere. Ego habeo tres legiones firmas. quarum unam, uidelicet uigesimam octauam cum Anto. accersisset. i. allexisset & uocasset ad se initio belli hac pollicitatione. s. se daturum singulis militibus quingentos denarios, supple eo die quo. s. legio illa uenisset in castra. Vero pro sed, pollicitus est se daturum in uictoria, eadem præmia quæ legionibus suis. Quorum. s. militum sic solicitatorum quis putauit ullam fidem aut modum, idest moderamen futurum? quasi dicat nemo. & tamen retinui, inquit, incitatissimam. s. legionem: idest maxime inclinatam ad præmia illa, hercule: idest per herculem, ægre. i. cũ difficultate, nec retinuissem si habuissem. i. omnes legiones uno in loco, utputa cum singulæ cohortes seiunctæ. s. ad cautelã ab aliis, fecerint quandam seditionem, sed non perfecerunt timentes alias in fide mansisse & in se immittendas, sed si simul fuissent, conspirare impune potuissent, quia Antonius non desistit incitare quoq;. i. etiam reliquas legiones literis atq; infinitis pollicitationibus. Nec uero minus. i. & æque Lepidus ursit. i. urgenter solicitauit me, literis & suis & Antonii, ut mitterem sibi legionem trigesimam, quæ firmissima erat. Itaq; uos debetis existimare exercitum, quem neq; uolui uendere ullis præmiis, nec diminuere metu eorum periculorum quæ portendebantur illis uictoribus. i. si forte fuerint uictores, esse seruatum. s. a me conseruatum Reipub. atq; ita sup. debetis credere sup. me fuisse facturum, quodcunq; imperassetis, si feci quod iussistis. Nam ego tenui & idest simul prouinciam in ocio scilicet pacis, & exercitum in potestate mea, nusquam excessi finibus prouinciæ meæ. Non modo, idest non solum supple non misi quoquam, idest ad quemuis locum militem legionarium, idest ad legionem pertinẽtem, qui sub sacramento legitime militabant, sed ne quidem, idest non saltem misi quoquam ullum auxiliarium, idest missum auxilio, & qui, cum eius auxilio opus non esset, alio mitti posse uidebatur. Sane negatio quæ est in particula, ne, debet utriq; particulæ seruire. & si nactus sum, idest deprehendi quos, idest aliquos milites, decederet scilicet de prouincia, ego affeci supple eos supplicio. Quarum rerum, idest quorum studiorum in rempub. ego putabo me tulisse, idest reputasse aut accepisse satis magnum fructum, idest utilitatem, republi. salua, idest si respubli. fuerit salua. Sed respub. si nouisset me, & maior pars Senatus nouisset supple me, idest animum meum, tulissent ea me maiores fructus. Ego misi tibi legendam epistolam quam scripsi Balbo, cũ esset etiam nunc, idest adhuc in prouincia. Si etiam uoles legere prætextam, idest comœdiam & fabulam agendam in prætexta, quia est de argumento Romano, præsertim hominis nobilis, utpote Balbi, hoc est de Balbi insulentia in Quæstura, poscito supple eam Cornelium Gallum familiarẽ meũ, qui Virgilio summe dilectus erat poeta insignis. Scriptum sup. Corduba: VI. Idus Iunias.

VICTORIUS.

COniecti enim lapides sunt in eum} Antiquiores nonnulli. {Collecti.} Quod tamen erratum puto librarii, communéq; lectionem potiorem esse iudico: nã & ad Atticũ lib. IIII. Q. Fratris domus primo fracta coniectu lapidum ex area mea. Nisi aliquis intelligere uelit multitudinem lapides collegisse, ut in illũ coniiceret, non tamen coniecisse. Vllum finem {Vllam} ueteres codices: est enim & poetis, & iis qui prosa oratione scripserunt, incerti generis hæc uox. Lucretius lib. II. Et latere ex utroq; superq;, infraq; per omne Nulla est finis. Cice. in principio statim libri ad Cassium in melioribus codicibus, Finem nullam facio, mihi crede Cassi, de te, & de Bruto nostro. i. de tota rep. cogitandi.

Ex poste. eiusdem.

VAro Proconf.} In Mediceo sunt hæc uerba, & in cunctis quos uidi manuscriptis: hoc autem adnotaui, quia nonnulli tradunt se uetustissimum codicem habere in quo non legantur C. R. natus sum} Ita in Mediceo hic locus scriptus est. Ingeniosus, & eruditus iuuenis Hieronymus Corrigiensis suspectum hunc locum, ut audio, habet, neque ut ego arbitror, sine causa. cum aliis in locis, in quibus Cicero induxit aliquos quiritantes, & hanc uocem edentes, {Natus} non ediderit. cum tamen in nostris, ut omnes uidere iam possunt, non contemnendis, ut in impressis legatur. uidendum est an ideo se natum Fadius ciuem Roma. diceret, ut magis Galbam absterreret: quod maiore scelere, ei qui ciuis Roma. natus esset, manus afferretur, quam illi qui factus: nam plurimis, uariisq; de causis ciues Roma. fiebant, ut omnibus planum est. & in oratione pro L. Balbo diligentius de hac re disputatur: Domitius iam Col. Nouocomensem pulsauit, beneficio C. Cæsaris ciuem Roma. factum, ut ostenderet, quod a malo authore factus esset, illum ciuem Roma non esse, & in beneficiis Cæsaris nullam uim esse. {Denarios quingenos} Codex uetustus qui quingentos habet, mendosus est, & coniectura, quã nonnulli sequuntur, inanis: quamuis enim grandis illa pecunia sit, tamen non sine magna mercede legiones a Senatu defecissent, & imperatorem suum prodidissent. Quam aperte autem decepti sint, hic locus e libro XVI. ad Atticum ostendit, de Octauiano puero sermo est. Veteranos quiqui Casilini, & Calatiæ, perduxit ad suam sententiam, nec mirum, quingenos denarios dat.

PAVL. MANV.

DVxit se a Gadibus} Locutio quibusdam uidetur durior. quã tamen & Terentius in Hecyra usus est, Vxor (inquit) ubi me ad filiam ire sensit, se ducit foras. & Plautus in Aulularia cum diait, Ego me deorsum duco de arbore. {Sex Varo Procos.} Historia mihi quidem ignota, &, ut dicam, quod sentio, mendum subesse crediderim: nam etiam codicem habeo uetustissimũ, in quo hæc uerba non leguntur. {Ciuis Romanus sum} Cum mihi Hieronymus Ferrarius Corrigiensis hunc locum se habere suspectum dixisset: & ut ueteres codices inspiceremus, rogasset: collatis cum impressa lectione, manuscriptis libris, dictionem, natus, ita ut ipse existimauerat, abundare comperimus. quo factum est, ut eam de nostro capongere ne dubitarem. hanc autem coniecturam ea ratione Ferrarius faciebat, quod Ciceronem VIII. In Verrem libro ita l. cutum esse meminisset. Ceruices (inquit) in carcere frangebantur indignissime ciuium Romanorum, ut etiam illa uox, & illa imploratio, ciuis Romanus sum, quæ sæpe multis in ultimis terris opem inter barbaros, & salutem tulit, ea mortem illis acerbiorem, & suppliciũ maturius ferret. & infra eodem libro, Nulla uox audiebatur, nisi hæc, Ciuis Romanus sum. & item paulo post sæpissime, ut sibi quisq; legendo facile reperiet. {Denarios quingenos} Nimia uidetur summa itaque ex uetusto codice Vincentii Ricii, denarios quinquagenos, emendaui.

SEBAS. CORR.

BAlbus} Cornelius Balbus maior: nisi prorsus nos coniectura fallit. {Bogudis} Mauritaniæ Regis. {Rumoribus} de bello contra Antonium. {Quæ C. Cæsar.} Lege Tranquillũ. {Gadibus} quasi in patria. nam Balbus maior Gadibus natus fuerat. {Herennio} sicut Cæsar. D. Laberiũ. {Anulo aureo} equitis insigni. {Quartũ decimũ} Melius quatuordecim ex ueteribus libris, & loquendi more. {Prorogauit} sicut Cæsar dictaturã, & alios magistratus. {Biẽnii} sicut Cæsar cõsulareis duos annos in magistratu

Jeſſe uoluit.{Renunciauit}magiſtratus Gaditanos declarauit.{Exu es}ut Cæſar, qui omnet fere præter Milonem reſtituit. {Senatus} Gaditanus.{Sea.Varo Procoſ.} An is Accius Varus ſit,qui, quo tẽ pore Pompeii filii bellum inſtaurabant, circum caſtella, ut ſcripſit Oppius,in Hiſpania præfuit:uel Sea.Quintilius Varus,qui contra Curionem in Africa pugnauerat,uideant doctiores. {Prætextam} fabulam,in qua induceretur Lentulus prætextatus,quod Procoſ.eſ ſet.{De ſuo itinere}Cornelius Balbus minor,quum L.Lẽtulũ Coſ. in principio belli ciuilis conuenire in Italia non potuiſſet,ſequen ti anno ad Dyrrachium hoſtium caſtra clam ingreſſus, illum iam Procoſ.ut cum Cæſare ſentiret ſolicitauit.Si uero iter Italicum in telligas,Coſ.legat oportet.hac de re tota fabulam edidit. {Quum ageretur}illa fabula.{Gladiatoribus}quo die gladiatores ſunt cõ miſſi.{Pompeianum,quia}Al.Pompeianum abiecit,quia. {Depreſ ſus}Al.deprehenſus.{Aothorati}Al.authore,hoc eſt iubente ipſo Balbo,ut depugnaret.{Nolebat}depugnare: quum bis ante gratis depugnaſſet.{Conlecti}Al.collecti.{Auctionum}Al.Anthionum, ut ſit uiri nomen.{Præſtat}Al.reſtat.{Vllom finem}Al.illam finẽ. {Putauit}Al.putaret.{Vtpote}Al.reputa.{Quandam}Al.quædã.

BERN, RVTI.

LVdis quos Gadibus fecit}Balbus arbitror,non Cæſar,ſed Romæ Cæſar:ut ex Tranquillo apparet de Laberio Mimo, in quo imitatus eſt Balbus Cæſarem. {Comitia biennii biduo habuit,hoc eſt renunciauit,quos ei uiſum eſt exules,reduxit} Aliter diſtinguo:hoc eſt renunciauit,quos ei uiſum eſt, exules reduxit,&c.Eſt uero renunciauit,creauit magiſtratus,uel creatos potius declarauit.quod nec Clericus intelligit.Magiſtratus autem accipio,non Ro.ſed municipales Gadienſium:ſicut & Senatum,& exules quoq;.{Quod ludis prætextam de ſuo itinere ad L. Lentulum proconſulem ſolicitandum poſuit}Prætextam fabulam intelligo,ſicut togatam,palliatam,& reliquas,quibus ex habitu nomẽ.In quo pueriliter ab Interprete eſt ineptitum,ſubdit enim, Et quidẽ quum ageretur:quod fabularum eſt.Et ad finem,Etiam prætextam,ſi noles legere,ubi demum reſipuit Clericus,ita tamen,ut nihil hoc loco mutauerit.Sunt qui prætextas fuiſſe putent, quæ Latinum habuerint argumentum,quod & hic locus,& Horatius indicant:

> Nil intentatum noſtri liquere poetæ,
> Nec minimum meruere decus,ueſtigia Græca
> Auſi deſerere,& celebrare domeſtica facta,
> Vel qui Prætextas,uel qui docuere Togatas.

De.L Lentulo nihil aliud,ut nunc eſt,memini legiſſe me, quã qđ eſt apud Ciceronem Philippica tertia,ubi prouincias a multis derelictas ſcribit,quas eis dediſſet Antonius. Familiariſſimus eius(inquit de Antonio)L. Lentulus & P.Naſo,omni carens cupiditate, nullam ſe habere prouinciam,nullam Antonii ſortitionem fuiſſe iudicauerunt.de eodem enim hæc accipio.Gladiatoribus autem Fadium quendam militem Pompeianum,quia quum depreſſus in ludum bis gratis depugnaſſet,authore ſeſe nolebat,&c. Scribendum uel e gladiatoribus,uel gladiatoriis.& Authore ſeſe nolebat, ideſt inter gladiatorum paria nomen ſuum profiteri.{Quorum quis ullam fidem,aut modum futurum putauit}Non reiicio quidem ſcripturam.quid tamen ſi ullum finem malis? quod alioqui duæ illæ dictiones,Fidem modumq;,aduerſari inter ſe uidentur,ut coniungi nequeant.Vereor autem,ne hanc epiſtolam poſt ſuppoſitam Aſinius ſcripſerit:quod in ea quadrageſimo ſe die ait certiorem factũ de Mutinenſi prælio quod eſt ad XVII.Calend.Maii geſtum, ut ex Galbæ literis paulo ante uidere eſt.has uero uidemus ſexto Idus Iunias datas.Niſi uero,poſterius prælium ad Mutinam,multis poſt primum diebus certatum eſt,quod magis puto,itaque nihil muto. ideoq; & quod ſupra eſt. {His rumoribus.utrum Gades referatur, an Romã}Rumoribus accipe,non de M. Antonio ſuperato,quod ibi nondum erat auditum:ſed incertis.ſ.quibus nunc hos,modo illos uincere fama eſſet.

Ea poſte. eiuſdem.

QVod ludis prætextam de ſuo itinere ad L.Lentulum Procoſ.ſolicitandum poſuit}Id,opinor,ſignificat,quod Cicero ad Atticum exprimit his uerbis VI.Calen. ueſperi Balbus minor ad me uenit,occultauit occurrens ad Lentulũ Coſ iuſſu Cæſaris,cum literis,cum mandatis,cum promiſſione prouinciæ,Romam ut redeat,cui perſuaderi poſſe nõ arbitror,niſi erit conuentus.Et paulo poſt:Balbus minor hæc eadem mandata dat, iter autem eius erat ad Lentulum Coſ.cum literis Cæſaris,præmiorumq; promiſſis,ſi Romam reuertiſſet.Verum,quum habeo rationem dierum,ante puto tranſmiſſurum,quam potuerit conueniri.Et lib.IX.Roma ſcripſit Balbus,putare iam Lentulum Coſ.tranſmiſiſſe,nec eum a minore Balbo conuentum,quod is hoc iam Canuſii audiſſet.Vt Lentulum Coſ.legi etiam poſſit.

PHIL. MELá.

BAlbus Quæſtor.Narratio facinorum,quæ a Balbo Quæſtore ſunt perpetrata.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Scribit Ciceroni Pollio,ſe tardius accepiſſe nuncios de conflictu Mutinenſi,grauiterq; conqueritur de clade illata Reipub.per Coſſ.mortem, cui quam primum ſuccurrendum conſulit.

C. ASINIVS POLLIO M. T. C. S. D. P.

QVo tardius certior fierem de præliis apud Mutinam factis,Lepidus effecit, qui meos tabellarios nouem dies retinuit:tametſi,tantam calamitatem Reipub.quàm tardiſſime audire optandum eſt: ſed illis, qui prodeſſe nihil poſſunt,neque mederi. atque utinam eodem.S.C. quo Plancum, & Lepidum in Italiam accerſiſtis,me quoque iuſſiſſetis uenire. profectò non accepiſſet Reſpub.hoc uulnus.quo ſiqui lætantur in præſentia,quia uidentur & duces,& ueterani Cæſaris partium interiiſſe:tamen poſtmodum neceſſe eſt doleant,cum uaſtitatem Italiæ reſpexerint:nam & robur, & ſoboles militum interiit, ſiquidem, quæ nunciantur,ulla ex parte uera ſunt.neque ego non uidebam, quanto uſui Reipub.eſſem futurus,ſi ad Lepidum ueniſſem: omnem enim cunctationem eius diſcuſſiſſem: præſertim adiutore Planco.ſed ſcribenti ad me eiuſmodi literas,quas leges,& concionibus,uidelicet quas Narbonæ habuiſſe dicitur,ſimiles, palparer neceſſe erat:ſi uellem commeatum, per prouinciam eius iter faciens,habere.præterea uerebar,ne,ſi ante,quam ego incepta perficerem,prælium confectum eſſet, pium meum conſilium raperent in contrariam partem obtrectatores mei,propter amicitiam,quæ mihi cum Antonio,non maior tamen,*quam Planco fuit.itaque à Gadibus menſe Aprili binos tabellarios in duas naueis impoſui,& tibi,& Conſulibus, & Octauiano ſcripſi,ut me faceretis certiorem,quonam modo*plurimum poſſem prodeſſe Reipub.ſed,ut rationem ineo, quo die prælium Panſa commiſit, eodem à Gadibus naues profectæ ſunt:nulla enim poſt hyemem fuit ante eam diem nauigatio.& hercule longe remotus ab omni ſuſpicione futuri ciuilis tumultus,penitus in Luſitania legiones in hybernis collocaram.ita porrò feſtinauit uterq; confligere, tanquam nihil peius timerent,quàm ne ſine maximo Reipub.detrimento bellum componeretur.ſed ſi properandum fuit,nihil non ſummi ducis conſilio geſſiſſe Hirtium uideo:nam hæc mihi ſcribuntur ex Gallia Lepidi,& nunciantur:Panſæ exercitum conciſum eſſe: Panſam ex uulneribus mortuum:eodem prælio Martiam legionem interiiſſe, & L.Fabatum,& C.Peduceum,& D.Carſulenum:Hirtiano autem prælio & quartam legionem,& omneis*peræque Antonii cæſas item Hirtii quartam,cum caſtra quoque Antonij cepiſſet,à quinta legione conciſam eſſe:ibi Hirtium quoque periiſſe & Pontium Aquilam:dici etiam,Octauianum cecidiſſe:(quæ ſi,quod Dii prohibeant,uera ſunt,non mediocriter doleo) Antonium, turpiter Mutinæ obſeſſionem reliquiſſe,ſed habere equitatum, ac legiones ſub ſignis armatas treis,& P.Vagiem unam,inermeis bene multos:Ventidium quoque ſe cum legione ſeptima,octaua, nona coniunxiſſe:ſi nihil in Lepido ſpei ſit,deſcenſurum ad extrema, & non modo nationes,ſed etiam ſeruitia concitaturum.Parmam direptam:L.Antonium alpeis occupaſſe. quæ ſi uera ſunt, nemini noſtrum ceſſandum eſt:neque expectandum, quid decernat Senatus:res enim cogit huic tanto incendio ſuccurrere omneis, qui aut imperium,aut nomen denique Populi Roma. ſaluum eſſe uolunt: Brutum enim decem & ſeptem cohortes,& duas non frequenteis tyronũ legiones,quas conſcripſerat Antonius,habere audio.neq; tamen dubito,quin omnes,qui ſuperſint de Hirtij exercitu, confluãt ad eũ. nã in delectu nõ multũ ſpei puto eſſe:præſertim cũ nihil ſit periculoſius,ꝙ ſpaciũ cõfirmãdi ſeſe Antonio dari.anni aũt tẽpus libertatẽ maiorem mihi dat propterea,quia frumenta aut in

*al.quã cũ Plan.

*al.primum.

*al.per equites Anto.

agris, aut in uillis sunt. itaque proximis literis consilium meum expedietur: nam neque deesse, neque superesse Reipub. uolo. maxime tamen doleo, adeo & longo, & infesto itinere ad me ueniri, ut die quadragesimo post, aut ultra etiam, quæ facta sunt, omnia nuncientur. Vale.

ASCENSIVS.

QVo tardius &c. De Marco Antonio apud Mutinā ubi Bru. obsessum tenuerat, ab Octauio Cæsare & consulibus superato, interfectis tamen in prælio ipsis Cōsulib. Pollio se tardius intellexisse rem omnem dicis, propter Lepidum qui tabellarios ea Italia uenientes nouē dies retinuerat. Dicit autem quæ audierit de illo conflictu, ob quæ decreuisset ad Lepidum uenire, sed dicit se reuocatum a proposito, ne obtrectatores sui in aliam partem eius consilium acciperent. Ostendit autem acerbissima de Reip. calamitate ad se delata esse, quibus sentis succurrendum esse ab omnibus quibus facultas fuerit Ordo est: Lepidus effecit, quod .i. ut, fierem certior, idest cognoscerem tardius de præliis factis apud Mutinam, qui .s. Lepidus retinuit tabellarios meos .i. a me missos, nouem dies, tametsi: idest quanquā tamē optandum est audire tantam calamitatem Reipub. quam tardissime. Sed nequeo mederi illis, aut occisis, aut perditis hominibus, qui nullo modo possunt prodesse. Atq; utinam iussissetis me quoq; uenire in Italiam eodē senatusconsulto, quo accersistis: idest aduocastis Plancum & Lepidum in Italiam .s. ex Gallia. Profecto Respub. non accepisset hoc uulnus: idest hoc detrimentum, quia innuit se Antoniū, aut absterruisse, aut reconciliasse Reipu. si interfuisset, quo .s. uulnere: idest strage tot ciuium, si qui lætantur in præsentia: idest præsenti tempore. quia & duces & ueterani milites partium Cæsaris uidētur interisse, tamen necesse est supple ut doleant postmodum cum respexerint uastitatem: idest desolationem Italiæ. Nam & robur & soboles: idest propagatiua uirtus militum interiit, quidem .i. certe, si illa quæ nunciantur, sunt uera ea ulla parte, Neq; ego non uidebā: idest & ego bene cognoscebam quanto usui futurus essem Reipu. si uenissem ad Lepidum. Enim idest quia discussissem: idest amouissem omnem cunctationem: idest moram, aut dubitationem eius. præsertim Planco adiutore. Sed necesse erat supple, ut simularem Planco .s. me in illius sententiam concessurum, scribenti: idest cum Lepidus scriberet ad me eiusmodi literas quas leges, quia eas ad Ciceronem, aut missurus aut allaturus erat. & concionibus idest propter cōciones quas dicitur habuisse Narbonæ, si uellem habere commeatum, idest uiaticum cibum, faciens iter per prouinciam eius. Si hæc uera est lectio, illud, scribēti (meo iudicio) positū est absolute, sicut Aenei j dicitur. Talia iactans i. cum talia iactaret, nam si in datiuo cum uerbo simulatē posuens, dure poneretur uox, cōcionibus, nisi fuit concionibus utenti ubi est uidelicet. Sunt tamen qui legant nō simularem, sed similis parerem, ut sis necesse est parerem scribenti eiusmodi literas, quas leges & similes cōcionib. uidelicet quas, &c. Præterea: idest insuper uerebar, ne si prælium esset confectum ante quam ego perficerem incepta .i. pertraherem Lepidum in partes nostras, obtrectatores mei caperent consilium meum pium .s. in patriā, in partem contrariam, idest ad impietatem contra Rempu. propter amicitiam, quæ fuit mihi cum Antonio, non tamen maior quam cū Planco. Itaq; imposui mense Aprili binos tabellarios in duas naues idest in singulas duos, a Gadibus ultima parte Hispaniarum. Scripsi & tibi & consulibus, & Octauiano .s. Cæsari, qui raro alibi Octauianus, sed fere Octauius dicitur. Vir. Lusimus Octaui &c. ut faceretis me certiorem quonam modo possem prodesse plurimum Reip. Sed ut ineo rationem .i. ut coniectura consequor, naues profectæ sunt a Gadibus eodem die, quo die Pansa commisit prælium. Nulla enim nauigatio: idest facultas nauigandi fuit post hyemem ante eā diem idest id tempus. Et hercule, ego remotus longe ab omni suspicione tumultus ciuilis collocaram legiones in hybernis, idest locis tutis in quibus hyeme transigerent penitus: idest omnino intus, in Lusitania. Porro: idest uterque, scilicet tam Pansa quam Antonius festinauit confligere, idest pugnare ita, tanquam nihil timerent peius, idest grauius & tanquam magis malum, quam ne bellum componeretur: idest finiretur sine maximo detrimento Reipu. Sed si fuit properandum: idest necesse properare, ego nihil uideo Hirtium gessisse non consilio, idest quod non gessisset consilio summi ducis. Nā hæc scribuntur & nunciantur mihi ea Gallia Lepidi, idest Narbonensi, cui Lepidus præest. Exercitum Pansæ esse concisum: idest simul cæsum, Pansam esse mortuum ex uulneribus, Martiam legionem interisse eodem prælio, & Lucium Fabatum, & Caium Peduceum, & Decium Carsulenum, supple interiisse. Autem: idest sed & quartam legionem, & omnes supple legiones Antonii esse cæsas, peræque: idest consimiliter supple in prælio Hirtiano, idest quod Hirtius commisit. Item quartam supple legionem Hirtii, ergo superior Antonio erat, cum cepisset quoq; idest etiam castra Antonii, esse cōcisam: idest totam simul cæsam a quinta legione: scilicet Antonii Et supple scribitur mihi, Hirtium quoq; periisse ibi. & Pontiū Aquilam. dici etiam, quod tamen uerum non fuit, Octauianum etiā cecidisse ibi. Quæ si uera sunt, quod dii prohibeant, doleo non mediocriter. Et supple scribitur Antonium reliquisse turpiter obsessionem Mutinæ, sed habet equitatum & tres legiones armatas sub signis, & unam scilicet legionem Publii Vagieni, idest quam ille duxerat, & supple milites inermes, bene, idest, ualde multos. Ventidiū, quoque se coniunxisse, scilicet Antonio cum legione septima, octaua, nona. Et supple Antonium descensurum ad extrema, idest ultimam fortunam tentaturum, si nihil spei sit in Lepido, scilicet attrahendo. Parmam direptam supple esse, L. Antonium fratrem, scilicet Antonii occupasse alpes, ita ut Antonius per eas liberum habeat transitum. Quæ si sunt uera, nemini nostrum, scilicet qui Reipub. fauemus, est cessandum, nec expectandum est, quid Senatus decernat. Res enim cogit omnes qui uolunt, aut imperium, aut deinde nomen populi Romani esse saluum, succurrere: scilicet ad extinguendum, huic tanto incendio, idest tumultui bellico, quo, ut ædificia incendio, Respub. sit subito peritura. Enim: idest quia, ego audio Brutum habere decem & septē cohortes, & duas legiones, Tyronum: idest nouitiorum militum, non frequentes: idest non plenas, aut militum non semper præsentium, quas Antonius conscripserat: scilicet sibi, non Bruto. Neque tamen dubito quin omnes qui supersint de exercitu Hirtii, confluant ad eum, uidelicet Brutum. Nam non modo puto multum spei esse in delectu: idest conscriptione nouorum militum. præsertim cum nihil sit periculosius quam dare Antonio spacium confirmandi: idest corroborandi sese. Autem: idest sed tempus anni dat mihi maiorem libertatem, propterea, quod: idest quia frumenta, ut triticū, hordeum, auena, siligo, & similia sunt, aut in agris, scilicet matura & demessa, aut in uillis, idest domibus in agro positis. Itaque consilium meum expedietur: idest explicabitur proximis literis. Nam neque uolo deesse: idest quod dicunt, deficere Reipub. neque superesse, idest superstes esse illa cadente. Significat etiam (ut Gellius docet) superfluum esse, sed sic non uidetur hic accipiendum. Doleo tamen maxime, ueniri, idest quod uenitur ad me itinere adeo & longo & infesto, idest uim inferēte, quia ab latronibus obsesso, ut omnia nuncientur die quadragesimo. Scriptum reperi quadragesima, post aut etiam ultra, idest supra quadragesimum diem, quam facta sunt.

VICTORIVS.

SImularem plane necesse erat} Miror nullos hunc locum, ut mendosum animaduertisse, atque notasse. præter enim antiquam scripturam, quæ omnino diuersissima est. unde si ita legat, dictio illa, {Scribenti} pendet, quomodo autem altera {concionibus} regitur? utinam tam facile possemus locum suæ integritati restituere, quam facile possumus plurimis argumentis corruptum eum esse conuincere. Quanuis autem non confidamus locum nos plane illustraturos, non pœnitebit tamen, neque ingratum fortasse erit studiosis uiris, receptam lectionem inanem præsertim, & noue suppletam coarguisse, & damnasse: alii fortasse, quod nobis non licuit, præstabunt: aperta enim purgataq; plaga, facilius potest medicus artem suam explicare, & remedia adhibere. Non paruam huic claritatem adfert locus in prima Pollionis epistola, eandem rē tractans. quare qui eum cum hoc contulerit, non paruum habebit aditum ad huius loci restitutionem. est autem hic. Vnas enim post Id. Martias demum a Pansa literas accepi, in quibus hortatur me ut Senatui scribam, me & exercitum in potestate eius futurum. Quod cum Lepidus concionaretur, atque omnibus scriberet se consentire cum Antonio, contrarium fuit. Nam quibus comeatibus, &c. Purgat se quod non Pansæ literis paruerit, Senatuiq; scripserit: consilium enim eius non sapiens esse uult, Reip q; inutile, & maxime cōtrarium rationibus eius, qui se quæ polliceretur Senatui posse præstare, & ad exitum perducere uellet. cum enim Respub. suo exercitu in Italia indigeret, Lepidusq; cum Antonio consentiret, si ipse Pollio tam aperte senatui scripsisset se in eius fore potestate, authoritatemq; eius uelle defendere, non potuisset suas copias in Italiam per Lepidi prouinciam traiicere: nec enim commeatus suppeditasset Lepidus ei, qui contrariis partibus palam auxilio uenitet. Cum igitur quod Pansa suadebat, contrarium esse uelit, docet se recte reiisse consilium suum, bonaque mente semper Lepido ostendisse, se Antonii salutis rationem habiturum, ut Rempub. iuuare posset, & ut Lepidum falleret. His argumentis, & testimoniis ueterum codicum ductus, uulgatam lectionem improbaui & ejeci, ueteremq; quāuis inquinatam restitui. Quod autem postea mihi in mētem uenit, & tantopere mihi se ex omni parte probauit, ut nisi tam liber excussus esset, sic ut scriberent mandaturus fuerim, nunc ea ponam. Suspicor pro {Palmare} in quo tantum uerbo mendosi sunt prisci codices, {Palparet} legi debere, parua omnino licentia opus est, unius enim tantum literæ immutatione totus locus illustratur. Quod autem Palpare, & palpari indifferēter pro adulari & subblādiri φορτικῶς dicatur, planum est, & diligentissimis grammaticis animaduersum, & notatum, tertioq; casui {Scribenti} pulche respondet. Sic enim & Horatius lib. II. sermonum, Satyra prima de Cæsare Augusto loquens, hoc ipso uerbo utitur, Cui male si palpere, recalcitrat undiq; tutus. Et Plautus in Amphitryone, Obseruatore quam blande mulieri palpabitur. Nam quin {Similis} legendum sit, nullus (nisi fallor) reuocabit in dubium. Dicit autem literas simi-

leis,& consentientes concionibus,quas habebat,ut loco supra cita to inquit:cum Lepidus concionaretur,atque omnibus scriberet se consentire cum Anto.nec enim aliud Pollioni Lepidus scribebat, aliud in concionibus loquebatur,sed semper in eadem mente se esse ostendebat,sibi conuenire,societatemq; esse cum Antonio. Quo magis cum tam aperte id omnibus & scriberet,& loqueretur, dicit sibi opus fuisse Pollio,ut posset Reipub.opitulari, se a Lepido non alienum esse ostendere,sed illi subblandiri,& adulari,ut posset ad finem optimas suas cogitationes perducere.{Pontium Aquilā} Hic unus est ex interfectoribus Cæsaris:quem D.Brun legatū hoc prælio occidisse his uerbis narrat Dion historiarum Romanarum lib. X L V I. ἀτὰρ τοῦτ' ἐγένετο, καὶ πόντιος ἀκύλας ἔπεσε τῶν σφαγέων εἷς, καὶ τῷ δεκίμῳ ὑποστρατηγῶν, τί τῶν μεγάλων πλεῖστον ἀφ' ἱππολεμοῦντα αὐτῷ μάχαις ἐνίκησε,&c.pauloq; infra de decretis propter hanc uictoriā Romæ loquēs inquit.καὶ τὸν ἀκύλαν ἀποθανόντα, ἐν τῇ μάχῃ ἤδη ἐτίμησαν, τά τε χρήματα ἃ ἐς τὴν παρασκευὴν τῶν τοῦ δεκίμου στρατιωτῶν οἴκοθεν ἀνηλώκει, τοῖς κληρονόμοις αὐτοῦ ἀπέδωκαν.{Sed habere equitatum} Antiqua exemplaria { equitū} deest autem nota nomeri equitum:nam{Equitatum}omnino male in excusis legitur.recenset enim hic numerum copiarum: quem cū in nullo ueteri exemplari inuenerimus,notam quæ deesse significet,adposuimus.{Et pupilli Bagienni unam.Nos emendauimus P. Bagienni:& si ueteres etiam codices pupilli habent.Sed mirum est quam sint fœde corrupti omnes quos uidimus in his compendii notis:ut locus ille in I I.episto.ad Lentulū{Cui Lupus Tr.Pl. qđ ipse de Pompeio retulisset,&c.}in Mediceo etiam exteris probatiore,legatur,{Cui Lupus tyrannus Poblio Lentulo quod ipse, &c.} Et sic quotiescunq; imperitus ille,& audax quisquis fuerit,notas illas compendii interpretari uoluit:quemadmodum sæpe C. Consul interpretatur,ut eo loco ad Appium,Ego C. Pomptinum legatum meum Brundusii expectabam:habent enim antiqui,Ego Consul. Pomptioum & sic in Mediceo titulus epistolarum ad C.Curionem est,{Incipit eiusdem ad consulem ad Curionem}item in ultima epistolo.eiusdem libri C.Cælio scripta,locus ille.Quod item C. Virgini propinquus tuus &c.sic in eodem legitur,Quod item Consul Virginius,&c.Quod tamen mendum turpiter omnes fere uulgatos eo dices occupauerat.quis enim ea tempestate Consul hoc nomine extitit?Sed quantum ad Pupillum,alibi etiam in eo codice pro P.Pupillus deprauate legitor,ut in epistola qua commendat Bruto L.Titium Strabonem his uerbis Huic in tua prouincia pecuniam debet Pupillus Cornelius,cum tamē uulgati omnes eo loco P. Cornelius habeant:quare nos tuto usi sumus receptum licet errorem reiicere,& aspernari.Rem autem pluribus uerbis explicauimus,ut intelligant studiosi,unde hæc in prænominibus errata,quæ sæpe mirifice lectorem perturbant,orta sint.

Ex poste. eiusdem.

HAbere equitum}Nihil addimus ad ea,quæ olim hoc in loco a nobis disputata sunt,præsertim cum nō multo ante de simili loco diligenter disseruerimus.

PAVL. MANV.

NOn maior tamen,quam Planco fuit}Hoc dicit, sane mecū iniquissime agatur,si propter amicitiam quæ mihi cū Antonio fuit,durius quicquam homines de me suspicentur:cum eundem Antonium non minus,quam ego,dilexerit Plancus,cui tamen exercitum credidistis,ut cum Antonio reliquisq; bonarū partium inimicis bellum gerat:scripsit autem hoc cum indignatione quadam,grauiter ferens inimicum suum melius erga Remp. animatum existimari.inimicitias autem inter Asinium,& Plancum fuisse,cum alii,tum Plynius in præfatione librorum suorum ad Vespasianum ostendit.{Habere equitum}Sic omnes libri manuscripti.forte legendum sit,habere equitatum,ut subaudiatur,quem antea habuerat.equitem enim pugna nullum amiserat Antonius. nam etiā epistola huius libri ultima,Equitatum,scribit Lepidus,habet beoe magnum:nam omnis ex prælio integer discessit,sepe autē,a librariis in scribendo syllabam fuisse omissam,animaduertimus. {P.Vagieni}Hanc lectionem in calce operis olim adnotaueram,e coniectura tantum,uetustis libris nihil adiuuantibus, postea in antiquo exemplari,quod Bernardinus Maffeus habet,eam inueni.

SEBAS. CORR.

SEd illis quidem prodesse nihil possum,neq; mederi } Al.sed illis, qui prodesse nihil possunt,nequeo mederi.{Postmodū} Al. Postea.{Narbonæ}Legitur &,Narbone:nā Narbo Martius dicitur {Simularem plane}Recte meo iudicio Victorius legit simileis,palparet:cum in ueteribus libris omnibus legatur, palmaret.{Pansa commisit}Episto.X X X.huius libri.{D.Carsuleiū } qui cohortem prætoriam Cæsaris Octauii & Martiam legionē ad Pansam uenientem deduxerat.{Hirtiano}Al Hiccino.{Pontium Aquilam}D.Bruti legatum,cui postea Senatus statuam decreuit . {Equitatum,ac legiones}Al.equitum legiones: ut equites per legiones numeret.& sane unam tantum legionem habuisse peditum, testis est Lepidus episto.sequenti.{Pupilli Bagienni}Aliis placet legere, P. Bagienni.{Parmam direptam}a L.Aotonio.

PHIL. MELI.

QVo tardius}Excusatio.{Tametsi} πάθος.{Atq; utinā}Narratio.{Quæ si uera}consilium,ut totis uiribus sine cunctatione resistat Antonio : in qua te pollicetur Reipub.suam operam.

Lib.I.cap.X X I I.

AVL. GELL.

NAm neq; deesse Reipublicæ uolo,neq; superesse}Superesse pro superstitem esse dixit.Significat enim,si Respub. emoriatur & pereat,nolle se uiuere.Sic Plaut.in Asinaria,Sicut tuum uis unicum gnatum tuæ superesse uitæ sospitem & superstitē.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Purgatoria est epistola,se pepercisse Antonio,non illius gratia.sed ne in suos,& ciues Romanos sæuiret.

M. LEPIDVS IMP. ITERVM, PONT. MAX. M. T. CICERONI. S. P. D. 35

SI uales,bene est:ego quoque ualeo. Cum audissem Antonium cum suis copijs,præmisso L. Antonio cum parte equitatus, in prouinciam meam uenire.cum exercitu meo à confluente Rhodano castra moui, ac contra eos uenire institui. itaque continuis itineribus ad Forū Vocontium ueni, & ultra , castra ad flumen Argenteum contra Antonios feci.P.Ventidius suas legiones treis coniunxit cum eo,& ultra me castra posuit. habebat antea legionem secundam,& ex reliquis legionibus magnam multitudinem,sed inermium.equitatum habet magnum:nam omnis ex prælio integer discessit, ita ut sint amplius equitum X X X. millia.itaque ad me complures milites, & equites ab eo transierunt:& in dies singulos eius copiæ minuuntur.Syllanus,& Culleo ab eo discesserunt.nos & si grauiter ab his læsi eramus, quòd contra nostram uoluntatem ad Antonium ierant : tamen nostræ humanitatis,& necessitudinis causa,eorum salutis rationem habuimus.nec tamen eorum opera utimur,neque in castris habemus, neque ulli negocio præfecimus.quod ad bellum hoc attinet, nec Senatui,nec Reipub.deerimus,quæ postea egerimus,faciam te certiorem.Etsi omni tempore summa studia,officiaq; mutuo inter nos certatim constiterunt pro nostra inter nos familiaritate, et proinde diligenter ab utroque conseruata sunt:tamen non dubito, in tanto,& tam repentino motu Reipub quin nonnulla de me falsis rumoribus à meis obtrectatoribus me indigna ad te delata sint, quæ tuum animum magnopere mouerent pro tuo amore in Rempubli.ca te moderatè accepisse,neque temere credendum iudicasse,à meis procuratoribus certior sum factus:quæ mihi, ut debent, gratißima sunt.memini autem & illa superiora,quæ abs tua uoluntate profecta sunt,ad meam dignitatem augendam, & ornandam,quæ perpetuò animo meo fixa manebunt . abs te mi Cicero magnopere peto,si meam uitam,& studium diligentißimè superioribus temporibus in Repu.administranda , quæ Lepido digna sunt,perspecta habes,ut paria,aut eo ampliora reliquo tempore expectes,& proinde tua authoritate me tuendum existimes, quo tibi plura tuo merito debeo. Vale. X I I.Calen.Iun.ex castris ex Ponte Argenteo.

ASCENSIVS.

SI uales &c. Excusat hac epistola quod Antonium nō potuisset,non contriuerit in Gallia,ad quam post cladē Mutinensem fugerat.adducit autem pro excusatione se coactum ab exercitu consulere saluti tot bonorum ciuium,petitq; ne putetur coniunctus cum Antonianis, aut pacificatus scelere,aut perfidia,cum id misericordia fecerit. Ordo est:Si uales bene est.i.bene se res habet,q.d.gaudeo,ego quoque ualeo.hic est uulgaris modus salutandi,quo utebantur fere quorum amicitia

amicitia suspecta erat. Post salutationē autē incipit narrare eē quam purgaturus est, dicens. Cum audissem Antonium. s. Marcum uenire cum suis copiis. i. exercitu armato, L. Antonio. s. fratre eius præmisso cum parte equitatus, ut. s. iter exploraret, & quodammodo uiam muniret, uenire inquam in prouinciam meam: hoc est in Galliam, ego moui castra cum exercitu meo a Rhodano confluente. i. simul cum Arari ad eum locum ubi nunc Lugdunum est, confluentē faciente. Confluens enim est quo duo flumina conueniunt. illis autē tēporibus dicitur Plancus iecisse fundamenta urbis Lugduni, sed in colle, quæ centum annis postea (ut author est Seneca) penitus incendio periit, nunc autē inter flumina duo & in ripis utriusq; instaurata est, ac institui. i. proposui uenire contra eos. s. Antonios & Antonianos. Itaq; ueni continuis itineribus ad forum Vocontium quod circa alpes est, & feci castra. i. castrametatus sum ultra. i. paulo ulterius ad flumen Argenteum. s. nomine, cōtra Antonianos. Publius Ventidius coniunxit tres legiones suas cum eo. s. Anto. & posuit castra ultra me. i. adhuc ulterius quam ego. Supple Anto. habebat antea. i. ante aduentum Ventidii legionē secundam, numero. n. signabantur legiones, ut iam uidere fuit, nam alia dicebatur prima, alia secunda &c. alia etiam trigesima, interdum etiā uirtute ut Martia legio, & nonnullæ dignitate, ut legiones prætorianæ, quæ ad Prætoris, hoc est Imperatoris custodiam erant addictæ, & sup. Antonius habebat magnam multitudinem, ex reliquis legionibus, sed sup. habebat multitudinē inermium. i. non armatorum, & sup. habebat equitatum magnum, quod tamē Plancus aliter scripsit, uerum Lepidus Antonii uires ostentare uidetur, ut uideatur consuluisse saluti suorum, & ut indicet suos forte terrore ad misericordiā motos. Nam omnis. s. equitatus Antonii, discessit ex prælio. s. ad Mutinam commisso, integer, idest nō diminutus nec mutilatus, ita ut sint amplius supple quā triginta millia. Nota grammaticus, plus amplius, & similia aduerbia, non semper regere rē excessam in ablatiuo eo q uidetur subaudiri particula, quam, ut si dicas, plus decem millia desiderata sunt. Itaq; complures milites. s. pedestres, cū tamē sint qui pro decurione aut equite aurato militē dicant. Recte ergo Valla dicit militē potius peditē significare, & equites transierunt ab eo ad me, & eius copiæ minuuntur in dies singulos, quia Syllanus & Culleo discesserunt ab eo. Nos etsi, idest quanquam eramus læsi, idest offensi, grauiter ab his. s. Syllano & Culleone aut etiam aliis, quod ierant ad Antonium contra nostram uoluntatem, tamen habuimus rationem, idest pium respectum salutis eorum, causa nostræ humanitatis & necessitudinis. s. quam habuimus cum eis. Verus tamē ex his quæ secuta sunt, dicere potuit, ideo recepisse ut animos cæterorum militum ad Antonii partes alliceret, quod ne quis suspicetur, addit. Nec tamen utimur opera eorum. s. qui transierunt ad nos: neque habemus supple eos in castris, neq; præfecimus supple eos ulli negocio. quod attinet ad hoc bellum, nec deerimus Senatui, nec Reipub. idest utriq; semper auxilio erimus. ego faciam te certiorem supple eorum quæ egerimus postea. Hactenus narrauit, deinceps, dolose factum suum purgat, dicens. Et si summa studia, supple & officia mutua constitere, idest apparuerunt inter nos certatim, omni tempore pro nostra familiaritate inter nos, & proinde, idest adeo ut sint similiter conseruata, diligenter ab utroq;. s. nostrum: tamen non dubito, quin in tanto, idest tam magno, & tam repentino modo Reipub. nonnulla de me indigna me, idest fide & integritate mea, sint delata ad te falsis rumoribus ab obtrectatoribus meis, quæ mouerent, idest possent uere perturbare animum tuum pro amore tuo, idest propter, aut iuxta uehementiam amoris tui in Rempublr. Ego factus sum certior, idest intellexi, aut accepi a procuratoribus meis te accepisse ea moderate, idest temperate, neq; idest & non, & iudicasse non credendum supple esse, temere, idest inconsiderate & leuiter, quæ. s. facta tua sunt mihi gratissima ut debent. Memini enim & illa superiora quæ profecta sunt a uoluntate tua ad augendā & ornandam dignitatem meam, quæ manebunt fixa perpetuo animo meo. O mi Cicc. ego peto magnopere abs te, si habes perspecta, idest cognita diligētissime quæ digna sunt Lepido. s. uitam meam & studium in administranda Rep. temporibus superioribus, ut sup. expectes pari aut ampliora, tempore reliquo, idest quod deinceps erit. Et proinde: idest pro tanto existimes metuendum: idest protegendum authoritate tua, quo: idest quanto, plura debeo merito tuo. Ex ponte Argenteo. i. qui est super Argenteum flu. extructus, &c.

VICTORIVS.

LEpidus Imper. item pont} Nos antiquam scripturam in Mediceo uia cōseruatam restituimus: erat enim etiam in illo prima litera eius dictionis {Iter} contaminata in omnibus his Lepidi titulis, sed rubrica tantum circunducta, ut prior lectio euidenter appareret. Petrarcha uero, siue quis alius, qui ab eo exemplari librum qui est in Diui Marci bibliotheca descripsit, maiorē quā debuit importunæ illi castigationi fidē habuit. {Ter} enim semper habet: nos uetustiorē illam recepimus, & synceram putamus (Iter) autem, ut in antiquis omnibus monumentis, pro (iterum) scriptum esse credimus: coniungitur autem cum priore dictione Imperator. Nam quoties fœlici aliquo prælio facto Imperatores ab exercitu appellati essent, toties in memoriis titulisq; notabant. Quod ex numismatibus, & lapidibus antiquis tam clarum & testatum est, ut nō necesse sit id magis confirmare, nam ad sequentem dignitatem nullomodo pertinent: non enim acceptum semel id sacerdotium aliquis nisi morte amittebat. Quod in Lepido hoc manifestum est: cū enim eum prouincia, exercitu, omniq; dignitate spoliasset Augustus, nunquam ausus est pontificatum ei eripere, quem illo mortuo sibi statim assumpsit. {Sed inermium} {Inermorum} habent omnes uetusti codices, ut etiam in Ciceronis epistola ad D. Brutum eo loco, Cum paucis, inermis, perterritis metu, fracto animo fugisse Antonium: etsi eo etiam loco uulgati codices {Inermibus} habeant cōtra, omnium ueterum fidem. {Vt sint amplius equitum triginta millia} in nullis manuscriptis paulo antiquioribus hunc numerum, aut alium equitum Antonii inuenire potui. Quapropter notam, quæ illum significaret, a librariis negligenter omissam, arbitratus sum: eam autem ego, quæ defectum indicaret, adposui, quam etiam Mediceus codex omnibus his locis quibus numerus desideratur, etsi non similem nostræ, suam tamen quandam, & semper eandē habet.

Ex poste. eiusdem.

IMp. iterum} Cur nonnulli hanc castigationē tantopere criminētur, non uideo: si castigatio appellari potest, & non potius antiqua, & syncera lectio, fideliter, in Mediceo codice quatuor locis conseruata, & nunc in suam sedem in omnibus libris restituta. quēadmodum enim hic ante epistolas ipsas bis. {Imp iter} legitur, ita etiam in indice libri bis, ubi & tituli, & initia epistolarum adnotantur. Cur igitur credendum est non negligentem omnino librarium in eadem uoce semper peccasse, & eodem etiam pacto peccasse? In quibusdam manuscriptis libris {Ter} legi, me nunquam latuit, quin explicaui unde istud ortum esset accurate. An alii hoc usurparint ante Rēpub. ab Augusto oppressam: ut quoties Imp. appellati sint, ob rem bene gestam, toties in titulis, monumentisq; id notari noluerint, mihi compertum non est. Vsurpasse Lepidum quanuis nullum aliud testimonium habeam, quam priscorum codicum, affirmarem; nam in S. C. quod de ipso factum est, & a Cicerone in oratione, V. contra Antonium positum, uidi antiquos libros, qui eundem hunc titulum seruarent. Quod si argumētis in huiuscemodi rebus locus est, quanuis a nullis antea hoc Imp. usurpatū esset, non mirarer Lepidum leuissimum, ac uentosissimum hominem, hoc primum usurpasse: ab aliquo enim hæc consuetudo fluxerit necesse est. {Ab confluente Rhodano} Tantæ apud me authoritatis est, ac merito quidem, Mediceus codex, ut scripturam eius nunquam penitus negligam, quanuis in ea, quam hic habet, maculatū aliquid omnino sit. Sic autem in illo legitur. {Ab confluente, ab Rhodano} ut fortasse posteriores duæ uoces ambæ uacent: & illud, ab Rhodano, declaratio sit priorum uocum: nam si tertia syllaba ea eo tollenda est, ut in impressis nunc est, {Rhodani} fortasse melius legeretur, sic enim Tacit. lib. XVII. locutus est, Confluentes Padi & Abduæ fluminum XVI. inde milium spacio distantes petebant. Nihil certi habemus, & tamen hanc tenuem, & fortasse inanē animaduersionem adnotasse quid obfuit?

PAVL. MANV.

IMperator iterū} In codice Vincentii Riccii, & in aliis legitur, Imperator ter. i. tertium, quomodo etiam dicebatur, Consul tertium. sed siue, iterum, siue tertium, legas: mihi tamen de loci integritate certum non est. nam quod alii dicunt in titulis, & monumentis solitos fuisse ueteres notare, quoties a militibus ob rem bene gestam imperatores essent appellati: sane id assentior: sed factū esse antequam Augustus Rempub. opprimeret, nondum comperi. {In ciuibus conseruandis} Potius ita lego, quam, obseruandis. nostram lectionem habet liber manuscriptus Bernardini Maffei. {IIII. Calend. Iun. a ponte Argenteo} Vitiosi sunt hoc loco manuscripti libri, sed boni tamen aliquid habent singuli. in tribus uetustissimis legitur, IIII. Cal. a ponte Argenteo: in eo, de quo mihi Vincentius Riccius commodauit, qui & ipse perantiquus est, III. Calen. Iunii itaq; in nostro libro, IIII Calē. Iun. scribere non dubitaui: ut sit dies, quo se cum Antonio coniunxit. libro enim X. epistola, cuius initium est, Nunquam mehercule, ita scribit Plancus. Lepidus desperato aduentu meo, se cum Antonio coniunxit. IIII. Calen. Iun. hanc autem epistolam post eam, quæ sequitur, scriptā esse, nemo non uidet.

SEBAS. CORR.

IMp. Item} Alii legunt, Imp. Iter. hoc est imperator iterū. {Pont. Max.} in Cæsaris locum furto creatus. {Vocontium} Al. Vocontii. nonnulli uero legunt, Vocontiorum. fortasse legendum Vocontii: ut in episto XVII. huius lib {Antonianos feci} Al Antonianos steti. {Legiones treis} Episto. superiore. {Inermium} Al. inermorum. Triginta millia} Alii legunt, tria millia: sed in antiquis libris nullus est hic numerus: etsi descriptus cum eo melius conuenit, quem supra scripsit Asinius, si modo ibi tres equitum legiones dici probamus. {Syllanus} Episto. XXX. huius libri. {Culleo} qui a me ad alpes custodiendas missus, ad Antonium transfugerat. {Officiaq;} Al. officii {Superiora} ut statuam equestrē inauratam, mihi tua sententia decretam {Argenteo} Ab aliis legitur, Argentei fluuius enim, in quo pons erat, Argenteus dicebatur.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Narrat Ciceroni, quid in aduentu Antonii in prouinciam suam egerit. & gratias illi agit, quod dignitatem illius & famam contra obtrectatores defenderit.

M. LEPIDVS IMP. ITERVM, PONT. MAX. S. P. PL. Q. R.

SI uos liberiq; uestri ualetis, bene est: ego quoque ualeo. Deos, hominesq; testor P.C. qua mente, & quo animo semper in Rempub. fuerim, & quàm nihil antiquius communi salute, ac libertate indicarim. quod uobis breui probassem, nisi mihi fortuna proprium consilium extorsisset: nam exercitus cunctus consuetudinem suam in ciuibus conseruandis, communiq; pace, seditione facta, retinuit, meq; tantæ multitudinis ciuium Romanorum salutis, atque incolumitatis causam suscipere, ut uere dicam, coegit. in qua re ego uos P.C. oro, atque obsecro, ut priuatis offensionibus omissis, summæ Reipub. consulatis, ne'ue misericordiam nostram, exercitusq; nostri in ciuili dissensione, sceleris loco ponatis. quòd si salutis omnium ac dignitatis rationem habueritis, melius & uobis, & Reipub. consuletis. Data IIII. Calend. Iun. à Ponte Argenteo. Valete.

ASCENSIVS. SI uos &c. Quia Antonius superatus apud Mutinam in transalpinam Galliam se receperat, spe coniungendi se cum Lepidum, ipse Lepidus hac epistola docet Ciceronem quid egerit in aduentu Antonii. & ubi aduersus eum castra fecerit, & qualem qua- tumq; exercitum habeat Antonius, a quo scribit ad se multos perfugisse. Ordo est: Si uos S.P.Q R. ualetis & liberi uestri, aut per syllepsim uos & liberi uestri, ualetis, bene est, ego quoq; ualeo. O patres Conscripti ego testor. i. testes cito deos & homines, qua mente, & quo animo fuerim semper in Remp. & quam. i. quantopere, nihil iudicarim antiquius .i. charius & obseruabilius salute ac libertate cõmuni, quod probassem. i. effectu demonstrassem uobis, nisi fortuna extorsisset. i. ui eripuisset mihi consilium proprium. i. quod meapte natura & propria sponte secutus fuissem. Nam exercitus cunctus retinuit suam consuetudinem in ciuibus conseruandis, & communi pace. s. conseruanda, facta seditione. i. licet facta esset seditio inter ciues, tamen milites mei consueti concordiam seruare, saluti ciuium consulere, non potuerunt a me induci ut contra conciues pugnarent. Et ut dicam uere. i. fatear quod uerum est, ingenue, exercitus coegit me suscipere causam salutis atq; incolumitatis tantæ multitudinis. i. quæ esset tantæ multitudinis ciuiũ Roma. In qua re o Patres Cõscripti ego oro uos, atq; obsecro, idest ob sacra precor, ut offensionibus priuatis omissis, hoc est quibus aliqui uestrũ ab Antonio forte offensi sunt, & Antonius ab ipsis, consulatis. i. prospiciatis & opem feratis summæ. i. maximæ & supremæ saluti Reip. Est quidem, summa, hic substantiuum, sed sicut quando de rationibus loquimur, summa accipitur pro ultima quæ omnes alias complectitur supputationes, ita dũ dicimus summam Reipu. eam rationem intelligimus in qua tota salus eius continetur. Neue ponatis loco sceleris. i. reputetis uti scelus, misericordiã nostram & exercitus nostri in dissensione ciuili. i. qua usi sumus non in hostes externos, sed in conciues licet dissentientes, quod si habueritis rationem. i. respectum salutis ac dignitatis omnium, uos consuletis melius, & uobis, & Reipu. Data &c.

VICTORIVS. IN ciuibus conseruandis} Nos quam in cunctis reperimus antiquioribus exemplaribus dictionem, non neglеximus. non enim temere omnes uno consensu {Obseruandis} legunt: nec semper oportet cunctas, rariores & infrequentiores uoces condẽnare & explodere: nimis enim anguste latos Latinæ linguæ terminos contraheremus, quos maiores nostri eruditiores, & meliore iudicio prædi ti semper summo studio proferebant.

PAVL. MANV. X X X} Lineam, quam super numerum duximus, olim ab aliquo fuisse omissam credimus, qui, ea quanti esset, ignoraret: nam in codice Vincentii Riccii scriptum est, X X X. quomodo autem nos scripsimus, triginta millia, significatur. {Memini autem} Sic, opinor, melius, quã, ut antea, memini enim, quo. n. spectabat nox illa {enim} mihi certe cum superioribus cohærere posse non uidetur. itaq; ea deleta, re posui, autem, motus authoritate uetustissimi codicis, quem, habet Vincentius Riccius, in quo, autem, pro, enim, scriptũ est. quã quam præcedens dictio mendum habet, non enim, memini, sed, maxime, in eo libro legitur: sed nullus est tam antiquus codex, qui non multis locis corruptus tamen sit. Itaq; uno, aut etiam altero manu scripto libro qui se putant ueteres scriptores posse restituere, meo iudicio falluntur. uetustis exemplaribus ad eam rem plurimis opus est. quæ licet inquinata sint tamen ex singulis boni aliquid excerpentes, usu sæpe uenire uidemus, ut ex multis libris, qui mali sint, bonus tamen liber efficiatur unus.

SEBAS. CORR. IMp. itẽ} Al. Imp. iter. ut supra. {Conseruandis} Al obseruãdis. {Retinuit} Lælio quodam, & Clodio meretricio habitu emissis, qui iuberent Antonium mea castra oppugnare, nisi reciperetur: quoniam intus multi essent parati illum recipere & me, si ille iuberet, trucidare, sic n. fere scribit Plutarchus in Antonio. {Coegit} Non enim exercitui ita uolenti repugnare potui. {Argenteo} Al. Argentei.

BERN. RVTI. DAta IIII. Cal. Aprilis a ponte Argẽteo} Et mẽdosa dies, & hoc errore dimota ex suo loco hæc epistola, quæ post in sequẽtẽ in aliis omnibus codicibus legitur, Itaq; pro Aprilis, Quintilis legi malim, & subiectam præponi. Nam cum in ea tũ demũ uenisse ad pontẽ Argẽteũ se dicat, quis nõ uidet dari ex põte Argẽteo, nisi post, non potuisse? Adiuuant & cætera utriusq; uerba. Hæc Lepido iã cũ Antonio coniuncto scripta: illa n. nõdũ.

PHIL. MELÃ. Si uos liberiq;} Cõmemoratio suæ uolũtatis. {In qua re} Petitio.

M. T. C. EPISTOLARVM FAMILIARIVM LIBRI DECIMI FINIS.

M. T. C.

MARCI TVLLII CICERONIS

EPISTOLARVM FAMILIARIVM,

LIBER VNDECIMVS.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Nunciat Bruto & Cassio Decius, qua mente sit in eos Antonius, & quam spem habere debeant obtinendæ Reipublicæ. Postremo suadet, ut ex Italia discedant.

D. BRVTVS M. BRVTO, ET C. CASSIO. S. D. 1

Quo in statu simus, cognoscite. Heri uesperi apud me Hirtius fuit: qua mente esset Antonius, demonstrauit, pessima scilicet, & infidelissima: nam se neque mihi prouinciam dare posse aiebat, neque arbitrari tutò in urbe esse quenquam nostrum: adeo esse militum concitatos animos, & plebis. quod utrũque esse falsum, puto uos animaduertere, atque illud esse uerum, quod Hirtius demonstrabat, timere eum, ne, si mediocre auxilium dignitatis nostræ habuissemus, nullæ partes iis in Repub. relinquerentur. cum in his angustijs uersarer, placitum est mihi, ut postularem legationem liberam mihi, reliquisq; nostris, ut aliqua causa proficiscendi honesta quæreretur. hoc se impetraturum pollicitus est: nec tamen impetraturum confido: tanta est hominum insolentia, & nostri insectatio. ac si dederint, quod petimus, tamen paulo post futurum puto, ut hostes iudicemur, aut aqua, & igni nobis interdicatur. Quid ergo est, inquis, tui consilij? Dandus est locus fortunæ: cedendum ex Italia, migrandum Rhodum, aut aliquò terrarum arbitror. si melior casus fuerit, reuertemur Romam: si mediocris, in exilio uiuemus: si pessimus, ad nouissima auxilia descendemus. succurret fortasse hoc loco alicui uestrum, cur nouissimum tempus expectemus potius, quàm nunc aliquid moliamur: quia, ubi consistamus, non habemus, præter Sex. Pompeium & Bassum Cæcilium, qui mihi uidentur hoc nuncio de Cæsare allato firmiores futuri. satis in tempore ad eos accedemus, ubi, quid ualeant scierimus. pro Cassio, & te, si quid uelitis me recipere, recipiam: postulat enim hoc Hirtius ut faciam. rogo uos, quam primum mihi rescribatis: nam non dubito, quin de his rebus ante horam quartam Hirtius me certiorem sit facturus. quem in locum conuenire possimus, quò me uelitis uenire, rescribite. post nouissimum Hirtij sermonem, placitum est mihi postulare, ut liceret nobis esse Romæ publico præsidio: quod illos nobis concessuros non puto: magnam enim inuidiam ijs faceremus. nihil tamen non postulandum putaui, quod æquum esse statuerem. Valete.

ASCENSIVS. Quo in statu &c. Interfecto Cæsare, & eodem ab Lepido laudato, & honorifice a plebe concitata cremato, Bru. profugit, de cuius calamitate D. Brutus nunc conqueritus, suadetq; ut cum Cassio Italia abeat, quia Ant. eis aduersatur, & futurum uidet ut hostes iudicentur. Aperit etiam in quibus spem præcipuam habeant. Propterea autem uidetur Ciceronianis inserta epistola cum sit Decii Bruti, ut argumẽtum appareat, aut quia Tyroni uisa est satis luculenter scripta. Ordo autẽ est. Cognoscite o Marce Brute & C. Cassi in quo statu nos .s. percussores Cæsaris simus. Hirtius qui Reipub. amator paulopost Cõsul futurus erat, fuit apud me heri uesperi .i. cum esset uesper, & supple demonstrauit qua mente Anto. s. Marcus, erat sup in nos. s. idest scire licet qua mente, quia pessima & infidelissima. Nã aiebat se neq; posse dare mihi prouinciam: ut. s. ab oculis militum absim, neq; i. & non, & aiebat arbitrari quenquam nostrum, qui. s. coniurauimus in Cæsarem & occidimus eum, esse in urbe. s. Roma, tuto. i. sine periculo, supple aiebat animos militum & plebis esse concitatos. i. commotos, adeo. i. intantum. Quorum utrũq; esse falsum, puto uos animaduertere, atq; illud esse uerum quod Hirtius demonstrabat, eum. s. Anto. timere, ne si habuissemus. s. in Senatu, mediocre auxilium dignitatis nostræ. s. habendæ, aut protegendæ, nullæ partes .i. nulla officia relinquerentur iis. s. Cæsaris ultoribus in Rep. Cum ego uersarer in his. i. huiusmodi angustiis. Placitum est mihi ut postularem legationem liberam .i. quocũq; ire uellemus, aut liberam. i. sine persecutione mihi, & reliquis nostris: ut Trebonio, Tullio Cymbro &c. ut aliqua honesta causa proficiscendi. i. discedendi ab urbe, quæreretur. i. acquireretur nobis. Hirtius pollicitus est se impetraturum hæc. s. postulata mea, nec tamen confido supple eum impetraturum supple esse. Tanta. i. tam magna est, insolẽtia i. superbia & immoderata cupiditas ulciscendi, hominum. s. Antonii, & aliorũ per Anto. incitatorum, & infestatio. i. persecutio nostri. At. i. sed si. s. Anto. & fautores eius dederint supple iam quod petimus. i. liberam legationem: tamen. i. nihilominus puto futurum paulo post ut iudicemur hostes. s. Popu. Ro. aut sup. ut interdicatur nobis aqua & igni .i. nequis nobiscum communicet, aut nobis commodet usum aquæ & ignis, sine quibus uita nostra constare nõ potest. Nam omnes qui uiuimus, uescimur aura. Et licet aeris usum a nemine petimus, tamẽ grauius est aqua & igni interdici, quam hostem iudicari, cum etiam hosti aquam & ignem accommodare soleamus. Notum est eleganter dici, interdico tibi aqua & igni &c. Quid ergo est inquis (sic puto legendum: quia seorsum ad fratrem nunc loquitur) consilii tui. i. de consilio tuo, aut quod est consiliũ tuum o Deci? Responsio Dandus est locus. s. furori: cedendum est fortunæ: migrandum arbitror ex Italia Rhodum, aut aliquo. s. alio terrarum, si casus. i. euentus fuerit melior, nos reuertemus Romam. si casus erit mediocris, nos uiuemus in exilio, si pessimus, nos descendemus ad nouissima auxilia. s. contra sæuitiam inimicorum, hoc est morituri in media arma ruemus. Fortasse hoc loco. i. cum hæc legetis, succurret. i. in mentẽ ueniet alicui uestrum, cur expectemus tempus nouissimum. s. quo nil amplius possimus, potius quam moliamur nunc aliquid. s. ad nos liberandos? Responsio. Quia non habemus ubi consistamus, præter Sextum Pompeium Pompeii filiũ, qui erat in Hispania, & Bassum Cæcilium qui erat in Syria, qui uidentur mihi futuri firmiores. i. fortiores in seruanda Repu. hoc nuncio de Cæsare. i. de cæde Cæsaris allato. Nos accedemus ad eos satis in tempore, ubi scierimus quid ualeant: si uelitis me recipere quid. i. aliquid hoc est polliceri, & spondere pro Cassio & te. s. M. Bruto, ad quem præcipue loquitur, recipiam. i. spondebo. Hirtius enim postulat ut faciam hoc. i. recipiam aliquid pro uobis. Rogo uos supple, ut rescribatis quamprimum. i. ualde cito. Nam non dubito quin Hirtius facturus sit me certiorem de his rebus ante horam quartã. s. diei sequentis, hoc est post ortum solis. Rescribite in quem locum possimus conuenire, & quo .i. ad quem locum uelitis me uenire. Placitum est mihi postulare. s. ab Hirtio post nouissimum sermonem Hirtii, hoc est cum a me discederet, ut liceret nobis esse Romæ præsidio publico. i. sub custodia & protectione publica, quod puto illos non concessuros nobis. Nos enim faceremus iis. s. Cæsarianis magnam inuidiam. i. molestiã & dolorem, quia graue fuerit eis uidere publico præsidio munitos,

aut inuidiã,idest odium,quia qui nos libertatis authores sine præsidio in urbe esse non posse uiderent,eos oderint. Tamen,ego nihil putaui non postulandum quod statuerem esse æquum,idest iustum ut impetremus. Vale,aut potius ualete,quia ad duos scribit.

SEBAS. CORR.

D Brutus}Decius,uel Decimus Brutus Albinus. {Prouinciam dare}Galliam Cisalpinam.{Q uod utrũq;}Al.quorum utrũq; {Timere eum}Antonium.{Partes ius }Cæsarianis,siue Antonio siue Antonianis.{Liberam mihi }ut cum aliqua dignitate exire quolibet possem.ob id enim liberæ legationes petebantur.{Reliquisq;}Cæsaris interfectoribus . {Pollicitus est} Hirtius.{Descendemus}Al discedemus.{Sex.Pompeium} Magni F.in Iberia.{Bassum Cæcilium}Episto.X I.lib.X I I.{De Cæsare} de Cæsaris morte.

PHIL. MELã.

Q Vo in statu}Narratio eorum quæ audiuit ex Hirtio de Antonio,& quid tandem futurum existimet. {Q uid ergo}Expositio sui consilii.{Succurret fortasse}Ratio, cur non armis potius dimicent.{Pro Cassio}Pollicitatio officii.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Petunt Brutus & Cassius,ut Antonius eos certiores faciat,quid de se futurum sit,& an tuta in urbe persistere possint.

M. BRVTVS, ET C. CASSIVS PRÆTT. M. ANTONIO COS. S. P. D. 2

DE tua fide, & beneuolentia in nos nisi persuasum esset nobis, non conscripsissemus hæc tibi:quæ profectò,quando istum animum habes,in optimam partem accipies . Scribitur nobis , magnam ueteranorum multitudinem Romam conuenisse iam , & ad Calend. Iun. futuram multo maiorem . De te si dubitemus,aut uere..mur , simus nostri dißimiles . sed certe cum ipsi in tua potestate fuerimus,tuoq; adducti consilio dimiserimus ex municipiis nostros necessarios,neque solum edicto , sed etiam literis id fecerimus:digni sumus,quos habeas tui consilij participes, in ea præsertim re,quæ ad nos pertinet:quare petimus à te , facias nos certiores tuæ uoluntatis in nos : putes'ne nos tutos fore in tanta frequentia ueteranorum,quos etiam de reponenda ara cogitare audimus:quod uelle te probare uix quisquam credere posse uidetur,qui nos saluos,& honestos uelit.nos ab initio spectasse ociũ, nec quicquam aliud à libertate communi quæsisse,exitus declarat. fallere nemo nos potest,nisi tu:quod certe abest à uirtute tua , & fide.sed alius nemo facultatem habet decipiendi nos : tibi enim uni credidimus,& credituri sumus.maximo de nobis timore afficiuntur amici nostri.quibus etsi tua fides explorata est,tamen illud in mentem uenit,multitudinem ueteranorum facilius impelli ab alio quolibet,quam a te retineri posse.rescribas nobis ad omnia , rogamus.nam illud ualde leue est,ac nugatorium,ea re denunciatum esse ueteranis,quòd de commodis eorum mense Iun. laturus esses: quem enim impedimento futurum putas, cum de nobis certum sit nos quieturos?non debemus cuiquam uideri nimium uitæ cupidi, cum accidere nobis nihil poßit sine pernicie,& confusione omniũ rerum. Vale.

ASCENSIVS.

DE tua Fide &c.Concitatis a M.Antonio animis militum in interfectores Cæsaris,& Bruto ac Cassio urbe egressis,consilium inierunt sciscitandi per literas humaniores,quo in se esset animo Antonius,itaq; significantes se summam in eius fide fiduciam habere,rogant certiores faciat,an tuti sint Romæ futuri,apud tot ueteranos milites.Ordo est. Nos non conscripsissemus hæc tibi,nisi persuasum esset nobis,de fide & beneuolentia tua in nos , quæ.s.scripta nostra, tu profecto,quando.i.quoniam habes istum.i.tam beneuolum . animum in nos,accipies in optimam partem.Scribitur nobis magnam multitudinem,ueteranorum.s.militum,qui sub Cæsare meruerant, conuenisse iam Romam , & futuram multo maiorem ad.i.circiter Calen.Iun.Si nos dubitemus,aut uereamur de te,nos simus dissimiles nostri,idest facientes contra naturam nostram,quæ fidelis est & omnibus confidit.Sed certe cum ipsi,idest nos fuerimus In tua potestate,& nos adducti consilio tuo dimiserimus ex municipiis,idest oppidis Italiæ municipalibus,necessarios nostros ut familiares & propinquos cum seruis & clientibus,neq; solum fecerimus id edicto,idest publico mandato,sed etiam literis.s.tuis priuatis , nos sumus digni quos habeas participes tui cõsilii,præsertim in ea re quæ pertinet ad nos.Q uare petimus a te sup.ut facias nos certiores uoluntatis tuæ,in.i.erga nos.Ne.i.an,putes nos fore.i futuros tutos in tanta frequentia militum ueteranorũ,quos audiuimus etiam cogitare de ara reponenda.s.Cæsari,quam tamen Dolabella prohibuerat,quod.s.reponere aram Cæsari,uix quisquam qui uelit nos saluos & honestos sup.uiuere,uidetur posse credere te uelle probare.i. approbare.Exitus declarat nos spectasse & quæsiuisse ab initio.s.cõiurationis,ocium.i.pacem commune,aut uitam priuatam in ocio nec quæsisse quicquam aliud a libertate communi.i.quam libertatem communem.Nemo potest fallere nos nisi tu,quia non alteri cõfidebant,quod.s.fallere,abest certe a uirtute & fide tua . sed nemo alius habet facultatem decipiendi nos . Nos enim credidimus tibi & sumus credituri.Amici nostri afficiuntur maximo timore de nobis,quibus.s.amicis nostris & si.i.quanquam fides.i.fidelitas tua est explorata,tamen illud uenit in mentem,& multitudinem ueteranorũ posse impelli.s.in nos facilius a quolibet alio quam retineri a te. Nos rogamus sup.ut rescribas nobis ad omnia.Nam illud est ualde leue & nugatoriũ,denunciatũ esse ueteranis.s.ut ueniant in urbem ea re.i.propterea quod laturus esses.s.legem aliquam de commodis eorũ,mense Iunio.s.proximo,quod adeo nugatoriũ censet, quia supervacaneũ innuit addens.Q uem enim putas futurũ impedimentũ,cũ sit certũ de nobis,nos quieturos sup.esse? Nos non debemus uideri cuiquam nimiũ cupidi uitæ,cũ nihil possit accidere nobis.s. perniciosum,sine pernicie & confusione omniũ rerũ.

SEBAS. CORR.

IN tua potestate fuerimus}a te , & a Lepido hospicio accepti, postquam e Capitolio descendimus.{De reponenda ara}Cæsari {Velle te probare}Al.uelle probare. Alii tamen legunt,uelle, & probare.Sed cũ hic & mox uarie scribaint,fortasse locus hic ita est legendus:Q uod uelle probare uix quisquam credi potest , qui nos saluos & honestos uelit.{Libertate}Al.libertati . {Vni credimus}Al.uni credidimus.

PHIL. MELã.

DE tua fide}Exordium [illegible] beneuolẽtiæ.{Sed certe}Rati[illegible] {Q[illegible] pet.}Propositio. {No[illegible]bemus}Clausula,qu[illegible] continet grauissimam sententiam,ne metu mortis hæc scripsisse uideantur.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Expostulant cum Antonio de contumeliosis & improbis literis & minas illius se facile contemnere asserunt. Postremo monent minaciter ut rebus suis consulat, & meminerit quid Cæs. seruitutis authori contigeris.

BRVTVS, ET CASSIVS PRÆTT. ANTONIO COS. S. D. 5

LIteras tuas legimus simillimas edicti tui,contumeliosas,minaces, minime dignas,quæ à te nobis mitterentur.nos Antoni te nulla lacessiuimus iniuria: neque miraturum credidimus,si Prætores, & ea dignitate homines,aliquid edicto postulassemus à Consule,quòd si indignaris ausos esse id facere , concede nobis,ut doleamus,ne hoc quidem abs te Bruto , & Caßio tribui.nam de delectibus habitis,& pecuniis imperatis , exercitibus solicitatis,& nunciis trans mare mißis,quòd te questum esse negas:nos tibi quidem credimus optimo animo te fecisse : sed tamen neque agnoscimus quicquam eorum,& te miramur,cum hæc reticueris,non potuisse continere iracundiam tuam , quin nobis de morte Cæsaris obiiceres.Illud uero quemadmodum ferendum sit, tute cogita:non licere Prætoribus concordiæ , ac libertatis causa per edictum de suo iure decedere,quin Consul arma minetur, quorum fiducia,nihil est quòd nos terreas:neque enim decet,aut conuenit nobis,periculo ulli submittere animum nostrum : neque est Antonio postulandum,ut iis imperet,quorum opera liber est.nos si alia hortarentur,ut bellum ciuile suscitare uellemus,literæ tuæ

nihil

nihil proficerent. N V L L A *enim minantis authoritas apud liberos est, sed pulchre intelligis, non posse nos quoquam impelli: & fortaßis ea re minaciter agis, ut iudicium nostrum metus uideatur. Nos in hac sententia sumus, ut te cupiamus etiam in libera* Repub. *magnum atque honestum esse: uocemus te ad nullas inimicitias, sed tamen pluris nostram libertatem, quàm tuam amicitiam æstimemus. Tu etiam atque etiam uide, quid suscipias, quid sustinere poßis: neque, quandiu uixerit Cæsar, sed quam non diu regnarit, fac cogites. Deos quæsumus, consilia tua* Reipub. *salutaria sint, ac tibi. si minus, ut salua, atque honesta* Repub. *tibi quamminimum noceant, optamus.* Prid. Non. Sex.

ASCENSIVS. LIteras &c. Responderat Anto superbe literis Bruti, & Cassii, qui nunc etiam animose rescribunt se uere liberos & libertatis authores, nec cum sint prætores, ab eo contemnendos, precanturq; ei mentem bonam. Ordo est. Nos legimus literas tuas simillimas edicti tui, contumeliosas, minaces, minime dignas, quæ mitterentur nobis a te. O Antoni, nos nulla: idest non ulla lacessiuimus, idest iniuriose prouocauimus te ulla iniuria, neque credidimus sup. te miraturum, si nos Prætores & homines ea dignitate, qua. s. nos sumus, postulassemus aliquid a Consule edicto. i. publica postulatione. quod si indignaris nos ausos esse facere, id concede nobis ne doleamus, ne quidē. i. nō saltem, hoc. s. edicto aliquid postulare, tribui abs te Bruto & Cassio. Nam quod negas te esse questum. i. fecisse querelam de delectibus habitis s. a nobis. i. de acquisitione militum, & de pecuniis imperatis. s. ciuibus ad stipendia militū, & de nunciis missis. s. a nobis trās mare: nos quidem credimus tibi te fecisse optimo animo, uerisimilius tamen est pessimo animo fecisse: nam qui iniuste quenquam calumniatur, solet sic dicere, non queror, aut nihil dico, de delectibus habitis, &c. sed tamen neq; agnoscimus i. fatemur fecisse quicquam eorum, & miramur te cum reticueris hæc. i. nihil questus sis de his, potuisse continere iracundiam tuam, quin obiiceres nobis de morte. i. de cæde Cæsaris. Vero. i. sed tute. i. tuipse cogita quemadmodū illud sit ferendum. Non licere. i. quod dixisti nō licere Prætoribus decedere per edictū de suo iure causa concordiæ, ac libertatis. quādo Cōsul minetur. i. tu Consul mineris arma. quorum. s. armorum fiducia nihil est quod terreas nos. Neq; enim decet. i. decens est, aut conuenit nobis summittere. i. subiicere animum nostrum ulli periculo. Neq; est postulandum Antonio. i. Antonius non debet postulare, ut ipse imperet his, quorum opera liber est. Si alia hortarētur nos ut uellemus suscitare. i. excitare bellum ciuile, literæ tuæ. s. tam minaces nihil proficerent. Enim. i. quia authoritas minantis apud liberos, debet esse nulla. i. nullius momenti. Sed tu intelligis pulchre. i. euidenter nos non posse impelli quoquam, & fortassis tu agis minaciter ea re. i. propter eam rem, ut iudicium nostrum uideatur metus. i. ut quod certo iudicio facimus, metu facere uideamur. Nos sumus in hac sententia, ut cupiamus te esse etiam rep. libera, magnum atq; honestum. i. decoratum honoribus & sup. ut uocemus. i. prouocemus te ad nullas inimicitias, sed tamen æstimemus pluris libertatem nostram, quam amicitiam tuam. Tu uide. i. considera, etiā atq; etiam. i. iterum atq; iterum, quid suscipias. s. faciendum, quid possis sustinere. i. ut dicunt portare & efficere, neq; fac cogites quandiu uixerit Cæsar, sed quam non diu. i. quam parum regnarit. Nos quæsumus deos sup. ut consilia tua sint salutaria reipub. atq; tibi. Sin minus. i. si non sup. sint salutaria tibi, nos optamus ut ipsa salua & honesta. i. honorifica repu. noceant tibi quamminimum. i. ualde parū.

SEBAS. Pridie Nonas Sextiles. i. eius mensis qui nunc Augustus dicitur.

CORR. LIteras} Al. S. V. B. E. literas. {Edicti tui} quo idem supplicium minabatur optimis ciuibus, quod Ci. de sceleratissimis sumpsisset: ut in Philippica tertia legitur. Aliquid edicto nostro. quo te stati sumus, nos in exilio libenter uicturos, dum R. P. constaret concordia. {Doleamus} Al. doceamus. Al. non dolemus. {Delectibus habitis} a nostris. {Trans mare missis} præsertim in Asiam ad Trebonium, & in Bithyniam ad Tullium Cymbrum. {Hæc reticueris} nihil questus fueris. {De suo iure decedere} quod nos a te, Prætores s Cos. nostro edicto petebamus, ut uitandæ seditionis causa abessemus. {Es fortassis} Al. fortasse. {Iudicium nostrum} fugiendi belli. {Non diu regnaris} quatuor annos.

BERNRVTI. SI Prætores & ea dignitate homines aliquid edicto postulassemus a Consule} Edicto. s. a nobis proposito. de quo Cicero, Philippica prima: Nec multo post, inquit, edictum Bruti affertur & Cassii quod quidem mihi fortasse quod eos etiā plus reip. quam familiaritatis gratia diligo, plenum æquitatis uidebatur, & ad Atticum lib XVI. De eisdem Rheginis, inquit, hoc afferebant, Bruti & Cassii edictum. & paulo post: Antonii edictum legi a Bruto, & horum contra scriptum præclare, sed quid ista edicta ualeant, aut quo spectent, plane non uideo. & ad M. Brutum: Hæc ego multo ante prospiciens, fugiebam ex Italia tum, cum me nostrorum edictorum fama reuocauit. Aut si hoc non placet, edictum illud eorundem alterum accipiemus, tempore (quod scimus) differens. de quo ad Atticum: Circa Idus Maias edictum, inquit, Bruti & Cassii probo. quæris, ut suscipiam cogitationem, quid nam istis agendum putem. Non, ut Interpres, Antonii. {Nam de delectibus habitis, & pecuniis imperatis, exercitibus solicitatis, & nunciis trans mare missis} Non ut nimium a Clerico perceptus locus. Id est sic apud Appianum. Brutum & Cassium Antonio diffisos, ad Trebonium in Asiā, ad Tullium Cymbrum in Bithyniam clanculum misisse, ut pecunias secreto cumularent, exercitumq; compararent, Decimo. s. Bruto confisos. qui tres in lateribus legiones paratas retinebat. {Illud uero quemadmodum ferendum sit, tute cogita, non licere Prætorib. cōcordiæ ac libertatis causa per edictum de suo iure decedere, quādo consul arma minetur} Scripta lectio melior, Quin Consul arma minetur. Decedebant enim de iure suo quod ex urbe abesse uolebant. Id uero uel proposito ipsi edicto, uel ut per edictum Consulis sibi liceret, petierant, cum in urbe esse potuissent postulantibus id ab Antonio Consule, ipse eis minabatur.

MELA. LIteras tuas} Expostulatio, continens longam narrationem, in qua primum queruntur se contumeliosius tractatos esse in literis Antonii, deinde respondēt ad eius minas. {Nos in hac} Epilogus in quo animum suum testantur, & Antonium monent, ne quid temere moueat.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Postulat a Cice. ut dignitatem eius defendat, & quid in prouincia egerit nunciat.

D. BRVTVS IMP. M. CIC. S. 4

SI de tua in me uoluntate dubitarem, multis à te uerbis peterem, ut dignitatem meam tuerere: sed profecto est ita, ut mihi persuasi, me tibi esse curæ. Progressus sum ad Inalpinos cum exercitu, non tam nomen captans Imperatorium, quā cupiens militibus satisfacere, firmosq; eos ad tuendas nostras res efficere: quod mihi uideor consecutus: nam & liberalitatem nostram, & animum sunt experti. cum omnium bellicosißimis bellum geßi. multa castella cepi, multa uastaui. non sine causa ad Senatum literas misi. adiuua nos tua sententia. quod cum facies, ex magna parte communi commodo inseruieris. Vale.

ASCENSIVS. SI de tua &c. Brutus antequam Mutinæ obsidebatur, se in Galliam Transalpinam, ad Isaios spectantem contulerat, unde ad Ciceronem scribens suam dignitatem ab eo confidit defensum iri. Ordo est. Si dubitarem de uoluntate. i. beneuolentia tua in me. i. erga me, ego peterē a te multis uerbis ut tuerere. i. defenderes & protegeres dignitatem meam. Sed profecto est. i. res se habet ita, ut. i. quod persuasi mihi, me esse tibi curæ. Ego progressus sum ad Transalpinos. s. populos cum exercitu, non tam captans. i. affectans nomen imperatoriū, quā cupiens satisfacere militibus & efficere eos firmos ad tuendas res nostras. Quod. i. quam rem ego uideor mihi consecutus. i. obtinuisse. Nam sup. milites sunt experti. i. re ipsa cognouerunt &. i simul, liberalitatem nostram, qua milites multum deuinciuntur Imperatori, & animum. i. aut beneuolentiam nostram in se, sed sic coincideret cum liberalitate, aut igitur propositum, & quo animo bellum susceperim, sed potissimum animum. i. animositatem, quia sequitur, gessi bellum cum populis bellicosissimis omnium, cepi multa castella, uastaui multa, misi literas ad Senatum non sine causa. Adiuua nos sententia tua, quod cum facies, inseruieris communi commodo ex, idest pro magna parte.

VICTORIVS. PRogressus sum ad Transalpinos} Veteres omnes codices, præterea Germanicus {Inalpinos} nos etiam longe meliorē hanc lectionem putantes {Inalpinos} legimus: non enim alpes transiit Brutus, ut cum gentibus trans alpes sitis bellum gereret, sed cum feris populis alpes colentibus pugnauit, eorumq; castella expugnauit. In uetustis etiam codicibus sic scriptus est hic locus Suetonii in Augusto, Item Rhetiam, & Vindelicos ac Salassos gentes inalpinas coercuit. Nec desunt qui ita quoq; uersum hunc

Tibulli legant, Testis Inalpinis Epas pernatus in armis: quamuis in impressis codicibus longe aliter legatur.

SEBAS. CORR. COs.Des.}cum L.Plancu.{Transalpinos}Al.Inalpinos: ut in Quæstura diximus Sed quid si hæc epistola multo ante Cæsaris mortem sit scripta, ut Transalpinos retineamus, quibus olim Cæsar hunc Brutum præfecerat? nam & in huius epistolæ præscriptione in alijs libris Cos.Des.non legitur. Hoc tamen ea coniectura sit dictum.

PHIL. MELA. SI de tua}Exordium a commemoratione beneuolentiæ.{Progressus sum}Narratio de gesto bello.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Petierat a Cicerone Brutus operam & diligentiam eius in Bruti dignitate defendenda. ad hoc respondet Cicero, se maxime id fecisse, idq; a facto suo in Senatu approbat.

M. T. C. D. BRVTO IMP. S. 5

LVpus familiaris noster cum à te uenisset, cumq; Romæ quosdam dies commoraretur, ego eram in iis locis, in quibus maxime me tutò esse arbitrabar. eo factum est, ut ad te Lupus sine meis literis rediret, cū tamen curasset tuas ad me perferendas. Romam autem ueni ad V. Id. Dec. nec habui quicquam antiquius, quàm ut Pansam statim conuenirem: ex quo ea de te cognoui, quæ maxime optabam. quare hortatione tu quidem non eges, si ne illa quidem in re, quæ à te gesta est post hominum memoriam maxima, hortatorem desiderasti: illud tamen breuiter significandum uidetur, populum Roma. omnia à te expectare, atque in te aliquando recuperandæ libertatis omnem spem ponere. tu, si dies noctesq; memineris (quod te facere certo scio) quantam rem gesseris, non obliuiscere profecto quantæ tibi etiam nunc gerendæ sint. si enim iste Prouinciam nactus erit, cui quidem ego semper amicus fui ante, quàm illum intellexi non modo aperte, sed etiam libenter cum Repub. bellum gerere, spem reliquam nullam uideo salutis. quamobrem te obsecro iisdem precibus, quibus Senatus populusq;, Roma. ut in perpetuum Rempub. dominatu regio liberes: ut principiis consentiant exitus. tuum est hoc munus, tuæ partes. à te hoc Ciuitas, uel omnes potius gentes non expectant solum, sed etiam postulant. quanquam, cum hortatione nō egeas, ut supra scripsi, non utar ea pluribus uerbis: faciam illud, quod meum est, ut tibi omnia mea officia, studia, curas, cogitationes pollicear, quæ ad tuā laudem, & gloriam pertinebunt. quamobrem uelim tibi ita persuadeas, me, tum Reipub. causa, quæ mibi uita mea charior est, tum quod tibi ipsi faueam, tuamq; dignitatem amplificari uelim, tuis optimis consilijs, amplitudini, gloriæ, nullo loco defuturū. Vale.

ASCENSIVS. LVpus &c. Excusat se primum Cice. quare non rescripsit Bruto per Lupum, qui literas eius ad se attulerat, dicēs se Romæ non fuisse. deinde hortatur Brutum ut iactis tam magnis fundamētis libertatis, reliqua perficiat, Antonium opprimendo, qui solus libertati obstet, polliceturq; se omnia pro eius dignitate facturum. Ordo est. Lupus familiaris noster cum uenisset a te, & cum commoraretur Romæ quosdā .i. aliquot certos dies ego eram in his locis, in quibus arbitrabar me esse maxime .i. præcipue, tuto .i. sine periculo. Eo .i. per id factum est, ut Lupus rediret ad te sine literis meis, cum tamen curasset tuas .s. literas perferendas .i. ut perferantur ad me. Autem .i. sed, ego ueni Romam ad quintum Idus Decembris, nec habui quicquam antiquius .i. charius, eo quod antiquissimos habere solemus, quam ut cō uenirem .i. colloquendi gratia adirem statim Pansam .s. Consulem, ex quo cognoui de te ea, quæ optabam maxime. Quare tu quidem non eges hortatione, si ne quidem .i. non saltem desiderasti hortatorem in illa re .s. in cæde tyranni utpote Cæsaris, quæ gesta est a te maxima post memoriam hominum. Tamen .i. nihilominus illud uidetur significandum breuiter, Pop. Rom. expectare a te omnia, atq; ponere .i. collocare in te omnem spem libertatis recuperandæ aliquando .i. tandem. Si tu memineris dies & noctes .i. per totum tempus continuum, quod scio te facere, quantam rem gesseris, profecto .i. reuera, non obliuiscere .i. obliuisceris quantæ .s. res, sint tibi gerendæ etiam nunc .i. adhuc. Si enim iste .s. Antonius homo contemptibilis, cui quidem ego fui semper amicus, antequam intellexi illum bellum gerere cum repub. .i. contra rempub. eam oppugnando non modo aperte .i. manifeste, sed etiam libenter, nactus fuerit prouinciam .s. Gallicanam, nullam .i. non ullam, non uideo ullam spem salutis .s. reliquam .i. relictam. Quamobrem obsecro te iisdē precibus quibus Senatus Populusq; Roma. ut liberes rempub. in perpetuum dominatu regio .i. tyrannide, ut exitus .i. fines consentiant .i. concordent principiis, quibus .s. unum regem sustulisti. Hoc est munus tuū, hæ supple sunt partes tuæ .i. officia tibi a repub. assignata. ciuitas .s. Romana uel potius omnes gentes .i. nationes mundi, non expectāt solum .i. duntaxat hoc a te, sed etiam postulant .i. quasi debitum exigunt. Quanquam cum non egeas hortatione, ut scripsi supra, idest paulo ante hac epistola, non utar ea .s. hortatione pluribus uerbis. Faciam illud quod est meum .i. officium mei Non legi ubi meū dixerit cum uerbo est, ut pollicear tibi omnia officia mea, studia .s. omnia, curas omnes, cogitationes supple omnes quæ pertinebunt ad laudem & ad gloriam tuam Quamobrem uelim supple, ut persuadeas tibi ita, me nullo loco defuturum: idest omni loco, ausilio futurum tuis optimis consiliis, & supple amplitudini gloriæ tuæ, tum, idest pariter causa reipub. tum, idest pariter quod faueam tibi ipsi, & uelim dignitatem tuam amplificari.

SEBAS. CORR. EGo eram in his locis}Episto. I. lib. X. {Romam autem ueni} ex Leucopetra rediens. {In illa quidem re}in Cæsaris morte. {Si enim iste}M. Antonius. {Prouinciam nactus}Galliam citeriorem, cui tu præfectus es. {Amicus fui}Idq; nonnullo eius officio debere esse, præ me semper tuli. Id uero illi in petitione Quæsturæ maxime ostendi.

PHIL. MELA. LVpus familiaris}Narratio. {Quare hort}Adhortatio. {Tu si}A prioribus factis. {Si enim iste}A periculo. {Quamobrem}Conclusio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Excusat principio se ipse, cur cum Lupo non rescripserit, deinde hortatur ut pergat defendere libertatem Reipub. Postremo operam suam Bruto pollicetur.

M. T. C. D. BRVTO IMP. S. 6

*LVpus noster cum Romam sexto die Mutina uenisset, postridie me mane conuenit, tuaq; mibi mandata diligentißimè exposuit, & literas reddidit. *Quod mibi tuam dignitatem commendas, eodem tempore existimo te mibi meam dignitatem commendare: quam mehercule non habeo tua chariorem. quare mibi gratißimum facies, si exploratum habebis, tuis laudibus nullo loco nec consilium, nec studium meum defuturum. Cum Tribuni pleb. edixissent, Senatus adesset ad XIIII. Calen. Ianua. haberentq; in animo de præsidio Consulum des. referre: quanquam statueram in Senatum ante Calen. Ianua. non uenire, tamen cum eo die ipso edictum tuum propositum esset, nefas esse duxi, aut ita haberi Senatum, ut de tuis diuinis in Rempublicam meritis sileretur (quod factum esset nisi ego uenissem) aut etiam, siquid honorifice de te diceretur, me non adesse. itaque in Senatum ueni mane. quod cum esset animaduersum, frequentißimi Senatores conuenerunt. quæ de te in Senatu egerim, quæ in cōcione maxima dixerim, aliorū te literis malo cognoscere. illud tibi persuadeas uelim, me omnia, quæ ad tuam dignitatem augendam pertinebunt, quæ est per se amplißima, summo semper studio suscepturum, & defensurum. quod quanquam intelligo me cum multis eße facturum, tamen appetam huius rei principatum. Vale.*

*al. Quū

ASCENSIVS. LVpus &c. Respondens Bruti epistolæ dicit sibi Bruti dignitatem non minus quam suam esse commendatam ad charam: dicitq; eius causa iuisse in Senatum & ibi dignitatem eius acerrime defendisse, quod ex aliis potius quam ex se illum discere uelit, polliceturq; se omnia quæ ad eum pertinebunt, pro uirili sua defensurum. Ordo est: Lupus noster cum uenisset Romam Mutina .i. ab urbe in Italia nō

longe

longe a Rhegio, seato die, idest spacio sea dierum, conuenit me, id est ad me postridie, idest die qui proxime secutus est, mane, & ea posuit mihi diligentissime mandata tua, & reddidit literas, quod (ut erat in literis) tu commendas mihi dignitatem tuam, ego eaistimo te commendare mihi meam dignitatem eodem tempore, hoc est quasi eadem opera, quam.s. dignitatem meam non habeo chariorē tua, idest quam tuam mehercule, idest ita prosequente ut uerum dico. Quare tu facies mihi gratissimum si habebis exploratum, idest omnino certum nullo loco, nec consilium meum, nec studiū meum defuturum tuis laudibus Cum tribuni pleb. edi aissent, idest denunciassent poblice supple ut Senatus adesset, ad XIIII Cal. Ianuarias, & haberent in animo referre, idest consulere Senatum de præsidio Consulum designatorum, idest quod præsidium illis addiceretur, quanquam statueram, non uenire in Senatum ante Cal. Ianuarias, tamen cum edictum tuum esset propositum eo ipso die, duai: idest eaistimaui nefas esse, aut Senatum haberi ita ut sileretur de tuis diuinis meritis in rempub. quo I factum esset: idest si ita dicere liceat, silitum aut tacitum fuisset de te, nisi ego uenissem, aut etiā me non adesse, siquid decerėtur honorifice de te. Itaq; ego ueni mane in Senatum, quod cum esset animaduersum, Senatores frequentissimi conuenerunt. Sed supple ego malo te cognoscere literis aliorum scilicet quam meis, ea quæ egerim de te in Senatu, & quæ dixerim in concione: idest cōgregatione hominum maxima. Ego uelim supple ut persuadeas tibi illud, me suscepturum: supple esse & defensurum semper summo studio omnia quæ pertinebunt ad augendam dignitatem tuam, quæ est amplissima per se idest absq; alicuius suffragio. Quod quanquam intelligo me esse facturum cum multis, tamen appetam, idest conabor habere principatum: idest primum locum huius rei: idest in hac re.

SEBAS. CORR.

Lupus} Episto. I. lib. I. si modo idem sit. {Coss. des.} Hirtii, & Pansæ. {Edictum tuum} quo pollicebaris te prouinciam Galliam retenturum in S.P.Q.R. potestate. {In Senatu} Philippica tertia {In concione maxima} ad Quirites Philippica quarta.

BERNRUTI.

Haberentq; in animo de præsidio Coss. designatorum referre} Non intelligit Plancum & Brutum ut stultissime asseuerat Clericus, sed Hirtium & Pansam. in proximum illum.s. annum designatos Oratio quam hoc die a se in Senatu, ad populūq; habitam ait, tertia est, quartaq; Philippica. in tertia ita est de præsidio: Quamobrem Tribuni pleb. quanquam uos nihil aliud, nisi de præsidio, ut Senatum tuto consules Calen. Ianua. habere possent, retulistis, tamen mihi uidemini magno consilio, atq; optima mente potestatem nobis de tota repub. fecisse dicendi. cum enim tuto Senatum haberi sine præsidio non posse iudicauistis, istod etiam statuistis intra muros Antonii scelus audaciamq; uersari. Et infra: Præclare igitur facitis Tribuni pleb. qui de præsidio Consulum, Senatusq; referatis: meritoq; uestro maximas gratias uobis omnes & agere, & habere debemus. qui enim carere metu & periculo possemus, in tanta hominum cupiditate & audacia? Et paulo post: Quas ob res quod Tribu. pleb. uerba fecerunt, ut Senatus Calen. Ianua tuto haberi, sententiæq; de summa Reipub. libere dici possint, de ea re ita censeo, ut C. Pansa, A. Hirtius Consules designati dent operam, ut Senatus, Calen. Ianua. tuto haberi possit: quodque edictum D. Bruti imperatoris Consulis designati, optime de repub. meriti propositum sit, Senatum eaistimare D. Brutum Imperatorem, Consulem designatum, optime de repub. promereri, cum Senatus authoritatem, Populiq; Roma. libertatem Imperiumq; defendat, quodq; Galliam prouinciam citeriorem, optimorum & fortissimorum uirorum, amicissimorum Populo Roma. ciuium exercitu in Senatus potestate retineat, id eum, exercitumq; eius, municipia, colonias prouinciæ Galliæ, recte atq; ordine, eaq; rep. fecisse, & facere etiam de Bruti edicto. De quo etiam in eadem: Hoc uero recens edictum D. Bruti, quod paulo ante propositum est, certe silentio non potest præteriri. pollicetur enim se prouinciam Galliam retenturum in Senatus Populiq; Roma. potestate. O ciuem natum reipublicæ, memorem sui nominis, imitatoremq; maiorū. Et quarta: Quid D. Bruti iudicium, Quir. quod ex hodierno eius edicto perspicere potuistis, num cui tandem contemnendum uidetur? recte & uere negatis Quirites.

PHIL. MELA.

Lupus noster} Breuis narratio. {Quod mihi} propositio de suo officio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Hortatur Brutum, ut pro repub. laboret, nec Senatus authoritatem ad id expectet, sed suo consilio conficiat.

M. T. C. D. BRVTO IMP. S. 7

Cum adhibuißet domi meæ Lupus me, & Libonem & Seruium consobrinum tuum, quæ mea fuerit sententia, cognoscere te ex Cn. Seio arbitror, qui nostro sermoni interfuit. reliqua, quanquam statim Seium Græceius est subsecutus, tamen ex Græceio poteris cognoscere. caput autem est hoc, quod te diligentißime percipere, & meminiße uelim, ut ne in libertate, & salute Populi Roma. conseruanda, authoritatem Senatus expectes nondum liberi, ne & tuum factum condemnes (nullo enim publico consilio Rempub. liberasti: quo est etiam res illa maior, & clarior) & adolescentem, uel puerum potius Cæsarem iudices temere fecisse, qui tantam causam publicam priuato consilio susceperit: denique homines rusticos sed fortißimos uiros, ciuesq; optimos, dementeis fuiße iudices, primum milites ueteranos commilitones tuos, deinde legionem Martiam, legionem quartam, quæ suum Consulem hostem iudicauerunt, seq; ad salutem Reipub. defendendam contulerunt. uoluntas Senatus pro authoritate haberi debet, cum authoritas impeditur metu. postremo suscepta tibi causa iam bis est, ut non sit integrum: primum Id. Mar. deinde proximè exercitu nouo, & copiis comparatis. quamobrem ad omnia ita paratus, atque animatus esse debes, non ut nihil facias, nisi iussus, sed ut ea geras quæ ab omnibus summa cum admiratione laudentur. Vale.

ASCENSIVS.

Cum adhibuisset &c. Cum multi ex amicis Bruti domi Ciceronis consultarent, quid Bruto agendum esset, intererat Marcus Seius, a quo dicit Brutum posse omnia intelligere. Monet autem ut pergat, nec expectet authoritatem & iussa Senatus, qui satis iussisse uisus est, cū se uelle significaret, licet ob metum palam non auderet. Ordo est: Cum Lupus adhibuisset, idest ad consultationem aggregasset domi meæ me & Libonem & Seruium consobrinum tuum, ego arbitror te cognoscere ex Cn. Seio, qui interfuit sermoni nostro, quæ fuerit sentētia mea, & tu poteris cognoscere reliqua ex Græceio, quanquā Græceius subsecutus est statim Seium. autem, idest sed caput, idest principalis conclusio est hoc, idest huiusmodi, quod uelim te percipere & meminisse diligentissime. Vt ne: idest non expectes authoritatem Senatus nondum liberi in libertate & salute Popu. Roma. conseruanda, ne. i. simul, condemnes factum tuum: nullo enim consilio publico liberasti rempu. quo. i. per quod, res illa. s. quam egisti, est supple etiam maior & clarior. i. illustrior quam si alterius authoritate eam suscepisset. & iudices Cæsarem. s. Octauium adolescentem uel potius puerum, fecisse temere. i. inconsiderate, qui susceperit tantā causam publicam. s. quantam peregerat. Denique tu iudices. s. sic homines rusticos, sed uiros fortissimos & ciues optimos, primum milites ueteranos commilitones tuos, deinde legionem Martiam, legionem quartam, quæ iudicauerunt, suum Consulem. s. Antonium, hostem, scilicet Popu. Roma. & contulerunt se ad salutem reipub. defendendam, hos inquam omnes iudices fuisse dementes. Sed non est ita iudicandum, quia uoluntas Senatus debet haberi pro authoritate, cū authoritas, idest publica approbatio impeditur metu. Postremo, id est quod ultimo loco dico, causa est suscepta tibi, idest a te iam bis, ut non sit, scilicet tibi integrum, idest mere liberum, utrum pergas an desistas, quia necesse est pergere. Primum supple suscepta tibi, Idibus Martiis quibus Cæsarem occidisti, deinde proxime exercitu nouo & copiis comparatis. Quamobrem tu debes esse paratus atque animatus ad omnia ita, non ut facias nihil nisi iussus, sed ut geras ea quæ laudentur ab omnibus cum summa admiratione.

VICTORIVS.

Cum adhibuisset domi meæ Lupus me} Omnes hic uulgati codices cum ueteribus concordant, quare locum silentio præterissem, nisi quidam attentare ausi essent, & puram lectionem inquinare {Aduisset} legendo, pro {Adhibuisset} ut nostra fert opinio, male. Hic enim Adhibere significat quod alibi plenius in consilium adhibere. Coegerat autem familiaris D. Bruti Lupus Ciceronis domi consilium amicorum Decimi, ut illorum sentētias de re Bruti exquireret, in quod etiam Ciceronem adhibuerat: idest admiserat, & receperat. Sic ad Atticum lib. II. De muro imperaui Philotimo, ne impediret quo minus id fieret quod tibi ui-

deretur,ut censeo tamen adhibeas Vectium. Idest, in consilium uu ces,rem cum ipso deliberes:erat enim Vectius Cyri architecti libee tus,ut quicquid de ædificando statuendum esset,optime responde re posset. In prima epistola ad Atti. Torquatum plenius. De te au tem ipso Torquate tuum est sic agitare animo , ut non adhibeas in consilium cogitationum tuarum,desperationem,aut timorem.

SEBAS. CORR.

L Iboneni} Episto. I. lib. I. Cn. {Seio.} Al. M. Seio. {Nondum Il beri} propter Consulareis . Epist. V. lib. I. {Tuum factum con demnes} nunc demum Senatus authoritatem expectans. {Vel puerum potius} nondum annorum. 19 . {Priuato consilio su sceperit} ueteranis contra M. Antonium conscriptis. {Commilito nes tuos} olim sub Cæsare. {Suum Cos } M. Antonium. {Hostem iu dicauerunt} illum relinquentes , & Octauium sequentes . Episto. XXVIIII. lib. X. {Primum Id. Mart } in Cæsaris cæde . {Deinde proa.} in Galliã citeriorem profectu. {Atq; animatus} Al. ita anima tus Al. seu armatus.

BERN. RVT.

Q Vanquam statim Seium Græce us est subsecutus, nondum profecto a nobis Seio: contra quam interpres, alioqui insul sa sententia.

PHIL. MELA.

C Vm adhibuisset} Est epistola hortatoria,& pertinet ad ge nus suasorium, estq; breuis narratio. {Caput autem} Propo sitio . {Ne expectes authoritatem Senatus, sed libere agas omnia, quæ reipu. profutura uidentur {Deniq; homines} Ratiocinatio ab exemplo {Quamobrem} Conclusio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Scribit Bruto, quæ sit expectatio Senatus de eo, quidq; in urbe de exercitu & suis rebus agatur.

M. T. C. D. BRVTO IMP. S. 8

EO tempore Polla tua misit , ut ad te, siquid uellem, darem literarum, cum, quid scriberem, non habebam: omnia enim erant suspensa propter expectationem legatorum : qui quid egissent, nihildum nunciabatur. hæc tamen scribenda existimaui: primum, Senatum Populumq; Rom. de te laborare non solum salutis suæ causa , sed etiam dignitatis tuæ : admirabilis est enim quædam tui nominis charitas, amorq; in te singularis omniũ ciuium: ita enim sperant, atque confidunt, ut antea Rege , sic hoc tempore regno te Rempub. liberaturum. Romæ delectus habetur, totaq; Italiæ: si hic delectus appellandus est, cum ultro se offerunt omnes: tantus ardor animos hominum occupauit desiderio libertatis, odioq; diutinæ seruitutis. De reliquis rebus à te iam expectare literas debemus, quid ipse agas, quid noster Hirtius, quid Cæsar meus: quos spero breui tempore societate uictoriæ tecum copulatos fore. Reliquum est, ut de me id scribam, quod te ex tuorum literis & spero, & malo cognoscere: me neque deesse ulla in re, neque unquam defuturum dignitati tuæ. Fac ualeas.

ASCENSIVS.

EO tempore &c. Quo tempore M. Anto. maximis uiribus opprimebat Mutinam, scripsit ad Brutum Cice. dicens eius salutem maxime curæ esse Senatui omniq; populo, cum sponte sua nomina darẽt, & ad militiam scriberentur pro liberando eodem, & per eum rẽpub. subleuandã a regnu, ut liberata erat a rege. Ordo est. Polla tua. s. uxor misit ad me, ut siquid literarum uellem supple dare ad te, darem. Sunt qui legant, dare, quomodo subaudiendum esset aliud uerbum quale esset, ut supple admoneret, aut sciret &c. eo tempore, cũ. i. quo, non habebam quid scriberem Omnia enim erant suspensa propter expectationem legatorum, qui missi fuerant ad Anto. ut desisteret ab obsidione, qui. s. legati quid egissent s. apud Anto. nihildum: idest nihil adhuc nunciabatur. Ego tamen existimaui hæc scribenda. S. P. Q. Ro. laborare de te non solum causa salutis tuæ, sed etiam dignitatis tuæ. Enim, idest quia charitas quædam nominis tui est admirabilis, & amor omnium ciuium est in te singularis. Ipsi enim sperant atq; confidunt ita te ut antea. s. liberasti rempu. rege, idest tyranno, ita te liberaturum supple esse hoc tempore rempub. regno, hoc est ut nullus deinceps se regem profiteri audeat. Delectus: idest conscriptio militum qui de multis legitur, habetur Romæ, & in tota Italia. si hic: idest huiusmodi conscriptio est appellãdus delectus, cum omnes se offerunt ultro. Tantus ardor occupauit: idest inuasit animos hominum desiderio libertatis, & odio seruitutis diutinæ. Nos debemus expectare a te literas de reliquis rebus. quid. s. ipse: id est tu agas. quid Hirtius noster: supple agat quid Cæsar meus. s. singularis amicus dicit meus, quia propter interfectum Cæsarẽ a quo hæres scriptus erat, & filii loco habitus, non audet eum Bruto dicere amicum: supple agat, quos spero breui tempore fore copulatos tecum societate uictoriæ. Reliquum est, ut scribam id de me , quod ego & spero, & malo te cognoscere ex literis tuorum, neq; deesse, neque defuturum ulla in re dignitati tuæ. Fac ualeas.

VICTORIVS.

EO tempore Polla tua misit ad me, ut ad te, &c. } Nulli ueteres codices {Ad me} habent, quare nos eorum authoritatem secuti eam partem negleximus . Sæpe autem (misit) notum fecit, certiorem reddidit, significat. Cicero ad Tyronem: Curio misit, ut medico honos haberetur. Ad Atticum lib. XIII. Misi equidem ei nunciari, te quoad potuisses expectasse eius aduentum. & si hoc eodem libro inquit, Mitte ad Lupum nostrum, ut is nobis eas centurias conficiat. Et ad Att. lib. IIII. Id cuiusmodi sit, aut nũc si scies, aut cum is Romam uenerit, ad me mittas uelim.

SEBAS. CORR.

M Isit, ad me, ut } Al. misit, ut. {Legatorum} L. Pisonis, L. Philippi, & Seruii Sulpitii, qui ad Antonium erant profecti. {Dum nunciabatur} Al. denunciabatur. {Delectus habetur} a Pansa Coss. {Totaq; in Italia} Al. totaq; Italia.

PHIL. MELA.

E O tempore} Illa etiam est obliqua hortatio. Exordium ab occasione scribendi. {Hæc tamen} Narratio de uoluntate Senatus & populi erga Brutũ. {Reliquum est} Pollicitatio officii.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Hortatur Ciceronem ut operam det, ne ob Consulum mortem, respub. detrimentum capiat amplius, & suam operam reipub. pollicetur.

D. BRVTVS M. T. C. S. D. 9

PAnsa amisso, quantum detrimenti Respublica acceperit, non te præterit. nunc authoritate & prudentia tua prospicias oportet, ne inimici nostri, Consulibus sublatis, sperent se conualescere posse. ego, ne consistere possit in Italia Antonius, dabo operam . sequar eum confestim. utrunque me præstaturum spero, ne aut Ventidius elabatur, aut Antonius in Italia moretur, in primis rogo te, ad hominem uẽtosissimum Lepidum mittas, ne bellum nobis redintegrare possit, Antonio sibi coniuncto. nam de Pollione Asinio, puto te perspicere, quid sit facturus. multæ, & bonæ, & firmæ sunt legiones Lepidi, & Asinii. neque hæc iccirco tibi scribo , quòd te non eadem animaduertere sciam, sed quòd mihi persuasissimum est, Lepidum recte facturum nunquam, si forte uobis id de hoc dubium ste, Plancum quoque confirmetis, oro. quem spero, pulso Antonio, Reipublicæ non defuturum. si se alpeis Antonius traiecerit, constitui præsidium in alpibus collocare, & te de omni re facere certiorem. IIII. Calen. Maii, ex castris Rhegii.

ASCENSIVS.

PAnsa &c. Fuso Antonio apud Mutinam, non sine clade eorum, qui uicerunt, quia Hirtius, & Pansa Consules in eo conflictu eeciderant, hortatur Brutum Cicero: ut prospiciat ne per necem Consulum hostis uires augeantur: dicitq; quid ipse sit facturus, & quid sentiat de Lepido, Pullione, & Planco. Ordo est : Non præterit te. i. scientiã tuã non fugit: hoc est bene scis, quantum detrimenti respub. acceperit, Pansa. s. Consule amisso, quia occiso, nunc oportet: sup. ut prospicias authoritate, & prudentia tua, ne inimici nostri sperent se posse conualescere. i. fieri ualidiores, Consulibus. s. Pansa, & Hirtio sublatis. s. de medio uiuentium Ego dabo operam ne Antonius possit consistere. i. sedem figere in Italia: sequar enim confestim , hoc est cum festinatione, ego spero me præstaturum. i. effecturum utrunq; ne aut Ventidius elabatur, aut Antonius qui iam elapsus erat, moretur in Italia, neutrum tamen præstitit. In primis rogo te : supple ut mittas ad Lepidum hominem uentosissimum: idest leuissimum, & inconstantissimum, ne possit redintegrare nobis bellum , Antonio coniuncto sibi, id autem euenit. Nam ego puto te prospicere de Asinio Pollione, qui Proconsul in Hispaniis erat, quid sit facturus. Multæ, & bonæ, & firmæ legiones sunt legiones Lepidi & Asinii. Neq;

scribo

ſcribo id tibi idcirco, quod ſciam te non animaduertere eadem: ſed quod perſuaſiſſimum eſt: ideſt omnino creditum mihi, Lepidū nunquam facturum recte .i. pro republi. Si id forte dubium eſt uobis de hoc. ſ. Lepido, confirmetis (oro) Plancum, quem ſpero non defuturum reipub. Antonio pulſo, ita autem ſimulauit ſe facturum. ſed nihil boni effecit. Sed ſi Antonius traiecerit alpes, ego conſtitui: ideſt propoſui collocare in alpibus præſidium, ideſt militum cuſtodiam, qui tranſitum prohibeant, & facere te certiorem de omni re. Quæ fere tota contra conſtitutum bonorum euenit. Nā Lepidus, & Antonius etiam Cæſarem in partes ſuas traxerunt, & ſimul Triumuiratum inierunt. Ex caſtris Rhegiis .i. quæ ſunt Rhegii. quod oppidum eſt non longe a Mutina. dictum Rhegium Lepidi.

SEBAS. CORR. Inimici noſtri} Antoniani. {Coſ. ſublatis} Hirtio, & Panſa. {Ventidius elabatur} ea Piceno treis legiones ducens. {Reiotegrare} redintegrate legendum eſt. {Perſuaſiſſimum eſt, Lepidum} In ueteribus libris legimus, perſuaſi Aſinium, & Lepidum. {Vobis id de hoc} Al. uobis hoc IIII. Calend. Maii. {Ex caſtris Rhegii} Al. IIII. Calen. Maii ea caſtris Rhegiis,

BERN. RVTI. PHIL. MELi. NON te præteriit} præterit, in aliis textibus.

Panſa amiſſo} Breuis querela, addita adhortatione. {Nunc authoritate} Expoſitio ſuorum conſiliorum de bello. {In primis} Petitio. {Neq; hæc} Concluſio, quo cōſilio hæc ſcribat. {Si ſe Alpeis} Repetitio conſilii.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Scribit Ciceroni, ſe maxime illius patrocinium expetere in defenſione ſuæ authoritatis. deinde reipublicæ calamitatem exponit, quidq; Antonius egerit a fuga: & quomodo facile ſuperari potuiſſet, ſi omnia ex uoto ſucceſſiſſent.

D. BRVTVS M. T. CICERONI. S. D. 10

Non mihi rempub. plus debere arbitror, quàm, me tibi. gratiorem me eſſe in te poſſe, quàm iſti peruerſi ſint in me, exploratum habes: ſi tamen hæc temporis uideantur dici cauſa, malle me tuum iudicium, quàm ex altera parte omniū iſtorum: tu enim à certo ſenſu & uero iudicas de nobis, quod iſti ne faciant, ſumma maleuolentia, & liuore impediuntur. interpellent me quominus honoratus ſim, dum ne interpellent, quo minus Reſpub. à me commode adminiſtrari poßit. quæ quanto ſit in periculo, quàm potero breuißime exponam. Primum omnium, quantam perturbationem rerum urbanarum afferat obitus Conſulum, quā tamq; cupiditatem hominibus iniiciat uacuitas, non te fugit. ſatis me multa ſcripſiſſe, quæ literis commendari poßint, arbitror: ſcio enim cui ſcribam. reuertor nunc ad Antonium. qui ex fuga cum paruulam manum peditum haberet inermium: ergaſtula ſoluendo, omneq; genus hominum arripiendo, ſatis magnum numerum uidetur effeciſſe. huc acceßit manus Ventidij, quæ trans Apenninum itinere facto difficillimo, ad Vada peruenit, atque ſe ibi cum Antonio coniunxit. eſt numerus ueteranorum, & armatorum ſatis frequens cum Ventidio. conſilia Antonij hæc ſint neceſſe eſt, aut ad Lepidum ut ſe conferat, ſi recipitur, aut Apennino, alpibusq; ſe teneat, & decurſionibus per equites, quos habet multos, uaſtet ea loca, in quæ incurrerit: aut rurſus ſe in Hetruriam referat, quòd ea pars Italiæ ſine exercitu eſt. quòd ſi me Cæſar audiſſet, atque Apenninum tranſiſſet: in tantas anguſtias Antonium compuliſſem, ut inopia potius, quàm ferro conficeretur. ſed neque Cæſari imperari poteſt: nec Cæſar exercitui ſuo. quod utrunque peßimum eſt. cum hæc talia ſint, quo minus quod ad me pertinebit, homines interpellent, ut ſupra ſcripſi, non impedio: hæc quemadmodum explicari poßint aut, à te cum explicabuntur ne impediantur, timeo. alere iam milites non poßum. cum ad rempub. liberandam acceßi, HS mihi fuit pecuniæ CCCC. amplius: tantum abeſt ut meæ rei familiaris liberum ſit quicquam, ut meos iam omneis amicos ære alieno* obſtrinxerim. ſeptenum numerum legionum alo. qua difficultate, tu arbitrare. non, ſi Varronis theſauros haberem, ſuſtinere ſumptum poßem. cum primum de Antonio exploratum habuero, faciam te certiorem. Tu me amabis ita, ſi hoc idem me in te facere ſenſeris. III. Non. Maii, ex caſtris, Derthone. Vale.*

*al. hominibus honoribus.

ASCENSIVS. Non mihi &c. Dicit ſe plurimum debere Ciceroni a quo grauiſſime defenſus erat. Oſtendit etiam in quanto periculo ſit reſpub. & quid moliatur Antonius, cuius incēptis facile obſiſtere potuiſſet, ſi Cæſarē Octauium adiutorē habuiſſet. quod & Senatui indicari petit, & in quāta ſit pecuniæ penuria. Ordo eſt. Non arbitror rempu. debere mihi plus, quam me tibi, tu habes exploratum .i. perſpectum & cognitū, me poſſe eſſe, uidelicet ſi libere in ciuitate libera uiuere poſſem, gratiorem .i. magis memorem beneficii in te, quam iſti peruerſi, qui .ſ. ob liberatam rempu. pro qua immortales mihi gratias debent, ut hoſtem patriæ perſequuntur, ſint in .i. erga me. Autem .i. ſed, ſi uideatur hoc tempore .ſ. adhuc dubio & incerto de exitu belli dici .ſ. ſententia honeſta de me, ab his .ſ. peruerſis, cauſa ſimulationis .i. ut ſimulent ſe amicos reipu. ego mehercule mallem .i. pluris æſtimem, iudicium tuum .ſ. ſolius de me, quam ſup. iudicia omnium iſtorum .ſ. peruerſorum ea altera parte .ſ. ſi iudicium tuum, ponatur ex una parte quaſi bilancis, & iudicia omnium peruerſorum in altera parte, ego pluris faciam iudicium tuum ſolius, quam omnium iſtorum, etiam ſi cauſa ſimulationis pro me iudicent. Tu enim iudicas de nobis a ſenſu certo & uero .i. non ficto, nec pro tēpore aſſumpto quod iſti .ſ. peruerſi impediuntur ne faciant .i. impediuntur facere, nō quia illis iuſta cauſa deſit, ſed ſumma maleuolentia & liuore .ſ. ſummo .i. tetra inuidentia, quæ hominem liuidum facit, hoc eſt plumbei coloris, qualis fit ea morſu non aperta cute, aut ex congreſſu uiolento, unde Tibullus. Tū ſuccos herbaſq; dedi, quis liuor abiret, Quē facit impreſſo mutua dente Venus. Et Iuue. Vuaq; conſpecta liuorem ducit ab uua. Interpellent .i. inquit aut concedo ut interpellent .i. diſturbent & impediant me, quo minus: ideſt ut non ſim honoratus, dum ne: ideſt non interpellent: ideſt impediant quo minus .i. ut non reſpub. non poſſit adminiſtrari commode a me. Quæ .ſ. reſpub. in quanto ſit periculo, ego exponam .i. declarabo, quam, ideſt quantum potero breuiſſime. Primum omnium non fugit te .i. ſcientiam tuam, hoc eſt bene ſcit quantam perturbationem omnium rerum urbanarum, hoc eſt urbis Romæ, quæ per excellentiam dicitur urbs, obitus, ideſt interitus & cædes Conſulum: ſcilicet Panſæ & Hirtii in bello occiſorum, adferat: ſcilicet modo, eſt enim præſentis coniunctiui non futuri optatiui, & quantam cupiditatem non uitas, ſcilicet ſtatuum & gubernatorum iniiciat, ideſt quam cupidi & auidi ſint homines, ut ſemper fuerunt innouandarum rerum, iniecta, ſcilicet ſpe per mortem Cōſulum. Et ſupple aut de qua re, ego arbitror me ſcripſiſſe ſatis multa quæ poſſunt commendari, ideſt tuto credi literis. Scio enim cui ſcribam, quia amatori reipub & homini ſapientiſſimo. Reuertor nunc ad Antoniū, qui cum haberet paruulam manum militum inermium e fuga: ſcilicet collectorum, uidetur effeciſſe ſatis magnum numerum: ſcilicet militum, ſoluendo: ideſt aperiendo ergaſtula: ideſt ſeruos ipſos qui in ergaſtulis ligati tenebantur ad faciendum opus dominis ſuis, & arripiendo omne genus hominum, ut ſunt latrones, ſicarii, exules, parricidæ, qui ſolum uerterunt, & ſimiles. Huc: ideſt ad hoc malum aut ad hanc manum militum, acceſſit .i. addita eſt manus .i. exercitus Ventidii, quæ .ſ. manus itinere difficillimo facto trans Apenninum .ſ. montem qui Italiam dirimit a Liguſtico mari in Adriaticum fere protenſus, peruenit Vada: ſcilicet Sabbatia, nunc quidam portum Vadorum ad Saonam dici uolunt, atq; coniunxit ſe ibi cum Antonio. Numerus ueteranorum .ſ. militum, cum prius paucos armatos habuiſſet, eſt ſatis frequens .ſ. in exercitu Antonii poſt aduentum Vētidii. Neceſſe eſt ut cōſilia Antonii cum Ventidio ſint hæc, aut ut: ſcilicet Antonius conferat ſe ad Lepidum ſi recipitur: ſcilicet a Lepido, aut teneat ſe Apennino, ſcilicet monte & alpibus, hoc eſt in Liguria inter Apenninum & alpes, & uaſtet ea loca quæ incurrerit, decurſionibus per equites quos habet multos, aut referat ſe rurſus in Hetruriam, quod ea pars Italiæ eſt ſine exercitu, quod, ideſt quam rem ſi Cæſar: ſcilicet Octauius audiſſet me, atq; tranſiſſet in Apenninum præcluſurus: ſcilicet iter Ventidio, ipſe compuliſſem Antonium in tantas anguſtias, ut conficeretur: ideſt cōſumeretur & periret potius inopia ſcilicet commeatus, quam ferro. Sed neq; poteſt, ſcilicet a me, aut quoquam imperari Cæſari, nec Cæſar ſupple poteſt imperare ſuo exercitui, quod utrunq; eſt peſſimum. Cum hæc ſint talia: ideſt tam periculoſa, non impedio, ideſt non obſto ut ſcripſi ſupra, quo ideſt ut, homines minus. Ideſt non interpellent: ideſt diſturbent quod pertinebit ad me: ideſt ad honorem meum. Ego timeo: ſcilicet non inueniri, aut timeo pro dubito, ſicut dubito

pro timeo interdum accipitur, quemadmodum hæc. s. quæ impediunt mala possint explicari. i. absolui, aut ne impediantur cum. i. quando explicabuntur a te. Ego non possum iam alere milites, quia pecuniæ defecerunt. Cum. i. quando accessi ad rempu. liberandam fuit mihi amplius quatuor millibus sestertium pro sestertiorum. quod si non dicitur, dicere tamen licet, quia sestertius reperitur. sit ordo, sestertium fuit mihi amplius quatuor millibus. Tantum abest sup. nunc ut quicquam rei meæ familiaris sit liberum. i. non obligatum ære alieno, ut obstrinxerim iam omnes amicos meos ære alieno. i. debito quo se pro me obligauerunt. Ego alo numerum septenum legionum. i. legiones septem numero, in quibus sunt ultra quadraginta millia militum. Arbitrare tu. i. existima, qua difficultate. q. d. nimium maxima. Ego non possem sustinere sumptus. i. impendia si haberem Thesauros Varronis, hominis ditissimi. Ego faciam te certiorem cum primum habuero sup. aliquid exploratum de Antonio. Tu amabis me, si senseris sup. me facere hoc idem in te. Datum sup. aut scriptum Derthone, alii habent Derthona subaudiendo e, ex castris. I I I. Nonas Maias.

VICTORIVS.

SI autem hoc tempore ab his uideatur dici causa simulationis, &c.} Nos hunc locum mendosum existimamus: sed tamē quia in ueteribus nonnihil scrupuli erat, receptam lectionem non deleuimus. apposita tamen nota, quasi damnauimus, & non sine præiudicio quodam huc ad causam dicendam reiecimus. semel iam auditis utriusque rationibus in alteram partem magis propensi sumus: impressa lectio omnibus exposita & aperta est: uetus ut est, huc transferetur. {Sit an hoc tempore is uideantur dici causa malle me}&c. Nos, si paulum eam adiuues, synceriorem ueterem iudicamus, arbitramur aūt ea duabus illis dictionibus, {Tēpore is,} unā faciendam secundo casu ab hoc recto, tempus, antiqua nec infrequenti scriptura in hoc codice, ut ad Tyronem, Dei boni quanto mihi illud erit amabilius. Et ad Plancum, Qui aut armis posteria pacem petere debent. retinet enim Mediceus codex ueterem scripturam, ut hac etiam epistola, quod in infinitis marmoribus notatum est, {Libore} pro {Liuore,} positum est. Hoc autem concesso, uel ut (hæc) pro (hoc) legas, uel contra singulariter, quod est in antiquo, numero multitudinis {Videantur,} omnem hunc locū (ut arbitror) non incommode restituerit, Dictiones autem quædam in uulgatis suppletæ, nisi fallor, abundāt. Quod si duriusculus est huius loci sensus, concisiorque uerborum structura, huius uiri scriptioni attribues, qui imitabatur λακωνισμόν. {Iniciat nouitas} Omnes ueteres codices {Vacuitas} omnino melius. i. spoliatam esse rempub. Consulibus: nondum enim noui creati erant. {Sustinere sumptum} Veteres omnes (subsistere sumptui) habent. Quam lectionem & recepimus, & probauimus. intelligimus enim Subsistere sumptui, pares esse sumptui, posse sumptibus qui fiunt, manere, & perdurare: ita quasi me fortem præbere his sumptibus, ut eos regam nec eorū pressu corruam. {Derthona} Plyn. sane lib. I I I. cap. V. Derthonam coloniam his locis memorat, cuius eadē & una est (ut putamus) quæ Decimi Derthona, nam quantum ad eius uerum nomen Dertona ne, an Derthona fuerit, maluimus nos hac parte antiquorum codicum fidem sequi, quos admirandæ uetustatis habuimus, quam uulgatos Plinii codices. Quod si Strabonis orthographiæ fidē habeamus, recte uetera exemplaria aspirationem retinent: melius tamen impressi codices {Dertona} nō Dertomam habent: ab eo enim Derthon appellatur, ἔστι δ' ὁ δέρθων πόλις ἀξιόλογος κειμένη κατὰ μέσον [illegible] Nā quod nonnulli {De ehotonia,} rē claram confundunt.

Ex poste. eiusdem.

SI autem hoc tempore} Qui dum liber ederetur, purgari non potuit locus, quomodo restitui deberet in castigationibus nostris perscriptum est: quem tamen nonnulli uideri nolunt opera se aliorum librorum castigasse, cum pusilla tantum in re, ac fortasse sine causa, a me dissentiant, temporis causa, sæpe etiam Cicero dixit, ut ad Q. Fratrem 270 Si temporis causa constituerentur, leuis. Et in Verrem 102. Fingi a me totum temporis causa putatote.

PAVL. MANV.

MAlle me tuum iudicium} Referuntur hæc ad id quod dixit exploratum habes. totum autem hunc locū ex codice Pauli Boti, & Vincentii Riccii emendauimus.

SEBAS. CORR.

ISti peruersi} De iis ad M. Brutum sic scribit: Quo die decreui, ut D. Bruti nomen in fastis adscriberetur, cognoui paulo plures in Senatu maleuolos esse, quam gratos. {Si autem hoc, &c.} Vt omittam, quicquid ab aliis hoc loco dicitur, sic mihi ex uetere libro, & sensu uidetur legendum: Si tamen hoc temporis non uideatur dici causa, mallem mehercule, &c. {Iudicium quam} Al. iudicium sequi, quam. {Obitus Coss.} Hirtii & Pansæ. {Nouitas} Al. uacuitas. Al. tua ciuitas. Al. tua charitas: id quod fortasse recipiendū sit, ut charitas intelligatur erga Octauium, qui Ciceronis amicitia fretus, Consulatum petebat. {Ad uada} Episto. X I I I. huius lib. & Strabo lib. I I I I. {Compulisset} Al. compulissem. {Imperari potest} qui ne mecum quidem colloqui uoluerit. {Exercitui suo} Imo poterat imperare etiam cupienti, si uera scribunt Historici. Quare uel hoc in Cæsaris Octaui contemptionem est dictum, uel quia ueterani interfectores Cæsaris oderant, nec poterant adduci, ut cum iis esse uellent. {Quattuor millib.} Al. pecuniæ C C C C. unde mendosum esse locum quidam suspicantur. {Septenum} Multi legunt, septem. {Varronis thesauros} de quibus fortasse loqueretur Varro in eo libro, quē περὶ πλούτου inscripserit. nam M. Varro inter diuites non est numeratus, nisi alter fuerit. {Sustinere sumptum} Al. subsistere sumptui. {Derthona} urbe inter Genuam & Placentiam a Scriptoribus posita. Strabo lib. V.

BERN. RVTI.

SAtis me multa scripsisse, quæ literis commentari possunt arbitror} Commendari lego, ex sensu, aliis codicibus, & usitato orationis genere.

PHIL. MELá.

NOn mihi Rempub.} Exordium a commemoratione officiorum Ciceronis, pro quibus pollicetur perpetuam gratitudinem. {Primum omnium} Narrationes.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Mirari se dicit, cur Antonium Brutus confestim non sit persecutus, cum id plerique illi facile fuisse dicant, hortaturque sub finem, ut omnes calumnias quantum fieri potest, uitet.

D. BRVTVS IMP. COS. DES.
M. CICERONI. S. D. 11

EOdem exemplo literæ à te mihi redditæ sunt, quo pueri mei attulerunt. Tantum me tibi debere existimo, quantum persoluere difficile est. Scripsi tibi, quæ hic gererentur. in itinere est Antonius: ad Lepidum proficiscitur: ne de Planco quidem spem adhuc abiecit, ut ex libellis eius animaduerti, qui in me inciderunt, in quibus, quos ad Asinium, quos ad Lepidum, quos ad Plancum mitteret, scribebat. ego tamen non habui ambiguum, & statim ad Plancum misi: & biduo ab Allobrogibus, & totius Galliæ legatos expecto, quos confirmatos domum remittam. Tu quæ istic opus erunt administrari, prospicies, ut ex tua uoluntate, reique publi. commodo fiant. maleuolentiæ hominum in me, si poteris, occurres: si non poteris, hoc te consolabere, quòd me de statu meo nullis contumeliis deterrere possunt. prid. Non. Maii. ex castris, finibus Statiellensium.

ASCENSIVS.

EOdem &c. Ex Alpibus scribens Brutus dicens se dubitare de Lepido & Planco ne cum Anto. coniungantur, quia miserat ad eos nuncios occulte, dicit se expectare Allobrogas, & petit a Ci. defendi. Ordo est: Literæ sunt redditæ mihi a te: scilicet missæ, eodem exemplo, idest eadem forma scribendi & eodem argumento quo pueri mei, idest serui, attulerunt, idest annunciauerunt mihi uerbis, hoc est id quod pueri mihi annunciauerant de te, perspexi in literis tuis quæ fuerunt consonæ uerbis eorum. & ideo. Ego existimo, idest iudico, me debere tibi tantum, quātum difficile sit persoluere. Scripsi tibi quæ geruntur hic. Antonius est in itinere, proficiscitur ad Lepidum. ne quidem, idest non etiam aut saltem abiecit spem de Planco: scilicet in partes suas uocando. ut animaduerti ex libellis: idest epistolis eius. qui inciderunt in me: idest in manus meas aut meorum. In quibus: scilicet libellis scribebat, quos, scilicet nuncios, aut solicitatores mitteret ad Asinium, scilicet Pollionem in Hispaniam. quos mitteret ad Lepidum. quos ad Plancum. Ego tamen non habui ambiguum. i. dubium & misi statim ad Plancum. & expecto biduo. i. intra biduum, legatos ab Allobrogibus populis Galliæ inter alpes, & Rhodanum & legatos totius Galliæ, quos. s. legatos, ubi uenerint, ego mittam domum. s. suam, confirmatos. s. in fide reipub. Romanæ, Tu prospicies, quæ opus erūt administrari istic, idest Romæ, ut fiāt ex uoluntate tua, & commodo reipub. Tu occurres, idest resistes, si poteris, maleuolentiæ hominum in me, si non poteris, consolabere, supple te, hoc, in hac re, quod ipsi maleuoli nullis contumeliis possunt deterrere me de statu meo.

SEBAS. CORR.

TOtius Galliæ} Alii legunt, totius Galliæ populis. {Opus erunt} opus erit, a quibusdam reponitur. {Statiellensium} Plyn. lib. I I I. cap. V. & lib. X X X I. cap. I I.

PHIL. MELá.

EOdem exemplo} Narratio de Antonii profectione & spe, itē de suo studio pro republica.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Narrat Ciceroni, quid de Lepido & Planco suspicabatur, & quos miserit, quæque auxilia adhuc expectet.

M. CICERO D. BRVTO IMP. COS. DES. S. D. 12

*TRes uno die à te accepi epistolas: unam breuem, quam Flacco Volumnio dederas: duas pleniores, quarum alteram tabellarius T. Vibii attulit, alteram ad me misit Lupus. Ex tuis literis, & ex Græceii oratione non modo non restinctũ bellum, sed etiam inflammatum uidetur. non dubito autem pro tua singulari prudentia, quin perspicias, si aliquid firmitatis nactus sit Antonius, omnia illa tua præclara in Rempub. merita, ad nihilum esse uentura: ita enim Romam erat nunciatum, ita persuasum omnibus, cum paucis inermibus perterritis metu, fracto animo fugisse Antonium. qui si ita se habet, ut (quemadmodum audiebam de Græceio) confligi cum eo sine periculo non poßit: non ille mihi fugisse à Mutina uidetur, sed locum belli gerendi mutasse. itaque homines*alij fracti sunt, nonnulli etiam queruntur, quòd persecuti non sitis. opprimi potuisse, si celeritas adhibita esset, existimant. omnino E S T hoc populi, maximeq; nostri, in eo potißimum abuti libertate, per quem eam consecutus sit. sed tamen prouidendum est, nequa iusta querela esse poßit. res sic se habet. is bellum confecerit, qui Antonium oppresserit. hoc quam habeat uim, te existimare malo, quàm me apertius scribere. Vale.*

*al. alij facti.

ASCENSIVS. TRes &c. Cum intellexisset Cice quas uires haberet M. Anto. dicit eum non fugisse, sed locum mutasse uideri, itaq; Brutum, quod eum non sit statim persecutus, monet, caueas dare iustam querelæ causam. Ordo est. Ego accepi a te tres epistolas uno die, unam breuem, quam dederas. s. perferendam Flacco Volumnio. Duas pleniores. i. plenius rem declarantes, quia proliaiores. Quarum. s. duarum tabellarius Titi Vibii attulit, alteram Lupus misit ad me alteram. Bellum uidetur ea literis tuis, idest ut sonant literæ tuæ, & oratione Græceii: idest secundum quod Græceius locutus est, non modo non restinctum, sed etiam inflammatum Non dubito autem quin perspicias pro singulari prudentia tua, si Antonius nactus sit: idest acquisiuerit aliquid firmitatis, omnia illa præclara merita tua in rempu. esse uentura ad nihilum, quia nunc uideretis tantum peccasse, quãtum prius demeruisse. Enim, idest quia nunciatum erat Romam ita, persuasum erat omnibus ita, Antonium fugisse animo fracto, idest habentem animum fractum, cum paucis, scilicet militibus, inermibus, & supple perterritis metu. Qui, scilicet Antonius, si habet se ita ut non posit confligi, idest conflictus fieri, hoc est pugnari cum eo sine periculo, quemadmodum audiebam de, idest ea uel a Græceio. Ille: scilicet Antonius non uidetur mihi fugisse de Mutina, sed mutasse locum gerendi belli. Itaq;, idest & ita homines, hoc est ciues Romani alii, idest aliqui sunt fracti, scilicet animo, idest desperantes de uictoria. nonnulli queruntur, idest conqueruntur etiam quod non sitis persecuti eos, scilicet fugientes, tantisper dum erant trepidi & inermes. Ipsi supple existimant eos potuisse opprimi. i. ui expugnari & occidi, si celeritas. s. persequendi eos, esset adhibita. Callide, quod ipse opinatur, ne Brutum lædat, dicit alios opinari, ueruntamen fieri potuit ut alii opinarentur. Hoc. s. quod dicet: uidelicet abuti libertate: idest nimis libere loqui, potissimum: idest præcipue in eo: uidelicet in te, per quem consecutus sit eam. s. libertatem, est omnino. s. proprium populi, & maxime nostri, idest nobis fauentis. Sed tamen: idest tametsi forte populus id inique fecerit, tamen prouidendum est, nequa iusta querela posit esse. Res: idest negocium hoc, habet sic se, supple us is confecerit: idest finieris bellum, qui oppresserit Antonium. Quam uim, idest efficaciam habeat hoc, scilicet consilium aut dictum, malo te existimare: idest iudicare, quam me scribere apertius.

SEBAS. CORR. {Nermibus} Al. inermis. {Existimant} Al. existimatur.

PHIL. MELA. TRes uno die} Narratio, quæ continet quandam reprehensionem, quod passus sit Antonium effugere: simul monens, ut studeat opprimere Antonium.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Excusatoria est epistola, qua purgat se ab iniustis querelis, quod Antonium non sit mox persecutus, hortaturq; Ciceronem, ut & ipse & omnes boni bono animo sint, sed tamen solliciti in curanda republica.

D. BRVTVS IMP. COS. DES. M. C. S. 13

IAm non ago tibi gratias: cui enim re uix referre possum, huic uerbis non patitur res satisfieri. Attendere te uolo, quæ in manibus sunt: qua enim prudentia es, nihil te fugiet, si meas literas diligenter legeris. sequi confestim Antonium his de causis Cicero non potui. erã sine equitibus, sine iumentis. Hirtium perisse nesciebam. Cæsari non credebam prius quàm conuenissem, & collocutus essem. hic dies hoc modo abiit. postridie manè à Pansa sum accersitus Bononiam. cum in itinere essem, nunciatum mihi est eum mortuum esse. recurri ad meas copiolas: sic enim uere eas appellare possum. sunt extenuatißimæ, & inopia omniũ rerum peßime acceptæ. biduo me Antonius anteceßit, itinere multo maiore fugiens, quàm ego sequens: ille enim iit paßim, ego ordinatim, quacunque iuit, ergastula soluit, homines arripuit. constitit nusquam prius, quàm ad Vada uenit: quem locum uolo tibi esse notum. iacet inter Apenninum, & alpeis, impeditißimus ad iter faciendum. cum abessem ab eo millia passuum triginta, & se iam Ventidio coniunxisset: concio eius ad me est allata: in qua petere cœpit à militibus ut se trans alpeis sequerentur, sibi cum M. Lepido conuenire. succlamatum est, & frequenter à militibus Ventidianis (nam suos ualde quampaucos habet) sibi aut in Italia pereundum esse, aut uincendum. etiam orare cœperunt, ut Pollentiam iter facerent. cum sustinere eos non posset, in posterum diem iter suum contulit. hac re mihi nunciata, statim quinque cohorteis Pollentiam præmisi, meumq; iter eò contuli. hora ante præsidium meum Pollentiam uenit, quam Trebellius cum equitibus. sanè quam sum gauisus: in hoc enim uictoriam puto consistere. in spem uenerant, quòd neque Planci quatuor legiones omnibus suis copiis pluris arbitrabantur: neque ex Italia tam celeriter exercitum traiici posse credebant. quos ipsi adhuc satis arroganter Allobroges, equitatusq; omnis, qui eò præmissus erat à nobis, sustinebant: nostroq; aduentu sustineri facilius posse confidimus. tamen si quo, etiam casu Isaram se traiecerint, nequid detrimenti Reipub. iniungant, summa à nobis dabitur opera. uos magnum animum, optimamq; spem de summa Reipub. habere uolumus, cum & nos & exercitus nostros singulari concordia coniunctos, ad omnia pro uobis uideatis paratos. sed tamen nihil de diligentia remittere debetis, dareq; operam, ut quamparatißimi ab exercitu, reliquisq; rebus pro uestra salute contra sceleratißimam conspirationem hostium confligamus. qui quidem eas copias, quas diu simulatione Reipub. compararant, subito ad patriæ periculum converterint.

ASCENSIVS. IAm &c. Quia in præcedenti epistola Cice. familiariter monuerat Brutum ut daret operam ne iusta habeatur de eo querela: Brutus se tantum debere Ciceroni fatetur, ut agendo gratias non putet se satisfacturum. Purgat autem quod non statim persecutus sit Antonium, addocens uarias rationes, & bonam de se spem excitans. Ordo est, Iam non ago gratias tibi, idest iam non est mihi honestum, aut satis possum agere: idest uerbis dicere tibi gratias. Enim: idest quia, res non patitur satisfieri uerbis huic, cui uix possum referre, idest tantundem ferre atq; acceperim, re. s. ipsa reddendo. s. rem aut operam æquiualentẽ. Ego uolo te attendere: idest animaduertere, quæ sunt in manibus: idest parata & proxime fient. Enim, idest quia qua prudentia es: idest secundum eam prudentiam qua polles, nihil fugiet: idest præteribit aut latebit te: idest rem omnem intelliges, si legeris literas meas diligenter. O Cice. ego non potueram sequi Antoniũ confestim: idest cum festinatione statim post cladem apud Mutinã ab eo acceptam, his causis: idest propter has causas, sine equitibus & sine iumentis, idest cum non haberem equites ut ille, & deessent iumenta quæ impedimenta nostra ferrent. Vna causarum est quod nesciebam Hirtium, scilicet Consulem perisse. Ego non credebam Cæsari, scilicet Octauio, priusquam

ras,& ea habebitur. Ego assentior tibi ualde,de Bruto.s. Marco ac cersendo,& de Cæsare tenendo ad præsidium.i.custodiam Italiæ. Sed ut scribis,tu habes obtrectatores,quos equidem i.ego quidem sustineo i.perfero,ita quod me defensorem tui non uideant facillime. Sed homines mirantur bellum renatum istic.s.cum Anto. Nihil sup.accidit,unquam tam præter spem. Nam uictoria nunciata.i. postquam erat nunciata Die tuo natali,qui.s.celebrabatur ab omnibus benemeritis de patria, unde Iuuena. Quale coronati Heluidius Traseasq; bibebant,Brutorum & Cassi natalibus.nos uidebamus Remp.liberatam in multa secula,sed sup.timores noui retexunt.i.destruunt superiora.s.gaudia. Scripsisti autem ad me.us.s.literis,quas dedisti ad me Idibus Maii,te accepisse modo i pauloante literas a Planco, Antonium.i.quæ dicebant, Antonium non recipi a Lepido. Si id est ita,omnia supple erunt faciliora , sin.i.sed si, aliter supple sit,magnum negocium supple erit , idest difficile bellum,cuius exitum,idest finem ne extimescam,sunt tuæ partes,idest ad tuum officium pertinet. Ego non possum plus facere quam feci. Tamen cupio,id quod spero.s.uidere te maximum & clarissimum omnium.s.mortalium.

VICTORIVS. MExq; illæ uehemẽtes cõciones}Nos,{Cõtentiones}scripsimus,ut inuenimus in duobus illis maxime mihi probatis codicibus,quorum ope olim Politianus hac ipsa in epistola Græcas uoces abolitas restituit:eosdem enim habuimus,accurateq; summo otio pertractauimus. Loca autem ab Angelo restituta, ab omnibus nunc recepta,nos quoq; mirabiliter probamus.

SEBAS. CORR. DE Decemuiris}Episto. XX. huius libri {Adolescẽte} Octauio.{ὄργανον}instrumentum.{σκιαμαχίας}umbratiles pugnæ.{Esse uideantur}non succedentibus ibi rebus: ut exponit Politianus.uel potius illo priore animi mei impetu, atq; ardore hac uictoriæ spe remisso.{Ad te posse perduci}Eæ enim legiones, & milites ueterani fere omnes interfectores Cæsaris oderant. {De Bruto}de M.Bruto,qui erat in Macedonia . {Ex Africa}Episto, XXIIII.lib.X.{Retexunt superiora}Al.retexant superiores.

BERN. RVTI. MIrabiliter,mi Brute,lætor,mea consilia, measq; sententias a te probari,de Decemuiris,{de adornãdo adolescente}Decemuiros illos ipsos accipio,quos unos reiicit Clericus.s. agris diuidendis,non quidem ex lege Cæsaria,sed noua. de quibus iisdem & epistola post sexta,& Plutarchus in Cicerone: agris.s.diuidundis.& præmiis ueteranis(quorum uirtute superatus esset Antonius)assignandis,iidemq; hi sunt,quos ex Appiano ad distributionem creatos,ieiune ab interprete eius authoris conuersum est. {Organum enim erat meum Senatus,id iam dissolutum} Assentior de organo, Politiano,deq; etiam sciamachia:ut tamen,quod ad sciamachiam,etiam in partem accipi bonam possit . tanquam ironicos iocoseq; Cice.doleat,sublatam sibi,finito,ut putabatur,bello,concionum & illius sui oratorii regni exercendi facultatem. eam enim fuisse omnium lætitiam,ut ne cogi quidem amplius Senatus posset quasiq; pugnare in umbras ac laruas Cice.uideatur,qui ne tũ quidem orare in Senatu,& ad bellum incitare,fuso fugatoq; Antonio desistat.

Ang Pol. Miscell. cap.34. RVsticum nimis & illepidum sordidumq; adeo plane uocabulum Ciceronis epistolam occupauit,eã quæ est ad Brutum,isto principio: Mirabiliter mi Brut.lætor sic enim in ea legimus. Meq; illæ uehementes contentiones tanquam scientia adnihilatæ esse uideantur. Quod quidam tamen hactenus corrigunt,ut dicant,tanquam si iam adnihilatæ esse uideantur. Consulant quæso,eruditi peritiq; idoneorum uerborum ueterumq; lectionum,consulant suum quisq; iudicium sensumq;,ac tum demum credere audeant,adnihilatas contentiones scriptum fuisse a Cicerone Nos in codicibus duobus Mediceæ familiæ , quorum supra quoq; fidem allegamus,mendose id etiam: sed tamen ut erroris ad huc uestigium non sit abolitum,sic reperimus, Tanquam Sciamachalaæ esse uideantur. Quare suspicamur legendum,Sciamachiæ . Sunt enim Sciamachiæ nihil sane aliud,quam umbratiles pugnæ. Sentit enim Cicero hoc utiq;,frigere iam se plane in Senatu,non succedentibus Bruto rebus,suasq; illas uehementeis contentiones,sciamachias uideri. Vocabulum ipsum perquam est elegans apud Græcos,& magnopere usitatum. Quin Galenus quoq; medicus lib.II. ὑγιεινῶν sic ait, μεταβαίνειν δὲ καιρὸς ἐπὶ τὰ ταχέα χωρὶς ὠκύτητος καὶ βίας. δρόμοι δ᾽ ἐπὶ τούτῳ, καὶ σκιαμαχίαι. Inter celeres exercitationes quæ tamen attentæ,uiolentæq; non sunt , etiam cursus numerat,& sciamachias. Denique uel Eusthathius in Odysseæ commentario Rhapsodiæ tertiæ,de uerbo eo sic meminit, ὅ μοίως δὲ καὶ τὸ μεθ᾽ μαχήμεθα, φαῦλον δηλοῖ... σκιαμαχεῖν Et M. Varro satyram unam e suis illis Menippeis Sciamachiam inscripsit. Hæc enim apud Gellium uera ex antiquis exemplaribus lectio: non ut quidam etiam scribunt Criomachia . quin paulo etiam supra in epistola eadem Ciceronis,uocabulum alterũ, quod est ὄργανον, de Græca scriptura deprauatum,migrauit in Latinam. Nam pro eo quod erat ὄργανον factum iam optanum: neque autem hoc quoq; ab ullo hactenus animaduertitur. Quare sic legegis, Plane iam Brute frigeo: organon enim erat meũ Senatus: ut quo pro organo Cice.instrumentoq; utebatur.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Gratam sibi Bruti diligentiam in salutando illum per Planci fuisse scribit. Hortatur deinde,ut egregiam operam Respu.nauet.

M. T. C. D. BRVTO IMP. S. 15

ETsi mihi tuæ literæ iucundißimæ sunt: tamen iucundius fuit quòd in summa occupatione tua Plãco Collegæ mandasti, ut te mihi per literas excusaret . quod fecit ille diligenter.mihi autem nihil amabilius officio tuo,& diligentia.coniunctio tua cum Collega,concordiaq́; uestra,quæ literis communibus declarata est,Senatui,populoq́; Roma.gratißima accidit.quod superest,perge mi Brute,& iam non cum aliis,sed tecum ipse certa.plura scribere non debeo,præsertim ad te,quo magistro breuitatis uti cogito.Literas tuas uehementer expecto,& quidem taleis,qualeis maxime opto.

ASCENSIVS. ETsi &c. Mandauerat Planco Brutus ut se apud Cic.excusaret,quod ad eum non scripserat, quod factum esse sibi placere dicit,sicut & concordiam Planci ac Bruti, monens Brutum ut se solum miretur . Ordo est: Etsi.i. quanquam literæ tuæ sunt iucundissimæ mihi, tamen iucundius fuit quod mandasti in summa occupatione tua Planco Collegæ.s.tuo,ut excusaret mihi te per literas,quod ille.s.Plancus fecit diligenter. Autem.i.sed nihil supple est mihi amabilius officio tuo & diligentia.s.in uindicanda libertate Respu. Coniunctio tua cum Collega.i.cum Imperatore Planco, & concordia uestra quæ declarata est omnibus literis.i.per literas,accidit Senatui Populoq; Roma.gratissima. Quod superest.i.restat o mi Brute,perge .i.perfice & procede,& certa iam non cum aliis.s.quos superasti, sed tecum. Ego non debeo scribere plura,præsertim ad te,quo cogito,idest propono uti magistro breuitatis. Ego expecto uehementer literas tuas,& quidem,idest certe tales.s.uictoriæ tuæ indices,quales opto maxime.

SEBAS. CORR. CVM Collega}cũ Planco.{Magistro breuitatis}Epist.XXV. huius libri.

PHIL. MELA. ETSI mihi tuæ literæ}Exordium a comprobatione officii. {Mihi autem}Narratiuncula.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Commendat Lamiam.familiaritatis & meritorum ratione D.Bruto , ut eum iuuet per suos in præturæ petitione.

M. T. C. D. BRVTO IMP. S. 16

PErmagni interest , quo tibi hæc tẽpore , epistola reddita sit . utrum cum solicitudinis aliquid haberes: an cum ab omni molestia uacuus esses.itaque ei præcepi ,quem ad te misi,ut tempus obseruaret epistolæ tibi reddendæ:nam quemadmodum coram qui ad nos intempestiue adeunt , molesti sæpe sunt : sic epistolæ offendunt non loco redditæ.si autem,ut spero,nil te perturbat,nihil impedit,& ille,cui mandaui,satis scite,& commode tempus ad te cepit adeundi:confido me,quod uelim,à te facile impetraturum.L.Lamia Præturam petit.hoc ego utor uno omnium plurimum.magna uetustas,magna consuetudo intercedit , quodq́; plurimum ualet,nihil mihi eius est familiaritate iucundius . magno præterea beneficio eius,magnoq́; merito sum obligatus : nam Clodianis temporibus,cum equestris ordinis princeps esset,proq́;

mea salute acerrime propugnaret, à Gabinio Cos. relegatus est: quod ante id tempus ciui Ro. Romæ contigit nemini. hoc cum Popu. Ro. meminerit, me ipsum non meminisse turpißimum est. quapropter persuade tibi mi Brute, me petere Præturam; quanquam enim Lamia summo splendore, summa gratia est usus magnificentißimo munere Ædilitio, tamen quasi ea ita non essent, ego suscepi totum negocium. nunc si me tanti facis, quanti certe facis, quando equitum centurias tenes, in quibus regnas, mitte ad Lupum nostrũ, ut is nobis eas centurias conficiat. non tenebo te pluribus. ponam in extremo, quod sentio. nihil est Brute, cum omnia à te expectem, quod mihi gratius facere poßis. Vale.

ASCENSIVS. PErmagni &c. Hæc epistola commendatitia, paucis uerbis nim amplissimam continet. Commendat autem Lamiam Bruto absenti, petens ab eo, ut Lupus pro eo centurias conueniat ad Præturam eidem impetrandam. Ordo est. Interest. i. refert permagni, quo tempore hæc epistola sit reddita tibi, utrum cum haberes aliquid solicitudinis, an cum esses uacuus ab omni molestia. Itaq; ego præcepi ei quem misi ad te, ut obseruaret. i. custodiret tempus. i. opportunitatem epistolæ reddendæ tibi. Nam quemadmodum qui coram. i. cum sint in præsentia, adeunt nos intempestiue. i. non suo tempore, sunt sæpe molesti, sic epistolæ offendunt, redditæ non loco. s. suo. i. non opportune. Autem. i. sed, si nihil perturbat te ut spero, & sup. nihil impedit, & ille cui mandaui, ceperit satis commode tempus adeundi ad te. Ego confido me facile impetraturum quod confido. s. posse impetrare. Lucius Lamia petit Præturam, ego utor hoc uno. s. uiro plurimum: aduerbium est. i. frequentissime omnium. Magna uetustas. s. amicitiæ, & magna consuetudo. i. cõuersatio intercedit. i. inter nos communis est, & quod ualet plurimum. s. ad amorem & gratiam, nihil est mihi iucundius familiaritate eius. Præterea ego sum obligatus magno beneficio & magno merito eius. Nam Clodianis temporibus. i. cum persequeretur me Clodius, cum. s. Lamia esset princeps ordinis equestris, & propugnaret acerrime pro salute mea, relegatus est. i. in alienam prouinciam legatus est a Gabinio Consule, quod nemini. i. non alicui, non contigit alicui ciui Romano ante id tempus. Cum Popu. Roma. meminerit hoc. s. ipsum fecisse, & passum esse pro me, turpissimum est me ipsum non meminisse. Quapropter persuade tibi o mi Brute, me petere Præturam. i. ac si peterem pro me. Enim. i. quia quanquam Lamia est summo splendore & suprema gratia. i. ad summam gratiam in populo, magnificentissimo munere Aedilitio. i. propter munus Aedilitiũ ab eo magnificentissime exhibitum, tamen ego suscepi, idest ad me cepi, totum negociũ quasi ea. s. iam dicta, hoc est, splendor, gratia, & munus Aedilitium præclare exhibitum, non essent ita. Nunc si tu facis. i. æstimas me tanti quanti certe facis, quando, idest quoniam tu tenes, idest in potestate habes centurias equitum, in quibus regnas, quia Imperator es, mitte ad Lupum nostrum, ut is conficiat, idest fauorabiles faciat centurias. Ego non tenebo te pluribus. s. precibus occupatum. Ego ponam in extremo, idest in fine epistolarum, quod sentio: o mi Brute cum ego expectem, idest sperẽ omnia a te, nihil est quod posis facere mihi gratius.

VICTORIVS. A Gabinio Consule relegatus est} Hanc rem tangit historiarum Romanarum lib. XXXVIII. Dion, non tamen Lamiam nominat. sunt autem hæc eius uerba: ἀλλ' ἦν τά τῶν ἀφηγουμένων ... ὅτι ὁ Κλώδιος χρηματίζειν ... τῆς τε ... ἐπέτρεψεν, ὅτι ... τὴν βουλὴν ... ἀλλὰ καὶ ... πολλοὺς ... ἐκ τῆς πολιτείας ἐξήλασε.

SEBAS. CORR. ACerrime propugnaret} ne ego mitterer in exilium. {A Gabinio Cos.} cum L. Pisone. {Relegatus est} in oratione pro P. Sestio sic scribit: Equitem Romanum in concione Cos. lege relegauit, edixitq;, ut ab urbe abesset M passus. {Centurias conficiat} ad suffragia.

PHI M PErmagni interest} Insinuatio, qua oblique excusat se illi, quod nolit ei molestus esse. {Nunc si me} Petitio. {Nihil est} Epiphonema.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Eiusdem argumenti cum superiore

M. T. C. D. BRVTO IMP. S. 17

*LAmia uno omnium familiarißime utor. magna eius in me non dico officia, sed merita, eaq; sunt Populo Roma. notißima. is magnificentißimo munere Ædilitatis perfunctus, petit Præturam. omnesq; intelligunt nec dignitatem ei deesse, nec gratiam. sed is *ambitus extare uidetur, ut ego omnia pertimescam, totamq; petitionem Lamiæ mihi sustinendam putem. in ea re quantum me poßis adiuuare, facile perspicio: nec uero quantum mea causa uelis dubito. uelim igitur mi Brute tibi persuadeas, nihil me maiore studio à te petere, nihil te mihi gratius facere posse, quàm si omnibus tuis opibus omni studio Lamiam in petitione iuueris. quod ut facias, uehementer te rogo. Vale.*

*al. ambi. excitare, uel extare

ASCENSIVS. LAmia &c. Commendat eodem argumento eundẽ Lamiam, quem in superiori epistola Decio Bruto, ut eũ adiuuet in obtinenda Prætura, quia nihil sibi gratius fieri posse affirmat. Ordo est. Ego utor Lamia l. Lucio, uno . i. solo familiarissime omnium, magna sunt eius in me, non dico officia, quæ sunt quasi debita, sed merita. i. beneficia gratis impensa, & ea sunt notissima Popu. Roma. Is perfunctus magnificentissimo munere Aedilitatis, petit Præturã, Omnesq; intelligũt, nec dignitatem ei dedisse nec gratiam. Sed is ambitus. i. corruptio suffragiorum per munera aut preces, uidetur extare. i. eminere, ut ego pertimescam omnia s. pro amico, & putem totam petitionẽ Lamiæ sustinendam mihi. i. tanquam meam iuuandam. ego facile perspicio quantum posis iuuare me in ea re, nec uero dubito quantũ uelis causa mea. Velim igitur o mi Brute, supple ut persuadeas tibi, me nihil petere a te maiore studio, te nihil posse facere mihi gratius, quam si iuueris Lamiam in petitione. s. Præturæ, omnibus opibus. i. facultatibus tuis, & omni studio. s. tuo. Quod ut facias rogo uehementer. Val. Dubitet forsitan quispiam cum de eadem Prætura eiusdem anni pro eodem amico ab eodem Bruto petat, cur duabus id faciat epistolis, sed potuit alteram amicis Lamiæ dedisse ad Brutum, aut per suos misisse, alteram ipsi Lamiæ dedisse perferendam, aut forte ne altera periret, duas scripsisse, non eiusdem penitus exempli, ut res magis cordi uideretur, nec ipse uerborũ inops.

SEBAS. CORR. Perfunctus} sub Cæsaris uictoriam contra Pompeii filios.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Reprehendit Brutum, qui se ad Senatum timere scripserat.

M. T. C. D. BRVTO IMP. S. 16

ETsi ex mandatis, quæ Galbæ, Volumnioq; ad Senatum dedisti, quid timendum, suspicandumq; putares, suspicabamur: tamen timidiora mandata uidebantur, quàm erat dignum tua, populiq; Roma. uictoria. Senatus autem mi Brute fortis est, & habet forteis duces. itaque moleste ferebat, se à te, quem omnium, quicunque fuissent, fortißimum iudicaret, timidum, atque ignauum iudicari: etenim cum te incluso spem maximam omnes habuissent in tua uirtute, florente Antonio: quis erat, qui quicquam timeret, profligato illo, te liberato? nec uero Lepidum timebamus: quis enim esset, qui illum tam furiosum arbitraretur, ut, qui in maximo bello pacem uelle se dixisset, is in optatißima pace bellum Reipub. indiceret? nec dubito, quin tu plus prouideas. sed tamen tam recenti gratulatione, quam tuo nomine ad omnia Deorum templa fecimus, renouatio timoris magnam molestiam afferebat. quare uelim equidem, id quod spero, ut planè abiectus, & fractus sit Antonius: sin aliquid uirium forte collegerit, sentiet, nec Sena-

tui consilium, nec Popu. Roma. uirtutem deesse, nec Reipu. te ui=uo, Imperatorem. X I I I I. Calen. Iun. Vale.

ASCENSIVS.

Etsi &c. Scripserat Brutus se timere uires quas colligebat Antonius, quod displicere Senatui utpote quod profligatum timeret, nunc scribit Cice. cum tantam de eo spem conceperit. Ordo est: Etsi, idest quanquam nos suspicabamur ex mandatis quæ dedisti Galbæ, & Volumnio ad Senatum, idest recitāda Senatui, nos suspicabamur quid putares timendum, & suspicandom, idest pro suspicioso habendū, aut ut suspiciosum timendum. Tamen mandata uidebantur timidiora, idest magis timida, quam erat dignum uictoria tua & Popu. Roma. s. habita de Antonio. Autem: idest sed, o mi Brute Senatus est fortis, & habet duces fortes. Itaq; idest & ita ferebat moleste, se iudicari timidum atq; ignauum, a te, quem iudicaret fortissimum omnium quicunq; fuissent. Etenim cum te incluso: scilicet Mutinæ, omnes habuissent spem maximam in uirtute tua, florente Antonio: idest cum Antonius floreret, quis erat qui timeret quicquam, illo. s. Antonio, profligato: idest decusso & pulso, & te liberato? quasi dicat nullus. Nec uero timebamus Lepidum. quis enim esset qui arbitraretur illum: scilicet Lepidum tam furiosum, ut qui dixisset se uelle pacem in: idest durante maximo bello, is indiceret: idest denunciaret Reipub. bellum, in pace optatissima? quasi dicat nullus, & tamen secus euenit. Nec dubito quin tu prouideas plus: idest quā ut hoc perspicias. Sed tamen renouatio timoris, adferebat magnam molestiam, supple in gratulatione tam recenti: idest tam paulo ante habita, quam fecimus tuo nomine ad omnia templa deorum per supplicationes, scilicet indictas 50. dierum. Quare ego uelim quidem id quod spero, ut Anto. sit plane: idest omnino fractus & abiectus. Sin: idest sed, si ipse collegerit forte aliquid uirium, sentiet nec consilium deesse Senatui, nec uirtutem: scilicet bellicam, idest animositatem, & fortitudinem deesse Popu. Roma. nec Imperatorem deesse Reipub. te uiuo: idest tantisper dum tu uiues. X I I I I. Calen. Iun.

SEBAS. CORR.

Galbæ} Sergio Galbæ epist. X X X. lib. X. {Volumnioq;} Volumnioq; Flacco. {Te incluso} Mutinæ. {Se diaisset} Episto. X X V I I. lib. X. {Fecimus} propter uictoriam Mutinensem.

PHIL. MELÁ.

Etsi ea mandaris} Narratio, in qua reprehendit timiditatem Bruti, qui hoc solum uerebatur, ne Anto. iam pulsus a Mutina, coniungeret se cum Lepido, & nouos excitaret tumultus. {Etsi ex mand.} Propositio continet obiurgationem. {Senatus autem} Rationea propositionis: quia alii fortes sunt, sis tu quoq; & Antonio pulso bene sperare debemus. {Quare uelim.} Adhortatio ut rem fortiter gerat aduersus Antonium.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Petit a Cicerone, ut literas quas ad Senatum mittit, prius legat, & corrigat, si quæ damnanda uidebuntur.

D. BRVTVS M. T. CICERONI. S. D. 19

AD Senatum quas literas misi, uelim prius perlegas: & , siqua tibi uidebuntur, commutes. necessario me scripsisse, ipse animaduertes. nam cum putarem quartam, & Martiam legiones mecum futuras, ut Druso, Pauloq; placuerat, uobis assentientibus, minus de reliquis rebus laborandum existimaui: nunc uero cum sim cum tyronibus egentißimis, ualde & meā, & uestram uicem timeam necesse est. Vicentini me, & M. Brutū præcipue obseruant. his nequam patiare iniuriam fieri in Senatu uernarum causa, à te peto. causam habent optimam, officium in Rempub. summum, genus hominum aduersariorum seditiosum, & inertißimum X I I. Calen. Iun. Vercellis.

ASCENSIVS.

AD Senatum quas &c. Scripserat ad Senatum Brutus literas de belli conficiendi opinione, de Cæsa. & Lepidi coniunctione, quas a Cice. commutari petit. Ordo est. Ego uelim, supple ut perlegas prius eas literas quas misi ad Senatum, supple quam reddantur Senatui, & uelim supple ut commutes siqua uidebuntur tibi supple commutanda. ipse, idest tute animaduertes: idest animaduertendo intelliges me scripsisse necessario. Nam cum putarem quartam & Martiam legiones futuras mecum ut placuerat Druso, & Paulo uobis assentientibus, ego existimaui minus laborandom, idest minus anxie agendum & curandum de reliquis rebus. Nunc uero cum sim cum Tyronibus: idest nouitiis in re militari, egentissimis: scilicet armorum, commeatus, & stipendii, necesse est supple ut timeā ualde, & meā & uestram uicem, idest sortem aut periculum quod per uices obitur. dum enim uices alterius obimus, eius quoq; pericula obimus, unde uices pro periculis quandoq; ponimus, ut Aenei. ii. Nec tela nec ullas Vitauisse uices Danaum &c. Vicentini, scilicet populi. de certis tamen ciuibus loquitur, non de omnibus. obseruant, idest colunt & honorant me & Mar. Brutum, scilicet fratrem, peto a te supple ut nequaquam patiare iniuriam fieri his in Senatu causa uernarum idest eo quod læserunt uernas: idest seruos ea ancillis alterius familiæ potentis natos. Ipsi habent optimam causam iudicio, scilicet Bruti, habent officium, scilicet suum, summum in, idest erga Rempub. & habent genus hominum aduersariorum seditiosum & inertissimum, idest minime industrium.

SEBAS. CORR.

Nunc uero} quando legiones illæ ad me perduci noluerunt. Episto. X I I I I. huius libri. {Vicetini} Al. Vicentini. {Vercellis} Pl. y lib. I I I. cap. X V I I.

PHIL. MELÁ.

AD Senatum} Narratio de difficultate belli. {His nequam} Petitio, ut Vicentinorum causam contra seruos domesticos iuuare uelit.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Ostendit principio Brutus, quam sit sollicitus pro Ciceronis salute: deinde suadet, ut omnia ex milites uoluntate facias, & quid et nunc agat exponit.

D. BRVTVS IMP. M. T. C. S. D. 20

*QVod pro me non facio, id pro te facere meus in te amor, tuaq; officia cogunt ut timeam. sæpe enim mihi cum esset dictum, neque à me contemptum, nouißime Labeo Segulius, homo sui simillimus, narrauit mihi: apud Cæsarem se fuisse, multumq; sermonem de te habitum esse: ipsum Cæsarem nihil sanè de te questum, *nisi dictum, quòd diceret te dixisse, laudandum adolescentem, ornandum, tollendum, se non esse commissurum, ut tolli poßit. hoc ego Labeonem credo illi retulisse, aut finxisse dictum, non ab adolescente prolatum. ueteranos uero pessime loqui, uolebat Labeo me credere, & tibi ab iis instare periculum, maximeq; indignari, quòd in Decemuiris neque Cæsar, neque ego habiti essemus, atque omnia ad uestrum arbitrium essent collata. hæc cum audissem, & iam in itinere essem, committendum nō putaui, prius ut alpeis transgrederer, quàm quid istic ageretur, scirem. nam de tuo periculo, crede mihi, iactatione uerborum, & denunciatione periculi sperare eos, te perterrefacto, adolescente impulso, posse magna consequi præmia, & totam istam cantilenam ex hoc pendere, ut quamplurimum lucri faciant. neque tamen non te cautum esse uolo, & insidias uitantem: nihil enim tua mihi uita potest esse iucundius, neque charius. illud uide, ne, timendo, magis timere cogare: & quibus rebus potest occurri ueteranis, occurras. primum quod desiderant de Decemuiris, facias, deinde de præmiis si tibi *uidetur, agros militum eorum, qui cum Antonio ueterani fuerunt, his dandos censeas ab utrisque nostrum. de nummis, lente, ac ratione habita pecuniæ: Senatum de ea re constituturum. quatuor legionibus iis, quibus agros dandos censuistis, uideo facultatem fore ex agris Syllanis, et agro Campano. æqualiter, aut sorte agros legionibus aßignari puto oportere. hæc me tibi scribere non prudentia mea hortatur, sed amor in te, & cupiditas ocij, quod sine te consistere non potest. Ego, nisi ualde necesse fuerit, ex Italia non excedam. legiones armo & paro: spero me non pessimum exercitum habiturum ad omneis casus, & impetus hominum. de*

*al. nisi quòd.

*al. uidebitur.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Inficiatio dicti Seguli, & ad reliquas superioris epistolæ partes respōdet.

M. T. C. D. BRVTO IMP. S. D. 21

DIi isti Segulio male faciant, homini nequißimo omnium qui sunt, qui fuerunt, qui futuri sunt. quid? tu illum tecum solum, aut cum Cæsare, qui neminem prætermiserit, qui cum loqui potuerit, cui non eadem ista dixerit? te tamen mi Brute sic amo, ut debeo, quòd istud, quicquid esset, nugarum me scire uoluisti: signum enim magnum amoris dedisti. nam quòd idem Segulius ait ueteranos queri, quòd tu & Cæsar, in Decemuiris non essetis: utinam ne ego quidem essem: quid enim molestius? sed tamen, cum ego sensissem, de ijs, qui exercitus haberent, sententiam ferri oportere: iidem illi, qui solent, reclamarunt. itaque excepti etiam estis me uehementer repugnante. quocirca Segulum negligamus, qui res nouas quærit: non quo ueterem comederit, nullam enim habuit: sed hanc ipsam recentem nouam deuorauit. Quod autem scribis, te, quod pro te ipso non facias, id pro me facere, ut de me timeas aliquid: omni te, uir optime, mihiq; charißime Brute, de me metu libero, ego enim, quæ prouideri poterunt, non fallar in ijs: quæ cautionem non habebunt, de ijs non ita ualde laboro. sim etenim impudens, si plus postulem, quàm homini à rerum natura tribui potest. Quod mihi præcipis, ut caueam, ne timendo, magis timere cogar: & sapienter, & amicißime præcipis, sed uelim tibi persuadeas, cum te constet excellere hoc genere uirtutis, ut nunquam extimescas, nunquam perturbere, me huic tuæ uirtuti proxime accedere. quamobrem neque metuam quicquam, & cauebo omnia, sed uide, ne tua iam mi Brute culpa futura sit, si ego quicquam timeã: tuis enim opibus, & Consulatu tuo, etiam si timidi essemus, tamen omnem timorem abiiceremus: præsertim cum persuasum omnibus esset, mihiq; maxime, nos à te unice diligi. Consilijs tuis, quæ scribis de quatuor legionibus, deq; agris aßignandis ab utrisque uestrum, uehementer assentior. itaque cum quidam de Collegis nostris agrariam curationem ligurirent, disturbaui rem, totamq; uobis integram reseruaui. siquid erit occultius & (ut scribis) reconditum, meorum aliquem mittam, quo fidelius ad te literæ perferantur. Vale. Pr. Non. Iun.

ASCENSIVS. DIi isti &c Respondens superiori epistolæ Decii Cicero ostendit Segulium cum multis uana locutum: respōdens deinde ad reliqua quæ scripserat Brutus, & ad id præcipue quod scripserat ut caueret ne timendo magis timeret, dicens se imitari in hac re Decium qui nunquam fuit timidus, uitaturus tamen sit periculum, demum probat quod de legionibus scripserat. Ordo est. Dii male faciant isti. s. contemptibili & pernicioso Segulio. s. Labeoni homini nequissimo. i. minimæ uirtutis omnium qui fuerũt, & qui sunt, & qui futuri sunt. Hyperbolicos dictum quid? sup. putas tu illum sup. locutum solum .i. duntaxat tecum, aut cum Cæsare. s. Octauio, qui neminem prætermisit, qui cum .i. cum quo potuerit loqui, cui non dixerit ista eadem. Tamen. i. licet ille futilis & contemnendus sit, tamen o Brute ego amo te sic ut debeo. quod. i. quia tu uoluisti me scire istud quicquid esset nugarum. Dedisti enim. s. hoc faciendo, magnum signum amoris. Nam quod idem Segulios ait ueteranos queri. i. conqueri quod tu & Cæsar non essetis in Decemuiris. i. numero Decemuirorũ: utinam ne quidem. i. non etiam ego essem. Quid enim supple est molestius. s. quam eum magistratum nunc gerere? q. d. nihil. Sed tamẽ cũ ego sensissem oportere sententiam ferri de iis, qui haberent exercitus, quales erãt Brutus & Cæsar, illi iidem qui solent. i. noui obmurmuratores, reclamarũt. Itaq; uos estis excepti. s. e Decemuiratu, me etiam repugnante uehementer. Quocirca. i. quapropter, negligamus. i. contemnamus Segulium, qui quærit res nouas. i. immutationem statuum, non quod comederit rem: idest substantiam suam ueterem: data opera utitur uocabulo æquiuoce: nam res nouæ dicuntur nouæ rerum administrationes: sicut rerum potiri est earum administratione aut imperio fungi. Res autem singulariter est, aut Venus aut lis, aut substantia: alludit ergo ad uocabuli æquiuocationẽ: nullam enim habuit. s. rem ueterem, sed deuorauit hanc ipsam. s. modicam quam habuit recentem. i. recenter a patre per mortem eius acceptam, & ita non permisit eam fieri ueterem. Quod autem scribis. s. licet in principio epistolæ, te facere id pro me, qui. s. de te nihil timeas, o Brute uir optime & charissime mihi ego libero te omni metu de me: idest nolo, quicquam metuas de me, aut pro me, & est stomachose satis dictum. Ego enim non fallar in iis quæ poterunt prouideri, & ego non laboro ita: idest multum ualde, de iis. s. si decipiat in iis quæ non habebunt cautionem: idest quæ nullo humano consilio caueri poterunt. Enim: idest quia ego sim impudens: idest inuerecundus ac petulans in petẽdo, si postulem plus quã potest tribui homini a natura rerum, quæ unicuiq; rei limites constituit, ita ut minus uideant homines quam dii. Quod præcipis mihi ut caueam ne timendo cogar magis timere, tu præcipis idest mones, & sapienter & amicissime, sed uelim supple ut persuadeas tibi, cum constet te excellere hoc genere uirtutis, ut nunquam extimescas, & supple nunquam perturbere, me accedere, idest appropinquare proxime huic uirtuti tuæ, hoc est me non multo minus imperterritum esse quam te. Quamobrem, neq; metuam, idest non timebo quicquam, & cauebo omnia. s. metuenda. Sed o mi Brute, uide ne tua culpa futura sit, si ego timeam quicquam. Etenim, idest quia, etiam si essemus timidi. s. a natura, tamen abiiceremus omnem timorem tuis opibus, idest potentiis & Consulatu tuo. s. freti, præsertim cum esset persuasum omnibus, & maxime mihi, nos diligi unice a te. Ego assentior uehementer consiliis tuis, quæ scribis de quatuor legionibus, & de agris assignandis ab utrisq; uestrum: idest te & Cæsare. Itaq; cum quidam de Collegis nostris: idest de Decemuiris ligurirent: idest iam quasi rem dulcem lingerent & degustarent, sperantes ex ea te lucrum, aut fauorem sese capturos, curationem agrariam: idest agrorum distribuendorum curam, ego disturbaui rẽ & reseruaui sup. eam uobis totam integram. Si quid erit occultius, & ut scribis, reconditum, ego mittam aliquem meorum, quo. i. ut literæ perferantur ad te fidelius. pridie &c.

SEBAS. CORR. CVm Cæsare, qui} Al. cum Cæsare locutum putas, qui. {Ferri oportere} ut Decemuiri crearentur. {Iidem illi} Epist. X. huius lib {Qui res} Ex ambiguo dictum. {Culpa futura sit} qui in reliquum anni tempus loco Pansæ, uel Hirtii Consulatũ non petas, quamuis in futurum annum sis designatus. {Ligurirent} ambirent.

BERN. RVTI. CVm ego sensissem de his, qui exercitus haberent, sententiã ferri oportere} ut. s. hi demum, uel ex his quidam Decemuiri crearentur. non quod ineptit Vbertinus: qui mihi nõnunquam ad hæc commentanda non modo, ut quondam Ennius ipse pater ad arma dicenda, potus: sed plane ebrius prosiluisse uidetur.

PHIL. MELã. DIi isti} Imprecatio. {Quid tu illum} Narratio, & est responsoria ad præcedentem Bruti epist. {Quod autem scribis} Alia propositio. {Ego enim} Diuisio. {Quod mihi} Alia propositio. {Quamobrem} Ratio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Commendat Appium Bruto, & ut eum in ciuitate, ex qua inimicorum iniuria expellebatur, retineat, petit.

M. T. C. D. BRVTO IMP. S. D. 22

CVm Appio Claudio C. F. summa mihi necesßitudo est, multis eius officijs, & meis mutuis instituta. peto à te maiorem in modum, uel humanitatis tuæ, uel mea causa, ut eum authoritate tua, quæ plurimum ualet, conseruatum uelis. uolo te, cum fortißimus uir cognitus sis, etiam clementißimum existimari. magno tibi erit ornamento, nobilißimum adolescentem beneficio tuo esse saluum. cuius quidem causa hoc melior debet esse, quòd pietate adductus, propter patris restitutionem se cum Antonio coniunxit. quare etsi minus ueram causam habebis. tamen uel probabilem aliquam poteris inducere. nutus tuus potest hominem sum*

*al. restitutionem mecum.

mo loco natum, summo ingenio, summa uirtute, officiosissimum præterea, & gratissimum, incolumem in ciuitate retinere. quod ut facias, ita à te peto, ut maiore studio, magis ue ex animo petere non possim. Vale.

ASCENSIVS. CVm Appio &c Commendat diligentissime Decio Bruto Appium quendam, quicum maximam sibi dicit esse necessitudinem, rogatque ut eū tueatur, contra aduersarios, qui eum eiicere ea urbe contendebant, dicens. Summa necessitudo, idest necessaria coniunctio amicitiæ est mihi cum Appio Claudio filio Caii. s. Claudii instituta. i. inita & comparata, multis officiis eius, & meis mutuis. Peto a te maiorē in modum. i. obnixe, uel causa humanitatis tuæ uel mea, ut uelis eū conseruatum. i. saluum esse, authoritate tua quæ ualet plurimū. Volo te cum sis cognitus uir fortissimus, existimari. i. iudicari etiā clementissimum. Erit tibi magno ornamento adolescentem nobilissimum, esse saluum. i. conseruatum beneficio tuo. Cuius. s. adolescentis causa debet quidem esse melior, hoc. i. propter hoc, quod ipse adductus pietate. s. in patrem, coniunxit se cum Antonio, propter restitutionem patris. s. sui. Quare etsi. i. quanquam, habebis causam minus ueram. i. non satis iustam, tamen poteris inducere uel. i. saltem aliquam probabilem. Nutus tuus. i. solum indicium uoluntatis, potest retinere incolumem in ciuitate hominem natum summo loco, idest clarissimis natalibus, & summo ingenio: idest & summa uirtute, præterea: idest præter illas dotes, officiosissimum. s. in conferendis beneficiis, & gratissimum in reddendis. Quod ut facias: idest ut incolumem retineas, ego peto a te ita, ut non possim petere maiore studio, ue pro uel magis ex animo, idest sententia mea.

SEBAS. CORR. SE cum Antonio} Al. me cum Antonio. {Nutus tuus potest} Al. unde, queas. Al. nam tu potes. Alii etiam legunt, nutu solo potes V.C.

PHIL. MELI. CVm Appio C L.} Narratio, quam sequitur petitio. {Volo te} Ratio, ea persona Appii.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Hortatur Ciceronem ut bono sit animo, nec quicquam timeat, Causam affert, Lepidi (sed falso id sibi persuaserat) integritatem, & fortes suos exercitus.

D. BRVTVS M. T. CICERONI. S. D. 23

NOs hic ualemus recte: & quo melius ualeamus, operam dabimus. Lepidus commode de nobis sentire uidetur. omni timore deposito, debemus libere Reipubli. consulere, quòd si omnia essent aliena, tamen tribus tantis exercitibus proprijs Reipub. ualentibus, magnum animum habere debebas, quem & semper habuisti, & nunc fortuna adiuuante augere potes. Quæ tibi superioribus literis mea manu scripsi, terrendi tui causa homines loquuntur. si frænum momorderis: peream, si te omnes, quotquot sunt, conantem loqui ferre poterunt. Ego, tibi ut antea scripsi, dum mihi à te literæ ueniant, in Italia morabor. Vale. VIII. Calen. Iun. Eporedia.*

* Al. cōmode de nobis.

ASCENSIVS. NOs &c Hortatur Decius Ciceronem ut bono sit animo quod de repu bene speret, cum Lepidus iam bene sentiat, & ipse bonas habeat copias. Ordo est: Nos ualemus hic recte, & dabimus operam quo: idest ut ualeamus melius. Lepidus uidetur sentire commode, idest bene & utiliter de nobis. nos debemus consulere reipub. libere, omni timore deposito. Quod si omnia essent aliena. s. a nobis, tamē tu debebis habere magnum animum, tribus tātis exercitibus propriis reipub. ualentibus, idest cum tres tales exercitus reipub. proprii sint ualentes. s. meus Cæsaris & Planci, quem s. animum, tu & . i. simul habuisti semper, & potes nunc augere fortuna fauente & aspirante. Homines loquuntur causa tui terrēdi, idest ut te terreant, ea quæ scripsi tibi mea manu literis superioribus. Propria autem manu secreta & recondita scriptitabant, Scribæ suis manibus uulgaria. Si momorderis frænum, idest pertinaci animo contra omnia terricula restiteris, tracta metaphora ab equo qui dum equiti obtemperare non uult, frænum mordet, & dentibus tenet, peream si omnes quotquot sunt, poterunt ferre te conantem loqui. Ego ut scripsi tibi antea, morabor in Italia, dum, donec, literæ ueniant mihi a te. Octauo &c.

SEBAS. CORR. ESsent aliena} apud Lepidū. {Tribus tantis exercitibus} Cæsaris, Planci, & meo. Videndum est tamen, an potius sic capi debeat: Aliena, apud Cæsarem & ueteranos: Tribus, meo, Planci, & Lepidi, qui tunc commode sentire uidebatur. quærit. n. Ciceronem illo metu liberare, de quo scripserat epist. XX. huius libri. {Homines loquuntur} ut Labeo Segulius. {Momorderis} te ferocem ostenderis, ut Equus fræna ferox spumantia mandit.

BERN. RVT. VIII. Calend. Iun } Ementita dies: cum scribat falsa esse, & terrendi eius causa scripta, quæ superioribus literis complexus est, quas ipsas VII. Calend. Iun. datas legimus. itaque in alterutra die mendum est.

PHIL. MELI. NOs hic ualemus} Narratio. {Quod si omnia} Adhortatio, ut bono & forti sit animo.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Ostendit sibi persuasum superiore epistola, ut omnem timorem deposuerit.

CICERO D. BRVTO S. D. 24

NArro tibi: antea subirascebar breuitati tuarum literarum: nūc mihi loquax esse uideor: te igitur imitabor. quàm multa quàm paucis, Te recte ualere, operamq; dare, ut quotidie melius, Lepidum commode sentire, tribus exercitibus quiduis nos oportere confidere. si timidus essem, tamen ista epistola mihi omnem metum abstersisses. sed, ut mones, frænum momordi: etenim, qui te incluso omnem spem habuerim in te, quid nunc putas? cupio iam uigiliam meam Brute tibi tradere: sed ita. ut ne desim constantiæ meæ. Quod scribis in Italia te moraturum, dum tibi literæ meæ ueniant: si per hostem licet, non erraris multa enim Romæ. sin aduentu tuo bellum confici potest, nihil sit antiquius. Pecunia, expeditissima quæ erat, tibi decreta est. habes amantissimum Seruilium. nos non desumus. Vale. VIII. Id. Iun.

ASCENSIVS. NArro &c. Respondet breuiter superiori epistolæ, dicēs se imitari in breuitate epistolarum ipsum Brutū, & omnem timorem, si modo timidus fuisset, potuisset ista epistola deponere. Ordo est, ego subirascebar i. succensebā tibi parum antea breuitate. i. propter breuitatem literarum tuarum, & ego uideor mihi nunc esse loquax. Ego igitur imitabor te. s. breuiter respondendo ad ea quæ breuiter scripsisti. Quam. i. quantum, multa sup scripsisti, quam paucis, sup uerbis Scripsisti. n. te recte ualere, & dare operam, sup ut ualeas quotidie melius. Lepidum sentire commode. i. utiliter pro repu. nos oportere confidere quiduis. i. quodlibet bonum, tribus exercitibus. s. Bruti, Planci, & Lepidi Si essem timidus, tamē tu abstersisses mihi omnē metum ista epistola. Sed ut mones, ego momordi frænum i. contra impetum uires assumpsi, sicut equus recalcitrare uolens contra sessorē ne fræno obediat, frænum mordicus tenet. Etenim quid putas sup. nunc facere, aut quam spē habere me, qui habuerim omnē spē in te incluso, & Brute, ego cupio tradere iam tibi uigiliam meam. i. sollicitudinē & curam pro repub quasi dicat, non opus est, ut ipse uigilē, dum tu pro repub excubabis, sed ita sup. cupio tradere ut nō desim constantiæ meæ. Quod scribis te moraturum in Italia, dum. i. donec literæ meæ ueniant. i. afferantur tibi, non erraris pro erraueris, si licet per hostem. i. hostis quoque in Italia manseris. Multa. n. sup. dicuntur & fiunt Romæ seditiose, aut quid simile intelligit. Si bellum potest confici i. finiri, in aduētu tuo. i. statim cum ad hostē perueneris, nihil sit antiquius. i. charius Pecunia quæ erat expeditissima. i. paratissima, est decreta tibi. Tu habes Seruilium amantissimū. s. tui, nos non desumus sup tibi.

SEBAS. CORR. QVam paucis}. s. scribis, superiore episto {Seruilium} Al Seruium, de quo episto. VII. huius lib. Seruilius præterea Ciceronis actionibus eo tempore aduersabatur: etsi aliter esse poterat.

BERN. RVTI. PArum tibi antea subirascebar breuitati tuarum literarum.} Ego nō dubito, quin priorem lectionem sequi oporteat, Narro tibi. Antea subirascebar, &c. Hæc enim barbara, insulsaque,

Eadem

Eadem complexione non semel ad Atticum usus, lib. V. Narro tibi, inquit, hæc circa uetusta sunt. & secundo: Narro tibi, plane relegatus mihi uideor, postea quam in Formiano sum. & alibi: suaui fuoe initio. {Quam multa, quam paucis, te recte ualere, operamq; dare, ut quotidie melius, Lepidum commode sentire} quam multa, quam paucis, idest quam multas res quam paucis uerbis complecteris scribendo, cum omnia hæc subiecta, uno duobusue uersiculis explicueris. nō, ut Clericus. Epistolas subiectas duas qui ita statuerit, ut priorem posteriori postponat, mihi ualde probabitur. nisi diem acceptarum potius, quam datarum literarū sequi malumus: quod, nisi certa ratio suadeat, faciendum non puto.

PHIL. MELá. Parum tibi un } Exordium de breuitate literarum. {Tribus exercitibus} Narratio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Ne nihil ad Brutum literarum cum occasio esset, daret, scribit, in eo, ut accendat hominem, spem omnem esse; & de M. Bruto quem ad commune bellum uocarat, nunciat.

M. T. CICERO D. BRVTO S. D. 25

EXpectanti mihi tuas quotidie literas, Lupus noster subito denuntiauit, ut ad te scriberem siquid uellem. ego autem etsi quid scriberē non habebam (acta enim ad te mitti sciebam: inanem autem sermonē literarum tibi iniucundum esse audiebam) breuitatem secutus sum, te magistro. scito igitur in te, & in Collega spem omnem esse. De Bruto autem nihil adhuc certi: quem ego, quemadmodum præcipis, priuatis literis ad bellum commune uocare non desino: qui utinam iam adesset: intestinum Vrbis malum, quod est non mediocre, minus timeremus. sed quid ago? non imitor *λακωνισμὸν tuum. Altera iam pagella procedit. uince & uale. XIIII. Calen. Quin.

*a.l. breuitatem

ASCENSIVS. EXpectanti &c. Hortatur Cic. Bru. ut diligentissime agat pro rep. cum in eo & Planco, tota sit spes, dicitq; Mar. Brutum uocandum ad id bellum, quia si adesset, minus mali timeretur. Ordo est. Lupus noster denunciauit subito mihi expectanti quotidie literas tuas, ut scriberē ad te siquid uellem, ego autē & si non habebam quid scriberem, sciebā enim acta. s. publica mitti ad te: aūt. i. sed, audiebam sermonem literarum inanem. i. minime necessarium, esse iniucundū tibi, secutus sum breuitatem te magistro. i. qui id te ipsa docuisti. Scito igitur omnem spē esse in te & in Collega. s. Planco. Aūt. i. sed nihil sup. habeo aut audiui adhuc certi de Bru. s. Marco, quem ego non desino uocare ad bellum cōmune quēadmodum præcipis, literis. s. meis priuatis. i. mea authoritate non pub. scriptis, qui utinam adesset iam, nam timeremus minus. s. quam nunc facimus malum urbis intestinum. i. internū quod est inter ciues qui sunt sub unis mœnibus, ut intestina sub una pelle. Sed quid ago. Ego non imitor. s. ut constitueram, Laconismon. i. formam scribendi breuitate Laconica. Altera pa. s. tabellæ procedit. i. occupatur scriptura. Vince. s. hostes & Vale.

SEBAS. CORR. Collega {Planco. {Bruto} M. Bruto. {Priuatis literis} quæ extāt. Vrbis malum} Senatorum dissensionem {λακωνισμὸν} breuitatem.

PHIL. MELá. Expectanti mihi} Exordium ex occasione scribendi. {Scito igitur} Narratio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Iam Lepidus coniunctus erat Antonio, cum diligenter monet Brutus, ut curæ sit omnibus Respublica, & petit a Cicerone, ut Senatus postulata illius impleat.

D. BRVTVS IMP. M. T. C. S. D. 26

IN maximo meo dolore, hoc solatio utor, quod intelligunt homines, non sine causa me timuisse ista, quæ acciderunt, deliberent, utrū traiiciāt legiones ex Africa, necne, & ex Sardinia: Brutū accersant, necne: mihi stipendium dent, an non, decernant. ad Senatum literas misi. crede mihi, nisi ista omnia ita fiunt, quemadmodum scribo, magnum nos omneis adituros periculum. rogo te, uidete, quibus hominibus negotium detis, qui ad me legiones adducant. & fide opus est, & celeritate. Vale. III. Non. Iun. ex castris.

ASCENSIVS. IN maximo &c. Cum. Decius habuisset Lepi. semper suspectum, ne Aut. se coniungeret, & ob id meticulosior haberetur, postquam Lepi. illi coniunctus erat, hac episto. dicit iam patere quod nō sine causa timuerit &c. Ordo est. Ego utor in maximo dolore meo, hoc solatio, quod homines intelligunt me timuisse ista quæ acciderunt. s. de perfidia Lepidi, non sine causa. Ego misi literas ad Senatum ut sup. deliberent, utrum traiiciant legiones. i. transmittant in Italiam ex Africa, necne. i. an non, & an accersant. i. uocent ad se Brutū ex Sardinia, necne, & sup. an dent mihi stipendium, an non decernant. s. dandū. Crede mihi o Cice. nisi ista omnia fiant ita quemadmodū scribo. i. nisi legiones accersuntur, & stipendiū decernitur mihi, nos omnes adituros magnum periculum. Rogo te uidere. i. ut attendas, quibus hominibus detis negocium qui adducant legiones ad me, opus est & fide & celeritate. Tertio &c.

SEBAS. CORR. Timuisse ista} coniunctionem Lepidi cum M. Antonio. {Brutū accersant} ex Macedonia.

BERN. RVTI. DEliberent utrū traiiciant legiones ex Africa, necne ex Sardinia, & Brutum accersant, nec ne, & mihi stipendiū dent, an non decernant} Nisi ego fallor, ita belle distinguetur. & mihi stipendiū dent, an nō decernāt. ut sint per ironiā dicta omnia hæc: tū sequatur serio: ad Senatū literas misi & reliqua, ut tamē citra crimen & alteram scripturā sequi possimus. Falso certe hic colligit Clericus, Bru. s. Marcū in Sardinia fuisse, qui in Epiro & Græcia fuerit, ut ex epistolis ad eū Cice. apparet, Historicisq; omnibus. Africanas legiones quas etiam Plancus desiderabat, accipe, quas Appianus scribit in Libya sub Sestio tres militasse, atq; a Senatu ex his duas ut in Italiam agerent, Bruto Cassioq; imperatum, propter Cæsaris. s. Lepidiq; suspectam fidem, uel apertam iam perfidiam.

PHIL. MELá. In maximo meo dolore &c.} Exordium a consolatione, qua ipse utatur.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Purgat se apud Matium Cicero, quod nō labefactauerit eius famam, sed dignitatem potius & authoritatem Matii defenderit.

M. T. CICERO C. MATIO. S. D. 27

NOndum satis cōstitui, molestiæ'ne plus, an uoluptatis attulerit mihi Trebatius noster, homo tum plenus officij, tum utriusque nostrum amantissimus. nā cum in Tusculanum uesperi uenissem, postridie ille ad me, nondum satis firmo corpore cum esset, mane uenit. quem cum obiurgarem, quod parum ualetudini parceret: tum ille nihil sibi fuisse longius, quam ut me uiderē. num quidnam, inquam, noui? detulit ad me querelam tuam: de qua prius, quam respondeo, pauca preponam. quantū memoria repetere præterita possum, nemo est mihi te amicus antiquior. sed VETVSTAS habet aliquid commune cum multis: amor non habet. dilexi te, quo die cognoui, meq; à te diligi iudicaui. tuus deinde discessus, isq; diuturnus, ambitio nostra, & uitæ dissimilitudo non est passa uoluntates nostras consuetudine cōglutinari. tuū tamen erga me animum agnoui multis annis ante bellum ciuile, cū Cæsar esset in Gallia: quod enim uehementer mihi utile esse putabas, nec inutile ipsi Cæsari, perfecisti, ut ille me diligeret, coleret, haberet in suis. multa prætereo, quæ temporibus illis inter nos familiarissime dicta, scripta, communicata sunt: grauiora enim sunt consecuta. & initio belli ciuilis cum Brundusium uersus ires ad Cæsarem, uenisti ad me in Formianum: primum hoc ipsum quanti, præsertim temporibus illis? deinde oblitum me putas consilij sermonis, humanitatis tuæ? quibus rebus interesse memini Trebatium. nec uero oblitus sum literarum tuarum, quas ad me misisti, cum Cæsari obuiam uenissem in agro, ut arbitror, Trebulano. secutum illud tempus est, cum me ad Pompeium proficisci siue pudor meus coegit, siue officium, siue fortuna. quod officium tuum, quod studium uel in absentem me, uel in præsentes meos defuit? quē porro omnes mei & mihi, & sibi te amiciorem iudicauerunt? ueni Brundusium: oblitum'ne me putas, qua celeritate, ut primum audieris, ad me Tarento aduolaris? quæ tua fuerit assessio, oratio, confirmatio

animi mei fracti communium miseriarum metu? tandem aliquando
Romæ esse cœpimus: quid defuit nostræ familiaritati? in maximis
rebus, quonam modo me gererem aduersus Cæsarem, usus tuo con
silio sum. in reliquis officijs cui tu tribuisti, excepto Cæsare, præ
ter me, ut domum uentitares, horasq; multas sæpe suauißimo ser
mone consumeres? tum, cum etiam, si meministi, ut hæc * φιλοσο-
φούμενα scriberem, tu me impulisti: post Cæsaris reditum, quid
tibi maiori curæ fuit, quàm ut essem ego illi quamfamiliarißimus?
quod effeceras. quorsum igitur hæc oratio longior, quàm puta-
ram? quia sum admiratus, te, qui hæc nosse deberes, quicquam à me
commissum, quod esset alienum nostra amicitia, credidisse: nã præ
ter hæc, quæ commemoraui, quæ testata sunt, & illustria, habeo
multa occultiora, quæ uix uerbis exequi possum. omnia me tua de
lectant, sed maxime maxima cùm fides in amicitia, consilium, gra
uitas, constantia, tum lepos, humanitas, literæ. quapropter redeo
nunc ad querelam. Ego te suffragium tulisse in illa lege, primum
nõ credidi: deinde si credidissem, nunquam id sine aliqua iusta cau
sa existimarem te fecisse. dignitas tua facit, ut animaduertatur
quicquid facias: maleuolentia autem hominum, ut nonnulla durius
quàm à te facta sint proferantur. ea si tu non audis, quid dicam ne
scio. equidem siquando audio, tam defendo, quàm me scio à te con-
tra iniquos meos solere defendi. defensio autem est duplex. alia
sunt, quæ *liquido negare soleam, ut de isto ipso suffragio: alia,*
quæ defendam à te pie fieri, & humane, ut de curatione ludorum.
sed te hominem doctißimum non fugit, si Cæsar Rex fuerit, quod
mihi quidem uidetur, in utrãque partem de tuo officio disputari
posse: uel in eam, qua ego uti soleo, laudandam esse fidem, & huma
nitatem tuam, qui amicum etiam mortuum diligas, uel in eam, qua
nonnulli utuntur, libertatem patriæ, uitæ amici anteponendam ex
his sermonibus utinam eßent delatæ ad te disputationes meæ. illa
uero duo, quæ maxima sunt laudum tuarum, quis aut libentius,
quàm ego, commemorat, aut sæpius: te & non suscipiendi belli ci
uilis grauißimum authorem fuisse, & moderandæ uictoriæ? in
quo qui mihi non assentiretur, inueni neminem. quare habeo gra
tiam Trebatio familiari nostro, qui mihi dedit causam harum lite
rarum. quibus nisi credideris, me omnis officij, et humanitatis ex-
pertem iudicaris: quo nec mihi grauius quicquam potest eße, nec à
te alienius. Vale.

* .i. in phi solophia tractata.

* a.l. aliquando

ASCENSIVS.

NOndum &c. Hæc epistola uidetur superiori preponen-
da. Nam cum Trebatius in Tusculanum ad Cice. uenis-
set, exposuit ei querelam Matii de Cice. quod tulisset
suffragium legi de efficiendis omnibus, quæ Cæsar in-
stituerat commentatiis suis. unde se excusaturus Cice.
cepit lõgius causam amicitiæ cum Matio, docetq; se eum potius
defendisse quam accusasse, optatq; ad eum delatos fuisse sermones,
quos de eo habuerit, & potissimum de moderatione eius circa bella
ciuilia. Ordo est. Ego nondum constitui .i. definiui ac decreui satis,
ne .i. an Trebatius noster attulerit mihi plus molestiæ an uolupta-
tis. Trebatius inquam homo tum plenus officii, tum amantissimus
utriusq; nostrum .i. tui & mei. Nam cum uenissem uesperi .i. hora ue
spertina, in Tusculanum .s. prædium & uillam meam, ille uenit ad
me postridie, idest die proxime secuto, cum esset mane, existens sup
ple corpore non dum satis firmo, idest adhuc aliquantulum infir-
mo præ ualetudine, ægrotauerat enim. Quem cũ obiurgarẽ quod
parceret parum ualetudini .s. infirmæ, tum ille supple respondit mi
hi, nihil fuisse sibi longius .i. desideratius, quia quæ longe absunt,
maiore cruciatu desideramus, quam ut uideret me. inquã. idest aio
tunc illi, num quid nã noui supple esset, aut afferret. Et supple ille
tunc, detulit ad me, idest enarrauit mihi, querelam tuam, de qua
priusquam respõdeam, idest me purgem, præponam pauca, scilicet
ad purgationem accommoda, & fidem factura. Quantum ego pos
sum repetere memoria .i. recordari præterita, nemo .i. nullus est mi-
hi amicus antiquior .i. uetustior & charior, nam utrunq; significat
antiquum, mihi te, .i. quam tu. Sed uetustas habet aliquid commu-
ne cum multis, quia multos æque diu amaui ac te, amor non habet,
scilicet quicquam commune cum multis, te plusquam cæteros ama
ui. Dilexi qui primus gradus amoris est te sup. eo die quo cognoui,
scilicet primum te, & iudicaui me diligi a te. Deinde discessus tuus
scilicet a patria, & is diuturnus, idest diu durans, ambitio nostra .i.
æmulatio in obtinendis honoribus quas brigas Galli uocant, &
dissimilitudo uitæ, quia ego domi, tu foris agere delectabaris, non
est passa uoluntates nostras conglutinari .i. consolidari consuetudi
ne .i. commercio & communione uitæ. Ego tamen cognoui animũ
tuum .i. beneuolentiam tuam erga me multis annis ante bellum ci-
le .s. inter Cæsarem & Pompeium cum Cæsar esset in Gallia Tu. n.
perfecisti .s. tunc id quod putabam esse ualde utile mihi nec inutile
ipsi Cæsari .s. ut ille diligeret, coleret, haberet in suis, idest inter sibi
charissimos me. Ego prætereo .i. pertrãseo multa quæ dicta, scripta,
communicata sunt inter nos illis tẽporibus familiarissime, idest ut
inter maxime familiares. Enim .i. quia grauiora .i. maiora testimonia
familiaritatis & amicitiæ sunt consecuta ea initio belli ciuilis cum
ires Brundusium uersus ad Cæsarem, uenisti ad me in Formianum,
idest agrum & uillam, primum quanti supple putas æstimandũ hoc
ipsum .s. deflectere se de uia ut uisas amicum, præsertim temporibus
illis .s. tam dubiis & suspectis? quasi dicat haud dubie maximi. De-
inde putas, quasi dicat scio quod non putas, aut non debes putare
me oblitum consilii, sermonis, humanitatis tuæ? Quibus rebus me-
mini Trebatium interesse. Videmus, quod Agræcius aduotauit, me-
mini fere præsenti coniungi Nec uero oblitus sum literarum tua-
rum quas misisti ad me, cum uenissem obuiam Cæ. in agro Trebu-
lano ut arbitror .i. si recte recordor illud tempus est secutum cum .i.
quo tempore siue pudor meus, siue officium siue fortuna, idest sors
iniqua mihi coegit me proficisci ad Pompeiũ non dicit contra Cæ-
sarem, quasi non tam odio Cæsaris quam amore Pompeii in bellum
profectus sit: quod officium tuum, & supple quod studium tuũ, de-
fuit uel in me absentem uel in meos præsentes? quasi dicat nullũ,
Porro, idest sed quem omnes mei iudicauerunt amiciorem, idest ma
gis amicum & mihi, & sibi, te, idest quam te, quasi dicat, nullũ pro-
fecto. Ego ueni Brundusium, putasne me oblitum qua celeritate
aduolaris pro aduolaueris, idest accurreris Tarento, idest Tarentũ
est autem datiuus localis, quem octauum casum quidam uocant, ut,
It clamor cœlo, idest in cœlum, ad me ut primũ audieris .s. me adess
se, & quæ .i. qualis apud me sessio tua, quæ sup. oratio .s. tua, quæ cõ
firmatio animi mei fracti metu communium miseriarum .q.d. iucun-
dissima & amicissima. Nos tandem cœpimus esse aliquando Ro-
mæ, quid defuit familiaritati nostræ in maximis rebus. Ego usus sum
consilio tuo, quonammodo gererem me aduersus Cæsa. ubi aduer-
sus non capitur in malam partem. In reliquis officiis, cui tribuisti
præter me .i. præterquam mihi excepto Cæsare? ut uentitares .i. fre-
quenter uenires, domum .s. eius, & consumeres sæpe multas horas
sermone suauissimo, tum .i. tunc cũ .i. quando tu impulisti me, si me-
ministi, idest si forte tenes memoria, ut scriberẽ hæc φιλοσοφούμενα,
idest philosophicos tractatus, ut libros officiorum, de amicitia, de
senectute, de paradoxis, de quæstionibus Tusculanis. Quid fuit ti
bi maiori curæ post reditũ Cæsa. s. e pugna Pharsalica feliciter pu-
gnata, quam ut ego essem familiarissimus illi .s. Cæsari, quod effece-
ras? Alxet tamen ad Cassiũ & Brutũ scribet. Quorsum igitur hæc l.
mea oratio longior sup. tendat, quæres sup. Responsio. Quia sum
admiratus, te qui deberes nosse .i. cognoscere hæc s. dicta testimo-
nia amoris, credidisse quicquã commissum esse a me, quod esset alie
num ab amicitia nostra. Nam ego habeo multa occultiora .i. secre-
tiora indicia ueræ amicitiæ, quæ uix possum exequi .i. exprimere
uerbis, præter hæc quæ commemoraui, quæ sunt testata .i. testibus
cõprobata. & pro .i. illustria .i. clara & manifesta. Omnia tua, scilicet
dicta, & facta delectant me, sed maxime .i. præcipue, maxima, cum
.s. ita sit quod me delectent, fides in amicitia, consiliũ, grauitas, con
stantia, tum supple uerum est apertius quod me delectent, lepos .i.
suauitas loquendi, humanitas .i. suauitas uiuendi, & literæ .i. eminẽ-
tia doctrinæ, quæ licet maiora non sunt quã fides, consilium, graui
tas, constantia, plus tamen earundem rerum studiosos delectare so-
lent. Quapropter redeo nunc ad querelam. s. quam dicũt te de me
fecisse Ego primum non credidi te tulisse suffragium .i. assensum &
fauorem in illa lege .s. qua decretum est ut quæ Cæsar statuerit rata
haberentur. Deinde si credidissem, ego nunquam existimarem te fe
cisse id sine aliqua iusta causa. Dignitas tua facit, ut animaduerta-
tur .i. diligenter cõsideretur, qcqd facias, maleuolentia aũt hominũ
facit ut nonnulla proferantur .i. diuulgentur durius quã sint facta a
te. Si tu nõ audis ea .s. quæ proferuntur durius quã sint facta a te, ne-
scio qd dicã .q.d. si auderẽ dicerẽ te surdastrũ. Equidẽ .i. ego quidẽ,
si audio quando .i. quãdoq; sup. ea, ego tã .i. tantopere defendo sup.
ea, quã .i. quantopere, ego scio me solere defendi a te cõtra iniquos
.s. de me censores. Aũt .i. sed defensio est duplex. quia alia sunt quæ
soleã aliquando negare, ut de isto ipso suffragio .s. facto in legẽ latã,
alia sup. sunt quæ defendam .i. defendendo asseram fieri a te pie &
humane, ut de curatione ludorũ .s. funebrium in honorẽ Cæsa. Sed
non fugit te hominem doctissimum .i. tu bene scis cum sis homo do
ctissimus, si Cæsar fuerit rex, quod quidẽ uidetur mihi, posse disputa
ri de officio tuo .s. in illũ exhibito, in utrãq; partẽ, & bonã, & malã,
uel in eã sup. partẽ qua ego soleo uti, uidelicet fidẽ & humanitatem
tuã in Cæsarem esse laudandam, qui diligas amicum etiã mortuum,
uel in eam sup. partem, qua nonnulli utuntur sup. dicentes liberta-
tem patriæ esse anteponendam .i. præferendam, uitæ amici .s. Cæsa-

ris tibi. Vtinam disputationes meæ essent delatæ ad te, ex his sermonibus, Vero .i. sed quis commemorat, aut libentius, aut sæpius quam ego, illa duo quæ sont maxima .i. præcipua capita laudum tuarum te fuisse grauissimum authorem belli ciuilis non suscipiẽdi .s. a Cæsare contra Pompeium & uictoriæ moderandæ .i. modeste habẽdæ, in quo .s. iudicio de te, ego neminem inueni qui non assentiretur mihi. Quare ego habeo gratiam Trebatio familiari nostro, qui dedit mihi causam harum literarum .s. ad te scribẽdarum, quibus nisi credideris, tu iudicaris pro iudicaueris, me expertem .i. sine participatione hoc est habentem nihil omnino officii & humanitatis, quo .s. iudicio tuo, nec quicquam potest esse grauius .i. molestius mihi, nec alienius a te.

PAVL. MANV. QVid defuit nostræ familiaritati in maximis rebus? quonam modo me gererem aduersus Cæsarẽ usus tuo consilio sum} Distinguo sic. quid defuit nostræ familiaritati? in maximis rebus quonammodo me gererem aduersus Cæsarem, usus tuo consilio sum.

SEBAS. CORR. TRebatius noster} Episto. XV. lib. VII. {Tuus deinde discessus} in Galliam cum Iulio Cæsare. {Isq; diuturnus} plus nouem annis. {Venisti ad me} Sic ad Atticum scribit: Venit ad me Matius Quinquatribus, homo, ut mihi uisus est, temperatus & prudens. existimatus est quidem semper author ocii. {Literarum tuarum} Sunt illæ fortasse lib. IX. ad Atti. {Obuiam uenissem} Al. obuiam uenisses. idq; fortasse melius nam Matius cum Capua exisset ut iret ad Cæsarem ex itinere ad Ciceronem scripsit. Cicero præterea non dubitasset de loco, si eo uenisset ipse. {Veni Brundusium} uicto Pompeio. {φιλοσοφούμενα} Philosophica. {Post Cæsaris reditum} post uictum Pharnacem, etsi post uictos Pompeii filios exponere commode possimus. {Iniquos meos} Al. inimicos meos. {Quæ liquido} Al. quæ aliquando. {De curatione lud.} Epist. sequenti.

BERN. RVTI. POst Cæsaris reditum quid tibi maiori curæ fuit, quam ut essem ego illi quam familiarissimus} Reditum intelligit uel ex Africa, uel ex Hispania post decollatos Pompeii liberos, quinquies enim Romam uenit Cæsar post motum ciuile bellum: primũ expulso ex Italia Pompeio. iterum debellatis Legatis Pompeii in Hispania, tertium ex Aegypto, quartum ex Africa, quintum ex Hispania, inde cæsus. Quo minus autem præferri istam superiori epistolæ oporteat, nulla ratio est: quod & Clericus monuit & ipse Matii literæ Ciceronianarum mentione satis arguunt.

PHIL. MELĀ. NOndum satis constitui} Exordium a dubitatione. {Quantum memoria} Occupatio, præmollit animum commemoratione ueteris amicitiæ. {Quorsum igitur} Propositio: Nihil feci alienum nostra amicitia. {Omnia me} R[illegible]tio. {Ego te suffragium} Purgatio [illegible] telarum, quare de eo plus querantur homines, quam de alijs, causæ sunt dignitas ẽius, & maleuolentia, quæ maxime petit claros uiros. {Sed te hominem} Obliqua reprehensio. {Ex his sermonibus} Conclusio, in qua prædicat illius merita.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Excusat se Matius, q Cæsaris mortem ægre tulerit, cum tanta illius in Matium merita essent, ut non potuerit non dolere ratione officii: simulq; ostendit eos, qui ab hoc officio eum auocent. Diluitq; quædam, quæ falso illi obiiciebantur, q rempub. non amaret, cum euidentibus argumentis id falsum esse dicat.

C. MATIVS M. T. C. S. P. D. 28

MAgnam uoluptatem ex tuis literis cepi, quòd quam speraram, atq; optaram habere te de me opinionem cognoui: de qua etsi non dubitabam, tamen, quia maximi æstimabam, ut incorrupta maneret, laborabam, conscius autem mihi eram, nihil à me commissum esse, quod boni cuiusquam offenderet animum. eo minus credebam, plurimis, atque optimis artibus ornato tibi, temere quicquam persuaderi potuisse, præsertim in quem mea propensa, & perpetua fuisset, atque esset beneuolentia. quod quando ut uolui, scio esse: respondebo criminibus, quibus tu pro me, ut par erat, tua singulari bonitate, & amicitia nostra sæpe restitisti: nota enim mihi sunt, quæ in me post Cæsaris mortem contulerint. uitio mihi dant, quod mortem hominis necessarij grauiter fero, atq; eum, quem dilexi, perisse indignor: aiunt enim patriam amicitiæ præponendam esse: perinde ac si iam uicerint, obitum eius Reip. fuisse utilem. sed non agam astute. fateor me ad istum gradum sapientiæ nõ *peruenisse: neque enim Cæsarem in dissensione ciuili sum secutus, sed amicum, quanquam re offendebar, tamen non deserui. neque bellum unquam ciuile, aut etiam causam dissensionis probaui, quam etiam nascentem extingui summe studui. itaque in uictoria hominis necessarij, neque honoris, neque pecuniæ dulcedine sum captus. quibus præmijs reliqui, minus apud eum, quàm ego cum possent, immoderate sunt abusi. atq; etiam res familiaris mea, lege Cæsaris diminuta est: cuius beneficio plerique, qui Cæsaris morte lætantur, remanserunt in ciuitate. ciuibus uictis ut parceretur, æque, ac pro mea salute, laboraui. possum igitur, qui omneis uoluerim incolumeis, eum, à quo id impetratum est, perijsse non indignari? cum præsertim ijdem homines illi & inuidiæ, & exitio fuerint. plecteris ergo, inquiunt, quando factum nostrum improbare audes. ô superbiam inauditam, alios in facinore gloriari, alijs ne dolere quidem impune licere. at hæc etiam seruis semper libera fuerunt, timerent, gauderent, dolerent suo potius, quàm alterius, arbitrio. quæ nunc isti, ut quidem dictitãt, libertatis authores, metu nobis extorquere conantur. sed nihil agunt. nullius unquã periculi terroribus ab officio, aut ab humanitate desciscam: NVNQVAM enim honestam mortem fugiendam, sæpe etiam appetendam putaui. sed quid mihi succensent, si id opto, ut pœniteat eos sui facti? cupio enim Cæsaris mortem omnibus esse acerbam. at debeo pro ciuili parte Rempub. uelle saluam. id quidem me cupere, nisi & ante acta uita, & reliqua mea spes, tacente me, probat: dicendo uincere non postulo. quare maiorem in modum te rogo, ut rem potiorem oratione ducas: mihiq́;, si sentis expedire recte fieri, credas nullam communionem cũ improbis esse posse. an quod adolescens præstiti, cum etiam errare cum excusatione possem: id nunc ætate præcipitata commutem, ac me ipse retexam? non faciam, neque, quod displiceat, committam, præterquam quòd hominis mihi coniunctissimi, ac uiri amplissimi doleo grauem casum. quòd si aliter essem animatus, nunquam, quod facerem, negarem, ne & in peccando improbus, & in dissimulando timidus, ac uanus existimarer. At ludos, quos Cæsaris uictoriæ Cæsar adolescens fecit, curaui. At id ad priuatum officium, non ad statum Reip. pertinebat. quod tamen munus & hominis amicissimi memoriæ, ac honoribus præstare etiam mortui debui: & optimæ spei adolescenti, ac dignissimo Cæsare petenti negare nõ potui. ueni etiã Cos. Antonii sæpe domum salutandi causa: ad quem, qui me parum patriæ amantem esse existimant, rogandi quidem aliquid, aut auferendi causa *frequentes uentitasse reperies. sed quæ hæc est arrogantia quod Cæsar nunquam interpellauit, quin, quibus uellem, atque etiam quos ipse non diligebat, tamen iis uterer, eos, qui mihi amicum eripuerunt, carpendo me, efficere conari, ne, quos uelim, diligam? sed non uereor, ne aut meæ uitæ modestia parum ualitura sit in posterum contra falsos rumores: aut etiam ii, qui me non amant propter meam in Cæsarem constantiam, non malint mei, quàm sui similes amicos habere. mihi quidem si optata cõtingent, quod reliquum est uitæ, in ocio Rhodi degam. sin casus aliquis interpellarit: ita ero Romæ, ut recte fieri semper cupiam. Trebatio nostro magnas gratias ago, quòd tuum erga me animum simplicem, atque amicum aperuit: & quòd eum, quem semper dilexi libenter, quo magis iure colere, atque obseruare deberem, fecit. Bene uale, & me dilige.

* al. non uenisse.

* al. frequentes uentitare

ASCENSIVS. MAgnam &c. Matius ciuis Roma. cum apud Cæsa. multos annos in summa gratia fuisset, & mutua beneuolentia eundem semper persecutus, & eo interfecto uehementer conturbatus & questus fuisset: percussores Cæsa. obiiciebant id illi, quod fleret necem Cæsa. & reipu. liberationem iniquo animo ferret. quocirca hac epistola ostendit se semper fuisse amatorem concordiæ, neq; secutũ Cæsa. ut rẽpub. opprimat, sed ut officio satisfaciat, purgans quod ludos in honorẽ Cæsaris faciendos curauerit, demum dicit se aut in ocio aut Romæ, si detur, uicturũ amatorẽ reip. Ordo est: Ego cepi magnã uolu-

ptatē ex literis tuis: quod cognoui te habere de me: sup. eam opinionem, quam sperarā, atq; optarā De qua. s. opinione, & si nō dubitabā Tamē quis maximi æstimabā, laborabam ut maneret incorrupta .i. integra. Autē .i. sed ego eram conscius mihi, nihil esse cōmissum a me, quod offenderet .i. læderet, & ad iram prouocaret animū cuiusq; iā boni. Eo .i. tanto aut propterea credebam minus quicquam potuisse persuaderi temere .i. inconsiderate & sine certa ratione, tibi ornato plurimis atq; optimis artibus, præsertim in quē mea beneuolentia fuisset. s. prius, atq; esset. s. adhuc propensa .i. prona & inclinata & perpetua .i. nunquam intermissa. Quod quando .i. quoniam scio esse ut uolui, respondebo criminibus .i. criminationibus, quibus tu restitisti sæpe pro me, ut par .i. æquum erat pro tua singulari bonitate & amicitia nostra Enim .i. quia, ea quæ. s. obtrectatores contulerint in me .i. obiecerint mihi post mortē Cæsa. sunt nota .i. manifesta. Ipsi sup. dant mihi uitio .i. dicunt mihi uitiosum esse, quod fero grauiter .i. moleste, mortem hominis necessarii. s. Cæsa. atq; sup. q in dignor .i. indignanter patior eō quē dilexi .i. Cæsarē perisse. Ipsi .n. aiunt Patriā esse præponendā amicitiæ .i. plus diligēdā quā amicū. Proinde .i. perinde ac si uicerint .i. probauerint contra aliter sentiētes necessariis argumentis, obitum eius. s. Cæsaris fuisse utilē reipu. Sed nō agam astute, quia nō ficte, nec dissimulanter. Fateor me nō peruenisse ad istum gradum sapientiæ. s. ut cognoscam Cæsa. mortē fuisse utilē reipu. Neq; .n. secutus sum Cæsarē in dissensione ciuili .i. in eo animo ut fouerē discordiā ciuilē, sed quāquam offendebar te .i. ipsa discordia, tamen nō deserui amicū. Neq; probaui .i. nō approbaui neq; laudaui unquā bellū ciuile, aut causam dissensionis, quā. s. dissensionē aut causam eius ego studui summe extingui .i. ut extingueretur, etiā nascentē .i. in primis exordiis. Itaq; neq; sum captus dulcedine honoris neq; pecuniæ, in uictoria hominis necessarii. s. Cæsaris, quibus præmiis. s. honoris & pecuniæ reliqui. s. Cæsa. asseclæ, cū possent minus apud Cæsarē quā ego, tamē sup. abusi sunt immoderate. Atq; etiā .i. insuper res mea familiaris est diminuta lege Cæsaris .i. per Cæsarē lata Cuius beneficio pleriq; qui lætantur morte .i. de morte Cæsaris, remanserunt in urbe. Ego laboraui æque ac pro mea salute, ut parceretur ciuibus uictis. Possum igitur ego qui uoluerim omnes incolumes sup. esse, nō indignari, eū a quo id impetratū .i. obtentum est perisse. q. d. merito nō possum non indignari, sed cogor indignari, præsertim cū iidē homines fuerint illi .i. Cæsari, & inuidiæ & excidio .i. causa inuidiæ & excidii. Inquiunt ergo tu plecteris .i. punieris, quando .i. quando quidē audes improbare factū nostrū. O superbiam .i. insolentiā inauditā, alios gloriari .i. gloriantes se iactare in facinore .i. facto scelerato, & non licere aliis ne quidē .i. nō saltē dolere impune .i. sine punitione aut pœna. At .i. sed hæc. s. sequentia fuerunt semper seruis libera .i. impune permissa, ut .s. timerent, gauderent, dolerent potius arbitrio suo quam alterius. Quæ nunc ut quidē isti. s. maleuoli dictitant .i. frequenter dicunt, authores libertatis, conātur extorquere .i. eripere nobis metu .i. per metum. Sed nihil agunt .i. in uanum laborant. Ego nullius .i. non ullius nō desistam unquā ab officio, aut humanitate terroribus .i. propter terrores, uel ullius periculi. Ego enim nunquā putaui mortē honestam fugiendā sup. esse, & putaui etiā sæpe appetendā pro expetendam sup. esse. Sed quid succensent .i. occulte irascuntur mihi, si ego opto id, ut pœniteat eos facti sui? Cupio enim mortem Cæsaris esse omnibus acerbam. At .i. sed debeo uelle rēpu. saluā sup. esse, pro parte ciuili .i. eo quod sum pars ciuitatis, & ita particeps reipubli. eius. Quidē .i. certe ego nō postulo uincere .i. necessario probare dicendo .i. argumentando, me cupere id. s. rēpu. esse saluā, nisi & uita mea acta .i. transacta, & spes mea reliqua .i. quæ est de reliqua parte uitæ, probat id, me tacente .i. quāuis tacerē. Quare o Cicero, ego rogo te in maiorē modū .i. magnopere, ut ducas .i. æstimes rem .i. effectū, potiorē oratione .i. uerbis meis, & credas si sentis expedire .i. utile esse fieri recte, nullā cōmunionē posse esse mihi cō improbis, An ego cōmutē nunc ætate præcipitata .i. ad casum accelerāte, id quod præstiti, exhibui & effeci, adolescens .i. cū essem adhuc adolescens, cū possem errare etiā cū excusatione, quia facilius ignoscitur adolescētiæ peccanti, quā uirili ætati, ac retexam .i. dissoluam, destruam, me ipsum .i. pristinos mores meos. Nō faciam, neq; cōmittam quod displiceat, præterquā q doleo casum grauē hominis coniunctissimi mihi ac uiri amplissimi. Quod si ego essem animatus aliter, ego nūquā negarē qd facerē, & ne .i. ut non existimarer .i. iudicaret improbus in peccando, & timidus ac uanus .i. mendax, & futilis in dissimulando .i. simulando me nō facere q facerē. At .i. sed sup. dicunt aduersarii, ego curaui. s. ut fierent decenter, ludos quos Cæs. adolescens. s. Octauius fecit uictoriæ .i. propter uictoriā Cæs. s. Iulii a quo adoptatus fuerat. At .i. sed, id. s. curare illius ludos, pertinebat ad officiū priuatū nō ad statū reipu. Quod tamen munus .i. ludos funebres debui præstare .i. exhibere & .i. simul memoriæ ac honoribus hominis amicissimi. s. Cæsaris, etiā mortuo .i. cū iam esset mortuus, Absolutius & apertius legeretur mortui, & nō potui negare Cæsari. s. Octauio adolescenti optimæ spei, idest de quo optime speramus ac dignissimo. s. cui obsequar repetenti, idest frequenter exigenti. Veni etiā sæpe domū, idest ad domū Antonii Cos. causa salutandi: ad quē. s. Anto. Cos. tu repertes sup. eos qui existimant, idest iudicāt me parum amantē patriæ, uentitare frequenter quidē, idest certe causa rogandi aut auferendi aliquid ab eo. Sed quæ, idest qualis est hæc arrogantia, idest Superbia quod Cæs. s. Iulius nunquā interpellauit, idest impediuit, quin uterer quibus uellē, atq; etiā iis tamen .i. nihilominus, quos ipse nō diligebat, eos qui eripiūt mihi amicū, conari efficere carpendo, idest rodendo & reprehendendo me, ne diligam quos uelim: Sed nō uereor ne aut modestia uitæ meæ sit ualitura parum in posterum contra falsos rumores, aut ne etiā ii qui nō amant me, propter constantiā meā .i. constantē amorē meū & fidem in Cæsa. etiā mortuum, nō malint habere amicos similes mei. s. qui amicum post mortē amore prosequor, quā sui. s. qui inconstantes sunt. Quidē, idest certe, si optata contingent mihi, degam, idest transigam Rhodi in ocio, idest uacatione a munere publico & negocio militari, id sup. uitæ, quod est reliquū, idest relictū mihi adhuc uiuēdum. Sin, idest sed si aliquis casus interpellarit, idest impedierit quo minus uiuā Rhodi in ocio, ego ero Romæ ita ut cupiā supple omnia fieri semper recte, aut ut cupiā recte, idest nihil fieri ut sim illic in ocio, sicut in Ter. Tū quod illi dē recte est, idest nihil est, quare autē recte pro nihil dixerit, ostendit subdens, nā nihil dicere .i. dicere q nihil mihi sit quod dem illi, est religio .i. metus mali omnis cauendi. Putabant enim superstitiosi illi mortales si dixissent sibi nihil esse, nihil etiā futurum, & si interroganti quis me petit, nullus respondisset puer, se a nullo deinceps expetendos, unde respondere solebāt, bona fortuna here, idest nullus. Ego ago Trebatio nostro magnas grātias, quod aperuit animum tuum simplicem, idest non dolosum atq; amicum erga me, & fecit quo, idest ut deberē iure, idest merito magis colere atq; obseruare, idest cauere ne led. &c.

VICTORIUS.

AIunt enim patriā amicitiæ præponendā esse} Nos ueterem lectionē quæ multos primo aspectu falleret, ob idq; fortasse repudiata quondā est, sua sede reposuimus {Patriæ amicitiā} cū enim possumus antiquorū exemplariorū dignitatē, authoritatēq; tueri, libenter facimus, sæpius enim qui ea parui fecerunt, deceptos uidimus hancq; eorū uerborū sentētiā credimus esse, Aiunt enim patriæ amicitiā præponendā esse. s. amicitiæ necessariorum: duo enim sunt quæ quimis amare summo ardore debet, patria & necessarii. fatetur hic se dissentire ab illis, qui præponendū esse amorē patriæ dicebant, amori necessariorum, & familiarium, cum enim nemo sit qui non patriam diligat, & amicos saluos uelit potius, uter amor præponendus sit, disputandum est.

Ec poste. eiusdem.

PAtriæ amicitiā} Si amicitiā appellauit amorē, ut nos credimus, Matius (nam Græci quoq; φιλίαν sæpe τὴν φίλησιν uocāt) nō uideo cur prisca lectio reisci debeat. Quod ita olim scripsimus, dedimus id uetustati, ac fidelitati librorū, cū quibus postea minoris authoritatis codices consentire cognouimus, uel potius in nullo aliter reperimus. Sed magnum negocium est receptā aliquam opinionem, nisi prorsus absurda sit, ex animis hominū euellere. {Dignissimo Cæsari petenti} Mediceus liber. {Cæsare repetenti} quod Pauli lectionem adiuuat ut tantum a librario peccatū sit, quod extremam prioris uocis syllabam iterum scripsit: multæ huiuscemodi maculæ in antiquis, & in impressis libris inueniuntur. Simile huic erratum erat, de quo antea locuti sumus, quod in cunctis libris {fide Lepidi dimissos} legebatur: cum {Lepidi missos} legi debeat. apud Tacit. lib. IIII. (uolo enim a me quoq; aliquid opis capere studiosos literarum) eodem modo peccatum fuit: Circūgredi terga hostium iubet, qui iam acie compositi pelluntur: turmas sociales, equitesq; subsidio missos: Legi enim debet, {pellunt turmas sociales.} ut Matius inquit, dignissimo Cæsare, adolescenti ita etiā Cicero ad Alienum procōs. eius filios dignissimos illo patre dixit.

PAUL. MANV.

PAtriam amicitiæ præponendam} nihil muto: etsi alii ex antiquis codicibus legant, patriæ amicitiam præponendam, sunt enim aliquot manuscripti libri, & ii peruetusti, qui cū impressa lectione consentiunt. {Dignissimo Cæsare} Ita lego ex libro Ioannis Scalæ manuscripto. sensus hic est, Munus illud & eius hominis qui mihi amicissimus fuit, memoriæ præstare debui: & ei adolescenti, qui optimæ spei est, ac Cæsare dignissimus, negare nō potui. in quibusdam antiquis exemplaribus legitur. Cæsari repetenti. quod nostram lectionem magis uidetur confirmare.

SEBAS. CORR.

PAtriam amicitiæ } Al. patriæ amicitiam: hoc est erga patriam amorem. {Lege Cæsaris} hanc legem quærendam relinquimus. Nisi fortasse ea sit, quam Cæsar iterum Cos. tulit de æstimationibus per arbitros creditoribus tradendis, deq; iudiciis damnatorum lege Pompeia in integrum restituendis. {Desciscam} Al. desistam. {Pro ciuili parte} Al. pro uirili parte. {Expedire recte fieri} Alii legunt, expedire, & recte fieri. {At ludos anniuersarios, qui. VI. Id. April. celebrabantur. {Cæsaris uictoriæ} contra Iubam. {Adolescens fecit} ui Apollonia rediit. {Curaui} Sic ad Atticum hac de re scribit: Matius & Posthumius mihi procuratores non placent: Saserna collega dignus. {Mortui debui} Al. mortuo debui. {Dignissimo Cæsari} dignissimo, qui Cæsar appelletur. Etsi quidam, dignissimo Cæsare, legunt. {Petenti negare} Al. repetenti negare. {Ventitasse} Al. Ventitare.

Mihiq;

BERN. RVTI. Mihiq; si sentis expedire recte fieri, credas nullam communionẽ cum improbis esse posse} Distingue melius, mihiq; si sentis expedire recte fieri, credat communionẽ, &c. Est autem recte fieri, in pace esse atq; uiui ab omnibus.

PHIL. MELA. MAgnam uoluptatem} Exordium est πάθος, ex Cic. de Matio iudicio. {Conscius autẽ} Ratio ex suæ conscientiæ fiducia: perstringit oblique, quod inique iudicauerit. {Visio mihi dant} Narratio. {Neq; enim Cæsarẽ} Propositio: Ferri grauiter mortẽ Cæsaris. {Neq; bellum} Occupatio: Non probaui ciuilẽ dissensionẽ. {Itaq; in uictoria} Signa. {Ciuibus uictus} Enthymema ex minore: Si alios esse uolui saluos, quanto magis Cæsarem? Pertinet autẽ ad propositionẽ. {Plecteris ergo} Obiectio. {At hæc etiam seruis} πάθος ex minori. {Libertatis authores} Ironia. {Nullius unq;} Ratio, ab officio amicitiæ. {At debeo} Obiectio secunda. {Id quidẽ me cup.} Reiectio, ex signis. {Quare maiorẽ} Conclusio petitionẽ continens. {An quod adolescent} Ex anteactæ uitæ exemplis. {At Indos} Confutatio ex distinctione publici & priuati officii. {Sed quæ hæc} Ab exemplo Cæsaris.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Exponit Oppio, quam fuerit utile & gratum consilium ab illo datum, quamque semper eum dilexerit, & ut in porro faciat, petit.

M. T. C. M. OPPIO. S. 29

DVbitanti mihi, quòd scit Atticus noster, de hoc toto consilio profectionis, quòd in utranque partem in mentem multa ueniebant, magnum pondus accessit ad tollendã dubitationem, iudicium, & consilium tuum: nam & scripsisti aperte, quid tibi uideretur. & Atticus ad me sermonem tuum pertulit. semper iudicaui, in te & in capiendo consilio prudentiam summam esse, & in dando, fidem, maximeq; sum expertus, cum initio ciuilis belli per literas te consuluissem, quid mihi faciendum esse censeres, eundumne ad Pompeium, an manendum in Italia: suasisti, ut consulerem dignitati meæ. ex quo, quid sentires, intellexi: & sum admiratus fidem tuam, & in consilio dando religionem. quòd, cum aliud malle amicißimum tuum putares, antiquius tibi officium meum, quàm illius uoluntas fuit. equidem & ante hoc tempus te dilexi: & semper me à te diligi sensi: & cum abeßem, atq; in magnis periculis essem, & me absentem, & meos præsentes à te cultos & defensos esse memini, & post meum redditum quàm familiariter mecum uixeris, quæq; ego de te & senserim, & prædicarim, omneis, qui solent hæc animaduertere, testes habemus. grauißimum uero iudicium de mea fide, & de constantia fecisti, cum post mortem Cæsaris totum te ad amicitiam meam contulisti. quod tuum iudicium nisi mea summa beneuolentia erga te, omnibusq; meritis comprobaro, ipse me hominem non putabo. Tu mi Oppi conseruabis amorem tuum (etsi amore magis hoc quidem scribo, quàm quo te admonendum putem) meaq; omnia tuebere, quæ tibi ne ignota essent, Attico mandaui. A me autem, cum paulum ocij nacti erimus, uberiores literas expectato. Da operam, ut ualeas, hoc mihi gratius facere nihil potes.

ASCENSIVS. DVbitanti &c. Profecturus Cic. legatus in Græciam, dubitansq; utrum iret, consuluit per literas Oppium de ea re, qui & per literas & per Atticum quid sentiret, ita aperuit ut Cice. sibi faciendum putaret, quod ille consuluisset: quod hac epistolæ fatetur, commemorans & aliud consilium ab Oppio datum, oratq; demum ut amorẽ sui cõseruet. Ordo est. Iudicium & consilium tuum accessit magnum pondus i. momentum ad tollendam dubitationẽ mihi dubitanti, quod .i. quam rem Atticus noster scit, de hoc toto consilio profectionis. s. in Græciam, quod .i. quia multa ueniebant mihi in mẽtem in utrãq; partem. i. eundi & non eundi: accessit dico, magnum pondus, nam & scripsisti aperte quid uideretur tibi, & Atticus pertulit ad me sermonem tuum. Ego iudicaui semper summam, & .i. simul prudentiam esse in te in consilio capiendo, & fidem in dando s. consilio, & sum maxime expertus sup. illud, cum consuluissem te initio belli ciuilis, quid censeres faciendum esse, ne .i. an eundum sup. esset ad Pompeium, an manendum in Italia. Suasisti ut consulerem .i. prodessem dignitati meæ, ex quo intellexi quid sentires, & sum admiratus fidem tuam & religionem .i. metum deorum, in consilio dando, quod cum putares amicissimum tuum. s. Cæsarem, malle aliud, officium meum .i. debitum munus, fuit antiquius .i. charius quam uoluntas illius. Equidem .i. ego quidẽ dilexi te, & .i. simul ante hoc tempus, & sensi semper me diligi a te, & memini cum abessem, & essem in magnis periculis, & .i. simul me absentem, & meos præsentes cultos & defensos esse a te. Prudenter commemorat beneficia eius anteacta, ut inuitet ad noua: turpe enim uidetur in tam gratos non augere beneficia. Et quam .i. quantum familiariter uixeris mecum post reditum meum, & quæ ego & senserim & prædicarim de te, habemus testes omnes. s. homines, qui solent animaduertere .i. considerare hæc .i. huiusmodi officia hominum inter se. Vero .i. sed, tu fecisti grauissimũ .i. maximi momenti & ponderis iudicium de fide & constantia mea cum contulisti te totum ad amicitiam meam post mortem Cæsaris. Quod iudicium tuũ nisi comprobaro .i. comprobauero, summa beneuolentia mea erga te, & omnibus meritis, ipse .i. egomet, putabo me non esse hominem, sed pecudem sup. O mi Oppi tu conseruabis amorem tuum. s. in me. Et si .i. quanquam, ego scribo hoc quidẽ magis amore .i. ea uehementia amoris mei in te, quam quo .i. ut, aut lege quod .i. quia putem te admonendum sup. esse, & tuebere .i. proteges omnia mea. quæ ne essent incognita tibi, mandaui Attico. s. ut tibi patefaceret. Autem .i. sed expectato a me literas uberiores, cum .i. quando nos erimus nacti paulum .i. modicum ocii. Da operã ut ualeas, & nihil potes facere mihi gratius hoc .i. quam ut eam operam des. s. ut ualeas. Quoties autem illam aut similem particulam adpositam uidemus, superfluum fuerit addere Vale. est autẽ amatorius dictum, Cura aut da operam ut ualeas, quam illud tritum, Vale. Sane in tota hac epistola Cicero id agit, ut se in amicitiã Oppii insinuet: commemorans eius fidem & religionem, & sanctissimã amicitiã, cũ potius iudicarit Cic. faciendũ quod ex officio debuit, hoc est Pompeium sequi, cui plurimũ deuinctus erat, quã quod nouit amico sibi charissimo hoc est Cæsari magis placiturũ fuisse, in quo facto dicit se admiratũ eius religionẽ, hoc est ut Hubertinus interpretatur sanctitatẽ, ut mihi autẽ placet, metũ deorũ, quos, amicitiæ inseruiendo ultra id quod uerũ & iustũ est, læderet. Scitũ enim est apud A. Gellium præceptũ, Amicis inseruiendũ usq; ad aras seu deos .i. sic ut propter amicitiã iustitia & ueritas non lædantur. Vnde & ipse Cic. in Lælio seu libro de amicitia dicit primã esse legem amicitiæ, ne quid inhonestũ rogemus ab amico, nec faciamus rogati. Hæc autẽ & huiusmodi breuitati studens lubens prætereo.

SEBAS. CORR. M. Oppio} Al. Oppio, sine prænomine, nã C. Oppius dicebatur is, qui Cæsaris fuit amicus, M. uero Oppius, Pompeianus potius, quã Cæsarianus fuit. {Profectionis} Epist. I. lib. X. {Suasisti} Seorsum a Balbo, nã cũ illo scripseras, non uideri eam meã esse dignitatẽ, ut contra alterutrũ arma ferrẽ. {Quid sentires} eundũ ad Põpeiũ {Amicissimũ} Cæsarẽ. {In magnis periculis} ne a Pompeianis, qui me ueluti etiamnũ Imp. reliquiis exercitus præficere uolebant, interficerer. {Essem} Dyrrachii. {Post meũ reditũ} uicto Pompeio.

PHIL. MELA. DVbitanti mihi} Propositio: Consilium tuum fuit utilissimũ & mihi gratissimũ {Semper iudicaui} Amplificatio, continens laudes Oppii, & commemorationem illius officiorũ.

M. T. C. EPISTOLARVM FAMILIARIVM LIBRI VNDECIMI FINIS.

MARCI TVLLII CICERONIS

EPISTOLARVM FAMILIARIVM,

LIBER DVODECIMVS.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Narrat Cassio, quam immania ab inimicis reipub. hoc est, Cæsaris mortem uindicantibus perpetrentur.

M. T. CICE. C. CASSIO. S. P. D. 1

Finem nullum facio, mihi crede, Cassi de te, & de Bruto nostro, idest de tota Republi. cogitandi, cuius omnis spes in uobis est, & in D. Bruto: quam quidem iam habeo ipse meliorem Republi. à Dolabella meo præclarißime gesta: manabat enim illud malum urbanum, & ita corroborabatur quotidie, ut ego quidem & urbi, & ocio diffiderem urbano, sed ita compressum est, ut mihi uideamur omne iam ad tempus ab illo duntaxat sordidißimo periculo tuti futuri. reliqua magna sunt, & multa, sed posita omnia sunt in uobis: quanquam primum quidque explicemus: nam, ut adhuc quidem actum est, non regno, sed Rege liberati uidemur; interfecto enim Rege, regios omneis nutus tuemur: neque uero id solum, sed etiam, quæ ipse ille, si uiueret, non faceret, ea nos quasi cogitata ab illo probamus: nec eius quidem rei finem uideo. tabulæ figuntur: immunitates dantur: pecuniæ maximæ describuntur: exules reducuntur, S.C. falsa referuntur: ut tantummodo odium illud hominis impuri, & seruitutis dolor depulsus esse uideatur: Respub. iaceat in ijs perturbationibus, in quas eam ille coniecit. hæc omnia uobis sint expedienda: nec hoc cogitandum satis iam habere Rempub. à uobis. habet illa quidem tantum, quantum nunquam mihi in mentem uenit optare: sed contenta nõ est, & pro magnitudine & animi & beneficij uestri à uobis magna desiderat, adhuc ulta suas iniurias est per uos interitu tyranni: nihil amplius. ornamenta uero sua quæ recuperauit? an quòd ei mortuo paret, quem uiuum ferre non poterat? cuius æra refigere debebamus, eius etiam chirographa defendimus? at enim ita decreuimus: fecimus id quidem temporibus cedentes, quæ ualent in repub. plurimum: sed immoderate quidam, & ingrate nostra facilitate abutuntur. uerum hæc propediem, et multa alia coràm. Interim uelim sic tibi persuadeas, mihi cum Reipublicæ quam semper habui charißimam, tum amoris nostri causa, maximæ curæ esse tuam dignitatem. Da operam ut ualeas.

ASCENSIVS.

Finem nullum facio &c. Argumenta huius libri consonaut argumentis X. & XI. librorum. nam cum interfectores Cæsaris ex urbe profugissent, & Antonius qui iã ad imperium animũ s direxerat, omnia pro libidine sua in urbe ageret, Cicero ad profugos scribens, ea dolenter commemorat, docens omnem libertatis spem esse in Decio & Marco Bruto & Cassio, quos etiam ad Antonii cædem incendit. Ordo est, O Cassi crede mihi, ego nullum finem facio cogitandi de te & de Bruto nostro & de tota repu. Cuius omnis spes est in uobis. i. in te & M. Bruto, & in Decio Bruto. Quam. s. spem, quidem. i. certe, ipse. i. ego habeo iam meliorem, repu. gesta. i. administrata præclarissime, a Dolabella meo. s. genero, qui uetuit aras Cæsari extrui, & occulte contra Antonium sensit. Enim. i. quia, illud malum urbanum .i. seditio excitata in urbe per Antonium concitantem ueteranos in ultionem Cæsaris, manabat. i. extendebatur & corroborabatur quotidie, ego quidem diffiderem & urbi. i. saluti urbis, & ocio urbano. i. tranquillitati futuræ in urbe, quam nullam fore fidebam. Sed sup. urbs. i. cõmotio incepta fieri in urbe, est compressa. i. simul sedata & sopita, ita ut uideamur futuri tuti iam ad omne tempus, duntaxat. i. saltem ab illo periculo sordidissimo. i. turpissimo, quod imminebat ab Antonio in Cæsaris interfectores. Eo tamen non erat defunctus nec liberatus Cicero, sed nescia mens hominum fati, fortisq; futuræ. Reliqua. i. quæ restant ultra ea quæ Dolabella fecit, sunt magna & multa, sed omnia sunt posita in uobis. i. in potestate uestra, quanquam. i. tametsi explicemus. i. expediamus primum quicquam. idest quodlibet quod primum expediendum est, aut explicemus. i. declaremus primum quicquam. i. quod primum explicandum occurrerit. Nam ut quidem. i. secundum quod actum est adhuc, nos uidemur liberati non regno, quia adhuc respub. libera non est, ea autẽ potiturus, rex futurus fuerit, sed rege. s. Cæsare. Enim. i. quia, rege interfecto. i. postquam rex est interfectus, nos tuemur. i. inspicimus omnes nutus. i. gestus magnificos quasi ad nutum cuncta regentium, regios. i. quales haberent reges. Annotandum duco uersiculum illũ, Dic tuor inspicio, tueor defendere dico, non sic esse admittendum, ut pro uideo, & inspicio nõ dicamus etiam tueor: nam hic dicit tuemur, non tuimur. Neq; uero sup. tuemur. i. inspicimus solum in hoc .i. nutus regios, sed etiam nos probamus. i. comprobamus, ea quæ ille ipse. s. Cæsar rex non faceret si uiueret. comprobamus dicit, quasi cogitata. i. præmeditata ab illo, nec quidem uideo finem eius rei. s. huiusmodi mali eorũ qui referunt nutus regios. Tabulæ. i. leges nouæ, aut tabulæ proscriptionis, figuntur. s. ad publicas columnas. Immunitates dantur. s. militibus Cæsaris mortem ulturis, pecuniæ maximæ distribuuntur sup. ipsis, exules reducuntur. s. in urbem, senatusconsulta falsa. i. nunquam a Senatu probata referuntur. s. ad populum, ut ab eo approbentur ita, sup. ut tantummodo illud odium hominis impuri. s. Cæsaris nihil uerentis rempub. per quam ita erenit, opprimere, & dolor seruitutis uideatur esse depulsus. Respub. iacet in his perturbationibus, in quas ille. s. Cæsar coniecit eam Hæc omnia sunt expedienda. i. abolenda a uobis, nec cogitandum est. s. uobis hoc: uidelicet rempub. habere iam satis. s. officii a uobis. illa quidem habet tantum, quantum nunquam uenit mihi in mentem: idest cogitauerim, & ausus fuerim optare. Sed non est contenta & desiderat a uobis magna, pro magnitudine & animi & beneficii uestri. Ipsa ulta est adhuc. i. hactenus iniurias suas per nos interitu i. per cædem tyranni, nihil amplius. s. assecuta est. uero pro sed, quæ ornamenta sua recuperauit? q. d. nulla. An: sup. illud ornamentum quod paret. i. obtemperat ei mortuo, quem non poterat ferre. i. tolerare, uiuum? & sup. quod defendimus etiam chirographa. i. manuscripta eius, cuius æra. i. leges in æra incisas debebamus refigere, idest euellere ex columnis & tabulis. Etenim. i. sed certe nos decreuimus. i. approbauimus æra. i. leges eius. Responsio. Fecimus quidẽ id cedentes temporibus, quæ ualent plurimum in Repub. Sed quidam: ut Antonius, & eius sequaces, abutuntur facilitate nostra immoderate & ingrate Verum nos supple dicemus propediem hæc & multa alia coram. i. in mutua præsentia loquentes alter ad alterum. Ego uelim sup. ut persuadeas tibi interim sic, tuam dignitatem esse mihi maximæ curæ, tum. i. pariter causa Reipub. quam habui semper charissimam: tum. i. pariter, causa amoris nostri. s. mutui, aut mei in te. Da operam, ut ualeas.

VICTORIVS.

Pecuniæ maximæ distribuuntur] Nos, ut in ueteribus libris inuenimus, contrario sensu [Describuntur] legimus. est autẽ describere pecunias, frequẽs apud M. Tullium. i. hanc huic, hanc illi pecuniæ summam, quam soluere debeat, definire In oratione

cione pro L. Flacco, Descripsit autem pecuniam ad Pompeii ratio-nem, quæ fuit accommodata L. Syllæ descriptioni. Item in episto-la magna ad Q. Fratrem, nomen autem publicani aspernari nõ pos-sunt, qui pendere ipsi uectigal sine Publicano non potuerint, quod iis in æqualiter Sylla descripserat.

PAVL. MANV.

ITa compressum est} Antea compressa est, in libris omnibus im-pressis. quam lectionem alii sequi maluerunt, quam nostram. nos, compressum, ut est in codice Vincentii Ricci, rectius, quam cõ-pressa legi putauimus: ut referatur ad uerbum, manabat: antitheta enim sunt comprimere & manare, quibus etiam usus est libro ad At-ticum II. Orationem illam ita compresseram, ut nunquam emana-turam putarem.

SEBAS. CORR.

IDem de tota R.P.} Al. & de tota R.P. {Præclarissima gesta} Epi-sto. XIIII. lib. IX. {Illud malum} tumultus, a sceleratis & ser-uis de Cæsaris sepultura excitatus. {Sordidissimo Petic.} ut a ser-uis imminente. {Quanquam primum quidq; explicemus} Al. quan-quam primum quidem quæ explicemus, nõ uideamus. {Nutus tue-mur} Ea enim, quæ ea commentariis se dicit referre Antonius, uelu-ti acta Cæsaris probamus. {Ipse ille} Cæsar. {Tabulæ figuntur} le-gum, de quibus, & his item rebus quæ sequuntur, in prima Philip-pic. leges. {Distribuuntur} Al. describuntur. {Exules reducuntur} ut Sext. Clodius P.F. {Mortuo patre} mortui commẽtariis. {Aera} leges. {Ita decreuimus} acta Cæsaris seruanda. {Temporibus ceden-tes} ne seditio maior nasceretur. Immoderate quidã} ut Antonius.

BERN. RVTI.

QVanquam primum quidq; explicemus} Quid sit? Quãque primum quidq; explicemus. ut sit explicemus non impera-tiui, sed subiunctiui modi, ut grammatici loquuntur. {Sed immoderate quidem & ingrate nostra facilitate abutun-tur} Quidam, legendum contendimus. innuit autem Præcipue An-tonium. Item supra, {Repub. a Dolabella meo præclarissime gesta} propter. s. animaduersionem in eos, qui aram Cæsari erigere tenta-rent, seditionemq; in urbe concitassent, qua de re Cice. prima Phi-lippica: Alia, inquit, porro propria Dolabellæ, quæ nisi Collega ab-fuisset, credo eis fuisse futura communia. nam cum serperet in urbe infinitum malum, idq; manaret in dies latius, iidemq; bustum in fo-ro facerent, qui illam insepultam sepulturam effecerant, & quoti-die magis magisq; perditi homines, cum sui similibus seruis, tectis ac templis urbis minarentur: talis animaduersio fuit Dolabellæ, cũ in audaces sceleratosq; seruos, tum in impuros & nefarios liberos, talisq; euersio illius execratæ columnæ, ut mirum mihi uideatur, tam ualde reliquum tempus ab illo uno die dissensisse. Et ad Atti-cum: O mirificum Dolabellam meum. {Iam enim dico meum, an-tea (crede mihi) subdubitabam, magnam ἀριστείαν res habet. de saxo, in crucem. Columnam tollere, locum illum sternendum loca-re. Quid quæris? Heroica. Sustulisse mihi uidetur, simulationem de-siderii. adhuc quæ serpebat in dies, & inueterata uidebatur, ne peri-culosa nostris tyrannoctonis esset. Nunc prorsus assentior tuis lite-ris, speroq; meliora. quanquam istos ferre non possum, qui, dum se pacem uelle simulant, acta nefaria defendunt. Appianus quoque: Cæterum, Amatii milites, & reliquus ad hos populus, Amatii desi-derio ac eorum, quæ gesta fuerant, dolore correpti, quoniam quam maxime Anto. ob illum populo acceptus ferebatur, eo modo se sper-ni conquerentes, magnis clamoribus forum occupant. Antonium calumniis insequuntur, magistratibus quoq; persuadent, ut Amatii loco aram collustrantes super ipsam Cæsari quamprimum faciant. Et pulsi deinde e foro a militibus, qui ab Antonio præmissi fuerant maiori adhuc indignatione uoces emittebant, nonnulli Cæsaris imagines interempti proferebant. Verum, cum quidam illis prædi-xisset locum, in quo Cæsaris imagines fierent, demonstrare uelle, sta-tim insequuntur, hisq; perspectis ignem iniecerunt, quoad aliis ab Antonio missis, quidam resistentes interfecti sunt: alii deprehensi, ex seruorum numero cruci delegantur. Qui uero ex liberis in unũ aderant, ex edito quodam loco præcipites truduntur, eoq; modo tumultus in populo sedatur.

PHIL. MELA.

HAec epistolæ & sequentes sunt scriptæ statim post interitum Cæsaris, cum Brutus & Cassius cogerentur metu plebis ex urbe fugere. Hæc autẽ epistola est generis deliberatiui, Ad-hortatoria, & habet narrationem assumptam ex genere demonstra-tiuo. {Fremeni nullum} Exordium πάθος, de sua solicitudine. {Nam ut adhuc} Narratio, continens enumerationem periculorum publi-corum, in quibus uersari cœpit Respub. post interfectum Cæsarem. {Respu. iacet} Concludit narrationem. {Hæc omnia} Adhortatio, ne constituat Rempub. {Habet illa} Concessio. {At enim} Occupa-tio. {Sed immoderate} Conclusio per electionem {Interim} Clau-sula de sua cura pro Cassio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Exponit Cassio, quam grauiter iratum Antonium habeat, nec ipse mo-do, sed omnes qui in illius improbitatem inuehuntur. Enumerat etiam Con-sulares aliquot, in quibus cum spes aliqua defensionis esse posset, omnino a Senatu iam abscedant.

M. T. C. C. CASSIO. S. P. D.

VEhementer lætor tibi probari sen-tentiam, & orationem meam. qua si sæpius uti liceret, nihil esset ne-gocij libertatem, & rempub. recu-perare: sed homo amens, & per-ditus, multoq; nequior, quàm ille ipse, quem tu nequißimum occisum esse dixisti, cædis initium quærit: nullamq; aliam ob causam me au-thorem fuisse Cæsaris interficiendi criminatur, nisi ut in me Ve-terani incitentur. quod ego periculum non extimesco, modo facti uestri gloriam cum mea laude communicem. ita nec Pisoni, qui in eum primus inuectus est nullo assentiente: nec mihi qui idem tri-cesimo post die feci. nec P. Seruilio, qui me est consecutus, tuto in Senatum uenire licet. cædem enim gladiator quærit, eiusq; initium ad XIII. Calen. Octo. à me se facturum putauit: ad quem para-tus uenerat, cum in uilla Metelli complureis dies commentatus es-set. quæ autem in lustris, & in uino commentatio potuit esse? ita-que omnibus est uisus, ut ad te antea scripsi, suo more uomere, nõ dicere. quare quòd scribis te confidere, authoritate, & eloquentia nostra aliquid profici posse: nonnihil, ut in tantis malis, est profe-ctum: intelligit enim Populus Roma. treis esse Consulares, qui, quia quæ de repub. bene senserint, libere locuti sunt, tutò in Sena-tum uenire non poßint. nec est præterea, quòd quicquam expe-ctes: tuus enim necessarius affinitate noua delectatur. itaque iam non est studiosus ludorum, infinitoq; fratris tui plausu dirumpi-tur. alter item affinis nouis commentarijs Cæsaris delinitus est, sed hæc tolerabilia: illud non ferendum, quòd est, qui uestro anno Consulem filium suum futurum putet, ob eamq; causam se huic La-troni deseruire præ se ferat: nam L. Cotta familiaris meus fatali quadam desperatione, ut ait, minus in Senatum uenit. L. Cæsar, optimus, & fortißimus ciuis ualetudine impeditur. S. Sulpitius & summa authoritate, & optime sentiens, non adest. reliquos, ex-ceptis designatis, ignosce mihi si non numero Consulareis. habes authores consilii publici: qui numerus etiam bonis rebus exiguus esset: quid censes, perditis? quare spes est omnis in uobis: qui si id-circo abestis, ut sitis in tuto: ne in uobis quidem. sin aliquid dignũ uestra gloria cogitatis, uelim, saluis nobis: sin id minus, res tamen publica per uos breui tempore ius suum recuperabit. Ego tuis ne-que desum, neque deero, qui siue ad me referent, siue non, mea tibi tamen beneuolentia, fidesq; præstabitur. Vale.

ASCENSIVS.

VEhementer lætor &c. Quia Cæsaris percussores Cice-ro defendebat, Antonius in eum atrociter sæuiens, ex-cidium minabatur, unde ad Cassium scribens, exponit qui sint Consulares uiri in Rempublicam bene anima-ti, & qui audeant aperte sententiã dicere, addens rur-sus omnem spem esse in ipso Cassio & duobus Brutis Ordo est. Ego lætor uehementer, sententiam, & orationem meam probari: idest ap-probari, & laudari, tibi, idest a te, qua scilicet oratione mea, si liceret uti sæpius, nihil negocii: idest facillimum esset recuperare liberta-tem, & Rempub. Sed homo amens, idest sine mente & ratione, & perditus, idest desperatæ salutis. s. Antonius, & nequior, idest peior multo quam ipse. s. Cæsar quem tu dixisti esse occisum nequissimũ idest eo quod esset aut cum esset nequissimus: quærit initiũ cædis .s. faciendæ in me, & nullam, idest non ullam, ipse criminatur me fuisse authorem Cæsaris interficiendi, non ob ullam aliam causam, nisi ut ueterani: scilicet milites Cæsarẽ sub quo militauerãt adhuc amantes incitentur in me. Quod periculum ego non extimesco, modo, idest dummodo communicem gloriam facti uestri cum mea laude, idest dummodo, ut particeps fuero pœnæ & ultionis subeun-dæ, ita sim particeps gloriæ uestræ de tyrannicidio, quod tamẽ me nesciente commisistis, quasi dicat tam gloriosum est factum uestrũ, ut uitam uelim pro tali laude pacisci. Ita, idest & sic nec licet Piso-ni, qui inuectus est primus, in eum. s. Antonium aut Cæsarem, nullo

assentiente, nec mihi qui feci idem trigesimo die post i. qui inuectus sum in Antonium aut Cæsarem, nec Publio Seruilio qui est cõsecutus me. i. sententiam meam, aut post me idem dixit, licet uenire tuto. i. sine periculo in Senatum. Enim. i. quia gladiator. s. Antonius quem per contemptum gladiatorem appellat, quærit cædem supple facere, & putauit se facturum initium eius. s. cædis a me. i. incipiendu a me, ad decimum tertium Calend. Octobris ad quem. s. me, ipse uenerat paratus cum esset commentatus. i. excogitasset modũ mei interficiendi, dies complures, idest per plusculos dies in uilla. i. domo rustica Metelli. Et si dicas, si paratus & commẽtatus ac præmeditatus uenit, quomodo ergo non effecit quod uoluit? Responsio. autem, idest sed quæ commentatio. i. subtilis meditatio, q. d. nulla. Itaq; ut scripsi ad te antea, ipse est usus omnibus non dicere sed uomere suo more. Quare quod scribis te cõfidere aliquid posse proficí authoritate & eloquentia nostra, nonnihil. i. aliquid est profectum. i. utilitatis factum, ut. s. fieri potuit in tãtis malis. Enim. i. quia Populus Romanus intelligit tres. s. uiros in Senatorio ordine. s. me, Pisonem, & Seruilium esse Consulares. i. consulari animo, & dignos qui Consules fuerint. qui quia locuti sunt libere quæ senserint bene de Repub. non possunt uenire tuto. i. sine periculo, in Senatum. Est autem tuto aduerbium, sed ne coincidat cum pronomine compositæ figuræ tute: frequentius tuto quam tute legimus. Nec est præter eu. i. præter nos tres qui sumus quodammodo prohibiti a Senatu eo quod libere locuti, quod expectes, quicquam. s. pro te fieri aut dici. Enim. i. quia necessarius tuus. s. Lepidus, delectatur noua affinitate. s. cum Antonii propinquis. Itaq;. i. & ita, ipse iam non est studiosus ludorum. i. non studet sic ut ludis. i. plausibus qui fiunt ob cædem Cæsaris, ut studuit olim ludis Romanis aut funebribus in laudem Cæsaris celebratis, & dirumpitur. s. inuidia & dolore infinito plausu. i. propter infinitum plausum & lætitiam fratris tui. Item alter adfinis. s. tuus, ut opinor Paulus Lepidi frater est delinitus. i. inescatus & oblectatus nouis commentariis Cæsaris. i. tabulis testamẽtariis & de rebus a se si uixisset gerendis. Sed hæc. i. huiusmodi insolentia gaudia, & studia supple sunt tolerabilia: illud non sup. est ferendum, quod est. s. quidam, ut uero simile sit Philippus uitricus Octauii Cæsaris, qui putet filium suum saltem priuignum futurum Consulem, anno uestro. i. quo uos merito Consules sitis, & præ se ferat. i. indicet se deseruire huic Latroni. s. Antonio, ob causam. Nam Lucius Cotta familiaris meus, minus, idest non frequenter uenit in Senatum, quadam desperatione fatali, ut ait, idest quam a fato & astris, aut deorum præfinitione dependere putat, ut Respub. Romana a tyrannis occupetur. L. Cæsar, auunculus Antonii ciuis optimus & fortissimus. s. animo, impeditus. s. uenire in Senatum, ualetudine, idest ægritudine, S. Sulpitius, supple ciuis & summa authoritate, & optime sentiens. s. de Repub. non adest. s. in urbe. Tu, habes reliquos Consulares. i. qui Consules aliquando fuerunt, ignosce mihi si non numero eos, uidetur hoc ironice precari quasi paucissimos aut nullos uere Consulares censeat, authores ac probatores cõsilii publici. i. quod a maiore numero decernitur, id enim ignari & imperiti rerum sequi solent, exceptis designatis. s. Consulibus in proximum annum, Decio Bruto & C. Planco, qui numerus. s. uere Cõsularium, esset exiguus. i. modicus, etiam bonis rebus. i. in bono statu Reipu. quid censes, sup. eum esse perditis sup. rebus? q. d. aut minimum aut nullum, & ita non opus esse ut numerentur reliqui Consulares. Quare cum alii non sint, omnis spes est in uobis, qui si abestis. s. ab urbe idcirco ut sitis in tuto, ne quidem. i. non etiam in uobis supple spes est. Sin, idest sed si, uos cogitatis aliquid dignũ gloria uestra. s. iam parta, uelim supple id faciatis nobis saluis. i. tãtisper dum salui sumus. Sin. i. sed si, id sup. fiet minus. i. non saluis nobis, tamen Respu. recuperabit breui per uos ius suum. Sed ego nõ desum. i. semper auxilio sum tuis. s. necessariis, neq; deero. s. unquam. qui. s. tui, siue referent ad me. i. consulrabunt me, siue non, tamen. i. nihilominus beneuolentia mea & fides præstabitur tibi.

VICTORIVS.

Qui siue ad me referent, siue non, mea tibi tamen} Nos contra hæc uerba mendi notam collocauimus, quæ huc reiecto lectore, diligentius hunc locum animaduertendum esse admoneret. est enim in antiquioribus codicibus diminutus, luxatusq;, ut quemadmodum nunc in uulgaris legitur, a recentioribus suppletum putem: alii de hoc suo unusquisq; arbitrio iudicabunt: nos antiquam scripturam in medium proponemus. {Qui siue ad me referent, mea tibi tamẽ in beneuolentia, fidesq; præstabitur} ut membrum alterum defecisse existimandum sit, quem fortasse defectum in suis etiam codicibus cum haberent Germani, nec aliquid desiderari putarent, uerbis his aliquantum immutatis, sic peruersionem hanc se posse corrigere opinati sunt, {Si quæ ad me deferunt, mea tibi, &c.} ut in impressis. Omnino est locus corruptus.

Ex poste. eiusdem.

Ad quem paratus uenerat} Ita in manuscriptis legimus, arbitramur tamen {At quam} legendum esse, unius tantum literæ immutatione: nam D, pro T, in antiquis libris frequẽter ponitur, ut in C. Matii epistola hæc ipsa dictio bis eodẽ pacto scripta est. Ad ludus, quos Cæsaris uictoriæ Cæsar adolescens fecit, curaui, ad id. & quæ sequuntur. cum utroq; in loco {At} intelligi debeat. nam quod nonnulli putant per {Quam} cædẽ intelligi, hanc ipsorum interpretationẽ non probamus: In uilla enim Metelli Antonius orationem commentatus erat, non cædem, & in dicendo se exercuerat, ut qui cogitaret Ciceronẽ accusare, & contra eũ in Senatu accurate dicere. Hoc aperte ostendit Cicero in secunda Philippic. cum inquit: Hæc ut colligeres, homo amentissime tot dies in aliena uilla declamasti. Ideo autẽ nunc inquit illum paratum uenisse, quia commentatus erat. addit igitur, Itaq; omnibus est usus uomere suo more, non dicere. Huic similis est locus ille ad Atti. At quam iratus uenit? Necnon ille. ai. Philipp. At quam multos dies in ea uilla turpissime es perbacchatus. Itaque omnibus nisus uomere suo more, non dicere. Multa a Cicerone dicta sunt in Antonii ebrietatem, quæ oĩbus nota, & manifesta sunt: sed nihil acerbius, quodq; eum magis multis modis uulneraret, quam quod in XII. Philipp. de illo loquens, inquit, Cuius acerbitas morum, immanitasq; naturæ, ne uino quidẽ permista tẽperari solet: ut cum multis detrimentis illum affecerit uinum, quemadmodum omnes facit, qui copiosius bibant: quod bonum in se illud habet, propter sæuissimum ingenium Antonii nullum ei commodum afferre potuerit: uicit enim diritas illius, & feritas morum uini ipsius uim. Omnes autẽ authores tradunt quod Cicero hic significat uinum lenire mores, & omnem ingenii asperitatem tollere: unde sapiens uir Zeno, ille sectæ Stoicæ princeps, aiebat uinum in se efficere, quod aqua in lupinis: quæ cum amara sint, macerata dulcia redduntur. Hoc intellexit Virgilius, cum inquit mitẽ Bacchum, mitẽ uindemiam: & Catullus mitem uuam. accepta autem omnia sunt ab Homero, qui primus uitẽ ἡμερίδα appellauit, ut gratissimam stirpem, quemadmodum dignitas illius poscebat, ornaret. animaduersum enim hoc est a doctissimis hominibus, qui affirmant, Homerum amore fructus illius captũ summis laudibus eam extulisse. Plutarchus in elegantissimo sermone, quem appellauit ἐρωτικὸν inquit. οὐδ᾽ ἂν ὅμηρος ἡμερίδα τὴν φυτὸν προσεῖπεν, Itaq; autẽ ipsam appellauit. v. lib. Odysseæ, ubi agit de antro Calypsus.

Ἡ δ᾽ αὐτοῦ τετάνυστο περὶ σπείους γλαφυροῖο
Ἡμερὶς ἡβώωσα, τεθήλει δὲ σταφυλῇσι.

Sed alio etiam in loco de hac uoce Homeri Plutarchus egerat. uerũ ille ita deprauatus est, ut omnes lateat. In commentario igitur, quo præparat adolescentes ad lectionẽ poetarum, cum docuisset Lycurgum stulte fecisse, qui cum uideret uinum lædere, uitea inciderat, cum potius fontes admouere debuisset: tẽperamentũ enim hoc pellere omne detrimentum poterat, & multas utilitates eius retinere, inquit, Neq; igitur nos poeticã amputemus ἡμερίδα μουσῶν, neq; ipsam penitus extinguamus, sed ea remedia adhibeamus, quibus incõmoda quæ afferre solet iis, qui imparati ad eã accedunt, euitemus & fructus ipsius retineamus. Vocauit autẽ poeticam doctissimus uir Musarum uitem, propter suauitatẽ: pendet enim totus sermo a superiore illo exemplo Lycurgi, qui pessimo cõsilio uites sustulerat. Multi autẽ erant, qui Lycurgum imitati, poeticam omnẽ euerterent, atq; delerent: quos nõ minus quam Lycurgum stolide facere, ostendit Plutarchus. In impressis codicib μερίδα legitur quasi particulam, cum manuscripti, qui melioris notæ sunt, ἡμερίδα retineant. dictio autẽ hæc deprauata corrumpit omnẽ sententiam, quæ elegantissima est, & summo artificio expressa.

SEBAS. CORR.

Orationẽ meam} Philippicam secundam. {Homo amens} Antonius {Communicẽ} Al. communicet. {Inuectus est} Calẽ. Sext. {In uilla} in Tyburtino. {Metelli} Q. Metelli Scipionis. {Commẽtatus esset} cũ Sexto Clodio, suo rhetore. {Suo more} Nam in Hospitum mẽsas Narbonæ olim etiã uomuit. {Quæ quam expectes de Cõsularibus. {Tuus enim necessarius} Lepidus. nam Lepidus & Cassius duas M. Bruti sorores habebant uxores. {Affinitate noua} Antonii filia suo filio uxore data. {Ludorũ} M. Brutus & Cassius Prætt. ludos Apollinares absentes fecerunt, ut hos nunc intelligat. {Fratris tui} F. Cassii ludorum curatoris. {Alter item affinis} Etsi sæpe suspicatus sum, hunc esse C. Marcellum, nihil tamen habeo certi, non plus quam de Caleno. {Vestro anno} post Præturam. {Exceptis designatis} Hirtio & Pansa. {Qui siue ad me, &c.} Al. qui si ne ad me quidem referent, mea tibi tamen beneuolentia, fidesq; præstabitur.

BERNRVTI.

Cum in uilla Metelli complures dies cõmẽtatus esset} orationem. s. quam habuit in Ciceronẽ acerbissimam, ut eum irritaret. ad eam Cice. Philipp. I. sigillatim respondet. Plutarchus quoq; in Cice. XIII. Calẽ. Oct. habitam, posteaq; in scriptis editam prodens. Cice. in Senatum uenire non auso ea die. {Reliquos, exceptis designatis (ignosce mihi si non numero) Consulares habes authores consilii publici.} Distinguito: Reliquos, exceptis designatis, ignosce mihi, si non numero Consulares, habes authores consilii publici. Habet autẽ uim, Consularium nomẽ i. si nõ existimo dignos, qui inter Consulares referantur. Cicero ad Plancũ Complures, inquit, in perturbatione Reipub. Coss. dicti, quorum nemo Consularis habitus, nisi qui animo extitit in Rempu. consularis. Designatos accipe, Hirtium & Pansam: non Plancum & D. Brutum, ut Clericus il enim Romæ non erant, nec nisi in alterum annũ designati. Hirtius uero Pansaq; in proximum. {Velim saluis nobis}

me. s.

me.s.& aliis,quos supra nominaui uere Consulares,us opitulari ue stris consiliis ac fortitudini possimus:quod nec explicat,nec(ut ar bitror)percipit Hobertinus.Itē supra.{Nec mihi,qui idē tricesimo post die feci}Ea.s.oratione,quā habemus inter Philippicas primā. Nā Calen.Septemb.habitā,author est in Cice.Plutarchus. Pisonis uero Calen.Sextilibus,ipse Cice.prima Philipp.ad Atticumq; lib. XVI.Maxime autē(inquit de M.Bruto)dolebat,me Calē.Sext. In Senatum nō fuisse.Pisonē ferebas in coelū,& Philipp.atq; utinā P.C.Cal.Sext.adesse potuissem,&c.Quā uero iustionominas orationē suā,illā accipe conspicuæ diuinā Philippicā famæ, uoluitur a prima quæ proxima.{Tuus.n.necessarius affinitate noua delectatur.Itaq; iam nō est studiosus ludorū}Lepidū non inepte intelligi puto a Clerico,is.n.sororē M Bruti in matrimonio habuit,cuius alteram Cassius:author Cice.ad M.Brutum epistolis, Plutarchus in M.Bruto.Ludos uero,proprie accipio.nā & M.Bruti Prætoris absentis nomine habiti sunt,anno quo Cæsar occisus,& quos Veneri genitrici edidit Octauius:& Critonii cuiusdam Aedilis Cic.ad Atticum,Plutarchus in M.Bruto, Appianus lib.iii.bellorum ciuiliū: tametsi aliter ea istimas Crescentinas.

Ex poste. eiusdem.

ITaq; iam non est studiosus ludorū, infinitoq; fratris tui plausu dirumpitor}Hoc illud puto est,quod scribis ad Atti.lib.XIIII. post.s.mortē Cæsaris:Duas,inquit,a te accepi epistolas heri.ex priore theatrum Publiumq; cognoui,bona signa consentientis multitudinis.plausus uero L.Cassio datus,etiam facetus mihi quidem uisus est.

PHIL. MELI.

VEhementer lætor}Exordiū est quoddā [illegible].{Sed homo amens}Narratio a propositione generali,continens criminationē Antonii,& Senatorū negligentiā. {Quæ autē in [illegible]}Correctio per extenuationē.{Quare quod scribis}De Consularibus,quorū pauci recte sentiant,& libere dicant sententiam in Senatu.{Quare spes est}Conclusio,ut in absentia maxime sins solliciti pro Repub.defendenda,aduersus Antonium.{Ego tuis} Pollicitatio sui officii.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Grauis indignatio Ciceronis in Antonium,dum improba illius facinora in amicos Reipub. Cassio explicat.

M. T. C. C. CASSIO. S. P. D. 3

AVget tuus amicus furorē in dies, primum in statua, quam posuit in rostris,inscripsit, PARENTI OPTIME MERITO: ut non modo sicarij, sed iam etiā parricidæ iudicemini:quid dico,iudicemini? iudicemur potius: uestri enim pulcherrimi facti ille furiosus me principem dicit fuisse.utinam quidem fuissem . molestus nobis non esset . sed hoc uestrum fuit:quod quando præteriit,utinam haberem, quid darem uobis consilij . sed ne mihi quidem ipsi, reperio quid faciendum sit: QVID enim est,quod contra uim sine ui fieri possit? consilium autem omne hoc est illorum, ut mortem Cæsaris persequantur. itaque ante diem VI.Non.Octob.productus in concionem à Canutio, & turpißime ille quidem discesßit, sed tamen ea dixit de conseruatoribus patriæ,quæ dici deberent de proditoribus:de me quidem non dubitanter,quin omnia de meo consilio & uos fecissetis,& Canutius faceret.cætera cuiusmodi sint, ex hoc iudica, quòd Legato tuo uiaticum eripuerunt.quid eos interpretari putas,cum hoc faciunt? ad hostem scilicet portari.ò rem miseram.dominum ferre non potuimus,conseruo seruimus.& tamen me quidem fauente magis,quàm sperante,etiam nunc residet spes in uirtute tua. sed,ubi sunt copiæ? de reliquo, malo te ipsum loqui tecum,quàm dicta nostra cognoscere. Vale.

ASCENSIVS.

AVget &c. Adducit Antoniū in maximū odium Cassii, ostendens quid fecerit in honorē Cæsa & in contumeliā Cassii,unde ægre fert q tantā arrogantiā sic patiatur. Ordo est. Amicus tuus,per ironiā.i.summus inimicus.uidelicet Antonius auget in dies furorē, primū in statua .s.Cæsaris quā posuit in rostris,inscripsit.i.titulū posuit, parenti.s. patriæ optime merito.s.de patria ut uos occisores Cæsaris, iudicemini non modo sicarii.i.dolosi homicidæ sica.s.pugione usi,sed et parricidæ.i.percussores parentis patriæ.Quid dico iudicemini? iudicemur potius.Enim.i.quia,ille furiosus.s. Antonius dicis me fuisse principem.i.principalē authorē facti uestri pulcherrimi.Vtinam quidē fuissem,ipse sup.nō esset molestus nobis,quia ipse interfectus fuisset.sed hoc est uestrum.i.uestræ negligentiæ,qui non abstulistis simul omne malū e Repu.quod quando.i.quoniā præteriit.s.opportunitas aut occasio eius,utinam haberem quid consilii darem.i.dare possem uobis.Sed ne quidem.i.non saltem reperio mihi ipsi quid sit faciendū.Quid.n.est quod possit fieri contra uim sine ui? q.d. nihil. Autem.i.sed consilium istorum.s.qui Rempu.oppugnant,est, ut prosequantur.s.ultione,mortē Cæsa.Itaq; sup. Antonius productus a Canutio.s.Tribuno plebis aduersario Antonii(authore Appiano)in concionem.i.cœtum Popu.Roma.congregari ad audiendam orationem eius,ante diem sextum nonarum Octobris, ille.s. Canutius,quidem.i.certe discessit turpissime,quia debebat resistere,aut præsentia sua deterrere,sed tamen Antonius:sup.dixit ea de conseruatoribus patriæ,quæ deberent dici de proditoribus.Nō dubitant.s.aduersarii.quidē.i.certe de me,quin uos fecissetis, & quin Canutius faceret omnia de consilio meo.Iudica ex hoc.s.quod dicam,cuiusmodi.i.qualia sint cætera, quod eripuerunt Legato tuo uiaticum.i.pro uia faciēda sumptum necessarium.Quid putas eos interpretari.i.innuere cum faciunt hoc . Scilicet.i.scire licet quid interpretentur,quia portari.s.uiaticum ad hostem?O rem miseram nos non potuimus ferre dominum.i.tyrannum Cæsarem, & seruimus conseruo.i.Antonio.qui nobis cum sub Cæsare seruierat. & tamen me quidem magis fauente.i.optante quam sperante,quia non uero simile hoc malum posse expugnari.spes residet etiam nunc in uirtute tua.Sed ubi sunt copiæ:q.d.nusquā.Ego malo.i.magis uolo te ipsum loqui de reliquo.i.q restat,quā cognoscere dicta nostra.

SEBAS. CORR.

TVus amicus}Antonius.qui hospitio te etiam accepit cum e Capitolio descendisses.{Quam posuit}Cæsari. {Non esset}sequenti epistolo.{Vestrum fuit}interficere Antonium. {Hoc est illorum}Antonii,& amicorū {Canutio}T.Canutio Trib. pl.etsi in Philipp.III.Tiberinum Canutium scriptum uidemus. {Dubitanter}Al.Dubitant.s.Antoniani.

BERN. RVTI.

AVget tuus amicus}Narratio,incipiens a propositione generali.{Sed hoc uestrum}Correctio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Votum Cice.solitum & in aliis epistolis,de epulis,hoc est Cæsa.morte, & hic exponitur. Præterea narratur,quid de Senatu Senatoribusq; & populo expectari debeat. Postea quoque de Cassii Brutiq; & reliquorum rebus se solicitum esse dicit.

M. T. C. C. CASSIO. S. P. D. 4

VEllem Idib.Mart.me ad cœnam inuitasses:reliquiarum nihil fuisset: nunc me reliquiæ uestræ exercent, & quidem præter cæteros me,quanquam egregios Consules habemus,sed turpißimos Consulareis,Senatum fortem, sed infimo quenque honore fortißimum: populo uero nihil fortius, nihil melius,Italiaq; uniuersa,nihil autem fœdius Philippo,& Pisone Legatis,nihil flagitiosius:qui cum essent mißi,ut Antonio ex Senatus sententia certas res renunciarent:cum ille earum rerum nulli paruisset,ultro ab illo ad nos intolerabilia postulata retulerunt. itaque ad nos concurritur, factiq; iam in re salutari populares sumus: sed tu quid ageres,quid acturus:ubi denique esses, nesciebam. fama nunciabat te esse in Syria:author erat nemo. De Bruto,quo propius est,eò firmiora uidentur esse,quæ nunciantur. Dolabella ualde uituperabatur ab hominibus non insulsis, quòd tibi tam cito succederet,cum tu uix dum triginta dies in Syria fuisses.itaque consl[illegible]t,eum recipi in Syriam non oportere. Summa laus & tua & Bruti est,quod exercitum præter spem existimamini comparasse. Scriberem plura, si rem,causamq; nossem, nunc quæ scribo, scribo ex opinione hominum,atque fama. Tuas literas auide expecto. Vale.

ASCENSIVS.

VEllem &c. Dolet Cice.quod non interfectus sit Antonius cū Cæsare,quod fuisset,si interfuisset: docetq; quales sint sententiæ in dissensionibus ciuilibus, & qualis de Cassio & Bruto opinio. Ordo est : Vellem inuitasses me ad cœnam:idest mactationem Cæs.Idibus Mar-

tiis, nihil reliquiarum fuisset: quia etiam Antonium absumpsissem .i. interfecissem. Nunc reliquiæ uestræ .i. quos reliquistis percutiendos, exercent .i. persequantur & cura afficiunt me, & quidẽ me sup. exercẽt, præter cæteros .i. plus quam omnes alios, quãuis .i. licet habemus egregios Consules .s. Hirtium, & Pansam. sed turpissimos Cõsulares .i. Consulatu functos, habemus Senatum fortem, sed quenq; infimo honore, fortissimum, hoc est ut quisq; infimus est honore, ita fortissimus est. Vero pro sed, nihil sup. est, aut habemus fortius & nihil melius populo .s. Roma. & Italia uniuersa. Nihil autem fœdius Philippo, & Pisone legatis .s. concordiæ faciendæ ad Antoniũ missis, & nihil flagitiosius .i. scelestius, & increpatione dignius .s. Legatis, qui cum essent missi ut nunciarent Antonio res certas .i. specificas, & non alias, ea sententia Senatus. cum ille .s. Antonius. nulli, idest non ulli, non paruisset ulli earum rerum .s. quas nunciabant ea sententia Senatus retulerunt, idest reportauerunt ultro, idest insuper, ab illo .s. Antonio, intolerabilia .s. mandata, ad nos, postulancia .s. caput uestrum aut quid simile. Itaq; concurritur .s. ab omnibus ad nos, & nos facti sumus populares, idest de secta populi & eius fautores in re salutari, idest quæ ad salutem publicam spectat. Sed nesciebam quid tu ageres, quid acturus sup. esses, deniq; ubi esses: Fama nunciabat te esse in Syria, nemo erat author, idest certus assertor, Ea quæ nunciantur de Bruto .s. Marco, uidentur eo, idest tanto, firmiora, idest certiora, quo, idest quanto supple Brutus est propius. Dolabella uituperatur ualde ab hominibus non insulsis: idest non imprudentibus, quod succederet tibi tam cito, quod tu uia dum, idest uix adhuc fuisses triginta dies in Syria. Itaq; constabat, idest constans opinio erat, aut manifestum erat, non oportere eum recipi in Syriam, Summa laus est & tua, aut ut fere textus habent, tui, idest de te, & Bruti, quod existimamini comparasse, idest acquisiuisse exercitum, præter spem .s. omnium. Ego scriberem plura, si nossem, idest cognoscerem rem & causam .s. rei. Nunc scribo ea quæ scribo, ex opinione atq; fama hominum; idest ex opinione. Ego expecto auide literas tuas.

SEBAS. CORR. C Oenam} Episto. xxviii. lib. X. {Egregios Coss.} Hirtium, & Pansam. {Certas res nunciarent} præsertim ut Antonius e Gallia discederet. {Postulata retulerunt} ea sunt in Philip. VIII. {Esse in Syria} Al. isse in Syriam, quæ Dolabellæ data fuerat. Libya uero ipsi Cassio. {De Bruto} de M. Bruto. {Propius est} in Macedonia.

PHIL. MELA. V Ellem Idib.} Narratio est. exorditur autem a uoto. {Reliquiarum nihil} Ratio. Quanquam egregios } Correctio. {De Bruto} De Cassiu, Brutiq; rebus se solicitum esse dicit.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Quanta spes in Bruto sit, scribit, & quomodo exercitus, & quos habeat [illegible].

M. T. C. C. CASSIO. S. P. D. 3

HYemem credo adhuc prohibuisse, quo minus de te certum haberemus, quid ageres, maximeq; ubi esses. loquebantur omnes tamẽ, credo, quod uolebant, in Syria te esse, habere copias. id autem eo facilius credebatur, quia simile uero uidebatur. Brutus quidem noster egregiam laudem est consecutus. res enim tãtas gessit, tamq; inopinatas, ut eæ cum per se gratæ essent, tũ gratiores propter celeritatem. quòd si tu ea tenes, quæ putamus: magnis subsidijs fulta Respubli. est. à prima enim ora Græciæ usque ad Aegyptum optimorum ciuium imperijs muniti erimus, & copijs, quanquam nisi me fallebat. res sic se habebat, ut totius belli omne discrimẽ in D. Bruto positum uideretur: qui si, ut sperabamus, erupisset Mutina, nihil belli reliquum fore uidebatur. paruis omnino iam copijs obsidebatur, quod magno præsidio Bononiam tenebat Antonius. erat autem Claternæ noster Hirtius, ad Forum Cornelium Cæsar, uterque cum firmo exercitu: magnasq; Romæ Pansa copias ex delectu Italiæ comparat. hyems adhuc rem geri prohibuerat. Hirtius nihil nisi considerate, ut mihi crebris literis significat, acturus uidebatur. præter Bononiam, Rhegium Lepidi, Parmam, totam Galliam tenebamus studiosissimam Reipubli. tuos etiam clienteis transpadanos mirifice coniunctos cum causa habebamus. erat firmissimus Senatus, exceptis Consularibus, ex quibus unus L. Cæsar firmus est, & rectus. S. Sulpitii morte magnum præsidium amisimus, reliqui partim inertes, partim improbi. nonnulli inuident eorum laudi, quos in Repub. probari uident: populi uero Roma. totiusq; Italiæ mira consensio est. hæc erant ferè, quæ tibi nota esse uellem. nunc autem opto, ut ab istis orientis partibus uirtutis tuæ lumen eluceat. Vale.

ASCENSIVS. HYemem &c. Dicit nunciari Cassium esse in Syria eidem ab Senatu decreta laudat Brutum qui C. Antoniũ, M. Antonii fratrem ad se conuertit: iterum quales sint in Senatu aperiens. Ordo est. Ego credo hyemem prohibuisse, adhuc, quo minus, idest ut non haberemus de te certum, quid ageres, & maxime, idest præcipue ubi esses, tamen, id est tametsi nihil certi haberemus, omnes loquebantur credo quod, idest quia uolebant, idest optabant aut opinabantur te esse in Syria, & supple habere copias, idest collegisse exercitum. Autem, idest sed, id credebatur eo facilius quia uidebatur simile uero. Quidem, idest certe quicquid tu feceris, Brutus noster .s. Decius consequutus est laudem egregiam: gessit enim tantas res, & tam inopinatas ut eæ .s. res cum essent gratæ, idest utiles & acceptæ: per se tum. supple erant gratiores propter celeritatem, quod si tu tenes ea quæ putamus, Respub. est fulta, idest sustentata & munita magnis præsidiis, idest custodiis & protectionibus. Enim, idest quia, nos erimus muniti a prima ora, idest extremitate Græciæ usq; ad Aegyptũ imperiis & copiis optimorum ciuium: quanquam nisi .s. res aut opinio fallebat me, res habebat se sic, ut omne discrimen: idest periculũ totius belli uideretur positum in D. Bruto, qui si erupisset: idest ut in hostes impetum fecisset, Mutina, idest ex ea urbe ubi obsessus erat ab Antonio, nihil belli reliqui, idest relicti, aut nihil reliquum belli uidebatur fore, idest futurum, Ipse obsidebatur iam paruis copiis, quod, idest quia Antonius tenebat Bononiam magno præsidio, id est multitudine militum ad custodiam urbis impositorum: Autem, idest sed, Hirtius noster .s. consederat Claternæ, idest in eo oppidulo, cui Imolæ nunc nomen putant, Cæsar .s. Octauius, supple erat ad forum Cornelii, uterq; supple erat tam Hirtius quam Cæsar cũ firmo exercitu, & Pansa alter Consul comparant Romæ magnas copias ex delectu Italiæ, Hyems prohibuerat rem geri adhuc. Hirtius nihil uidebatur acturus nisi considerate, ut significat mihi literis crebris. Nos tenebamus totam Galliam .s. Cisalpinam, præter Bononiam. Rhegium Lepidi: nam est etiam in Sicilia Rhegium, sup. & Parmam, Etiam habebamus transpadanos tuos cliẽtes, idest tuo patrocinio dum Romæ agebas utentes, & ita tibi addictos, coniunctos mirifice. Cum causa .s. quam fouemus, idest cũ defensione Reipub. Senatus erat .s. tunc cum Decius Brutus obsideretur fortissimus, exceptis Consularibus, idest iis qui Consulatum gesserant, ex quibus unus, idest solus Lucius Cæsar est firmus & rectus. Nos amisimus morte, idest per mortem S Sulpitii magnum præsidium, idest protectorem & custodem salutis nostræ. Reliqui .s. Consulares, partim supple sunt inertes, idest, sine arte & industria, partim improbi, idest improbandi, quia de Repub. facere quæ sciunt & possunt, nolunt: nonnulli inuident laudi eorum quos uident probari, idest approbari in Republi. Vero pro sed, mira consensio est Popu. Roma. & totius Italiæ. Hæc erant fere .s. omnia quæ uellem esse nota tibi. Nunc autem opto, ut lumen uirtutis tuæ eluceat ab istis partibus orientis, unde sol oriens illuminat hemisphærium nostrum: pulchre ergo ad solẽ alludit, cũ in Syria parte orientali esset Cassius.

SEBAS. CORR. B Rutus} M. Brutus. {Tantas gessit} Macedoniam, Illyricũ, Græciam, legiones, exercitus, equitatum in Coss. S. P. Q. R. potestate redegit. lege Philippicam X. {Claternæ} Plinio & Strab. uel Claterna in illis legendum uidetur. {Forum Cornelium} forum Cornelii cæteri scriptores habent, hanc urbem Clephis Longobardorum rex Imolam appellauit. {Rhegium Lepidi} Tacitus, & alii Rhegium Lepidum uocant. {Totam Galliam} Cisalpinam. {S. Sulpitii} in Legatione ad Antonium ui morbi oppressi.

BERN. RVTI. H Yemem credo adhuc prohibuisse, quo minus de te certum haberemus, quid ageres, maximeq; ubi esses, loquebantur omnes, tamen credo, quod uolebant in Syria te esse, habere copias} Indistincta oratio. ita melius: Quo minus de te certum haberemus, quid ageres, maximeq; ubi esses. Loquebantur omnes tamen, credo, quod uolebant, in Syria te esse, habere copias.

PHIL. MELA. H Yemem credo} Narrationes de spe in Brutum, deq; exercitibus.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

C. Tidium quendam commendat, & quanta sit in Cassio spes, si res male eueniat, ut eum ad fortiter agendum exhortetur, adiicit.

M. T. C.

M. T. C. C. CASSIO. S. P. D. 6

QVi ſtatus rerum fuerit tum, cum has literas dedi, ſcire poteris ex C. Tidio Strabone uiro bono, & optime de Repu. ſentiente: nam quid dicam cupidisſimo tui, qui domo, & fortunis relictis, ad te potisſimum profectus ſit? itaque cum tibi ne cõmendo quidem. aduentus ipſius ad te ſatis eum commendabit. Tu uelim ſic exiſtimes, tibiq; perſuadeas, omne perfugiũ bonorum in te, & Bruto eſſe poſitum, ſi quod nolim, aduerſi quid euenerit. res, cum hæc ſcribebam, erat in extremum deducta diſcrimen: Brutus enim Mutinæ uix iã ſuſtinebat. qui ſi cõſeruatus erit, uicimus: ſin (quod Dii omen auertant,) omnis omnium curſus eſt ad uos. proinde fac tantum animum habeas, tantumq; apparatum, quanto opus eſt ad uniuerſam Rempublicam recuperandam. Vale.

ASCENSIVS. QVi Status &c. Commendat Caſſio Caio Tidium Strabonem ad ipſum Caſſium proficiſcentem ut cum eo eſſet: dicit aũt eum poſſe ex ipſo intelligere preſentium rerũ ſtatum, deinde dicit magnam ſpem eſſe in ipſo Caſſio & M. Bruto. Nam Decium Brutum dicit obſidione teneri, itaque ad illos perfugium fore, ſi Decius uincatur. Ordo eſt: Tu poteris ſcire ex Caio Tidio Strabone uiro bono & optime ſentiente de Repub. qui .i. qualis (nã ſequente, s, ſæpe qui pro quis legitur) ſtatus rerum fuerit, tum .i. tunc, cũ .i. quando, ego dedi has literas. ſ. ad te dico ſupple ſentiente op. &c. Nam quid .i. ad quid dicam cupidisſimo, ideſt quod posſis ſcire ex uno cupidisſimo tui, qui profectus eſt potisſimum ad te, domo & fortunis, ideſt diuitiis omnibus relictis. Itaq; ego ne quidem, ideſt non etiam commendo eum tibi, quia aduẽtus eius ad te, commendabit ſatis eum. Ego uelim ſupple ut tu exiſtimes, & perſuadeas tibi ſic, omne perfugium bonorum .i. ſpem ſe conſeruandi per fugam, eſſe poſitum in te & in Bruto. ſi qd ideſt, aliqd aduerſi euenerit. ſ. bonis, hoc eſt Reip. fautoribus, quod nolim. ſ. euenire, Res. ſ. bellica, erat cum ſcribebam hæc, deducta in extremum diſcrimen .i. ſummum periculum. Brutus enim uix ſuſtinebat iam Mutinæ. ſ. uim obſidentium, qui. ſ. Brutus, ſi erit conſeruatus, uicimus, non dicit uincemus, ſed propter certitudinem uictoriæ, uicimus. Conſeruatus autem fuit, nec tamen uicit. Sin, ideſt ſed ſi, ipſe erit oppreſſus ibi, quod omen dii auertant, omnis curſus hominum eſt ad nos, ſcilicet a facie Antonianorũ. Adnotandum omnis mali amouendi gratia, quoties triſte quid, quod impenderet dicturi erant, ſolitos præmittere, quod nolim, quod dii auertant &c. Proinde .i. & ideo. fac ſup. ut habeas tantum animum, & tantum apparatum, quantum opus, eſt ſcilicet habere, ad recuperandam uniuerſam Rempubli.

VICTORIVS. SIn, Quod dii omen auertant, oppreſſus ibi erit) Tria ultima uerba in antiquis exemplaribus non legũtur, nec (ut opinor) legi debent, eſt enim figura ἀποσιώπησις: intelligũtur enim ea, quæ reſtituta erant uerba, aut quæpiam alia, quæ parem uim habeant. frequens autem eſt hæc figura apud hunc authorem, ſed multis locis contaminata: in epiſtola tamen ad Terentiam incorrupta eſt: Si perficitis (inquit) quod agitis, me ad uos uenire oportet: ſin autem, ſed nihil, &c.

SEBAS. CORR. ET Bruto} & M. Bruto Brutus D. Brutus. {Dii omen} Al. Dii omnes. {Oppreſſus ibi erit} Hæc uerba non ſunt in antiquis libris, ut quæ refugiat dicere, ſed ſignificet tamen.

BERN. RVTI. SI quod nolim, aduerſi quid euenerit} Superioribus adiunge: ne ſit, ut uoluit Clericus, apoſiopeſis.

PHIL. MELS. QVI ſtatus} Narratio. Itaque eum tibi} Commendatio. {Tu uelim} Ratio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Approbat ſuum ſtudiũ, in defendenda Caſſii dignitate, hac epiſtola. Ci.

M. T. CICERO CAIO CASSIO S. P. D. 7

QVanto ſtudio dignitatem tuam & in Senatu, & ad populum defenderim, ex tuis te malo q̃ ex me cognoſcere. quæ mea ſententia in Senatu facile ualuiſſet, niſi Panſa uehementer obſtitiſſet. ea ſententia dicta, productus ſum in concionem a Tribu. pleb. M. Seruilio. dixi de te quæ potui,* tanta contentione, quantũ forum eſt, tanto clamore, conſenſuq; populi, ut nihil unquam ſimile uiderim. id uelim mihi ignoſcas, quod inuita ſocru tua fecerim. mulier timida uerebatur, ne Panſæ animus offenderetur. in concione quidem Panſa dixit, matrem quoque tuam, & fratrem, illam à me ſententiam noluiſſe dici. ſed me hæc non mouebant: alia malebam: fauebam & Reipublicæ cui ſemper faui, & dignitati, ac gloriæ tuæ. quod autem & in Senatu pluribus uerbis diſſerui, & dixi in concione, in eo uelim fidem meam liberes: promiſi enim, & prope confirmaui, te non expectaſſe, nec expectaturum decreta noſtra. ſed te ipſum tuo more Rempub. defenſurum. & quanquam nihil dum audieramus, nec ubi eſſes, nec quas copias haberes: tamẽ ſic ſtatuebam, omneis, quæ in iſtis partibus eſſent, opes, copiasq; tuas eſſe, per teq; Aſiam prouinciam confidebam iam Reipub. recuperatam. tu fac in augenda gloria te ipſum uincas. Vale.

*alias, l. Tãta contione

ASCENSIVS. QVanto ſtudio &c. Defenderat Caſſium pugnantem cũ Dolabella, quod nunc paucis tangit, monens ut ea præſtet Senatui quæ Cice. de eo promiſit, cum ſperet totam Aſiam ab eo propediem liberandam. Ordo eſt. Ego malo, ideſt magis uolo, te cognoſcere ex tuis, ſcilicet neceſſariis, quam ex me, quanto ſtudio ego defenderim dignitatem tuam & in Senatu & ad populum. Quæ ſententia mea, ſcilicet de te, ualuiſſet .i. approbata fuiſſet facile in Senatu, niſi Panſa obſtitiſſet uehementer. Ea ſententia (non ſcribit eam, quia ſcit, ab amicis Caſſii perſcriptam,) dicta, ideſt poſtquam erat dicta, ego productus ſum in concionem: ideſt cœtum populi, a Marco Seruilio Tribuno ple. Dixi de te quam potui, ſcilicet decenter dicere, tanta contentione, ideſt uocis extenſione & auctione, quantum eſt forum in quod populus conuenit, tanto clamore & cõſenſu populi, ut nihil uiderim unquam ſimile. Velim, ſupple, ut ignoſcas mihi id: uidelicet quod fecerim, ideſt ita contenderim, ſocru tua: ideſt matre uxoris tuæ, inuita. Mulier timida uerebatur ne animus Panſæ, qui in Senatu obſtiterat, offenderetur. Panſa quidem dixit in concione matrem quoque tuam & fratrem, noluiſſe illam ſententiam dici a me. Sed hæc, ſcilicet obſtacula non cõmouebant me, ego malebam, ideſt magis uolebam alia. Fauebam &: ideſt ſimul Reip. cui faui ſemper, & gloriæ tuæ, Autem: ideſt ſed, ego uelim ſupple: ut liberes fidem meam .i. facias ut pollicitus ſum te facturum, in eo quod & diſſerui uerbis pluribus in Senatu, & dixi in concione. Promiſi enim & prope confirmaui .i. aſſerui ita fore, te non expectaſſe nec expectaturum eſſe Decreta noſtra, ſed teipſum, ideſt proprio iudicio & authoritate defenſurum ſup. eſſe Rempub. tuo more .i. ſicut incepiſti, Cæſarem occidẽdo. Et quanquam nihildum, ideſt nihil tũc adhuc audieramus, nec ubi eſſes, nec quas copias haberes, tamen ſtatuebam, ideſt in animo proponebam ſic, omnes opes quæ eſſent in iſtis partibus, ſcilicet ubi tu es, & copias ſupple omnes eſſe tuas, & confidebam Aſiam iam eſſe recuperatam Reipub. per te. Tu fac ſupple ut uincas teipſum, ideſt plus facias quam hactenus feciſti, cũ tamen ea faciendo alios ſuperaris, in augenda gloria, ſcilicet tua.

SEBAS. CORR. IN Senatu} Philippic. XI. {niſi Panſa uehementer obſtitiſſet} illa ſententia captus, quæ dicta fuerat, & poſtea etiam in Senatu ualuit, ut Coſſ. Dolabellæ perſequendi cauſa Aſiam & Syriã ſortirentur. {Ea ſententia} mea, ut tu Syriam obtineres, & Dolabellam perſequereris: quæ quidem ſententia pluribus uerbis in Philippica XI. dicitur. {Socru tua} Seruilia, M. Bruti, & tuæ uxoris matre. {Ne Panſæ animus offenderetur} mea ſententia, quæ prouinciã illi eriperet, & tibi daret. {Non expectaſſe} ſed multis iam in rebus te tibi Senatum fuiſſe. {Copiaq;} Al. copiæq;.

BERN. RVT. NE Panſæ animus offenderetur} ſi ab eo, Collegaq;, ad te Aſiam prouinciam, Syriamq;, & Dolabellam perſequendũ traduxiſſem. Hoc eſt enim totius epiſtolæ argumentum. Oratio hæc undecima eſt Philippica: in qua oſtẽdit fuiſſe, qui Hirtio, ac Panſæ Coſſ. id negotium demandari nollent. contra quos ea oratione omni contentione pugnat, ut Caſſius potisſimum præficiatur. ubi & illa ſunt: Brutus, inquit, & Caſſius multis iam in rebus ipſe ſibi Senatus fuit. Ad populum hac de re non extat concio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Conqueritur de Lepidi perfidia, & quo modo illius improbitate in nouas turbas coniecti sint, narrat.

M. T. C. C. CASSIO. S. P. D. 8

Scelus affinis tui Lepidi, summamq; leuitatem, & inconstantiam, ex actis, quæ ad te mitti certo scio, cognosse te arbitror. itaque nos confecto bello ut arbitrabamur, renouatum bellum gerimus: spemq; omnem in D. Bruto, & Planco habemus: si uerum quæris, in te, & in meo Bruto, non solum ad præsens perfugium, si, quod nolim, aduersi quid acciderit, sed etiam ad confirmationem perpetuæ libertatis. Nos hic de Dolabella audiebamus, quæ uellemus: sed certos authores non habebamus. te quidē magnum hominem & præsenti iudicio, & reliqui temporis expectatione scito esse. hoc tibi proposito, fac ut ad summa contendas. nihil est tantum, quod non populus Romanus à te perfici, atque obtineri posse iudicet. Vale.

ASCENSIVS.

Scelus &c. Dicit perfidia Lepidi iam cum Antonio cō iuncti, plurimum noceri populo libertatiq; Romanæ, unde spem reliquam dicit esse in Cassio & M. Bru. Ordo est: Ego arbitror te cognoscere scelus & summam leuitatem: idest mutabilitatem in fide. & pro: idest inconstantiam, adfinis tui Lepidi, ex actis, idest scriptis de rebus in acta relatis, & de his quæ publice agūtur, quæ scilicet acta, ego scio certo mitti: idest, quod mittantur ad te. Itaq; quia Lepidus in fide non mansit, gerimus bellum renouatum, bellu confectu, idest postquam bellum erat confectum, & finitum, ut arbitrabamur. & habemus omnem spem in Decio Bru & Planco & sup. si quæris uerum: idest ut quod uerum est dicam: habemus: sup. in te, & in Bruto meo, scilicet familiarissimo Marco non solum perfugium: idest ad quos fugere poterimus ad præsens: idest ad euitandum instans periculum: aut ad tutelam parum duraturam. si quid aduersi acciderit: scilicet nobis, & Reipub. quod nolim, sed etiam ad confirmationem: idest stabilitionem perpetuæ libertatis. Nos audiebamus hic de Dolabella, quæ uellemus: uidelicet quod a Repub. staret. sed nō habebamus certos authores. Scito te quidem esse magnum hominem, & idest simul iudicio præsenti: idest quod fertur iam de te ob res perfectas & expectatione temporis reliqui: idest ob ea quæ homines sperant te gesturum. Hoc, scilicet præmio proposito tibi. fac supple ut contendas: idest totu conatu eas ad summam: idest consummationem rei. Nihil est tantum: idest tam magnum, quod Popu. Roma. non iudicet posse perfici, atque obtineri a te.

SEBAS. CORR. PHIL. MELA.

Scelus} coniunctionem cum M. Antonio. {Affinis tui} Epist. II. huius lib. {Confecto bello.} uictoria Mutinensi.

Scelus affinis} Narratio de perfidia Lepidi, & addit adhortationem, ut pergat Rempublicam fortiter defendere.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Rursus ob Lepidi perfidiam in Cassio omnem spem recuperandæ salutis esse ostendit.

M. T. C. C. CASSIO. S. P. D. 9

Breuitas tuarum literarū me quoque breuiorem in scribendo facit, & uere ut dicam, non satis occurrit, quod scribam: nostras enim res in actis perferri ad te certo scio: tuas autem ignoramus. tanquam enim clausa sit Asia, sic nihil perfertur ad nos, præter rumores de oppresso Dolabella, satis illos quidem constantes, sed adhuc sine authore. Nos confectum bellum cum putaremus, repente a Lepido tuo in summam solicitudinem adducti sumus. itaque persuade tibi maximā Reip. spem in te, & in tuis copiis esse, firmos omnino exercitus habemus: sed tamen, ut omnia (ut spero) prospere procedant, multū interest te uenire: exigua est enim spes Reip. nam nullam non libet dicere. sed quæcunque est, ea despondetur anno Consulatus tui. Vale.

Breuitas &c. Eodem est argumento cum superiore, nisi quod ostendit aduentum Cassii plurimum profuturum Reipu. in parua spe, quæ relicta est, dicitq; in principio cur tam breuis sit. Ordo est: Breuitas literarum tuarum facit quoque, idest etiam me breuem in scribendo. Et, ut dicam uere, non occurrit satis quid scribam. Scio enim certo res nostras perferri ad te in actis: idest instrumentis de actis publicis. Aūt: idest sed nos ignoramus tuas: scilicet res Enim, idest quia nihil perfertur ad nos sic, tanquam Asia sit clausa, præter rumores de Dolabella oppresso. quidem: idest certe. illos satis constantes: idest continuatos: sed adhuc sine authore: idest certo assertore. Nos cum putaremus bellum confectum. i. finitum esse. adducti sumus repente a Lepido tuo: scilicet affine, in solicitudinē summam. i. maximam. Itaque persuade tibi maximam spem reip. esse in te, & in copiis tuis. Nos habemus exercitus: scilicet Bruti, & Planci omnino firmos. sed tamen ut. i. demus, aut ponamus, ut omnia procedant prospere. ut spero: scilicet ea processura. tamen multum interest: idest multæ utilitatis est te uenire Enim: idest quia, spes Reip est exigua, nā non libet dicere nullam: supple spem Reipubli. esse, sed quæcunq; est, ea despondetur: idest promittitur futura anno consulatus tui.

SEBAS. CORR. PHIL. MELA.

Te uenire} in Italiam. {Annu Consulatus tui} qui solet sequi præturam.

Breuitas tuarum} Excusat breuitatem literarū, Cassii exemplo.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Hortatur Cassium, ut propere ad urbem cum exercitu ueniat, in eo enim & Bruto omnem spem esse Reip. positam.

M. T. C. C. CASSIO. S. P. D. 10

*Lepidus, tuus affinis, meus familiaris, Prid. Calen. Quint. sententiis omnibus hostis a Senatu iudicatus est, cæteriq; qui unà cū illo à Rep. defecerunt: quibus tamen ad sanitatem redeundi ante Cal. Sept. potestas facta est. fortis sanè Senatus, sed maxime spe subsidij tui. bellum quidem, cum hæc scribebā, sanè magnum erat scelere, & leuitate Lepidi. Nos de Dolabella quotidie: quæ uolumus audimus, sed adhuc sine capite, sine authore, rumore nuncio, quod cum ita esset, tamen literis tuis, quas Non. Maij ex castris datas acceperamus, ita persuasum erat ciuitati, ut illum iam oppressum oēs arbitrarentur, te autem in Italiam uenire cū exercitu, ut si hæc ex sententia confecta essent, consilio, atque authoritate tua, sin quid forte titubatum esset, ut fit in bello, exercitu tuo niteremur. quē quidē ego exercitum quibuscunque potero rebus ornabo. cuius rei tū tempus erit, cum, quid opis Reip. laturus exercitus sit, aut quid iā tulerit, notum esse cœperit: nam adhuc tantū conatus audiuntur, optimi illi quidem, & præclarissimi, sed gesta res expectatur: quam quidē aut iam esse aliquā, aut appropinquare confido. tua uirtute, & magnitudine animi nihil est nobilius. itaque optamus ut quāprimum te in Italia uideamus. Rempub. nos habere arbitramur, si uos habebimus. præclare uiceramus, nisi spoliatum, inermē, fugientē Lepidus recepisset Antoniū. itaque nunquam tanto odio ciuitati Antonius fuit, quanto est Lepidus: ille. n. ex turbulenta Repub. hic ex pace & uictoria bellū excitauit. huic oppositos Consules dess. habemus: in quibus est magna illa quidem spes, sed *anceps cura propter incertos exitus preliorum. persuade tibi igitur in te, & in Bruto tuo esse omnia, uos expectari, Bru*

(alias, anceps propter

tũ quidẽ iã,iamq;.q. si (ut spero,uictis hostibus nostris ueneritis, tamen authoritate uestra Resp.exurget,& in aliquo statu tolerabili cõsistet:sunt enim permulta, quibus erit medendum etiam, si Respub.satis esse uidebitur sceleribus hostium liberata. Vale.

ASCENSIVS. Lepidus &c.Certiorem facit Cassium, quemadmodum Lepidus declaratus sit hostis:præscripto tamen ei termino,quo possunt adhuc redire ad sanitatẽ mentis,hoc est ad societatem po.Ro.dicitq; eius ad Antonium accessione bellum multũ auctũ esse,deinde quid nuocia tum sit de Dolabella,& demum eum cum Bruto expectari in Italia scribit Ordo est:Lepidus affinis tuus,familiaris meus iudicatus est hostis a Senatu omnibus sententiis,pridie Calend Quintiles.i. Iulii nunc dicti mensis,& cæteri qui defecerunt una.i. pariter cum illo a Rep.quibus tamen potestas redeundi ad sanitatem.i. meliorẽ mentem & saniora consilia ante Calend Septemb.est facta.i.pmissa a Senatu.Senatus sup.est,sane.i.multum fortis,sed maxima, spes sup.est subsidii tui.i.in subsidio tuo.Bellũ quidem erat sane.i.ualde magnum,cum scribebam hæc,scelere & leuitate.i.perfidia & incõstantia Lepidi Nos audimus quotidie quæ uolumus de Dolabella .i.eum oppressum esse,sed adhuc rumore nuncio.i.nunciante, siue capite,siue authore.i.certo assertore,quod cum.i.quamuis esset, ita tamen persuasum erat ciuitati ex literis quas acceperamus datas Nonis Maiis ex castris,ita ut omnes arbitrarentur illum iam oppressum,sup.esse,te autem uenire in Italiam cũ exercitu. ut si hæc essent confecta.i.absoluta ea sententia.i.uoluntate,roborarentur.i. confirmarentur consilio atq; authoritate tua,sin.i.sed si,quid.i aliquid,esset titubatum.i.uacillatum forte,ut fit.i.fieri soles. in bello, nos niteremur.i corroboraremur & fulciremur tuo exercitu, quem quidem exercitum.s.tuum,ego ornabo quibuscunque rebus potero.Cuius rei,exercitus.s.ornandi,tempus erit,sup.tunc.cum.i.quãdo cœperit esse notum.i.constare,quid opis.i. auxilii, exercitus sit allaturus,aut quid attulerit iam Reip.Nam conatus tantum & nõ effectus audiuntur adhuc,illi quidem.s.conatus audiũtur optimi, & præclarissimi, sed res gesta expectatur.Quã.s rem gestam, quidem.i.certe,ego confido,aut aliquam esse iam, aut appropinquare .i.proxime futurã. Nihil est nobilius.i. illustrius & notius uirtute tua,magnitudine animi.Itaq; nos optamus, ut uideamus te quam primum in Italia.Nos arbitramur habere Rẽpu.si habebimus uos, idest te & Brutum.Nos uiceramus præclare,nisi Lepidus Ant. spoliatum,inermem,fugientem excepisset.Itaq; Anto. nunquã fuit ciuitati tanto odio,quanto Lepidus est.Enim i.quia,ille.s. Ant.excitauit bellum ex Rep.turbulenta,hic.s.Lepidus,excitauit bellũ ex pace & uictoria.i.ubi pacem habuisset Respu propter uictoriã.Nos habemus Consules designatos.s.Decium Brutum & Plancũ oppositos huic.s.Lepido,cũ Antonio,in quibus.s. Cõsulibus designatis est quidẽ magna spes,sed extra anceps propter incertos exitus præliorum.Persuade igitur tibi omnia esse in te & in Bruto.s.Marco,& uos expectari,sed Brutum iam iamq;.i.in singula momenta.quod si ueneritis hostibus nostris uictis ut spero.tamen Respub. exurget.i. extolletur,authoritate uestra,& consistet.i.stabilietur,aliquo statu tolerabili.Sunt.n.permulta quibus erit medendũ.i.quibus erunt remedia adhibenda,etiam si, Resp.uidebitur liberata satis sceleribus hostium.

VICTORIVS. Vt si hæc ex sententia confecta essent,consilio,atq; authoritate tua roboraremur} In nullis paulo antiquioribus libris {Roboraremur}legi.& sane uacat,omnis.n. periodi sensus ab extremo eius uerbo bis repetito pendet,& regitur. Vt si hæc inquit,ex sententia confecta esset,consilio,atq; authoritate tua niteremur.sin quid forte titubarum(ut fit in bello)exercitu tuo niteremur.ipse sententiã,structuramq; uerborum sine ea uoce pulcherrime posse stare existimo.Quod autẽ inculcauerant uerbũ, & si non malũ est,non est fortasse hic ualde aptum, certe non necessarium. Alii postea castigarunt{Roborarentur}de rebus intelligentes,quæ quamuis ex sententia confectæ essent,eius consilio & authoritate indigere uidebantur,ut firmius consisterent.Ego in eadẽ sententia permaneo,ut melior elegantiorq; sit uetus lectio:nam hæc posterior meo iudicio durior,cum a rebus ad homines,& a tertia persona ad primam importune transeat.

SEBAS. CORR. Sed maxime spe} Al.sed maxima spes. {Literis tuis} 12. huius libri.{Roborarentur}siue roboraremur.uerbũ est additum:{niteremur enim bis repetendum est.Coss. Des} D. Brutũ & L. Plancũ.{Magna quidẽ} Al.magna illa qdẽ.}Consistet} Al.existet.

PHIL. MELã. Lepidus tuus}Breuis narratio de Lepido,quod a Senatu publicus hostis iudicatus sit.{Nos de Dolabella} Alia conclusio.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Scribit Cicero. Cassius,quas legiones acceperit,hortaturq; obliqua Ciceronem,ut & eum,& rempubl.defendat.

C. CASSIVS PROCOS. M. T. C. S. D. 11

Si Vales,bene est:ego quidẽ ualeo. In Syriam me profectum esse scito ad L.Murcum, & Qu. Crispum Imp.uiri fortes,optimiq; ciues postea quam audierunt, quæ Romæ gererentur,exercitus mihi tradiderunt,ipsiq; mecum unà fortissimo animo Rempub. administrant. item legionem,quam Q. Cæcilius Bassus habuit, ad me uenisse scito. quatuorq; legiones quas A. Allienus ex Aegypto eduxit, traditas ab eo mihi esse scito. Nunc te cohortatione non puto indigere, ut nos absenteis,remq; publicam,quantum opus est,defendas.scire te uelo,firma præsidia nobis,Senatuiq; non deesse, ut optima spe & maximo animo Rempub.defendas.reliqua tecum aget L.Carteius familiaris meus. Vale Data Non. Mart. ex castris Taricheis.

ASCENSIVS. Si Vales &c.Dicit se Cassius in Syriam uenisse, addens quid illic egerit,firma enim præsidia se habere dicit ad defensionem Respu.hortatur autem latenter ut Rẽpu. tueatur,& se non negligat,immo curet defendendum. Breuis autem est eo quod reliqua dicit ea Carteio familiari suo accipienda.Ordo est.Si uales,bene est,ego quoque ualeo. Scito me profectum esse in Syriam ad Lucium Murcum,& Quin. Crispum imperatores.Viri fortes,& optimi ciues.s.Murcus,& Crispus,postquam audierunt quæ gererentur Romæ,tradiderunt mihi exercitus,& ipsi administrant una mecũ rem animo fortissimo. Item scito legionem,quam Quintus Cæcilius Bassus habuit, uenisse ad me,& scito quatuor legiones,quas Aulus Allienus eduxit ex Aegypto,esse traditas mihi ab eo.nunc postquam sic Reipublicæ studemus,ego nõ puto te egere cohortatione,ut defendas nos absentes,& Rempu.quantum opus est.Ego uolo te scire firma præsidia non deesse nobis,Senatuiq;,ut defendas Rempu.optima spe & maximo animo.i.habens optimam spem uictoriæ,& maximum animum ad resistendum inimicis.L. Carteius familiaris meus aget.i. differet,& loquetur aut tractabit secum cætera.s.quæ essent scribẽda,si ille non diceret ea. Vale. Data.s.epistola Nonis Martii,ergo anno fere reuoluto post cædem Cæsaris.Ex castris Taricheis,idest ad Taricham Syriæ ciuitatem positis.

SEBAS. CORR. C. Cassius Procos.etiã uocat Cicero in Philippica XI. quoniam prouincia,quam obtinebat,consularis erat:ut nullo modo hic Propræt.legi debeat.{L.Murcum,& Q.Crisp. Imp.}L.Statium Murcum,& Q.Martium Crispum uiros Prætorios,tũc in Syria Procoss.& Imp.etsi Crispus Bithyniæ præfectus fuerat.{Q.Cæcilius Bassus} qui cum Pompeianus esset,sibi in Syria,interfecto Sexto Iulii Cæsaris affine,magnas uires priuato cõsilio compararat.{A. Allienus}Dolabellæ legatus, qui ab Appiano Albinus dicitur.{Opus est} Alii reponũt,io te est.} Tarichæus} Pli.lib.V.cap.XV.

BERN. RVT. Data Nonis Martiis}Si non falsa dies,hæ literæ nonæ libri huius numerandæ fuerunt.uel illis præfefantur,quasi initium, Breuitas tuarum literarum,has enim accipio. Sed & Proprætorem rectius Cassium inscripseris,quam Proconsulem, ut Aldus.erat enim Prætor,cum Cæsarem interemit.Nam & de insequentibus Clerico assentior.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Exaggerat Ciceronis erga se beneficia Cassius. & quas literas scripserit, quos exercitus habeat exponit.Deinde a Cicerone petit,ut eum tueatur apud Senatum,& imperatores quoque libenter suscipiat.Postremo narrat, quid in Asia egerit.

C. CASSIVS PROCOS. M. T. CICERO. S. D. 12

Si Vales,bene est: ego quidem ualeo. Legi tuas literas, in quibus mirificum tuum erga me amorẽ cognoui:uidebaris enim nõ solũ fauere nobis,id quod & nostra,& Reip. causa semper fecisti,sed ẽt grauẽ curã suscepisse, uehementerq; esse de nobis solicitus,

itaque quòd te primum existimare putabam, nos oppressa Repu. quiescere non posse, deinde, cum suspicarere nos moliri, quòd te solicitum esse & de salute nostra, & de rerum euentu putabam: simul ac legiones accepi, quas A. Allienus eduxerat ex Aegypto, scripsi ad te, tabellariosq; complures Romam misi. scripsi etiam ad Senatũ literas, quas reddi uetui prius, quã tibi recitatæ essent, si forte mei obtemperare mihi uoluerunt: Quòd si literæ perlatæ non sunt, non dubito, quin Dolabella, qui nefarie Trebonio occiso Asiam occupauit, tabellarios meos deprehenderit, literasq; interceperit. exercitus omneis, qui in Syria fuere, teneo. habui paululum moræ, dum promissa militibus persoluo. nunc iam sum expeditus. A te peto, ut dignitatem meam tibi commendatam habeas, si me intelligis nullum neque periculum, neque laborem patriæ denegasse: si contra importunissimos latrones arma cepi te hortante, & authore. si non solum exercitum ad Rempub. libertatemq; defendendam comparaui, sed etiam crudelissimis tyrannis eripui. quem si occupasset Dolabella: non solum aduentu, sed etiam opinione, & expectatione exercitus sui Antonium cõfirmasset. quas ob res milites tuere, si eos mirifice de Repub. meritos esse aduertis: & effice, neque pœniteat Rempub. quàm spem prædæ, & rapinarum sequi maluisse. item Murci, & Crispi Imp. dignitatem, quantum est in te, tuere: nam Bassus misere noluit mihi legionem tradere. Quòd nisi milites inuito eo Legatos ad me misissent, clausam Apameam tenuisset, quoad ui esset expugnata: hæc à te peto non solum Reipub. quæ tibi semper fuit charissima: sed etiã amicitiæ nostræ nomine, quam confido apud te plurimum posse. crede mihi hunc exercitum quem habeo, Senatus, atque optimi cuiusque esse, maximeq; tuum: de cuius uoluntate assidue audiendo, mirifice te diligit, charumq; habet. qui si intellexerit commoda sua curæ tibi esse, debere etiam se tibi omnia putabit. Literis scriptis, audiui Dolabellam in Ciliciam uenisse cum suis copiis. proficiscar in Ciliciam. quid egerim, celeriter ut scias, dabo operam. ac uelim: ut meremur de Repub. sic felices simus. Fac ualeas, meq; ames. Nõ. Maii, ex castris.

ASCENSIVS. SI Vales &c Hæc epistola uidetur ponenda post illam, quæ superius incipit. Quanto studio. Cum enim Cicero significasset quæ pro Cassio egisset, & quid de eo Senatui promisisset, respondit Cassius se cognouisse amorem eius in se, & statim respondisse, & petiisse ut literas suas ad Senatum det, & inspiciat, rogans ut dignitatẽ suã tueatur, & Murcum commendatum habeat, additq; se Dolabellam persecuturum Ordo est: Si uales, bene est, ego quidem ualeo, familiaris salutandi forma. Ego legi literas tuas, in quibus recognoui mirificum amorem tuum erga me. Videbaris enim non solum fauere nobis, id quod fecisti: idest qui fauisti nobis semper, & nostra causa, & reipublicæ causa: idest tam ob bonum nostrum priuatum, quam ob publicum: sed etiam suscepisse grauem curam, & esse solicitus uehementer de nobis. Itaque quod, idest quia, ego putabam te existimare, primum nos non posse quiescere republica oppressa: idest si respublica sit oppressa. deinde cum suspicarere: idest suspicareris, nos moliri: idest aliquid magnum conari. quod: idest quia, putabã te esse solicitum & de salute nostra, & de euentu rerum, simulac .i. eodem tempore quo accepi legiones: scilicet quatuor, quas A. Allienus eduxerat ex Aegypto, scripsi ad te, ac misi Romam complures tabellarios: idest nuncios, qui tabellas: idest literas in tabellis more antiquo scriptas perferrent. ideo autem complures, ut saltẽ unus ex illis literas perferret. Scripsi etiam literas ad Senatũ, quas, scilicet literas, uetui reddi: idest tradi Senatui, priusquam essent recitatæ tibi, si forte mei: scilicet tabellarii, qui ex meis, utpote seruis, aut libertis erant, uoluerunt obtẽperare: idest obedire mihi Quod si literæ sunt prelatæ, non dubito quin Dolabella, qui occupauit Asiam Trebonio occiso nefarie, idest per nefas, deprehẽderit: idest in itinere comprehenderit, tabellarios nostros, & interceperit literas. s. nostras Ego teneo omnes exercitus, qui fuere in Syria, ego habui paululum moræ: idest difficultatis, aut dilationis, dum persoluo militibus promissa: idest quæ promiseram, ut in uerba mea reipub. iurarent. Ego sum nũc iam expeditus. Ego peto a te, ut habeas dignitatem meam commendatam tibi, si intelligis me, nullum neque periculum, neque laborem denegasse patriæ, & supple si cepi arma contra importunissimos latrones: scilicet Antonios, & Dolabellam, qui tunc rempub. oppugnare ceperunt, cũ ab illis præcipue fuit defendenda, te hortante, & authore, & supple si non cõparaui: idest conquisiui exercitum ad rempu & libertatem defendendam. sed etiam eripui: scilicet exercitum tyrannis crudelissimis: scilicet iam dictis Antoniis, & Dolabellæ qui tamen ab initio pro reipub. defensoribus sensit Duplex autem beneficium facit reipubli. qui e manibus hostium copias illi allicit, & etiam dupliciter quodammodo auget, nã si utrique te gintа fuerint millia, ablatis decem millibus uni parti, altera erit duplo numerosior. quod nõ esset si aliunde comparauerit. Quos: scilicet milites, prius autem dixit exercitum, qui erant in exercitu, si Dolabella occupasset: idest priusquam Cassius sibi assumpsisset, confirmasset Antonium. non solum aduentu: scilicet suo, sed etiã opinione & expectatione exercitus sui: quia animosiores sumus, dum propediem auxilia affutura speramus. Ob quas res o Cice. tuere: idest defende, & protege milites, si animaduerteris eos esse meritos mirifice: idest & mira faciendo de repub. quam spem prædæ, & rapinarum. Itẽ tuere: idest protege dignitatem Murci, & Crispi Imperatorum, qui Cassio statim exercitum tradiderant, quantum est in te, idest quantum fieri potest per te Nam Bassus quasi dicat ideo eum non commendo, quia noluit misere: idest misere, & affectanter resistendo, tradere mihi legionẽ. quod nisi milites misissent Legatos ad me. s. de reconciliatione ipsorum eo: scilicet Basso inuito: idest tenuente tenuisset Apameam. s. urbẽ clausam. quoad: idest donec esset expugnata ui: quia sponte nunquam se, aut suos tradidisset. Ego peto hæc a te, non solum nomine reipub. quæ fuit semper charissima tibi, sed etiam amicitiæ nostræ, quam: scilicet amicitiam nostram. ego confido posse: idest ualere, plurimum apud te. Crede mihi hunc exercitũ, quẽ habeo, esse senatus, atq; optimi cuiusq;: idest omnis boni, & maxime tuum. s. militaturum pro senatu, & optimo quoq; & maxime pro te. De cuius. s. tua uoluntate. s. beneuolentia in se audiendo. s. a te quotidie. diligit te mirifice, atque habet charum. Qui s. exercitus si intellexerit cõmoda sua esse tibi curæ, putabit se debere etiam omnia tibi. Literis scriptis audiui Dolabellam in Ciliciam uenisse cũ copiis suis, ego proficiscar in Ciliciam, & dabo operam, ut scias celeriter quid egerim. Ac uelim: supple ut simus sic felices, ut meremur. s. bene de rep Fac ualeas & ames me. No. Maiis ex castris.

VICTORIVS. HAbeo paululum moræ} Mediceus liber { Habui possulum moræ} Possulũ autem pro paululum, in quo duo animaduertenda sunt, & o pro { Au } positum, & paulum per duo ll. scribi sæpe solitum. Nã idem liber in epistolarum titulis, quæ sunt ad Paulum Cos. { Paullo } scriptum habet quod in aliis etiam priscis monumentis adnotatum est. Quibus argumentis confirmari potest. Pollã in epistola Cic. ad D Brutum non aliam esse a Paula Valeria de qua Cælius in epistola sua locutus est, ut ab aliis accurate animaduersum est.

SEBAS. CORR. TVas literas} fortasse septimã huius libri. { Quod & nostra} Al. quod & nostri. } Scripsi ad te tabellariosq; } &c Episto. superiore. { Trebonio occiso } Smyrnæ a Dolabella. { Latrones } Antonium & Dolabellam. } Misere noluit } Al. miser noluit. } Mihi legionem } Al. mihi legiones, nam & si in superiore etiam epistola legionem scribit, historia tamen habet, legioni quæ Bassum, mortuo Sexto Iulio, secuta est, alteram prouincialem fuisse additam: ut supra primam, hic ambas intelligat { Apameam } quã ipse Bassus multo ante munierat.

PHIL. MELÃ. Si uales.) Exordium ex illius amore. { Itaq; quod te primum } Narratio. { A te peto } Petitio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Laudat Ciceronis factum, quod Antonius per ipsum hostis iudicatus, ob id superstes sit.

C. CASSIVS S. D. M. T. CICERO. 13

SI Vales, bene est: ego quidẽ ualeo. Cũ Reipub. uel salute, uel uictoria gaudemus: tũ instauratione tuarũ laudũ, quod maximus Consularis maximũ Consulem te ipse uicisti, & lætamur, & mirari satis non possumus, fatale nescio quid tuæ uirtuti datũ: id quod iam sæpe experti sumus: est. n. tua toga omniũ armis felicior: quæ nunc quoque nobis pene uictã Remp. ex manibus hostium eripuit, ac reddidit. nunc ergo uiuemus liberi. nunc te omnium maxime ciuis, & mihi charissime, id quod maxime Reipublicæ tenebaris comperisti, nunc te habebimus te-

stem

stem nostri & in te, & in coniunctissimam tibi Rempublicam amoris: & quæ sæpe pollicitus es te & taciturum, dum seruiremus, & dicturum de me tum, cum profutura essent, nunc illa non ego quidem dici tantopere desiderabo, quàm sentiri à te ipso: neque enim omnium iudicio malim me à te commendari, quàm ipse tuo iudicio digne, ac mereor, commendatus esse: ut hæc nouissima nostra facta non subito, nec inconuenientia, sed similia illis cogitationibus, quarum tu testis es, fuisse iudices, meq; ad optimã spem patriæ non minimum tibi ipsi producendum putes. Sunt tibi M. Tulli liberi, propinquiq; digni quidem te, & merito tibi charissimi, esse etiam debent in Rep. proxime hos chari, qui studiorũ tuorum sunt æmuli: quorum esse cupio tibi copiam. sed tamen non maxima me turba puto excludi, quo minus tibi uacet me excipere, & ad omnia, quæ uelis, & probes, producere. animum tibi nostrũ fortasse probauimus: ingenium certe diutina seruitus, qualecunque est, minus tamen, quàm erat, passa est uideri. Nos ex ora maritima Asiæ prouinciæ, & ex insulis quas potuimus, naueis deduximus. delectum remigum, magna contumacia ciuitatum, tamen satis celeriter habuimus. secuti sumus classem Dolabellæ, cui Lucius præerat: qui spem sæpe transitionis præbendo, neque unquã non decedendo, nouissime Corycum se contulit, & clauso portu se tenere cœpit. nos illa relicta, quòd & in castra peruenire satius esse putabamus, & sequebatur classis altera, quam anno priore in Bithynia Tullius Cymber compararat, cui Turulius Quæst. præerat: Cyprum petiuimus. ibi, quæ cognouimus, scribere ad uos quã celerrime uoluimus: Dolabellam ut Tarsenses pessimi socii, ita Laodiceni multo amentiores ultro accersierunt. ex quibus utrisque ciuitatibus, Græcorum militum numero, speciem exercitus effecit. castra habet ante oppidum Laodiceam posita, & partem muri demolitus est, & castra oppido coniunxit. Cassius noster cum decem legionibus, & cohortibus uiginti auxiliariis, & quatuor millibus equitum à millibus passuũ uiginti, castra habet posita in Paltoi, & existimat se sine prælio posse uincere: nam iam ternis tetradrachmis triticum penes Dolabellam est: nisi quid nauibus Laodicenorum supportarit, cito fame pereat necesse est: ne supportare possit, & Cassii classis bene magna, cui præest Sextilius Rufus, & tres, quas nos adduximus, ego, Turulius, & Patiscus, facile præstabunt. uolo igitur uos bene sperare, & Rempubli. ut nos istic expediistis, ita pro nostra parte celeriter nobis expediri posse, confidere. Vale. Data Idib. Iun. * Cypro, Acromani Iacride.

*al. Cypro, ac Roman yacride

ASCENSIVS.

SI Vales &c. Scripsis a Cicerone mandatis ud Antoniũ ut ab obsidione Mutinensi desisteret, & deniq; cum nõ obtemperaret, eo iudicato hoste, consilio, hortatuq; Cicero. ita coniunctus est Octauianus Cæs. cum republica, ut eius auspiciis simul cũ Consulibus fusus, pulsusq; sit Antonius a Mutina, quam uictoriam ita nunc adscribit Cassius Cice. ut hoc eius factum anteponat coniurationis Catilinariæ oppressioni, dicitq; eum esse causam libertatis Romanæ, petit autem ab eo, ut testis sit amoris sui erga rempublicã, docens quid in Asia egerit, & demum bonam spem de republica concipiendam prædicat Ordo est, Si uales, bene est, ego quidem ualeo Cum: scilicet ita sit, quod gaudemus, uel salute uel uictoria reipublicæ. Tum: idest multo magis, lætamur instauratione: idest in pristinum statum restitutione laudum tuarum. quod tu maximus Consularis: idest quia Consulatum gesseris, Cõsulari honore præditus uicisti teipsum Cõsulem: idest plus fecisti, quam cum esses Consul, & non possum satis mirari nescio quid fatale: idest a fatis dependens, datum. i. concessum tuæ uirtuti, & nos experti sumus sæpe id, scilicet nomini tuo fatale quippiam esse. Toga enim tua est felicior: idest tu in toga idest habitu pacis es felicior armis. i. rebus in bello gestis omnium; quæ: scilicet toga tua eripuit ex manibus hostium ac reddidit nunc quoque nobis: idest ad utilitatem nostram, rempub. pene uictam, i. depressam. Nos ergo uiuemus nunc liberi. Nunc in eius maxime omnium, & charissime mihi compersti. i. consecutus es id quod tenebaris. i. debebas maxime reipub. s. liberationem eius. Nos habebimus nunc te testem amoris nostri, & i. simul in te, & in rempu. coniunctissimam tibi, & quæ pollicitus es sæpe te & taciturum. i. celaturum, dum essemus serui. s. sub Cæsare, & dicturum de me tunc, cũ essent profutura mihi. non desiderabo tantopere illa quidem, nunc dici, quam sentiri a te ipso. Neque enim malim me commendari a te iudicio omnium quam ipse. i. egomet supple malim esse commendatus digne ac: idest sicut mereor, iudicio tuo. ut iudices hæc nouissima facta nostra scilicet de nece Cæsaris non fuisse subita: idest ex inopinato concepta, nec incõuenientia, idest dissona cæteris factis, aut cogitatis meis, sed similia illis cogitationibus, quarum tu es testis, & putes me producendum, idest proferendum, & proponendũ tibi ipsi non minimum, immo primarium & principem ad optimam spem patriæ. Aut producendum: idest promouendum non minimũ. i. non minimi emolumenti, in futurum tibi ipsi ad optimam spem patriæ: idest ad id quod optimum speratur de patria. O Marce Tulli liberi, & propinqui digni quidẽ te, & merito charissimi tibi, sunt tibi &. i. supple debent etiam esse chari tibi, proxime hos, A prope aduerbium: quod uirente positiui unde deducitur, accusatiuum regit: scilicet propinquos tuos, qui sunt æmuli: idest imitatores studiorum tuorum scilicet in rempub quorum: scilicet æmulorum studiorum tuorum, ego cupio copiam: idest abundantiam esse tibi. Sed tamen non puto me excludi maxima turba: idest ob copiam ut minus uacet: idest libeat aut sat temporis, ac otii sit tibi, excipere: idest ex multis illis recipere me: & producere ad omnia quæ uelis, & probes Nos probabimus. i. demonstrabimus, fortasse tibi animum nostrum. seruitus diutina. s. sub Cæsare minor. i. non, erat passa ingenium nostrum certe, qualecunq; est. i. licet fortasse tenue, aut rude sit, tamen quale est, non est passa uideri. Non enim sub Cæsare fiebant iudicia, nec iuuenum ingenia sese exercebant, ut antea. hactenus autem ad sui commendationem locutus est: deinceps res a se gestas prosequitur, dicens. Nos deduximus ex ora. i. regione maritima. i. ad mare iacente, ubi fere sunt naualia Asiæ prouinciæ, & ex insulis. s. uicinis naues, quas potuimus. Nos habuimus delectum. i. (ut dicunt) monstram, & electionem remigum. i. eorum, qui naues impellerent remis magna contumacia. i. in contumaci repugnantia ciuitatum, tamen. i. licet repugnarent, habuimus satis celeriter. Nos secuti sumus classem Dolabellæ, cui: scilicet classi Lucilius præerat qui præbendo sæpe spem transitionis, scilicet ad nos, aut (ut alii intelligunt) ad aliam regionem neque unquam, idest & semper decedendo hoc est non faciendo copiam pugnæ contulit nouissime: idest ultimo loco se Corycum: idest ad illud oppidum Ciliciæ, ubi magna uis boni croci nascitur, & cœpit se tenere portu clauso ne: scilicet quisquam ingredi posset. Nos illa, scilicet classe Dolabellæ relicta supple ideo quod &: idest simul putabamus esse satius: idest conducibilius peruenire in castra, scilicet nostra, & altera classis sequebatur, quam Tullius Cymber compararat i. construxerat, & cura sua parauerat anno priore i. primo elapso, in Bithynia, cui Turulius quæstor præerat. nos petiuimus Cyprum: putantes: scilicet duarum classium uictores fieri difficile esse. Nos noluimus scribere ad uos quam celerrime, idest maxime celeriter, ea quæ cognouimus ibi. Vt: idest quemadmodum Tarsenses, idest ciues Tarsi, pessimi socii. s. populi Ro. ita Laodiceni amentiores: idest insensati, magis accersierunt, pro accersiuerunt, idest ad se uocauerant Dolabellam ultro, idest non rogati ab eo. Ex quibus utrisq; ciuitatibus Tarso, & Laodicea, Dolabella effecit speciem. i. imaginẽ exercitus numero: scilicet iusto, militum Græcorum, quasi dicat cõtemptibilium: quia (ut dicit Ouid) Græcia facundum, sed male forte genus. Et supple Dolabella habet castra posita ante oppidum Laodiceam, scilicet nomine. Et demolitus est, idest deiecit partem muri, & coniunxit castra oppido ita, ut castra essent oppido præsidio, & oppidum castris. Cassius noster: scilicet amicus, & frater (nã tota epistola Cassio adscribitur, unde necesse est alterum fuisse Cassium, de quo loquatur, ut dixi, de fratre suo loquitur,) habet castra posita cum uallo, cum decem legionibus, & uiginti cohortibus auxiliaris: idest eorum, qui auxilio uenerint, & equitatu quatuor millium, scilicet equitum, aut capitum: scilicet a castris Dolabella, uiginti millibus passuum, & existimat se posse uincere: idest expugnare Dolabellam sine prælio, quia fame. Nam triticum est: idest æstimatur, & uenditur penes Dolabellam, ternis tetradrachmis, idest singulos modios. xii. drachmis, nam tetradrachma est numus iiii. drachmarum. ter autem. iiii. xii. sunt. Certum est ualde charum significare triticum: sed de qua mensura loquatur, incertum uidetur. tamen tunc fere una mensura uendi solitum, alioqui enim expressisset. Necesse est. supple ut pereat cito fame. nisi supportarit: idest occulte importarit quid: idest aliquid: scilicet tritici, aut frumenti alterius, nauibus Laodicenorum: Sed supple &: idest simul, classis, Cassii: scilicet fratris bene est multum magna, cui Sextilius Rufus præest, & tres: supple naues, quas ego, Turulius, & Patiscus adduximus præstabunt. i. efficient facile. ne. s. Dolabella possit supportare: idest clanculum inferre frumentum Et uolo uos bene sperare, & rempub. confidere, ut & nos expediistis istic. s. ubi uos estis: supple omne negotium: quod tamen longe secus erat. Ita iter posse expediri nobis celeriter pro parte nostra, idest quantum ad nos attinet.

VICTORIVS.

VT hæc nouissima nostra facta non subita, nec inconuenientis} Omnes antiqui codices, etiam Mediceus, {Conuenientiu} habent: quam uocem non recepi: nec tamen uisum est propter librorum uetustatem, dignitatemq; committere, ut si forte hæc melior esset lectio, amplius in tenebris, squaloreq; iaceret. nec enim esse debet nostra alicuius rei inscientia damno huic scriptori: quod enim ignoramus, alios optime callere posse intelligimus, & credimus. Nescio enim (ut nihil tamen eorum quæ in mentem uenionit) an hic conuenientia, casu orta, & ut græci dicunt, συμβεβηκότα significare possit: nam & hunc etymon τῶν συμβεβηκότων uidetur adferre Simplicius in commentario primi libri Aristotelis de anima, quod cum alio eant, & una uadant. Hæc autem sunt eius uerba: κατὰ συμβεβηκὸς δὲ ἴδια τὰ ἀποδεικνύμενα λέγεται πάντα ὅσα ἢ ὅτι ἄλλο κατηγορεῖται πᾶς δεικνύμενος, καὶ διὰ τοῦτο καὶ συμβεβηκότως συνταλλη βεβηκώς. nec tamen memoria tenemus, alibi hanc uocem hoc significatu legisse. Peritiores totá hanc rem diligentius animaduertent: nos eorum iudicio libenter stabimus, petimusq; ne studiũ iuuandi omni ratione qua possumus Latinam lingnam, in nobis culpetur. Quid enim hæc diligentia nocere potest? Dictionem autem hanc, cum sine ullo authore probare non possemus, reliquimus, nec tamen adeo spernẽdam censuimus, ut hic saltem de ea mentionem fecisse nobis [illegible] debeat. Cupidus autem laudis, & gloriæ C. hic Cassius acute, & prudenter uideri uolebat, quæ tunc honeste gesserat, similia esse illis suis cogitationibus, quarum testis erat Cicero: illi enim cogitationes suas aperuerat, & huius rei ab eo fidem omnibus fieri desiderabat, ne nouissima sua facta sine consilio, & electione facta esse ab hominibus existimarentur. Maximum autem argumentum est, si ostendere uelis ea quæ recte feceris, a iudicio, & uirtute profecta, & non a fortuna & casu (tunc enim non multum laudis adipisceretur) proferre quæ sæpe antea similia feceris, uel saltem cogitans, si perficere non potueris. Docet hoc Aristotiles lib. primo Rhet. qui uult ea quoq; quæ casu euenerint, posse probare auidos laudis cum consilio se fecisse, si multa illis similia antea se gessisse planum fecerint. Eius uerba quæ hæc declarant, & suspicionem nostram non parum augent, non importunum uisum est adponere. ἐπεὶ δ' ἐκ τῶν πράξεων ὁ ἔπαινος, ἴδιον δ' ἐστὶ τοῦ σπουδαίου τὸ κατὰ προαίρεσιν, πειρατέον δεικνύναι πράττοντα κατὰ προαίρεσιν, χρήσιμον δὲ τὸ πολλάκις φαίνεσθαι πεπραχότα διὸ καὶ τὰ συμπτώματα καὶ τὰ ἀπὸ τύχης ὡς ἐν προαιρέσει ληπτέον, ἂν γὰρ πολλὰ καὶ ὅμοια προφέρηται, σημεῖον ἀρετῆς εἶναι δόξει καὶ προαιρέσεως. Castra habet posita cum uallo) Hæc sunt tam inepta uerba, ut nullus labor sit inquinata ea ostendere. quæ enim castra uere appellari possunt sine uallo? cum autem Castra dixisset, nihil attinebat addere (cum uallo.) Veteres codices, Castra habet posita [παλτοῖ] quæ lectio syncera nostro iudicio est. Etenim Paltos teste Strabone libro. XVI. τῶν γεωγραφικῶν, Syriæ oppidũ Laodiceæ uicinum. hæc autem eius uerba, τῇ δὲ λαοδικείᾳ πλησιάζει πολίχνια τό, τε ποσείδιον, καὶ τὸ ἡρακλεῖον, καὶ τὰ γάβαλα, εἶτα ἤδη ἡ τῶν ἀραδίων παραλία παλτὸς, καὶ βαλαναία, καὶ κάραμος τὸ ἐπίνειον τῆς ἀράδου. Pli. ẽt lib. V. cap XX. sic de ea meminit, Hic rursus Syria desinente Phœnice: oppida, carne, Balanæa, Paltos, Gabale. Palto aũt aduerbialiter, ut in epistola ad Senatũ, Pacorẽ Orodi Regis Parthorũ filium cũ permagno equitatu Parthico transisse Euphratem, & castra posuisse Tybæ, ut omnia iam conueniant. Quomodo autem παλτῷ hic tertio casu dixerit, considerandum est nã si Latinam consuetudinem secutus esset, Palti secundum formam genitiui dixisset: an quia Græce id nomen posuit, Latinorum usum non seruauit? quamuis Græci quoque, aliam quandam rationem habere uidentur. Quod uero Laodiceæ obsessus Dolabella perierit magno urbis illius detrimẽto, docet Strabo lib. XVI. de Laodicea loquens: ἐλύπησε δ' οὐ μετρίως δολοβέλλας καταφυγὼν εἰς αὐτὴν, καὶ ἐμπολιορκηθεὶς ὑπὸ κασσίου μέχρι θανάτου, συνδιαφθείρας ἑαυτῷ καὶ τῆς πόλεως πολλὰ μέρη Ita pro uostra parte celeriter iter uobis expediri posse confidere} Sic omnes, quos uidimus, & uulgati, & antiqui codices habent. Quis tamen non uideat abundare uocem eam {Iter} inutiliterq; a librariis quatuor literas antecedentis dictionis repetitas esse? agitur enim de expedienda republ. & de uictoria parianda, non de itineris expeditione, quod ridiculum est, iubet bonã spem habere Ciceronem, confidereq; etiam ipsos posse bene rẽ gerere, qui in Asia re publ. partes defendebant, ut illi in Italia gesserant. Videndum potius (quod puto) an in illis uerbis, }Et uolo bene Sperare} pro {Et te} legi debeat. nam quod ante {Et uos} legebatur, nos antiquis codicibus authoribus deleuimus. { Data Id. Iun. Acromani Iacride} Sic omnes uulgati codices habent, meo quidẽ iudicio, mendose, & nullo intellectu: Alii {Cypro Acromania clide} emendarunt, interpretanturq; his uerbis castigationem suam, quasi dixerit apud summam Clidem ex Ptolemæo, Plinio, & aliis: nos credere non possumus si summam Clidem intelligere uoluisset, Acromaniam dicturum fuisse: quæ (nisi fallimur) uox neque Græcis, neque Latinis id habere potest significari. Clides autem duæ paruæ insulæ sunt ex aduerso Syriæ. Cum autem literas datas Cypro dicat, ut certiorem locum declararet ubi essent (est enim satis magna insula Cypros) locum quempiam in ea insula narrare debuit, non extra. si enim extra (ut sunt Clides) non Cypro datæ literæ essent. Nos ex uetustis nostris codicibus, in quibus pene incorruptus hic locus est (legitur enim {A Cromamyu actide} una tantum abundante litera) legimus {A crommyu acride} Est autem Cypri promontorium κρομμύου ἄκρα, contra Anemurium promontorium Ciliciæ de qua Strab. in fine XIIII. libri τῶν γεωγραφικῶν, ἔφαμεν δὲ πῶς κατὰ τὸ ἀνεμούριον ἄκραν τῆς τραχείας κιλικίας, ἐπειδὴ τὸ τῆς κυπρίας ἀκρωτήριον τὴν κρομμύου ἄκραν ἐν τριακοσίοις καὶ πεντήκοντα σταδίοις. Nec multo post iterum: ὑπέρκειται δὲ ἐν μεσογαίᾳ λιμενίᾳ πολίχνιον κρομμύου ἄκρα. Quod autem in Ptolemæi Latinis codicibus {Crommion extrema} appellatũ est hoc promontorium, pudendus est error interpretis, qui Geographum uertere aggressus sit, cum nesciret Græcis ἄκραν promontorium significare, nam quod ab hoc κρομμύου ἄκρα uocatum est, diminutiua forma uoluisse appellare credimus, ut παῖδας etiam paruas Insulas eadem ratione nominant, siquis nostram opinionem nõ recipit, ipse meliorem inueniat: nobis sane satis certa hæc lectio uidetur, & antiq. scripturæ (quod maximũ est) similis, uel potius eadẽ q̃ illa.

Ex post eiusdem.

NOn subita nec inconuenientia} Non uidear mihi peccasse, qui recepta lectione conseruata, fidelissimi codicis scripturam (præsertim cum in aliis etiam minoris authoritatis libris eam inuenerim) notam esse noluissem, deq; ea non negligenter disseruissem: non desunt tamen qui reprehendant. {Castra habet posita παλτῷ} locum hunc, qui multis seculis iacuerat, opere meliorum codicum restitui: qui non uestigium aliquod synceræ lectionis ut sæpe, retinebant, sed ipsam incorruptam, integramq; cõseruant, {παλτῷ} enim in illis est. Sunt tamen qui παλτοῖ malint, qua autẽ ratione hic παλτῷ dictum esset, exposuit. Quantum ego existimo cum, quod nunc subscribunt, in illo exemplari, ut in Mediceo codice, ultimum esset Græcæ uocis, & a librariis in penultima litera peccatum esset, quod paruam illam pro magna fecissent, crediderunt nonnulli παλτοῖ scriptum fuisse. in Mediceo tamen nihil maculæ. {Et uolo bene sperare} Arbitror legendum esse {Te uolo} non ut alii, qui cum antea in impressis libris, {Et uolo uos bene sperare} legeretur, maluerunt hanc delere, quæ pene in antiquis libris conseruatur, & illam retinere, cuius in eisdem exemplaribus uestigium nullum, qui etiã {Igitur} addiderunt. {Cui Lucilius præerat} Dion huius præfect. classis Dolabellæ nõ meminit. Appianus lib. IIII. τῶν ἐμφυλίων L. Figuli mentionem fecit, qui mercede classem conducebat Dolabellæ inquit enim καὶ ναυτικὸν ἀγείρας ἐκ μισθοῦ διὰ λευκίου φιγούλου παρά τε ῥοδίων παμφυλίων, καὶ ἐκ κιλικίας. Videndum igitur accurate, an L. Lucilius Figulus appellatus sit: non facile enim credo in cunctis, & impressis, & manuscriptis Ciceronis libris mendum esse, neque satis mihi uidetur ille pronomine tantum significari potuisse. {Cypro a crommyu acride} Quibus argumentis, authoritatibusq; censuerimus ita legendum esse, explicauimus antea diligenter. Qui Acamantide magis probant, non uere iudicant: satis certũ huius rei signũ est, quod qd Acamantide sit ignorant: nemo enim unquam ueterum authorum Acamantida promontorium esse dixit, quod illi credunt. Acamas promontorium est, a quo, ut tradit Plinius, tota insula quandoq; Acamantis appellata fuit Strabo lib. XIIII. pag. 98. ὁ δ' ἀκάμας ἐστὶν ἄκρα δύο μαστοὺς ἔχουσα, καὶ ὕλην πολλήν. Si legeretur igitur Acamantide, cum ante Cypro dixerit, inunis, ac nimis otiosus sermo esset.

PAVL. MANV.

NOn subita, nec inconuenientia} Ita legitur in libro manu scripto Bernardini Maffei: Ioãnis Scalæ, Pauli Boti, quod ideo dicimus, ne quis credat in omnibus uetustis codi. legi, conuenientia, ut Florentini in libro suarũ explicationũ tradiderũt. Vincentii Riccii codex habet, disconuenientia. qua uoce Horatius quoq; usus est epistola. I. libri. I. Aestuat & uitæ disconuenit ordine toto. itaq; siquis, incõueniẽtia, non probat, discõueniẽtia, poterit legere. Cui Lucilius præerat) Appianus hunc appellat Lucium Figulũ. quod cũ ita sit, & cum Figulos nõ e Lucilia gente, sed potius e Nigidia fuisse cõpererim: libentius legerim, Lucius, quã Lucilius: nã ẽt in uetusto codice Bernardini Maffei non, Lucilius, sed, Lucius, legitur. {Castra habet posita παλτοῖ.} E ueteri lib. Pauli Boti sic emẽdauimus, figura Græca in aduerbiis in loco, ut καρυδαλλοῖ, καρυδαλλοῖ, προβαλινθοῖ προβαλινθοῖ, φαληροῖ φαληροῖ, φρεάρροι φρεαρροῖ.} Acromaui Iacride} Vetusti codices alii aliter habent. sunt qui legendũ credant, a Crõmyu Acride. Alii Acamãtide. quæ mihi lectio magis probatur, si modo, ut iidem dixerunt, in antiquo libro scriptũ est, Acomãtide. de quo promõtorio Plinius, & Strabo.

CAius Cassius} Al Q. Cassius, qui C. Cassii frater fuit, si modo hunc eum esse credimus {Vel uictoria} apud Mutinam. Tum instaurationem {XII. Calendas Maii. quo die a toto pene populo in Capitoliũ est deductus, maximoq; clamore & plausu in rostris collocatus. {Teipsum} Al. te ipse. {Ex manibus hostiũ} Antonii, & aliorum {Eripuit} excitans Senatum ad persequendum Antonium. { Maximum ciuem: & mihi charissimum } Al.

maxime

maxime ciuis,& mihi charisſime,{Id quod maxime R.P.tenebris} Al.ad quod maxime R.P.tenebaris. Tenebaris autem, ſub Cæſare. {Comparaſti}Quidam leguot,comperiſti. {Seruiremus} Al. ſerui eſſemus.{Inconuenientia}ſi Latioe dicatur,cum iis facile ſentiã, qui non negant hoc loco legi poſſe,conuenientia, & συμβεβηκότα ſignificari.{Proxime ii}Al.proxime hos.{Probauimus}Al.probabimus,{Lucilius}L. Figulum claſſi Dolabellæ præfectum fuiſſe ſcribit Appianus {Tranſitionis}ad nos.{Vnquam nõ decedendo} Al.unquam decedendo.{Corycum}Plin.& Strab.Al.Corinthum. Sunt etiã qui legunt,Circum.{In Bithynia}cui ipſe Cymber poſt Cæſaris mortem præfuit.{Turulius}qui poſtea ſecutus Antonium contra Octauium,tandem contemptæ religionis Valerio authore, Aeſculapio pœnas dedit.{Casſius noſter}C.Casſius Cæſaris interfector.{Millium equitatu}Al.millibus equitum.{Cum Valla} Al. πάλθοι,quod eſt oppidum prope Laodiceam . ſed arbitror ſcriptiõ hic fuiſſe,παλτῶθοι. {Sextilius Rufus} Epi.48. lib.13. {Patiſcus} Epi.13.huius libri.{Acromani Iacride} Acromania clide,a Crommiania clide,a Troniana clide,a Crommyu acride,alii atque alii legunt.nos in uetere libro legimus,Acomantide , unde Acamantide legendum credimus,quo nomine & promontorium Cypri,& Cyprum ipſam appellatam,ſcripſit Timoſthenes.

BERN. RVTI.

TVm inſtauratione tuarum laudũ}quod ſcilicet audita Bruti ex Mutina eruptione,fugaq; Antonii,gratulantium turbæ Ciceronem domi ſuæ conuentum ueluti ouantem in Capitolium deduxerunt. author Plutarchus in Cicerone.{Qui ſpem ſæpe tranſitionis præbendo}ideſt transfugiendi ad nos: non ſimpliciter,ut Clericus,diſcedendi.Eſt autem omnino duriuſcula oratione hic Casſius,ut militem magis,eumq;(ut fertur) præcipitem,quam literis deditum,agnoſcas.

PHIL. MELÃ.

SI Vales bene eſt}Gratulatio,præ gaudio. {Fatale neſcio qd} Amplificati[illegible] ſuperioribus rebus geſtis. {Nunc te habebimus}Ex fruct[illegible]æ.Nequ[illegible] enim omnium} Commendatio ſuæ perſonæ{nos ex ora} Narratio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Varia narrantur hac epiſtola,præcipua tamen capita ſunt de Dolabellæ perſecutione,item Rhodiorum infidelitate,de exercitu ſuo, & ſtudio erga Rempublicam.

LENTVLVS CICERONI SVO. S. D.

*CVm Brutum noſtrũ conueniſſem, eumq; tardius in Aſiam uenturũ animaduerterem: in Aſiam redii, ut reliquias mei laboris colligerẽ: & pecuniam quã primum Romã mitterem.interim cognoui in Lycia eſſe claſſem Dolabellæ, ampliusq; centum naueis onerarias , in quas exercitus eius imponi poſſet: idq; Dolabellam ea mente cõparaſſe,ut ſi Syriæ ſpes eum fruſtrata eſſet,conſcenderet in naueis,& Italiam peteret,ſeq; cũ Antoniis,& reliquis latronibus coniungeret.cuius rei tanto in timore fui,ut omnibus rebus relictis,cum paucioribus,& minoribus nauibus ad illas ire conatus ſim.quæ res,ſi à Rhodijs non eſſem interpellatus,fortaſſe tota ſublata eſſet:tamen magna ex parte profligata eſt:quandoquidẽ claſsis diſsipata eſt: aduentus noſtri timore milites,ducesq; effugerunt:onerariæ omnes ad unam à nobis ſunt exceptæ.certe(quod maxime timui) uideor eſſe conſecutus,ut non poſsit claſſe Dolabella in Italiam peruenire,nec ſocijs ſuis firmatis,durius nobis efficere negotium. Rhodij,nos, & Rempu. quam ualde deſperauerint,ex literis quas publice miſi,cognoſces,& quidem multo parcius ſcripſi,quàm re uera furere eos inueni. quòd uero aliquid de his ſcripſi,mirari noli:mira eſt eorum amẽtia.nec me meæ ullæ priuatim*iniuriæ mouerunt unquam : malus animus eorum in noſtram ſalutem,cupiditas partium aliarũ,perſeuerantia in contemptione optimi cuiuſque ferenda mihi non fuit.nec tamen omneis perditos eſſe puto.ſed iidem illi , qui tum fugientem patrem meum,qui Lucium Lentulum,qui Pompeium, qui cæteros uiros clarisſimos non receperunt:iidem tanquam aliquo fato & nunc aut magiſtratum gerunt,aut eos,qui ſunt in magiſtratu , in ſua habent poteſtate:itaque eadem ſuperbia in prauitate utuntur. quorum improbitatem aliquando retundi,& non pati impunitate augeri,non ſolum utile eſt Reipublicæ noſtræ,ſed etiam neceſſariũ. De noſtra dignitate uelim tibi ut ſemper curæ ſit,& quocunque tempore occaſionem habueris,& in Senatu, & in cæteris rebus laudi noſtræ ſuffragere.quãdo Cõſulibus decreta eſt Aſia, & permiſſum eſt iis,ut dum ipſi uenirent,darent negotium, qui Aſiam obtineant,rogo te petas ab ijs,ut hanc dignitatem potisſimum nobis tribuant,mihi dent negotium,ut Aſiam obtineam,dum ipſorum alteruter uenit:nam,quod huc properent in magiſtratũ uenire,aut exercitum mittere,cauſam nõ habent: Dolabella enim in Syria eſt:& ut tu diuina tua mente proſpexiſti, & prædicaſti,dum iſti uenient,Casſius eum opprimet:excluſus enim ab Antiochia Dolabella,& in oppugnando male acceptus, nulla alia confiſus urbe,Laodiceam,quæ eſt in Syria ad mare,ſe contulit. ibi ſpero celeriter eum pœnas daturum:nam neque,quò refugiat,habet:neque diutius ibi poterit tantum exercitum Caſsii ſuſtinere. ſpero etiam confectum eſſe iam, & oppreſſum. quare non puto Panſam,& Hirtiũ in Conſulatu properaturos in prouincias exire,ſed Romæ acturos Cõſulatũ.itaque ſi ab his petieris, ut interea nobis procuratione Aſiæ dent,ſpero te poſſe impetrare.præterea mihi promiſerunt Panſa,& Hirtius coram,& abſenti mihi ſcripſerunt,Verrioq; noſtro Panſa affirmauit,ſe daturum operam,ne in ſuo Conſulatu mihi ſuccedatur.ego porrò non mediusfidius cupiditate prouinciæ produci longius ſpatiũ mihi uolo: nã mihi fuit iſta prouincia plena laboris,periculi,detrimẽti.quæ ego ne fruſtra ſubierim,ne'ue prius,quàm reliquias meæ diligentiæ cõſequar,decedere cogar,ualde laboro,nam ſi potuiſſem quã exegeram,pecuniã uniuerſam mittere,poſtularẽ,ut mihi ſuccederetur. nunc quod Caſsio dedi,quod Trebonii morte amiſimus , quod etiã crudelitate Dolabellæ,aut perfidia eorum,qui mihi fidem , Reiq; pub.non præſtiterunt,id conſequi & reficere uolo,quod aliter nõ poteſt fieri,niſi ſpatium habuero.id ut per te conſequar,uelim, ut ſoles,tibi curæ ſit.ego me de Repub.ita puto eſſe meritum,ut non prouinciæ iſtius beneficium expectare debeam,ſed tantum,quantũ Casſius,& Bruti,non ſolum illius facti,periculiq; ſocietate,ſed ẽt huius temporis ſtudio,& uirtute.primus.n.ego leges Antonianas fregi:primus equitatum Dolabellæ ad Rempu.traduxi, Caſſioq; tradidi:primus delectus habui pro ſalute omnium contra cõiurationem ſceleratisſimam:ſolus Caſsio,& Reipub.Syriã, exercitusq;,qui ibi erant, coniunxi:nam niſi ego tantam pecuniam, tãtaq; præſidia, & tam celeriter Caſio dediſſem:ne auſus quidem eſſet ire in Syriam,& nunc non minora pericula Reipub. à Dolabella inſtarẽt,quam ab Antonio.atq; hæc omnia is feci qui & ſodalis & familiarisſimus Dolabellæ eram, cõiunctisſimus ſanguine Antoniis: prouinciam quoq; illorum beneficio habebam : ſed* πατρίδα ἐμὴν μᾶλλον φιλῶν omnibus meis bellum primus indixi. hæc & ſi adhuc non magnopere mihi tuliſſe fructũ animaduerto: tamen non deſpero, nec defatigabor permanere non ſolum in ſtudio libertatis, ſed etiam in labore , & periculis. attamen ſi etiam aliqua gloria iuſta, & merita prouocabimur,Senatus,& optimi cuiuſque officiis, maiore cum authoritate apud cæteros erimus,& eo plus prodeſſe Reipub . poterimus . Filium tuum , ad Brutum cũ ueni, uidere nõ potui , ideo quod iam in hyberna cũ equitibus erat profectus.ſed mediusfidius ea eſſe eũ opinione,& tua & ipſius,& in primis mea cauſa .n.gaudeo : fratris loco mihi eſt , qui ex te natus,teq; dignus eſt. Vale. Data IIII.Calẽ.Iun.Pergæ.*

*.i.patriã meam magis amans

ASCENSIVS.

CVM Brutum &c. Hæc epiſtola ferẽ tota licet lõgiuſcula ſit,conſumitur in rerum narratione,quẽadmodũ & ſequens.Cũ.n.præeſſet Aſiæ Proquæſtor P. Lentulus,narrat quẽadmodũ cũ a Bruto in Aſiã reuertiſſet ut reliquũ pecuniæ,quæ colligenda fuerat,colligeret,& Romam

mitteret intelleait Dolabellam esse in Lycia cum magno numero nauium onerariatum, cõtra quem se fuisse dicit cum paucioribus & minoribus nauibus: facileq; ei ablaturum fuisse totam classem, nisi impeditus fuisset a Rhodiis, de quibus queritur, rogans ut Cõsules sibi concedant procurationem prouinciæ, addens & alia quæ legẽti patebunt. Ordo est. Cum. i. quando, aut postquam conuenissem. i. adiissem colloquendi gratia, Brutum nostrum. s. Marcum, & animaduerterem. i. ea uerbis eius cognoscerem, eum uenturum tardius in Asiam, redii in Asiam, ut colligerem reliquias laboris mei, & ut mitterem quamprimum. i. ualde cito pecuniam Romam, cognoui interim classem Dolabellæ esse in Lycia, non enim Cilicia uidelicet amplius quam centum naues onerarias. i. onera negociatorum ferre solitas, in quas. s. naues exercitus eius posset imponi, & cognoui Dolabellam comparasse id. i. eam classem, ea mente: ut si spes Syriæ. s. potiundæ esset frustrata eum, conscenderet in naues, & peteret Italiam, & coniungeret se cum Antoniis. s. duobus fratribus, & reliquis latronibus. Cuius rei ego fui in tanto timore, ut omnibus rebus relictis, ego conatus sim ire ad illas. s. centum naues onerarias cum paucioribus & minoribus. s. nauibus. Quæ res, si nõ essem interpellatus. i. impeditus a Rhodiis, esset fortasse sublata tota. tamen. i. nihilominus. licet Rhodii interpellarint, ipsa est profligata. i. afflicta ea magna parte. Quandoquidem classis est dissipata, & milites ducesq; effugerunt timore aduentus nostri, onerariæ: sup. naues sunt exceptæ. i. captæ a nobis omnes ad unam. s. inclusiue, hoc est nulla excepta. Certe ego uideor consecutus quod timui maxime, ut Dolabella non possit peruenire in Italiam, nec efficere nobis negotium. s. bellicum, durius. i. difficilius sociis. s. Anto & Lep. firmis. i. firmioribus factis. Tu cognosces ea literis, quas misi publice. i. ad Senatum publice legendas, quam: idest quantum ualde, Rhodii desperauerint nos, & rempu. i. salutem nostram, & reipub. Equidem. i. ego certe, scripsi multo parcius. s. quam res se habet. noli mirari, amẽtia eorum. s. Rhodiorum est mira. Nec iniuriæ meæ priuatim. i. quæ inferebantur in me nomine priuato: sup. mouerunt unquã me, animus eorum malus. i. peruersus in salutem nostram, cupiditas. i. nimium studium eorum. aliarum partium, idest in aduersas partes perseuerantia. s. eorum. i. contumacia. in contemptione: idest uilipensione, optimi cuiusq;. s. ex nostris, non fuit ferenda: idest toleranda mihi. nec tamen puto omnes. s. Rhodios, esse perditos, idest peruersæ mentis. Sed illi iidem, qui non receperunt tum. i. tunc uidelicet tempore belli ciuilis cum Cæs. patrem meum fugientem. s. a Pharsalica clade, qui non receperunt L. Lentulum, qui non receperunt Pompeium. s. magnum, qui non receperunt cæteros uiros clarissimos iidem tanquam aliquo fato. s. reip. nostræ inimico, & nunc gerunt magistratum aut habent in sua potestate eos, qui sunt in magistratu. Itaq; ipsi utuntur eadem superbia in prauitate. Quorum improbitatem retundi. i. frangi, & sepelli, & non pati: sup. eam augeri impunitate, non solum est utile reipublicæ: sed etiam necessarium. Ego uelim: ut tibi sit semper curæ de dignitate nostra, & ut suffrageris. i. suffragium, & fauorem præbeas nostræ laudi & in Senatu & in cæteris rebus quocunq; tempore habueris occasionem. Quando. i. quoniam. Asia decreta est. i. decreto addicta Cõsulibus, & permissum est iis, ut dum. i. donec ipsi uenirent, darent negotium. i. cõmissionem iis sup. qui obtineant Asiam, rogo te petas ab iis ut tribuant hanc dignitatem potissimum nobis, & dent negotium ut obtineam Asiam, dum. i. donec alteruter eorũ uenit. Nam non habent causam: quod properent. i. festinent uenire huc in magistratũ, scilicet suum: aut quod properent mittere exercitum huc. Dolabella enim est in Syria, & ut prospexisti diuina mente tua, & prædicasti, Cassius opprimet eum dum. i. donec isti. s. Consules uenient, Dolabella enim exclusus ab Antiochia. & acceptus. i. tractatus, male in oppugnando, scilicet Antiochiam, nulla: idest non ulla, non cõfisus alia urbe: idest quod possit ab alia recipi, contulit se Laodiceam, quæ est in Syria ad mare. Ego spero eum daturum ibi celeriter pœnas: scilicet perfidiæ suæ in patriam. Nam neq; habet: sup. alium locum, quo refugiat. neque poterit sustinere: idest tolerare, resistendo impetui eius, tantum exercitum Cassii. spero etiam: supple negotium esse confectum iam: scilicet cum hæc legis, & Dolabellam esse oppressum. Quare non puto Pansam, & Hirtium in Cõsulatu. i. cum erunt Consules. properaturos exire. s. Italia, in prouinciam, sed acturos Consulatum Romæ. Itaque si petieris ab iis, ut dent interea nobis procurationem Asiæ, spero te posse impetrare. s. ab eis. Præterea. i. insuper, Pansa, & Hirtius promiserunt mihi. & . i. simul. coram. i. cum præsens essem, & scripserunt mihi absenti, & Pansa affirmauit Verrio nostro. s. communi amico, se daturum operam, ne succedatur mihi. i. ut permanerẽ in magistratu meo, in suo Consulatu. i. durante Consulatu suo. Ego porro. i. autem. non nolo medius fidius: idest per Herculem Iouis filium, aut ita me iudicet Deus fidei prospector, spatium tuendæ prouinciæ produci mihi lõgius cupiditate. i. propter cupiditatem prouinciæ. s. regendæ. nam ista prouincia fuit mihi plena laboris, periculi, & sup. detrimenti. quæ: scilicet dicta, labores, pericula, & detrimenta, ne ego subierim. i. passus sim frustra. i. sine fructu aliquo: neue cogar decedere prius quam consequar reliquias diligentiæ meæ, ego laboro. i. contendo ualde. Nam si potuissem mittere pecuniam uniuersam quam exegeram. s. a prouincialibus: ego postularem: ut succederetur mihi: nunc uolo. i. paro consequi, & reficere. i. reparare, id quod dedi Cassio, quod amisimus. s. omnes qui rempub. fouemus, morte Trebonii. et quod amisimus crudelitate. i. propter crudelitatem Dolabellæ, aut perfidia eorum, qui non præstiterunt. i. non exhibuerunt fidem mihi & reip. Quod. s. illud consequi, & reficere, non potest fieri aliter, nisi habuero spatium. s. temporis. Ego uelim, ut tibi curæ sit, ut solet tibi res mea esse curæ. ut consequar. i. impetrem id. s. spatium. Ego puto me esse meritum de repu. ita ut non debeam expectare solum beneficium istius prouinciæ. s. prorogandæ, sed tantum, idest tam magnum præmium, quãtum Cassius, & Bruti. s. Marcus, & Decius non solum societate illius facti, & periculi: quo Cæ. abstulerunt, sed etiam studio, & uirtute huius temporis. i. quo utor erga rempubli. hoc tempore periculosissimo. Ego enim primus fregi leges Antonianas. i. quas Anto. tulit in ultionem interfectorum Cæsaris. Ego primus traduxi equitatum Dolabellæ, qui alter tunc erat Consul, ad rempub. & tradidi: sup. ipsum Cassio. Ego primus habui delectus. i. electionem militũ pro salute omnium. s. bonorum contra coniurationem sceleratissimam. Ego solus coniunxi Cassio & reipu. Syriam, & exercitus, qui erant ibi: idest in Syria. Nã nisi ego dedissem Cassio tantam pecuniam, & tanta præsidia, & tam celeriter, ne quidem. i. non saltem ausus esset ire in Syriam Et non minora pericula instarent nunc reip. a Dolabella, quam ab Antonio. s. instant, si. s. Dolabellam non expulissem e Syria. Atque ego feci hæc omnia. is: idest ens, aut si dicatur in hoc significatu, existens is qui eram sodalis. i. socius dapis hoc est conuictor, & familiarissimus Dolabellæ, & qui eram coniunctissimus sanguine. i. consanguinitate Antoniis, habebam quoq;. i. etiam, beneficio illorum, qui tunc Consules erant prouinciam. s. Ciliciam Sed φιλῶ. i. amo. μᾶλλον. i. magis. πατρίδ᾽ α. i. patriam. ἐμήν i. meam. Græce autem primitiuum est mei, aut mis. Ego primus indixi omnibus meis. s. necessariis Antonio fauentibus, bellum. Etsi. i. quanquam, ego animaduerto hæc. i. huiusmodi studia mea in rempubli. nõn attulisse mihi fructum. i. utilitatem. magnopere. i. abunde, tamen ego non despero, nec defatigabor. i. non desistam præ fatigatione permanere non solum in studio libertatis, sed etiam in labore & periculis. s. pro ea obeundis. Attamen. i. licet hoc sim animo, tamen si prouocabimur. s. ad talia studia, aliqua gloria iusta, & merita. s. a nobis, officiis. i. debita exhibitione, Senatus, & optimi cuiusq;, nos erimus apud cæteros cum maiore authoritate, & poterimus prodesse reipu. eo plus. Argutissima forma petendi beneficii, cum illud quod petimus ad rem conferentis facturum probamus. De his autem rebus pulchre locutus, transit ad commendationem filii Ciceronis non minus arguto consilio, sciens nõ posse melius placere Ciceroni, quam ut illi bona de filio denunciet. dicit igitur sic: Cum. i. quando, ueni ad Brutum. s. Marcum. non potui uidere filium tuum. s. Marcum Ciceronem, ideo quod erat profectus iam cum equitibus in Hyberna. i. loca tuta ubi hyemem transigant cum equis suis. Sed mediusfidius. i. ita me filius Iouis amet, aut iudicet, ut uerum dico, uidelicet: Hercules ultor perfidorum, aut ita media sit fides, ego gaudeo eum. s. filium tuum. esse ea opinione. i. in ea æstimatione hominum aut in eo proposito iuuandæ reipubli. & . i. simul causa tua, qui pater eius es, & ita illius gloria in te redundat. & ipsius s. filii tui, qui ex bono studio, & bona æstimatione fructum aliquando consequatur. & in primis. i. præcipue (quod amanter dicit) causa mea. Enim: idest qui quia natus est ex te, & dignus te. s. patre, est mihi loco fratris. frater autem dicitur fere alter, quasi inter se coniunctiores sint fratres quam pater, & filius. Pergæ, quæ est ciuitas Pamphyliæ.

VICTORIVS.

MVlto parcius scripsi. mirari noli} Nonnulli hic plura uerba inculcant, quæ tradunt in manu scripto codice se inuenisse. de quorum fide non dubito: uidendum tamen est, an nouæ sint, & ab aliquo appositæ, quod quidem ego facile credo. nã durinsculus in illis sermo est, neque satis concinnus. Existimarunt fortasse imperiti aliqui homines elegantem locutionẽ, }Mirari noli} sine illis mancam esse, ideoq; quod deesse crediderunt, restituere. Mirari autem noli, arbitror hic dictum, ut in epistola ad Sulpitium, Noli quærere. Nihil tamen de hac re statuimus. Quid suspicaremur solum enunciare uolumus: multæ huiusmodi maculæ sunt in impressis libris, quorum maior pars ab aliquo manu scripto fluxit. Accepi postea a doctis uiris, qui summo studio has epistolas cum manu scriptis sex septemue exẽplaribus contulerunt, in nullo eorũ aliter atque in Mediceo legi{Sed πατρίδ᾽ ἐμὴν μᾶλλον φιλῶ. Nõ sunt hæc græca uerba a Lentulo ipso composita, sed sumpta e Tragœdia. priscis autem temporibus illa propter sententiæ grauitatem ualde celebrabantur, nam a Plutarcho etiam in commentario, quo præcepta dat ad Rempubli. administrandam multa citantur: εἰ γάρ ὦ[illegible] φρόνημα τῷ μεγάλῳ τὶ ἀνταφωνῖσαι, φιλῶ τέκν᾽ ἀλλά πατρίδ᾽ ἐμὴν μᾶλλον φιλῶ, πῶς οὐκ &c. Nec tamen author eorum adducitur. Ego sane uersiculos ipsos in his, quæ conseruatæ sunt, Tragœdiis me legisse nõ memini. Huiusmodi sane multas grãdes, generosasq; sentẽtias pronunciari facit Euripides a Praxithea Erechthei regis uxore, quæ libens, uolensq; filiam suam pro salute

Athenarum morti obtulit. Cum autē Tragœdia ipsa, in qua erant, perierit, leguntur apud Lycurgum acerbum illum accusatorem in oratione, quam scripsit contra Leocratem. quanuis in uersiculis ipsis, qui plurimi sunt, Praxithea ostendat, se unam tantum filiam ad supplicium tradere: Cic. autem in prima quæstione Tusculana, & in oratione quoque pro P. Sestio narrat plures Erechthei regis filias cupide mortem pro uita ciuium oppetisse.

PAVL. MANV. Quam uera furere eos inueni, quod uero aliquid de his scripsi) Totum hoc non erat in impressis, præterquā in uno, quem Robertus Stephanus Typographus Parisiensis diligentissimus ediderat. quem ego secutus, omnes illas uoces addidi septimum adhinc annum, eas nunc in uetusto codice Vincentii Riccii esse uideo.

SEBAS. CORR. Lentulus} Epistola sequenti. {Conuenissem} in Macedonia. {Mei laboris} Quæsturæ. {Amplius quam} Al. ampliusq;. {Cum Antoniis} M. & L. Antoniis. nā C. Antonius tertius frater in Macedonia a M. Bruto captus fuerat. {Et quidem multo parcius scripsi} Al. equidem multo apertius scripsi. {Mouerunt} necessarium uerbum & si in antiquis libris non legitur. {In nostram salutem} Al. in nostra salute. {Tum fugiente} ex Pharsalico prælio. {Patrem meum} P. Lentulum Spintherem. {L. Lentulum} qui cum C. Maccello superiore anno Cos. fuerat. {Non receperunt} eadem scribit Cæsar lib. III. de bello ciuili. {Magistratum gerunt} Rhodi {Et prauitate} Al. in prauitate. {Quando Coss.} Hirtio, & Pansa. {Decreta est Asia} Cui, mortuo Thebonio, nullius præfectus fuerat. {In magistratu} in Consulatu, quo defuncti alii solent in prouincias Procos. ire {Prædicasti} Philippica. XI. {Male acceptus} ab iis, qui custodiebant urbem, quanuis Cassius abesset. Epist. sequēti. {Ilius facti} Cæsaris cædis, in qua hic Lentulus falso se Bruti & Cassii socium fuisse gloriabatur. {Leges} Alii reponunt regiones. πατρίδ' ἐμὴν μᾶλλον φιλῶν.} patriam meam magis amans. {Omnibus meis} Dolabellæ, & Antoniis. {Filium tuum.} Episto. XXI. lib. XVI. Pergæ} Ply. lib. V. cap. XXVII.

BERN. RVTI. Perseuerantia in contentione optimi cuiusq;} contemptione, scribi debuit. {Primus enim ego leges Antonianas fregi} Quid si: legiones?

PHIL. MEL. Cum Brutum} Narratio de studio suo, de persequendo Dolabella, & de Rhodiorum improbitate. {De nostra dignitate} Commendatio suæ dignitatis. }Ego me de republica} Congeries, & amplificatio suorum beneficiorum. {Atq; hæc omnia} Affectus. {Hæc si adhuc} amplificatio ex consequentibus. f. quià non sit debitus fructus, seu merces consecuta.

GIBERTI LONG. LEMMA.

De Dolabellæ improbitate & gestis, hac quoque epistola, ut in superiore agitur.

P. LENTVLVS P. F. PROQVÆS. PROPRÆT. S. D. COSS. PRÆT. TRIB. PLEB. SENATVI, POPVLO. PLEBIQVE ROM.

Si Valetis, liberiq; uestri ualent, bene est: ego quoque ualeo. Scelere Dolabellæ oppressa Asia, in proximam prouinciam Macedoniam, præsidiaq; Reipub. quæ M. Bru. uir clarissimus tenebat, me contuli, & id egi, ut, per quos celerrime posset, Asia prouincia, uectigaliaq; in uestram potestatem redigerentur. quod cum pertimuisset Dolabella, & uastata prouincia, correptis uectigalibus, præcipue ciuibus Romanis omnibus crudelissime denudatis, ac diuenditis, celerius Asia excessisset, quam eo præsidium adduci potuisset: diutius morari, aut expectare præsidium non necesse habui: & quamprimum ad meum officium reuertendum mihi esse existimaui, ut & reliqua uectigalia exigerem, & quam deposui, pecuniam colligerem: quicquid ex ea correptum esset, aut quorum id culpa accidisset, cognoscerem quamprimum, & uos de omni re facerem certiores. interim cum per insulas in Asiam nauiganti mihi nunciatum esset, classem Dolabellæ in Lycia esse, Rhodiosq; naueis complureis instructas, & paratas in aqua habere: cum iis nauibus, quas aut mecum adduxeram, aut comparauerat Patiscus Proquæs. homo mihi cum familiaritate, tum etiam sensibus in Rep. coniunctissimus, Rhodum reuerti, confisus authoritate uestra Senatusq; consulto, quo hostem Dolabellam iudicaratis, fœdere quoque, quod cum his M. Marcello & S. Sulpitio Coss. rgnouatum erat, quo iurauerant Rhodij eosdem hosteis se habituros, quos Senatus, populusq; R. quæ res nos uehementer fefellit: tantum enim abfuit, ut illorum præsidio nostram firmaremus classem, ut etiam à Rhodijs, urbe, portu, statione, quæ extra urbem est, cōmeatu, aqua denique prohiberentur nostri milites: nos uix ipsi singuli cum nauigiolis reciperemur. quā indignitatem, diminutionemq; maiestatis non solum iuris nostri, sed etiam imperii, populiq; R. idcirco tulimus, q. interceptis literis cognoramus, Dolabellam, si desperasset de Syria, Aegyptoq;, quod necesse erat fieri, in naueis cū omnibus suis latronibus, atque omni pecunia conscendere esse paratum, Italiamq; petere: idcirco etiam naueis onerarias, quarum minor nulla erat duum millium amphorarum, contractas in Lycia a classe eius obsideri. huius rei timore P. C. percitus, iniurias perpeti, & cum contumelia etiam nostra omnia prius experiri malui. itaque ad illorum uoluntatem introductus in urbem, & in Senatum eorum, quàm diligentissime potui causam Reip. egi: periculumq; omne, quod instaret, si ille latro cum omnibus suis naueis conscendisset, exposui. Rhodios autem tāta in prauitate animaduerti, ut omneis firmiores putarent, quàm bonos, ut hanc concordiam, & conspirationem omnium ordinum ad defendendam libertatem propense non crederent esse factam: ut patientiam Senatus, & optimi cuiusque manere etiam nunc confiderent, nec potuisse audere quenquam Dolabellam hostem iudicare: ut denique omnia, quæ improbi fingebant, magis uera existimarent, quam quæ uere facta erant, & à nobis docebantur. qua mente etiam ante nostrum aduentum, post Trebonij indignissimam cædem, cæteraq; tot, tamq; nefaria facinora, binæ profectæ erant ad Dolabellam legationes eorum, & quidem nouo exemplo, contra leges ipsorum, prohibentibus iis: qui tum magistratus gerebant. hæc siue timore, ut dictitant, de agris, quos in continenti habent, siue furore, siue potentia paucorum, qui & antea pari contumelia uiros clarissimos affecerant & nunc maximos magistratus gerentes: nullo exēplo, neque uestra ex parte, neque nostra præsentiū, neque imminenti Italiæ, urbiq; nostræ periculo, si ille parricida cum suis latronibus, nauibus, ex Asia, Syriaq; expulsus, Italiam petiisset, mederi, cum facile possent, uoluerunt. nonnullis etiā ipsi magistratus ueniebant in suspicionem detinuisse nos, & demorati esse, dum classis Dolabellæ certior fieret de aduentu nostro. quam suspicionem consecutæ res aliquot auxerunt, maximeq. subito ex Lycia Sex. Marius, & C. Titius legati Dolabellæ à classe discesserunt, nauiq; longa profugerunt, onerariis relictis, in quibus colligendis non minimum temporis, laborisq;* consumpserunt. itaque cum a Rhodo cum iis, quas habueramus, nauibus in Lyciam uenissemus, naueis onerarias recepimus, dominisq; restituimus. iidemq;, quod maxime uerebamur, ne posset Dolabella cum suis latronibus in Italiam uenire, timere desiimus; classem fugientem persecuti sumus usque Sydam, quæ extrema regio est prouinciæ meæ. ibi cognoui partem nauium Dolabellæ diffugisse, reliquas Syriam* Cyprumq; petiisse. quibus disiectis, cum scirem C. Cassii, singularis ciuis, & ducis classem maximam fore præstò in Syria: ad meum officium reuerti. daboq; operam, ut meum studium, & diligentiam uobis P. C. Reipub. præstem, pecuniamq;. quam maximam potero, et quam celerrime, cogam, omnibusq; cum rationibus ad uos mittam. si percurrero prouinciā, cognouero, qui nobis, & Reipub. fidem præstiterunt in conseruanda pecunia à me deposita, quiq; scelere ultro deferentes pecuniam publicam, hoc munere societatem facinorum cum Dolabella inierunt, faciam uos certiores. de quibus, si

*al. l. Gerebant. hac.

*al. l. Cōsumpserant.

*a. Aegyptūq; pet

nobis uidebitur, si, ut meriti sunt, grauiter constitueritis, nosq; ue stra authoritate firmaueritis: facillius & reliqua exigere uectiga lia, & exacta seruare poterimus. interea quo commodius uectiga lia tueri, prouinciamq; ab iniuria defendere possim: præsidiũ necessarium, uoluntariumq; comparaui. His literis scriptis, milites circiter XXX. quos Dolabella ex Asia conscripserat, è Syria fugientes in Pamphyliam uenerunt, Dolabellam Antiochiam, quæ in Syria est, uenisse, non receptum: conatum esse aliquoties ui introire, repulsum semper esse cum magno suo detrimento: itaque centum circiter amißis, ægrisq; compluribus relictis, noctu Antiochia profugisse Laodiceam uersus: ea nocte omneis ferè Asiaticos milites ab eo discessisse: ex his ad octingentos Anthiochiam rediisse, & se iis tradidisse, qui à Cassio relicti, urbi illi præerant, cæteros per Amanũ in Ciliciam descendisse: quo ex numero se quoque esse dicebant: Cassium autem cum suis omnibus copijs nuntiatum esse quatridui iter à Laodicea abfuisse tum, cum Dolabella eò tenderet. quamobrem opinione celerius confido sceleratissimum latronem pœnas daturum. IIII. Non. Iun. Pergæ.

ASCENSIVS.

SI Valetis &c. Scribit eodem argumento fere hanc epistolam publice, quo superiorem scripserat ad Ciceronẽ, nisi quod cum Dolabella inuasisset Asiam, eamq; uastasset, & ciues Romanos spoliasset: & uenditis spoliis celerius decessisset ex Asia, quam præsidiũ in eam adduci potuisset, dicit non putasse sibi præsidium mittendum a Bruto. omnem autem diligentiam facere, & fecisse ad inquirendum scelus Dolabellæ. Ordo est: Si o Patres Conscripti, & popule Roma. ualetis, & liberi uestri ualent, bene est: ego ualeo. Asia oppressa. i. cum Asia esset oppressa scelere Dolabellæ, contuli me, & præsidia reipublicæ quæ Marcus Brutus uir clarus tenebat, in prouinciam proximam: uidelicet Macedoniam, & egi: idest effeci id: ut Asia prouincia, & uectigalia: scilicet Asiæ, redigerentur in potestatem uestram: supple per eos pes quos possent redigi, celerrime. Quod cum Dolabella timuisset: scilicet me facturum. prouincia uastata, uectigalibus: idest pẽsionibus publicis correptis: idest simul raptis, omnibus ciuibus, præcipue Romanis, denudatis, ac diuenditis crudelissime, q; pro & excessisset Asia celerius, quã præsidium potuisset adduci eo, non habui necesse morari, aut expectare præsidium diutius, & existimaui: idest iudicaui, reuertendum esse mihi ad officium meum, quamprimum: idest ualde cito, ut &: idest simul. exigerem pecuniam, quam deposueram, & supple ut cognoscerem quicquid esset correptum ex ea: scilicet pecunia deposita, aut quorum culpa id accidisset, & ut facerem uos certiores quamprimum: idest ualde cito, de omni re. Interim cum nunciatum esset mihi nauiganti in Asiam, classem Dolabellæ esse in Lycia, & Rhodios habere naues complures instructas, & paratas in aqua: idest super aquam. reuerti Rhodum cum his nauibus, quas aut adduxerã mecum, aut Patiscus Proquæstor homo coniunctissimus mihi. cum: scilicet ita sit quod familiaritate, tum etiam sensibus: idest consensu in Repu. comparauerat, idest acquisiuerat, reuerti inquam Rhodum, confisus authoritate uestra, & Senatusconsulto, quo iudicaratis Dolabellam hostem, confisus quoque fœdere, quod renouatum erat Marco Marcello, & Ser. Sulpitio Coss. cum iis: scilicet Rhodiis. quo scilicet fœdere Rhodii iurauerant se habituros eosdem hostes, quos Senatus populusq; Romanus. Quæ res fefellit nos uehementer. Tantum enim abfuit: ut firmaremus classem nostram præsidio eorum: ut etiam milites nostri prohiberẽtur a Rhodus urbe: idest ingressu urbis. portu: scilicet diuturno. statione: idest loco, ubi ad tempus possent stare in nauibus. commeatu: idest uictualibus. denique aqua, scilicet dulci, aut omni communione. & nosipsi, scilicet duces uix reciperemur cum singulis nauigiolis. i. paruis nauigiis. Quam indignitatem: que: pro &. diminutionem maiestatis, non solum iuris nostri, sed etiam imperii, & Popu. Romant. nos tulimus: idest tolerauimus idcirco, quod cognoramus: pro cognoueramus. literis interceptis: idest per literas a Dolabella missas interceptas a nostris, Dolabellam si disperasset de Syria, & Aegypto, scilicet retinendis. quod erat necesse fieri: quia potentior erat in Syria Cassius, paratum esse conscendere in naues cum omnibus latronibus suis, atque omni pecunia: scilicet surrepta, & petere Italiam. Et cognoueramus idcirco etiam naues onerarias: quarũ nulla erat minor duum millium amphorarum: idest quæ non caperet minus bis mille amphoras. contractas: idest in unum locum tractas, obsideri in Lyciã classe eius. o Patres Conscripti. ego perctus timore huius rei, ne: scilicet in Italia traiiceret: malui perpeti iniurias, & experiri prius omnia, etiam cum contumelia nostra. Itaq; ego introductus ad uoluntatem eorum: scilicet Rhodiorũ in urbem; scilicet Rhodum, & in Senatum eorum, egi quam potui diligẽtissime causam Reipub. & exposui omne periculum quod instaret, si ille: scilicet latro Dolabella cõscendisset naues cum suis. Autem: idest sed, ego animaduerti Rhodios in tanta prauitate: idest peruersitate: ut putarent omnes: scilicet alios: esse firmiores: scilicet in defendenda causa sua, quam bonos: idest Reip. fautores. ut non crederent hanc concordiam, & conspirationem omnium ordinum esse factam propense: idest affectantes, & ea inclinatione animi, ad defendendam libertatem, ut confiderent patientiam: idest tolerantiam Senatus, & optimi cuiusque: idest omnis boni, manere etiam nunc: idest in eum usque diem. nec quenquam potuisse audere iudicare Dolabellam hostem. Deniq; animaduerti Rhodios tanta prauitate: ut existimarent omnia, quæ improbi fingebant: supple esse magis uera, quam quæ erant uere facta, & quæ dicebantur a nobis. Qua mente: idest affectione, uolũtate, binæ legationes eorum profectæ erant ad Dolabellam etiam ante aduentum nostrum, post indignissimam cædem Trebonii, & cætera tot, & tam nefanda facinora. & quidem idest certe, legationes erant profectæ nouo: idest insolito exemplo, quia contra leges ipsorum, prohibentibus iis, qui gerebant tum. i. tunc, magistratus: scilicet Rhodios. Hæc: supple fecerunt: siue timore (ut dictitant) de agris: idest propter agros, quos habent in continenti: idest terra partim mari septa, partim se cum alia terra tenenti, timebant autem ne uastarentur a Dolabella, siue furore, quo correpti nesciunt quid faciant. siue impotentia: idest superbia, & insolentia paucorum: dicuntur autem impotẽtes, qui iræ, & animo suo moderari nequeunt. qui affecerant antea pari contumelia, qua. s. nunc nos afficiunt, uiros clarissimos: scilicet patrem Lentuli, Pompeium, & Lucium Lentulum. & nunc: supple afficiunt gerentes maximos magistratus uidelicet nos Proconsules Romanos. nullo exẽplo sumpto: scilicet ab aliis. neq; ex parte nostra, quod abestis, neq; nostra, scilicet ex parte, præsentium: idest qui præsentes sumus. Neque uoluerunt, cum possent facile mederi, idest remedium facere, periculo imminenti Italiæ, & urbi nostræ. si ille patricida: scilicet Dolabella expulsus ex Asia, & Syria, petiisset nauibus cũ suis latronibus Italiam. Ipsi etiam magistratus, scilicet Rhodii: qui uidebantur in aliis fauere nobis, ueniebant nonnullis in suspicionem detinuisse nos, & esse demorati nos, scilicet donec classis Dolabellæ fieret certior de aduentu nostro. Quam suspicionem res aliquot consecutæ. i. quæ secutæ sunt, auxerunt, maxime quod Sextus Marcius & C Titius, legati Dolabellæ, discesserunt, subito ex Lycia a classe, & profugerunt naui lõga, onerariis. s. nauibus relictis in quibus. s. nauibus onerariis colligendis ipsi consumpserunt. s. prius, nõ minimum immo plurimum temporis & laboris. Itaq; cum uenissemus a Rhodo in Lyciam cum iis nauibus quas habueramus, nos recepimus naues onerarias, quia derelictas, & restituimus dominis, a quibus illas abstulerant. Itemq; idest similiter nos desiimus timere quod uerebamur maxime. s. priusquam onerarias recepissemus, ne Dolabella posset uenire in Italiam cum latronibus suis nos persecuti sumus classem, scilicet Dolabellæ, fugientem usque in Sydã, quæ regio est, Lyciæ. s. extrema prouinciæ meæ. Ibi cognoui partẽ nauium. Dolabellæ diffugisse, reliquas petisse, scilicet consilio, Syriam & Aegyptum. Quibus disiectis cum scirem classem Caii Cassii singularis eius & ducis, maximam fore præsto. i. paratam sup. proficiscenti in Syriam, reuerti, idest redii ad officium meũ, scilicet tutandæ prouinciæ. Et dabo operam o P. C i. Patres Conscripti ut præstem studium meum sup. & diligentiam uobis & Reip. & cogã. i. congregabo, pecuniam quam potero maximam & quam celerrime sup. potero, aut & ualde celeriter, & mittam ad uos omnibus rationibus. i. uiis & mediis: si percurrero prouinciam, & cognouero, qui præstiterunt fidem uobis, & Reip. in conseruanda pecunia deposita a me, quiq;. i. & qui deferentes. s ad Dolabellam ultro scelere. i. per scelus pecuniam publicam. i. Reip. inierunt. i contraxerunt societatem. i. participationem facinorum, cum Dolabella hoc munere. i. dono pecuniæ publicæ. De quibus si uidebitur uobis. s. utile, si constitueritis. i. iudicaueritis animaduertendum, grauiter, idest acerbe ut meriti sunt, & firmaueritis. i. corroboraueritis nos authoritate uestra, nos poterimus facilius, & idest simul, exigere uectigalia reliqua. i. nondum recepta, & poterimus seruare exacta, ne. s. alteri dentur quam a Rep. misso. Ego comparaui, idest accumulaui, præsidium necessarium, quia sacramento astrictum aut stipendio obnoxium, & uoluntarium: idest eos qui sponte obtulerunt, quo possimus commodius tueri. i. conseruare interea uectigalia. s. publica, & defendere prouinciã ab iniuria. His literis scriptis. i. postquã literæ erant scriptæ. sed nondum signatæ, milites circiter triginta quos Dolabella ex Asia conscripserat, fugientes e Syria, uenerunt in Pamphyliam. Hi scilicet milites nuntiauerunt Dolabellam uenisse Antiochiam, quæ: scilicet urbs est in Syria. non receptum. s. in eam urbem, conatum esse aliquoties introire, ui. i. per uim ac uiolentiam, & sup. repulsum esse semper cum magno detrimento. i. dãno ac deterioratione sua, hoc est suarum copiarum. quia semp multos e suis amisit. Itaq; supple nunciarunt eum hoc est Do. amissis, scilicet militibus circiter centum, & ægris. s. aliis relictis, profugisse noctu Antiochia uersus Laodiceam. Et supple nuntiauerunt fere

omnes

omnes milites Asiaticos discessisse ab ea nocte.s. qua aufugit, & octingentos e his.s. Asiaticis rediisse Antiochiam, & tradidisse se supple ius qui relicti a Cassio, præerant illi urbi.s. Antiochiæ aus tradidisse se Cassio, qui relicti &c. sed id minus placet: non enim ue so simile est, transfugis urbem reiectam esse. Et sup. nunciauerunt, cæteros.s. Dolabellæ milites descendisse in Ciliciam per Amanū, scilicet montem intermedium, ex quo numero.s. cæterorum dicebant se quoq; esse Autem.i. sed, nunciatum est: scilicet ab aliis, Cassium; abfuisse iter.i. per spatium itineris, quatriduí.i. quod quatuor diebus fieri solet, a Laodicēsi: scilicet urbe cō omnibus copiis suis, sup. tunc cum Dolabella tenderet eo i. ad eam urbem. Quamobrē ego confido latronem sceleratissimum.s. Dolabellam, daturum pœnas.s. sceleratum suorum, celerius opinione.i. quam opinari potest. Datum sup. aut scriptum Pergæ, quarto nonas Iunii.

VICTORIVS. Duum millium amphorarum} Nos ut habent prisca exēplaria {Amphorum} scripsimus. Græco autem more est recto ἀμφορεῦς, secundo multitudinis casu amphorū inclinauit.

SEBAS. CORR. P}P. Lentuli, Spintheris, qui Ciceronem restituit, filius. {Brutus V.C.} Brutus uir clarissimus. {Ac diuenditis} ac diuexatis, magis placet, si modo fideliter a nonnullis reponitur. {Patiscus} qui & ipse gloriabatur, se unum ex Cæsaris interfectoribus fuisse. {Iudicaratis} post C. Trebonii cædē. {Aegypto} Epist. II huius libri. {Amphorarum} Al. amphorum. {Docebantur} Al. dicebantur. {Hæc siue timore} Al. hæc siue timor est: & mox, siue furor est. Sed nisi legas, nec siue timore, & in fine periodi, uoluerunt, Latinam elegantiam desideres necesse est. {Affecerant} Superiore epistola. {Gerentes} ut uos. {Præsentium} Al. præcepto. {Ille parricida} Dolabella. {Fore præsto in Syria} Sic nos correximus io Quæstura.

BERN. RVTI. Quæ M. Brutus. V.C. tenebat} uir clarissimus, notæ ex significatione Probo: quamuis in aliis codicibus falso, uester Consul, sit extēsum. {Correctis uectigalibus} Correptis, in aliis exemplaribus & interpreti, rectius. infra. Et quam deposui pecuniam colligerem, quicquid ex ea correptum esset. {Siue parentia paucorum} Potentia, scribo, nam & superiori epistola, Nec tamen, inquit, omnes perditos esse puto. Sed iidem illi, qui tum fugiētem patrem meum, qui L. Lentulum, qui Pompeium, qui cæteros uiros clarissimos non receperunt: iidem tanquā aliquo fato & nūc aut magistratu, in sua habent potestate {Neq; uestra ex parte, neq; nostro præsentium, &c.} Quid sit? neque ulla ex parte, & cætc. Nā in aliis, est, neque nostra ex parte, quod nihil aliud, quam mandatū uel nostrum significare potest, quod nescio quam Latine dici potuerit. Hic est opinor, Lentulus P. Lentuli eius, ad quem sunt libro primo Ciceronis epistolæ, filius, qui se temere conspirationis in cæde Iulii Cæsaris socium asserens, quod superiori quoque epist. fecit, demum ab Antonio & Augusto cæsus est. author Plutarchus in Cæsare, Appianusq;.

PHIL. MEL. Si uos liberiq;} Narratio. {Correptis uectigalibus} sublatis, interceptis fraude.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Laus est Ciceronis filii, & gratulatur patri de tali filio, & studioso, & moribus honestis prædito. in fine epistolæ dicit se uersus quosdam in Cæsarem scripsisse, more Lucilii.

C. TREBONIVS. M. T. C. S. 16

SI uales bene est: ego quidem ualeo. Athenas ueni ad XI. Calend. Iun. atque ibi, quod maxime optabam, uidi filium tuum deditum optimis studijs, summaq; modestiæ fama. qua ex re quantam uoluptatem ceperim, scire potes, etiam me tacente, non enim nescis quanti te faciā, & quam pro nostro ueterrimo uerissimoq; amore omnibus tuis etiam minimis commodis, non modo tanto bono, gaudeā. noli putare mi Cicero, me hoc auribus tuis dare: nihil adolescente tuo, atque adeo nostro (nihil enim mihi à te potest esse seiunctum) aut amabilius omnibus iis, qui Athenis sunt est, aut studiosius earum artium, quas tu maxime amas, hoc est optimarum. itaque tibi, quod uere facere possum, libenter quoque gratulor, nec minus etiam nobis, quod eum, quem necesse erat diligere, qualiscunque esset, talem habemus, ut libenter quoque diligamus. qui cum mihi in sermone iniecisset se uelle Asiam uisere: non modo inuitatus, sed etiam rogatus est à me, ut id, potissimum nobis obtinentibus prouinciam, faceret. cui nos & charitate, & amore tuum officium præstaturos nō debes dubitare. illud quoque erit nobis curæ, ut Cratippus unà cum eo sit, ne putes in Asia feriatum illum ab iis studiis in quæ tua cohortatione incitatur, futurum: nam illum, paratum ut uideo, & ingressum pleno gradu cohortari non intermittemus, quo in dies longius discendo, exercendoq; se, procedat. Vos quid ageretis in repub. cum has literas dabam, non sciebam. audiebam quædam turbulenta, quæ scilicet cupio esse falsa, ut aliquando otiosa libertate fruamur: quod uel minime adhuc mihi contigit. ego tamen nactus in nauigatione nostra pusillum laxamenti, concinnaui tibi munusculum ex instituto meo, & dictum: cum magno nostro honore à te dictum conclusi, & tibi infra subscripsi. in quibus uersiculis si tibi quibusdam uerbis εὐθυρρημονέστερος uidebor: turpitudo personæ eius. in quam liberius inuehimur, nos uindicabit. ignosces ēt iracundiæ nostræ quæ iusta est in eiusmodi & homines & ciueis. deinde qui magis hoc Lucilio licuerit assumere libertatis, quàm nobis? cum ēt si odio pari fuerit in eos, quos læsit, tamen certe non magis dignos habuerit, in quos tanta libertate uerborū incurreret. tu, sicut mihi pollicitus es, adiunges me quāprimum ad tuos sermones, nāque illud nō dubito, quin, siquid de interitu Cæsaris scribas, nō patiaris me minimā partē & rei, & amoris tui ferre: Vale, & matrem, meosq; tibi commendatos habe. D. VIII. Cal. Iun. Athenis.

ASCENSIVS. SI uales &c. Trebonius post cædem Cæsaris ex decreto Asiam petens, uidit Athenis Ciceronem Ciceronis filium philosophantem sub Cratippo, ut in principio officiorum meminit Cicero. Eum ergo sibi uisum laudat, dicitq; inuitasse ad Asiam secum uisendam, tum dicit se audisse turbulenta ad urbem, seq; inuectum in Cæsarē. Ordo est. Si uales bene est, ego ueni Athenas ad undecimum. Calend. Iunii, atque, quod optabam maxime, ibi uidi filium tuum. s. Marcum Ciceronem, deditum optimis studiis, & summa famæ modestiæ: idest moderatæ uitæ. Qua ex re tu potes scire, etiam me tacente, quantam uoluptatem ceperim; Non enim nescis: idest quia bene scis, quanti faciam: idest æstimem te, & quam, idest quantum. gaudeam pro nostro ueterrimo & uerissimo amore, idest propter uetustissimum & uerissimum amorem nostrum. Quod nunc dicitur uetus, olim dicebatur ueter, quo circa in ablatiuo proprie tantum facit uetere, & in plurali uetera, unde etiam superlatiuum ueterrimus, omnibus commodis tuis etiam minimis non modo: idest nedum tanto bono, quātum est habere filium talem. Vbi notandum nos etiam alienis gaudere bonis præsertim dum ea nostra censemus, o Cicero noli putare me dare hoc auribus tuis, idest tibi blandiri dicendo quod libenter audias. Nihil est aut amabilius omnibus iis, qui sunt Athenis, aut studiosius earum artium quas amas maxime, hoc est optimarum, adolescente tuo atque adeo, idest omnino nostro, idest nobis communi. Nihil enim potest esse seiunctū: idest diuisum mihi a te, quia amicorum omnia sunt communia. itaque quod possum facere uere, gratulor quoque, idest etiam libenter tibi, nec etiam minus gratulor nobis. s. ambobus, quod habemus eum. s. filium tuum, quem necesse erat diligere qualiscunque esset, habemus dico talem, ut diligamus quoque, idest etiam libenter. Qui cum iniecisset mihi in sermone. i. inter loquendum dixisset se uelle uisere Asiam, nō modo inuitatus, sed etiam rogatus est a me ut faceret id, potissimum nobis obtinentibus prouinciam, scilicet Asiam. Cui non debes dubitare nos præstaturos & charitate & amore officium tuum, idest paternum. Illud quoque erit nobis curæ, ut Cratippus: scilicet præceptor eius sit una, idest simul, cum eo, ne putes illum futurum feriatum, idest otiosum in Asia, in iis studiis in: idest ad quæ, incitatur cohortatione tua. Nam nos non intermittemus cohortari illum paratū ut uideo, & ingressum: scilicet ad dicta studia pleno gressu: idest qui tam multum processit aut profecit, quo. i. ut procedat in dies longius, discēdo & exercendo se. Ego non sciebam, quid uos ageretis in Republi. cum dabam has literas. Ego audiebam quædam turbulenta, quæ. s. cupio esse falsa, ut fruamur aliquando, idest tandem libertate otiosa, idest sine negotio belli, quod contigit mihi adhuc uel: idest etiā minime. Ego tamen nactus in nauigatione nostra: idest dum essem in naui, pusillum: idest modicum. laxamenti, idest recreationis & relaxationis, concinnaui: idest composui tibi: idest ad honorem tuū, munusculum: idest paruum munus literarum: scilicet ex instituto: idest more & studio meo, & conclusi, idest in fine posui, dictum. i. elegans uerbum, dictum, idest pronuntiatum a te, cum magno honore nostro, & subscripsi, idest assensum præbui tibi infra. i. ab infe-

riori parte, hoc est subsequenter. In quibus uerbis si uideor tibi ἀσχημονέστερος: idest inuerecundior aut turpior nam ἀσχήμων dicitur turpis, ἀσχήμων inuerecundus aut turpis. turpitodo personæ in quam inuehimur liberius: idest nimis libere. uindicabit nos, scilicet a reprehensione digna Tu ignosces etiam iracundiæ nostræ, quæ iusta est in eiuscemodi & homines & ciues, deinde quid, idest cur, nisi est legendum qui, licuerit magis Lucilio. s. Satyrico, assumere hoc libertatis ut aperte uitiosos taxet, cum etiam si: idest quamuis fuerit par. i. æqualis mihi supple odio in eos quos læsit, tamen certe non habuit magis dignos, in quos incurreret tanta libertate uerborum sup. quam ego, tu adiunges me quam primum. i. ualde cito ad sermones tuos. i. ad scripta tua sicut pollicitus es mihi. Namque ego non dubito illud, quin si quid scribas de interitu Cæsaris, non patiaris me ferre minimam partem, & rei, idest facti, uidelicet cædis Cæ & amoris tui Vale. & habe matrem & meos, scilicet domesticos, commendatos tibi. Data &c.

VICTORIUS. Ἀσχημονέστερος (Cuncti ueteres libri ὀυῤῥημονέστερος a uerbo, quo ad Pætum scribens utitur, ὀυῤῥήμων secunda collatione: idest aliquantulum in uerbis liberior, & rem ipsam nulla circumscriptione quasi rectis uerbis describens. quod cum licentiam quandam primo præ se ferat, nonnullis reprehendendum uidetur, etsi Stoicorum erat præceptum, ut eorum sapiens sic loquetetur ἀσχημονέστερος enim, idest deformior, & turpior, fœdã potius corporis effigiem declarat.

SEBAS. CORR. C. Trebonius) epist 28. lib. 10. {Athenas ueni} post Cæs. mortem. {Cratippus} illius præceptor: quem philosophorum illius ætatis principem, libro primo de Officijs Cice. appellauit. Episto. XXI. lib. XVI. {Ageteris} Al. egeritis. { ἀσχημονέστερος } Turpior, sed uera lectio est, ὀυῤῥημονέστερος, rectiloquẽtior, hoc est, liberior in loquendo, ut episto. XXII. lib. VIIII. Cicero disputauit. {Personæ eius} fortasse Antonii, qui Cæsaris interfectores, atque adeo ipsum Trebonium, cuius beneficio uiueret, persequebatur. hinc iracundiæ iustæ ignoscendum esse dicit. {Lucilio} poetæ. {In eos} Turbulum, Mutinum, Lupum, Carbonem, & Lupathum. {Meosq;} Al. fratresq; meos.

PHIL. MELS. Athenas ueni {Est epistola gratulatoria. { Quæ ex re} Propositio. {Non enim} Ratio. { Noli putare } Amplificatio studiorum adolescentis. {Itaque tibi} Conclusio. {Qui cũ mihi} Narratio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Exponit Cornificio, quid Cæsar, quidque ipse in otio agat. Petitque ut edito commentario de optimo genere dicendi faueat.

M. T. CICERO Q. CORNIFICIO COLLEGÆ, 17

Grata mihi uehementer est memoria nostri tua quam significasti literis, quam ut conserues, non quo de tua constantia dubitem, sed quia mos est ita rogandi, rogo. Ex Syria nobis tumultuosiora quædam nuntiata sunt: quæ, quia tibi sunt propiora, quã nobis, tua me causa magis mouent, quam mea. Romæ summum otium est: sed ita ut malis salubre aliquod & honestum negotium: quod spero fore, quia uideo id curæ esse Cæsari. Me scito, dum tu absis, quasi occasionem quandam, & licentiam nactum scribere audacius, & cætera quidem fortasse, quæ etiam tu concederes: sed proxime scripsi de optimo genere dicendi: quo sæpe suspicatus sum te à iudicio nostro, sic scilicet, ut doctum hominem à non indocto, paululum dissidere. huic tu libro maxime uelim ex animo, si minus, gratiæ causa suffragere. dicam tuis, ut etiam, si uelint, describant, ad teq; mittant: puto enim, etiam si rem minus probabis, tamen in ista solitudine, quicquid à me profectum sit, iucundum tibi fore. Quòd mihi existimationem tuam, dignitatemq; cõmendas: facis tu quidem omnium more: sed uelim sic existimes, me cum amori, quem inter nos mutuum esse intelligam, plurimum tribuere, tum de summo ingenio, & de optimis tuis studiis, & de spe amplißimæ dignitatis ita iudicare, ut neminem tibi anteponam, comparem paucos. Vale.

ASCENSIUS. Grata &c. Cæsare rerum potito, Cornificius uir in poetica clarus Libyæ præpositus, illi etiam post necem Cæs. præfuit, qui cum scripsisset ad Cic. rescribit Cic. sibi gratum esse quod sui memorem noscat, timuisse illi tumultum ortum in Syria, otium honestum esse Romæ, seque scripsisse de optimo genere dicendi, quod ut laudet eius ingenium miratur. Ordo est. Memoria tua nostri. i. qua habes de nobis, est mihi grata uehementer. quam. s. memoriã significasti literis, quam rogo ut conserues. Non quod i. quia dubitem de constantia tua, sed quia mos est rogandi ita. Quædam sunt nuntiata nobis ex Syria tumultuosiora. s. quam uelimus, aut aliquantulum tumultuosa, quæ quia sunt propiora i. uiciniora tibi quam nobis, mouent. i. timore afficiunt, me magis causa tua quam mea. Summum otium est Romæ, sed ita ut malis, idest magis uelis aliquod negotium salubre. s. patriæ & honestum, quod spero fore. i. futurum breui, quia uideo. i. cõsidero id esse Cæsari. s. Iulii curæ Scito me dum. i. interea dum tu absis. s. ab urbe, quasi nactum occasionem quandã & licentiam scribere audacius quam. s. si adesses, unde innuit se eũ uereri, docuerat enim Cornificius publice literas, & sunt qui eius putent ad Herennium libros rhetoricorum, qui Ciceroni ascribuntur, & quidem fortasse, sup. scribere audacius cætera, quæ etiam tu. s. publicus censor, concederes, sed scripsi proxime de optimo genere dicendi, in quo. s. opere ego suspicatus sum sæpe, te dissidere. i. diuersum esse & dissentire paululum maxime i. præcipue ea animo. i. uero iudicio, si minus. i. si non sup. possis id facere, causa gratiæ. i. beneuolentiæ tuæ in me. Ego dicam tuis. s. ministris & seruis, ut describant. i. de meo scribant si uelint eum. s. librum, & mittant. s. eum ad te. Puto enim ẽt si. i. quanquam minus. i. non satis probabis rem. i. opus ipsum, tamen iucundum fore tibi quicquid profectum. i. ortum sit a me, in ista solitudine. Quod tu commendas mihi æstimationem & dignitatem tuam, tu quidem facis sup. id more omnium. s. qui absunt a patria, Sed uelim sup. ut æstimet sic, me cum. s. ita sit quod tribuam plurimum amori, quem intelligam esse mutuum inter nos, tum. s. multo magis est, me iudicare de summo ingenio. s. tuo de optimis studiis tuis, & de spe amplissimæ dignitatis. s. quam cõsecuturũ speramus, ita ut neminem anteponam tibi, & comparem. i. comparandos & similes quodammodo putem paucos.

VICTORIUS. In ista solitudine} Ita iampridem castigauimus, in nostrisq; libris scribi iussimus, secuti Medicei codicis & aliorum manuscriptorum authoritatem, nec non rationem ipsam: nihil enim certius hac lectione, nihil clarius esse potest: & hoc est cur in explicationibus nostris eam silentio præterimus, neque enim confirmatione egebat, quam tamen alii sibi postea uendicarunt.

PAUL. MANU. In ista solicitudine} solitudine potius quam solicitudine, e tribus antiquis libris, & e sensu legendum putaui. dicit enim solitudine, pro summo otio, quod apertius sequenti epistola. Etsi (inquit) periniquo patiebar animo te a me digredi: tamen eo tempore me consolabar, quod & in summum otium te ire arbitrabar, & ibam pendentibus magis negotiis discedere.

SEBAS. CORR. Cornificio} Q. Cornificio Africæ Prætori a Cæsare præfecto. {Collegæ} in auguratu. Epist. XXII. huius libri. {Quædam nunciata sunt} de Q. Cæcilio Basso, & Sex. Iulio inter se dissidentibus, & bello ex ea re excitato. Nisi famam de bello Parthico intelligere malimus {Et cætera quidem} ut Philosophica. {De optimo genere dicendi} de optimo genere Oratorum. nisi forte magis placet Oratorem intelligere. {Solicitudine} Al. solitudine. {Tribuere} Al. tribuam.

BERRUTI. Huic tu libro maxime uelim ex animo, si minus, gratiæ causa suffragere} Peruersa distinctio locum male perceptum iudicat. Ego ita. Si minus, gratiæ causa suffragere. Hoc enim dicit, Primũ opto ut ex animo faueas meo operi: sin id fieri nequit, in gratiam certe meam faueas. non, quod sit tibi ingratum: ut Clericus perperam.

PHIL. MELS. Grata mihi uehementer} Exordium. Captat beneuolentiam ex prædicatione officii sui. {Ex Syria} Narratio.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Purgat se, quod a Cornificio insimulatus erat diuturni silentii, deinde quid in urbe agatur, Cæsare pro uoluntate omnia gerente.

M. T. CICERO Q. CORNIFICIO COLLEGÆ S. D. 18

Quod extremum fuit in ea epistola quam à te proxime accepi, ad id primum respondebo: animaduerti enim hoc uos magnos oratores facere nõnunquam. Epistolas requiris meas. ego autem nunquam cum mihi denunciatum esset à tuis ire aliquem, non dedi. Quod mihi

uideor

uideor ex tuis literis intelligere, te nihil commissurum esse temere, nec ante, quàm scisses, quò iste nescio qui Cæcilius Bassus erūperet, quicquam certi constituturum: id ego & speraram, pruden tia tua fretus: & ut considerem, fecerunt tuæ gratissimæ literæ. idq; ut facias quam sæpissime, ut, & quid tu agas, et quid agatur, scire possim, & etiam quid acturus sis, ualde te rogo. etsi periniquo patiebar animo te à me digredi: tamen eo tempore me consolabar, quod & in summum otium te ire arbitrabar: & ab impen dentibus magnis negotiis discedere. utrunque contra accidit: istic enim bellum est exortum: hic pax consecuta, sed eiusmodi pax, in qua si adesses, multa te non delectarent, ea tamen, quæ ne ipsum Cæsarem quidem delectent: BELLORVM enim ciuilium ii sem per exitus sunt, ut non ea solum fiant, quæ uelit uictor, sed etiam ut iis mos gerendus sit, quibus adiutoribus parta sit uictoria. equi dem sic iam obdurui, ut ludos Cæsaris nostri æquissimo animo ui derem T. Plancum, audirem Laberii, & Publii poemata. nihil mi hi tam deesse scito, quam quicum hæc familiariter, doctéq; rideã. is tu eris, si quamprimum ueneris. quod ut facias, non mea solum, sed etiam tua interesse arbitror. Vale.

ASCENSIVS. QVod extremum &c. Excusat se primu quod Cornificius literas a se nõ acceperit, cum nullum qui eas ferret prætermiserit, damnat otium urbis, ut quod putat cõtra dignitatem suam, mallet enim in Repub. florere. Optatq; ipsum Cornificium adesse, quicum ridere possit quæ in urbe fiant. Ordo est. Ego respondebo primum ad id quod fuit extremum, idest ultimum in ea epistola, quam accepi proxime a te. Ego enim animaduerti uos magnos oratores, facere hoc, idest responde re primum, extremo loco dictis aut obiectis. Incipient autem respõ dere dicit Tu requiris nõnunquam. i. interdum epistolas meas, hoc est accusas quod non scripserim ad te Ego autem nunquam nõ dedi, idest semper dedi cum denonciatum esset mihi aliquem a tuis. i. tuorum ire, idest proficisci, scilicet a me ad te. Quod uideor intelligere ex literis tuis, te nihil commissurum, idest facturum esse temere, idest inconsiderate, nec constituturum quicquam certi, idest firmi propositi, antequam scisses, idest sensisses, quo, idest in quam partem iste nescio qui: uulgarius diceretur nescio quis, & ita innuitus contemnendus, Cæcilius Bassus erumperet, idest diu celatum ac tectum consilium suum, tandem ut reuelaret ego, & idest simul, speraram id, idest te ita facturum, fretus, idest confisus & adiutus prudentia tua, & literæ tuæ gratissimæ mihi fecerunt, ut. confiderem s. te id facturum. Et ego rogo te ualde ut facias quam sæpissime, idest frequentissime, id, ut possim scire, & idest simul, quid agas, & quid agatur, scilicet ab aliis, & etiam quid sis acturus. Etsi, idest quanquã patiebar animo periniquo te digredi a me, tamen ego cõsolabar eo tempore me, quod arbitrabar te ire & in summum otium, & discedere ab magnis negotiis impendentibus, idest imminentibus. Vtrũque accidit contra, scilicet opinionem meam. Bellũ enim est exortum istic, scilicet ubi tu es, & pax est consecuta hic, sed tamen pax huiusmodi, in qua si adesses, multa non delectarent te. Tamen, idest sed ea, quæ ne quidem: idest non saltem, delectant Cæsarem ipsum, scilicet caput rei Bello &c probat assumptum dicens. Enim, idest quia, hi, idest huiusmodi sunt semper exitus bellorum ciuilium, ut non solum ea quæ uictor uelit, fiant, sed etiam ut mos gerendus sit, idest ut obsequendum sit iis, quibus adiutoribus uictoria sit parta, idest acquisita. Equidem. i. ego quidem, obdurui, idest in uidendis rebus inuisis sic animum obduraui, ut uiderem tam animo æquissimo ludos Cæsaris nostri, idest quos Cæsar uictor agendos curat, & ut uiderem scilicet agẽtem Titum Plancum. s. histrionem aut audirem Titum Plancum. s. poetam, & poemata Laberii & Publii, qui sunt mimographi. Et scito nihil tam de esse mihi quã supple aliquẽ, qui cum. i. cum quo, ego uideam hæc familiariter & docte. i. ex iudicio arguto. Tu eris is. i. quicum ridebo, si ueneris quamprimum. i. ualde cito, quod ut facias ego arbitror interesse. i. in re esse non solũ mea, sed etiam tua.

SEBAS. CORR. CAecilius Bassus} Epist. superiore, & II. huius libri. { Tuæ gratissimæ} Al. tuæ mihi gratissimæ. { Titum Plancum} qui in eam urbem rediit armis Cæsaris, ea qua excesserat legibus damnatus. Epistu. II. lib. VII. { Laberii, & Publii} lege Macrobium.

BERN. RVTI. HOc nos magnos oratores facere nonnunquam } ut postremis criminibus atque obiectionibus primo respondeatis. nõ ut Clericus { Nec ante, quam scisses, quo iste nescio qui Cæcilius Bassus erumperet, quidquam constituturum } Bellum in Syria Cæcilius Bassus eques Rom. Pompeianarum partium excitauit, relicta a legione Sexto Cæsare, qui ad Bassum transierat, occisoq; eo. author is, qui ex Liuio Epitomen fecit. Appianus uero ostẽdit, Cæcilii huius Bassi gratia cæsum in castris a legione, quam Cæsar iam tum in Parthos meditatus bellum, circa ea loca reliquerat, Sextum Iulium quendam Cæsaris propinquum, ideoq; in legione Bassumq; a Cæsare Marcum Crispumq; immissos, usque ad Cassii tempora post Iulii mortem depugnasse, in quo tumultu, tametsi nulla Cornificii mentio: uero tamen prope est, eum qui tum Libyæ præfuerit, tumultuatum. nam quæ idem Appianus de bello inter Cornificium Sextumq; gesto, post mortem Iulii Cæsaris tyranni acta sunt Vicesimas autem literas sententia ipsarum docet, e loco dimotas, & quantum diuino, Cornificianis istis omnibus præferendas. Is enim ea prouincia Romam non rediit, sed in ea cæsus ad extremum est.

PHIL. MEL. Quod extremum} Exordiũ a cõsuetudine oratorum. Hoc uos mag. or. facere ut} ὕστερον πρότερον dicatis.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Gaudere se dicit, Syriam Cornificio a Cæsare assignatam petitq; ut de omnibus rebus eum certiorem faciat.

M. T. C. CORNIFICIO COLLEGÆ S. 19

LIbẽtissime legi tuas literas: in quibus iucundissimum mihi fuit, quòd cognoui meas tibi redditas esse: nõ enim dubitabam, quin eas libenter lecturus esses: uerebar, ut redderentur. Bellum, quod est in Syria, Syriamq; prouinciam tibi tributam esse à Cæsare, ex tuis literis cognoui. eandem rem tibi uolo bene, & feliciter euenire. quod ita fore confido, fretus & industria, & prudentia tua. sed de Parthici belli suspicione quod scribis, sanè me commouit. quantum copiarum haberes, cum ipse coniectura cõsequi poteram, tum ex tuis literis cognoui. itaque opto, ne se illa gens moueat hoc tempore, dum ad te legiones eæ perducantur, quas audio duci. q; si pares copias ad confligendum non habebis, non te fugiet uti consilio M. Bibuli, qui se oppido munitissimo, et copiosissimo tandiu tenuit, quandiu in prouincia Parthi fuerunt. sed hæc melius ex re, & ex tempore constitues. mihi quidem usque curæ erit, quid agas, dum, quod egeris, sciero. Literas ad te nunquam habui cui darem, quin dederim. à te, ut idem facias, peto, in primisq; ut ita ad tuos scribas, ut me tuum* sentiant esse. Vale.

*alias. l. sciant

ASCENSIVS. LIbentissime legi tuas literas &c. Cum Cæsar præfecisset Cornificium Syriæ, & in ea bellum timeretur, aut iã esset, optat Cic. eam rem illi feliciter euenire, posteaquam uero contra bellum Parthicum monet quomodo agere debeat, ostenditq; se cupere scire, quid ille hactenus egerit. Ordo est Ego legi libentissime literas tuas: in quibus fuit mihi iucundissimum quod cognoui meas. s. literas esse redditas tibi. Nõ enim dubitabam quin esses lecturus eas libenter, uerebar. i. formidabam, ne redderentur. s. tibi. Ego cognoui ex literis tuis, bellũ quod est in Syria, & Syriam prouinciam esse tributam tibi a Cæsare. Ego uolo: idest opto eandem rem. s. belli & prouinciæ administrationẽ euenire tibi bene & feliciter. Quod confido fore. i. futurum ita, fretus. i. confisus & industria & prudentia tua. Sed quod scribis de suspicione belli Parthici. s. quod instare scribis, cõmouit me sane: idest multum, quia supple cum, scilicet ita sit, quod ipse, idest per me ipsum, poteram consequi, idest cognoscere, coniectura. i. per coniecturam: tum. i. multo apertius cognoui ex literis tuis. Itaq; opto ne. i. ut non, ut illa gens. s. Parthica, non moueat se hoc tempore, dum. i. donec eæ legiones quas audio, duci, aut dici. i. deligi, perducantur ad te. Quod si non habebis copias pares. i. satis magnas ad confligendum, non fugiet te. i. meminueris, uti consilio M. Bibuli, qui tenuit se oppido munitissimo, & copiosissimo tãdiu, quandiu Parthi fuerunt in prouincia Sed tu constitues hoc. i. quid de hoc sit faciendum, melius ex re. i. ex dispositione negotii, & ex tempore i. qualitate temporis. Quidem. i. certe, quid agas, erit mihi curæ usq; . s. ad illud tempus dum sciero quicquid egeris. Nũquam habui cui darem literas ad te, quin dederim. Peto a te ut facias idem. i. simile. Et sup. peto in primis ut scribas ad tuos ita, ut sentiant me esse tuũ.

VErebar, ne} Al. uerebar, ut. { Bellum } a Cæcilio Basso cõmotum. { Oppido munitissimo} Antiochia. { Tenuit } quo tempore ego Ciliciæ præeram. { Sentiant} Al. sciant.

PHIL. MELI. Libentissime legi}Exordium ex occasione, quod literæ redditæ sint.{Bellum quod}Narratio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Iocandi argumentum Sinuessana exigua uilla Ciceronis dedit, petit interim ut frequentius scribat.

M. T. CICERO Q. CORNIFICIO COLLEGÆS. 20

GRatæ mihi tuæ literæ, nisi, q. Sinuessanum diuersoriolum contempsisti. quam quidem cōtumeliam uilla pusilla iniquo animo feret, nisi in Cumano, et Pompeiano reddideris πάντα περὶ πάντων. sic igitur facies, meq; amabis, & scripto aliquo lacesses: ego enim respondere facilius possum, q̃ prouocare. q. si ut est, cessabis: lacessam, ne tua ignauia etiam inertiam afferat. plura otiosus. hæc cum essem in Senatu, exaraui. Vale.*

ASCENSIVS. GRatæ &c. Iocatur quod in uillam suam nō diuerterit, & ad scribendū inuitat dicens. Literæ tuæ fuerunt gratæ mihi, nisi quod contempsisti diuersoriolum Sinuessanum. i. quod habeo Sinuessæ. Quam quidem contumeliam uilla. i. domus mea rustica pusilla, idest exigua feret iniquo animo, alludit ad pauperes qui se contēni ægre ferūt, nisi reddideris. i. sis redditurus in Cumano & Pompeiano, sup. diuersoriis meis, πάντα. i. omnia, περὶ. i. de, πάντων. i. omnibus. Tu igitur facies, sic, & amabis me, & lacesses. i. prouocabis aliquo scripto. Ego enim possum facilius respondere, quam prouocare. Quod si cessabis, ut es s. tardus ad scribendum, ego lacessam. i. prouocabo, ne ignauia tua afferat etiam sup. mihi inertiam. Plura supple scribam otiosus, ego exaraui. i. scripsi hæc, cum essem in Senatu.

SEBAS. CORR. GRatæ mihi}Hæc epistola scripta uidetur, quo tempore Cornificius per hæc loca in Africam proficisceretur, ut superioribus præponēda sit. {πάντα περὶ πάντων.}omnia de omnibus. {Vt est}Al. ut es.

PHIL. MELI. Gratæ mihi} Narratio, in qua expostulat, quod ad se non diuerterit.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Commendat Anitium Cornificio, petitque ut eius negotia & dignitatē adiuuet.

M. T. C. CORNIFICIO S. 21

CAius Anitius, familiaris meus, uir ornatus rebus omnibus, negotiorū suorum causa legatus est in Africā legatione libera: eum uelim rebus omnibus adiuues, operamq; des, ut quam commodissime sua negotia cōficiat: in primisq;, quod ei charissimum est, dignitatem eius tibi commendo. idq; à te peto, quod ipse in prouincia facere sum solitus non rogatus, ut omnibus Senatoribus lictores darem: quod idem acceperam, & cognoueram a summis uiris factitatum. hoc igitur mi Cornifici facies: cæterisq; rebus omnibus eius dignitati, reique, si me amas, consules. id erit mihi gratissimum. Da operam: ut ualeas.

ASCENSIVS. CAius. Commendat Cornificio præfecto Africæ C. Anitium familiarem suū dicens. C. Anitius familiaris meus ornatus omnibus rebus, legatus est in Africam legatione libera, quia causa negotiorum suorum, non publicorum. Velim adiuues eum rebus omnibus, et des operam ut conficiat. i. perficiat negotia sua, quam commodissime, & in primis commendo tibi dignitatem eius, quod. s. eam esse commendatam, est ei charissimum. Et peto a te, id quod ipse. i. ego solitus sum facere in prouincia non rogatus, ut darem. i. solitus sum dare lictores. i. ministros publicos omnibus Senatoribus senatorii ordinis uiris, quod. i. quia acceperam idem scilicet beneficiū, scilicet ab aliis, & cognoueram id factitatum. i. frequenter factum, a summis uiris. Tu igitur o mi Cornifici facies hoc, quod consules, idest prouidebis & proderis, cæteris rebus eius omnibus, & dignitati & rei eius, si amas me. id erit gratissimum mihi. da operam, ut ualeas.

SEBAS. CORR. Legatione libera} quæ honoris fere causa a Senatu concedebatur, ne Senatores in prouinciis prorsus priuati essent.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Narrat quid in urbe a Cæsarianis, reliquisque post Cæsaris mortem agatur.

M. T. C. S. P. D. CORNIFICIO 22

NOs hic cū homine gladiatore omniū nequissimo, Collega nostro Antonio bellum gerimus, sed non pari cōditione, contra arma uerbis. at ēt de te concionatur: nec impune, nam sentiet, quos lacessierit. ego autem acta ad te omnia arbitror perscribi ab aliis. à me futura debes cognoscere, quorum quidem non est difficilis coniectura. oppressa omnia sunt, nec habent ducem boni: nostri quæ τυραννοκτόνοι longe gentium absunt. Pansa & sentit bene & loquitur fortiter. Hirtius noster tardius conualescit. quid futurum sit, planè nescio. spes tamen una est, aliquando populum Ro. Maiorum similem fore. ego certe Reip. non deero & quicquid acciderit, a quo mea culpa absit, animo forti feram. illud profecto, quoad potero: tuam famam, et dignitatem tuebor. Ad XIII. Calend. Ian. Senatus frequens mihi est assensus, cum de cæteris rebus magnis & necessariis, tum de prouinciis ab iis, qui obtinerent retinendis, neque cuiquam tradendis, ni si qui ex S. C. successisset. hoc ego cum Reipu. causa censui, tum mehercule in primis retinendæ dignitatis tuæ. quamobrem te amoris nostri causa rogo, Reipu. causa hortor, ut ne cui quicquam iuris in tua prouincia esse patiare, atque ut omnia referas ad dignitatem, qua nihil potest esse præstantius. uere tecum agam: ut necessitudo nostra postulat, in Sempronio, si meis literis obtemperasses, maximam ab omnibus laudem adeptus esses. sed illud & præteriit, & leuius est, hæc magna res est. fac ut prouinciam retineas in potestate Reip. plura scripsissem, nisi tui festinarent. itaque Chærippo nostro me uelim excuses. Vale.*

* i. tyrannicidæ

ASCENSIVS. NOs &c. Scribit se post cædem Cæs. habere magnum bellum cum Anto. sed se agere uerbis, illum armis. Queriturq; Rempub. desolatam, cum Brutus & Cassius absint. Deinde scribit de decreto Senatus: unde uidetur epistola scripta paulopost necē Cæsaris, superiores ante eam. Ordo est. Nos gerimus hic bellum cum Ant. Collega nostro. i. Consenatore, homine gladiatore, idest gladiatorio animo arma tractanti, utpote nequissimo omnium. Sunt qui putent Cic. de Collega Consulatus sui loqui, quod minime placet. Sed gerimus bellum conditione non pari. i. impari, utpote uerbis contra arma. At. s. Anto. concionatur. s. uerba ad populum facit, contra te, nec impune. i. non sine punitione futura, nam sentiet quos lacessierit. hoc dicit ut Cornificium ad ultionem stimulet. Ego autem arbitror acta perscribi ad te ab aliis. Tu debes cognoscere a me futura, quorum quidem. s. futurorum coniectura non est difficilis. Omnia sunt oppressa, nec boni habent ducem, & Tyrannoctoni. i. tyrannicidæ nostri, absunt longe gentium. i. in longinquis regionibus. Pansa & sentit bene, & loquitur fortiter. Hirtius non conualescit. s. ex ægritudine tardius. Quid futurum sit, plane nescio. Atqui dixerat se futura dicturum: sed ea duntaxat quorū non esset difficilis coniectura. Est tamen una spes Pop. Ro. futurum aliquando, idest tandem similem Maiorum. s. suorum. i. libertatis uindicem. Ego certe non deero Reip. & feram. i. patiar animo forti quicquid acciderit, a quo culpa mea absit.

absit. Profecto supple faciam, illud quoad .i. quantum potero, & tuebor .i. defendam famam & dignitatem: idest honorem & existimationem tuam, ad quam mea ait omnia esse referenda, cum nihil sit ea præstantius. Senatus frequens .i. senatores qui frequentes conuenerunt, assensus est, idest assensit mihi. nam assentior & assentio, utroq; modo dicimus ad XIII. Calen. Ianuarias, seu Ianuarii, Cum, scilicet ita sit, q assensus est mihi de cæteris rebus magnis, idest magni momenti, & necessariis .s. Reip. tum, idest multo magis & euidētius, est assensus mihi de prouinciis retinendis .i. in posterum adhuc gubernandis, ab iis qui obtinent .i. iam habent ac tenent .s. eas, neq; tradendis hoc est resignandis, ac renunciandis, cuiquam .s. alii successori, nisi .s. ei qui successisset .s. procurationi prouinciæ, ex .S.C. uoces illæ, retinendis, & tradendis, gerundiua sunt, nam ita eas grammatici nominant, quæ casum habent eorum substantiuorū, quibus iunguntur, ut hic uides, de prouinciis retinendis & tradendis, quæ ita per gerundiū resoluas licet, de retinendo ac tradendo prouincias, qui tamen loquendi modus inusitatus est, Ego censui: idest sententiā dicendo iudicaui, hoc eum causa Reipu .i. propter ipsam Rempubl. tum mehercule .i. per herculem in primis, idest potissimum aut principaliter, supple causa retinēdæ dignitatis tuæ, idest retinendi & conseruandi dignitatem & honorem tuum. Quamobrem ego rogo te causa amoris nostri .i. per mutuam amicitiam nostram, & hortor te causa Reip. .i. ob amorem & studium tuum erga Remp. ut ne .i. ut non patiare .i. toleres, quicquam iuris .i. aliquid iuris dictionis ac potestatis, esse cui .i. alicui, in tua prouincia, atque, idest & ut referas .i. dirigas & ordines, omnia idest omnes actiones tuas, omnia tua facta, ad dignitatem .i. ad honorem tuum, cum tuēdum, tum etiam augendum, hoc est, quicquid unquam acturus es, id omne ob amplitudinem, & honestam famam, & consequendam, & conseruandam, fas agat. qua .s. dignitate nihil potest esse præstantius .i. honorabilius, atque excellentius in humanis rebus .i. quoniā dignitas, & bona existimatio est summum bonum, atque omnium bonorum finis. nam relatiuum hic coniunctionis causalis uim habet. uti alias sæpissime Atque hic animaduertendum, quam cæci, ac stulti fuerint, quantaue in caligine uersati sint ueteres illi Ethnici, non uulgares modo atque indocti, nam de iis neque dubitandum ulli, neq; adeo mirandum sit, sed præclari illi, & principes uiri, atque omnium disciplinarum eximii professores, qui cum alio rum se duces ad bene beateq; uiuendum esse gloriarentur, tantum abest, ut ulli unquā rectam, qua ad beatitudinem consequendam ingrederetur, uiam mōstrarint, ut ne ipsi quidem eam aut uidere unquā, aut tenere (horrendis errorum tenebris obuoluti) potuerint. Quid .n. miserius, quid fœdius, quidue stultius fingi potest, quā ut ii qui se recte atque semper uiuēdi magistros uulgo iactitant, quiq; humanum animum una cum corpore interire haudquaquam posse & credunt, & docent, cum tamen in illo sempiterno æuo, nulla re alia beatum faciant, quam perpetua suorum recte factorum memoria, quæ iugi ac semper duraturo officio ab suis posteris celebrāda, collaudanda, atque canenda esse sperent? Nam in hac inani, leuissimaq; ac nihili facienda gloriola, auraq; populari ac commemoratione posteritatis omnem illi suam beatitatem, omnem spem, omne deniq; totius illius suæ personatæ falsæq; uirtutis præmium ponebant, nec alium ullum inferis sensum tribuere didicerant, nisi eius opinionis, eius famæ, earumq; laudationum, quas futuris ætatibus (quarum infinitas myriadas fore sibi pollicerentur) sibi ab superstitibus deferendas falso augurabantur. Lege Paulum cap. i. ad Rom. ubi uanam insipientium illorū sapientū de se persuasionem, amentiam, errores, incredibilemq; furorem aperit, traducit, ac uehementius insectatur. sed iam ad textū redeamus. Ego agam .i. loquar tecum, uere .i. ueraciter, synceriter, ex animo, & aperte: ut .i. quēadmodū, necessitudo .i. amicitia, ac beneuolētia nostra postulat .i. exigit, ac requirit, Nā uera, fidelisq; inter homines charitas, atq; cōiunctio, nihil fuci, nihil simulationis, nihil assentatiōis amat, aut patitur. quāobrē & Paulus pie uiuendi præceptū, ac normā tradens, eā tribus his nēpe charitate, quæ ex corde puro, conscientia bona: & fide minime simulata cōsta[re] affirmat, qua de reēt philosophi diligentius cōscripserunt. Si obtēperasses literis meis, in Sempronio .i. de Sēpronio, seu quod ad Semproniū attinet, tu esses adeptus magnā laudem ab omnibus .s. Ro. ciuibus Sed illud, & præterit, & leuius est .i. modici momēti. Duplicē causam reddis, cur ea res, quā tametsi ab se admonitus, tamē prorsus Cornificius cōtēpserat, parū esset curāda, tum quod iā acta & cōfecta res erat, tempusq; eius rei rectius gerendæ, aut etiam corrigēdi erroris Cornificii, præterierat: ut iam quicquā ea de re statuere uelle, nihil plane aliud esse, quam facta infecta reddere, uideretur, Nā de præteritis nullā institui deliberationē aut cōsiliū capi, manifestissimū est, tū ēt q res ea tā leuis esset, ut nō admodū esset pōderanda, sed plane negligenda. hæc res est magna, fac ut retineas prouinciā in potestate Reip. ego scripsissem plura nisi tui festinarent. Itaque uelim excuses me Chærippo nostro, scilicet quod nihil ad eum scribo.

PAVL. MANV.

COllega nostro) Vetusti codices nōnulli habent, uestro: quos alii secuti sunt: qui quidem non uideo qua ratione ducti id fecerint: fecisse tamen arbitror non temere. sed cum in libris item manuscriptis, collega nostro legatur, (habet autem unum ex antiquis exemplaribus, in quibus ita scriptum sit, Bernardinus Maffeus) Antonium autem Ciceronis in auguratu collegā fuisse, notissimum sit: priorem lectionem conseruaui, quam eo minus arbitror immutandam, q ad Atticum scribens, epistola penultima libri X. collegam suum appellat Antonium: Inquit enim. Misit puerum, se ad me uenire: hoc quidem melius quā Collega noster Antonius, cuius inter lictores lectica Mima portatur, & Philippica II. 181. sume diem: uide, qui te inauguret: Collegæ sumus.

SEBAS. CORR.

COllega nostro) in auguratu. {Pari conditione} Al. pari contentione. τυραννοκτόνοι} tyrannicidæ, ut Brutus & Cassius. {Absunt. Pansa} Al. absunt. de Coss. creatis Pansa. {Conualescit} ægrotabat enim, pro cuius Salute P.R. etiam uota fecit. {Mihi est assensus} Philippica III. {Retinendis} ex lege Iulia. {Retinēdæ dignitatis tuæ} contra C. Caluisium tuam prouinciam petentē. {Chærippo} Epistola XXX. huius libri. hic olim cum Q. Cicerone in Asia fuerat.

BERN. RVTI.

COllega nostro Antonio bellū gerimus} Dii boni, quid istud nugarum est? negat homo imperitissimus, Collegā fuisse Ciceroni in Auguratu M. Antonium: quod ex Cicerone ipso plurimis locis, Plutarchoq; constat. Et quod maioris est inscitiæ, Antonium existimat hunc esse, quicum Cicero Consulatū gesserit. cum Plutarchus uel ipso in limine uitæ M. Antonii, nepotē ex fratre Antonii eius, Cic. in Consulatu Collegæ fuisse cū tradat.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Rursus, sed copiosius, Cornificio, quæ in urbe gerantur, nunciat.

M. T. C. CORNIFICIO S. D. 23

OMnem conditionem imperii tui, statumq; prouinciæ mihi demonstrauit Stratorius. ò multa intolerabilia locis omnibus. sed quò tua maior dignitas, eò, quæ tibi acciderunt, minus ferenda: neque enim, quæ tu propter magnitudinem & animi, & ingenii, moderate fers, à te non ulciscenda sunt, etiam si non sint dolenda. sed hæc posterius. Rerum urbanarum acta tibi mitti certò scio, quod ni ita putarem, ipse perscriberem, in primisq; Cæsaris Octauiani conatum: de quo multitudini fictum ab Antonio crimen uidetur, ut in pecuniam adolescentis impetum faceret. prudentes autem, & boni uiri & credunt factum, & probant. quid quæris? magna spes est in eo: nihil est, quod non existimetur laudis, & gloriæ causa facturus. Antonius autem noster familiaris tanto se odio esse intelligit, ut, cum interfectores suos domi comprehenderit, rem proferre non audeat. ad VII. Id. Oct. Brundusium uenerat, profectus obuiam legionibus Macedonicis quatuor: quas sibi conciliare pecunia cogitabat, easq; ad urbem adducere, & in ceruicibus nostris collocare. habes formam Reip. si in castris potest esse Resp. in qua tuam uicem sæpe doleo, quòd nullam partem per ætatem sanæ & saluæ Reipu. gustare potuisti. Atque antehac quidem sperare saltem licebat, nunc etiam illud ereptum est: quæ enim spes est? cum in concione dicere ausus sit Antonius Canutium apud eos locum sibi quærere, quibus se saluo locus in ciuitate esse non posset. equidem & hæc, & omnia, quæ homini accidere possunt, sic fero, ut magnam habeam philosophiæ gratiam, quæ non modo à solicitudine abducit, sed etiam contra omneis fortunæ impetus armat, tibiq; idem censeo faciundum, nec, à quo culpa absit, quicquam in malis numerandum. sed hæc tu melius. Stratorium nostrum cum semper probassem, tum maxime in tuis rebus summam eius fidem, diligentiam, prudentiamq; cognoui. Da operam, ut ualeas. hoc mihi gratius facere nihil potes.

ASCENSIVS.

OMnem &c. Dicit ex Stratorio se omnia intellexisse quæ intolerabilia quidem sunt, sed quæ speret ab eo ulciscēda. Ordo autem est: Stratorius tuus .s. amicus demōstrauit mihi omnem conditionem imperii tui, & statum prouinciæ .s. tuæ. O exclamandi particula, multa intolera-

bilia omnibus locis &c.Cæters patent.Sed hoc posterius,sup.scri⸗
bam &c.Rerum &c Hanc epistolã quædam exemplaria habent su
periori annexam,In qua scribit acta rerum urbanarum,licet ea pu
set ad Cornificium mitti.scribit aũt præcipue de Antonio & Cæsa
re Octauiano.Ordo est.Ego scio certo.i.ut certum,acta rerum urba⸗
narum mitti tibi.quod ui.i.nisi putarem (mire subiungit putarem,
cum se certo scire præmiserit)ipse.i.egomet scriberem sup. ea & in
primis sup. scriberem conatum Cæsaris Octauiani.i. Octauii filii,
de quo uidetur multitudini,crimen fictum ab Antonio, ut faceret
impetum in pecuniam adolescentis,derelictam ei testamento a Cæ
sare,unde Antonius magnam uim sustulit. Autem.i.sed uiri prudẽ
tes & boni,& credunt factum.s.a Cæsare ex animo,& probant.i. cõ
mendant.Quid quæris.s.ut multa scribam.Magna spes est in eo.s.
Cæsare,nihil est quod non existimetur esse facturus causa laudis et
gloriæ.Anto.aũt noster familiaris.ironia est,intelligit se esse tanto
odio,ut cum comprehenderit interfectores suos.i.ad se interficien
dum a Cæsare missos domi s.suæ,non audeat proferre.i. diuulgare
rem Ant.sup.uenerat ad VII. Id Octob. Brundusium profectus.i.
egressus obuiam,quatuor legionibus Macedonicis, quas cogitabat
conciliare sibi pecunia,& adducere eas in urbem.s.Romã & loca⸗
re in ceruicibus nostris,ut nobis sint grauamini. Habes.i. intelligis
formam Reip si Respu.potest esse in castris In qua.s.re,ego doleo
sæpe uicem.i.sortem tuam,quod nullam.i.non ullam, non potuisti
per ætatem(quia cum Respu.uigeret,nimis iuuenis eras , & post⸗
quam uir esse cœpisti,Resp. oppressa fuit) gustare ullam partem
Reip sanæ & saluæ. Atq; licebat quidem antehac.i.ante hoc tem
pus,saltem.s.ad minimum,sperare.i.gustare aliquando partem Rei
pub.saluæ & sanæ,nunc etiam illud.s.sperare talia, est ereptum.
Quæ enim spes est cum Antonius ausus sit dicere in concione.i.
sermone ad populum conuocatum,Canutium quærere sibi locum
apud eos.s.perditos homines,qbus te saluo.i.donec fueris saluus,
locus nõ posset esse in ciuitate?Equidem.i.ego quidẽ fero & hæc,
& omnia quæ possunt accidere homini,sic,ut habeam magnã gra⸗
tiam philosophiæ,quæ non modo.i.non solum abducit me a solici
tudine,sed etiam armat me contra omnes impetus fortunæ , & ego
censeo idem faciendum tibi,nec numerandum quicquam in malis,
Idest quæ uera censenda sunt mala,a quo culpa absit. Id autem ex
Stoicorum dicit dogmate.Sed tu melius supple nosti aut diceres
hæc.Cũ.s.ita sit ꝙ probassem.i.approbassem semper Stratorium no
strum.s.communem amicum,tum cognoui maxime summam fidẽ,
diligentiam,& prudẽtiam eius in rebus tuis.Da operam ut ualeas.
Nihil potes facere mihi gratius,hoc.i quam hoc.s.ut ualeas,id aũt
amanter dictum est,quo addito, frustra , immo inepte adderetur,
Vale.Nam eius loco ponitur,habetq; quandam uim accuratiuẽ.

SEBAS. CORR.

Quæ tibi acciderunt}a T.Sexto altero Africæ Prætore, qui
postea etiam bellum cum illo gessit.{Octauiani conatum}
Epist.XXVIII.lib.X.{Crimen uidetur}insidias a Cæsare
Antonio ipsi factas.Est in eo}Cæsare. { Noster familiaris}
Episto.V.libro.XI.{Interfectores suos}a Cæsare immissos.{ Pecu⸗
nia cogitabat}nisi Cæsar illi terror esset oppositus. { Canutium }
Episto.III.huius libri.

PHIL. MELã.

Omnem Conditionem{Narratio. { Equidem & hæc } Opponit
consolationem dolori suo.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Hortatur Cornificium,ut pro Rep.laboret,quod se facere dicit, & com⸗
mendat illi Pinarium, procuratoremque Pinarii;

M. T. C. S. P. D. CORNIFICIO 24

EGo nullum locũ prætermitto (nec enim debeo) non modo laudandi tui,sed ne ornãdi quidem:sed mea studia erga te & officia malo tibi ex tuorũ literis,quã ex meis esse nota.te tamen hortor,ut omni cura in Rẽpu.incumbas.hoc est animi,hoc est ingenii tui,hoc eius spei, quam habere debes: amplificandæ dignitatis tuæ.sed hæc de re alias ad te pluribus:cũ.n.hæc scribebã,in expectatione erant omnia:nondũ legati redierant,quos Senatus nõ ad pacẽ deprecandã,sed ad bellum denuntiandũ miserat, nisi Legatorum nuntio paruisset.ego tamen,ut primũ occasio data est,meo pristino more Rempubli.defendi:me principem Senatui,populoq; Roma.professus sum.nec postea,quàm suscepi causam libertatis, minimum tempus amisi tuendæ salutis libertatisq; communis. sed hæc quoque te ex alijs malo.T. Pinarium ,familiarissimum meum tanto tibi studio commendo:ut maiore non possim:cui cum propter omneis uirtutes,tum ẽt propter studia communia sum amicissimus.is procurat rationes,negotiaq; Dionysii nostri,quem & tu multũ amas,& ego omnium plurimum.ea tibi ego non debeo commendare,sed commendo tamen:facias igitur,ut ex Pinarii gratissimi hominis literis,tuum & erga illum,& erga Dionysium studium perspiciamus. Vale.

ASCENSIVS.

EGo &c Scripta est hæc epistola quo tẽpore M.Anto.ob
sidebat Mutinæ D.Brutũ,in qua dicit se tueri dignita⸗
tem Cornificii,Hortatur ut in Remp.incumbat,dicit ni
hil certi esse Romæ,cum legati ad Antoniũ missi,ut de
sisteret,nondum redierint , ac demum cõmendat ei T.
Pinarium.Ordo est:Ego nullum.i.non ullum,non prætermitto ul⸗
lum locum,nec.n.debeo,non modo laudandi tui , sed ne quidem,
quod magis liceret,ornandi tui.Sed ego malo mea studia & officia
erga te esse nota tibi ex literis tuorum.s. amicorum & familiarium
quam ex meis.Tamen ego hortor te , ut incumbas.i. propensus sis
omni cura,in Remp.s.iuuandam.Hoc.i.incumbere in Remp.est.s.
officium animi tui,hoc est ingenii tui , hoc est eius spei.i. pertinet
ad eam spem dignitatis tuæ amplificandæ,quam debes habere. Sed
supple scribemus aut loquemur alias.i.alio tempore,pluribus.s.uer
bis de hac re ad te.enim.i.quia omnia erant in expectatione, & ita
nihil certi neq; peracti,cum ego scribebam hæc.Legati.s.ad Anto.
missi nondum redierant,quos Senatus miserat , non ad pacem de⸗
precandam.i.precibus impetrandam,sed ad bellum denunciandũ,
nisi.s.Ant.paruisset nuncio.i.mãdato,legatorũ.Ego tñ ut primũ oc
casio data est.s.libere loquẽdi,defendi Rẽp. more meo pristino.i.in
priore statu cõsueto,& ꝓfessus sum me principẽ Senatui,po.q; Ro.
neq; amisi minimũ tẽpus tuẽdæ salutis de libertatis cõis,postesquã
suscepi cãm libertatis.s.tuendæ.Sed ego malo te cognoscere,quoq;
.i.et hæc , ex aliis.Ego cõmendo tibi T Pinariũ familiarissimũ meũ
tãto studio.i.molimine,ut non possim.s.eum cõmendare , maiore.s.
studio.Cui ego sum amicissimus cum.s.ita sit quod propter omnes
artes,tum etiam propter studia communia.s.in Rempub.Is.s.Pina⸗
rius procurat.i.(quod dicunt)solicitat rationes,& negotia Diony
sii nostri.s.communis amici,quem &.i.simul tu amas multũ, & ego
amo plurimum.i.abundantissime omnium.Ego non debeo commẽ
dare tibi ea.i.eiusmodi quæ tantopere sunt cordi , sed tamen com⸗
mendo.Tu igitur facies ut perspiciamus.i.euidenter cognoscamus
ex literis Pinarii hominis gratissimi,studium.i. fauorem diligentẽ
tuũ &.i.simul,erga illum.s.Pinarium tanquam solicitatorem,& pro
curatorem,qui si rem amici bene procurauerit,emolumentum ab eo
consequetur , &.i. simul.erga Dionysium.s.communem amicum,
cuius rationes,& negotia ille agit.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Respondit Cornificio,quod Senatus literas illius approbauerit, & quod eu
cusationem illius de Sempronio acceptas. Postque ut de suis rebus eũ cer⸗
tiorem faciat.Postremo amicorum quorundam negotia illi commendat.

M. T. C. S. P. D. CORNIFICIO 25

Liberalibus literas accepi tuas,quas mihi Cornificius altero uicesimo die(ut dicebat)reddidit.eo die non fuit Senatus,neque postero.Quinquatribus frequenti Senatu cãm tuã egi,non inuita Minerua.etenim eo ipso die Senatus decreuit,ut Minerua nostra custos Vrbis, quã turbo deiecerat,restitueretur. Pansa tuas literas recitauit.magna Senatus approbatio cõsecuta est cũ summo gaudio,& offensione Minotauri,idest Caluisii & tauri, factũ de te.S.C.honorificũ.postulabatur,ut ẽt illi notarẽtur:sed Pãsa clemẽtior,ego mi Cornifici quo die primũ in spem libertatis ingressus sum,& cunctantibus cæteris ad XIII.Calẽ. Ianua. fundamenta Reipu.ieci,eo ipso die prouidi multũ,atque habui rationẽ dignitatis tuæ.mihi.n.est assensus Senatus de obtinendis prouinciis,nec uero postea destiti labefactare eũ,qui summa cum tua iniuria,contumeliaq; Reipub.prouinciam absens obtinebat. itaque crebras,uel potius quotidianas compellationes meas non tulit,seq; in Vrbem recepit inuitus.neque solum spe,sed certa re iam, &

possessione

possessione deturbatus est. meo iustissimo, honestissimoq; conuicio te tuam dignitatem summa tua uirtute tenuisse, prouinciæq; honoribus amplissimis affectum uehementer gaudeo.

*a.l.cæcū

Quòd te mihi de Sempronio purgas: accipio excusationem: fuit enim illud quoddam * Græcum tempus seruitutis. Ego tuorum consiliorum author, dignitatisq; fautor, iratus temporibus, in Græciam desperata libertate rapiebar, cum me Etesiæ, quasi boni ciues, relinquentem Rempubli. prosequi noluerunt: austerq; aduersus maximo flatu me ad tribuleis tuos Rhegium retulit: atque inde uentis, remisq; in patriam omni festinatione properaui: postridieq; in summa reliquorum seruitute, liber unus fui, sic sum in Antonium inuectus, ut ille non ferret, omnemq; suum uinolentum furorem in me unum effunderet, meq; cum elicere uellet ad cædis causam, tum tentaret insidijs: quem ego ructantem, & *nauseantem conieci in Cæsaris Octauiani plagas: puer enim egregius præsidium sibi primum, & nobis, deinde summæ Reipubli. comparauit, qui nisi fuisset Antonii reditus à Brundusio, pestis patriæ fuisset. quæ deinceps acta sint, scire te arbitror, sed redeamus ad illud, unde diuertimus. Accipio excusationem tuam de Sempronio. neque enim statuti quid in tanta perturbatione habere potuisti. nunc hic dies aliam uitam affert, alios mores postulat, ut ait Terentius. quamobrem mi Quinte conscende nobiscum, & quidem ad puppim. una nauis est iam bonorum omnium: quam quidem nos damus operam ut rectam teneamus, utinam prospero cursu: sed quicunque uenti erunt, ars nostra certe non aberit: quid enim præstare aliud uirtus potest? tu fac ut animo magno sis, & excelso, cogitesq; omnem dignitatem tuã cum Republi. coniunctam esse debere. Pu. Luceium mihi meum commendas, quem quibuscunque rebus potero, diligenter tuebor. Hirtium quidem, & Pansam collegas nostros, homines in Consulatu Reipubli. salutareis, alieno sanè tempore amisimus, Republi. Antoniano quidem latrocinio liberata, sed nondum omnino explicata: quam, nos, si licebit, more nostro tuebimur: quanquam admodum sumus iam defatigati, sed NVLLA lassitudo impedire officium, & fidem debet. uerum hæc hactenus. ab alijs te de me, quàm à me ipso, malo cognoscere. De te audiebamus ea, quæ maxime uellemus. De Cn. Minutio, quem tu quibusdam literis ad cœlum laudibus extulisti, rumores duriores erant. id quale sit, omninoq; quid istic agatur, facias me uelim certiorem,

*al. nauseantem cõfeci.

ASCENSIVS.

Liberalibus &c. Narrat ut diligenter egerit causam Cornificii, & ut literæ eius commendatæ fuerint, cum eas Pansa recitarit: deinde dicit decretum esse de prouincijs retinendis. Admittit excusationem de Sempronio, pollicetur se Reip. non defuturum, ac demum commendat amicos suos, qui hæreditatem habebant in Africa. Ordo est: Ego accepi literas tuas Liberalibus: scilicet festis: idest die Liberalium, quas Cornificius tuus, scilicet filius reddidit (ut dicebat) altero uicesimo die: idest quadragesimo die, postquam scriptæ erant. Senatus non fuit: scilicet habitus, aut collectus eo die, scilicet Liberalium, neque postero: idest proxime sequenti. Ego egi causam tuã frequenti Senatu: idest cum multi adessent Senatores, Quinquatribus: idest festis Mineruæ, quæ quinto quoque anno celebrabantur, non inuita Minerua: idest naturali ingenio astipulante: alludit autem ad Quinquatria, quasi Minerua eo die præcipue fauerit. Etenim Senatus decreuit eo die ut Minerua nostra: idest facunda sapientia custos urbis, ut patuit in detectione coniurationis Catilinariæ, quam turbo: idest tumultus belli ciuilis deiecerat; idest de sede sua expulerat, ut turbo, idest uis uentorum deiecerat prius Mineruam Phidiæ opus, quæ in arce posita fuerat tanquam custos eius: ad eam ergo alludit. Pansa recitauit literas tuas. Magna approbatio Senatus est consecuta cum summo gaudio, & cum offensione Minotauri: idest clauis, & tauri. sic fere textus habent nõ nullis dicentibus non esse uerba Cice. sed apposititia. quod facile crederem, si Minotaurũ in proprio significatu accepisset: sed quia metaphoricos, non otiosum fuerit rem aperire: Minotauri igitur: uidelicet Antonii, idest clauis, & tauri, idest qui claue potentiæ Rẽpubli. occludere uult, & cornibus tauri: idest petulãtiæ suæ impingere, sicut Minotaurus Labyrintho inclusos opprimebat. Senatusconsultũ honorificum factum: supple est de re. autem: idest sed, postulabatur: scilicet a me, aut ab iis, qui causam tuam agebant: ut etiam illi: scilicet quos criminatus es, notarentur, scilicet infamia. sed Pansa, ut putatur, iunior: non Consul, qui iam ceciderat in prælio: supple fuit clementior: idest nimis clemẽs. Ego omi Cornifici, quo die ingressus sum primum in spem libertatis: scilicet publicæ, & cæteris cunctantibus: idest hæsitantibus, & immorantibus, ut dubiis quid agerent, ieci fundamenta Reipubli. idest incepi facere quæ pertinebant ad statum Reipubli. ad XIII. Calenda. Ianua. aut Ianuarii mensis. eo die prouidi: idest prospexi multum, atque habui rationem dignitatis tuæ. Enim idest quia, Senatus est assensus mihi de prouinciis obtinendis. Nec uero destiti postea labefactare idest debilitare, & ab instituto amouere eum: scilicet quem nosti: qui absens obtinebat prouinciam cum summa iniuria tua, & contumelia Reipubli. Itaque ipse non tulit: idest non potuit perferre compellationes: idest molestationes uerbales, aut increpationes meas crebras, uel potius quotidianas, & ipse inuitus recepit se in urbem. Neq; solum deturbatus: idest deiectus est spe: sed etiam certa re, que pro, idest possessione, scilicet prouinciæ, quam iam tenebat. Ego gaudeo uehementer te tenuisse: conuicio: idest increpatione mea, iustissimo, & honestissimo: scilicet mihi inferenti, non ei, cui intuleram, dignitatem tuam, uirtute tua: idest per uirtutem tuã & affectũ esse amplissimis honoribus prouinciæ. Quod: idest quia, tu purgas te mihi de Sempronio, accipio: idest approbo excusationem: scilicet tuam. Enim: idest quia, illud tempus fuit quoddam tempus græcum: idest quo uiuendum fuit nobis in Græcia. seruitutis, idest eo q esset tempus seruitutis, & non licebat nobis libere uiuere in patria. Ego author: idest approbator consiliorum tuorum, & fautor dignitatis tuæ, & iratus temporibus: idest qualitati temporum, rapiebar in Græciam libertate desperata, cum Etesiæ: scilicet uenti illi a tergo euntibus in Græciam ab Italia flantes, quasi boni ciues: idest tanquam essent boni ciues, noluerunt prosequi me relinquentem Rempubli. idest noluerunt a tergo flare, & auster, scilicet uentus aduersus: idest contrarius retulit me maximo flatu Rhegiũ: idest ad illud oppidum in ora Siciliæ, ad tribules tuos: idest eos, qui tecum einsdem sunt tribus, atque properaui, inde: scilicet Rhegio uentis, & remis: idest omni festinatione, in patriam, quando aliquid plena opera, & summa properatione fecerimus, pulchre remis, & uelis nauare dicemus, & ego postridie: idest die sequenti ingressum meum, ego unus, idest solus fui liber, in summa seruitute aliorum. Ego sic sum inuectus in Anto. ut ille non ferret, & effunderet omnem furorem suum uinolentum, idest contractum ea ebrietate, cui sæpissime indulgebat, cum & uellet tum, idest simul, elicere, idest foras attrahere me ad causam cædis, idest ut me interficeret. tum: idest simul tentate, idest circumuenire in urbe, insidiis, quem ructantem, & pro: idest nauseantem ego confeci: idest contudi, & repressi in plagas: idest in retia tanquam feræ tensa. Cæsaris Octauiani: idest de domo Octauianorum. Sæpius tamen Octauius quam Octauianus dicitur, aut in plagas, idest uulnera: hoc est detrimenta ab Octauiano illata. Puer enim egregius: postea tamen mutauit animum, & Ciceronem proscribi permisit, comparauit præsidium, idest custodiam militarem, primum sibi, & nobis, deinde summæ: idest ultimæ saluti Reipublicæ quod, scilicet Cæsar nisi fuisset reditus Anto. a Brundusio, fuisset pestis patriæ. Ego arbitror te scire quæ acta sunt deinceps, sed redeamus unde diuertimus. Accipio excusationem tuam de Sempronio. neque enim potuisti habere quid, idest aliquid, statuti: idest firmi propositi in tanta perturbatione. Nunc (ut ait Terentius) idest Simo Terentianus in Andriã. Hæc dies affert aliam uitam, & postulat alios mores. Quamobrem o mi Quinte, Gaudent prænomine molles auriculæ, ut dicit Horatius conscende nobiscum, & quidem ad puppim: idest summa gubernacula. Vna nauis est iam omnium bonorum. quam quidem: scilicet nauem, nos damus operam, ut teneamus rectam, utinam, supple in cursu prospero. Sed quicunque uenti erunt siue prosperi, siue aduersi, certe ars nostra non aberit. Quid enim potest uirtus præstare aliud: scilicet quam obniti aduersis, & decenter uti prosperis? quasi dicat nihil. Tu fac, ut sis animo magno, & excelso, & cogites omnem dignitatem tuam debere esse cõiunctam cum Republi. Tu commendas mihi Publium Lentulum meum, scilicet summum amicum, quem ego tuebor: idest protegam, diligenter quibuscunque rebus potero. Nos quidem amisimus tempore sane, idest multum, alieno, idest importuno, Hirtium, & Pansam collegas nostros: idest nobiscum Senatores, & Reipubli. defensores, homines salutares Reipubli. in Consulatu, scilicet suo. Amisimus, inquit, Rep. quidem; idest certe liberata latrocinio Antoniano, quia Ant. in fugam uersus erat, sed nondũ explicata. i. expedita

ʃimi, coniecturam etiam atque etiam probo cum enim percommodum uidetur habere sensum, tum a ueteri scriptura non admodum secedit. nam cum in libris quibusdam antiquis, pro Græcum, scriptum sit, cæcum, ipse, nihil fere præter unam literá immutans, legendum putat, necum. i. necessarium, cæcum autem in antiquo libro Vincentii Ricci scriptum est.

SEBAS. CORR.

Liberalius {XV. Calen. Apr. {Neq; postero} XIIII. Cal. Apr. Quinquatribus} XIII. Cal. Apr.} Minerua nostra, quá olim, ereptis rebus nostris, uiolari ab impiis passi nõ sumus, eamq; ex nostra domo in ipsius patris domum detulimus, & nobis custodem, in exilium euntes, scripsimus. {Quam turbo deiecerat} non multo post Cæsaris cædem, quod portendisse Ciceronis mortẽ creditum est. {Pansa} Cos. {Minotauri} us Minotaurus ex homine & boue constat, sic ista coniunctio ex Caluisio & Tauro, qui prouinciam Africam petebant {Illi notarentur} C. Caluisius & Taurus. de his etiam in Quæstura dictum est. {Fundaměta R. P. ieci} Philip. III. {De obtinendis prouinciis} Epist. XXII. huius libri. {Labefactare eum} Caluisium. {Absens obtinebat} duobus legatis Vticæ relictis, ipse ad urbem profectus. {In urbem recepit} deposito tandẽ imperio. {Græcum} Al. gratum, cæcum, graue, egregium, legi etiam uidebis. In Græciam} Epist. I. lib. X. {Reliquorum} præsertim Consularium {Liber unus fui} Philip. I. {Vinolentum} Al. uiolentum. {Elicere uellet} Epist. II. huius libri {R. P. cõparauit} Epist. XIII. lib. X Redeamus ad illud} Al. redeamus illuc. {P. Luceium} Epist. XXX. huius libri. Sed uel hic est principium epistulæ, uel hæc multo postquam facta sunt, a Cicerone sunt scripta. nam Pansa uiuus & mortuus eodem tempore esse non potuit, ut in hac epistola esse uidetur. Illud quidem affirmare possumus, in peruetere libro hanc epistulam, & sequentes ita coniunctas, atque adeo confusas fuisse, ut nullius principium appareret. unde liberum unicuique fuit, ad suum arbitrium eas describere, & diuidere. {Collegas nostros} in auguratu. {Latrocinio liberata} uicto Antonio apud Mutinam.

BERN. RVT.

Quas mihi Cornificius altero uicesimo die, ut dicebat, reddidit} Altero uicesimu, puto uicesimu secundo esse, non, ut garrit Clericus, quadragesimo. {Pansis tuas literas recitauit} Stulte alium hunc a Consule accipit Clericus: dignus tamẽ uenia, qui duas epistolas in unam coagulatas inuenerit, quæ ita commode diuidentur, ut posterior inde inchoetur, P. Luceium mihi meum, &c. uel inde, Hirtium quidem & Pansam. quo mendo etiam in epistolis ad Atticum crebro peccatũ est. Nisi uero multo ante actam rem referri hoc initiu malumus accipere. quis. n. In Senatu literas recitaret, præter Consulem? aut quis alius tum in magistratu Pansa? nam alterum quendam nominat Pansam Appianus, qui sit ad Brutum Cassiumue a Senatu missus, & quidem Africanarum legionum gratia. {Vt Minerua nostra, custos urbis, quam turbo deiecerat, restitueretur} Plane hæc accipio, nõ (ut Clericus) per allegoriam. {Et offensionem minotauri. i. clauis & tauri} Omnino de certis hominibus intelligendum demonstrat, quod subditur, postulabatur autem etiam, ut illi notarentur. Sed Pansa clementior. ut legi posit, & offensione Caluisij & Tauri, quod in quibusdam est manuscriptis exemplaribus. quanuis Clericus suo more uacillet... {Neq; tum elicere uellet ad cædis causam, tum tentare insidiis} Tentaret, sensus exigit. Significat autem illam M. Antonii orationem in se, de qua supra quoq; diximus ex Plutarcho, ipsoq; {Neque enim statui, quid in tanta perturbatione habere potuisti} Statuti quid, puto rectius.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Hæc epistola ab aliis superiori connectitur.

M. T. CICERO CORNIFICIO S. 16

Quintus Turius qui in Africa negotiatus est, uir bonus, & honestus, hæredes fecit similes sui Cn. Saturninum, Sex. Aufidium, Cn. Anneium, Q. Considium Gallum, L. Seruilium Posthumum, C. Rubellium. ex eorum oratione intellexi, gratiarum actione eos magis egere, quàm commendatione: tanta enim liberalitate se tua usos prædicabant, ut iis plus à te tributum intelligerem, quam ego auderem te rogare. audebo tamen: scio enim, quantum ponderis mea commendatio sit habitura. quare à te peto, ut ad eam liberalitatem, qua sine meis literis usus es, quam maximus his literis cumulus accedat. caput autem est meæ commendationis, ne patiare Erotem Turium Q. Turii libertum, ut adhuc fecit, hæreditatem Turianam auertere: cæterisq; omnibus rebus habeas eos à me commendatissimos. magnam ex eorum splendore, & obseruantia capies uoluptatem. quod ut uelis, te uehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

ASCENSIVS.

Quintus Turius, uir bonus, & honestus: qui negotiatus est, idest mercaturam egit in Africa, fecit hæredes similes sui: idest uiros bonos, & honestos, Cn. Saturninum, Sextum Aufidium, Cn. Anneium, Q. Considium Gallum, Lucilium Seruilium Posthumum, & C. Rubellium. Ego intellexi ex oratione: idest uerbis eorum, eos magis egere actione gratiarum: scilicet tibi agendarum, quam commendatione. Prædicabant enim se usos tanta liberalitate tua: ut ego intelligerem plus tributum esse iis a te, quam ego auderem rogare. s. a te, tamen audebo, scilicet rogare. scio enim quantum ponderis commendatio mea sit habitura. Quare peto a te, ut quam maximus cumulus: idest summum incrementum accedat his literis meis: idest propter has literas meas. Sunt enim septimi casus non datiui, ad eam liberalitatem, qua usus es sine literis meis. Autem: idest sed. caput: idest principale propositum, commendationis meæ est, ne patiare Erotem Turium libertum Quinti Turii auertere: idest a ueris hæredibus ad se trahere, hæreditatem Turianam: idest quam Quintus Turius reliquit, ut fecit adhuc, & habeas eos commendatissimos a me: supple in cæteris rebus omnibus. Tu capies magnam uoluptatem & ex splendore: idest honestate uitæ, & ex obseruantia, idest cultu eorum, quo te obseruabunt, & colent. Quod ut uelis, ego rogo te etiam, atque etiam: idest iterum, atque iterum uehementer.

SEBAS. CORR.

Quintus Turius} Alias hæc epistula cum superiore coniungitur, quod parui admodum refert.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Renouat commendationem Aufidii hac epistola, quam in fine superioris insinuarat.

M. T. C. S. P. D. CORNIFICIO 17

Sextus Aufidius & obseruantia, qua me colit, accedit ad proximos: & splendore, equiti R. nemini cedit. est autem ita temperatis, moderatisq; moribus, ut summa seueritas summa cum humanitate iungatur. cuius tibi negotia, quæ sunt in Africa, ita commendo, ut maiore studio, magis'ue ex animo commendare non possim. pergratum mihi feceris, si dederis operam, ut is intelligat meas apud te literas maximum pondus habuisse, hoc te uehementer mi Cornifici rogo. Vale.

ASCENSIVS.

Sextus Aufidius &c. Commendat Cornificio Sextum Aufidium equitem Romanum pro hæreditate Turii obtinenda, pro qua etiam commendauis eum in fine præcedentis epistulæ cum aliis cohæredibus. Ordo est: Sextus Aufidius, & idest pariter, accedit ad proximos: idest mihi coniunctissimos, obseruantia: idest ueneratione qua me colit, & nemini cedis: idest partem dat unicuique splendore equitis Roma. est autem moribus ita temperatis, & moderatis, ut summa seueritas, idest grauitas, & rigor, iungatur cum summa humanitate, idest clementia. Cuius negotia quæ sunt in Africa, ego commendo tibi, ita, ut non possim commendare: supple ea, maiore studio. ue: pro uel, magis ex animo. Tu feceris mihi pergratum si dederis operam: ut is intelligat literas meas habuisse maximũ pondus. i. plurimum ualuisse apud te. O mi Cornifici ego rogo te hoc uehementer.

SEBAS. CORR. Cuius tibi negotia) præsertim Turianam hæreditatem.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Gratam sibi familiaritatem Cornificii esse dicit, & de pecuniis petitis consilium aliud illi dare nititur, postremo suum officium pro Repub. Cornificio commendat.

M. T. C. S. P. D. CORNIFICIO 18

ASsentior tibi eos, quos scribis Lilybæo minari, istic pœnas dare debuisse: sed metuisti, ut ais, ne nimis liber in ulciscendo uiderere. metuisti igitur ne grauis ciuis, ne nimis fortis, ne nimis te dignus uiderere. Quod societatem Reip. conseruandæ tibi mecum à patre acceptam renouas, gratum est: quæ societas inter nos semper mi Cornifici manebit. Gratum etiam illud, q. mihi tuo nomine gratias agendas non putas. nec enim id inter nos facere debemus. Senatus sæpius pro dignitate tua appellaretur, si absentibus Consulibus unquam, nisi ad rem nouam, cogeretur. itaque nec de HS. XX. nec de HS. DCC. quicquam agi nunc per Senatum potest. tibi autem ex S.C. imperandum, mutuumq; sumẽdum censeo. In Repub. quid agatur, credo te ex eorum literis cognoscere, qui ad te acta debent perscribere. ego sum spe bona: consilio, cura, labore non desum, omnibus inimicis Reipu. esse me acerrimum hostem præmefero, res neque nunc difficili loco mihi uidetur esse: et fuisset facillimo, si culpa a quibusdam abfuisset. Vale.

ASCENSIVS. ASsentior &c. Ceperat Cornificius quosdam Siculos e Lilybæo, quos cum Romanos intellexisset, eos a Romanis puniendos misit, quod factũ eius pusillanimitati adscribit Cice. ostendens se eum libenter recipere socium in Rep. conseruanda. De pecuniis autem quas a Senatu petierat, dicit se nihil posse: cõsulit autem alicunde mutuo accipiat: Ordo est: Ego assentior tibi. i. sentio tecum eos, quos scribis, minari Lilybæo. s. oppido, & promontorio Siciliæ, debuisse dare poenas istic; scilicet ubi tu es. sed (ut ais) tu metuisti ne uiderere nimis liber. i. asper in ulciscendo, & ideo miseras eos Ro. igitur hoc metuẽdo, metuisti ne uiderere ciuis grauis, ne uiderere nimis fortis, ne uiderere nimis dignus te, idest quæ te digna sunt facere. Quod renouas societatem Reipublicæ conseruandæ mecum, acceptam. i. derelictam tibi a patre: scilicet tuo. est gratum. quæ societas o mi Cornifici, manebit semper. illud etiam: supple fuit in epistolis tuis gratum. quod non putat gratias agendas tuo nomine. i. pro beneficiis abs te acceptis. Nec enim debemus facere id inter nos: idest sic debemus esse officiosi alter in alterum: ut non sit necesse gratias agere. Senatus appellaretur, scilicet a me, idest conueniretur sæpius pro dignitate tua: scilicet tuenda, si cogeretur. i. congregaretur unquam. i. aliquo tempore, Consulibus absentibus. i. tantisper dum Cõsules absunt, nisi ad rem nouam Itaque nec de HS. i. sestertiis uiginti, nec sestertiis decem. s. a te petitis, potest nunc quicquam agi per Senatum. Ego autem censeo imperandum tibi. i. a te. sup. prouincialibus tuis, ex Senatusconsulto, & sumendum mutuum. s. publico nomine Ego credo te cognoscere quid agatur in Rep. ea literis eorũ, qui debent perscribere ad te acta. s. publica. Ego sum spe bona: scilicet de Repu. non desum consilio, cura, labore: supple Reipublicæ, ego præmefero. i. palam ostendo me acerrimum hostem omnibus inimicis Repu. Res: idest negotium, quod agitur de libertate publica, neque uidetur mihi esse nunc loco difficili. i. uidetur facile posse transigi, & fuisset facillima, si culpa abfuisset a quibusdam, ut a Lepido, & Ventidio.

VICTORIVS. SEnatus sæpius pro dignitate tua appellaretur, si, &c. Nos cõmunem lectionem secuti sumus; nec tamen tacere uolumus in ueteribus {Appellaret} legi: ut Senatum fortasse intelligat commotum gloria rerum a Cornificio gestarum, & studio in omnibus rebus illi commodandi appellaturum fuisse, & per se a nullo ẽe excitatum de rebus Cornificii acturũ si cogeretur: sed cum absentibus Consulibus raro, aut nunquam nisi ad rem nouam cogatur, non potest quæ sentit de eius dignitate conficere.

Ex postremo eiusdem. SEnatus sæpius pro dignitate tua appellaretur) diximus olim Mediceum, & alios manuscriptos habere {Appellaret} quam lectionem si tunc non contempsimus, nunc multo magis probamus. uidetur enim hic Cicero dixisse, Senatus appellaret: ut in episto. ad Tyronem: nobis inter has turbas Senatus tamen frequẽs flagitauit triumphum. statuant nunc eruditi.

SEBAS. CORR. NIsi ad rem nouam cogeretur} a Præt. urb. Epist. XII. lib. X. {Res neq; nunc} Al. res nunc. {Facillimo} Al. facillima. {A quibusdam} ut a Lepido.

BERN. RVTI. Ne minus te dignus uiderere} Nimis, aptius; interpreti quoque agnitum.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Commendat Lamiam, Lamiæq; negotia quam diligentissime Cornificio, falsamq; suspicionem quam de Lamia conceperat, diluit.

M. T. C. S. D. CORNIFICIO. 19

*NOn modo te, cui omnia nostra notissima sunt, sed neminem in populo Romano arbitror esse, cui sit ignota ea familiaritas, quæ mihi cum L. Lamia est: etenim magno theatro spectata est, tum cum est ab A. Gabinio Cos. relegatus, quòd libere & fortiter salutem meam defendisset. nec ex eo amor inter nos natus est: sed quòd erat uetus & magnus, propterea nullum periculum pro me adire dubitauit: ad hæc officia, uel merita potius, iucundissima consuetudo accedit, ut nullo prorsus plus homine delecter. non puto te iam expectare. quibus eum tibi uerbis commendem: causa. n. tanti amoris intelligis, quæ uerba desideret, iis me omnibus usum putato. tantum uelim existimes, si negotia Lamiæ, procuratores, *libertos, familiam, quibuscunque rebus opus erit, defenderis, gratius mihi futurum, quàm si ea tua liberalitas pertinuisset ad rem familiarem meam. nec dubito, quin sine mea commendatione, quod tuum est iudicium de hominibus, ipsius Lamiæ causa studiose omnia facturus sis. quanquam erat nobis dictum, te existimare alicui S.C. quod contra dignitatem tuam fieret, scribendo Lamiam affuisse: qui omnino Consulibus illis nunquam *affuit scribendo. deinde omnia tum falsa S.C. deferebantur. nisi forte etiam illi Semproniano S.C. me censes affuisse, qui ne Romæ quidem tum fui, ut de eo ad te scripsi recenti. sed hæc hactenus. te mi Cornifici etiam atque etiã rogo, ut omnia Lamiæ negotia, mea putes esse: curesq; ut intelligat hanc commendationem maximo sibi usui fuisse. hoc mihi gratius facere nihil potes. Cura ut ualeas.*

*a. l. liberos

*a. l. fuit ad scribẽdum.

ASCENSIVS. NOn modo &c. Commendat Cice. Cornificio L. Lamiã amicissimum suum, quem etiam lib. X. Commendauit D. Brutus & purgat suspicionem, quam habuerat Cornificius quod Lamia interfuisset Senatusconsulto contra dignitatem suam decreto. Ordo est: Ego arbitror nõ modo. i. non solum te, cui omnia nostra: scilicet acta sunt notissima. uidetur dicendum non modo te non esse, sed (ut doctissime adnotauit Budæus) sæpe altera negationum contenti sunt authores: præsertim accedente negatione, quæ ad plura posset referri, ut hoc loco, sed neminẽ arbitror esse in Popul. Ro. cui ea familiaritas, quæ mihi est cum Lucio Lamia, sit ignota. Etenim: idest quia certe, ipsa est spectata magno theatro: idest in conspectu totius populi. tum: idest tunc, cum. i. quando relegatus est: idest in exilium missus ab Aulo Gabinio. Cõsule, quod defendisset libere, & fortiter salutem meam. Nec amor est natus inter nos eo. s. facto eius, sed quod amor. s. erat uetus, & magnus: propterea nullum dubitauerat adire periculum pro me. Cõsuetudo iucundissima accedit. i. additur ad hæc officia, uel potius merita. Officia enim sunt, quæ ex debito fiunt, Merita quæ ex libertate: quæ debitorem faciunt: sup. ita, ut nullo. i. non nullo: non delecter ullo prorsus homine plus. s. quam Lamia. Non puto te expectare iam. s. postquam docui quam charus mihi sit, quibus uerbis cõmendem eum. Tu enim intelligis causam tanti amoris.

amoris. putato me usum omnibus iis uerbis, quæ uerba desideret. Tantum: idest duntaxat, uelim: sup. ut existimes, si defenderis negotia, procuratores, libertos, familiam Lamiæ, quibuscunque rebus opus erit: sup. id futurum gratius mihi, quã si ea liberalitas, scilicet tua pertinuisset ad rem familiarem meã. Nec dubito quin facturus sis omnia, studiose. i. diligenter, causa ipsius Lamiæ: quia. s. uir dignus tibi uidebitur, siue commẽdatione mea. quod. i. quale, hoc est quia tale est iudicium tuum de hominibus: ut. s. facillime iudices qui digni sint auxilio tuo. Quanquam erat dictũ te existimare Lamiam affuisse alicui Senatusconsulto, scribendo. i. dum scriberetur, quod fieret contra dignitatem tuam. qui. s. Lamia nunquam fuit. s. paratus, aut præsens ad scribendum. s. aliquid, omnino illis Consulibus. i. quandiu illi essent Consules sub quibus scriptum est. Deinque. i. secundo loco, omnia Senatusconsulta deferebantur. i. nunciabantur tum. i. tunc falsa, aut falso, nisi forte censes etiam me, ut delatum est affuisse: sup. in illo Senatusconsulto Semproniano. i. quod sub Sempronio referente factum est. qui ne quidem. i. nõ saltem fui. s. tunc Romæ, ut scripsi ad te. tum. i. tunc. de eo recenti. i. recentius facto. Sed hæc hactenus: sup. dicta sint. O mi. Cornifici ego rogo te etiam, atq; etiam: ut putes omnia negotia Lamiæ esse mea, curesq; ut intelligat hanc. s. meam commendationem fuisse sibi maximo usui. i. summæ utilitati. Tu nihil potes facere gratius mihi, hoc. i. quam hoc Cura ut ualeas.

SEBAS. CORR. · Non modo te) Al. non modo tibi. {L. Lamia} Epist. XVI. lib. XI. {Affuit scribendo} Al. fuit ad scribendum.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Missa est epistola, prior autem pars in excusatione generis literarum cõsistit in posteriore ad uaria epistolæ Cornificii capita respondet.

M. T. C. S. P. D, CORNIFICIO 30

ITàne præter litigatores nemo ad te meas literas? multæ istæ quidem: tu enim perfecisti, ut nemo sine literis meis tibi se commendatum putaret. sed quis unquam tuorum mihi dixit esse: cui darem, quin dederim? aut quid mihi iucundius, quam cum coràm tecum loqui non possim, aut scribere ad te, aut tuas legere literas? illud magis mihi solet esse molestum, tantis me impediri occupationibus, ut ad te scribendi meo arbitratu facultas nulla detur: Nõ enim te epistolis, sed uoluminibus lacessere, quibus quidẽ me à te prouocari oporteret, quàuis enim occupatus sis, otii tamẽ plus habes: aut, si ne tu quidem uacas, noli impudens esse, nec mihi molestiam exhibere, & à me literas crebriores, cum tu mihi raras mittas, flagitare. nam cum antea distinebar maximis occupationibus, propterea, quòd omnibus curis Rempub. mihi tuendam putabam, tum hoc tempore multò distineor uehementius: ut enim grauius ægrotant ii, qui, cum leuati morbo uiderentur, in eum deintegro inciderunt, sic uehementius nos laboramus, qui profligato bello, ac penè sublato, renouatum bellum* gerere conamur. sed hæc hactenus. Tu tibi mi Cornifici fac ut persuadeas, non esse me tam imbecillo animo, ne dicam inhumano, ut à te uinci possim aut officiis, aut amore. non dubitabam equidem: uerum tamen multo mihi notiorem amorem tuum effecit Chærippus. ò hominem semper illum quidem mihi aptum, nunc uero etiam suauem. uultus mehercule tuos mihi expressit omneis: non solum animum, ac uerba* protulit. itaque noli uereri, ne tibi succensuerim, quòd eodem exemplo ad me, quo ad cæteros. requisiui equidem proprias ad me unum à te literas, sed neque uehementer, & amanter. De sumptu, quem te in rem militarem facere, & fecisse dicis, nihil sanè possum tibi opitulari, propterea quòd & orbus Senatus Consulibus amissis, & incredibiles angustiæ pecuniæ publicæ: quæ conquiritur undique, ut optime meritis militibus promissa soluantur. quod quidem fieri sine tributo posse non arbitror. De Accio Dionysio nihil puto esse, quoniam mihi nihil dixit Stratorius. De P. Luceio, nihil tibi concedo, quo studiosior eius sis, quàm ego sum: est enim nobis necessarius. sed à magistris cum contenderem de proferendo die, probauerunt mihi, sese, quo minus id facerent, & compromisso, et iureiurando impediri. quare ueniendum arbitror Luceio: quanquam, si meis literis obtemperauit, cum tu hæc leges, illum Romæ esse oportebit. Cæteris de rebus, maximeq; de pecunia, cum Pansæ mortem ignorares, scripsisti quæ per nos ab eo consequi te posse arbitrarere. quæ te non fefellissent, si uiueret: nam te diligebat. Post mortem autem eius quid fieri posset, non uidebamus. De Venuleio, Latino, Horatio ualde laudo, illud non nimiũ probo, quòd scribis, quo illi animo æquiore ferrent, te tuis etiam Legatis lictores ademisse: honore enim digni cum* ignominia dignis non erant comparandi: eosq; ex S.C. si non decedunt, cogendos, ut decedant, existimo. hæc ferè ad eas literas, quas eodem exemplo binas accepi. De reliquo, uelim tibi persuadeas non esse mihi meam dignitatem tua chariorem. Vale.

*a. l. gerere cogamur.

ASCENSIUS. ITane &c. Respondet potissimum in fine uariis rebus itaque facilius legenti patebit argumentum, quam ex huiuscemodi collectione, ne tamen nihil dicam, primũ se excusat: quod a Cornificio fuerat accusatus: quod nullas misisset epistolas nisi commendatitias, docens se & alias scripsisse. Ordo est: Itane: sup. scribis, aut uerum putas: q nemo præter litigatores. i. qui pro lite sua commendari nolunt: sup. adferunt ad te literas meas? Istæ quidem. s. commendatitiæ litigatorum: supple sunt multæ. Tu enim te facilem præbendo effecisti, ut nemo putaret se commendatum tibi sine literis meis. Sed quis unquam tuorum dixit mihi esse sup. aliquid: cui darem. i. dare possem, quin dederim? aut quid: supple contingere potest mihi iucundius, quam cum non possem loqui tecum coram: idest in præsentia, & (ut dicunt) ore ad os, aut scribere ad te, aut legere literas tuas? quasi dicat nihil. Illud solet mihi esse magis molestum, me impediri tantis occupationibus: ut nulla facultas detur: supple mihi scribendi ad te arbitratu meo Non enim si facultas detur, lacesserem. i. prouocarem te ad scribendum epistolis: sed uoluminibus. i. integris libris, quibus. s. uoluminibus, quidem, idest certe oporteret, idest deceret me prouocari a te. Quanuis enim sis occupatus, tamen habes plus otii, scilicet quam ego, aut si ne tu quidem qui magis uideris posse uacare, uacas, idest cessas, noli esse impudens. s. exigẽdo, quod præstare nequeas, nec: supple uelis, nam nolle, a ne noli nõ dicitur, exhibere mihi molestiam: scilicet exigendo literas, & noli flagitare literas crebriores a me, cum tu raro mittas mihi. Nam cum distinebar antea occupationibus maximis, propterea quod putabam Rempub. tuendam mihi omnibus curis, tamen ego distineor. s. occupationibus hoc tempore uehementius multo. s. quam antea. Vt enim grauius ægrotant ii, qui cum uiderentur leuati morbo, inciderunt in eum deintegro. i. de nouo: sic nos laboramus uehementius, qui bello profligato: idest oppresso, ac pene sublato, conamur gerere bellum renouatum. Sed hæc hactenus. Tu o mi Cornifici fac, ut persuadeas tibi: supple me, non esse animo tam imbecillo: idest debili, ne dicam inhumano: idest duro, ut possim uinci a te, aut officiis, aut amore. Equidem: idest ego certe, nõ dubitabam. s. de amore tuo, ueruntamen Chærippus, qui a te uenit, effecit amore tuum multo notiorem mihi. s. quam prius erat. O hominem, lætitiæ causa exclamat, illum quidem. s. Chærippum semper apertum mihi, nunc uero etiam suauem. Me hercule ipse expressit. i. effinxit mihi omnes uultus tuos, non solum. i. uedum pertulit animum, ac uerba. Itaque noli uereri ne succensuerim. i. subiratus fuerim tibi: quod supple misisti literas ad me eodem exemplo quo ad cæteros: idest eadem forma scriptas. Requisiui equidem literas a te proprias ad me unum. s. datas, sed neque requisiui: supple uehementer, sed amanter: idest ut earum amator, si fuissent non uehemens exactor, quia non fuerunt. Ego nihil sane, idest omnino possum opitulari: idest opis afferre tibi, de sumptu quem dicis te facere, & fecisse in rem militarem. propterea quod Senatus orbus: supple est, idest quasi sine patre, Consulibus: scilicet Pansa, & Hirtio amissis: idest cæsis, & incredibiles: supple sunt angustiæ. i. penuriæ pecuniæ publicæ, idest ad rempu. pertinentis, quæ conquiritur undique ut promissa soluantur militibus optime meritis. Quod quidem ego arbitror non posse fieri sine tributo. s. per tribus dato. Ego puto nihil: scilicet eorũ, quæ agebamus esse de Accio Dionysio, quoniam Stratorius nihil dixit mihi, non taciturus tamen si aliquid fuisset. Ego nihil cõcedo tibi de Publio Luceio. quo: idest per quod, aut ut sis studiosior eius: idest commodi illius, quam ego sum. Est enim necessarius nobis. Sed cũ contenderem, idest obnixe peterem a magistris: idest arbitris causæ eius de die proferendo: idest prolongando. probauerunt: idest satis ostenderunt mihi sese impediri compromisso, & iureiurando quo-

minus.i.ut non facerent id.i.nõ proferrent diem. Quare ego arbitror Luccio ueniendum: supple esse. quanquam si obtemperauit literis meis, oportebit illum esse Romæ, cum tu leges hæc.s.scripta mea. Tu scripsisti de cæteris rebus, & maxime de pecunia.s.tibi mittenda, cum ignorares mortem Pansæ.s.Consulis, & amici tui: supple ea quæ tu arbitrabare te posse consequi ab eo per nos: idest per nostram intercessionem, aut solicitationem, quæ nõ fefellissent te, si uiueret: nam te ipse diligebat, autem: idest sed non uidebamus quid.aut qui.i.quomodo.id.s.quod postulasti, posset fieri post mortem eius s.Pansæ. Ego ualde laudo: supple quæ scripsisti de Venuleio, Latino, & Horatio, Ego non probo: idest laudo nimium illud quod scribis, te ademisse etiam Legatis tuis lictores.i.publicos ministros cum insignibus. quo: idest ut illi.s.iam dicti, ferrent animo æquiore.i.minus molesto, se.s.lictoribus carere. Enim.i.quia, supple digni honore, ut Legati a Republi.stantes, non erant comparandi cum dignis ignominia.s.Venuleio, Latino, Horatio. ubi notandum etiam de digniore dici: quod non sit comparandum cum digniore. Ego existimo eos.s.iam dictos, cogendos ut decedant, si non decedunt, ex Senatusconsulto: idest parente illi. Hæc fere, supple sunt responsa ad eas literas, quas accepi binas eodem exemplo. De reliquo, uelim persuadeas tibi, dignitatem meam non esse mihi chariorem tua.

Renouatum bellum} a Lepido. {Accio} Al. Atteio. Al. Attico, & ita legendum censeo: ut is Dionysius significetur, qui cum Ciceronis seruus esset, factus liber, ex Cicerone, & Attico iunctus est, & appellatus M. Pomponius Atticus Dionysius. {A magistris} auctionum: quicquid alii dicant. SEBAS. CORR.

Sed a magistris Cum contenderem de proferendo die, probauerunt mihi, sese, quo minus id faceret, & compromisso & iureiurando impediri} Aberrat Clericus. Magistros societatis accipe, cui debebat Luccius. Compromissum, inter ipsos magistros mutuam promissionem, ne cui, scilicet debitori diem soluendi proferrent, id enim puto dici. De magistris societatũ Iureconsulti passim, sed & alibi Cicero. BERN. RVTI.

Itane præter} Excusatio silentii. {Nam cum antea} Occupationum amplificatio. PHIL. MELS.

MARCI TVLLII CICERONIS
EPISTOLARVM FAMILIARIVM,
LIBER DECIMVSTERTIVS.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

In hunc decimumtertium librum Tyro commendatorias epistolas congessit, ne passim historiarum ordinem, qui in multis epistolis est cõfunderet. In hac autem epistola obliqua commendatione usus est Patronis philosophi, cui a Memmio petit facultatem erigendi parietis, qui Memmio obfuturus credebatur.

M. T. C. S. D. C. MEMMIO 1

ET si non satis mihi constiterat, cum aliquane animi mei molestia, an potius libenter te Athenis uisurus essem, quod iniuria, quam accepisti, dolore me afficeret, sapientia tua, qua fers iniuriam, lætitia: tamen uidisse te mallem: nam quod est molestiæ, non sane multo leuius est, cum te non uideo: quod esse potuit uoluptatis, certe, si uidissem te, plus fuisset. itaque non dubitabo dare operam, ut te uideam, cum id satis commode facere potero. interea quod per literas, & agi tecum, et ut arbitror, confici potest, agã. nunc à te illud primum rogabo, nequid inuitus mea causa facias: sed id, quod mea intelliges multum, tua nullam in partẽ interesse, ita mihi des, si tibi ut id libẽter facias, ante persuaseris. Cum Patrone Epicureo mihi omnia communia sunt, nisi q. in philosophia uehementer ab eo dissentio. sed & initio Romæ, cum te quoque, & tuos omneis obseruabat, me coluit in primis: & nuper, cum ea, quæ uoluit, de suis cõmodis, & præmiis consecutus est, me habuit suorum defensorum, & amicorum fere principem: & iam a Phædro, qui nobis, cum pueri essemus antequam Philonem cognouimus, ualde ut philosophus, postea tamen, ut uir bonus, & suauis, & officiosus probabatur, traditus mihi commendatusq; est. is igitur Patro, cum ad me Romam literas misisset, uti te sibi placarẽ, peteremq;, ut nescio quid illud Epicuri parietinarum sibi concederes. nihil scripsi ad te ob eam rem, quòd ædificationis tuæ consilium mea commendatione nolebam impediri. idem, ut ueni Athenas, cum idem ut ad te scriberem, rogasset, ob eam causam impetrauit, quòd te abiecisse illam ædificationẽ, constabat inter omneis amicos tuos. quod si ita est, & si iam plane tua nihil interest: uelim, si qua offensiuncula facta est animi tui, peruersitate aliquorũ (noui enim gentem illam) des te ad lenitatem, uel propter tuam summam humanitatem, uel etiam honoris mei causa: equidem si, quid sentiam, quæris: nec cur ille tantopere contendat, uideo, nec cur tu repugnes: nisi tamen multo minus tibi concedi potest, quàm illi, laborare sine causa. quanquam Patronis & orationẽ, & causam tibi cognitam esse certo scio. honorem, officium, testamentorũ ius, Epicuri authoritatem, Phædri obtestationem, sedem, domicilium, uestigia summorum hominum sibi tuenda esse dicit: totam hominis uitam rationemq; quam sequitur in philosophia, derideamus licet, si hanc eius contentionem uolumus reprehendere. sed me hercule quando illi cæterisq; quos illa delectant, non ualde inimici sumus, nescio an ignoscendum sit huic si tantopere laborat, in quo etiam si peccat, magis ineptiis, quàm improbitate peccat. sed ne plura (dicendum enim aliquando est) Pomponium Atticũ sic amo, ut alterum fratrem. nihil est illo mihi nec charius, nec iucũdius. is, non quo sit ex istis (est enim omni liberali doctrina politissimus) sed ualde diligit Patronem, ualde Phædrum amauit: sic à me hoc contendit, homo minime ambitiosus, minime in rogitãdo molestus, ut nihil unquam magis. nec dubitat, quin ego à te nutu hoc consequi possim, ita etiam, si ædificaturus esses. nunc uero si audierit te ædificationem deposuisse, neque tamen me à te impetrasse, non te in me illiberalem, sed me in se negligentem putabit. quamobrẽ peto à te, ut scribas ad tuos posse tua uoluntate decretũ illud Areopagitarum, quem *ὑπομνηματισμὸν illi uocant, tolli. sed redeo ad prima. prius uelim tibi persuadeas, ut hoc mea causa libenter facias, quàm ut facias. sic tamẽ habeto: si feceris, quod rogo, fore mihi gratissimum. Vale.

*.i.monimentum quoddam.

Etsi

Etsi Non satis &c. Hi duo sequentes libri ut facillimi, ita utilissimi sunt, eo quod commendationum uariat, & elegantes imitationes habent, quibus docemur & ornate dicere, & amicorum causas diligenter commẽdare, idq; cum delectanone maxima. In hac autem prima hoc est argumentum C. Memmius uir nobilissimus Athenis domum cœperat ædificare ad ædes Patronis philosophi Epicurei amicissimi Ciceronis, qui ad Ciceronem scripserat, ut a Memmio exoraret, ne quendam parietem impediret. de quo negotio tota fere hac agitur epistola. Ordo est. Etsi .i. quanquam. non satis constiterat, idest euidens fuerat, mihi, ne .i. an uisurus essem te Athenis cum aliqua molestia animi, an potius libenter, quid: idest quia, iniuria quam accepisti: idest passus es, afficeret me dolore, sapientia tua, qua fers iniuriam: supple afficeret me lætitia: tamen mallem uidisse te. Nam: supple id molestiæ quod est: scilicet ob iniuriam tibi illatam, non est sane multo leuius, cum non uideo te, id supple uoluptatis, quod potuit esse, fuisset certe plus, si uidissem te. Itaque non dubitabo dare operam, ut uideam te, cum potero facere id satis commode. Interea agam quod agi potest tecum: & (ut arbitror) confici: idest absolui, & perfici, per literas. Ego rogabo nunc a te illud primum, neqd facias inuitus: idest contra placitum tuum mea causa, sed des mihi id quod intelliges multum interesse mea: hoc est mihi utile esse, & in nullam partem multum interesse tua. ita .s. des mihi: si persuaseris tibi ante i. si te ad hoc adduxeris ante, ut facias id libenter. Incipiens autem ordiri rem, quam prætendebat, dicit: Omnia sunt mihi communia, cum Patrone Epicureo, nisi quod dissentio uehementer ab eo in philosophia, quia Stoicus potius aut Academicus erat Cicero, sed & initio .s. coniunctionis uostræ cum obseruabat quoq; te & tuos omnes Romæ, coluit me in primis .i. præcipue, & nuper, idest nunc parum est temporis, cum consecutus est de commodis & præmiis suis ea quæ uoluit, habuit me fere principem defensorũ & amicorum suorum, & ipse traditus & commendatus est mihi iã, idest his diebus a Phædro, qui .s. Phædrus, probabatur .i. laudabatur & placebat nobis, cum essemus pueri, antequam cognouimus Philonẽ, scilicet Philosophum, probabatur, inquã, ut philosophus, postea tamen probabatur ut uir bonus & suauis & officiosus: quasi dicat propter illius qui nobis communiter est obseruandus commẽdationem, debere commendatiorem esse. It igitur Patro cum misisset Romam literas ad me. uti .i. ut, placarem, idest reconciliarem & placatum facerem te sibi, & peterem .s. a te, ut supple concederes sibi illud Epicuri .i. quod ad Epicureum hominem pertineret, nescio quid parietinarum supple rerum, idest ad parietem communẽ pertinentium, sic legitur & exponitur fere, sed lectio parum placet, expositionem autem meliorem cuique inueniẽdam relinquimus. ego supple tunc, nihil scripsi ad te, ob eam rem, quod nolebam cõsilium ædificationis tuæ impediri commendatione mea, idem scilicet Patro cum cogasset ut: idest postquam ueni Athenas, ut scriberem ad te idem .i. eandem rem .s. ut te sibi placarem, & de parietis parte concedenda rogarem, impetrauit .s. petitum suum a me, ob eam causam quod constabat .i. notum erat inter omnes tuos, te abiecisse, idest ut displiceorem reiecisse & dimisisse illam ædificationem. Quod si est ita, & si .i. quanquam iam nihil interest plane: idest omnino tua, uelim si qua, idest aliqua offensiuncula .i. læsiuncula animi tui facta est peruersitate aliquorum, noui enim gentem illam, scilicet meodacem & ad discordiam seminandam procliuem, des .i. accommodes te ad lenitatem, idest placabilitatem, uel propter summam humanitatem. scilicet tuam, uel etiam causa honoris mei, ne uidear frustra a te petisse. Equidem, si quæris quid ipse, idest ego sentiam, nec uideo cur ille cõtendat, idest instet tantopere, nec cur tu repugnes, nisi tamen concedi potest multominus tibi .s. qui uir prudens haberis, quam illi .s. homini Epicureo laborare sine causa. Quanquã ego certo scio & orationem & causam Patronis esse cognitã tibi, tamen sup. repetam tibi. ipse dicit honorem .s. suum, eo quod philosophus est & turpe fuerit alteri de iure cedere, & officium, quia debet pro sectæ totius honore contendere, & ius testamentorum, quibus sibi illæ ædes erant relictæ, authoritatem Epicuri, quem imitatur, obtestationem .i. maximam precationem cum fidei attestatione, Phædri .s. Philosophi & communis amici, sedem .i. longam & firmam habitationem, domicilium .i. propriam habitationẽ, uestigia, idest imitationes summorum hominum, aut qui in iisdem ædibus habitarunt, aut quid simile factitarunt, dicit inquam hæc omnia esse tuẽda .i. protegenda sibi. Licet, idest licitum est supple ut derideamus totam uitam hominis, & rationem quam sequitur, si uolumus reprehendere hanc contentionem .i. petitionẽ eius. Sed mehercule quãdo, idest quando quidem seu quoniam, nos non sumus ualde inimici .i. aliquantulum fauemus illis, uidelicet Patroni, & cæteris quos illa .s. quæ ille sibi tuenda dicit, delectant, nescio an ignoscendum sit huic .s. Patroni, si laborat tantopere .s. tueri dicta. In quo .s. studio, etiam si peccat .s. per cupiditatem, tamen peccat potius ineptiis, qa est homo minus culto ingenio, quam improbitate .i. malitia. Sed supple dicam, dicendum est enim aliquando i. tandem finiendum est: ego amo Pomponium Atticum sicut alterum fratrem, nihil est illo mihi nec charius nec iucundius. Is .s. Pomponius non quod sit ex istis .s. Epicureis porcis (est enim politissimus omni doctrina liberali) sed supple quod ualde diligit Patronem, & amauit Phædrum qui pro eo rogauit ualde, existens supple, aut cum sit, homo minime ambitiosus, & minime molestus in rogando, contendit .i. instanter petit hoc a me sic ut nihil .s. contenderit unquam magis, idest instantius, nec dubitat quin ego possim consequi hoc a te nutu .s. solo, etiam si esses ædificaturus. Nunc uero si audierit te deposuisse ædificationem, neque tamen me impetrasse a te .s. quod Patro petit, ipse non putabit te illiberalem in me, sed me negligentẽ in se. Quamobrem peto a te ut scribas ad tuos, decretũ illud Areopagitarum .i. iudicium Athenien. in uico Martis qui Ariopagus dicitur quem hypomnematismon .i. decretum illi .s. Athenien. nocãt, posse tolli .i. amoueri & abrogari tua uoluntate .i. te uolente. Decretum autem uidetur fuisse ut in fundo suo sine respectu uicini ad placitum ædificent. Sed redeo ad prima .i. ad illa quæ in principio huius epistolæ scripsi Ego uelim prius .i. potius ut persuadeas tibi ut facias hoc mea causa libenter, hoc est uelim quidem te facere, sed potius ut libenter, quam ut facias etiam si non libenter, habeto tamen sic, si feceris quod rogo, fore .i. futurum gratissimum mihi.

VICTORIVS. Cum Patrone Epicureo omnia mihi communia sunt) Nos {communia} delevimus, uocem a nobis in nullis antiquis inuentam. Scimus autem hanc esse familiarem Ciceronis locutionem, ut omnia cum aliquo sibi esse dicat, cum inter eos omnia intercedunt officia. In epistola ad C. Marcellum, Si mihi tecũ minus esset, quam est cum tuis omnibus, allegarem ad te illos, a quibus intelligis me precipue diligi. Et ad Atticum lib. XIIII. Bruto certe meo nullo loco deero, idq; etiam si mihi cum illo nihil fuisset facerem propter singularem, incredibilemq; uirtutem.

SEBAS. CORR. C. Memmio } C. Memmius Gemellus cum peteret Consulatum cum Domitio, Messala & Scauro, ambitus Q. Pompeio accusante, & Cicerone defendente, condemnatus, Patras in exilium abiit. {Atheois} quo postridie, quam tu Mitylenas es profectus, ueni. {Quod iniuria} damnatio iniusta. {Vt te uideam) in Ciliciam proficiscens. {Omnia cõmunia sunt} Al. omnia sunt. {Ab eo dissentio} ut Academicus ab Epicureo. {Suorum defensorum} Al. sociorum defensorem. A Phædro} Epicureo, quem cum Attico frequenter audiui. {Philonem } Academicum. episto. VIII. lib. IX. {Cognouimus} Romæ, cum Mithridatico bello cũ Atheniensium optimatibus domo profugisset, Romamq; uenisset. Al. cognorimus. Alii legunt, Cognouissemus. {Gentem illam} Græcam {Testamentorum ius} Epicurus enim Hermacho, & successoribus omnibus Epicureis, hortum, & quæ in illo erant, legauit. { Illa delectant} Epicurea. {Non quo sit ex istis} iocans tamen sæpe Ciceru illum Epicureum appellat.

BERN. RVTI. Vestigia summorum hominum sibi tuenda esse dicit } Locũ etiam, ubi plantas posuerint Epicurei: potius, quam imitationes, ut clericus. Est autem scripta epistola ex Athenis, Cicerone in Ciliciam prouinciam abeunte. Ipse ad Atticũ: Apud Patronem, & reliquos Vatrones te in maxima gratia posui, & Hercule merito tuo feci. nam mihi is ter dixit, te scripsisse ad te, mihi ex illis literis rem illam curæ fuisse, quod ei pergratum erat. Sed, cum Patro mecum egisset, ut peterem a uestro Ariopago, ὑπομνηματισμὸν tollerent quem Polycharmo Pr. fecerant, cõmodius uisum est, & Zenoni me, & post ipsi Patroni, ad Memmium scribere, qui pridie quam ego Athenas ueni, Mitylenas profectus erat, ut is ad suos scriberet, posse id sua uoluntate fieri. Non enim dubitabat Zeno, quin ab Ariopagitis inuito Memmio impetrari non posset. Fannius autem ædificandi cõsilium abiecerat sed erat Patroni iratus. Itaque scripsi ad eum accurate, cuius epistolæ misi ad te exemplũ.

PHIL. MELÃ. Hic liber continet fere cõmendatorias epistolas, & sunt pleræq; breues, nec obscuræ. Hæc autem epistola est obliqua commendatio cuiusdam philosophi Epicurei. {Etsi non satis} Exordium ex dubitatione. { Interea quod } Occupatio. } Cum Patrone} Narratio. {Quod si ita est} Petitio, seu propositio. Idem scribo tibi iterum, quia ego sciebam te consilium ædificationis deposuisse. {Quanquam Patronis} Ratio ex Patronis officio. {Sed ne plura} Aliud Argumentum, ab Attici commendatione. { Quamobrem peto} Conclusio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Petit a Memmio, ut Auiano habitandi facultatem in sacrario permittat.

M. T. C. S. D. C. MEMMIO 2

Caio Auiano Euandro, qui habitat in tuo sacrario, & ipso multum utor, & patrono eius M. Aemylio familiarissime, peto igitur a te maiorem in modum: quod sine tua molestia fiat, ut ei de habitatione accommodes: nã propter opera instituta multa multorum,

subitum est ei remigrare Calend. Quint. impedior uerecundia, ne te pluribus uerbis rogem. neque tamē dubito, quin, si tua nihil aut non multum intersit, eo sis animo, quo ego essem, si quid tu me rogares. mihi certe gratissimum feceris. Vale.

ASCENSIVS.

CAio &c. Commendat Memmio C. Auianum statuariū quendam ut ei cōcedat Memmius habitationem, quod cum citra iacturam Memmii fiat, facile impetraturum confidit. Ordo est. Ego utor multum, & ipso Caio Auiano Euandro qui habitat in sacrario tuo. i. loco ubi conseruātur sacra per te ædificata, & utor familiarissime patrono eius M. Aemylio. Peto igitur a te in maiorem modum. i. obnixius, ut ei accommodes de habitatione, quod fiat sine molestia tua. Nam subitum, idest festinum aut propinquum aut necessarium est ei remigrare. i. redire in pristinam habitationem, propter multa opera multorum, instituta. i. incepta ab eo. Ego impedior uerecundia ne rogē te pluribus uerbis. Neque tamen dubito quin si nihil, aut non multum intersit tua: idest si parum aut nihil detrimenti ex ea re habiturus sit, sit eo animo quo ego omnino essem, si tu rogares me, quid. i. aliquid. certe tu feceris. s. hoc faciendo, gratissimum mihi.

PAVL. MANV.

SVbitum est ei remigrare Cal. Quint.) Calēdæ (inquit) Quintiles: quo die domo tua, in quam uenerat, eat, eundum est, nimis subitæ sunt, & propius adsunt quam ut ipse possit operibus, quæ instituit perfectis, suo commodo discedere, sciendum autē est, anouat domorum locationes Calend. Quint. apud ueteres fieri solitas. itaq; epistola. III. libri. II. ad Q. fratrem, domus (inquit) tibi ad lucum Pisonis Liciniana conducta est, sed spero, paucis mensibus post Calend. Quint. in tuā commigrabit. post Calend. Quint. dixit, idest finito locationis tempore, demigrantibus iis, quibus eam locaueras. Suetonius autem in Tiberio, Senatori (inquit) latum clauum ademit, quem cognouisset sub Calend. Iulii. demigrasse in hortos, quo uilius post diem ædes in urbe conduceret, quod igitur Euādro, quem statuarium fuisse coniicimus, subitum erat. i. propter breuitatem temporis incommodum remigrare Calend. Quint. ad quā diem opera, quæ multa multis instituisset, absolui non posse intelligebat: quæ moueri loco, & alio transferri, cum perfecta non essent, commode non poterant: petit a Memmio Tullius, ut ei de habitatione accommodet, ne cogatur Calend. Quint. ut moris erat, remigrare, quod sine damno facere non posse uidebatur.

SEBAS. CORR.

C. Auiano Euandro} Videtur idem esse in episto. XXI. & XXVII. huius lib. quamuis hic Euander, ibi Hammonius dicatur. {Remigrare} Al. emigrare. demigrare fortasse esset magis propriū {Calen. Quin.) quod tempus finiendis locationibus constitutum fuisse uidetur.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Rogat ut Fusium pro politicis Liberalius tractet.

M. T. C. S. D. C. MEMMIO. 3

AVlum Fusium, unum ex meis intimis, obseruantissimum, studiosissimumq; nostri, eruditum hominem & summa humanitate, tuaq; amicitia dignissimū, uelim ita tractes: ut mihi coram recepisti. tam mihi gratum id erit, quàm quod gratissimum. ipsum præterea summo officio, & summa obseruantia tibi in perpetuum deuinxeris. Vale.

ASCENSIVS.

AVlum &c. Commendat Aulum Fusium per literas, quē etiam coram commendauerat, ut eum ita tractet, ut promisit, dicens. Ego uelim tractes A. Fusium unum ex intimis meis. s. amicis, obseruantissimum. i. maximum cultorem & studiosissimum nostri, hominem eruditum & dignissimum summa humanitate & amicitia tua, tractes dico ita, ut recepisti. i. promisisti mihi coram, idest in præsentia tecum agenti. Id erit mihi tam gratum, quā quod supple erit aut est id quod est mihi gratissimum præterea in deuinxeris i. obligaueris ipsum in perpetuum, tibi summo officio & summa obseruantia. i. ad prosequendum te summo officio & summa obseruantia.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Municipum Volaterranorum, hominum optimorum, causam negotiaq; Valerio commendat.

M. T. C. QV. VALERIO* Q. F. ORCÆ LEGATO PROPRÆT. S. D. 4

Q. F. Orcæ (habet codex Pauli Boti.)

CVm municipibus Volaterranis mihi summa necessitudo est: magno. n. meo beneficio affecti, cumulatissime mihi gratiam retulerunt: nam nec in honoribus meis, nec in laboribus unquam defuerunt. cum quibus si mihi nulla causa intercederet, tamen, q. te uehementissime diligo, quodq; me à te plurimi fieri sentio, hortarer te, ut eorum fortunis consuleres, præsertim cum propè præcipuam causam haberent ad ius obtinendum: primum, q. Syllani temporis acerbitatem Deorum immortalium benignitate subterfugerunt: deinde quod summo studio populi Romani à me in Consulatu meo defensi sunt. cū enim Tribuni ple. legem iniquissimam de eorum agris promulgassent, facile Senatui, populoq; Roma. persuasi, ut eos ciueis, quibus fortuna pepercisset, saluos esse uellent. hanc actionem meam C. Cæsar primo suo Consulatu in lege agraria comprobauit, agrumq; Volaterranū, & oppidum omni periculo in perpetuum liberauit: ut mihi dubium non sit, quin is, qui nouas necessitudines adiungat, uetera sua beneficia conseruari uelit. quamobrem est tuæ prudentiæ, aut sequi eius authoritatem, cuius sectam atque imperium summa cum tua dignitate secutus es: aut certe illi integram omnem causam reseruare. Illud uero dubitare non debes, quin tam graue, tam firmum, tā honestum municipium tibi tuo summo beneficio in perpetuum obligari uelis. sed hæc, quæ scripta sunt supra, eò spectant, ut te horter, & suadeam. reliqua sunt, quæ pertinent ad rogandum: ut non solum tua causa tibi consilium me dare putes, sed etiam quòd mihi opus sit, me à petere, & rogare. gratissimum igitur mihi feceris, si Volaterranos omnibus rebus integros, incolumeisq; esse uolueris. eorum ego domicilia, sedes, rem, fortunas, quæ & à Diis immortalibus, & à præstantissimis in nostra Reipu. ciuibus, summo Senatus, populiq; Romani studio conseruatæ sunt, tuæ fidei, iustitiæ, bonitatiq; commendo. si pro meis pristinis opibus facultatem mihi res hoc tempore daret, ut ita defendere possem Volaterranos, quemadmodum consueui tueri meos: nullum officium, nullum denique certamen, in quo illis prodesse possem, prætermitterem. sed quando apud te nihilo minus hoc tempore ualere me confido, quàm ualuerim semper apud omneis: pro nostra summa necessitudine, pariq; inter nos, & mutua beneuolentia abs te peto, ut ita de Volaterranis mereare, ut existiment eum quasi diuino consilio isti negotio præpositum esse. apud quem unū nos eorum perpetui defensores plurimum ualere possemus. Vale.

ASCENSIVS.

CVm municipibus &c. Cum Volaterrani uexarentur de rebus suis publicis, Cicero hac epistola eos diligenter commēdat Quinto Valerio Proprætori ut diligentius commendare nō possit. Ostendit enim eos gratos & uiris optimis acceptissimos: quos omnino debeat idem Valerius suo sibi beneficio deuincire. Ordo est: Summa necessitudo est mihi cum municipibus Volaterranis scilicet incolis Volaterrarum oppidi Hetruriæ, ipsi enim affecti magno beneficio meo, retulerunt cumulatissime mihi gratiam, nam nec defuerunt unquam in honoribus meis. s. augendis, & in laboribus. s. ferendis, cum quibus si. i. tametsi nulla causa intercederet. i. media esset ad conciliationem amoris, tamen quod. i. quia ego diligo te uehementissime, & quod sentio me fieri. i. æstimari, plurimi a te, & monerem & hortarer te, ut consuleres. i. consilio & ope prodesses fortunis eorum, præsertim cū haberent causam prope, idest quasi præcipuam. i. potissimam ad obtinendum ius. Primum quod subterfugerunt acerbitatem temporis Syllani. i. quo Sylla tyrannidem exercuit benignitate deorum immortalium, quia cū illic proscripto occideret, & illi factis iudiciis abirent, nihil nocuit urbi, quod deorum benignitati ascribit, ut quibus dii fauerint, turpe sit hominem non fauere. Deinde quod defensi sunt a me in Cōsulatu,

scilicet meo, summo studio, idest fauore Po. Ro. eum Tribuni pleb. promulgassent legē iniquissimam, de agris eorum. s. aliis dispertiendis persuasi facile Senatui populoq; Rom. ut uellent eos ciues esse saluos, quibus fortuna, prius tamen deos diat eos seruasse, pepercisset. C. Cæsar comprobauit haec actionem meam primo Consulatu suo in lege agraria. i. cum ferret legem agrariam, & liberauit agrū & oppidum Volaterranum omni periculo in perpetuum, ut non sit dubium mihi, quin, is qui adiungat nouas necessitudines, uelit uetera beneficia sua conseruari. Quamobrem est prudentiæ tuæ. i. ad prudentiam tuam refertur, aut sequi authoritatem eius. s. Cæs. cuius sectam. i. partialitatem, atque imperium tu secutus es cum summa dignitate tua, aut certe reseruare illi omnem. i. totam causam integram. s. ita quod de ea nihil adhuc sit per te actū. Vero. i. sed tu, non debes dubitare illud, quin uelis. i. debeas uelle obligare tibi in perpetuum summo beneficio tuo, illud municipium. i. oppidum municipium Romanorum capax, tam graue. i. constans, tam firmum, & tam honestum. Sed hæc quæ scripta sunt supra. i. in priori parte huius epistolæ: spectant, idest tendunt eo, ut horter te, & suadeam. s. tibi. Reliqua. i. quæ deinceps dicam, sunt quæ pertinent ad rogandum, ut putes me dare consilium, non solum causa. i. pro utilitate tua, sed me petere & rogare a te quod opus sit mihi. Tu igitur feceris mihi gratissimum, si uolueris Volaterranos esse integros, idest indemnes & incolumes supple in omnibus rebus. Ego commendo tuæ fidei, iustitiæ, & bonitati, & domicilia, & sedes. i. mansiones, Præturas, aut sepulchra, ut Aeneid. VI. Sedibus hunc refer ante suis. tem. i. quas habent fortunas, quæ conseruatæ sunt u diis immortalibus, & a præstantissimis ciuibus in nostra: idest Romana Republica, uidelicet a Cæsare & ipso Cicerone, summo studio. i. fauore. S. P. Q. R. Si res idest copia rerum daret mihi facultatem hoc tempore pro pristinis opibus meis. i. iuxta pristinas opes meas, ut possem defendere Volaterranos ita quemadmodum cōsueui tueri meos. s. clientes, ego nullum officium, denique. i. ut uno uerbo dicam, nullum certamē prætermitterem in quo possem prodesse illis. Sed quando. i. quandoquidē ego confido me nihilo, idest in nullo minus ualere apud te hoc tēpore, quam ualuerim semper apud omnes. ego peto abs te, pro necessitudine, idest necessaria coniunctione in amore & amicitia, summa, & pari. i. æquali inter nos & mutua beneuolētia, ut mereare de Volaterranis, ita ut existiment eum. s. te præpositum esse, scilicet a me isti negotio. s. de eorum conseruatione, quasi diuino consilio, apud quem unum nos perpetui defensores eorum possemus ualere plurimum.

VICTORIVS.

ORcæ) Titulum epistolarum ad Quintū Valerium, nos ex antiquis codicibus accepimus, ne parua quidem re ab illis discrepantes: quod præcipue notauimus, quia alii dixerūt ueterem codicem semper {Orcæ} habere, nos autem in cunctis {Orcæ} legimus uno modo, & Mediceo & reliquis.

SEBAS. CORR.

VNquam defuerunt} suffragiis. Quamuis enim municipes essent, qui ius suffragii non habent, quia tamen donati ciuitate fuerant, suffragium ferebant. {Syllani temporis} quo cum Sylla agros diuideret, Volaterranum publicauit quidem, sed neque diuidere, neque Volaterranis ciuitatem eripere potuit: cum etiam tum essent in armis, & biennium cum proscriptis obsessi fuissent. Trib. pleb.} Rullus & collegæ. {Suo Consulatu} cum Bibulo.

PHIL. MELA.

CVm municipibus, &c.} Narratio. } Quamobrem est } Petitio specie consilii proposita. {Reliqua sunt} Repetitio petitionis apte positæ. {Si promeis} A suo exemplo.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Docet bonis rationibus, Curtii agrum non diuidendum, & ut illi in ea re prosit, orat.

M. T. C. Q. VALERIO Q. F. ORCÆ LEGATO PROPRÆT. S. P. D. 5

NOn moleste fero, eā necessitudinē, quæ mihi tecum est, notam esse quā plurimis. neque tamē ob eā causam, quod tu optime existimare potes, te impedio, quo minus susceptū negotium pro tua fide, & diligentia ex uoluntate Cæsa. qui tibi rē magnā, difficilēq; cōmisit, gerere possis. nā cū multi à me petant multa, q. de tua erga me uoluntate nō dubitent, nō cōmitto ut ambitione mea cōturbē officiū tuū. C. Curtio ab ineunte ætate familiarissime sum usus: eius & Syllani tpis iniustissima calamitate dolui: & cū iis qui similē iniuriā acceperant amissis omnibus fortunis, reditus tamen in patriā uoluntate omniū cōcedi uideretur, adiutor incolumitatis fui. his habet in Volaterrano possessionē, cum in eam tanquā è naufragio reliquias contulisset. hoc autē tpe eum Cæsar in Senatum legit: quem ordinem ille ista possessione amissa, tueri uix potest: grauissimum autē est, cum superior factus sit ordine, inferiorē esse fortuna: minimeq; conuenit, ex eo agro, qui Cæsaris iussu diuidatur, eum moueri, qui Cæsaris beneficio Senator sit. sed mihi minus libet multa de æquitate rei scribere, ne causa potius apud te ualuisse uidear, quā gratia. quāobrē te maiorē in modum, rogo, ut C. Curtii rem, meā putes esse: quicquid mea causa faceres ut id. C. Curtii causa cum feceris, meum existimes. quod ille per me habuerit, id me habere abs te putato. hoc te uehementer etiam atque etiam rogo. Vale.*

*al. feceris, existimes, q.i.p. m.h.i.m.b a.te hoc,

ASCENSIVS.

NOn mole. &c. Præfecerat Cæsar. Valerium diuidundis agris Volaterraoorum. Itaq; cum in ea regione C. Curtius haberet agrum, nititur Cice. persuadere honestissimis rationibus eidem Valerio agrū illum Curtii nō esse dandum aliis, quod in principio protestatur æquum & honestū. Ordo est. Ego non fero moleste, eam necessitudinem quæ mihi secū est, notam esse quāplurimis. neq; tamen impedio te ob eam causam. i. propter necessitudinē nostram, quod tu potes existimare. i. iudicare optime quia optime scis, quo minus possis gerere negotium susceptum, tua fide, & diligentia, ex uoluntate Cæsaris, qui commisit tibi rem magnam & difficilem. Nam cum multi petant a me multa, quod. i. quia non dubitent de uoluntate. i. beneuolentia tua erga me, non cōmitto. i. non patior ut conturbem ambitione. i. importuna petitione mea, officium tuū. Ego sum usus familiarissime ab ineunte ætate C. Curtio. Ego & . i. simul dolui iniustissima calamitate eius. s. Curtii, temporis Syllani. i. quæ erat tempore Syllano, & fui adiutor incolumitatis. i. salutis eius cum. i. quando reditus in patriam uideretur concedi uoluntate omnium iis qui acceperant similem iniuriam, omnibus fortunis amissis. i. licet omnes fortunas amiserunt, tamen reditus &c. Aliter illud, tamen, redūdat. Is. s. Curtius, habet possessionem in uolaterrano. s. agro cum contulisset in eam. s. possessionem reliquias. s. rerum suarum, tanquam e naufragio. s. receptas. Autem. i. sed, Cæs. legit eum hoc tempore in Senatum, quem ordinem. i. ut dicunt statum ille uix potest tueri. i. seruare in uictu & uestitu, ista possessione amissa: idest si eam amiserit. Autem: idest sed grauissimum: idest molestissimum est: scilicet Curtio, cum factus sit superior, idest altior ordine: idest statu, esse inferiorem, idest minorem fortuna: idest rerum, possessione, & minime conuenit eum qui factus sit Senator beneficio Cæsaris, moueri: idest pelli ea eo agro: idest eius agri possessione, qui diuidatur. s. militibus, iussu Cæsaris. Sed libet mihi scribere minus multa de æquitate rei: scilicet quam postulo, ne uidear ualuisse potius apud te causa: idest propter æquitatem causæ, quam gratia. Quamobrē ego rogo te in maiorem modum: idest egregie, ut putes rem, idest negotium aut possessionem Caii Curtii esse meum, ut quicquid tu faceres, causa mea, idest si res mea esset, cum feceris id causa Caii Curtii, existimes meum sup. esse, & putato me habere abs te, quod ille habuerit per me.

Impedio} Al. impedit. Al. impediri uelim. {Amissis omnibus fortunis} in proscriptione Syllana.

SEBAS. CORR.

NOn moleste fero} Exordium ab amicitia tractum, cum correctione, Ita commendo amicos, ut nihil iniustum impetrare cupiam. {Quamobrem te.} Petitio.

SEBAS. CORR.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Cuspium amabat Valerius, quare Iulii Cuspii amicum tanquam ipsum Cuspium Valerio commendas. Pub. Cornelius, &c. Vt supra Iuliū Cuspianum, ita Cornelium iisdem Cuspianum hac epistola Valerio commendat.

M. C. QV. VALERIO Q. F. ORCÆ S. 6

SI uales, bene est. ego quidem ualeo. Credo te memoria tenere, me & coràm de P. Cuspio tecū locutū esse, cum te prosequerer paludatum, & idem postea plurimis uerbis tecum egisse, ut, quoscūque tibi eius necessarios cōmendarem, haberes eos in numero meorū necessariorum. id tu pro tua summa erga me beneuolentia, perpetuaq; obseruantia mihi liberalissime, atque humanissime recepisti. Cuspius, homo in omneis suos officiosissimus, mirifice

suasi illum & dignitatis municipii, & æquitatis, & uoluntatis etiam erga se habiturum esse rationem: ideo à te non dubitaui cõtendere, ut hanc causam illi integram conseruares. quod & si nihilominus à te peterem, si nihil audiuissem te tale fecisse: tamẽ maiorem spẽ impetrandi nactus sum, posteaquam mihi dictum est, hoc idem à te Rhegienses impetrauisse, qui etsi te aliqua necessitudine attingunt: tamẽ tuus amor in me sperare me cogit, te, quod tuis necessariis tribueris, idem esse tributurum meis: præsertim cũ ego pro his unis petam, habeam autem, qui simili causa laborent, compluris necessarios. hoc me non sine causa facere, neque aliqua leui ambitione commotum, à te cõtendere, etsi te existimare arbitror: tamen mihi affirmanti credas uelim, me huic municipio debere plurimum: nullum unquam fuisse tempus neque honorum, neque laborum meorum, in quo non huius municipii studium in me extiterit singulare. quapropter à te etiam atque etiam pro nostra summa coniunctione, proq; tua in me perpetua, & maxima beneuolentia maiorem in modum peto, atque contendo, ut cum fortunas agi eius municipis intelligas, quod sit mihi necessitudine, officiis, beneuolentia coniunctissimum, id mihi des. quod erit huiusmodi, ut, si a Cæsare, quod speramus, impetrauerimus, tuo beneficio nos id consecutos esse iudicemus: sin minus, pro eo tamen id habeamus, quando à te data sit opera, ut impetraremus. hoc cum mihi gratissimũ feceris: tum uiros optimos, homines honestissimos, eosdemq; gratissimos, & tua necessitudine dignissimos summo beneficio in perpetuum tibi, tuisq; deuinxeris. Vale.

ASCENSIVS.

Cum in Galliam. Ager Attellanus uectigalis erat, uectigalibus autẽ omnibus in Gallia Cisalpina Cluuius præpositus a Cæsare erat, unde cum Attellani ualde essent oppressi penuria pecuniæ, eos Cic. diligenter commendat dicto Cluuio. Ordo est. Cum tu proficiscens in Galliam, uenisses ad me domũ meã, pro necessitudine. i. necessaria, si officio fungi uolumus, in amicitia cõiunctione nostra, & summa obseruantia tua in me, locutus sum tecũ de agro uectigali municipii. i. oppidi municipalis, Attellani. i. debenti uectigal Attellanis, qui. s. ager esset in Gallia. & ostendi tibi quantopere laborarem. i. solicitarer & in labore essem causa eius municipii. Autem. i. sed, cum post tuam profectionem, & . i. simul res maxima municipii. s. Attellani honestissimi, & cõiunctissimi mihi, & summum officium meum ageretur. i. uersaretur in ambiguo, existimaui oportere me scribere ad te accuratius. i. multum accurate et diligenter, pro animo tuo singulari in me. Etsi. i. quanquã, non sum nescius. i. bene scio, & quæ ratio & quæ potestas sit temporum, & intelligo præclare negotium datum tibi a C. Cæsare, non iudicium. s. libere iudicandi potestatem. Quare ego peto a te tantum quantum arbitror te posse facere, & facturum esse libenter causa mei. Et primum uelim sup. ut existimes sup. id quod res est. i. sicut est, oẽs fortunas. i. facultates municipii consistere in isto uectigali. Autem. i. sed ea istimes hoc municipium pressum maximis oneribus, affectum esse maximis difficultatibus. Etsi. i. quãquam, hoc. s. affectum sic esse, uidetur esse cõmune. s. Attellanis, cum multis. s. aliis ciuibus, tamen crede mihi singulares calamitates accidisse huic municipio, quas non cõmemoro idcirco, ne conquerens de miseriis necessariorum meorum, uidear offendere homines quos nolo. s. offendere, hoc est Cæsarianos. Itaq; nisi haberẽ magnã spẽ, nos probaturos. i. quod simus probaturi C. Cæsari causam municipii, sup. iustã esse, non erat causa cur cõtenderem. i. cũ contentione peterem aliquid a te hoc tempore. s. turbulento. Sed quia confido, & persuasi mihi. i. induxi in animum ut crederem, illum. s. C. Cæsa. habiturum esse rationem. i. respectum piam & considerationem, & . i. simul dignitatis municipii quod olim floruit, & æquitatis. s. causæ, & etiam uoluntatis. i. beneuolentiæ studii erga se, ideo non dubitaui contẽdere. i. animose petere a te, ut conseruares hanc causam illi. s. Cæsa. integram. i. intactam iudicio tuo, quod facilius datur uenia ubi nihil actum est de causa, quã reuocaretur, quod a iudice delegato du rius iam iudicatũ est, quod & peterem a te nihilominus, si audiuissem te nihil tale fecisse, tamẽ nactus sum maiorẽ spem impetrandi, posteaquam dictũ est mihi, Rhegienses impetrauisse a te hoc idem. s. reseruationem cognitionis causæ ad Cæsarem, qui. s. Rhegiẽses, etsi. i. quanquã attingunt te aliqua necessitudine, tamen amor tuus in me, cogit quod plus est quam facis, me sperare te tributurum esse idem necessariis meis, quod tribueris necessariis tuis, præsertim cũ ego petam pro his unis. i. solis. Autem. i. sed cum supple habeam complures. s. alios, necessarios qui laborent. i. in periculo diuersentur, simili causa. Ego etsi arbitror te existimare. i. iudicare me facere hæc non sine causa, neque contendere. i. instanter petere a te commotum aliqua ambitione. i. cupiditate gloriæ leui. i. modica, tamen uelim sup. ut credas mihi affirmanti me debere plurimum huic municipio. & nullum tempus fuisse unquam, neq; honorum, idest cum adirem honores, aut cum acumularentur mihi honores, ut in Consolatu & reductione, neque laborum meorum, idest cum afficerer laboribus ut exilii & periculorum in bello ciuili, in quo. s. tempore studium huius municipii, scilicet Attellani, non extiterit. i. apparuerit singulare. i. egregium, quia singularia, idest unica fere egregia sunt, in, idest erga me. Quapropter ego peto atque contendo. i. instanter exigo a te in maiorem modum, etiam, atque etiam. i. iterũ, atque iterum pro summa coniunctione nostra, & pro perpetua & maxima beneuolentia tua in me, ut cũ intelligas fortunas eius municipii, quod sit mihi coniunctissimum necessitudine, officiis, beneuolentia, agi: idest in periculo uersari, tu des. i. concedas mihi id, quod erit huiusmodi, ut si impetrauerimus a Cæsare quod speramus, nos iudicemus, nos consecutos esse id beneficio tuo. Sin. i. sed si, minus. i. non impetrauerimus a Cæs. tamen habeamus. i. reputemus id pro eo. i. tanquam sit tuo beneficio impetratum, quando, idest cum opera data sit a te ut impetraremus. Cum. s. ita sit, quod feceris mihi hoc gratissimum, tum. i. multo magis, deuinxeris tibi & tuis in perpetuum summo beneficio. i. tuo, quod firmissimum est uinculum, uiros optimos, homines honestissimos, & eosdem gratissimos & dignissimos tua necessitudine, idest quibuscum necessitudinem contrahas, hoc est ciues Attellanos.

SEBAS. CORR.

IN Galliam} Cisalpinam. {Quiesserio Gallia} quanuis Attella sit in Campania: sed & Arpinates huiusmodi agrum habebant. Epist. II. huius libri: {Municipii causa laborarem} quod in mea esset fide. {Homines, quos nolo} Veteranos, &, Crispum Sallustium qui illis in Campania paulo ante, quam Cæsar in Africam proficisceretur, ut præfait, significare uidetur. {Rhegienses} a Rhegio Lepidi quæ nostra est communis patria Francisce, quam nacti, opera'prat pro uirili nostra parte ornemus. {Necessitudine attingũt} ut clientes. {Extiterit singulare} in suffragiis: ut in Epist. IIII. huius libri dictum est.

BERN. RVTI.

Cuius causam quantopere cuperem} Causa, melius.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Petit a Rutilio, ne Albinii agrum olim a Cæsare per Laberium emptũ militibus diuidat, idque rogatione Sestii facere se dicit.

M. T. C. M. RVTILIO S. P. D. 8

Cum & mihi conscius essem quanti te facerem, & tuam erga me beneuolentiam expertus essem, non dubitaui à te petere, quod mihi petẽdum esset. P. Sestium quãti faciam, ipse optime scio: quanti autem facere debeam, & tu, & omnes homines sciunt. is cum ex aliis te mei studiosissimum esse cognosceret, petiuit à me, ut ad te quã accuratissime scriberẽ de re C. Albini senatoris: cuius ex filia natus est L. Sestius optimus adolescens, filius P. Sestii. hoc iccirco scripsi, ut intelligeres, non solũ me pro P. Sestio laborare debere, sed Sestiũ ẽt pro Albino. res aũt hæc est à M. Laberio C. Albinus prædia in æstimationem accepit: quæ prædia Laberius emerat à Cæsare de bonis Plotianis. ea si dicã nõ esse è Rep. diuidi, docere te uidear, nõ rogare. sed tamẽ cũ Cæsar Syllanas uenditiones, & aßignationes ratas esse uelit, quo firmiores æstimentur suæ, si ea prædia diuidẽtur, quæ ipse Cæsar uendidit, quæ tãdẽ in eius uẽditionibus esse poterit authoritas? sed hoc quale sit tu pro tua prudẽtia cõsiderabis. ego te planè rogo, atque ita ut maiore studio, iustiore de causa, magis ex animo rogare nihil posim, ut Albino parcas, prædia Laberiana ne attingas. magna me affeceris nõ modo lætitia, sed ẽt quodãmodo gloria, si P. Sestius homini maxime necessario p me satisfecerit, cũ ego illi plurimum debeã. q. ut facias, te uehemẽter ẽt atque ẽt rogo. maius mihi dare beneficiũ nullũ potes. id mihi intelliges esse gratissimum. Vale

ASCENSIVS.

Cum &c Rogatus a P. Sestio commendat Cice. P. Rutilio causam C. Albini de quibusdam prædiis, quæ quondam fuerant Laberii, rogatque ut ea prædia non attingat diuidenda, licet diuidundis agris esset præpositus. Ordo est: Cum &, idest simul, ego

essem conscius mihi quanti facerem, idest æstimarem te & e apertus essem beneuolentiam tuam erga me, non dubitaui, idest non sum ueritus petere a te, quod, petendum esset, idest quod decuit peti, mihi, idest per me. Ipse, idest egomet scio optime, scilicet hominum qui secreta cordium seruari nequeant, quanti faciam, idest æstimem Publium Sestium. Autem, idest sed, & tu & omnes homines sciunt, quæ locutio zeogmatica est: nam per conceptionem diceret, scius, quanti debeam facere, scilicet cum. Is, scilicet Sestius, cum cognosceret te ex aliis esse studiosissimum mei, petiuit a me, ut scriberem ad te quam accuratissime de re Caii Albini Senatoris, ea cuius familia natus est, Lucius Sestius optimus adolescens filius Pub. Sestii. Ego scripsi hoc idcirco ut intelligeres me non solum debere laborare pro Sestio, sed Sestium etiam debere laborare pro Albino. Res autem s. de qua deliberandum est, est hæc. i. huiusmodi. Caius Albinus accepit a M. Laberio prædia in æstimationem, idest ad persoluendum quanti æstimarentur, quæ prædia Laberius emerat a Cæs. de bonis Plotianis, scilicet quæ fuerant Plotii priusquam ea Cæsar fisco adiiceret, si ego dicam non esse e Repub. i. utile Reip. ea diuidi, scilicet militibus Cæsaris quæ semel a Cæsare data sunt, ego uideat docere te, non rogare. Sed tamen cum Cæsar uelit uenditiones & assignationes Syllanas, idest quas Sylla perpetuus Dictator factus, fecerat, esse ratas. i. firmas & approbatas, quo, idest ut suæ, scilicet uenditiones & assignationes, eaestimentur. i. iudicentur firmiores, si ipsa prædia quæ ipse Cæs. uendidit, diuidentur, quæ tandem authoritas poterit esse in uenditionibus eius? q. d. nulla. Sed tu considerabis pro prudentia tua. i. secundum prudentiam tuam, quale hoc sit. i. quantæ efficaciæ sit hoc argumentum. Ego rogo te plane. i. omnino, atque ita sup. rogo, ut nihil possim rogare maiore studio, de causa iustiore, supple, & magis ex animo, ut parcas Albino, ne attingas. s. in diuidendo, prædia Laberiana, idest a Laberio empta. Tu affeceris me magna non modo lætitia, sed etiam quodammodo gloria, si Publius Sestius satisfecerit per me homini maxime necessario, cum ego debeam plurimum illi uni. Quod ut facias, ego rogo te uehementer etiam atque etiam. Tu nullum, idest non ullum, non potes dare mihi ullum beneficium maius, & supple tu intelliges id beneficium esse gratissimum mihi.

VICTORIUS Cuius ex familia natus est L. Sestius} Sic fere omnes impressi, & antiqui codices, proculdubio corrupte: {Es filia} enim legendum est. C. autem hic Albinius Senator, socer fuit P. Sestii, ut in oratione pro P. Sestio traditur Eo (inquit) sui hore duxit honestissimi, & spectatissimi uiri C. Albinii filiam, ex qua hic est puer & nupta iam filia, &c. Cum autē quatuor locis in hac epistola nomen eius ponat, semel tantum Albinium Mediceus codex nominat, cum primum de eo mentionem facit, De re C. Albinii Senatoris postea semper {Albarium,} mutato I in A, & una syllaba, aucto nomine, nisi Albini etiā pro Albinii antiqua orthographiæ ratione scriptum sit, ut puto: in orationibus tamen, etiam aliis casibus hoc nomen trisyllabum.

Ea post eiusdem. Cuius ex filia} Si aliqua in re, quæ inscitiam literarum ingeniiq; tarditatem argueret, reprehenderet, æquo animo paterer, uel potius gratias agerem: nihil enim tam cupio, quam doceri, & de sententiis illis, quibus antea multum tribuerim, si falsæ sunt, depelli. Cum autem in rebus, quæ ad uitam moresq; pertinent iniuste accusor, ferre non possum: non sum adeo angusto, & ieiuno animo Paule, ut mihi aliorum industria inuentas res uendicem, ipse potius si quando aliquid labore, ac diligentia mea e tenebris eruo, aliis deferre consueui; cuius rei mihi multi testes esse possunt: neque enim in obscuris locis uiximus, & multorum etiam doctorum, clarorumq; uirorum amicitia floremus. Nō uideo cur quæ a te, ut ais, excogitata sunt, mihi quoque in mentem uenire non potuerint. Ipse sane arbitror siquid eruditum, & acutum unquam inueni, ab aliis prius id, meliusq; excogitatum fuisse. Quod me cupidedicis librum tuum reprehendere, falleris: nunquam enim istius laudis magnopere auidus fui, neque uero esse debui. Odiosum genus hoc est scribendi mi Paule, nec potest ita tractari ut non uoluntas alicuius offendatur: neque ego hoc non uidebam, sed mos gerendus fuit amicis. puto etiam me apud alios offendisse, postquā tu contra quem dicere nunquam cogitaui, tam grauiter tibi læsus uideris. Falsum etiam illud est, me de te male existimasse, quem ne notum quidem habebam: quod tua sane culpa factum non est: omnia enim fecisti, ut ab omnibus cognoscaris: neque ego tam negligens fui, ut non, edito tuo libro, de doctrina, & ingenio tuo percunctatus sim: culpa illius fuit, qui interrogatus ea mihi confirmauit, quæ ipse falso credebat. postquam te cognoui, ac de ingenio, & eruditione tua multa a melioribus authoribus accepi, de te mehercule semper bene existimaui, & mirifice amare cœpi, cuius rei argumentum esse potest quod cum audissem te Ciceronis epistolarum libros imprimere: dixi me libenter tibi, si id sciissem nonnulla traditurum fuisse, quæ uidebar mihi non insulse post primam illam editionem animaduertisse. quod statim tibi per uiros honestissimos, amicissimosq; tuos significatum est. Et nunc quoque a te prouocatus, ac scriptis lacessitus, non possum tibi nō amicus esse, semperq; ero, dum te tanto studio scripta antiquorum multis modis deprauata castigare, & castigata ad communem fructum edere cognouero, quamuis mihi placatus non sis. Quod si animum tuum, tam infensum mihi, aut leui, aut nulla de causa sciissem, operam dedissem ut tibi satis facerem: neque enim mihi unquam cum literatis & ingeniosis hominibus inimicitias esse gerendas putaui: sed eos & amandos, & omni officio colendos perpetuo duxi. Nam quod queteris me nonnulla potius Germanis accepta referre: hoc me penitus omni culpa liberat, decetq; nunquam dissimulasse, a quibus adiutus sim. cur enim potius Germanis, quam Italis hominibus? qui mecum nulla re, neque publice, neque priuatim cōiuncti sunt. Amo sane nationem illam, ut non minus belli artibus, quam pacis studiis claram: nec tamen Italos homines odio prosequi debeo. Omnibus denique me magno beneficio obstrictum fatebor, quicūque hanc partem literarum impigre adiuuerint. Hic potissimū purgare nos uolumus, quia hoc in loco acerbissime nos accusaueras.

PAUL. MANV. Cuius ex filia) A atea, cuius ex familia, in omnibus impressis legebatur. nos septimum abhinc annū: filia, correximus ex oratione pro P. Sestio, in qua C. Albini filiā Pub. Sestio nupsisse traditur. Hunc autem locum, aliaq; item multa a nobis restituta, & iam impressa qui sibi postea uindicarint uideo fuisse, quam ego laudem illis uel ultro concesserim, modo ne iidem nostrum librum tertio quoque uerbo reprehenderent, & quod ea illo sumpserunt, id se uidisse dissimularent, quodq; magis doleo, Germanis acceptum referre mallent. sed quoniam ab hoc concertationis genere natura semper, nunc etiam ratione abhorreo: de Germanis nihil dicam, qui, ut ueterum libros ediderint multos, & optime de studiosis meriti sint, certe patri meo nunquam in hoc genere ondebuntur comparandi: hunc autem, qui nos occasione undecunque arrepta perstringere conatur, ut etiam uarias lectiones, quas olim in calcem operis reieceram, tanquam a me probatas reprehendat, etsi de nobis male existimet, amabimus tamen ut hominem diligentem, & doctum, atque etiam, siquid opis antiquorum scriptis, quæ deprauata leguntur, attulerit, ea instituto nostro gratias agemus.

SEBAS. CORR. P. Sestium} Epist. VI. lib. V. {Homines sciunt} nam cū me defenderet, a Clodianis in templo Castoris pro occiso relictus est {C. Albini} soceri sui prioris.

BERN. RVT. L. Sestius optimus adolescens} P. filium quoq; nominat in oratione pro patre utrobiq; itidem scribēdum. {Si Pub. Sestius homini maxime necessario satisfecerit} Pro me, in aliis additum, quod ego ita seruari nolo, ut per me, scr. batur.

GIBERTI LONGOLII LEMMA

Societatis publicanorū Bithyniæ causam, in qua probe multi erant, multique amici & familiares, generio commendas.

M. T. C. CRASSIPEDI S. P. D. 6

Qvanquam tibi præsens commendaui, ut potui diligentissime, socios Bithyniæ, teq; cum mea commendatione, tum etiam tua sponte intellexi cupere ei societati, quibuscunque rebus posses, commodare: tamē cum ii, quorum res agitur, magni sua interesse arbitrarentur, me etiā p literas declarare tibi, qua essem erga ipsos uoluntate, non dubitaui hæc ad te scribere: uolo enim te existimare, me, cum uniuerso ordini publicanorum multum semper libentissime tribuerim, idq; pro magnis eius ordinis erga me meritis facere debuerim, tum in primis amicum esse huic Bithynicæ societati: quæ societas ordine ipso & hominum genere pars est maxima ciuitatis: constat enim ex cæteris societatibus: & casu permulti sunt in ea societate ualde mihi familiares, in primisq; is, cuius præcipuum officium agitur hoc tempore. P. F. Men. qui est magister in ea societate. quæ cum ita sint, maiorem in modum à te peto, Cn. Pupium, qui est in operis eius societatis, omnibus tuis officiis, atque omni liberalitate tueare: curesq;, ut eius operæ, quod tibi facile factu est, quam gratissimæ sint sociis: remq; & utilitatem sociorum (cuius rei quantam potestatem Quæstor habeat, nō sum ignarus) per te quam maxime defensam, & auctam uelis, id cum mihi gratissimum feceris: tum illud tibi expertus promitto, & spondeo, te socios Bithyniæ, si iis commodaris, memores esse, & gratos cogniturum. Vale.

Quan-

ASCENSIVS. QVanquam &c. Publicani exigentes uectigalia habebant inter se societatem in prouinciis. Cum igitur Crassipes qui Piso dictus est, gener Cice. quæstor esset in Bithynia, commendat ei Ci. societatem publicanorum Bithyniæ, docens eam constare ex præclaris ciuibus R. sibiq; coniunctissimis. Ordo est Quanquam præsens. i. cũ essem præsens, commendaui tibi diligentissime ut potui, socios Bithyniæ. i. mercaturæ in Bithynia, & intellexi te, cum. s. ita sit quod commendatione mea, idest propter commendationem meam, tum: idest multo magis etiam tua sponte: idest propria natura, cupere commodare, idest commodum facere & prodesse, ei societati quibuscunque rebus posses, tamen cum ii quorum res agitur, arbitrarentur interesse, idest in re & utilitate sua esse, magni: idest magnopere, me declarare tibi etiam per literas, qua uoluntate essem erga ipsos, non dubitaui scribere ad te hoc, scilicet qua uoluntate in eos sim. Volo enim te existimare, idest iudicare & sentire, me cum tribuerim. i. concesserim & indulserim semper libentissime uniuerso ordini, idest statui, & ut dicunt collegio publicanorum uectigalium redemptorũ, qui simul negotiatores erant. nam pecuniam quam in prouinciis acceperant, mercibus commutabant, pro quibus alteram Romæ recipiebant, & debuerim facere id magnis meritis ordinis. i. totius collegii erga me, quia cum exularet ab illis pecuniam mutuatus erat, tum uolo te existimare me esse in primis: idest præcipue amicum huic societati Bithyniæ. Quæ societas est ipso ordine & genere hominum maxima pars ciuitatis. s. Romanæ. constat enim ex cæteris societatibus, & casu. i. a casu: multi sunt in ea societate ualde familiares mihi. Et in primis. P. Rupilius filius Publii, qui est magister: idest est primarius in ea societate, cuius: scilicet Rupilii, officium præcipuum agitur hoc tempore. Quæ cum ita sint, peto a te in maiorem modũ: idest obnixe & non uulgariter supple ut tueare omnibus officiis tuis, atque omni liberalitate Cn. Puppium, qui est in operis, idest industriis & laboribus aut familiaribus eius societatis. Est enim operis ablatiui casus ab operæ operarum & cætera. & cures ut operæ, idest labores & industriæ eius, quod est tibi facile factu, idest ut fiat a te, sint gratissimæ. i. utilissimæ & acceptissimæ sociis, & uelis rem & utilitatem sociorum, cuius rei quantam potestatem Quæstor habeat, scilicet in prouincia, non sum ignarus, sup. esse defensam & auctam per te, quammaxime. Cum, scilicet ita sit quod tu feceris id gratissimum mihi, tum ego expertus promitto tibi illud & spondeo, te cogniturum socios Bithyniæ esse memores & gratos, si commodaris. i. commodum feceris, iis. i. eis.

VICTORIVS. P. Rupilius P. F. men.} In uetustis libris ita scriptum offendimus, quam lectionem uariare, cum nihil certi haberemus, consilium non fuit: qua in sententia permanemus, præsertim cum alios in hac re ualde inconstantes uideamus.

PAVL. MANV. RVpilius P F. men.) Diximus supra, ciues Romanos a tribu ostendi solitos: quæ quidem tribus plerunq; in antiquis & lapidibus & libris prima tantũ syllaba scripta legitur: itaq; corruptos opinor hic esse codices, & pro Men. legendum Met. ut intelligatur Metia tribus. sed est quod magis placeat: potius enim ita legi uellem, P. Rupilius P. F. An. ut Aniensis tribus significetur. nam Vincentii Riccii codex habet, P. Rupilius P. Fannius: cuius uitii fuit hæc origo, quod cum scriptum esset, P. F. An. imperiti ueteres notas non intelligentes scripserunt, P. Fannius. de tribubus autem multa diximus in VIII. epistolam VIII. libri.

SEBAS. CORR. SOcios} publicanos. {Menenius} Al. Men. quas literas quidam ita separant, M. E. N. & interpretantur, Meus est necessarius. nos nihil hic certi habemus.

BERN. RVTI. PHIL. MELA. Quibuscunque rebus posses, commendare} Commodare, interpres & cætera exemplaria probe.

QVanquam tibi Præsens } Exordium, occupatio. { Tamen cum} Correctio occupationis. {Volo enim} Argumentatio ex cõparatione: Omnibus publicanis, sed maxime istis cupio gratificari, χαρίζεσθαι, tribuere. {Quæ cum ita} Conclusio, continens petitionem, seu propositionem.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

M. Varronem hominem dignissimum amplissimæ commendationis prætori Bruto ualde commendat.

M. T. C. BRVTO S. P. D. 10

CVm ad te tuus Quæstor M. Varro proficisceretur, commendatione egere eum nõ putabam: satis enim commendatum tibi eum arbitrabar ab ipso more Maiorum: qui, ut te non fugit, hanc Quæsturæ coniunctionem liberorum necessitudini proximam uoluit esse: sed cum sibi ita persuasisset ipse, meas de se accurate scriptas literas maximum apud te põdus habituras, a meq; contenderet, ut quam diligentissime scriberem: malui facere, quod meus familiaris tanti sua interesse arbitraretur. ut igitur debere me facere hoc intelligas: cum primum M. Terentius in forum uenit, ad amicitiam se meam contulit. deinde ut se corroborauit duæ causæ accesserunt, quæ meam in illum beneuolentiam augerent: una, quod uersabatur in hoc studio nostro, quo etiam nunc maxime* delectamur, & cum ingenio, ut nosti, nec sine industria: deinde, quòd mature se contulit in societates publicanorum: quod qui dem nollem: maximis enim dãnis affectus est. sed* tamen causa cõmunis ordinis mihi commendatissimi fecit amicitiam nostram firmiorem. deinde uersatus in utrisque subselliis optima & fide, & fama, iam ante hanc commutationem Reipub. petitioni sese dedit, honoremq; honestissimum existimauit fructum laboris sui. his autem temporibus à me Brundusio cum literis, & mandatis profectus est ad Cæsarem. qua in re & amorem eius in suscipiendo negotio perspexi, & fidem in conficiendo, ac renunciando. uideor mihi, cum separatim de probitate eius & moribus dicturus fuissem, si prius causam, cur eum tantopere diligerem, tibi exposuissem, in ipsa causa exponenda satis etiam de probitate dixisse: sed tamen separatim promitto, in meq; recipio, fore eum tibi & uoluptati, & usui: nam & modestum hominem cognosces, & prudẽtem, & à cupiditate omni remotissimum, præterea magni laboris, summæq; industriæ. neque ego hæc polliceri debeo, quæ tibi ipsi, cum bene cognoueris, iudicanda sunt: sed tamen IN omnibus nouis coniunctionibus interest, qualis primus aditus sit, & qua commendatione quasi amicitiæ fores aperiantur. quod ego his literis efficere uolui: & si id ipsa per se necessitudo Quæsturæ effecisse debet: sed tamen nihilo infirmius illud hoc addito. cura igitur, si me tanti facis, quanti & Varro existimat, & ipse sentio, ut quamprimum intelligam, hanc meam commendationem tantum illi utilitatis attulisse, quantum & ipse sperarit, nec ego dubitarim. Vale.

*al. Delectatur.
*al. tamen rõ cõm.

ASCENSIVS. CVm ad & cætera. M. Terentius Varro profecturus in Galliam Quæstor Bruti, quia sciebat quanti esset habere primos aditus ad Prætorem commendatos, curauit habere Cice. commendationem, quem apud Brutum plurimum ualere sciebat. Quocirca eum Cice. Bruto hac epistola commendat docens se id non ab re facere. Ordo est. Cum M. Varro Quæstor, idest conquisitor & receptor pecuniæ in stipendium & onera militiæ expendendæ, tuus: idest publico nomine tibi assignatus proficisceretur ad te, non putabam eum egere commendatione, arbitrabar enim eum satis commendatum tibi ab ipso more: idest instituto Maiorum: idest priscorum Romanorum, qui: scilicet mos Antiquorum uoluit, ut non fugit te: idest ut bene scis, hanc coniunctionem Quæsturæ: idest ex eo, quod quispiam alterius Quæstor fuerit, contractam, esse proximam necessariæ coniunctioni liberorum: idest prolis legitimæ. Sed cum ipse: scilicet Varro persuasisset sibi ita meas literas scriptas accurate de se, habituras maximum pondus, idest plurimum ualituras ad sui commendationem apud te, & contenderet, idest obnixe peteret a me, ut scriberem quam diligentissime, malui facere supple id quod necessarius meus: scilicet Varro arbitraretur interesse, idest in re esse sua, tanti: idest tantopere. Igitur ut intelligas me debere facere hoc: scilicet quod ille contendit. cum Mar. Teren. scilicet Varro uenit primum in forum: scilicet iudiciale, dicturus causas pro altero, ipse contulit se ad amicitiam meam, deinde ut: idest postquam ipse corroborauit: idest confirmauit se per notitiam & experientiam factus potentior, duæ causæ accesserunt: idest additæ sunt, quæ augerent beneuolentiam meam in illum. Vna quod uersabatur in hoc studio nostro: scilicet philosophico, quo delectamur maxime etiam nunc, idest adhuc, & idest etiam cum ingenio ut nosti, nec: idest & non sine industria, idest cum industria, hoc est ingenio & industria comitibus. deinde quod: scilicet Varro contulit se mature, idest cito in societates publicanorum: idest qui publica uectigalia redimunt & portoria conducunt, quod quidem nollem, idest uellem eum non fecisse, ubi negatio non agit in uerbũ. sed in adiectum, est enim affectus maximis damnis, sed tamen communis. i. cũ esset communis socius ordinis, scilicet publicanorũ, coniunctissimi

mihi:mallem tamen legere communio.i.commercium ordinis con
iunctissimi mihi fecit amicitiam nostram firmiorem Deinde uersa-
tus.s.gens in utrisque subsellijs,scilicet causidicorum & publica-
norum,optima & fide & fama,idest habens optimam fidem & fa-
mam de fide,idest fidelitate,ipse dedit.i.addjecit se petitioni : idest
supplicationibus faciendis aut requestis ut Galli dicunt , pro alijs,
iam ante hanc,commutationem Reipublicæ,idest priusquã Respu
blica per te liberata esset a tyrannide Cæsaris,& existimauit fructũ
laboris sui:idest quem ex labore suo assequeretur , honestissimum
supple esse. Autem:idest sed,ipse profectus est his diebus Brundu-
sio ad Cæsarem,scilicet Octauium cum mandatis a me,scilicet ac-
ceptis,in qua te ego perspexi:idest euidenter cognoui aut animad-
uerti,& amorem eius,scilicet in me,in suscipiẽdo negotio.i.eo quod
suscepit negotium tantum libenter,& fidem:idest fidelitatẽ in con-
ficiendo,idest transigendo & expediendo,& renunciando:idest re
portando responso.Quia multi libenter suscipere uidentur : sed su
sceptum negligunt,alij etiam susceptum munus conficiunt diligen
ter,sed renunciando negligentes sunt,ubi sciemus renunciare pro-
prie esse reportare & re significare quod nuncistum est. iis præ-
missis commendationem ipsam aggreditur , præmittens tamen
non impertinenter cur superiora prælocutus sit. Videor mihi cum
fuissem dicturus separatim:idest diuisim de probitate eius , scilicet
Varronis,& de moribus,si exposuissem tibi causam cur diligerem
eum tantopere,dixisse etiam satis de probitate, scilicet eius in ipsa
causa exponendo causam amoris: quæ in probitate eius fundatur,
sed tamen ego promitto separatim & recipio in me , scilicet onus
præstans,hoc est spondeo pro Varrone,eum fore,idest futurũ tibi,
& uoluptati & usui,idest utilitati. Nam tu cognosces supple eum
hominem & modestum & prudentem & remotissimũ a cupiditate
omni.præterea magni laboris,& summæ industriæ:idest grauitatis
& solertiæ. Neque ego debeo polliceri tibi hæc quæ iudicanda sunt
tibi ipsi,cum.s.ita sit quod bene cognoueris,sed tamen interest,id-
est refert,in omnibus coniunctionibus nouis,qualis sit primus adi
tus,& qua commendatione aperiantur quasi fores amicitiæ. Quod
scilicet aperire fores amicitiæ,ego uolui efficere his literis, & idest
tametsi,ipsa necessitudo Quæsturæ,debet effecisse id,ex more Ma
iorum,ut præmisit,sed tamen illud sup.erat nihilo: idest nullo in-
firmius,hoc,scilicet commendationis nostræ addito. Igitur cura,si
tu facis me tanti quanti & Varro existimat,& ego sentio,ut intelli-
gam quamprimum,idest ualde cito,hanc commendationem meam
attulisse illi,scilicet Varroni,tantum utilitatis,quantum,& ipse spe
rarit:nec ego dubitarim.s.illi allaturam fuisse. Vale.

PAVLO MANVTIO

DEinde ut se corroborauit)interpretes uerbi significatũ non
intelligentes alii aliter exposuerunt.dicit autem,Corrobo-
rauit,pro,egressus est annos pubertatis , & uir esse cœpit.
quemadmodum in oratione pro M.Cælio XXXVIIII. Cum is iã
se corroborauisset,ac uir inter uiros esset. & in eadem XLVI. non
modo hæc ætas,sed etiam iam corroborata,idest non modo adole-
scentibus,sed ẽt uiri & supra,eiusdem orationis initio.XXXVIII.
Eos,qui non,ut Cælii accusator,adolescentes essent,sed uiri, robu-
stiores appellauit , alibi etiam in hanc sententiam eodem uerbo
usus est.

SEBAS. CORR. BRuto}M.Bruto Epist.VI.lib.VI. {Cum ad te}in Galliam
Cisalpinam.{In forũ ueni}die tyrociniũ. {Studio nostro}
philosophiæ.{Delectamur} Alii legunt,delectatur. In utris
que subsellijs}in maioribus,& in minoribus causis. Etsi scio , quid
de subsellijs dicat Asconius.{R.P.petitioni sese} Alii legunt,R.P.
sese.{His autem temporibus}post uictum Pompeium { Brundusiũ}
Nemo non uidet legendum esse Brundusio , ut est in ueteribus li-
bris:eo enim Cicero se,uicto Pompeio,contulit:unde Varro postea
ad Cæsarem est profectus.{Ad Cæsarem} uel in Aegypto bellum
gerentem,uel uicto Pharnace in Italiam reuertentem. {In suscipiẽ
do negotio}perferendi literas,& me Cæsari reconciliandi.

PHIL. MELÃ. CVm Ad te}Exordium est occupatio:Non erat opus commẽ
datione.{Sed cum}Correctio occupationis.{Vt igitur}Nar
ratio,continens & causas amicitiæ huius,& commendatio
nem personæ.{In utrisque subsellijs}in prætoriis iudiciis,& cẽtum
uiralibus.{Videor mihi} Transitio ad laudem morum Terentij.
{Neque ego}Occupatio.{Sed tamen } Correctio occupationis ex
[illegible].{Cura igitur}Conclusio,petitionem continens,

GIBERTI LONGOLII LEMMA,

Arpinates municipes Ciceronis uectigalia possidebant in Gallia,cui præ
erat Brutus. quamobrem a Bruto postulat, ut municipum causæ pro uecti-
galium exactione fauere uelit. Id autem sibi suisque honori futurum,

M. T. C. BRVTO S. D.

QVia semper animaduerti, studiose
te operam dare,ut nequid meorum
tibi esset ignotum. propterea non
dubito quin scias, non solum cuius
municipii sim,sed etiam quàm di-
ligenter soleam meos municipes
Arpinates tueri.quorum quidem
omnia commoda, omnesq; faculta-
tes,quibus & sacra conficere , &
sarta tecta ædium sacrarum, loco-
rumq; communium tueri possint,cõsistunt in iis uectigalibus,quæ
habent in prouincia Gallia.ad ea uisenda,pecuniasq;,quæ à colo-
nis debentur,exigendas,totamq; rem & cognoscendam,& admi-
nistrãdam Legatos equites Romanos misimus Q.Suffidium Q.u.
F.M.Faucium M.F.Q.Mamercum Q. F.peto à te maiorem in
modum pro nostra necessitudine,ut ea res tibi curæ sit,operamq;
des,ut per te quamcommodissime negotium municipii administre
tur,quamprimumq; conficiatur:ipsosq;,quorum nomina scripsi,
ut quamhonorificentissime pro tua natura , & quamliberalissi-
me tractes.bonos uiros ad tuam necessitudinem adiunxeris, muni
cipiumq; gratissimum beneficio tuo deuinxeris, mihi uero etiam
eo gratius feceris,quòd cum semper tueri municipes meos consue
ui,tum hic annus præcipue ad meam curam , officiumq; pertinet:
nam constituendi municipii causa hoc anno Aedilem filium meum
fieri uolui,& fratris filium,& M.Cæsium, hominem mihi maxi
me necessarium(is enim magistratus in nostro municipio,nec alius
ullus creari solet)quos cohonestaris,in primisq; me,si Resp. mu-
nicipii,tuo studio,& diligentia bene administrata erit. quod ut
facias,te uehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

ASCENSIVS. QVia &c. Arpinates compatriotæ Cicer.habebant in Gal
lia Cisalpina quantum ad Italos uectigalia, quibus pu-
bli.sustinebant negotia quo circa Brutum rogat ut in
eis recipiendis faueat,dicens. Quia ego animaduerti
semper te dare operam studiose , ut ne quid meorum.s.
eorum quæ agerem,esset ignotum tibi,propterea non dubito quin
scias non solum cuius municipii sim,quia Arpini,sed etiam quam,
idest quantum diligenter soleam tueri , idest protegere Arpinates
municipes.uidetur(Secundum Vallam)dicendum communicipes
meos,non enim Cicero princeps eorum erat.Quorum:scilicet, Ar
pinatium quidem,idest certe,omnia commoda & omnes facultates
quibus possint &:idest simul conficere: idest perficere sacra , idest
res sacras ut sacrificia & tẽpla,& tueri,idest conseruare tecta ædiũ
sacrarum,idest sacrorum & locorum communium,idest ad ciuita-
tem communiter pertinentium ut sunt fora,mœnia,& similia, sarta
idest concinnata & integra,consistunt in iis uectigalibus,quæ ha-
bent in prouincia Gallica. Nos misimus Quin Suffidium filium
Quinti,Marcum Faucium filium Marci,Quintum Mamercum fi
lium Quinti equites Roman Legatos,ad uisenda ea: scilicet uecti
galia Arpinatum,& ad exigendas pecunias quæ debentur a colo-
nis,& ad cognoscendam & administrandam totam rem , idest totũ
negotium.Ego peto a te maiorem in modum pro necessitudine no
stra,idest propter necessitudinem nostram,ut ea res sit tibi curæ, &
des operam,ut negotium municipii administretur per te: idest tuo
præsidio quam commodissime,& ut conficiatur,idest absoluatur et
expediatur,quam primum.i. ualde cito , & ut tractes ipsos quorum
nomina scripsi,quam honorificentissime & quam liberalissime pro
natura tua,idest iuxta naturã tuam. Tu adiunxeris,scilicet hoc fa-
ciendo,uiros bonos ad necessitudinem tuam.i. cumulum tuorum
necessariorum,& deuinxeris.i.obligaueris beneficio tuo municipiũ
gratissimum;uero.i.sed.tu feceris mihi etiam gratius, quod cum s.
ita sit:quod consueui semper tueri municipes meos, tum hic : idest
præsens annus pertinet præcipue ad curam meam & officium,sci-
licet meum.Nam ego uolui filium meum,scilicet M Ciceronem &
filium fratris sup.mei,& M. Cæsium hominem necessarium mihi
maxime,fieri hoc anno Aedilem i.curatorem ædiũ & ædificãdorũ
in eo municipio causa municipii constituendi.i.ad meliora institu-
ta redigendi.Enim,i.quia,is magistratus uidelicet Aedilitius , nec
ullus alius solet creari in municipio nostro.quos.s.omnes tu coho-
nestaris.i simul honestaueris,& in primis:idest præcipue me,si Re
spubli.municipii eris administrata bene,studio tuo & diligẽtia tua.
Quod ut facias rogo te uehementer etiam atque etiam , idest iterũ
atque iterum.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Superiore epistola omnium Legatorum Arpinatum causam egit: in hac uero pro Suffidio necessario suo, ut Brutus honorem & dignitatem illius de bene obita legatione promoueat, scribit.

M. T. CICERO BRVTO S. D. 12

ALia epistola communiter commendaui tibi Legatos Arpinatũ, ut potui diligentissime, hac separatim Q. Suffidium, quocum mihi omnes necessitudines sunt, diligentius cõmendo, non ut aliquid de illa commendatione diminuam, sed ut hanc addam: nam & priuignus est M. Cesii, mei maxime & familiaris, & necessarii: & fuit in Cilicia mecum Tribunus mil. quo in munere ita se tractauit, ut accepisse ab eo beneficium uiderer, non dedisse. est praeterea, quod apud te ualet plurimum, à nostris studiis non abhorrens. quare uelim eum quam liberalissime complectare, operamq; des, ut in ea legatione, quam suscepit contra suũ commodum, secutus authoritatem meam, quam maxime eius excellat industria: uult enim, id quod optimo cuique natura tributũ est, quam maximam laudem cum à nobis, qui eum impulimus, tum à municipio consequi: quod ei continget, si hac mea commendatione tuũ erga se studium erit consecutus. Vale.

ASCENSIVS. ALia epistola &c. Q. Suffidius pro dicta Arpinatũ causa ad Brutum legatus fuerat Tribunus militũ, cum Cic. in Cilicia imperaret. quocirca hunc singulariter cõmendat eidem Bruto, rogans ut sic eius legationem sua upe iuuet, ut inde laudem consequatur Suffidius, & ipse gratiam. Ordo est: Ego commendaui tibi alia epistola, Legatos Arpinatum communiter. i. simul omnes diligentissime ut potui, & commẽdo tibi diligentius separatim hac epistola Q. Suffidium qui cum. i. cum quo omnes necessitudines. i. necessariæ amoris & amicitiæ cõiunctiones sunt mihi, non ut comminuam. i. detraham aliquid de commendatione illa. s. communi, sed ut addam sup. aliquid ad hãc. Nam ipse Suffidius est & priuignus. i. ex uxore ab alio uiro genitus, Marci Casii mei maxime & familiaris & necessarii, & fuit mecũ cũ essem Imperator in Cilicia, Tribunus militum, in quo munere. i. officio aut magistratu, ipse tractabat. i. regebat se ita ut uiderer accepisse beneficiom ab eo, non dedisse supple et Praeterea quod plurimum ualet apud te, ipse est, non abhorrens. i. non alienus, a studiis nostris. s. Philosophiæ, Stoicæ praesertim sectæ. Quare ego uelim sup. ut complectare eum quam liberalissime, & des operam ut eius industria excellat. i. præmineat, quã maxime, in ea legatione quã suscepit contra suum commodum, secutus authoritatem meã. Vult enim, id quod tributum est optimo cuiq; a natura, consequi quã maximam laudem tum a nobis qui impulimus eum, tum a municipio. Quod continget ei si consecutus erit studium. i. fauorem tuum erga se, hac commendatione mea.

PAVL. MANV. Sed ut hanc addam) Alii aliter, nos sic emendauimus ex uetusto codice Bernardini Maffei.

SEBAS. RORR. Diminuam} Al. comminuam. {Et hanc addam} Al. ad hanc addam.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Castronium Paetum probum hominem Bruto commendat.

M. T. C. BRVTO S. D. 13

LVcius Castronius Paetus lõge princeps municipii Lucensis est honestus, grauis, plenus officii, bonus plane uir, & cũ uirtutibus, tum et fortuna, siquid hoc ad rẽ pertinet, ornatus: meus aũt est familiarissimus, sic prorsus, ut nostri ordinis obseruet neminem diligentius. quare, & ut meũ amicum, & ut tua dignum amicitia tibi commendo. cui quibuscunque rebus commodaueris, tibi profecto iucundum, mihi certe erit gratum. Vale.

ASCENSIVS. LVcius &c. Paucis sed efficacibus uerbis cõmendat Cicero ipsi Bruto L. Castroniũ Paetũ Lucensem ciuem, quẽ & moribus, & uirtute, & fortuna, quæ multum allicere solet, ornatum dicit sic. Lucius Castronius Paetus lõge. i. facile, aut eminenter princeps municipii Lucensis est uir honestus, grauis, plenus officii, & plane bonus, & ornatus cũ. i. pariter uirtutibus. tum ẽt fortuna. i. diuitiis. siquid pertinet ad rem, idest ad eius cõmendationẽ, aũt. i. sed ipse est familiarissimus meus, ita ut neminem ordinis nostri. s. senatorii, obseruet. i. colat, & offendere metuat, diligentius: supple quã me. Quare ego commendo tibi eum, ut & amicum meũ, & dignũ amicitia tua. quibuscunque rebus commodaueris. i. commodũ feceris. erit profectu. i. re uera iucũdum tibi. & erit certe. i. haud dubie mihi gratum. i. utile.

GIBERTI LONGOLII LEMMA

Petit a Bruto ut Straboni faueat, in exigendo a Cornelio eius prouinciæ homine, debito.

M. T. C. BRVTO S. D 14

LVcio Titione Strabone, equite Romano in primis honesto, & ornato, familiarissime utor. omnia mihi cum eo intercedunt iura summæ necessitudinis. huic in tua prouincia pecuniam debet P. Cornelius. ea res à Volcatio, qui Romæ ius dicit, reiecta in Galliam est. peto. à te hoc diligẽtius, quã si mea res esset, quò est honestius de amicorum pecunia laborare, quàm de sua, ut negotium conficiendum cures, ipse suscipias, transigas, operamq; des, quod tibi æquũ, & rectum uidebitur, ut quam commodissima conditione libertus Strabonis, qui eius rei causa missus est, negotium conficiat, ad numosq; perueniat. id & mihi gratissimum erit: & tu ipse L. Titionem cognosces amicitia tua dignissimum, quod ut tibi curæ sit, ut omnia solent esse, quæ me uelle scis, te uehementer etiam atque etiã rogo. Vale.

ASCENSIVS. LVcio &c. Cornel. quidã debebat pecuniã L. Ti. Strab. in Gallia, cui præerat Bru. cumq; conuenisset ipse Strabo debitorẽ suũ sub Volcatio Prætore urbano. Volca. cau. remi. in Galliam ad debitum recuperandum, quo cum Strabo mitteret libertum suũ Cic. cum diligenter cõmẽdat. Ego utor familiarissime Luc. Ti. Strab. equite Rom. honesto & ornato in primis. i. præcipue. Omnia iura summæ necessitudinis. i. coniunctionis necessariæ amoris & amicitiæ, intercedunt. i. cõmunicantur mihi cũ eo. P. Cornelius debet huic pecuniã in prouincia sua s. Gallia. Ea res. i. cognitio e actionis eius pecuniæ est reiecta in Galliam a Vulcatio, qui dicit Romæ ius. i. qui iudicis fungitur officio. Ego peto hoc a te diligentius, quã si res mea esset, quo. i. quãto, aut q. i. quia honestius est laborare. i. anxium esse de pecunia amicorũ quã de sua. i. propria, peto inquã ut cures negotiũ conficiendũ. i. expediendũ aut finiendũ, & sup. ipse. i. tu quod dicunt in propria persona, suscipias. s. negotiũ, transigas. i. absoluas, & des operã, quoad. i. quatenus uidebitur tibi æquũ & rectũ, ut libertus Strabonis, q missus est. s. ad te in Galliã, eius rei causa, conficiat. i. perficiat aut finiat negotium, conditione commodissima. i. utilissima, & perueniat ad numos. Id &. i. simul erit gratissimum mihi, & tu ipse cognosces L. Titionem gratissimum & dignissimum amicitia tua. Quod ut sit tibi curæ, ut omnia quæ scis me uelle, solent esse, rogo te uehementer etiam atque etiam. i. iterum atque iterum.

GIBERTI LONGOLII LEMMA

Præcilium adolescentem diligentissime Cæsari commendat.

M. T. C. C. CÆSARI IMP. S. 15

PRæcilium tibi commendo unice tui necessarii, mei familiarissimi, uiri optimi filium. quẽ cum adolescentẽ ipsum propter eius modestiã, humanitatem, animum, & amorem erga me singularem mirifice diligo: tum patrem eius, re doctus, intellexi, & didici mihi fuisse semper amicissimum: en hic ille est de

*ille maxime, qui irridere, atque obiurgare me soliti sunt, quòd me non tecum, præsertim cum abs te honorificentissime inuitarer, coniungerem. * ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθεν. audiebam enim nostros proceres clamitanteis * ἄλκιμος ἔσσ', ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ, ὡς νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα. sed tamen idem me consolatur. & iam hominem perustum, etiamnum gloria uolunt incendere, atque ita loquuntur. * μὴ μὰν ἀσπουδί γε καὶ ἀκλειῶς ἀπολοίμην, ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι. sed me minus iam mouent, ut uides: itaque ab Homeri magniloquentia cõfero me ad uera præcepta. * Εὐριπίδου, μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός. quem uersum senex Præcilius laudat egregie: & ait posse eundem & ἅμα πρόσσω καὶ ὀπίσσω uidere, & tamen nihilominus * αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων. sed ut redeã ad id, unde cœpi: uehementer mihi gratum feceris, si hunc adolescentem humanitate tua, quæ est singularis, comprehenderis, & ad id, quod ipsorum Præciliorum causa te uelle arbitror, addideris cumulum commendationis meæ. genere nouo sum literarum ad te usus, ut intelligeres non uulgarem esse commendationem. Vale.*

**a. En hic ille est maxime. q.i. a.o. me solitus est.*
**.i. sed meum nũquam animum in pectore p suadebat.*
**.i. fortis esto, ut quis te & posterorũ laudet. sic nebula inuoluit atra.*
**.i. ne negligẽter, & sine gloria pereã, sed magnum faciens quidpiã, & posteris audiendum.*
**i. Euripidis, odi magistrũ, qui nõ est sibi sapiẽs*
**.i. simul ante, & pone.*
**.i. semp antecellere, et principem esse aliorum.*

ASCENSIVS.

PRæcilium &c. Commendat Cæs. iam rerum potito Præcilium, a quo se ut Cæs. sequeretur, sæpe admonitum frustra fatetur, dicens. Ego commendo tibi unice: idest singulariter Præcilium, filium uiri optimi necessarii tui & familiarissimi mei, quem tum, idest pariter, adolescentẽ ipsum diligo mirifice propter modestiam eius, humanitatem, animum: idest beneuolentiam, & amorem singularem erga me, tũ doctus: idest certior factus re. i. effectu ipso intellexi & didici patrem eius fuisse semper amicissimum mihi. En hic est ille maxime. i. præcipue de illis, qui solitus est irridere atque obiurgare me, quod non coniungerem me tecum, præsertim cum inuitarer. s. ad talem coniunctionem tecum, abs, idest a te honorificentissime ἀλλ' ἐμὸν pro ἀλλά. i. sed, ἐμὸν, idest meũ, οὔποτε, idest nunquam θυμὸν, idest animum seu uoluntatem ἐνὶ στήθεσσιν, in pectoribus, ἔπειθεν: idest persuasit. Est autem ἀόριστος δεύτερος, aoristus secundus. nam πείθω dicitur persuadeo. Sensus autem horum uerborum inquit Huber. est. Sed nunquam mihi animum inducere potuit. Sunt uerba Homeri Cæl. nota, quocirca maluit græce quam latine rem exprimere, præsertim cum proposito maxime conducunt. Audiebam enim proceres nostros, idest principes Romanos clamitantes ἄλκιμος, idest fortis, ἔσσο, idest sis uel esto, ἵνα, idest ut, τίς, idest aliquis, σε, idest te, καὶ idest &, ὀψιγόνων, idest sero nascentium, hoc est posterorum, εὖ, idest bene, εἴπῃ, idest dicat, hoc est, sis fortis, ut aliquis posterorum te benedicat. ὡς, idest sic, νεφέλη, idest nebula, ἐκάλυψε texit aut uelauit, μέλαινα, idest nigra, με, idest me. hoc est, caligo menti addita fecit ut sanum cõsilium non uiderem. μέμονας, idest furis, πῶς, idest quodammodo, δεῖ, idest oportet, τὶ adiectio est ex modo loquendi europea per se nihil significans, καὶ idest, & ἀκλειῶς, idest inglorie, & est aduerbium, ἀπολέσθαι, idest aboleri & perire. Sed tamẽ idem consolatur me: etiam uiuũt hominem perustum, idest desiccatum, aut qui perfricuit frontem, & inanem, idest uacuum gloria, incendere, scilicet ad gloriam, atq; loquũtur ita, ἀλλά, idest sed, ῥέξας, idest facias, τὶ. i. aliquid, καὶ. i. &, ἐσσομένοισι i. futuris, πυθέσθαι, idest persuasum iri, hoc est quod credendum sit. Sed supple eiusmodi uerba minus. i. non mouent iam me, ut uides. Itaque confero me ab magniloquẽtia Homeri, cuius sunt superiora uerba, ad uera præcepta, Εὐριπίδου, idest Euripidis. μισῶ, idest odi, dicitur & μισέω, σοφιστὴν sapientem, ὅστις, idest qui οὐχ non, αὑτῷ, idest sibi, σοφὸς i. sapiens supple est, hoc est odi sapientem qui sibi non sapit. Quem uersum Præcilius senex. s. pater laudat egregie & ait eundem posse uidere, ἅμα idest simul, πρόσσω. i. ante, καὶ, idest &, ὀπίσσω. i. retro, & tamen nihilominus, αἰὲν, idest semper, ἀριστεύειν. i. optime agere, καὶ. i. & ὑπείροχον summum, ἔμμεναι, idest existere, ἄλλων. i. aliorum. Sed ut redeam ad id unde cœpi. s. scribere aut loqui, tu feceris mihi gratum uehementer, si comprehenderis, idest complexus fueris hunc adolescentem. s. Præcilium humanitate tua, quæ est singularis, & addideris ad id quod ego arbitrabor te uelle causa Præciliorum ipsorũ hoc est propter amorem ipsorum, cumulum. i. magnam accessionẽ commendationis meæ. Ego sum usus ad te nouo genere literarum, ut intelligeres supple hanc commendationem, non uulgarem sup. esse, sed egregiam.

VICTORIVS.

EN hic est ille, &c. Mediceus codex & alii ueteres {Em} sine aspiratione, Ut Politiani Terentius in Adelphis, Em tibi rescisuit oẽm rẽ: id nunc clamat. ὡς νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα. Hemistichium hoc Homeri in ueteribus cunctis exemplaribus post alterum eiusdem poetæ uersum collocatum est: hoc inquã ordine: ὡς νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα, Sed tamen idem me consolatur, &c. ut primo uersu narret nunquam sibi probasse Præcilium concilium suum, nec sibi persuasisse ut se cum Cæsare coniungeret, postea addat rationem, cur optimum illius consilium neglexerit, Audiebam enim, inquit, nostros proceres clamitantes ἄλκιμος ἔσσ' ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ. Nunc cur accidere potuerit, ut præclarum Præcilii consilium repudiarit, ostendit, curq; nõ animo suo ille fidem fecerit. Quoniam, inquit, atra nubes ita occulebat, ut ad eum nulla ratione penetrare potuerit ἀλλ' ἄγε πῶς μέμονας. Sic omnes uulgati codices deprauate. Nostri ueteres hac etiã parte incorrupti manent: sunt autem Homeri uersus λ χ. ab Hectore pronunciati Eosdem etiam in prima epistola IX. libri ad Attic. ponit Cicero. Generosa autem & clarissimo uiro digna sententia his uersibus continetur, & quæ ignauum etiam hominem ad gloriam excitaret, & incenderet. Horum uersuum sententiam uult Polybius Cleomenem illum fortissimum, & gloriosissimum Spartæ regem secutum fuisse: cum omni spe destitutus, ne aliquid se indignum sustineret, postremum illud auxilium tentauit, non tam spe conatum illum ad finem perducendi: quam pulchram mortẽ obeundi.

Ex posteriori eiusdem.

PErustum, etiamnum) Quidam lectionem, quam antea amarant sine causa damnant eam nos quoque in Mediceo inuenimus, ideoq; tunc recepimus: Sic enim in illo est. Etiam hominem perustum, etiamnum gloria) nam aliis quoq; locis animaduerti in illo exemplari hanc uocem ita scriptam esse, ut in prima epistola ad Brutum huius libri. {Quã etiam nunc maxime delectamur} ipsi quam depeauati sint libri, quibus magnam fidem habent, nolentes ostendunt.

PAVL. MANV.

PErustum, etiãnum) Cum antea legeretur, perustum & inanẽ. nos ea uetustis codicibus, & e sensu olim emendauimus, perustum etiamnum, sed quoniam Vincentii Riccii codex habet, perustum immani, alii autem, perustum inanem: non absurde ẽt legi posset, perustum, inani gloria uolunt incendere. quod autem dixit, & iam, uide num legi possit, at hi me.

SEBAS. CORR.

EN hic ille est} Alii legunt, Em hic ille est. {Soliti sunt} Etsi ita quæris Latina locutio, in ueteribus tamen libris legitur, solitus est, quod defendi poterit, si totum locum, ut nonnulli etiam descripserunt, leges, En hic ille est maxime, qui irridere, atque obiurgare me solitus est. {ἀλλ' ἐμὸν οὔποτε θυμὸν ἐνὶ στήθεσσιν ἔπειθεν} Sed meum nunquam animum in pectoribus suadendo induxit, ut scilicet me tecum coniungerem {Nostros proceres} Pompeianos. {ἄλκιμος ἔσσ' ἵνα τίς σε καὶ ὀψιγόνων εὖ εἴπῃ.} Fortis esto, ut aliquis te & posterorum laudet. {ὡς νεφέλη ἐκάλυψε μέλαινα.} Sic nebula texit nigra. sic ego imprudens Põpeium secutus sum. {Idẽ me consolatur} Ex sensu, & uetere libro legendum est, Iidem me consolantur. iidem Pompeiani, qui tunc in Africa fuisse uidentur. {Etiamnum} Al & inani ἀλλ' ἄγε, πῶς μέμονας οὐδ' αἶγα καὶ ἀκλεῶς ἀπολέσθαι, ἀλλὰ μέγα ῥέξαι τι, καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι. Sed age, quid moratus es? non oportet quidem & sine gloria perire, sed magnum facere aliquid, & posteris audiendum Hos uersus Cicero fortasse mutauit, uel nos habemus corruptos. Certe apud Homerum sic leges.

> μὴ μὰν ἀσπουδί γε καὶ ἀκλειῶς ἀπολοίμην,
> ἀλλὰ μέγα ῥέξας τι καὶ ἐσσομένοισι πυθέσθαι.

{Minus iam mouent} Pompeiani {Præcepta Εὐριπίδου.} præcepta Euripidis. Μισῶ σοφιστὴν, ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός. Odi sapientem qui non sibi sapiens est. Vide Ennianum carmen Epist VI. lib VII. Odi igitur istos Pompeianos sapientes, qui sibi non sunt sapientes, cum tecum adhuc pugnent. ἅμα πρόσσω, καὶ ὀπίσσω, simul ante, & post. αἰὲν ἀριστεύειν, καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων. semper optime se gerere, & principem esse aliorum.

PHIL. MELÃ.

PRæcilium tibi} Propositio. {Tum patrem} Ratio a persona patris. {Sed me minus} Correctio, qua significat pœnitere se, quod non sit secutus consilium Præcilii.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Appollonii docti & ingeniosi hominis, quique Cæsaris res gestas monumentis literarum mandare uolebat, uictori Cæsari commendat.

M. T. C. C. CÆSARI IMP. S. 16

PVblium Crassum ex omni nobilitate adolescentem dilexi plurimum: & ex eo cum ab ineunte eius ætate bene sperauissem, tũ optime existimare cœpi ex iis iudiciis quæ de eo, feceram, cognitis. Eius libertum Apollonium iam tum equidem, cum ille uiueret, & magni

faciebam, & probabam: erat enim studiosus Crassi, & ad eius optima studia uehementer aptus: itaque ab eo admodum diligebatur. post mortem autem Crassi, eo mihi etiam dignior uisus est, quem in fidem atque amicitiam meam reciperem quòd eos à se obseruandos, & colendos putabat, quos ille dilexisset, & quibus charus fuisset: itaque & ad me in Ciliciam uenit, multisq; in rebus mihi magno usui fuit & fides eius, & prudentia, & ut opinor, tibi in Alexandrino bello, quantum studio, & fidelitate consequi potuit, non defuit. quod cum speraret te quoque ita existimare, in Hispaniam ad te maxime ille quidem suo consilio, sed etiam me authore est profectus. cui ego commendationem non sum pollicitus: non quin eam ualituram apud te arbitrarer: sed neque mihi egere commendatione uidebatur, qui in bello tecum fuisset, & propter memoriam Crassi de tuis unus esset: etsi uti commẽdationibus uellet, etiam per alios eum uidebam id consequi posse. testimonium meum de eo iudicii, quod & ipse magni æstimabat, & ego apud te ualere eram expertus, ei libenter dedi. doctum igitur hominem cognoui, & studijs optimis deditum, idq; à puero: nam domi meæ cum Diodoto stoico, homine, meo iudicio, eruditissimo, multum à puero fuit, nunc autem incensus studio rerum tuarum, eas literis græcis mandare cupiebat. posse arbitror: ualet ingenio: habet usum: iampridem in eo genere studii, literarumq; uersatur: satisfacere immortalitati laudum tuarum mirabiliter cupit. habes opinionis meæ testimonium: sed tu hoc facilius multò pro tua singulari prudentia iudicabis. & tamen quod negaueram, commendo tibi eum. quicquid ei commodaueris, erit mihi maiorem in modum gratum. Vale.

ASCENSIVS.

PVblium Crassum &c. Apollonius Pub. Crassi libertus cum res gestas Cæsaris monumentis literarum Græcarum mandare cuperet, ut id Cæs. gratius accideret, per testimonium Ciceronis literas commendatitias ad Cæsarem optauit, quas nunc exhibet Cicero dicens. Ego dilexi plurimum ex omni nobilitate. i. inter omnes nobiles Publium Crassum adolescentem, & cum bene sperauissem ex eo ab ineunte ætate. s. eius, tũ. i. multo magis cœpi existimare. i. iudicare per me. s. ipsum, ex iis iudiciis, quæ feceram de eo, cognitis. i. exploratis & cõpertis. Ego faciebam, idest existimabam magni & probabam. i. laudabam & approbabam Apollonium libertum eius. i. eius liberalitate libertate donatum, quidem, idest certe, iam tum cum ille, scilicet Crassus uiueret. Enim. i. quia, sup. Apollonius erat studiosus Crassi, idest studiose fauens & inseruiens Crasso, & erat uehementer aptus ad optima studia eius, scilicet Crassi adiuuanda. Itaq;. i. & ita ipse Apollonius diligebatur admodum. i. perfecte quasi usque ad iustũ modum, ab eo. s. Crasso. Autem. i. sed ipse uisus est mihi post mortẽ Crassi eo, idest propterea dignior quem reciperem in fidem atque amicitiam meam, quod putabat eos obseruandos. i. uerendos, & colendos supple esse, a se, quos ille. s. Crassus dilexisset, & quibus fuisset charus. Itaque cum uenit ad me in Ciliciam. s. prouinciam, & fides eius & prudentia fuit mihi magno usui. i. multum utilis, in multis rebus, & ut opinor, non defuit tibi, idest etiam auxilio fuit in bello Alexandrino. i. quod Alexandriæ, quæ regia est Aegypti, gessisti, quantum potuit consequi. i. efficere, studio & fidelitate, quod. i. quam rem, cum speraret te quoque existimare. i. iudicare ita, ipse est profectus in Hispaniam ad te, quidem. i. certe, ille inquam profectus est, maxime consilio suo, sed etiam me authore. i. approbatore eius consilii. Cui ego non sum pollicitus commendationem, non quin arbitrarer, eam. s. commendationem meam ualituram apud te, sed supple Apollonius neq; uidebatur mihi egere commendatione, qui & fuit tecum in bello, & qui esset unus de tuis. s. familiaribus aut necessariis, propter memoriam Crassi. Et uidebam si uellet uti commendationibus, eum posse consequi id. i. uti commendationibus etiam per alios. Ego dedi ei libenter testimonium meum, aut mei iudicii de eo, quod. s. iudicium, & ipse æstimabat magni, & ego eram expertus ualere apud te. Igitur, ut. s. testimonium perhibeam, ego cognoui supple eum hominem doctum, & deditũ optimis studiis, & id a puero. Nam fuit multum a puero, idest puerili ætate domi meæ cum Diodoto Stoico homine (meo iudicio) eruditissimo. Nunc autem incensus studiis rerum tuarum, cupiebat mandare eas literis græcis. ego arbitror: supple eum posse. s. mandare græcis literis. nam, sup. ualet ingenio, habet iampridem, idest a plusculo tempore, usum. i. experientiam, & ut dicunt practicam, & uersatur in eo genere studii, & literarum: cupit mirabiliter satisfacere. i. sufficientia alimenta præbere, immortalitati laudum tuarum. Tu habes testimonium opinionis meæ, sed tu iudicabis hoc multo facilius, pro singulari prudentia tua. i. per singularem prudentiam tuam. Et tamen quod negaueram, scilicet me facturum, ego commendo tibi eum. Quicquid commodaueris. i. commodi feceris ei, erit mihi gratum maiorem in modum.

VICTORIVS.

NAm domi meæ cum Diodoro Stoico, &c Nus & hic & aliis multis locis emendauimus {Diodotum} sæpe enim de hoc mentione facit, ut in epistola ad Varronem cuius initium περὶ δυνατῶν, eo loco, Quam noster Diodotus non concoquebat. etsi eo etiam loco impressi omnes Diodorus mendose habebant. duobus autem his locis nostri ueteres inuiolatam scripturam retinent: nec tantum horum authoritate Diodotus semper scripsimus sed nullos unquã uidimus Ciceronis libros manu scriptos, qui non hoc nomen recte scriptum haberent, quemadmodum contra, nullos formis excusos, qui non contaminatum. Item in proœmio primi libri de Natura deorum, Quod & orationes declarant refertæ philosophorum sententiis, & doctissimorum hominum familiaritates, quibus semper domus nostra floruit, & principes illi Diodotus, Philo, Antiochus, Posidonius, a quibus instituti sumus. Diodotus autem dialecticus, de quo loquitur supra citata epistola ad Varronem, & in libello de Fato, alius ab hoc est, & tempore antiquior.

SEBAS. CORR.

PCrassum) M. F. qui cum patre a Parthis interfectus fuit. Epist. VIII. lib. V {Tum optime} Al. tum per me. {Ad te maxime} Bellum gerentem contra Pompeii filios. {Diodoro.} Al. Diodoto. epist. IIII. lib IX.

PHILMEL.

PVb. Crassum) Narratio. {Sed neque mihi egere} Propositio: non commendationem, sed testimonium do, κατὰ προκατάληψιν. {Nam domi meæ} Ratio propositionis. {Sed tu hoc facil.} Correctio propositionis.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Curium omnium amicitia: & præsertim Sulpitii dignum, diligenter cõmendat.

M. T. C. SER. SVLPITIO S. P D. 17

MArcus Curius, qui Patris negotiatur, multis, & magnis de causis à me diligitur: nam & amicitia peruetus mihi cum eo est, ut primum in forum uenit, instituta: et Patris cum aliquoties antea, tum proxime hoc miserrimo bello domus eius tota mihi patuit, qua, si opus fuisset, tam essem usus, quàm mea. maximũ autem mihi uinculum cum eo est quasi sanctioris cuiusdam necessitudinis, quòd est Attici nostri familiarißimus, eumq; unum præter cæteros obseruat, ac diligit, quẽ si tu iam forte cognouisti, puto me hoc, quod facio, facere serius: ea enim est humanitate, & obseruantia, ut eum tibi iam ipsum per se commẽdatum putem: quod tamen si ita est, magnopere a te quæso, ut ad eam uoluntatem, siquam in illum ante has meas literas contulisti, quammaximus postea mea commendatione cumulus accedat. sin autem propter uerecundiam suam minus se tibi obtulit, aut eum nondum satis habes cognitum, aut quæ causa est, cur maioris commendationis indigeat: sic tibi eum commendo, ut neque maiore studio quenquam, neque iustioribus de causis commendarẽ poßim. faciamq; id, quod debent facere ii qui religiose, & sine ambitione commendant: spondebo enim tibi, uel potius spondeo, in meq; recipio, eos esse M. Curii mores, eamq; tum probitatem, tum etiam humanitatem: ut eum & amicitia tua, & tam accurata commendatione si tibi sit cognitus, dignum sis existimaturus. mihi certe gratissimum feceris, si intellexero has literas tantum, quantum scribens confidebam, apud te pondus habuisse. Vale.

ASCENSIVS.

MArcus &c. Seruius Sulpitius Græciæ præerat Igitur cũ Patris urbe Achaiæ in Peloponneso M. Curius multa negotia haberet, commendat eum Seruio ut amico sibi & Attico iucundissimum, dicens, M. Curius qui negotiatur, idest mercationi incumbit Patris urbe Achaiæ, diligitur a me de causis multis, & magnis, idest ob causas multas &

magnas,nam & amicitia peruetus.i.ualde uetusta est mihi cum eo, instituta i incepta cum eo,ut primum uenit in forum f.iodiciale,& domus eius tota patuit mihi Patris in ea urbe, cum.f. ita sit quod aliquoties antea tum.i.multo magis,hoc bello miserrimo, scilicet ciuili,coius miserrimus est exitus. Qua,scilicet domo ego usus fuissem tam.i.tantum,quam,idest quantum mea,si fuisset opus. Autem, idest sed,maximum uincolum quasi necessitudinis cuiusdam sanctioris,idest inoime uiolabilis,est mihi cũ eo,quod, idest eo quod ipse est familiarissimus Attici nostri.f.Pomponii,& obseruat: idest offendere timet,ac diligit eum uuum præter cæteros. Quem.f. Corium si tu cognouisti forte iam: scilicet antequam hæc legeris ego puto me facere quod facio,idest eum cũmeodare serius.i. oimis tarde. Ipse enim est ea humanitate & obseruantia.i.obseruãdi suos studio,ut putem ipsum iam,si eum cognouisti,commendatum tibi per se.i.sine literis meis quod tameo si est ita.i.si eum oosti & commẽdatum habes,ego quæso.i.requitna te magnopere,ut quàmaximos cumulus.i.maximum incrementum accedat.i. addatur aut adueniat,ad eam oolnotatem quam contulisti aote has literas meas lo illum,siquam.i.aliquam contulisti. Autem.i.sed si ipse propter uerecundiam suam minus.i.non obtulit tibi se,aut si oondum habes eum satis cognitum,aot quæ.i aliqua causa est,legerem una dictione,aut quam eur indigeat maioris commendationis,ego commendo eum tibi sic,ot neq; possim commendare quenquam maiore studio.i.affectu,neq; de iustioribus causis.i.ob iustiores causas. Et ego faciam id,quod debent facere ii qui commendant, religiose: idest sancte & cum timore & sine ambitione.i.affectione nimia. Spondebo enim tibi uel potius spondeo.f.iam,& recipio in me.i. polliceor me præstatorem,eos esse mores M.Curii, & eam tum probitatem, tum etiam humanitatem,ut sis existimaturus.i.iudicaturus si sit cognitus tibi,eum dignum & amicitia tua,& tam accorata commendatione.f.mea. Certe tu feceris mihi gratissimum,si intellexero has literas habuisse apud te tantum poodus i.tantum ualorem, quaotũ scribens.i.cum eas scriberem,confidebam.f.eas habitoras.

PAVL. MANV. QVam maximus postea commendatione c.a.) etsi codices omoes ita scriptum habeant, ego tamen legendum credi derim, quam maximumspotest,mea commendatiooe c.a.uel quammaximus post mea commendatione c.a.

SEBAS. CORR. SErnio Sulpitio) Græciæ a Cæsare præfecto. Epistol. VI. lib VI {M.Curius} Epistol. XXIX. lib. VII {Patris} quæ urbs est in Peiopoonesо Plyo. lib. IIII. cap. IIII. {Miserrimo bello} ciuili, inter Pompeium & Cæsarem.

PHIL. MELã. MArcus Curios} Narratio. { Quod tamen si ita } Propositio, seu petitio disiunctiua, siue est notus, siue ignotus, {Spondebo enim} Ratio petitionis.

GIBERTI LONGOLII LEMMA,

In hac epistola non tam commendat Attic Sulpitio, quam gratias agit quod Sulpetius tam pronus sis ad benefaciendum ipsi Attico.

M. T. C. SER. SVLPITIO S. P. D. 18

NOn concedam, ut Attico nostro, quem elatum lætitia uidi,iucundiores tuæ,suauissimæ ad eum,& humanissimè scriptæ literæ fuerint, quàm mihi: nam etsi utrique nostrũ propè æque gratæ erant, tamen ego admirabar magis,te,quasi rogatus,aut certe admonitus liberaliter Attico respondisses (quod tamen dubium nobis,quin ita futurum fuerit,non erat) ultro ad eũ scripsisse,eiq; nec opinanti uoluntatem tuam tantam per literas detulisse. de quo non modo rogare te,ut eo studiosius mea quoque causa facias,non debeo (nihil enim cumulatius fieri potest, quam pollicеris) sed ne gratias quidem agere,quòd tu & ipsius causa, & tua sponte feceris: illud tamen dicam, mihi id,quod fecisti, esse gratissimum: tale enim tuum iudicium de homine eo,quem ego unice diligo,non potest mihi non summe esse iucundum. quod cum ita sit,esse gratum necesse est. sed tamen quando mihi pro coniunctione nostra uel peccare apud te in scribendo licet: utrunque eorum quæ negaui mihi facienda esse,faciam: nam & ad id,quod Attici causa te ostendisti esse facturum,tantum uelim addas,quantum ex nostro amore accessionis fieri potest, & quod modo uerebar, tibi gratias agere,nunc planè ago: teq; ita existimare uolo, quibuscunque officiis in Epiroticis,reliquisq; rebus Atticum obstrinxeris,iisdem me tibi obligatum fore. Vale.

ASCENSIVS. NOn &c. Pomponius Atticus in Epiro negotia habebat, cui Seruius tunc præerat,ita cum Seruius id iotelligẽs ultro scripsisse ad Atticum se paratum esse ipsum iuuare quibuscunque rationibus posset,ostendit Ci. hat Serui liberalissimas literas sibi gratissimas esse, nec minus Attico,quem tamen ei commendatiorem facit,dicens, Non concedam ut literæ tuæ suauissimæ & scriptæ humanissime ad Atticũ, fuerint iucuodiores Attico uostro.f.Pomponio,quem uidi elatum, idest exultantem lætitia,quam mihi. Nam etsi,idest quanquam, literæ tuæ erant prope.i.quasi æque gratæ utrique oostrom, tamen ego admirabar magis te scripsisse ad eum ultro, & detulisse per literas tuas et nec opinaoti,tantam uoluntatem tuam,quasi rogatus, aut certe.i.saltem admonitus respondisses liberaliter, Attico, idest uotis Attici. De quo non modo,idest non solum non debeo rogare te,ut facias quoque,idest etiam causa mea eo,idest tãto studiosius, idest fauorabilius & diligẽtius Nihil enim potest fieri cumulatius, idest auctius quam polliceris.f.te sponte facturum,sed ne quidem.i, imo saltem supple debeo agere gratias quod tu feceris aut quod.i. de eo quod tu feceris,&.i.simul causa ipsius.f.Pomponii Attici, & tua sponte.i.propria inclinatione aut naturali uoluntate. Ego tamẽ dico illud,id quod fecisti esse gratissimum mihi. Tale enim iudiciũ tuum de eo homioe, quem ego diligo uoice, non potest esse non summe iucuodum mihi. Quod eum sit ita,necesse est esse gratum i. utile. Sed tamen quando.i.quandoquidem,licet mihi pro coniunctione oostra,uel idest etiam peccare in scribendo,ego faciã utrunque eorum quæ negaui.i.dixi noo esse facienda mihi.i.a me. Nam ego uelim supple ut addas ad id quod osteodisti te facturum causa Attici,tantum,quaotum accessionis.i. incrementi, fieri potest ex amore meo.i.propter accessionem amoris mei Et quod uerebar modo.i.paulo aote,uidelicet agere tibi gratias, ago plane.i. ex animo aut manifeste,& uolo te existimare ita,quibuscunque officiis, idest beoeficiis quasi ex debito aut honesto factis,obstrinxeris,idest deuinxeris Atticum in rebus Epiroticis,idest quas curaodas habet in Epiro,& reliquis.f rebus,me fore obligatum tibi iisdem.f.rebus.

SEBAS. CORR. Quasi rogatos} Al, quã si rogatus. {In Epiroticis} Omnis enim Attici pecuniæ reditus constabat in Epiroticis & urbanis possessionibus: ut scribit Nepos.

PHIL. MELã. NOn concedam} Propositio. Literæ tuæ fueruot nobis gratæ. {Tamen ego} Comparatio. mihi magis quam Attico gratæ fuerunt {Nihil enim} Correctio. {Sed ne gratias} Occupatio. quia ultro fecisti,& Attico,& mihi noo licet agere gratias, sed ago tamen. {Nam & ad id} Repetitio correctioois.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Caput huius epistolæ & cõmendationis est, ut inquit ipse Cicero, ut Seruius Lysonem Patrensem, qui Pompeianus cum Cæsare redierat in gratiã, in suam necessitudinem recipiat.

M. T. C. SER. SVLPITIO S. P. D. 19

CVm Lysone Patrensi est mihi quidem hospitium uetus, quam ego necessitudinem sanctæ colendam puto: sed ea causa etiam cum aliis com pluribus: familiaritas tanta nullo cum hospite, & ea cum officiis eius multis, tum etiã consuetudine quotidiana sic est aucta, ut nihil sit familiaritate nostra coniunctius. is cum Romæ annum propè ita fuisset, ut mecũ uiueret, etsi eramus in magna spe, te meis literis, commendationeq; diligentissime facturum id, quod fecisti, ut eius rem, & fortunas absentis tuereres tamen q, in unius potestate erant omnia, & quòd Lyso fuerat in nostra causa, nostrisq; præsidiis, quotidie aliquid timebamus. effectum tamen est & ipsius splendore, & nostro, reliquorumq; hospitum studio, ut omnia, quæ uellemus, a Cæsare impetrarentur. quod intelliges ex iis literis, quas Cæsar ad te dedit. nunc non modo non remittimus tibi aliquid ex nostra commendatione quasi

adepti iam omnia: sed eo uehementius à te contendimus, ut Lysonem in fidem, necesitudinemq; tuam recipias. cuius dubia fortuna timidius tecum agebamus, uerentes, nequid accideret eiusmodi, ut ne tu quidem mederi posses. explorata uero eius incolumitate, omnia à te studia summa cura peto. quæ ne singula enumerem, totam tibi domum commendo, in his adolescentem filium eius: quem C. Memmius Gemellus cliens meus cum in calamitate exilii sui, Patrensis ciuis factus esset, Patrensium legibus adoptauit: ut eius ipsius hæreditatis ius, causamq; tueare. caput illud est, ut Lysonē quem ego uirum optimum, gratissimumq; cognoui, recipias in necesitudinem tuam. quod si feceris, non dubito quin in eo diligendo, cæterisq; postea commendando, idem, quod ego, sis iudicii, & uoluntatis habiturus. quod cum fieri uehementer studeo: tum etiā illud uereor, ne, si minus cumulate uideberis fecisse aliquid eius causa, me ille negligenter scripsisse de se putet, non te oblitum mei: quanti enim me faceres, cum ex sermonibus quotidianis meis, tum ex epistolis etiam tuis potuit cognoscere. Vale.

ASCENSIVS.

CVm Lysone & cætera: Lyso ciuis Patrensis, Cice. ueteri hospitio & consuetudine coniunctus, is in dissensione ciuili Pōpeianas partes secutus erat. quocirca licet puret Seruium eidem fauturum, tamen quia omnia erant in potestate Cæsa. aliquantulum uerebatur, hunc Cice. diligenter commendat in præsenti epistola, dicens. Hospitium uetus. i. ius hospitalitatis est quidem mihi cum Lysone Patrensi: idest ciue Patrarum in Achaia, quam necessitudinē. s. hospitalitatis ego puto colendam sancte. i. inuiolabiliter, nam Ioui curæ est, unde Dido, Aeneid. I. Iuppiter, hospitibus nam te dare iura loquuntur. Sed ea causa. s. necessitudinis est supple mihi etiam cum compluribus aliis, qui etiam illius hospites sunt: familiaritas tanta supple est mihi cum nullo hospite. s. quanta cum ipso, & ea. s. familiaritas aucta est, tum officiis multis, tum etiam consuetudine. i. communicatione uitæ quotidiana, sic ut nihil sit coniunctius familiaritate nostra. Is scilicet Lyso cum fuisset Romæ prope. i. quasi annum, ita ut uiueret mecum. etsi eramus in magna spe, te facturum diligentissime id quod fecisti, literis meis & commendatione mea. i. propter literas meas & commendationem meā, uidelicet, ut tuerere. i. protegeres rem & fortunas eius absentis, tamen quod. i. quia omnia erant in potestate unius. s. Cæsaris, & quod Lyso fuerat in causa nostra. i. Pompeianas partes nobiscum secutus, & in præsidiis nostris. i. nostrarū partium, nos timebamus quotidie aliquid. s. aduersi illi posse contingere. Tamen effectum est, &. i. simul, splendore. i. eminenti honestate uitæ ipsius, & studio nostro & reliquorum hospitū, ut omnia impetrarentur a Cæsare, quæ uellemus. Quod intelliges. s. uerissimum esse ex literis quas Cæsar dedit ad te. Nunc scilicet quando tuto scribere possumus, non modo, non solum nō remittimus, idest relaxamus aut detrahimus tibi aliquid ex commendatione nostra, quasi adepti supple simus iam omnia, sed contendimus. i. petimus a te eo. i. propterea uehemensius, ut recipias Lysonem in fidem, idest in fidelem tutelam & necessitudinem tuam. Cuius fortuna sup. existente dubia. i. tantisper, dum dubia erat, nos agebamus tecum timidius, idest magis timide, quam nunc, aut aliquantulum timide, quia nunc timide non agit, uerentes. i. formidantes nequid eiusmodi accideret, ut ne tu quidem, qui maxime posse uideris, posses mederi. i. curare & incolumitati restituere. Vero. i. sed incolumitate. i. salute cum fortunis eius explorata, idest comperta, ego peto a te omnia summo studio & cura. s. summa. Quæ, scilicet petita ne enumerem singula, ego commendo tibi totam domum. i. familiam & tē familiarem eius, & commendo in his. (Non dicit in hac, quia ad tē respicit, sic domus Aaron sperauit in domino, adiutor eorū & protector eorum est, idest inter eos qui sub nomine domus comprehenduntur) filium eius adolescentem, quem C. Memmius Gemellus cliens meus. i. qui me colit eoq; patrocinio meo utitur, cum factus esset ciuis Patrensis supple in calamitate exilii sui, adoptauit, idest in filium assumpsit legibus, idest secundum leges Patrensiū, scilicet ciuium ut tueare, idest defendas ius & causam hæreditatis ipsius. s. filii Lysonis quæ obueniret illi ex Memmio. Illud est caput. i. præcipua pars petitionis meæ, ut recipias in necessitudinem tuam. i. inter necessarios tuos: aut in uinculum necessitudinis tuæ Lysonem quem ego cognoui uirum optimum & gratissimum. Quod si feceris, non dubito quin in diligendo & commendando. s. eo, cæteris, sis habiturus idem iudicii & uoluntatis. s. de eo & in eū, quod ego, scilicet habeo. Quod fieri. i. ut fiat studeo. i. studio laboro, cum uehementer, tum etiam uereor illud, ne si uideberis fecisse aliquid minus cumulate. i. aucte, causa. i. in causa eius, ille putet me scripsisse negligenter, non supple putet te oblitum mei. Enim. i. quia ipse potuit cognoscere quanti. i. quam magni feceris. i. æstimaueris me, tū, idest pariter, idest pari mensura ex sermonibus meis quotidianis, quia quotidie de beneficiis tuis in me aliquid loquor, tum etiam ex epistolis tuis, quibus omnia mihi defers &c.

SEBAS. CORR.

LYsone Patrensi) apud hunc Cicero e Cilicia rediens, ægrum Tyronem reliquit. Epist. VI. lib. XVI. {Quod in unius} Cæsaris. {Nostra causa} Pompeiana. {Studia summa} Al. summo studio, summaq;. {C. Memmius} Epistol. I. huius libri, eūdem enim existimamus esse.

PHIL. MEL.

CVm Lysone} Narratio. Commendationes ex genere deliberatiuo. {Nunc non modo} Petitio ex collatione amplificata: Antea commendaui in dubia fortuna Lysonē, nunc fortasse minus opus uidetur ei commendatione, ego tamen cōmendo.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Asclaponem medicum Patrensem, doctum & probum commendat.

M. T. C. SER. SVLPITIO S. P. D. 20

ASclapone Patrensi medico utor ualde familiariter: eiusq; tum consuetudo mihi iucunda fuit, tum etiam ars, quam sum expertus in ualetudine meorum: in qua mihi tum ipsa scientia, tum etiam fidelitate, beneuolentiaq; satisfecit. hunc igitur tibi commendo, & à te peto, ut des operam, ut intelligat, diligēter me scripsisse de se, meamq; commendationem usui magno sibi fuisse. erit id mihi uehementer gratum. Vale.

ASCENSIVS.

ASclspone. Commendat Asclsponem medicum bene de suis, ut inquit, meritum, dicens. Ego utor familiariter Asclapone Patrensi, idest ex Patris oppido Achaiæ, medico, & tum consuetudo, idest conuersatio & communicatio eius, fuit mihi iucunda, tum etiam ars, uidetur addendum secundum Vallam elegantius grata, quam sum expertus in ualetudine, idest mala dispositione meorum. In qua. s. ualetudine meorum ipse satisfecit mihi, tum, idest pariter ipsa scientia, tum etiam fidelitate & beneuolētia. Igitur cum fuerit talis in meos, ego commendo tibi hunc, & peto a te ut des operam, ut intelligas me scripsisse diligenter de se, & commendationem meam fuisse sibi magno usui. i. magnæ utilitati. id erit mihi uehementer gratum.

SEBAS: CORR.

Meorum} præsertim Tyronis. Epist. 9. lib. 16.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Ammonium Auiani libertum in causæ patroni commendat.

M. T. C. SER. SVLPITIO S. P. D. 21

*MArcus Aemylius Auianus ab ineunte adolescentia me obseruauit, semperq; dilexit, uir cum bonus, tum perhumanus, & in omni genere officii diligendus. quem si arbitrarer esse Sycione, & nisi audirem, ibi eum etiā nunc, ubi ego reliqui, Cybiræ commorari: nihil esset necesse plura me ad te de eo scribere: perficeret enim ipse profectò suis moribus, suaq; humanitate, ut sine cuiusquam commendatione diligeretur abs te non minus, quàm et à me & à cæteris suis familiaribus. sed cum illum abesse putem, commendo tibi maiorem in modum domum eius, quæ est Sycione, remq; familiarem, maxime C. Auianum Ammonium libertū eius: quem quidem tibi etiam suo nomine commendo: nam cum propter ea mihi est probatus, quòd est in patronum suum officio, & fide singulari: tum etiam quod in me ipsum magna officia contulit, mihiq; molestißimis tēporibus ita fideliter beneuoleq; præstò fuit, ut si à me manumissus esset. itaque peto à te, *ut eum Ammonium*

*a.l. Vt eū & in

& in patroni eius negotio sic tueare, ut eius procuratorem, quem tibi commendo: & ipsum suo nomine diligas, habeasq; in numero tuorum. Hominem pudentem, & officiosum cognosces, & dignũ qui à te diligatur. Vale.

ASCENSIVS.

MArcus &c. Commendat diligenter & accuratis uerbis M. Aemylium Auianum & domum eius, & præcipue Ammonium libertum eius ob præclara utriusque merita, dicens. M. Aemylius Auianus, obseruauit, idest coluit me cauendo offendere, ab adolescentia. s. sua ineunte. i. incipiente. Et dilexit me semper. s. deinceps, uir. i. qui est uir, tũ bonus, tum perhumanus & diligendus omni genere officii. Quem si ego arbitrarer esse Sycione. i. in ea urbe Achaiæ, & nisi audirem eum commorari etiam nunc. i. adhuc Cybiræ. i. in ea urbe Asiæ australis, ubi ego reliqui eum. s. tunc cum essem Imperator Ciliciæ, nihil esset necesse me scribere plura de eo, enim. i. quia ipse perficeret profecto suis moribus & sua humanitate, ut diligeretur a te sine commendatione cuiusquam, non minus quam diligitur a me, & a cæteris familiaribus suis. Sed cum putem. s. eum abesse, ego commẽdo tibi in maiorem modum. i. non uulgariter domum. i. familiam eius, quæ est in Sycione, & rem familiarem sup. eius, & maxime C. Auianum Ammonium libertum eius, quem quidem ego commẽdo tibi etiam suo. i. proprio nomine: nedum patroni. Nam cum, scilicet ita sis, quod est probatus. i. probus habitus mihi: quod. i. quia est officio & fide singulari in. i. erga patronum suum, tum & contulit magna officia in me ipsum, & fuit mihi præsto. i. auxilio paratus temporibus molestissimis aut exilii, aut post cladem Pharsalicam, ita fideliter & beneuole, ut supple esse deberet, si esses manumissus a me. Itaque peto a te, ut tueare. s. eum Ammonium &. i. simul in negotio patroni eius. s. Marci Aemylii sic, ut diligas eius procuratorem, quem commendo tibi, & ipsum. s. Ammonium, suo. i. & proprio nomine. i. respectu, & habeas in numero tuorum, quia sup. tu cognosces eum hominem pudentem & officiosum & dignum, qui diligatur a te.

VICTORIVS.

VIr cum bonus, tum perhumanus, & in omni officii genere diligendus.) rectum non puto, receptam lectionem cum antiqua consentientem immutare, quæ præsertim egregiũ sensum habeat: neque enim semper eodem pacto loquitur Cicero, & frustra tam eloquens habitus esset, si elocutionem uariare non potuisset. In omni igitur officii genere diligendus. qui ita se gerit in omni officii genere, ut merito amari diligiq; possit, qui cumulate omnibus officiis satisfacit: non pauci enim in hoc, aut illo officio laudati, in aliquo tamen (non enim perfecti & absoluti sumus) nõ ualde commendari possunt: ex iis erat Auianus, qui uno tenore in omnibus officiis responderet.

PAVL. MANV.

IN omni genere officii diligendus] Quid, si legatur. in omni genere officii diligentiss. i. diligentissimus? qua ratione etiam dixit in oratione pro M. Cælio. liii. uiro omnis officii diligentissimo. & pro Cluentio. xlv. in omnibus officiis respondendis diligentior esse nemo potest, sed hæc eruditorum iudicio permittimus, incerta enim in re affirmare quicquam, & immutare, tum temerarium est, tum periculosum.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Manlium Cic. & sua & Varronis petitione causaque diligenter cõmẽdat.

M. T. C. SER. SVLPITIO S. P. D. 22

TItum Manlium, qui negotiatur Thespiis, uehementer diligo: nã & semper me coluit, diligentissimeq; obseruauit: & à studiis nostris non abhorret. accedit eò, q. Varro Muræna magnopere eius causa uult omnia. qui ita existimauit, etsi suis literis, quibus tibi Manlium commẽdabat, ualde confideret, tamen mea commendatione aliquid accessionis fore. me quidem cum Manlii familiaritas, tum Varronis studium commouit, ut ad te quamaccuratissime scriberem. gratissimum igitur mihi feceris, si huic commendationi meæ tantum tribueris, quantum cui tribuisti plurimum, idest si T. Manlium quammaxime, quibuscunque rebus honeste, ac pro tua dignitate poteris, iuueris, atque ornaueris. ex ipsius præterea gratissimis, & humanissimis moribus confirmo tibi eum te, quem soles fructum à bonorum uirorum officiis expectare, esse capturum. Vale.

ASCENSIVS.

TItum &c. Cice. commendat Titum Manlium omniaq; negotia eius Seruio Sulpitio communi amico & homini docto ac probo, dicens: Ego diligo uehementer Titũ Mãlium qui negotiatur. i. mercaturam agit Thespiis. i. in oppido iuxta Heliconem, unde Musæ Thespiades interdum dicuntur. Nam ipse & idest simul coluit, & obseruauit me semper diligentissime, & non abhorret. i. nõ est alienus a studiis nostris aut legalis, aut oratoriæ, aut stoicæ disciplinæ. Accedit i. additur eo, idest ad eam commendationem, quod Varro Muræna uult magnopere omnia, scilicet fieri, aut facere causa eius. i. propter eũ, qui. s. Varro tamen & si pro tametsi, confideret ualde literis suis, quibus commendabat tibi Manlium, tamen existimauit aliquid accessionis. i. augmenti fore, commendatione mea i. per commendationẽ meam. Quidem. i. certe tum familiaritas Manlii, tum studium Varronis. s. Murænæ commouit me, ut scriberem ad te quam accuratissime. Igitur tu feceris mihi gratissimum. i. rem gratissimam, si tribueris huic commendationi meæ tantum quantum supple illi, cui tribuisti plurimum. i. si iuueris atque ornaris pro ornaueris Titum Manlium, quibuscunque rebus poteris honeste pro dignitate tua. i. seruata dignitate tua. Ego præterea confirmo tibi ex gratissimis & humanissimis moribus eius te capturum esse eum fructum, idest eam utilitatem, quem, scilicet fructum soles expectare ab officiis bonorum uirorum.

GIBERTI LONGOLII LEMMA

Cossinium & sua & patroni causa commendat.

M. T. C. SER. SVLPITIO S. P. D. 23

LVcio Cossinio, amico, & tribuli tuo, ualde familiariter utor: nam & inter nosmetipsos uetus usus intercedit, & Atticus noster maiorem etiam mihi cum Cossinio consuetudinem fecit: itaque tota Cossinii domus me diligit, in primisq; libertus eius L. Cossinius Anchialus, homo & patrono, & patroni necessariis, quo in numero ego sum, probatissimus. hunc tibi ita cõmendo ut, si meus libertus esset: eodemq; apud me loco esset, quo & est apud patronum suum, maiore studio commendare non possem. quare pergratum mihi feceris, si eum in amicitiam tuam receperis, atque eum, quod sine molestia tua fiat, siqua in re opus ei fuerit, iuueris. id & mihi uehementer gratum erit, & tibi postea iucundum: hominem enim summa probitate, humanitate, obseruantiaq; cognosces. Vale.

ASCENSIVS.

LVcio &c. commendat Seruio Sulpitio L. Cossiolũ Lucii Cossinii amici & tribulis sui. i. eius, quicum de eadẽ tribu erat, libertum, perinde ac si proprius esset, dicens. Ego utor ualde familiariter L. Cossinio amico & tribuli tuo. i. uiro de tribu tua. Nam uetus usus. i. mutuum obsequium intercedit. i. medium est, inter nosmetipsos, & Atticus noster. s. Pomponius, fecit mihi etiam maiorem consuetudinem cum Cossinio. Itaque tota domus Cossinii diligit me, & in primis, idest præcipue libertus eius L. Cossinius Anchilaus homo probatissimus, & idest simul patrono, scilicet suo, & necessariis patroni, scilicet sui, in quo numero ego sum. Ego commendo tibi hunc, scilicet Libertum eius, ita ut si esset libertus meus, & si esset apud me eodem loco: idest in eadem charitate, quo & idest etiam, est apud patronum suum, ego non possum cõmendare eũ maiore studio. Quare tu feceris mihi pergratum si receperis eum, in amicitiã tuã, atque iuueris eum, quod fiat sine molestia tua, si opus fuerit ei qua, idest in aliqua re. Id erit &, idest simul gratum mihi uehementer, & erit postea iucundum tibi. Tu enim cognosces supple eum esse hominẽ summa probitate, humanitate, & obseruantia.

Giberti

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Gratias agit Seruio, quod Lysonis commendationem acceperit.

M. T. C. SER. SVLPITIO S. P. D. 24

CVm antea capiebam ex officio meo uoluptatem, q. memineram, quàm tibi diligenter Lysonem hospitem, & familiarem meum commendassem: tum uero posteaquam ex literis eius cognoui, tibi eum falso suspectum fuisse, uehementissime lætatus sum, me tam diligentem in eo commendando fuisse. Ita enim scripsit ad me, sibi meam commendationem maximo adiumento fuisse, quòd ad te delatum diceret, sese contra dignitatem tuam Romæ de te loqui solitum esse. de quo etsi pro tua facilitate, & humanitate purgatum se tibi scribit esse: tamen primum, ut debeo, tibi maximas gratias ago, cum tantum literæ meæ potuerunt, ut his lectis omnem offensionem suspicionis, quam habueras de Lysone, deponeres: deinde credas mihi affirmanti uelim, me hoc non pro Lysone magis, quam pro omnibus scribere, hominem esse neminē, qui unquam mentionem tui sine tua summa laude fecerit. Lyso uero cum mecum propè quotidie esset, unaq; uiueret, nō solum quia me libenter audire arbitrabatur, sed quia libentius ipse loquebatur, omnia mihi tua & facta, & dicta laudabat. quapropter etsi à te ita tractatur, ut iam non desideret commendationem meam, unisq; se literis meis omnia consecutum putet: tamen à te peto maiorem in modum, ut eum etiam atque etiam tuis officiis, liberalitate complectare, scriberem ad te, qualis uir esset, ut superioribus literis feceram, nisi eum iam per seipsum tibi satis esse notum arbitrarer. Vale.

ASCENSIVS. CVm antea &c. Seruius suspectum habuerat Lysonem quod audierat eum contra dignitatem suam Romæ locutum, quam suspicionem pro commendatione Ciceronis deposuerat, quod factum sibi gratissimum nunc dicit Cicero. Ordo est Cum. s. ita sit quod capiebam antea uoluptatem ex officio meo quod memineram quam diligenter commendassem tibi Lysonem hospitem & familiarem meum: tum uero i. tunc multo magis, & quasi ex uero aut ad uerum, posteaquā cognoui ea literis eius eum fuisse suspectum tibi falso, lætatus sum uehementissime, me fuisse tam diligentem in eo commendando. Ita enim scripsit ad me, meam commendationem fuisse sibi maximo adiumento, quod. i. eo quod diceret delatum, supple fuisse ad te, sese solitum esse loqui Romæ de te contra dignitatem tuam. De quo etsi. i. quanquam scribit se purgatum esse tibi pro facilitate & humanitate tua, tamen ego ago primum tibi maximas gratias ut debeo, cum. i. quandoquidem literæ meæ potuerunt tantum. i. tā multum, ut iis lectis, idest postquam eas legeris, deponeres omnem offensionem suspitionis. i. ortam ea suspitione quam habueras de Lysone. Deinde uelim supple ut credas mihi affirmanti me scribere hoc non magis pro Lysone. s. purgando, quam pro omnibus s. Romæ agentibus, hominem neminem. i. nullum esse qui fecerit unquā mentionem tui sine summa laude tua. Vero. i. sed, Lyso cum esset mecum prope. i. fere quotidie, & uiueret una. i. pariter, nō solū q a arbitrabatur. i. putabat me audire libenter, sed quia ipse libentius loquebatur, laudabat mihi omnia facta & dicta tua. Quapropter etsi. i. quanquā, tractatur a te, ita ut iam non desideret commendationem meam, & is putet se consecutum. i. obtinuisse omnia s. quæ uelit literis. i. per literas meas. tamen peto a te in modum maiorem. i. formam non uulgarem, ut complectare eum etiam atque etiam, idest frequenter tuis officiis, supple &, liberalitate. Ego scriberem ad te qualis uir esset, ut feceram superioribus. s. literis, nisi arbitrarer iā esse satis notum tibi per seipsum.

VICTORIVS. VNisq; se literis meis) Ita olim ope nostrorum antiquorum codicum hunc locum castigauimus, nonnulli tamen affirmant, se nunc eum in omnibus impressis antea { Iisq; se literis} legeretur, unisq; se literis} emendasse: in nostro autē libello de hac, ut plana, certaq; animaduersione non disputaramus.

PAVL. MANV. ISque se literis meis) Sic autem in omnibus impressis emendaui ex codice Vincentii Riccii, unisq; se literis meis: nam eum iam ante commendarat.

PHIL. MEL. CVm antea capiebam} Gratias agit, quod Lysonem receperit in gratiam. {Tum uero} Exordium, πάθος Gaudebam antea, nunc magis gaudeo. {De quo} Propositio: Ago gratias. {Deinde credas} Confirmatio, nihil contra te commisit Lyso. {Lyso uero} a testimonio. {Quapropter} Repetitio commendationis.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Hagesaretum ob merita erga se commendat.

M. T. C. SER. SVLPITIO S. P. D. 25

HAgesaretus Larissæus magnis meis beneficiis ornatus in Consulatu meo, memor, & gratus fuit, meq; postea diligentissime coluit. eum tibi magnopere commendo, ut & hospitem, & familiarem meum, & gratum hominem, & uirum bonū, & principem ciuitatis suæ, & tua necessitudine dignissimum. pergratum mihi feceris, si dederis operam, ut is intelligat hanc meam commendationem magnum apud te pondus habuisse. Vale.

ASCENSIVS. HAgesaretus &c. Laudat Hagesareti Larissæi gratitudinem & beneuolentiam, atque ita eum Sulpitio facit cō mendatiorem, dicens. Hagesaretus Larissæus. i. ex Larissa oppido Thessaliæ in sinu pelagisco: unde Achilles Larissæus uocatus est. ornatus magnis beneficiis meis in Consulatu meo, fuit memor & gratus, & coluit me postea diligentissime. Ego commendo tibi eum magnopere, ut & hospitē meū, & familiarem meum, & sup ut hominem gratum, & uirum bonum, & principem ciuitatis suæ & dignissimū necessitudine. i. arcta coniunctione tua. Tu feceris mihi pergratum, si dederis operam, ut intelligat hanc commendationem meam habuisse apud te magnum pondus. i. momentum in eo commendando Omnia sunt tam aperta, ut expositione non egeant, nec in ordine quisquam primas modo literas doctus errare possit. nolui tamē propter facilitatem unius aut alterius epistolæ ab incepto desistere.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

L. Mescinium Mindii fratrem. qui in Seruii prouincia, ubi frater oppetierat, hæreditatem petebat, Seruio multis de causis commendat, & ut causam illius defendat, petit.

M. T. C. SER. SVLPITIO S. P. D. 26

*LVcius Mescinius ea mecum necessitudine coniunctus est, quòd mihi Quæstor fuit. sed hanc causam, quam ego, ut à maioribus accepi, semper grauem duxi, fecit uirtute, & humanitate sua iustiorem. itaque eo sic utor, ut nec familiarius ullo, nec libentius. is quanquā confidere uidebatur: & sua causa, quæ honeste posses, te libenter esse facturum: magnum tamen esse *sperauit apud te meas quoque literas pondus habituras. id cum ipse ita iudicabat: tum pro familiari cōsuetudine sæpe ex me audierat, quàm suauis esset inter nos, & quanta coniunctio, peto igitur à te, tanto scilicet studio, quanto intelligis debere me petere pro homine tam mihi necessario, & tam familiari, ut eius negotia, quæ sunt in Achaia, ex eo quòd hæres est M. Mindio fratri suo, qui Elide negotiatus est, explices, & expedias tum iure, & potestate, quam habes, tum etiam authoritate, & consilio tuo, sic enim præscripsimus iis, quibus ea negotia mandauimus, ut omnibus in rebus, quæ in aliquam cōtrouersiam uocarentur, te arbitro, & quod commodo tuo fieri posset, te disceptatore uterentur. id*

*al. ta. sperās. ap. te, me. quoque literas ualituras.

ut honoris mei causa suscipias, uehementer te etiam atque etiam rogo. illud præterea, si non alienum à tua dignitate putabis esse, feceris mihi pergratum, si qui difficiliores erunt, ut rem sine controuersia confici nolint si eos quando cum Senatore res est, Romam reieceris. quod quo minore dubitatione facere possis, literas ad te à M. Lepido. Cos. non quæ te aliquid iuberent (neque enim id tuæ dignitatis esse arbitrabamur) sed quodammodo quasi commendatitias sumpsimus. scriberem, quàm id beneficium bene apud Mescinium positurus esses, nisi & te scire confiderem, & mihi peterẽ: sic enim uelim existimes, non minus me de illius re laborare, quàm ipsum de sua. sed cum illum studeo quam facillime ad suum peruenire: tum illud laboro, ut non minimum hac mea commendatione se consecutum arbitretur. Vale.

ASCENSIVS.

L. Velius Mescinius &c. M. Mindius Mescinii Quæstoris Cic. frater Elide perierat, quocirca cũ L. Mescinius fratris hæreditatem peteret, Oppiã uxorem Mindii aduersariã habuit, cõtra quam hic Mescinium commendat Cic. dicens L. Mescinius est coniunctus mecũ ea necessitudine. i. uinculo amicitiæ quod fuit mihi Quæstor. I. in Cilicia, sed fecit uirtute & humanitate sua hanc causam, quam ego duxi. i. existimaui semper grauem. i. magni momenti, & ponderis: ut accepi sup. eam a maioribus. i. prædecessoribus nostris, fecit dico iustiorem. i. meliorem Itaque ego utor eo sic, ut neque sup. utar illo familiarius nec libentius Is. s. Lucius, quanquam uidebatur confidere te facturum esse libenter causa sua. i. amore sui, quæ posset. s. facere honeste, tamen sperauit meas literas habituras sup. esse magnum pondus apud te, cum. s. ita sit quod ipse indicabat id sup. esse ita, cum. i. multo magis, audierat sæpe ex me, pro consuetudine familiari. i. propter consuetudinem familiarem quam mecum habet, audierat inquam, quam. i. quantum, suauis. i. dulcis, & quanta. i. quam magna coniunctio esset inter nos. i. inter te & me. Peto igitur a te, scilicet tanto studio quanto intelligis me debere petere pro homine, tam necessario mihi, & tam familiari, ut explices & expedias. i. omni impedimento liberes, negotia eius quæ sunt sup. ei in Achaia, ea eo quod est hæres M Mindio fratri suo, qui negotiatus est. i. mercaturam gessit. Eli. i. in eo oppido in Elide regione Achaiæ, sunt qui Elide legant, expedias, inquã tum iure & potestate quam habet s. illic, tuo etiam authoritate & consilio tuo. Nos enim præscripsimus. i. præcepimus iis quibus mandauimus ea negotia. s. solicitanda & procuranda, ut uterentur in omnibus rebus quæ nocarentur in aliquam controuersiam i litem aut diuersas assertiones iuris, te arbitro, & quod. i. quoad possit fieri commodo tuo, te disceptatore, idest litigatore & causæ discussore Ego rogo uehementer etiã atque etiam, ut suscipias id. s. oneris causa honoris mei. Præterea tu feceris mihi pergratum illud, si non putabis esse alienũ a dignitate tua, si qui erunt difficiliores. s. in hæreditate assignanda, ita sup. ut nolint. i. non patiantur rem confici. i. transigi & finiri sine controuersia. i. sine lite, si reieceris eos Romam. i. ad forum Romanum, quando. i. quoniam. res. i negotium & lis est eis cum Senatore. s. Mescinio. Quod. s. reiicere litigatores Romam, quo. i. ut possis facere minore dubitatione. s. an liceret tibi, nos scripsimus literas ad te a M. Lepido Consule, non quæ, i. non tales quæ iuberent te sup. facere aliquid, quoniam aliter diceret, tibi. Neque enim arbitrabamur id, scilicet iubere aliquid tibi, qui in prouincia Consularem habes potestatem, esse dignitatis tuæ, sed quodammodo quasi commendatitias. s negotii. Scriberem quam bene positurus. i. locaturus esses id beneficium apud Mescinium, nisi & confiderem te scire, & peterẽ mihi. i. reputarem mihi impensum quod Mescinio impenderis. Velim enim existimes. i. iudices sic, me nõ minus laborare de re illius, quam ipsum de sua. s. re. Sed tum. i. pariter studeo. i. cupio illum. s. Mescinium peruenire quam facillime ad suum. s. ius aut bonũ hæreditarium, tum laboro. i. contendo, illud ut arbitretur se consecutum non minimum. i. non minimam partem, hac commendatione mea.

VICTORIVS.

MAgnum tamen esse sperauit apud te meas literas pondus habituras} Hic tantum admonere uisum est, nos hunc locum ex antiquioribus codicibus, ut in nostro legitur, emẽdasse. Quam enim cultior sit, & elegantior a nobis restitutus sensus, & modus dicendi, nullum puto dubitaturum. Cur autem non anteponam integram, & genuinam lectionem nouæ & contaminatæ? {Eli negotiatus est} Nonnullis uisum est rectius hic {Elide} legi, quam {Eli} adeo ut in posteriorum editionum codicibus ita fere scriptum sit: quod miror, cũ frequenter huius urbis nomen in obliquis casibus parem syllabarum numerum cum recto habeat. Plinius lib XVI. sunt qui fœminam Ilicem nocent, atque ubi non nascitur ilex, pro ea subere utuntur, ut in carpentariis præcipue fabricis, ut circa Elim, & Lacedæmonem. Sed nec multo post uerũ. Eadem ignorantia aliqui fortasse decepti ita emendarunt hunc locum in III. De natura deorum, Venus prima cælo, & Die nata, cuius Elide delubrum uidimus, cum in ueteribus exemplaribus ibi ẽt {Eli} legatur.

SEBAS. CORR.

L. Mescinius} Epist. XX. lib. V. {Elide} Al. Eli. {A M. Lepido Cos.} cum Cæsare.

PHIL. MELS.

L. Mescinius} Narratio. {Itaque eo sic utor} Amplificatio ex causis {Peto igitur} Petitio. {Qui Heli} Helidi. {Illud præterea} Repetitio petitionis: Modus in petitione præscriptus. {Scriberem} Ratio petitionis.

GIBERTI LONGOLII LEMMA

Gratias agit Seruio, quod Ammonii causam defenderit, & noua commẽdatione hominis rursus succurrit.

M.T. C. SER. SVLPITIO S. P. D. 27

*LIcet eodem exẽplo sæpius tibi huius generis literas mittam, cũ gratias agam, quòd meas commendationes tam diligenter obserues, quod feci in aliis, & faciam, ut uideo, *sæpius: sed tamen non parcã *operæ, & ut uos in uestris formulis, sic ego in epistolis de eadẽ re alio modo. C. Auianus igitur Ammonius incredibiles mihi gratias per literas egit & suo, & Aemylii Auiani patroni sui nomine, nec liberalius, nec honorificẽtius potuisse tractari nec se præsentem, nec rem familiarem absentis patroni sui. id mihi cum iucundum est eorũ causa, quos ego tibi summa necessitudine, & summa coniunctione adductus commendaueram, quòd M. Aemylius unus est ex meis familiarißimis, atque intimis maxime necessarius, homo & magnis meis beneficiis deuinctus, & propè omnium, qui mihi aliquid debere uidentur, gratißimus: tum multo iucundius, te esse in me tali uoluntate, ut plus prosis amicis meis, quàm ego præsens fortasse prodessem: credo quòd magis ego dubitarem, quid illorum causa facerem, quam tu, quid mea. sed hoc non dubito quin existimes mihi esse gratum. illud te rogo, ut illos quoque gratos homines esse putes, quod ita esse tibi promitto, atque confirmo. quare uelim, quicquid habent negotii, deso peram, quod commodo tuo fiat, ut te obtinente Achaiam, conficiant. Ego cum tuo Seruio iucundißime, coniunctißimeq; uiuo, magnamq; cum ex ingenio eius, singulariq; studio, tum ex uirtute, & probitate uolupt atem capio.* Vale.

* al. Sæpius tamẽ * al. operæ, & uolet is in formulis. probo cõiecturam eorũ, qui legendum existimãt & ut uos soletis in formulis.

ASCENSIVS.

LIcet &c. Agit Seruio gratias quod C. Auianum Ammonium liberalissime tractarat & suo, idest Ciceronis nomine, atque respectu & patroni ipsius Auiani, ostenditq; quantum sibi id gratum & iucundum fuerit: & rursus tam patronum quam libertum & utriusque negotia eidem Seruio Sulpitio commendat, dicens: Licet ego mittam tibi sæpius literas eodem exemplo. i eadem forma scriptas, & fere iisdẽ uerbis huius generis, cuius sunt hæc, cum agam gratias, quod obserues. i. perficias tam diligenter commendationes meas, quod. i. quam rem, feci in aliis. s. literis meis, & faciam ut uideo sæpius, sed tamen. i. attamen non parcam operæ. i. labori. Et ut supple uos Iurisconsulti, soletis in formulis. i. instrumentis uestris. s. scribere de eadem re alio modo, sic ego supple scribam in epistolis. Igitur ut rem exequar, Caius Auianus Ammonius homo Libertinæ conditionis egit mihi per literas gratias incredibiles, & suo nomine & nomine Aemylii Auiani patroni sui, cum scilicet ita sit quod, id est mihi iucundum est causa eorum, quos ego commendaueram tibi, adductus summa necessitudine & summa cõiunctione, quod Marcus Aemylius unus ex meis familiarissimis atq; intimis, homo maxime necessarius, & deuinctus maximis beneficiis meis, & gratissimus prope i. quasi omnium qui uidentur debere mihi aliquid, tum supple est mihi multo iucundius te esse tali uoluntate in me, ut prosis plus amicis meis, quam ego præsens prodessem, fortasse supple cis. Causam addidit dicens. Credo, quod idest propterea quod ego magis dubitarem quid facerem causa illorum, scilicet meorum, quam tu quid supple faceres, mea, scilicet causa. Sed non dubito quin

existimes

existimes hoc,scilicet beneficium tuum esse gratum mihi. Ego rogo te illud,ut putes,illos quoq; homines gratos,quod esse ita, ego probo.i.approbo atque confirmo.quare uelim sup. ut des operam, sup.ut conficiant.i absoluant,& perficiant,te obtinente,idest tantisper dum obtinebis Achaiam,si quicquã negotii habent, scilicet in ea.Ego uiuo iucundissime cum Seruio tuo,scilicet filio,& capio magnam uoluptatem,tum ex ingenio eius & studio singulari, tum ex uirtute & probitate.

VICTORIVS. ET ut uos soletis in formulis} Antea in omnibus impressis legebatur,{& ut uos in uestris formulis.}corruptus est hac parte Mediceus codex:ita tamen corruptus,ut arbitrer ex ipso elegantiorem uulgatam lectionem elici posse,quam ipse sane probaui:an peccauerim,nunc eruditi cognita illa animaduertent,{ & ut uoletis in formulis}eius igitur authoritatem secutus,tollendam censui dictionem{Vestris.}&-ex{Voletis,uos soletis,} feci Sic etiã cum Trebatio,qui & ipse Iurisconsultus erat,locutus est.Hoc(quẽ admodum uos scribere soletis in uestris libris idem) Q u.Cornelio uidebatur.

PHIL. MELã. LIcet eodem exemplo} ὑπερϑέσις Exordium est occupatio: Cogor eodem modo multa scribere,sed ea cuso me uestro exẽplo.sic solent Iurisconsulti.{Caius Auianus}Narratio.{ Qua re uelim}Petitio addita gratiarum actioni.

GIBERTI LONGO. LEMMA.

Et gratias agit Seruio,quod causam Mescinii susceperit,& ut eum porro adiuuet,flagitat,petitq; ut Oppiam Mescinii aduersariam Romam mittat,ut illic citius lis a Cicerone finiatur.Postremo Lacedæmoniorum ciuitatem,causasq; eidem commendat.

M. T. C. SER. SVLPITIO S. P. D. 28

ETsi libẽter petere à te soleo,siquid opus est meorum cuipiam: tamen multo libentius gratias tibi ago; cum fecisti aliquid commendatione mea:quod semper facis : incredibile est enim,quas mihi gratias omnes agant,etiam mediocriter à me tibi commendati: quæ mihi omnia grata,sed de L.Mescinio gratissimum:sic enim est mecum locutus,te,ut meas literas legeris, statim procuratoribus suis pollicitum esse omnia,multo uero plura, & maiora fecisse.id igitur(puto enim etiam atque etiam mihi dicendum esse)uelim existimes,mihi te fecisse gratissimum. quod quidem hoc uehementius lætor,quod ex ipso Mescinio te uideo magnam capturum uoluptatem.est enim in eo cum uirtus, & probitas,& summum officium,summaq; obseruantia,tum studia illa nostra,quibus antea delectabamur,nunc etiam uiuimus.quod reliquũ est,uelim augeas tua in eum beneficia,omnibus rebus,quæ te erunt dignæ:sed duo,quæ te nominatim rogo,primum,ut, siquid satisdandum erit,amplius eo nomine non peti, cures ut satisdetur fide mea:deinde,cum ferè consistat hæreditas in iis rebus, quas auertit Oppia,quæ uxor Mindii fuit,adiuues,ineasq; rationem, quem admodum ea mulier Romam perducatur.quod si putarit illa fore,ut opinio nostra est,negotium conficiemus.hoc ut assequamur, te uehementer ẽt atque etiam rogo.illud,quod supra scripsi,id tibi cõfirmo,in meq; recipio,te ea,quæ fecisti Mescinii causa,quæq; feceris,ita bene collaturum,ut ipse iudices homini te gratissimo,iucundissimo benigne fecisse:uolo enim ad id,quod mea causa fecisti, hoc etiã accedere.Nec Lacedæmonios dubitare arbitror,quin ipsi sua,maiorumq; suorum authoritate satis commendati sint fidei,et iustitiæ tuæ: & ego qui te optime nouissem,non dubitaui,quin tibi notissima & iura,& merita populorum essent. itaque cum à me peteret Philippus Lacedæmonius,ut tibi ciuitatem commendarem:etsi memineram me ei ciuitati omnia debere, tamen respondi commendatione Lacedæmonios apud te non egere. itaque sic uelim existimes,me omnes Achaiæ ciuitates arbitrari pro horum temporum perturbatione felices,quod tu iis præsis:eundemq; me ita iudicare,te,quòd unus optime nosses non nostra solum,sed etiã Græciæ monimenta omnia,tua sponte amicum Lacedæmoniis & esse & fore.quare tantum à te peto, ut cum ea facies Lacedæmoniorum causa,quæ tua fides,amplitudo,iustitia postulat:his,si tibi uidebitur,significes,te non moleste ferre,quod intelligas ea, quæ facies,mihi quoque grata esse:pertinet enim ad officium meũ,eos existimare,curæ mihi suas res esse.hoc te uehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

ASCENSIVS. ETsi &c.Exposuerat Lucius Mescinius Ciceroni literas eius pro se commendatitias,ad Seruium Sulpitium,tantũ sibi profuisse,ut statim illis lectis Seruius omnis pollicitus sit,& maiora effecerit quã pollicitus fuerit quãobrem Cicero gratias agit,petens tamen ut beneficium in eundem augeat.Ordo est:Etsi.i.quanquam soleo libenter petere a te siquid opus est cuipiam.i.alicui meorum.tamen ego ago multo libentius tibi gratias, cum fecisti aliquid commendatione mea.i. propter commendationem meam,quod facis semper: enim i. quia incredibile est quas gratias agant mihi commendati a me tibi etiã mediocriter,quæ omnia sunt grata mihi,sed gratissimũ sup. est de Lucio Mescinio,idest quod factum audio per te de illo.Ipse enim locutus est sic de te,ut,idest postquam legeris literas meas, statim pollicitum esse procuratoribus suis,omnia,sed fecisse multo plura & maiora.Ridiculũ uideretur nisi ex more loquendi sit, quod plura quam omnia fecisse dicat:sed intelligamus omnia quæ polliceri debebat pollicitum, fecisse autem longe plura. Igitur ego uelim existimes:puto enim dicendum esse mihi etiam atque etiam, idest frequenter te fecisse mihi id gratissimum,quod.i quam rem, equidem.i.ego quidem,lætor.i.lætitia prosequor,hoc.i.eo uehemẽtius, quod uideo te capturum magnam uoluptatem ex ipso Mescinio, Enim:idest quia tum.i.simul,uirtus & probitas animi est in eo, tum idest simul supple sunt in eo illa studia nostra, scilicet philosophica,quibus delectabamur.s.ante occupationem Reipub.nunc etiam uiuimus,quia sine illis uiuere nollemus. Quid,idest quãtum ad id quod reliquum est,idest adhuc restat. ego uelim supple ut augeas beneficia tua in eum:scilicet Mescinium,omnibus rebus,quæ: scilicet beneficia erunt digna te,idest quæ a te fiant. Sed rogo te duo quidem nominatim,idest per nominis expressionem: primum ut si quid erit satisdandum,idest pollicẽdum præstare, nõ peti amplius scilicet quam iustum est,nomine:scilicet hæreditatis,ut supple cures,supplens id satisdetur,idest compromittatur,fide mea. Videretur enim diffidere Mescinio,si ordo sit,peto ut cures siqd amplius erit satisdandum eo nomine non peti, ut satisdetur nomine meo. legamus ergo priore modo. Deinde cum hæreditas consistat fere in iis rebus quas Oppia quæ fuit uxor Mindii,scilicet fratris Mescinii,auertit,idest abstulit in suum usum uertendo,adiuues, scilicet procuratores & ineas:idest inuenias,rationem,idest modum & uiam,quemadmodum ea mulier perducatur Romam.Quod:scilicet eam perduci Romam, si illa putarit fore:idest futurum,nos cõficiemus,idest absoluemus negotium,ut opinio nostra est,quia mallit restituere ablata quam Romam proficisci.Ego rogo te uehementer etiam atque etiam ut assequamur, idest obtineamus hoc. Ego recipio in me præstare id quod scripsi supra, te collocaturum ea quæ fecisti,quæq;,idest & quæ feceris, idest facturus fueris causa Mescinii,ita bene,ut ipse,idest tute iudices te fecisse benigne homini gratissimo.Volo enim etiam hoc accedere,idest addi aut aduenire ad id quod fecisti causa mea,hoc est ut etiã Mescinius tibi gratias agat.Nec arbitror Lacedæmonios dubitare, quin ipsi satis commendati sint fidei & iustitiæ tuæ,authoritate sua, & maiorum suorum.Et ego qui nouissem te optime,non dubitaui quin & iura & merita populorum,scilicet Lacedæmoniorum essent notissima tibi.Itaque cum Philippus Lacedæmonius peteret a me, ut commendarem tibi ciuitatem:scilicet Lacedæmoniam,hoc est Lacedæmonem,& si memineram me debere ciuitati omnia,tamen respõdi Lacedæmonios non egere commendatione. Itaque ego uelim supple ut existimes sic me arbitrari omnes ciuitates Achaiæ felices, supple esse pro perturbatione,idest secundum perturbationem, aut secundum quod possit esse in perturbatione horum temporum, in quibus,scilicet Cæsar omnia tenet,quod tu præsis iis,scilicet ciuitatibus.Et me eundem iudicare te,aut me iudicare te eũdem, quod idest quia tu unus:idest solus, nosses optime non solum omnia monimenta,idest omnes antiquitates & antiqua instituta nostra,idest Romana,sed etiam Græciæ,esse & fore,idest futurum esse amicum Lacedæmoniis,tua sponte: idest propria uoluntate & inclinatione.Quare peto a te tantum,idest duntaxat,ut cum.i.quãdo, facias causa Lacedæmoniorum ea quæ fides, amplitudo iustitia tua postulat,significes iis:scilicet Lacedæmoniis,si uidebitur tibi,scilicet honestum ac utile,te ferre non moleste quod intelligas ea quæ facias,esse grata quoque,idest etiam mihi. Enim, idest quia pertinet ad officium meum,eos existimare res suas esse mihi curæ. ego rogo te hoc,idest uehementer etiam atque etiam.

VICTORIVS. ILlud quod supra scripsi, id in me recipio(sic uulgati omnes nulla defectus suspicione. Nos ex uetustis exemplaribus cognouimus uerbũ aliquod desiderari: nec tamen id ausi sumus {quod non difficile fuisset} restituere: maluimus locum qui consueuimus nota signare, & ita uidemur officio nostro satisfecisse. Qua locum mancum esse, ferre non potest, is {Promitto in meq; recipio} legat, ut ipse in epistola, qua M. Varronem Bruto commendat, loquitur: uel {Spondeo, in meq; recipio} ut in ea qua Sulpitiu Curium: uel ut alii locum hunc suppleuerunt, {Confirmo, in meq; recipio} Nos in re tam parua fidem fallere noluimus, quã dedimus studiosis omnibus, nunquam de nostro aliquid, nisi certissimis argumentis ductos reposituros: atq; id quidem raro admodum, nec sine testificatione licentiæ, quasi usi erimus.

BERN. RVTI. VT, si quid tibi satis dandum erit amplius eo nomine, non peti cures, ut satisdetur fide mea } Distingue ex sensu, atq; interprete ita ut, siquid tibi satisdandum erit, amplius eo nomine non peti, cures, ut satisdetur fide mea Est autem Tibi apud te. nisi ibi legere malimus, quod non ualde laboro. Illud potius, Amplius non peti, non modo ut Clericus, ab ipso Messinio, sed ab ullo quoq; alio, quorum magis causa quam ipsius litigatoris satisdatio exigebatur. quod. s. in controuersiam uenire poterat, hæreditas ne ad eum qui tum peteret, pertineret, atq; iden ab aliis quæstionem reis moueri quasi minus recte soluissent, non iusto hæredi.

PHILMELI. ETsi libenter} Exordium ab officiis. quod grata sit diligentia Sulpitii in iuuandis his qui commendati sunt a Cicerone Et est comparatio: Omnia tua officia sunt mihi grata, sed maxime illa quæ sunt collocata in Mescinium. {Quod equidem} Amplificatio: Etiam tua causa lætor, quia magnum fructum capies ex Mescinio. {Illud quod supra} Ratio petitionis. {Nec Lacedæmonios} Aliud negotium. Commendat Lacedæmonios, sed per ἀποφασιν non commendo, cum sua nobilitate sint commendati. {Eũdemq; me ita iudicare} Amplificatio, a doctrina Sulpitii. {Quare tantum} Petitio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Obliqua commendatione Capitonis, qui cum Cicerone contra Cæsarem steterat, causam eius Planco suscipiendam postulat. Petebat autem is hæreditatem Antistii fratris.

M. T. C. L. PLANCO S. P. D. 26

NOn dubito quin scias, in iis necessariis, qui tibi à patre relicti sunt, me tibi esse uel coniunctissimum, non his modo causis, quæ speciem habẽt magnæ cõiunctionis, sed iis etiam, quæ familiaritate, & consuetudine tenentur, quam scis mihi iucundissimam cum patre tuo, & summam fuisse. ab his initiis noster in te amor profectus, auxit paternam necessitudinem & eò magis quod intellexi, ut primum per ætatem iudicium facere potueris, quanti quisque tibi faciendus esset, me à te in primis cœptum esse obseruari, coli diligi. accedebat non mediocre uinculum cum studiorum, quod ipsum est per se graue, tum eorũ studiorũ, earumq; artium quæ per se ipsæ eos, qui uoluntate eadem sunt, etiam familiaritate deuinciunt. Expectare te arbitror, hæc tam longe repetita principia quò spectent. id primũ ergo habeto, non sine magna iustaq; causa hanc à me commemorationem esse factam. C. Atteio Capitone utor familiarissime. notæ tibi sunt uarietates meorum temporum. in omni genere & honorum, & laborum meorum, & animus, & opera, & authoritas, & gratia, etiã res familiaris C. Capitonis præstò fuit, & paruit & tẽporibus & fortunæ meæ. huius propinquus fuit. T. Antistius. qui cum forte Quæstor Macedoniam obtineret, neque ei successum esset: Pompeius in eam prouinciam cum exercitu uenit. facere Antistius nihil potuit: nam si potuisset, nihil ei fuisset antiquius, quàm ad Capitonem, quem ut parentem diligebat, reuerti, præsertim cum sciret, quanti is Cæsarem faceret, semperq; fecisset: sed oppressus, tantum attigit negotii, quantum recusare non potuit. cum signaretur argentum Apolloniæ, non possum dicere eum præfuisse, neque possum negare eũ affuisse, sed non plus duobus, aut tribus mensibus. deinde abfuit à castris: fugit omne negotium hoc mihi ut testi, uelim credas, meam enim ille mœstitiam in illo bello uidebat: mecum omnia communicabat. itaque abdidit se in intimam Macedoniam, quo potuit longissime à castris, non modo ut non præesset ulli negotio, sed etiam ut ne interesset quidem. is post prælium se ad hõinem necessarium A. Plancium in Bithyniam contulit. ibi eum Cæsar cum uidisset, nihil asperè, nihil acerbè dixit, Romam iussit uenire, ille in morbum continuò incidit. ex quo nõ conualuit: æger Corcyram uenit: ibi est mortuus. testmento, quod Romæ Paulo, & Marcello Cos. fecerat, hæres ex parte dimidia, & tertia est Capito: in sextante sunt ii, quorum pars sine ulla cuiusquam querela, publica potest esse. ea est ad HS XXX. sed de hoc Cæsar uiderit. Te mi Plance pro paterna necessitudine, pro nostro amore, pro studiis & omni cursu nostro totius uitæ simillimo rogo, et à te ita peto, ut maiore cura, maiore studio nõ possim, ut hanc rem suscipias, meam putes, enitare, cõtendas, efficias, ut mea cõmendatione, tuo studio, Cæsaris beneficio hæreditatem propinqui sui C. Capito obtineat. omnia, quæ potui in hac summa gratia tua, ac potẽtia à te impetrare, si petiuissem, ultro te ad me detulisse putabo, si hãc rẽ impetrauero. illud fore tibi adiumento spero, cuius ipse Cæsar esse optimus iudex potest. semper Cæsarem Capito & dilexit, & coluit. sed ipse huius rei testis est: noui hominis memoriam. itaque te nihil doceo: tantum tibi sumito pro Capitone apud Cæsarem, quantum ipsum meminisse senties. ego quod in me ipso experiri potui, ad te deferam: in eo quãtum sit ponderis, tu uidebis. quam partem in Repu. causamq; defenderim, per quos homines, ordinesq; steterim, quibusq; munitus fuerim, non ignoras. hoc mihi uelim credas: siquid fecerim hoc ipso in bello minus ex Cæsaris uoluntate, quod intellexerim scire ipsum Cæsarem, me inuitissimum fecisse: id feci aliorum consilio, hortatu, authoritate: quod fuerim moderatior, temperatiorq;, quam in ea parte quisquam, id me fecisse maxime authoritate Capitonis: cuius similes si reliquos necessarios habuissem: Reipub. fortasse nonnihil, mihi certe plurimum profuissem. hanc rem mi Palnce si effeceris, meam de tua erga me beneuolentia spem cõfirmaueris, ipsumq; Capitonẽ gratissimum, officiosissimũ, optimum uirum ad tuam necessitudinem tuo summo beneficio adiunxeris. Vale.

ASCENSIVS. NOn dubito &c. Hac epistola docemur quam difficile sit aliquid ab eo postulare quem læseris, in qua postulatione sæpe lõga opus est insinuatione, qua utitur Cice cũ causam Capitonis in hæreditate adeunda, quam sine fauore Cæsa. impetrare nõ poterat, Planco Cæsa. familiari commendat, dicens, Nõ dubito, quin scias me esse tibi uel, id est etiam coniunctissimum in iis necessariis, idest inter eos necessarios qui relicti sunt tibi a patre, hoc est qui patri necessarii, ẽt propterea sunt tibi necessarii habendi. Non modo. s. coniunctissimum esse me tibi iis de causis. i. propter eas causas, quæ habent speciem. i. imaginem magnæ coniunctionis, sed ẽt iis quæ tenentur familiaritate, & consuetudine, quam. s. consuetudinem scis fuisse mihi cum patre tuo iucundissimam & summam. Amor noster in te profectus ab his: idest huiusmodi initiis auxit necessitudinem paternam. i. a patre relictam, & eo magis quod intellexi me cœptum esse obseruari, coli, diligi a te in primis i. inter primos, ut primum potueris per ætatem, facere iudicium, idest diiudicare quanti quisque faciẽdus esset tibi idest a te: Non mediocre: idest magnum, uinculum, tum. i. pariter studiorum: idest consiliorum, quod ipsum est per se graue: idest magni ponderis ac momenti, tum eorum studiorum, scilicet humanitatis & earũ, idest eiusmodi artium: scilicet liberalium, quæ ipsæ per se. i. ex propria natura deuinciunt, idest ligant eos qui eadem sunt uoluntate. i. qui habent idẽ propositum, ẽt familiaritate, accedebat. i. addebatur ad ueterẽ cõiunctionẽ. Ego arbitror te expectare cum hæc legis, quo. i. ad quem finem spectent hæc principia . i. exordia orationis repetita tam longe. Ergo ne diutius hæsites, habeto, idest ut certum teneto primum id, uidelicet hanc commemorationem: scilicet necessitudinis nostræ esse factam. s. a me non sine magna & iusta causa. quid? Ego utor quã familiarissime Caio Atteio Capitone. uarietates. i. mutationes meorum temporum, scilicet

nunc

nunc lætorum nunc tristium sunt notæ tibi. Et animus & opera & anthoritas, & gratia, res familiaris etiã Cali Capitonis fuit, præsto, idest patata mihi io omni genere & honorum & laborum meorũ. Et paruit, idest obsecuta est têporibus & fortunæ meæ, idest io seruiuit mihi pro conditione mea. Tuus Anistius fuit propinquus: id est consanguinitate coniunctus huius: scilicet talis amici mei, qui: scilicet Antistius cum Quæstor obtineret sorte Macedoniam, neque successum esset ei, Pompeius uenit in eam prouinciam cũ exercitu. Antistius nihil potuit facere, quia potentior erat Pompeius: nam si potuisset, nihil fuisset ei antiquius i. charius quam reuerti ad Capitonem quem diligebat ut parentem. i. patrem, præsertim cũ sciret quanti is. s. Capito faceret & fecisset semper Cæsarem. Sed oppressus. s. a Pompeio attigit tantũ negotii. i. administrationis publicæ, quantum non potoit recusare. i. quaotum coactus est suscipera. Cum argentum signaretur, idest cum fieret moneta argeotea Apolloniæ, quæ urbs est in Macedonia, nam sunt eiusdem nominis aliæ ut in Thracia, Migdonia, Pisidia &c. non possum dicere eum præfuisse, scilicet ei rei, neque possum negate eum affuisse, sed sup. non affuit plus duobus aut tribus mensibus, deinde abfuit a castris, fugit omne negotium. Velim credas hoc mihi ut testi, scilicet iurato, ille enim uidebat meam moestitiam io illo bello, & supple communicabat mecum omnia. Itaq; ut fugeret negotium, ipse abdidit, idest proripuit sese io intimam Macedoniam, quo. i. quanto longissime potuit a castris. s. Pompeianis, ut oon modo: idest ooo solũ noo præesset ulli negotio: scilicet bellico, sed etiam ut ne quidem i. non etiam interesset: idest præsens esset. Is. s. Antistius contulit se in Bithyniam, post prælium. s. Pharsalicum, ad Aulum Plancum hominem necessarium. s. sibi, aut suum. Cæsar cum eũ uidisset, nihil aspere oeq; acerbe dixit, iussit: scilicet duntaxat uenire Romam. Ille. s. Antistius incidit continuo: idest statim post in morbum, uenit æger Corcyram urbem in Corcyra insula iuxta Epirum: mortuus est ibi. Capito est hæres supple eius, testamento. i. per testamentum quod fecerat Romæ Paulo & Marcello Consulibus ex parte dimidia & tertia supple assis hoc est ex decem uncijs. ii quorũ pars potest esse sioe ulla querela publica. i. de iure communi, sunt io sextante, idest sexta parte assis, hoc est duabus uncijs, ea. s. pars est ad triginta sestertia, de hoc. i. de illa parte uiderit Cæsar. s. quid statuere uoluerit. O mi Plance ego rogo te pro necessitudine paterna, & pro amore nostro, pro studijs, pro omni cursu nostro totius uitæ simillimo, & peton te ita ut nulla. i. noo ulla, non possim. s. petere supple ulla cura maiore, & ullo studio maiore, ut suscipias. i. defendendam capias hanc rem, & supple ut putes meam supple esse, ut euitare, coo sendas, efficias ut Caius Capito obtineat hæreditatem propinqui sai, scilicet Antistii, commendatione mea, studio tuo, supple & beneficio Cæsaris. Ego putab… etulisse ad me ultro omnia, quæ potui impetrare a te in hac summa gratia tua. s. quam habes in oculis Cæsaris, ac potẽtia. s. tua, si impetrauero haoc rem. Ego spero illud fore tibi adiumento. s. ad impetrandum a Cæs. cuius potest esse optimus iudex quia uoscit ao ocrum sit, uidelicet Cæsar, qui omoes memoria tenet a quibus obseruatus est. Itaque oihil doceo te, sumito tibi pro Capitone. i. io defensione Capitonis quantum ipse. i. tute senties supple Cæsarem meminisse. Ego deferam ad te, idest tibi significabo. tu uidebis. i. iudicabis quantum ponderis sit in eo: scilicet quod iodicabo tibi. Tu non ignoras quã partem & causam ega defenderim Reipubli. & per quos homines & ordines steterim, scilicet in honore & dignitate, & quibus fuerim munitus, idest protectus ac cõfisus, ego uelim credas mihi hoc, siquid fecerim in hoc ipso bello minus: idest non, aut non satis ea uoluntate Cæsa. quod intellexerim ipsum Cæsa. scire, me fecisse iouitissimum, id feci consilio, hortatu, aut hnritate aliorum ut Pompe, Lentuli, Catoois &c. Quod fuerim moderatioe & temperatior: scilicet in oppugnando Cæs. quam quisquam, scilicet alius in ea parte: scilicet Pompeiana, credas inquam, me fecisse id maxime authoritate Capitonis. Cuius scilicet Capitonis, utitur genitiuo, quia de moribus loquitur, si habuissem reliquos necessarios similes, ego profuissem fortasse nonoihil Reipub. quia pauciores boni ciues perijssent, & profuissem, certe, idest sine dubio, plurimum mihi. O mi Plance si to effeceris hãc rem, tu confirmaueris, idest corroboraueris spem meam de beneuolentia tua erga me, & adiunxeris summo beneficio tuo ad necessitudinem tuam, idest ad necessarios tuos, aut ad deuinctionem amicitiæ quasi necessariæ, ipsum Capitonem, uirum gratissimum, officiosissimum, optimum.

SEBAST. CORR.

GN. Planco} Al. L. Planco ut sit idem, ad quem lib. X. epistolæ sunt scriptæ post Cæs. mortem, sed hæc multo ante. {Qui tibi a patre} L. Planco. {Earumq; artium{ut Rhetorices. fuit enim L. Plancus orator insignis. {Pompeius in eam pro}ex Italia a Cæsare pulsus. {In illo bello}ciuili. {Is post prælium}Pharsalicũ. {A. Plancum}Alij legunt, A. Plautium. {Ibi eum Cæsar, cum uidisset}post bellum Alexandrinum. Hæres ea parte dimidia, & tertia est Capito. semisse, & triente hoc est, dextante. {In sextante sunt ii} reliqua assis parte. {Publica potest esse} publicari potest. {Sed de hoc Cæsar uiderit}ad quẽ id pertinet. {In hac summa gratia tua} tua apud Cæsarem, quem secutus es. {Quod intellexerim} Al. intellexi. {Quo fuerim} Al. quod fui.

BERN. RVT.

TAntum tibi sumito pro Capitooe apud Cæsarem, quantum ipsum meminisse senties} Sumito imperatiuus est: non Summitto, ut Clericus.

PHIL. MELA.

NOo dubito} Exordium, captat beneuolentiam a uetustate, & causis amicitiæ. {Accedebat} Amplificatio a genere studiorum. {C. Atteio Capitone} Narratio. {Te mi Plance} Petitio. {Omnia, quæ potui} Amplificatio, Maximi faciam hoc beneficium. {Illud tibi} A facili. {Quam partem} Ab æquo: quia Capito fuit in bello ciuili, atque etiam moderate agendi author.

GIBERTI LONG. LEMMA.

L. Manlium, hominem doctum & bonum, Acilio commendat, ut eum in petitione fraternæ hæreditatis adiuuet.

CICERO ACILIO PROCOS. S. 50

LVcius Manlius est Sosis. is fuit Catinensis: sed est unà cum reliquis Neapolitanis ciuis Romanus factus, Decurioq; Neapoli: erat. n. adscriptus in id municipium ante ciuitatem socijs, & Latinis datã. eius frater Catinæ nuper mortuus est. nullam omnino arbitramur de ea hereditate controuersiam eum habiturum, & est hodie in bonis. sed quando habet præterea negotia uetera in Sicilia sua, & hanc hæreditatem fraternam: & omnia eius tibi commendo, in primisq; ipsum, uirum optimum, mihiq; familiarissimum, his studijs literarum, doctrinæq; præditum, quibus ego maxime delector, peto igitur abs te, ut eũ, siue aderit, siue uenerit in Siciliam, in meis, maximeq; necessarijs scias esse, itaq; tractes, ut intelligat meam commendationem sibi magno adiumento fuisse. Vale.

ASCENSIVS.

LVcius Manlius & cætera. Commendat Acilio Proconsuli in Sicilia Maolium quendam ad obtinendam hæreditatem fratris Catinæ defuncti dicens: Lucius Manlius est Sosis, idest in ea urbe Asiæ, quæ & Susa dicitur: is: scilicet Manlius fuit Catioensis: scilicet ciuis, hoc est Catinæ ciuitatis Siciliæ, sed est factus ciuis Romam. una, idest simul, cum reliquis Neapolitanis, ergo & ipse Neapolitanus. quomodo ergo Catinensis, docebit id statim, & factus est decurio Neapoli, idest io ea urbe, quæ noua urbs dicitur, cum prius Parthenope diceretur. Ipse enim erat ascriptus, idest scripto receptus in id municipium, scilicet Neapolitaoum, & ita licet Catioæ natus, Neapolitanus dici potuit ante ciuitatem, scilicet Romam, datam socijs & latinis. frater eius: scilicet Maolii, mortuus est nuper Catinæ, nos nullam, idest non ullam, oon arbitramur eum habiturum omoino ullam controuersiam: idest litem de ea hæreditate, & est hodie in booii, idest in bonorum possessione, sed quaodo: idest quoniam habet præterea, idest præter hæreditatem illam cetera negotia io Sicilia sua, scilicet patria, ego commendo tibi & hanc hæreditatem fraternam, & omnia eius: scilicet bona, & io primis, idest præcipue commendo tibi ipsum, uirum optimum & familiarissimum mihi, præditum his studijs literarum, quibus ego delector maxime. Igitur peto abs te, ut scias eum esse in intimis meis & maxime necessarijs, siue aderit: idest præsens erit, siue ueuerit in Siciliam, & tractes eum ita ut intelligat meam commendationem fuisse sibi magno adiumento. Sunt qui legant siue adierit, sup. te, siue non uenerit in Siciliam, sed si non uenerit quomodo Acilius eum tractabit?

GIBERTI LONGO. LEMMA.

Flauium Crassipedis generi amicum olim, Acilio commendat.

CICERO ACILIO PROCOS. S. 51

CAio Flauio honesto, & ornato equite Romano, utor ualde familiariter. fuit enim generi mei C. Pisonis pernecessarius, meq; diligentissime obseruat & ipse, & L. Flauius frater eius. quapropter uelim honoris mei causa, quibus rebus honeste & pro tua dignitate poteris, quàm honorificentissime, & quàm liberalissime C. Flauium tractes. id mihi sic erit gratum, ut gratius esse nihil possit. sed praeterea tibi affirmo, nec id ambitione adductus facio, sed tum familiaritate, & necessitudine, tum etiam ueritate. te ex C. Flauii officio, & obseruantia, & praeterea splendore, atque inter suos gratia magnam uoluptatem esse capturum. Vale.

ASCENSIVS.

CAlo &c Eidem Proconsuli in Sicilia commendat Caium Flauium equitem Romanum necessarium Cnei Pisonis, dicens. Ego utor ualde familiariter Caio Flauio equite Roman. honesto & ornato. i. decorato, scilicet moribus & uirtute. Fuit enim pernecessarius, idest ualde necessarius Caii Pisonis, scilicet Crassipedis generi mei, idest mariti filiae meae Tulliae, & obseruat, idest cauet offendere me diligentius, &, idest simul ipse, & Lucius Flauius Frater eius, Quapropter uelim, causa honoris mei sup. ut tractes Caium Flauium quam honorificentissime, & quam liberalissime, quibus, idest quibuscunque rebus poteris supple eum sic tractare, honeste & pro dignitate tua, idest secundum dignitatem tuam, id erit mihi sic gratum, ut nihil possit esse gratius. Sed praeterea, idest praeter hoc quod erit mihi gratissimum, affirmo tibi, neque facio id adductus ambitione, idest nimia cupiditate impetrandi quae uellem, qua ducuntur ambitiosi, sed supple adductus tum familiaritate & necessitudine, tum etiam ueritate, te esse capturum magnam uoluptatē ex officio Caii Flauii, quod: scilicet tibi reponet, & obseruantia, scilicet eius in te, & praeterea ex splendore atque gratia inter suos: idest quam habet inter suos.

GIBERTI LONGOLII LEMMA

Hospites Halesinos suos Proconsuli Siciliae diligenter commendat.

CICERO ACILIO PROCOS. S. 32

IN Halesina ciuitate tā lauta, quā nobili, coniunctissimos habeo & hospitio, & familiaritate, M. & C. Clodios Archagathū, & Philonē. sed uereor, ne, quia cōplureis tibi praecipue cōmendo, exaequare uidear ambitione quadā cōmendationes meas: quanquā à te quidem cumulate satisfit & mihi, & meis omnibus. sed uelim sic existimes, hanc familiam, & hos mihi maxime esse cōiunctos uetustate, officiis, beneuolētia. quāobrē peto à te maiorē in modū, ut his omnibus in rebus, quantum tua dignitas fidesq; patitur, commodes. id si feceris, erit mihi uehementissime gratum. Vale.

ASCENSIVS.

IN Halesina Commendat hospites suos Halesinos, quos hoc loco nominat, dicens Ego habeo in ciuitate Halesina. i. Halesae oppidi in Sicilia, tam lauta. i. splendida & culta, quam nobili, coniunctissimos sup. mihi & hospitio & familiaritate, Marcum & Clodium Archagathum & Philonem. Sed uereor ne, quia commendo tibi praecipue complures, uidear exaequare. i. aequales facere commendationes meas quadam ambitione, idest cupiditate gloriae gloriosum enim uidetur multos habere aequaliter commendandos, quanquam satisfit quidem, idest certe a te & mihi & meis omnibus. Sed uelim supple ut existimes sic hanc familiam, scilicet Archagathanam, & hos, scilicet supra nominatos, esse maxime coniunctos mihi uetustate, officiis, supple & beneuolentia. Quamobrem peto a te in modum maiorem, idest non uulgarem, ut commodes, idest commodum facias, his, scilicet supradictis, in omnibus rebus, quatenum dignitas tua & fides patietur. Si tu feceris id, erit mihi gratum uehementissime.

IN Halesina} Narratio. {Sed uereor, ne} Occupatio, Ueretur ut in tot commendationibus parum habitura sit autoritatis mea commendatio. PHILMELA.

GIBERTI LONGO. LEMMA.

Amicum Nasonem, quem plerique autumant patruum Ouidii Poetae, commendat.

CICERO ACILIO PROCOS. S. 33

CNeo Octacilio Nasone utor familiarissime, ita prorsus, ut illius ordinis nullo familiarius: nam & humanitate eius, & probitate in consuetudine quotidiana magnopere delector. nihil iam opus est expectare te, quibus uerbis tibi commendem, quo sic utar, ut scripsi. habet is in prouincia tua negotia, quae procurant liberti Hilarius, Antigonus, Demostratus, quos tibi, negotiaq; omnia Nasonis non secus commendo, ac si mea essent. gratissimum mihi feceris: si intellexero hanc commendationem magnum apud te pondus habuisse. Vale.

CNeo & caetera Commēdat Octacilium & negotia eius per treis libertos eius quos nominat, curanda, paucis quidem sed electis uerbis dicens Ego utor familiarissime C. Octacilio Nasone, ita prorsus, idest omnino & in omnem partem uersus, ut nullo illius ordinis supple utar familiarius, nam ego delector magnopere & humanitate eius & probitate, in consuetudine, idest conuersatione quotidiana Nihil opus est iam expectare te, quibus uerbis commendem tibi eum, quo utor sic ut scripsi, quasi dicat, scis quod exquisitis commendatum uelim. Is habet in prouincia, scilicet tua Siciliensi negotia, quae procurant liberti. s. eius Hilarius, Antigonus, Demostratus, quos, & negotia omnia Nasonis ego commendo tibi non secus. i. non aliter ac. i. quam si essent mea. Tu feceris mihi gratissimum, si intellexero hanc commendationē habuisse magnum pondus apud te. ASCENSIVS.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Lysonem hospitii gratia commendat.

CICERO ACILIO PROCOS. S. 34

AVitum mihi hospitium est cum Lysone Lysonis filio Lilybaetano, ualdeq; ab eo obseruor, cognouiq; dignum & patre, & auo: est. n. nobilissima familia. quapropter commendo tibi maiorē in modum rem, domumq; eius, magnoq; opere abs te peto, cures, ut is intelligat meam commendationē maximo sibi apud te & adiumento, & ornamento fuisse. Vale.

AVitum &c. Non minus accurate cōmendat Lysonē Lysonis Lylibaetani filiū ac domū & negotia eius dicens, Hospitiū auitum. i. ab auo usq; inceptum ius hospitalitatis, est mihi cum Lysone Lysonis filio Lilybaetano, & ego obseruor. i. ueneror ab eo ualde. & cognoui sup. eū dignū & patre & auo. Familia n. sup eorum est nobilissima. s. in Sicilia Quāobrē ego cōmendo tibi in maiorē modū rē & domū eius, & peto a te magnopere sup. ut cures, ut is s. Lyso intelligat cōmendationē meā fuisse sibi apud te maximo & adiumento & ornamēto. ASCENSIVS.

GIBERTI LONGOLII LEMMA

Auianum Philoxenum hospitem suum, & in Nouocomenses relatum a Caesare, commendat.

CICERO ACILIO PROCOS. S. 35

CAius Auianus Philoxenus antiquus est hospes meus, & praeter hospitiū, ualde ēt familiaris: quē Caesar meo beneficio in Nouocomēses retulit. nomē aūt Auiani consecutus est, q. homine nullo plus est usus, quam Flacco Auiano, meo, quēadmodum te scire arbitror, familiarissimo

familiarissimo.quæ ego omnia collegi,ut intelligeres,non uulgarem esse commendationem hanc meam. peto igitur abs te,ut omnibus rebus,quod sine molestia tua facere possis,ei commodes, habeasq; in numero tuorum,perficiasq;,ut intelligat has literas meas magno sibi usui fuisse. erit id mihi maiorem in modum gratum. Vale.

ASCENSIVS.

CAius &c.Commendat C. Auianum Siculum iure hospitii,quod plurimum apud priscos ualuit,præsertim longa serie deductum,dicens. Caius Auianus philoxenus est antiquus hospes meus,& ualde familiaris, etiã præter hospitium, quem Cæsar retulit, idest recensuit & adnumerauit,in Nouocomenses,idest inter ciues Nouocomi urbis in radice montium iuxta Rhetos,beneficio meo, idest intercessione mea. Autem,idest sed ipse est consecutus nomen Auiani, quod nullo homine usus est plusquam Flacco Auiano meo familiarissimo,quemadmodum arbitror te scire. Quæ omnia,scilicet uincula amicitiæ,ego collegi,idest simul citaui & adduxi, ut intelligeres hanc commendationem meam esse non uulgarem, idest egregiam. Peto igitur abs te ut commodes:idest commodum facias ei,scilicet Auiano omnibus rebus,quod,idest quoad possis facere sine molestia,& habeas supple eum in numero tuorum, & perficias ut intelligat has literas meas fuisse sibi magno usui:idest magnæ utilitati. Id erit mihi gratum in modum maiorem, idest ad mensuram non uulgarem.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Demetrium Megam Acilio commendat, & ut eum in numero ciuiũ Romanorum habeat,petit.

CICERO ACILIO PROCOS. S. 56

CVm Demetrio Mega mihi uetustũ hospitium est, familiaritas autem tanta,quanta cum Siculo nullo. ei Dolabella rogatu meo ciuitatem à Cæsare impetrauit.qua in re ego interfui.itaque nunc P. Cornelius uocatur. cumq; propter quosdam sordidos homines,qui Cæsaris beneficia uendebant,tabulam, in qua nomina ciuitate donatorum incisa essent,reuelli iussisset, eidẽ Dolabellæ,me audiente,Cæsar dixit,nihil esse,quòd de Mega ueretur,beneficium suum in eo manere.hoc te scire uolui,ut eum in ciuium Romanorum numero haberes.cæterisq; in rebus tibi eum ita commendo,ut maiore studio neminem commendarim. gratissimum mihi feceris,si eum ita tractaris,ut intelligat meam commendationem magno sibi ornamento fuisse, Vale.

ASCENSIVS.

CVm & cætera commendat Demetrium Siculum,sed ciuem Roma.effectum,dicens. Hospitium: idest ius hospitalitatis,uetustum,idest antiquum,est mihi cum Demetrio Mega,autem:idest sed, tanta familiaritas supple est mihi cum eo,quanta cum nullo Siculo, scilicet alio.nam & ipse Siculus est Dolabella qui gener Cicer.fuit, impetrauit a Cæs.ei ciuitatem: scilicet Romanam, rogatu meo: idest propter preces meas.In qua re:idest in donatione ciuitatis eius ego interfui.Itaque ipse uocatur nunc:scilicet ciuis effectus P. Cornelius. Cumq;:idest & cum,hoc est quando, Cæsar supple iussisset tabulam in qua nomina donatorum:idest eorum qui donati fuerunt ciuitate,incisa essent reuelli,idest a loco eminenti in quo fiaa erãt,euelli,propter quosdam homines sordidos,idest turpiter auaros,qui uendebant beneficia Cæsaris,idest ius ciuitatis gratis a Cæsare donatum,Cæsar dixit eidem Dolabellæ me audiente, nihil, idest nullam causam esse quod ueteretur de Mega, scilicet Demetrio,beneficium.scilicet donatæ ciuitatis manere, idest irreuocatũ esse in eo.Ego uolui te scire hoc ut haberes,idest reputares eum in numero ciuium Romanorum,& commendo tibi eum in cæteris rebus ita,ut neminem commendarim,maiore studio: idest affectu & conatu.Tu feceris mihi gratissimum,si ita tractaris pro tractaueris eũ ita.ut intelligat meam commendationem fuisse sibi magno ornamento.i.ad hoc,ut ornetur honore & existimatione.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Hippiæ causam ut defendat, Acilium rogat.

CICERO ACILIO PROCOS. S. 57

HIppiam Philoxeni filium, Calatinum, hospitem, & necessarium meum,tibi commendo maiorem in modum.eius bona, quemadmodum ad me delata res est,publice possidentur alieno nomine contra leges Calatinorum.id si ita est, etiã sine commendatione ab æquitate tua res ipsa impetrare debet,ut ei subuenias.quoquomodo autem se res habet,peto à te, ut honoris mei causa eũ expedias,tantumq; ei cõmodes,& in hac re,& in cæteris,quantum tua fides,dignitasq; patietur. id mihi uehementer gratum erit. Vale.

ASCENSIVS.

HIppiam &c.Commendat Hippiam amicum,cuius bona usurpabantur inique,dicens,Ego commendo tibi in maiorem modum Hippiam Calatinum filium Philoxeni:scilicet Auiani,hospitem & necessarium meum.Bona eius possidentur:scilicet ab iniustis occupatoribus, pub.i.manifeste quia nomine alieno contra leges Calatinorum; quemadmodum res est delata ad me:idest ut accepi. Si id est ita, res ipsa debet impetrare ab æquitate tua,ut subuenias ei,etiam sine commendatione. Autem.i.sed,quoquo,idest quocunque modo res habet se,peto a te causa honoris mei expedias:idest ut liberes eũ, scilicet Hippiam,& commodes, idest commodum facias ei in hac re & in cæteris,tantum quantum fides tua & dignitas patietur. Id erit mihi gratum uehementer.

VICTORIUS.

HIppiam Philoxeni F.Calatin.} Veteres nostri codices semper {Calatinum} habent. uidetur etiam Priscianus lib.II. ostendere diuersa oppida fuisse Calate & Calacte,a quibus Calatinus & Calactinus,ut nihil peccati possit si hic {Calatinum} legatur:In fine tamen epistolarum ad Terẽtiam mensis Quint.per C.semper scriptus est,multæ enim eo mẽse sunt datæ literæ ad Terentiam,quod uidetur potius culpa librarii commissum esse, quam ullam rationem habere.

PAVL. MANV.

PVblice Possidentur} Legem apud Calatinos fuisse crediderim,quæ caueret,ne quicquã publice, nisi publico nomine possideretur.Hippiæ autem bona alieno nomine,ut puta cuiuspiam absentis,uel pupilli,publice possidebantur.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Bruti res Acilio commendat.

CICERO ACILIO PROCOS. S. 58

I

Vcius Brutus eques Romanus, adolescens omnibus rebus ornatus, in meis familiarissimis est, meq; obseruat diligentissime.cuius cum patre magna mihi fuit amicitia iam inde à Quæstura mea Siciliensi.omnino nunc ipse Brutus Romæ mecum est:sed tamen domum eius,& rem familiarem,& procuratores tibi sic commendo,ut maiore studio commendare non possim. gratissimum mihi feceris,si curaris,ut intelligat Brutus,id quod ei recepi,hanc meam commendationem sibi magno adiumento fuisse.

ASCENSIVS.

LVcius &c.Commendat Lu.Bru. equitem diligentissime dicens.Lu Bru.eques Romanus adolescens ornatus omnibus rebus,est in familiarissimis meis.i.inter familiarissimos meos: & obseruat.i.cauet offendere,& ita ueneratur me diligentissime. Cum cuius patre fuit mihi magna amicitia, iam inde a Quæstura mea Siciliensi.i.statim ab eo tempore quo Quæstor in Sicilia fui. Ipse Bru.est nunc omnino Romæ mecum,sed tamen ego cõmẽdo tibi domum eius,rem familiarem,& procuratores sic ut non possim cõmendare maiori studio.Tu feceris mihi gratissimũ, si curaris pro eo quod est curaueris,ut Bru.intelligat, id quod recepi.i. promisi ei,hanc commendationem meam fuisse sibi magno adiumento.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Titurnium familiaritatis ergo diligenter commendat.

CICERO ACILIO PROCOS. S. 39

Cum familia Titurnia necessitudo mihi intercedit uetus: ex qua reliquus est M. Titurnius Rufus, qui mihi omni diligentia, atque officio est tuendus. est igitur in tua potestate, ut ille in me satis sibi præsidii putet esse. quapropter eum tibi commendo maiorem in modum, & abs te peto efficias, ut is commendationem hanc intelligat sibi magno adiumento fuisse: erit id mihi uehementer gratum.

ASCENSIVS.

CVM Familia &c. Commendat Mar. Titurnium dicens. Vetus necessitudo, idest necessaria quodammodo amicitiæ coniunctio intercedit, idest communis est mihi cũ familia Titurnia, ex qua M. Titurnios Rufus est reliquus, idest solus superstes, qui est tuendus: idest protegendus mihi omni diligentia atq; officio. Igitur est in potestate sua, ut ille: scilicet M. Titur. putet satis præsidii: idest tutelæ & protectiõis hõestæ esse sibi in me. Quapropter ego commendo tibi eũ in modum: idest formam aut mensuram maiorem idest nõ uulgarem, aut ingentem, & peto abs te, sed ante q & uenuste dicitur abs ut efficias, ut is intelligas hanc commendationem: scilicet meam fuisse sibi magno adiumẽto. Id erit mihi gratum uehementer. Nihil est quod expositionis egeat.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Aurelios filios Lucii necessitudinis gratia ualde commendat.

M. CICERO Q. ANCHARIO Q. F. PROCOS. S. D. 40

Lucium & C. Aurelios L. F. quibus & ipsis, & patre eorum uiro optimo familiarissime utor, commendo tibi maiorem in modum: adolescenteis omnibus optimis artibus ornatos, meos pernecessarios, tua amicitia dignissimos, si ulla mea apud te commendatio ualuit, quod scio multas plurimum ualuisse, hæc ut ualeat, rogo. quòd si eos honorifice, liberaliterq; tractaris, & tibi gratissimos, optimosq; adolescenteis adiunxeris, & mihi gratissimum feceris. Vale.

ASCENSIVS.

LVcium & Caium Aurelios commendat dicens Ego cõmendo tibi in maiorem modum Lucium & Caium Aurelios, filios Lucii, quibus & ipsis patre eorum uiro optimo utor familiarissime, commendo inquam eos adolescentes ornatos omnibus optimis artibus. Vbi omnis cũ superlatiuo iungitur, sed uidetur illud complexum optimæ artes quasi pro uno uocabulo poni, sicut artes liberales, pernecessarios meos dignissimos tua amicitia. Si ulla cõmẽdatio mea ualuit apud te, quod scio, utpote multas: scilicet commendationes meas ualuisse plurimum. [apud te, rogo ut hæc ualeat, scilicet apud te plurimum. Quod si tractaueris eos honorifice, & liberaliter, tum & : idest simul coniunxeris tibi adolescentes gratissimos & optimos, & feceris mihi gratissimum.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Culleolo gratias agit, quod L. Lucceii causam diligenter susceperit, & ut id porro agat, orat.

Quæ fecisti L. Lucceii causa, scire te planè uolo, te homini gratissimo commodasse: & cum ipsi, quæ fecisti, pergrata sunt, tum Pompeius, quotiescunque me uidet (uidet autem sæpissime) gratias tibi agit singulareis. addo etiam illud, quod tibi iucundissimum esse certo scio, me ipsum ex tua erga Lucceium benignitate, maxima uoluptate affici. quod superest, quanquam mihi non est dubium, quin cum antea nostra causa, nunc iam etiam tuæ constantiæ gratia, mansurus sis in eadem ista liberalitate: tamen abs te uehementer etiam, atque etiam peto, ut ea, quæ initio ostendisti, deinceps fecisti, etiam ad exitum augeri, & cumulari per te uelis. id & Lucceio, & Pompeio ualde gratum fore, teq; apud eos præclare positurum confirmo, & spondeo. De Repub. deq; his negotiis, cogitationibusq; nostris perscripserã ad te diligenter paucis ante diebus, easq; literas dederam pueris tuis. Vale.

ASCENSIVS.

QVæ fecisti &c. Gratum sibi dicit quod C. Culleolus, Lucceium ad quem lib. V. scripsit epistolam Coram me tecũ &c. liberaliter tractauerat dicens. Ego uolo te scire plane commodasse. i. ad commodum impendisse, homini gratissimo supple ea quæ fecisti causa Lucii Lucceii. & tum, idest pariter ea quæ fecisti sunt pergrata ipsi, tum Pompeius, scilicet magnus quotiescunq; uidet me, (uidet autem sæpissime) agit tibi gratias singulares. Addo etiam illud, quod scio certo gratissimum esse tibi, meipsum affici maxima uoluptate, ex benignitate tua erga Lucceium. Quod superest, idest quod reliquum est, quanquam non est dubium mihi, quin cum antea, causa nostra, nunc iã, idest deinceps etiam gratia constantiæ tuæ, sis mansurus in eadem ista liberalitate, tamen peto abs te uehementer etiam, atque etiam ut uelis augeri. i. perduci ad exitum & cumulari. i. multiplicari per te, ea quæ ostendisti initio. f. te facturum, deinde quæ fecisti. Ego cõfirmo & spondeo id &, idest simul fore ualde gratum Lucceio & Põpeio, & te positurum. i. locaturũ apud eos præclare, quia apud gratissimos. Ego perscripseram ad te diligenter paucis diebus ante. [quam has scriberem de republ. & de iis negotiis, & cogitationibus nostris, & dederam eas literas pueris. i. seruis tuis, unde non est opus nunc scribere.

SEBAS. CORR.

CVlleolo{ Videtur is in Macedonia Procos. fuisse, nam Bylliones, siue Bulliones, qui suos in sequẽti episto. Plinius lib. IIII. cap. XXIII in finibus Macedoniæ collocat. {L. Lucceii Epist. XIII. lib. V {Pompeius}Cn. Pompeius Magnus, cui cũ L. Lucceio pecuniæ (nisi fallor) commercium fuit.

PHIL. MELL.

Quæ Fecisti{Εὐχαριστικὴ}, cum petitione. Gratiarum actio. Narratio: ago gratias. {Tamen abs te}petitio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA

Petit a Culleolo, ut adiuuet Lucceium, ut Bylliones illi satisfaciant.

M. C. L. CVLLEOLO PROCOS. S. 42

Lucius Lucceius meus familiarissimus, homo omniũ gratissimus, mirificas tibi apud me gratias egit, cum diceret, omnia te cumulatissime, & liberalissime procuratoribus suis pollicitum esse. cum oratio tua tam ei grata fuerit, quàm gratam rem ipsam existimas fore, cum, ut spero, quæ pollicitus es, feceris? omnino ostenderunt Bylliones sese Lucceio Pompeii arbitratu satisfacturos. sed uehemẽter opus est nobis, & uoluntatem, & authoritatem, & imperiũ tuũ accedere: quod ut facias, te etiam atque etiam rogo. illudq; mihi gratissimum est, quod ita sciunt Lucceii procuratores, & ita Lucceius ipse ex literis tuis, quas ad eum misisti, intellexit, hominis nullius apud te authoritatem, aut gratiam ualere plus, quàm meã. id ut re experiatur, iterum, & sæpius te rogo. Vale.

Lucius

ASCENSIVS. LVceius &c. Luceium commendat, dicens. Lucius Luceius familiarissimus meus, & supple homo gratissimus omnium egit tibi apud me, idest me audiente, gratias mirificas, cum diceret te pollicitum esse cumulatissime, & liberalissime, procuratoribus suis omnia, scilicet quæ petebant. Cum oratio. i. pollicitatio tua, fuerit iam grata ei, quã, idest quantum gratam ea istimas rem ipsam fore, cum feceris omnino, ut spero. s. te facturum, ea quæ pollicitus es? quasi dicat certum esse quod gratissimum. Bylliones. s. debitores sic uocati ostẽderunt sese satisfacturos Luceio, arbitratu Pompeii Sed opus supple est nobis uehementer, & uoluntatem & authoritatem, & imperium tuum accedere, idest addi. Vero simile est non esse Lucium Luceium ad quẽ scribat, cum etiam si alter eius nominis fuisset, non tacuisset Cicero de nominis saltem communicatione, quocirca malui ad eum ad quem superior scripta est, datam dicere. Quod ut facias, idest authoritatem & imperium tuum addas, rogo te etiam atque etiam. Et illud est gratissimum mihi quod procuratores Luceii sciunt, & ipse Luceius intellexit ita, ea literis quas misisti ad eum, authoritatem aut gratiam nullius hominis ualere plus apud te quam meam. Ego rogo te iterum & sæpius ut, scilicet Luceius experiatur, idest ea experimento cognoscat id.

VICTORIVS. LVcius Luceius meus familiarissimus} Nos ultimam dictionẽ in nullis antiquis exemplaribus inuentam, & sane abundantem neglexinus: satis fuit enim {Meus} dixisse, maioremq; omnino uim habet meus, per se, quam meus familiarissimus. Quẽadmodum elegantissimus poeta Catullus, meus Caluus dixit. Nam quod hoc nomen semper per duo cc scripsimus, dedimus hoc antiquorum exemplariorum fidei, quæ cum multis locis hoc nomen habent, nullibi non sic scriptum habent.

Ea post eiusdem. OMnino Ostenderunt Bulliones} Impressi ante meum {Belliones} mendose habebant, meus {Bulliones} ut in antiquis libris recte. Si literam V, pro Y, frequenter ponebant ueteres ut nonnulli exemplis quoque confirmant, non uideo cur priscã scripturam damnent & ueram lectionem uelint esse {Bylliones} Si Græci suo sermone Bylliones pronunciabant, nihil absurdum, ac nouum Romæ homines faciebant, cum Bulliones dicebant erat. n. hæc ipsorum in Græcis nominibus consuetudo, ut Y, in V, uerterent. Eadem ratione Plynius eosdem populos Bullidenses appellauit. In priscis Terentii Varronis exemplaribus Subaris & Subaritanus ager, pro Sybaris & Sybaritanus scriptũ est: in Pandectis quoque Florentinis Berutus pro Berytus semper.

PAVL. MANV. BYlliones} Impressi libri, Belliones habebant: manuscripti Bulliones Itaque nihil dubitandum putauimus, quin esset uera lectio, Byllinnes: u enim literam pro y: scribebant antiqui: & ita in uetustis codicibus persæpe legitur: ut Sulla pro Sylla, murrha pro myrrha, & alia huiusmodi. Byllioones populi sunt supra Epidamnum, quorũ meminit Strabo libro VII. dicti a Byllide, quæ est ciuitas in Illyrico, de qua Stephanus de urbibus.

PHIL. MELÃ. L. Luceius.} Εὐχαριστικὴ, cum petitione. Gratiarum actio. {Sed uehementer} Petitio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA

Lucium Oppium Egnatii procuratorem, & suo & Egnatii nomine diligenter commendat.

M. CICERO Q. GALLIO. S. D. 43

ETsi plurimis rebus spero fore, ut perspiciam, quod tamen iampridem perspicio, me à te amari: tamen nunc ea causa tibi datur, in qua facile declarare posfis tuam erga me beneuolentiam. L. Oppius. M. F. Philomeli negotiatur, homo mihi familiaris. eũ tibi unice commendo, eoq; magis, q. eum ipsum diligo, tum q. negocia procurat L. Egnatii Rufi: quo ego uno equite Romano familiarissime utor, & qui cum consuetudine quotidiana, tum officiis plurimis, maximisq; mihi coniunctus est. Oppium igitur præsentem ut diligas, Egnatii absentis rẽ ut tueare, æque à te peto, ac si mea negocia essent. uelim memoriæ tuæ causa des literarum aliquid, quæ tibi in prouincia reddantur, sed ita cõscribas, ut tum, cum eas leges, facile recordari posßis huius meæ commendationis diligentiam. hoc te uehementer etiam atque etiã rogo. Vale.

ASCENSIVS. ETsi &c. Commendat Gallio Proconsuli Ciliciæ L. Oppium curatorem negociorum L. Egnatii, rogatq; ut & ipsum Oppium præsentem commendatum habeat, & Egnatii absentis negocium tueatur dicens. Etsi spero pluribus rebus fore. i. futurum, ut perspiciam iampridẽ, me amari a te, tamen ea causa datur nunc tibi, in qua posfis declarare facile beneuolentiam tuam erga me. L. Oppius filius Marci negociatur. i. mercaturam agit Philomeli, in urbecula Phrygiæ maioris in planitie cuiusdam iugi sita, in cuius altera parte est Antiochia, ut docet Stra. lib. XII. homo familiaris mihi. Ego commendo tibi eũ unice. i. singulariter, & eo magis quod eũ. s. ita fit quod diligo ipsum, tum quod procurat negocia Lucii Egnatii Rufi, quo equite Romano ego utor. i. uno solo familiarissime, & qui cõiunctus est mihi tum consuetudine quotidiana, tum maximis & plurimis officiis. Igitur ego peto æque. i. æqualiter a te ac si essent negocia mea, ut diligas Oppium præsentem. s. tibi in prouincia, & tueare. i. protegas rem. i. diuitias & negocia Egnatii absentis. Ego uelim supple ut des. s. mihi & Egnatio, aliquid literarum causa memoriæ tuæ. s. per eas conseruandæ, quæ. s. literæ reddantur tibi in prouincia. hæc igitur ad eum scripserat Cice. cum iam profecturus esset: sed supple ut conscribas. s. literas ita, ut posfis recordari facile diligentiam huius commendationis meæ tum, idest tunc cum leges eas s. in prouincia. Ego rogo te uehementer etiam atque etiam hoc. s. ut id facias.

SEBAS. CORR. Q. Gallio} Epist. XXVII. lib. VII. al. Q. Gallio. Episto. IIII lib. VII. & si de neutro quippiam certi habemus. {Philomeli} Epist. VIII. lib. III. {L. Egnatii Rufi} de quo in epistolis ad Atticum, & sequentibus sæpe fit mentio.

PHIL. MELÃ. Etsi plurimis} Commendatio. Ea ordium, captat beneuolentiam ex negotii magnitudine. {Oppium igitur} Petitio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Eiusdem est argumenti cum superiore.

M. CICERO Q. GALLIO. S. D. 44

ETsi ex tuis, & L. Oppii familiarissimi mei literis cognoui te memorem commendationis meæ fuisse, idq; pro tua summa erga me beneuolentia, proq; nostra necessitudine minime sum admiratus: tamen etiam atque etiam tibi L. Oppium præsentem, et L. Egnatii mei familiarissimi absentis negocia commendo. tanta mihi cum eo necessitudo est, familiaritasq;, ut si mea res esset, non magis laborarem. quapropter mihi gratissimum feceris, si curaris, ut is intelligat me a te tantum amari, quãtum ipse existimo. hoc mihi gratius facere nihil potes. idq; ut facias, uehementer te rogo. Vale.

ASCENSIVS. ETsi &c. Commendat rursus eundem eidem dicens. Etsi cognoui ex literis tuis, & ea literis Lucii Oppii familiarissimi mei, te fuisse memorem commendarionis meæ & ego sum minime admiratus id, pro summa beneuolẽtia tua erga me, & pro necessitudine nostra, hoc est quia id beneuolentia tua in me & necessitudo mea mutua exigebat, tamen ego commendo tibi etiam atque etiam Lucium Oppium præsentẽ, & negocia Lucii Egnatii familiarissimi mei, absentis. s. a prouincia tua. Tanta necessitudo & familiaritas est mihi cum eo, ut non laborarem. i. contenderem, magis. i. ualidius aut abundantius. Quapropter tu feceris mihi gratissimum, si curaris pro curaueris, ut is. s. Egnatius intelligat me amari a te tantum. i. tam multum aut tam impense, quantum ipse. i. ego ea istimo, scilicet me amari a te. Tu nihil potes facere mihi gratius hoc, idest quam hoc, & rogo te uehementer, ut facias id.

PHIL. MELÃ. Etsi ex tuis} Petitio figurata occupatione: Rogo, tametsi non rogatus omnia facis. {Tanta mihi} Ratio commendationis.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Anchialum Egnatii seruum propter dominum commendat.

M. T. C. APVLEIO PROQVÆS. S. D. 45

LVcio Egnatio uno equite Romano uel familiarissime utor. eius Anchialum seruum negociaq; quæ habeat in Asia, tibi commendo nõ minore studio, quam si rem meam cõmẽdarem. sic enim existimes uelim, mihi cum eo non modo quotidianã consuetudinem summam intercedere, sed etiam officia magna & mutua nostra inter nos esse, quamobrẽ etiam atque etiam à te peto, ut cures, ut is intelligat me ad te satis diligenter scripsisse: nam de tua erga me uoluntate non dubitabat. id ut facias, te etiam atque etiam rogo: Vale.

ASCENSIVS.

LVcio &c. Commendat Egnatium equitem Romanum, dicens. Ego utor uel.i. etiam familiarissime uno.i. solo Lucio Egnatio, equite Romano. ego cõmendo tibi Anchialũm seruum eius, & negocia quæ habet in Asia, non minore studio, quam si commendarem.s. tibi rem meam. Velim enim sup. ut existimes sic, non modo quotidianam consuetudinem intercedere.i. communem esse & coniunctionem facere mihi cum eo, sed etiam officia magna & mutua nostra esse inter nos. Quamobrem ego peto a te etiam atque etiam, ut cures, ut is, scilicet Egnatius intelligat me scripsisse ad te satis diligenter. Nam ipse non dubitat de uoluntate.i. beneuolentia tua erga me, & ita si non senserit præsidium abs te, putabit a me non satis diligenter. Nã ipse non dubitat de uoluntate.i. beneuolentia tua erga me, & ita si non senserit præsidium abs te, putabit a me non satis diligenter, petitũ. Ego rogo te etiam atque etiam supple ut facias id.

BERN. RVT.

MIhi cum eo modo quotidianam consuetudinem summam intercedere) Cum eo non modo apparet legendum ea aliis codicibus sensuq;.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Nostium cohæredem suum Apuleio commendat.

M. T. C. APVLEIO PROQVÆS. S. D. 46

LVcius Nostius Zoilus est cohæres meus, hæres autem patroni sui. ea re utrunque scripsi, ut & mihi cum illo causam amicitiæ scires esse, & hominem probum existimares, qui patroni iudicio ornatus esset. Eum tibi igitur sic commendo, ut unum ex nostra domo. ualde mihi gratum erit si curaris, ut intelligat hanc commendationem sibi apud te magno adiumento fuisse. Vale.

ASCENSIVS.

LVcius &c. Diligenter commendat cohæredem suum, dicens. Lucius Nostius Zoilus.s. cognomẽto. est cohæres meus.i. mecum hæres. hæres autem patroni sui.s.L. Nostii. nam liberalitate donati patronorũ accipiebant nomina. Ego scripsi utrunque.s. & cohæredem mihi esse, & patroni sui, ea re.i. propterea. Vt &, idest pariter scires mihi causam amicitiæ cum illo esse, quia cohæredes inter se amare debent, unde nobis magna necessitas amandi Christi indita, cuius & p quẽ cohæredes Dei patris facti sumus. Rom.8. &.i. pariter existimares .i. iudicares sup eum hoiem probum, qui ornatus esset iudicio patroni, ut ab eo hæres sit scriptus. Igitur ego commendo tibi eum sic, ut idest tanquam, unum ea nostra domo. Erit mihi ualde gratum si curaris pro curaueris, ut intelligat hanc commendationem fuisse sibi magno adiumento apud te.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Obliqua commendatio Egnatii.

M. T. CICERO SILIO S. P. D. 47

QVid ego tibi commendem eum, quem tu ipse diligis? sed tamen ut scires eum non à me diligi solum, uerum etiam amari, ob eam rem tibi hæc scribo. omnium tuorum officiorum, quæ & multa, & magna sunt, mihi gratissimum fuerit, si ita tractaris Egnatium, ut sentiat et se à me, & me à te amari. hoc te uehementer etiam atque etiam rogo. Illa nostra scilicet ceciderunt. utamur igitur uulgari consolatione, quid, si hoc melius? sed hæc coràm. Tu fac, quod facis. ut me ames, teq; amari à me scias. Vale.

ASCENSIVS.

QVid &c. Eundem quodammodo dissimulanter commẽdat dicens. Quid idest ad quid, ego commendem tibi eum quem tu diligis? quasi dicat, frustra. Sed tamen ut scires eum (loquitur de Egnatio) nõ solum diligi, uerũ etiam amari, quod plus est, a me: ego scribo tibi hæc ob eam rem. Gratissimum omnium officiorum tuorum quæ sunt & multa, & magna fuerit mihi, si tractaris pro tractaueris Egnatium, ita ut sentiat & se amari a me & me amari a te. Ego rogo te hoc uehementer etiam atq; etiam. Scilicet, idest scire licet cur sic precer. illa nostra, quibus in foro nuper præstabamus, ceciderunt. utamur igitur consolatione uulgari, ut.s. uelimus id quod possumus. Quid supple dicas, si hoc melius? noluit aliquid dicere, sed reticuit subdens. Sed hæc supple dicam coram. Tu fac quod facis, ut ames me, & scias te amari a me.

SEBAS. CORR.

Silio} Episto. XVI. huius lib. eundem enim esse existimo. {Quid si hoc melius} Hæc est consolatio illa uulgaris.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Paphios Rufo commendat.

M. T. CICERO C. SESTILIO RVFO QVÆS. S. D. 48

OMneis tibi commendo Cyprios, sed magis Paphios, quibus tu quæcunque commodaris, erunt mihi gratissima. eoq; facio libentius ut eos tibi commendem, q. & tuæ laudi cuius ego fautor sum, conducere arbitror, cum primus in eam insulam Quæstor ueneris, ea te instituere, quæ sequantur alii. quæ ut spero facilius consequere, si & P. Lentuli necessarii tui legem, & ea, quæ à me constituta sunt, sequi uolueris: quam rem tibi confido magnæ laudi fore. Vale.

ASCENSIVS.

OMnes &c. commendat Quæstori omneis Cyprios, dicens. Ego commẽdo tibi omnes Cyprios, sed magis sup. quam cæteros Paphios.i. Paphi ciues, quibus quæcunque tu commodaris.i. impartiueris, erunt mihi gratissima, & facio eo.i. propterea libentius ut commendem tibi eos, hoc est ideo tibi libentius commendo, quod arbitror, & idest etiam, conducere, idest prodesse tuæ laudi, cuius ego sum fautor. Ergo fautor etiam gentilium regit. cum primum ueneris in eam insulam, hoc est in Cyprum, Quæstor.i. tanquam Quæstor, te instituere.i. ut dicunt a principio ordinare ea, quæ alii sequantur, idest sequi debeant. Quæ, ut spero tu consequere.i. obtinebis penul. longa, facilius, si uolueris sequi legem Publii Lentuli necessarii tui, ad quem agentem in Cilicia cui Cyprus annexa est, sunt epistolæ.I. lib. & ea quæ constituta sunt a me, nam & ipse in Cilicia Imperator fuerat. Quã rem, idest ea sequi, ego confido fore tibi magnæ laudi, cum etiam Lentulo & Ciceroni laudi fuerit.

SEBAS. CORR.

SEstilio Rufo} Al. C. Sextilio Rufo. {Cum primus} Postquam facta est prouincia a M. Catone, L. Pisone, & a Gabinio Coss. Al. cum primum: quod magis placet, ne Sextilius primus Quæst. in Cyprum missus uideatur, cum tot Procoss. eam prouinciam prius administrassent. {P. Lentuli} libro primo. {A me} tunc Procos. in Cilicia, quam qui obtinebat, Cyprum etiam obtinebat, Epist. VI. lib. I.

BERN. RVTI.

CVm primum in eam insulam Quæstor ueneris} Quid si, Primus? neque enim multo ante redacta fuerat in formam prouinciæ Cypros, L. Pisone & Gabinio Coss.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Quintum Pompeium diligentissime familiaritatis nomine commendat.

CICE. CVRIO PROCOS. S. D. 49

QVintus Pompeius Sex.F.multis, et ueteribus causis necessitudinis mihi coniunctus est. is cum antea meis commendationibus & rem, & gratiam, & authoritatem suam tueri consueuerit, nunc profecto te prouinciam obtinente, meis literis asse qui debet, ut nemini se intelligat commendatiorem unquam fuisse. quamobrem à te maiorem in modum peto, ut, cum omneis meos æque ac tuos obseruare pro nostra necessitudine debeas, hunc in primis ita in tuam fidem recipias, ut ipse intelligat, nullam rem sibi maiori usui, aut ornamento, quàm meam commendationem, esse potuisse. Vale.

ASCENSIVS. QVintus &c. Commendat Quintum Pompeium Sexti filium, dicens Quintus Pompeius filius Seati, scilicet Pompei, coniunctus est mihi, multis & ueteribus causis necessitudinis.i. amicitiæ necessario conseruandæ. Iam seacenties fere ea posita sunt uocabula, sed quia forte in unum epistolium incidet qui alias non legerit, cogor rem nnam sæpius ea ponere. is cum consuerit.i. consueuerit, dicitur enim utrunque, & sueui, & suetus sum, tueri.i. protegere, & rem.i. diuitias & gratiam & authoritatem, commendationibus meis, debet nunc profecto te obtinente prouinciam.i. dum tu obtines prouinciam assequi, idest nancisci, literis meis.i. per literas meas, ut intelligat se nemini fuisse unquam commendatiorem, idest magis commēdatum quam tibi. uidetur hoc loco passiue capi & temporis præteriti rationem seruare, ita ut participia interdum comparatiua putes. Quamobrē ego peto a te in modum maiorem, ut cum debeas obseruare.i. colere & diuot supportare, omnes meos.s. familiares & amicos, æque, idest æqualiter, ac idest sicut tuos, pro nostra necessitudine.i. propter necessitudinem, hoc est necessariam coniunctionem & amicitiā nostram, recipias hunc.s Quintum Pompeiū, in primis.i. inter primos, aut præcipue in fidem.i. fidelem protectionem & confirmationem tuam, ita ut ipse intelligat nullam rem potuisse esse sibi maiori, usui, idest utilitati, aut ornamento.i. decori, quantum ad bonum honestum, quam commendationem meam.

SEBAS. CORR. C:Vtio} Cum tam familiariter scribat Cicero, ut quasi suo iure petere uideatur, non puto dubitandum esse, quin is sit Curius, quē toties aliis commendat, & ad quem scribit episto. XXIX. lib. VI.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

M. Curium de meliore nota Aristo commendat.

M.T.C. ARISTO PROCOS. S. D. 50

SVmpsi hoc mihi pro tua in me obseruantia, quam penitus perspexi, quandiu Brundusii fuimus, ut ad te familiariter, & quasi pro meo iure scriberem, siqua res esset, de qua ualde laborarem. M. Curius, qui Patris negotiatur, ita mihi familiaris est, ut nihil possit esse coniunctius. Multa illius in me officia, multa in illū mea, quodq; maximum est, summus inter nos amor, & mutuus. quæ cū ita sint, si ullam in amicitia mea spem habes, si ea, quæ in me officia, & studia Brundusii contulisti, uis mihi etiam gratiora efficere, quanquam sunt gratissima, si me à tuis omnibus amari uides, hoc mihi da, atque largire, ut M. Curium sartum & tectum, ut aiunt, ab omniq; incommodo, detrimento, molestia syncerum integrumq; conserues, & ipse spondeo, & omnes hoc tibi tui pro me recipient, ex mea amicitia & ex tuo in me officio maximū te fructum, summamq; uoluptatem esse capturum. Vale.

ASCENSIVS. SVmpsi &c. Commendat Mar Curium Patris negociantem apprime diligenter, aut Aristo proconsuli, aut Cælio, ut quidam textus habent. Ordo est. Ego sumpsi, idest assumpsi & quasi arrogaui hoc mihi pro obseruantia tua, in, idest erga me, hoc est propter eam, in dictis & factis tuis, ne me lædas, custodiam, ea ueneratione quadam procedē tem, quam perspexi.i. percepi penitus quandiu fuimus Brundosii, sumpsi inquam ut scriberē ad te familiariter, & quasi pro iure meo, siqua, idest si aliqua res est de qua laborarem ualde.i. pro qua uellē multos subire labores, aut multum timerem. Mar. Curius, qui negociatur.i. mercimonia agit Patris in ea urbe Achaiæ, est mihi familiaris ita, ut nihil possit esse coniunctius. Multa sup. sunt officia, idest ex debito benefacta, illius in me, & multa quoque sunt supple officia mea in illum & quod maximum est.s. uinculum coniunctionis summus & mutuus amor est inter nos. Quæ cū sint ita, si habes ullam spem in amicitia mea, si uis efficere ea officia & studia quæ cōtulisti Brundusii in me, etiam gratiora mihi.s. quam nunc sint, quāquam sunt gratissima: si uides me amari a tuis omnibus: da atq; largire mihi hoc, ut conserues M. Curium, sartum & tectum, ut aiunt .i. ut est in uetere prouerbio ea uillarum locatione sumpto, quas sic locare solemus, ut conductor eas sartas, idest omnibus partibus suis conseruatas, & clausas, tectas a sæuitia cœli conseruet, alioqui locatori id præstandum esset. e aponit autem Cice. subdens, ut sup. conserues eum syncerum & integrum ab omni incommodo, detrimento & molestia. Et ipse, idest egomet spondeo, & omnes tui recipient .i. promittent hoc tibi pro me, te esse capturum ex mea amicitia, & ex officio tuo in me maximum fructum & summam uoluptatem.

VICTORIVS. SVmpsi hoc mihi} Aucto, uolunt scriptam fuisse hanc epistolā ueteres libri, non Aristo. sic enim est in illis eius inscriptio, {Cicero S.D. aucto Procos} Nos nihil hic a uulgatis discessimus, rem tamen licet paruam & minutam silentio præterire noluimus, cum paruo nostro labore, nostræ & antiquorum librorum fidei rationem habere possimus.

PAVL. MANV. MVlta in illum mea, quodq; maximum est) Hanc lectionem puriorem, & elegantiorem existimamus, quam quæ antea in omnibus impressis habebatur. eam accepimus ex libro manoscripto Vincentii Riccii.

SEBAS. CORR. ARisto} Al. Aucto. Et si neutrum nomen memini me apud scriptores frequenter legere, facile tamen adducor, ut credam, hunc Serui Sulpitii in Achaia successorem fuisse. {Brundusii fuimus} post uictum Pompeium, sic enim existimo.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Publij Messeni causam agit.

M. CICERO REGI S. 51

PVblium Messienum, equitem Romanū omnibus rebus ornatū, meūq; perfamiliarem, tibi commendo ea commendatione, quæ potest esse diligentissima. peto à te & pro nostra, & pro paterna amicitia, ut eum in tuam fidem recipias, eiusq; rem, famamq; tueare. uirum bonū, tuaq; amicitia dignum tibi adiunxeris, mihiq; gratissimum feceris. Vale.

ASCENSIVS. PVblium Commendat dicens. Ego commendo tibi P. Messienum, equitem Roma. ornatum omnibus rebus & perfamiliarem.i. ualde familiarem meum, ea commēdatione, quæ potest esse diligentissima. Peto a te & pro nostra & pro paterna amicitia, ut recipias eū in fidem.i. fidelem protectionem tuam, & ut tueare.i. protegas rem & famam eius. Tu adiunxeris tibi uirum bonum & dignum amicitia tua & feceris mihi gratissimum.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Pro Antonio Licinio ad Regem scribit.

CICERO REGI S. 52

AVlus Licinius Aristoteles Melitensis, antiquissimus est hospes meus, & præterea coniunctus magno usu familiaritatis. hæc cū ita sint, non dubito, quin tibi satis commendatus sit: etenim ex multis cognosco, meam commendationem plurimum apud te ualere. hunc ego

à Cæsare liberaui: frequens enim fuerat nobiscum: atque etiā diutius in causa est, quàm nos commoratus. quo melius te de eo existimaturum arbitror. fac igitur mi Rex: ut intelligat has sibi literas plurimum profuisse. Vale.

ASCENSIVS. Avlus &c. Commendat Regi Aulum Licinium Melitensem hospitem suum qui Pompeianarum partium studio fus fuerat, sed reconciliatus Cæsari. uerum quia eo nomine eum commendat quod Pompeianus esset, oe literæ forte deprehensæ officiant ei ad quem scribit, credo non nominatum a Cicerone, sed nomine regis tātum significatum. Reges enim diuites omnes & præcipue principes olim uocabant ueteres. Melite Insula est Siciliæ authore Pomponio Africam uersus. Et Strabo dicit eam imminere Pachyno, unde Catelli Melitei asportabantur, de qua Ouid. fast. lib. III. Fertilis est Melite, sterili uicina Cosuræ, insula quam Libyci uerberat unda freti. Ordo est. Aulus Licinius Aristoteles cognomento, Melitensis patria, est hospes meus antiquissimus, & præterea: ideft præter eam coniunctionem consuetudo est, scilicet mihi magnum usu familiaritatis, ideft magna consuetudine. Cum hæc sint ita, non dubito quin sit satis commendatus tibi. Etenim ego cognoscen ex multis commendationem meam ualere plurimum apud te. Ego liberaui hunc a Cæsare, ideft a persecutione Cæsa. hoc est reconciliaui eum. Fuerat enim oobiscum. i. in partibus Pompeianis frequens, ideft oegociosus & diligēs atque moratus est in causa, ideft ut dicunt in querela Pompeiana, diutius. s. quam nos: quia etiam post mortem Pompeii, quod. i. propter quod ego arbitror, supple te existimaturum de eo melius. Igitur o mi rex fac ut intelligat has literas profuisse sibi plurimum.

PAVL. MANV. Cicero Regi S.) Opinor hunc regem aliquem fuisse gentis Martiæ, cuius cognomen fuit Rex. itaque etiam Clodii sororis oir Q. Martius Rex appellatus est, authore Plutarcho in cæsaris uita, ad Atticum etiam, pag. XII. cum dicit, ille aūt Regis hæreditatem spe deuorarat, eum, quem diximus, Q. Martiū Regem intelligit.

SEBAS. CORR. Regi) Alii credunt Romanum quendam Regem uocatum, alii Deiotarum Armeniæ minoris Regem intelligi uolūt, quibus ut assentiar, faciunt epistolæ uerba, quibus Licinium Regi, ut Pompeianum Pompeiano commendat. {Quam nos} qui, uicto Pōpeio, a bello discessimus. Existimaturum} ut Pompeianū.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Commendat Gemicilium, hominem quauis commendatione dignissimum.

M. T. CICERO Q. THERMO PROPRÆT. S. 53

L. Gemicilio Curuo iampridem familiarissime utor, optimo uiro & homine gratissimo. eum tibi penitus commendo, atque trado: primum ut omnibus in rebus ei te commodes, quoad fides tua, dignitasq; patietur: patietur aūt in omnibus: nihil. n. abs te unquā, quod sit alienum tuis, aut etiam suis moribus, postulabit. præcipue autem tibi commendo negocia eius quæ sunt in Hellespento: primum, ut obtineat id iuris in agris, quod ei Pariana ciuitas decreuit, & quod semper obtinuit sine ulla controuersia: deinde, si quid habebit cum aliquo Hellespontio controuersiæ, ut in illam διοίκησιν reiicias. sed non mihi uideor, cum tibi totum hominem diligentissime commendarim, singulas ad te eius causas perscribere debere: summa illa sit. quicquid officii, beneficii, honoris in Gemiciliū contuleris, id te existimabo in me ipsum, atque in rem meam contulisse. Vale.

*.i. iurisdictionem

ASCENSIVS. L. Gemicilio &c. Thermo Proprætori in Syria commendat Gemicilium, quem dicit nihil petiturum nisi, quod se & Thermo dignum sit, quo nomine Horatius, etiam Grosphum commendat in epistola dicens, Vtere Pompeio Grospho, si quid petet ultra Defer, nil Grosphus nisi uerum orabit & æquum. Ordo est. Ego utor iampridem. i. a plusculo tempore familiarissime L. Gemicilio Curuo, uiro optimo & homine gratissimo. ego commēdo tibi eum penitus atque trado, scilicet fidei tuæ, primum ut commodes. i. commode exhibeas te, ei in quibuscunque rebus, quoad, ideft quatenus fides tua. f. in seruāda æqui tate quia fides fundamentum est iustitiæ, ut dicit. l. offi. & dignitas tua patietur, patietur autem in omnibus. f. quæ petet, ipse enim nihil postulabit unquam abs te, quod sit alienum tuis, aut etiam suis moribus, ideft quod non sit honestum & æquum. Ego autem commendo tibi præcipue negocia eius quæ sunt in Hellesponto insula Phrygiæ ab Helle sorore Phryxi, illic in ponto submersa, denominata. Primum, ut obtineat in agris. s. Hellespontiacis, id iuris quod ciuitas Pariana quæ illic est decreuit, & dedit ei, & quod obtinuit semper sine ulla controuersia. i. contradictione. Deinde si habebit aliquid controuersiæ, ideft litis & discrepationis cum aliquo Hellespontino, ideft in insula Hellesponti, ut reiicias in illam diœcesim, ideft in illam iurisdi. hoc est ad forum illius iurisdi. ubi antiquis ius obtinet. Nequis erret dicitur diœcesis. II. & III. longis, non diocesis, nam græce scribitur διοίκησις Sed cum ego commendarim tibi diligentissime totum hominem, ideft omnia negocia eius, non uideor mihi debere perscribere ad te singulas causas eius. Illa sit summa i. generalis clausula, quicquid officii quasi debiti, beneficii, benefacti liberaliter impensi, supple et, honoris, contuleris in Gemicilium, ideft impenderis Gemicilio, ego existimabo te contulisse id in meipsum atque in rem meam.

Fides, iustitiæ fundamentū

VICTORIVS Quod ei Pariana ciuitas decreuit} Nos {Pariana} scripsimus cum antiquis codicibus. Parion autem ciuitas in Hellesponto, Stephano, Straboni, reliquis, Parianam coloniā his locis nominat Plinius. Miror hoc mendum tanto tempore non sublatum esse, cum enim negocia quæ in Hellesponto cō menderet, quid hoc ad Patras Achaiæ urbem pertinet? si olla ratione a Patris Patrianus deduci posset.

SEBAS. CORR. Thermo Proprætor.} Epistola XVIII. lib. II. L. Gemicilio} Alias Aul. Gemicilio. {Pariana ciuitas} quæ authore Plin colonia est in Hellesponto. {διοίκησιν.} iurisdictionem.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Gratias agit Thermo, quod Marcilium iuuerit, deinde socrum eiusdem Thermo commendat.

C. THEMO PROPRÆT. S. 54

Cum mihi multa grata sint, quæ ut adductus mea commendatione fecisti: tum in primis, quòd M. Marcilium amici, atque interpretis mei filium liberalissime tractauisti: uenit enim Laodiceam, & tibi apud me, mihiq; propter te gratias maximas egit. quare, quod reliquum est, à te peto, quando apud gratos homines beneficium ponis, ut eo libentius his commodes, operamq; des, quoad fides tua patiteur, ut socrus adolescentis rea ne fiat, ego cum antea studiose commendabam Marcilium, tum multo nunc studiosius, quòd in longa apparitione, singularem & prope incredibilem patris Marcilii fidem, abstinentiam, modestiamq; cognoui. Vale.

ASCENSIVS. Cum mihi &c. Primum ostendit sibi gratum esse quod se cerat Thermus pro M. Marcilio, deinde rogat, ut det operam ne socrus Marci, rea fiat. Ordo est. Cum multa sint grata mihi, quæ tu fecisti adductus commendatione mea, ideft per me facta, tum in primis supple gratum est, non sit, unde secundum Vallam qui uult cum & tum indicatiuā postulare, legendum esset, cum mihi multa grata sunt &c. quod tractauisti liberalissime M. Marcilium filium amici mei, atque interpretis forte lingua Cilicum, ut intercessores, quia per interpretem res agere magni uiri solent: sed cū constet deprecatorii illic egisse Cice. dicam linguæ alienæ expositorem fuisse, & per regulā ferunianam eo nomine quo filium uocatum, enim, ideft quia M. Marci. uenit Laodiceam, quæ urbs est in prouincia Ciliciæ, & egit mihi maximas gratias propter te, ideft ob beneficium tuū. quare ego peto a te quod reliquum est, ideft quod restat adhuc, quando, ideft quandoquidem, aut quoniam tu ponis. i. collocas beneficium apud homines gratos, ut commodes. i. prosis & commodum facias iis eo, ideft tanto libentius, & supple des operam, quoad fides. f. tua patietur. Fidem ut dixi, hic eam intelligit, quæ est fundamentum iustitiæ, qua ea, quæ decenter promisimus, fideliter seruamus, unde ad fidem

fidem iudicum pertinet nemini iniuriam facere, dum alicui commodum facit, ut socrus. i. mater uxoris adolescentis. s. Marcilii ne, idest non fiat rea. i. non noceture in iudicium. nam reus dicitur quicunque cogitur causam dicere & se defendere, etiam si culpa uacet, nō autem esset iudicis, eam quæ sons esset, facere ut insons sit, licet ignoscere possit. ego cum commendabam (ergo prius legam cum multa sunt) antea M. studiose, tum sup. commendo eum nūc multo studiosius, quod cognoui in longa apparitione. i. obsequio quasi apparitoris, singularem, & prope i quasi incredibilem fidem: idest fidelitatem, abstinentiam, modestiam Marcilii patris, idest senioris.

VICTORIVS. QVod In longa apparitione} Omnes, quos uidimus ueteres codices. Mediceus etiam {Apparitione} habent, Vt etiam lib. I. ad Q. Fratrem locum illum antiqui itidem codices, Quos uero aut ea domesticis coniunctionibus, aut ea necessariis apparitionibus tecum esse uoluisti, &c. apparitores tamen semper recepti codices habens.

SEBAS. CORR. Laodiceam} ubi ego eram Procos. {Apparitione} Al. apparatione.

BERN. RVT. Quod in longa apparatione} Apparitione habent cæteri codices, idq; ex sensu fere probo.

PHIL. MELÁ. CVm Mihi} Agit gratias. Propositio: Gratias ago quod liberaliter tractasti M. Marcilium. {Quare quod reliquum} Adiecta petitio, & noua commendatio iterum eundem tibi commendo.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Negotia Legati sui M. Annei commendat.

CIC. THERMO PROPRÆT. S. 55

ET si mihi uideor intellexisse, cum tecū Ephesi de re M. Annei legati mei locutus sum, te, ipsius causa uehementer omnia uelle: tamen et M. Anneium tanti facio, ut mihi nihil putem prætermittendum, quod illius intersit: & me à te tanti fieri puto, ut non dubitem, quin ad tuam uoluntatē magnus cumulus accedat commendationis meæ: nam cum iandiu diligerem M. Anneium, deq; eo sic existimarem, ut res declarat, quòd ultro ei detulerim legationem, cū multis petentibus denegassem, tum uero, posteaquam mecum in bello, atque in re militari fuit, tantam in eo uirtutem, prudentiam, fidem, tantamq; erga me beneuolentiam cognoui, ut hominem neminem pluris faciam. eum cum Sardianis habere cōtrouersiam scis: causam tibi exposuimus Ephesi, quam tu tamen coràm faciliusq; cognosces. de reliquo mihi mehercule diu dubium fuit, quid ad te potissimum scriberem: ius enim quēadmodum dicis. clarum, & magna cum tua laude notum est: nobis autem in hac causa nihil aliud opus est, nisi te ius instituto tuo dicere. sed tamen cum me non fugiat, quanta sit in Prætore authoritas, præsertim ista integritate, grauitate, clementia, qua te esse inter omneis constat: peto abs te pro nostra coniunctissima necessitudine, plurimisq; officiis paribus, ac mutuis, ut uoluntate authoritate, studio tuo perficias, ut M. Anneius intelligat, te et sibi amicum esse, quòd non dubitat, sæpe enim mecum locutus est, & multo amiciorem his meis literis esse factum. in tuo toto imperio, atque prouincia nihil est, quod mihi gratius facere possis. iam, apud ipsum, gratissimū hominem, atque optimum uirum, quàm bene positurus sis studium tuum, atque officium, dubitare te non existimo. Vale.

ASCENSIVS. ETsi mihi &c. Diligentissime commendat Thermo M. Anneii, legati sui negocia, de quo dicit se locutum esse cum Thermo cum essent Ephesi. Ordo est. Et si uideor mihi intellexisse cum locutus sum tecum Ephesi, quæ ciuitas est Asiæ, de re Mar. Anneii legati mei, te uelle uehementer omnia causa ipsius, tamen ego facio, idest æstimo tanti M. Anneium, ut nihil putem prætermittendum mihi, quod intersit, idest in re & utilitate sit illius, & puto me fieri: idest æstimari a te tanti, ut non dubitem quin magnus cumulus commendationis meæ, idest qui sit commendationis meæ, malim tamen legere commendatione mea, idest propter commendationem meam, accedat: idest addatur ad uoluntatem tuam. Nam cum diligerem diu, idest per multos dies M. Anneium, & existimarem: idest iudicarem de eo sic ut res declarat, quod detulerim, idest obtulerim ei ultro, idest non requisitus, legationem, idest ut esset mihi legatus in Cilicia, cū denegassem supple eam multis iam petentibus. s. eam, tum uero: idest præcipue postea quam fuit mecum in bello atque in re militari, cognoui in eo tantam uirtutem. i. fortitudinem, prudentiam, fidē, & tantam beneuolentiam erga me, ut neminem. i. nullum hominē faciam pluris. s. quam eum. Tu scis eum habere controuersiam cum Sardianis. i. ciuibus Sardiæ ciuitatis in prouincia Cilicia: nos exposuimus tibi causam Ephesi. i. cum illic essemus, quam tamen tu cognosces facilius & melius coram. i. quando ueneris in rem præsentem, aut litigatores audieris. mehercule dubium fuit diu, quid scriberem de reliquo: idest de eo, quod restat, potissimū ad te. Enim. s. quia ius sup. eius quemadmodum dicis, est clarum. i. euidens, & notum est. s. tibi, cum magna laude tua, quia iurisperitus euasit. Nihil autem aliud opus est nobis in hac causa, nisi te dicere. i. ut dicas ius i. iudices, instituto. i. more tuo. Sed tamen cum non fugiat: idest lateat me, quanta authoritas sit in Prætore, præsertim ista integritate. i. qui Prætor sit istiusmodi integritate, grauitate, clemētia, qua constat te esse inter omnes: peto abs te pro necessitudine nostra coniunctissima: idest arctissima, & officiis plurimis, paribus ac mutuis scilicet inter nos, ut perficias uolūtate, authoritate, studio tuo, ut M. Anneius intelligat te, &. i. simul, amicum esse sibi, quod non dubitat: locutus est enim sæpe mecum. s. hoc asserendo, & esse factū amiciorem multo scilicet quam fueras, his literis meis. Nihil est quod possis facere mihi gratius in toto imperio tuo atq; prouincia idest tantisper dum eris in prouincia Imperator. Ego non existimo te dubitare iam. s. ubi cognoscis rem mihi tantopere cordi esse, quā bene positurus. i. locaturus sis studium atque officium tuum apud hominem gratissimum atque uirum optimum. Cum uir a uirtute dicatur, frequens illi epitheton est bonus aut optimus.

SEBAS. CORR. EPhesi} Quo ueni ad XI. Calēd. Sext. in Ciliciā proficiscens. {M. Annei} Epist. lib. XV. {Meliusq; cognosces} ab ipso M. Anneio, qui istuc uenit. Epist. LVII. huius libri.

BERN. RVT. QVia ad tuam uoluptatem magnam cumulus accedat commendationis meæ} Voluntatem, ex aliis codicibus magis scribi placet, quia supra dixit, te ipsius causa uehementer omnia uelle.

PHIL. MELÁ. ET si mihi uideor} Exordium a causa scribendi. s. ab officio, qā amicitia est mihi cum Anneio ἀμοιβὴν, ἀπολογία, quod sit ei amicus cum laude Annei. {Nam cum iandiu} Narratio cum ἀποδείξει. {De reliquo} A iure argumentum præponit petitioni. {Peto abs te} Petitio, a priuata amicitia. {In tuo toto} πάθος, Nihil gratius mihi illo.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Negocium Cluuii Thermo studiosissime commendat.

CICERO THEMO PROPRÆT. S. 56

CLuuius Puteolanus ualde me obseruat, ualdeq; est mihi familiaris. is ita sibi persuadet, quod in tua prouincia negocii habet, nisi te prouinciam obtinente meis commendationibus confecerit, id se in perditis, & desperatis habiturum. nunc quando mihi ab amico officiosissimo tantum oneris imponitur, ego quoque tibi imponam pro tuis in me summis officiis, ita tamen, ut tibi nolim molestus esse. *Mylasii, & Alabandenses pecuniam Cluuio debent. dixerat mihi Euthydemus, cum Ephesi essem, se curaturum, ut ecdici Mylasii Romam mitterentur. id factum non est. legatos audio missos esse: sed malo ecdicos, ut aliquid confici possit. quare peto à te, ut eos, & Alabandenses iubeas ecdicos Romam mittere. præterea Philotes Alabandensis* ὑποθήκας Cluuio dedit: hæ commissæ sunt. uelim cures, ut aut hypothecis decedat, easq; procuratoribus Cluuii tradat: aut pecuniā soluat. præterea Heracleotæ, & Bargyletæ, qui item debent, aut

*al. Mylaseis, & Alabandeis.

*. i. pignora.

pecuniam soluant, aut fructibus suis satisfaciant. Caunii præterea debēt, sed aiūt se depositam pecuniā habuisse. id uelim cognoscas, & , si intellexeris eos neque ex edicto, neque ex decreto depositam habuisse, des operam, ut usuræ Cluuii instituto tuo conseruētur. his de rebus eo magis laboro, quòd agitur res Cn. Pompeii etiam nostri necessarii, & quòd is magis etiam mihi laborare uidetur quàm ipse Cluuius: cui satisfactum esse à nobis ualde uolo. his de rebus te uehementer etiam atq; etiam rogo. Vale.

ASCENSIVS. Caius Cluuius & cæt. Negotium Cluuii Puteolani commendat Thermo, ut dicat ipsum Cluuium de eo desperare nisi id confecerit, Thermo prouinciam obtinente. Exponit autem quid sit in eo negocio, & quid agēdum putet, ut luce clarius patebit legentibus hoc ordine. C. Cluuius Puteolanus scilicet patria, a Puteolis urbe Campaniæ, obseruat me ualde, & est ualde familiaris mihi. Is persuadet sibi, idest firmiter credit, se habiturum in perditis & desperatis, id negocii, quod habet in prouincia tua, nisi confeceris, idest absolueris commendationibus meis. i. ob commendationes meas, te obtinente prouinciam, idest tantisper dum obtinebis prouinciam Nunc quando, idest quandoquidem tantum oneris imponitur mihi ab amico officiosissimo, idest plenissimo officii in me, ego quoque imponam tibi: scilicet tantum oneris pro summis officiis tuis in me, tamen ita supple imponam, ut nolim esse molestus tibi. Mylasii & Alabandenses. i. ciues in mylasa et Alabanda ciuitatibus Lydiæ Mæoniæ, debent pecuniam Cluuio. Euthydemus dixerat mihi cum essem Ephesi, se curaturum, ut Ecdici: idest syndici defensores, Mylasii mitterentur Romam, id non est factum, ego audiui legatos: idest oratores missos eē, sed malo Ecdicos supple mitti, ut aliquid possit confici: idest transigi & componi Quare ego peto a te ut iubeas eos. s. Mylasios, & Alabandenses mittere Romam Ecdicos. i. syndicos suos: præterea Philotes Alabandensis dedit Cluuio hypothecas, idest obligationes bonorum immobilium, hæ scilicet hypothecæ sunt commissæ: idest finitæ. uelim sup. ut cures, ut Philotes aut decedat de hypothecis. i. obligationibus rerum immobilium ut dixi, & tradat eas procuratoribus Cluuii, ne scilicet amplius petantur, aut persoluat pecuniam, scilicet pro nouis hypothecis, aut pro termini productione. Præterea Heracleotæ et Bargyletæ ciuitatum Cariæ, qui item. i. simul, debent scilicet Cluuio, aut soluant pecuniā aut satisfaciant suis fructibus. s. interēē aut usuram. Præterea Caunii a Cauno oppido Cariæ debent. s. pecuniam, & ut uidetur innuere, usuram, sed aiunt se habuisse pecuniā depositam, ut nihil debeant de usura, des operam ut usuræ conseruentur Cluuio, instituto. i. ex more aut constituto tuo. Ego laboro de his rebus eo magis quod res. i. negotium aut utilitas etiam Cn. Pompeii nostri necessarii agitur. & quod is s. Pompeius uidetur mihi laborare eis magis quam ipse Cluuius, cui scilicet Pompe. ego uolo. i. cupio ualde satisfactū a nobis. rogo te uehementer etiam atque etiam de his rebus. i. ob has res, aut ut has res cures.

VICTORIVS. Mylasii & Alabandenses) Nos authoritate uetustiorum codicum Mylasēis, & Alabandēis scripsimos. sunt autem Græca declinatione a singulari recto μυλασεὺς & ἀλαβανδεὺς deducti.

SEBAS. CORR. Caius Cluuius} Al C. Lliolus. obiq. { Mylasii, & Alabandenses } Al. Mylasēis, & Alabandēis, modo Græco. de quibus, & de Heracleotis, Bargyletis, & Caunits, Ply. lib. V. cap. XXVIII. & XXVI. { Ecdici} ultores, qui eos persequuntur, qui Reipub. pecunias debent. hos Quæstores quosdam dicere possum. {ὑποθήκας} pignora.

BERN. RVT. Eos neque ea edicto neque ea decreto depositam habuisse } Potes Proprætoris ipsius edictum atque decretum accipere potius: q̄ Ro. Prætoris ac Senatus, ut Clericus. Proponebant enim & Proconsules Proprætoresq; singuli edictum suum. Decretum uero etiam singulare iudicum pronunciationemq; dicere ueteres Latini, qui enim usuras pendere amplius nollet, interposito præsidis decreto, cum cui solueretur non esset ad manum, creditā pecuniam deponebant.

PHIL. MELA. Caius Cluuius] Exordium ab officio. {Nunc quoniam} Propositio {Mylasii. } Narratio. Ecdicos} uindices. {Quare peto} Petitiones multæ. { Vt aut de hypothecis} ff. Negociorum gestorum. L. debitor. Si periculum erat, ne prædia in publicū committerentur.

GIBERTI LONGOLII LEMMA

Petitoria est epistola, & commendatoria M. Annei Legati.

CIC. THERMO PROPRÆT. S. 57

Quo magis quotidie ex literis, nuntiisq; bellum magnum esse in Syria cognosco, eo uehementius à te pro nostra necessitudine cōtendo, ut mihi M. Anneium Legatum primo quoque tempore remittas: nam eius opera, consilio, scientia rei militaris uel maxime intelligo me, et Remp. adiuuari posse. q. nisi tanta res eius ageretur: nec ipse adduci potuisset, ut à me discederet, neque ego, ut eum à me dimitterē. ego in Ciliciam proficisci cogito circiter Calen. Maias. ante eam diem Anneius ad me redeat oportet. Illud quod tecum & coràm, & per literas diligentissime egi, id & nunc etiam àtque etiam rogo, curæ tibi sit, ut suum negotium, quod habet cum populo Sardiano, pro causæ ueritate, & pro sua dignitate conficiat. Intellexi ex tua oratione, cū tecum Ephesi locutus sum, te ipsius Anneii causa omnia uelle: sed tamen sic uelim existimes, te mihi nihil gratius facere posse, quàm si intellexero per te illum, ipsum negociū ex sententia confecisse. idq; quamprimum ut efficias, te etiam atque etiam rogo. Vale.

ASCENSIVS. Quo magis &c Primum rogat Cic Thermum ut ad se remittat M Anneium legatum priusquam Cic. proficiscatur in Ciliciam. Deinde commendat eius negotium. Ordo autem est. Quo. i. quanto magis ego cognosco quotidie ex literis & nuntiis bellum magnum esse in Syria, eo. i. tanto uehementius contendo. i. instanter peto, a te pro necessitudine nostra, ut remittas mihi primo quoque tempore. i. ut primum possis, M. Anneium Legatum. i. qui sit mihi Legatus Nā ego intelligo me & Remp. posse adiuuari, uel. i. etiam maxime opera, consilio, scientia rei militaris eius. s. Annei, quod. i. propter quod, nisi tanta res eius ageretur, scilicet in prouincia tua, nec ipse potuisset adduci. i. persuaderi ut discederet a me, neque ego sup. potuissem adduci ut dimitterem eum a me. ego cogito proficisci in Ciliciam circiter Cal. Maii, oportet sup. ut Anneiū redeat ad me ante eam diem. Illud quod egi tecum & coram, idest in præsentia per uerba, & supple absens per literas, rogo id & nunc etiam atque etiam sit tibi curæ, ut conficiat, idest transigat & absoluat negociū suum quod habet cum populo Sardiano, conficiat in quam pro ueritate. i. æquitate causæ & pro dignitate sua Ego intellexi ex oratione tua cum locutus sum tecum Ephesi, te uelle omnia causa ipsius M. Annei, sed tamē uelim supple ut existimes sic, te nihil posse facere mihi gratius, quum si intellexero illum confecisse, idest finiuisse negocium ex sententia, idest uoluntate sua, per te. i. te auxiliante, idque, idest & id rogo supple te, etiam atque etiam ut efficias id quamprimum. i. ualde cito.

SEBAS. CORR. Bellum Magnum} Parthicum. {In Ciliciam proficisci} finitis iurisdictionibus Asiaticis. Calend. Maii} prope finem anni. iuerat enim in prouinciam pridie Calendas Sextilis. Per literas} Epistola. LV. huius libri.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Lucii Custidii causam Rufo commendat.

M. CICERO C. TITIO L. F. RVFO PRAET. VRB. S. 58

Lucius Custidius est tribulis, & municeps, & familiaris meus. is causam habet, quàm causam ad te defert, commendo tibi hominem, sicuti tua fides, & meus pudor postulat, tantum, ut facilem ad te aditum habeat. quæ æqua postulabit, ut libente te impetret, sentiatq; meam sibi amicitiam, etiam cum longissime absim, prodesse in primis apud te. Vale.

Lucius

ASCENSIVS.

L Vcius & cætera. Commendat L. Custidium dicens, Lucius Custidius est tribulis meus, idest mecum de eadem tribu, & municeps, idest de eodem municipio, scilicet Arpino, & familiaris meus. Is habet causam, idest litem, quam causam, idest cuius defensionem defert ad te. Ego commendo tibi hominem sicut fides tua, & pudor meus postulat, idest usque ad aras aut deos, tantum, idest duntaxat, aut tantum, idest intantū ut habeat faciles aditus ad te, & ut impetret, iubente te, supple ea æqua idest iusta quæ postulabit, & sentiat amicitiam meam prodesse sibi in primis idest præcipue apud te, etiam cum absim longissime, ut pote in Cilicia.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

M. Fabii curam suscipit hac epistola.

M. T. C. C. CVRTIO PEDVCEANO PRÆT. S. D. 89

M Arcum Fabium unice diligo: summaq; mihi cum eo consuetudo, & familiaritas est peruetus. in eius controuersiis quid decernas, à te non peto (seruabis, ut tua fides, & dignitas postulat, edictum, & institutum tuum) sed ut quam facillimos ad te aditus habeat, quæ erūt æqua, iubente te impetret: ut meā amicitiam sibi, etiam cum procul absim, prodesse sentiat, præsertim apud te. hoc uehementer etiam atque etiam te rogo. Vale.

ASCENSIUS.

M Arcum & cætera. Commendat Mar. Fabium. Ego diligo unice, idest singulariter M. Fabium, & summa consuetudo, & familiaritas peruetus, idest ualde uetus est mihi cum eo. Ego non peto a te quid decernas, idest iudices in controuersiis, idest litibus eius. Tu seruabis edictum & institutum, idest mandatum tuum, ut dignitas tua & fides postulat, sed ut habeat aditus ad te, quam facillimos, impetret te iubente, idest iussu tuo ea quæ erunt æqua, ut sentiat amicitiam meam prodesse sibi etiam cum absim procul: scilicet Roma, quia in prouincia, præsertim, idest præcipue apud te. ego rogo te hoc uehementer etiam atque etiam.

GIBERTI LONG. LEMMA.

L. Liuineium & patroni causa officiose commendat.

M. T. C. C. MVNATIO C. F. S. 90

L Vcius Liuineius Trypho est omnino L. Reguli familiarissimi mei libertus, cuius calamitas etiam officiosiorem me facit in illum, nam beneuolentior, quàm semper fui, esse non possum: sed ego libertum eius per seipsum diligo: summa.n. eius erga me officia extiterunt iis nostris temporibus, quibus facillime bonam beneuolentiam hominum, & fidem perspicere potui. eum tibi ita commendo, ut homines grati, & memores bene meritos de se cōmendare debent. pergratum mihi feceris, si ille intellexerit, se, q. pro salute mea multa pericula adierit, sæpe hyeme summa nauigarit, pro tua erga me beneuolentia, gratum etiam tibi fecisse. Vale.

ASCENSIUS.

L Vcius Liuineius Trypho est libertus L. Reguli familiarissimi mei. Cuius scilicet Reguli calamitas: idest aduersitas miseranda facit me etiam officiosiorem in illum Nam non possum esse beneuolentior, scilicet in illum, quam fui semper, sed ego diligo libertum eius per seipsum: idest sine respectu patroni. Summa enim officia eius extiterunt erga me his temporibus nostris, scilicet tam periculosis & malis, quibus potui perspicere facillime, beneuolentiam & fidem hominum, quæ in aduersis perspici solent. Ego commēdo tibi eum ita ut homines grati & memores, scilicet beneficii accepti, debent commendare bene meritos de se. Si forte alibi non dicat, noris puer non recommendo, sed commendo in usu esse. Tu feceris mihi pergratum si ille intellexerit se quod adierit multa pericula pro salute mea, & supple quod nauigauit sæpe summa: idest aspertima hyeme: idest tempestate pluuiosa & frigida, fecisse gratum etiam tibi pro summa beneuolentia tua erga me.

BERNRVT.

S Vmma enim eius erga me officia extiterunt) Adiunge his sequentia: est enim, extiterunt his nostris temporibus. non, cōmendo his nostris temporibus. Bonam autem dicit beneuolētiam. i. ueram, & quam alibi fidelem, non fictam atque simulatam.

GIBERTI LONGOLII LEMMA

Petit a Pratore, ut Nicaenses Pinnii filio pecuniam quam debent soluant, & ut hoc procuret rogat.

M. T. C. P. SILIO PROPRÆT. S. D. 91

T Ito Pinnio familiarissime me usum esse, scire te arbitror. quod quidē ille testamento declarauit, qui me tum tutorem, tum etiam secundum hæredem instituerit. eius filio mire studioso, & erudito, & modesto pecuniam Nicæenses grandem debēt, ad HS octogies: &, ut audio, in primis uolunt ei soluere. pergratum igitur mihi feceris, quando non modo reliqui tutores, qui sciunt quanti me facias, sed etiam puer ipse sibi persuasit, te omnia mea causa facturum esse, si dederis operam, quoad tua fides, dignitasq; patietur, ut quamprimum pecunia Pinnio soluatur Nicæensium nomine. Vale.

ASCENSIUS.

T Ito &c Commendat Titum Pinnium ciuem Romanū, cui Nicæenses grandem debebant pecuniam, rogans Prætorem ut eam curet persoluendam. Ordo est. Ego arbitror te scire me usum esse familiarissime Tito Pinnio, quod. i. quā familiaritatem, ille quidem declarauit testamento, qui instituerit me tum tutorem. s. filio suo, tum etiā secundum. i. secundarium hæredem, ut. s. si filius eius moriatur Cice. hæres sit. Nicæenses. i. ciues Nicææ ciuitatis in prouincia Massiliensi, debent filio eius. s. Titi Pinnii erudito mire & studioso & modesto, pecuniam grandem ad sestertium octogies. i. ad ducentas libras. Monui prius neutra non admittere syncopam genitiui, si eo incidant cum nominatiuo singulari, & tamē cū nomine numerali uenuste syncopā in genitiuo fieri, unde maluit Cic. dicere ad octoginta sestertia, aut sestertiū. Et ut audio, ipsi uolunt in primis. i. maxime soluere ei. s. filio Titi. Tu igitur feceris mihi pergratū, quando . i. quoniā non solū reliqui tutores qui sciunt quanti facias me, sup. persuaserunt sibi, sed etiā puer ipse, persuasit sibi te facturum esse oīa causa mea, si dederis operā quoad. i. quatenus fides & dignitas tua patietur, ut pecunia soluatur Pinnio. f. minori, quāprimū. i. ualde cito, noīe. i. ex debito Nicæensiū, pro quo aliq Nicæensiū legūt.

SEBAS. CORR.

P Vblio Silio Propræt.) Bithyniæ, in qua urbs erat Nicæa, a qua Nicæenses sunt dicti. In epistolis uero ad Atticum ostēdit Cicero se, Bibulum, Thermum, & hunc Silium in prouinciis eodem tempore fuisse. (T. Pinnio) Al. C. Pinnio. Quam primum pecunia) Al. quam plurimum pecuniæ.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Agit gratias Silio, quod Attilii commendationem acceperit: & deinde Qu. Fratrem commendat.

M. T. C. P. SILIO PROPRÆT. S. D. 92

E T in Attilii negocio te amaui: cū. n. serò uenissem, tamē honestū equitē Romanū beneficio tuo cōseruaui: et mehercule semp sic in animo habui, te in meo ære esse, propter Lamiæ nostri cōiunctionē, & singularē necessitudinē, itaq; primū tibi ago gratias, q. me omni molestia liberas:

deinde impudentia prosequor: sed idem sarciam: te enim semper sic colam, & tuebor, ut quem diligentissime. Q. fratrem meum, si me diligis, eo numero cura ut habeas, quo me. ita magnum beneficium tuum magno cumulo auxeris. Vale,

ASCENSIVS. ETsi &c. Primum gratias agit, deinde amorem suum pollicetur dicens Etsi, idest quanquam, ego amaui te in negotio. i. trāsactione negocii Attilii, cum enim uenissem sero. i. tarde, tamen conseruaui beneficio tuo. i. per beneficium tuum, equitem Romanum honestum. Es me hercule. s. iudicante, ut uerum dico, ego semper habui in animo, idest iudicaui te esse in ære meo. i. meū, ut quæ ære nostro emimus aut deuiximus, propter coniunctionem & singularem necessitudinem Lucii Lamiæ nostri. Itaque ago primum gratias tibi quod liberas me molestia, deinde prosequor impudentia. i. impudenti petitione, sed sarciam, idest reficiam & compensabo idem. ego enim colam & tuebor te semper sic, ut sup. eum quem. s. colam diligentissime Cura si diligis me, ut habeas Quintum fratrem meum eo numero. i. ea æstimatione, quo. i. qua me. Tu auxeris ita beneficiū tuū magnum cumulo magno.

BERN. RVT. Etsi in Attilii negocio te amaui: cum enim, &c.) SI, uacat. nam adiecit: Es mehercule semper sic in animo habui.

PHIL. MELA. Et in Attilii) Gratiarum actio. Narratio beneficiorum a coniunctione. Propositio: Ago gratias. {Te enim} Promissio officii.

GIBERTI LONGO. LEMMA.

Caii Lenii negocium & suo & Q. Fratris nomine Silio commendat.

M. T. C. P. SILIO PROPRAET. D. 93

*NOn putaui fieri posse, ut mihi uerba deessent: sed tamen in C. Lenio commendando desunt. itaque rem tibi exponam paucis uerbis, sed tamen ut plane perspicere possis uoluntatem meam. incredibile est, quā ti faciamus & ego, & frater meus, qui mihi * charissimus est, C. Lenium. id fit cum plurimis eius officiis, tum summa probitate, & singulari modestia. eum ego à me inuitissimus dimisi tum propter familiaritatem, & consuetudinis suauitatē, tum q. consilio eius fideli, ac bono libenter utebar. sed uereor, ne iam mihi superesse uerba putes, quæ dixeram defutura. commendo tibi hominem sicut intelligis me, de quo ea supra scripserim, debere commendare, à teq; uehementer etiam atque etiam peto, ut, quod habet in tua prouincia negocii, expedias, quod tibi uidebitur rectum esse, ipsi dicas. hominem facillimū liberalissimumq; cognosces. itaque te rogo ut eum solutū, liberū confectis eius negociis per te, quamprimum ad me remittas. id mihi, fratriq; meo gratissimum feceris. Vale,*

* al. charissimus est, M. Le.

ASCENSIVS. NOn putaui &c. Lenium sic affectanter cōmendat, ut in eius commendatione dicat sibi uerba deesse. Ordo est. Non putaui posse fieri, ut uerba deessent mihi. i. deficerent in commendando aliquo, sed tamen desunt in cōmendando C. Lenio. itaq; exponam tibi rem paucis uerbis, sed tamen sup. sic ut possis perspicere plane uoluntatem meā. Incredibile est. i. difficile creditu, quanti & ego et frater meus q. est charissimus mihi, faciamus M. Lenium. Id. s. quod eū sic amamus, fit tum plurimis officiis eius, tum summa probitate & singulari modestia eius. Ego inuitissimus dimisi eum a me, tum propter familiaritatem & suauitatem consuetudinis, tum q. utebar libenter consilio eius fideli, ac etiam bono. Sed uereor ne putes uerba superesse. i. redundare & nimia esse mihi, quæ dixerā defutura. Et commendo tibi hominem, sicut intelligis me debere commēdare eum, de quo scripserim ea supra. i. quæ præmisi. Ego peto a te uehementer etiā atque etiam, ut expedias sup. id negocii, quod habet in prouincia tua, et sup. ut dicas ipsi id quod uidebitur tibi rectū esse. Tu cognosces hominem facillimum, & liberalissimum Itaque rogo ut remittas eum ad me quamprimum. i. ualde cito, solutum, & liberum negociis confectis per te. Tu feceris mihi, & fratri scilicet meo, id gratissimum.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Agit gratias Silio Neronis nomine, diligenter commendato adolescente, deinde petit ut ipsum Neronem, Neronianosq; tueatur & adiuuet.

M. T. C. P. SILIO PROPRAET. S. D. 64

NEro meus mirificas apud me tibi gratias egit, prorsus incredibileis, ut nullum honorem sibi haberi potuisse diceret, qui à te prætermissus esset. magnum fructum ex ipso capies: nihil enim illo adolescente gratius. sed mehercule mihi quoque gratissimum fecisti. pluris enim in omni nobilitate neminem facio. itaque si ea feceris, quæ ille per me tecum agi uoluit, gratissimum mihi feceris. primum de Pausania Alabandensi sustentes rem, dum Nero ueniat: uehementer enim eius causa cupere eū intellexi: itaque hoc ualde te rogo. deinde Nisæos, quos Nero in primis habet necessarios, diligentissimeq; tuetur, ac defendit, habeas tibi commendatissimos: ut intelligat illa ciuitas, sibi in Neronis patrocinio summum esse præsidium. Strabonem Seruilium tibi sæpe commendaui: nunc eo facio id impensius, quòd eius causam Nero suscepit. tantum à te petimus, ut agas eam rem, nec relinquas hominem innocentem ad alicuius tui dissimilis quæstum. id tum gratum mihi erit, tum etiam existimabo te humanitate tua esse usum. Sūma huius epistolæ hæc est, ut ornes omnibus rebus Neronē, sicut instituisti, atq; fecisti. magnum theatrū habet ista prouincia, nō ut hæc nostra, adolescentis nobilis, ingeniosi, abstinentis cōmendationem, atque gloriam. quare si te fautore usus erit, sicut & utetur profecto, & usus est, amplissimè clientelas acceptas à maioribus confirmare poterit, & beneficiis suis obligare. hoc in genere si eum adiuueris eo studio, quo ostendisti, apud ipsum præclarissime posueris, sed mihi etiam gratissimum feceris. Vale.

ASCENSIVS. NEro meus &c. Commendat & laudat plurimum gratitudinem Neronis cuiusdam: non quidem illius tyranni, qui longe post Cice. fuit, sed alterius, faciens per hoc eundem cōmendatiorem. Ordo est. Nero meus, scilicet amicus egit mirificas gratias apud me, idest me alloquens, supple & prorsus: idest omnino incredibiles, ut diceret nullum honorem potuisse haberi, idest impendi sibi, qui prætermissus esset a te. tu capies magnum fructum ex eo: idest eius gratitudine. Nihil enim est gratius illo adolescente, sed mehercule tu fecisti gratissimū, quoque, idest etiam mihi. Ego enim neminem facio pluris ea omni nobilitate idest ea omnibus nobilibus. Itaque si feceris ea quæ ille, scilicet Nero uoluit agi, idest tractari & transigi tecum per me, tu feceris mihi gratissimum. Primum supple ut sustentes, idest suspendas & protrahas, rem, idest litem & controuersiā de Pausania Alabandensi, dum, idest donec Nero ueniat. Ego intellexi eum, scilicet Neronem cupere uehementer supple id, causa eius, scilicet Pausaniæ. Videbitur forte ordo melior primum intellexi, ut sustentes rē de Pausania Alabandensi, dum Nero ueniat, eum cupere uehementer causa eius, scilicet Pausaniæ Itaque rogo te ualde hoc, deinde supple ut habeas commendatissimos sibi, Nisæos, idest ciues Nisæ ciuitatis Lydiæ Meoniæ, quos Nero habet necessarios in primis, idest inter primos, & tuetur ac defendit diligentissime, ut illa ciuitas intelligat summū præsidiū esse sibi in patrocinio Neronis. Ego commendaui tibi sæpe Strabonem Seruilium, ego facio nunc id impensius, i. maiore cura & impensa, eo. i. propterea quod Nero suscepit. s. tuendam cām eius. Nos petimus tantū. i. duntaxat, a te, ut agas eam rem, ne relinquas hominem innocentem. s. Seruilium ad quæstū. i. lucrum aut rapinam alicuius dissimilis tui. i. iniqui & inhumani. Id erit tum, idest simul gratū mihi, tum, idest simul existimabo. i. iudicabo te usum esse humanitate tua. Hæc est summa: idest principalis petitio huius epistolæ, ut ornes Neronem omnibus rebus, sicut instituisti: idest incepisti, atque fecisti. Ista prouincia. s. in qua es, habet magnū theatrū. i. multos spectatores, ut theatrū habere solet, non ut hæc nostra. s. prouincia, quia ea nō habet tantum theatrum: habet autem theatrum appositorie, commenda-

tio neq;

tiones atq; gloriam adolescentis nobilis ingeniosi, abstinentis. Quare si Nero erit usus te fautore, sicuti utetur profecto & usus est, ipse poterit confirmare. s. sibi amplissimas clientelas acceptas a maioribus, & obligare supple eas sibi beneficiis suis. Si adiuueris eum in hoc genere eo studio quo ostendisti, tu posueris. i. locaueris. s. illud beneficium præclarissime apud illum, sed feceris etiam mihi gratissimum.

BERN. RVT.

MAgnum theatrum habet ista prouincia, nō, ut hæc nostra, adolescentis nobilis, ingeniosi, abstinentis commendationem atq; gloriam) Sensus est, ni fallor: Licet tibi amplius te ipsa inseruire & commodare Neroni, quam ego uerbis explicare. prouincia igitur tua suscipiendi adolescentis multas uariatq; causas, habet, magnum latumq; theatrum. i. spatium atque aream. nam ego quidem uno uersiculo expedire commendationem meam possum, ut. s. adolescentem esse tibi confirmem, nobilem, ingeniosum abstinentem. De fortuna quid balbutiat Clericus, demitur.

PHIL. MELI.

EXordium ab officio, seu gratitudine. Itaque si ea) Propositio, seu petitio. {Itaque hoc ualde) Narratio. {Quare si te) Amplificatio a dignitate Neronis. {Hoc in genere) Clausula ex utili.

Pub. Terentium magistratum rationum societatis suæ, Silio diligenter commendat.

M. T. CICERO P. SILIO PROPRAET. S. D. 65

CVm P. Terentio Hyspone, qui operas in scriptura magistro dat, mihi summa familiaritas, cōsuetudoq; est, multaq;, & magna inter nos officia paria, et mutua intercedunt. eius summa existimatio agitur in eo, ut pactiones cū ciuitatibus reliquis conficiat. nō me præterit, nos eam rem Ephesi expertos esse, neq; ab Ephesiis ullo mō impetrare potuisse. sed quando, quemadmodū omnes existimant, & ego intelligo, tua cum summa integritate, tum singulari humanitate & mansuetudine consecutus es, ut libentissimis Græcis, nutu, quod uelis, consequare: peto à te maiorē in modum, ut honoris mei causa hac laude Hysponem affici uelis. præterea cum sociis scripturæ mihi summa necessitudo est, non solum ob eam causam: quòd ea societas uniuersa in mea fide est, sed etiam, quòd plerisque sociis utor familiarissime. ita & Hysponem meum per me ornaris, et societatē mihi coniunctiorem feceris, tuq; ipse & ex eius obseruantia gratissimi hominis, & ex sociorum gratia hominum amplissimorum maximum fructum capies, & me summo beneficio affeceris: sic enim uelim existimes, ex tota tua prouincia, omniq; isto imperio nihil esse, quod mihi gratius facere possis. Vale.

ASCENSIVS.

CVm Publio &c. Commēdat Terentium Hysponem, qui in scriptura. i. officio scribendi prouinciales & uectigalia uicem magistri tenebat, dicens. Summa familiaritas & consuetudo est mihi cum Publio Terentio Hyspone, qui dat operas in scriptura. i. qui scribit pro magistro. i. loco magistri. s. rationum, & multa & magna officia intercedunt. i. communia sunt & coniunctionum faciunt inter nos paria. i. æqualia & mutua. summa existimatio, idest reputatio eius agitur. i. uersatur in eo, ut conficiat pactiones, idest in conficiendis pactionibus & conuentionibus cum reliquis ciuitatibus. Non præterit me, idest memor sum, nos expertos esse, idest tentasse periclitando, eā rē, ut. s. pactionem conficias Ephesi, nec potuisse: scilicet nos impetrare. s. illud ullo modo ab Ephesiis. Sed quādo, idest quoniam quemadmodum omnes existimant, & ego intelligo: sunt qui frustra interserant fecisti, tu consecutus es cum tua summa integritate & mansuetudine, ut consequare. i. obtineas, Græcis libentissimis. i. uolentissimis nutu. i. solo indicio capitis quod uelis, peto a te in maiorē modum, ut uelis causa honoris mei, Hysponem affici hac laude. s. ut conficias reliquas pactiones. præterea summa necessitudo est mihi cum sociis scripturæ. i. qui simul rationes cum Hyspone scribunt, non solum ob eam causam quod societas uniuersa. i. simul tota est in fide. i. fideli protectione mea, sed etiā quod utor familiarissime plerisq; sociis. ita, idest & sic ornaris pro ornaueris, idest honoraueris Hysponem meum, & feceris societatem, scilicet scribentium coniunctiorem mihi: & tu ipse capies maximum fructum ex obseruātia, scilicet actiua in te, eius, scilicet Hysponis, hominis gratissimi, & ex gratia sociorum, appositione, hominum amplissimorū, & affeceris (coniungit diuersos modos capies, & affeceris) idest afficies me summo beneficio. Velim enim supple ut existimes sic, nihil esse quod possis facere gratius mihi ex tota prouincia tua, & ex omni isto, idest tuo imperio.

CVm P. Terentio) Commendatio generis suasorii. {Eius summa) Narratio.} Sed quando) Petitio, ac propositio. {Ita & Hysponem) A Ciceronis persona: mihi sunt amici. {Tuq; ipse) Ab utili.

PHIL. MELI.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Negocia habebat in Asia ante exilium Cæcinna, & cum exularet propter Cæsaris iram, cupiebat reliquias negociorum conficere, quare profectus in Asiam ad Seruilium Proconsulem, a Cicerone commendatus est.

M. T. CICERO P. SERVILIO S. D. 66

AVlum Cæcinnam maxime propriū clientem familiæ uestræ non commendarem tibi, cum scirem qua fide in tuos, qua clementia in calamitosos soleres esse, nisi me & patris eius, quo sum familiarissime usus, memoria, & huius fortuna ita moueret, ut hominis omnibus mecum studiis officiisq; coniunctissimi mouere debeat. à te hoc omni contentione peto, sic, ut maiore cura, maiore animi labore petere non possim, ut ad ea, quæ tua sponte sine cuiusquam commendatione faceres in hominem tantum, & talem, calamitosum, aliquem afferant cumulum meæ literæ, quo studiosius eum quibuscunque rebus possis, iuues. quòd si Romæ fuisses, etiam salutem A. Cæcinnæ essemus (ut opinio mea fert) per te consecuti. de qua tamen magnam spem habemus, freti clemētia Collegæ tui. nunc quando iustitiam tuam secutus tutissimum sibi portum prouinciam istam esse duxit, etiam atque etiam te rogo, atque oro, ut eum & in reliquiis ueteris negociationis colligēdis iuues, & cæteris rebus tegas, atque tueare. hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

ASCENSIVS.

AVlum Cæcinnam &c. Commendat A. Cæcinnam, qui prius in Asia negociatus fuerat, cui præerat Seruilius: reliquerat aūt in ea negociatione multa quæ consequi non potuerat, & postea quia cōtra Cæsarē scripserat, ut lib. VI. uisum est, exilio damnatus fuerat. Ordo est. Ego non cōmendarem tibi A. Cæcinnam clientē maxime proprium uestræ familiæ, cū scirem qua fide. i. fideli protectione soleres esse, in. i. erga tuos, & qua clementia in calamitosos, nisi & memoria patris eius quo sum usus familiarissime, & fortuna huius. s. Auli filii eius, moueret. i. afficeret me ita, ut sup. fortuna hominis coniunctissimi mecum omnibus studiis & officiis, debeat mouere sup. me. Ego peto a te omni contentione. i. instantia, hoc. s. quod statim dicet, ita ut non possim petere maiore cura & maiore labore animi: ut meæ literæ afferant aliquem cumulū. i. aliquod magnum augmētum, in. i. erga hominem tantum & talem calamitosum, quo. s. cumulo, aut quo pro ut iuues eum studiosius. i. maiore studio. i. fauore & conatu, quam faceres si non esset cōmendatus a me, quibuscunq; rebus possis. q̄ si fuisses Romæ. s. quādo in exilium actus est, nos cōsecuti essemus per te, ut opinio mea fert. i. ut opinor, ēt salutē. i. conseruationem in patria, Auli Cæcinnæ. De qua. s. salute eius recuperāda, de qua tamen. i. nihilominus quamuis nunc amissa uideatur, nos habemus magnam spē, freti. i. confisi & adiuti clementia. i. benignitate Collegæ tui. s. Romæ agentis. Nunc quando. i. quandoquidem ipse Cæcinna secutus iustitiam tuam. i. famam aut opinionem de iustitia tua duxit. i. existimauit, & arbitratus est prouinciam istam. i. quam tu geris in Asia esse sibi portum. i. receptaculum salutis tutissimum, rogo te ēt atq; etiam. i. iterum atq; iterum, hoc est frequēter, & ita ex animo ut iuues eum, &. i. simul, in reliquiis. i. ueteribus debitis ueteris, idest pristinæ negotiatiōis, quia ante bellū ciuile illic negociari solitus erat, colligēdis. i. coacernandis a debitoribus, & tegas. i. protegas, ac tueare. i. defendas sup. in cæteris rebus. Tu nihil. i. nō aliquid nō potes facere mihi aliqd gratius, hoc. i. q̄ hoc.

VICTORIVS. IN hominem tantum,& talem}Sic omnes uulgati & antiqui codices. Quia tamē audiui nonnullos eruditos uiros aliter hunc locum legisse, quemadmodum illi subtiliter magis quam uere (ni fallor) corrigebāt, ea ponam. Legebant, inquā, illi {Tam tuum, & tam, calamitosum} maxime (ut opinor) in hoc consilium impulsi, quod supra dicit ipsum proprium clientem ipsorum familiæ. nos receptam & in cunctis ueteribus, nonlsq; eandē lectionem nunquam reiiceremus. {Tantum} autem eum appellare credimus, quoniam fuit uere summus uir,& maxima ingenii fama:{Talem}autē, ut ingenuos & probatos mores intelligat. Laudatur autem mirifice cunctis locis a Cicerone. Seneca quantopere eum admiretur, & celebret, omnibus notum esse arbitror. Sic etiam Balbus locutus est in epistola ad Ciceronem, Atque hoc non solum in te tali,& tanto uiro satis habebit, sed etiam mihi ipse sua concessit bonitate, &c.

SEBAS. CORR. PVblio Seruilio}P. Seruilii Valiæ Isaurici. F. Proprӕt. Asia enim, cui præerat, prouincia prætoria erat.& in ueteribus libris ita legitur. Siquis tamen Procos. legere malit, non ualde repugnem: quando alterum pro altero poni sæpe uideo. is fuit Cos. cum Iulio Cæsare in secundo Consulatu.{ A.Cæcinnam} lib.VI. {Collegæ tui} Cæsaris.{ In reliquiis}Epist. VIII. lib. VI.

BERN. RVT. QVod si Romæ fuisses, legi malim, ut ex aliis etiā codicibus docemur. Est autem hic P. Seruilius, Iulii Cæsaris in secundo eius Consulatu collega: non prætor Asiæ, ut Clericus, sed Proconsul.

PHIL. MELA. AVl.Cæcinnam} Exordium. Occupatio: cur commendas mihi clientem? { A te hoc} Petitio. { Nunc quoniam}Repetitio petitionis.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Andronem familiarem suum commendat studiose Seruilio.

M. T. C. P. SERVILIO S. D. 67

EX prouincia mea Ciliciensi, cui scis τρεῖς διοικήσεις * Asiaticas attributas fuisse, nullo sum familiarius usus, quàm Androne Arthemonis filio Laodicensi, eumq; habui in ea ciuitate tum hospitem, tum uehementer ad meæ uitæ rationem, & consuetudinem accommodatum. quem quidem multo etiam pluris posteaquam decesfi, facere cœpi, quia multis rebus expertus sum gratum hominem, meiq; memorem: itaque eum Romæ libentissime uidi, non te enim fugit, qui plurimis in ista prouincia benigne fecisti, quàm multi grati reperiantur. hæc propterea scripsi, ut me non sine causa laborare intelligeres, et ut tu ipse eum dignum hospitio tuo iudicares. feceris igitur mihi gratissimum, si ei declararis quanti me facias, id est si receperis eum in fidem tuam, et quibuscunque rebus honeste, ac sine molestia tua poteris, adiuueris. hoc mihi uehementer erit gratum. idq; ut facias te etiam atque etiam rogo. Vale.

* i. treis iurisdictiones.

ASCENSIVS. EX prouincia &c. Andronē Laodicēsem, familiarem suum in Asiam proficiscentem diligenter commēdat Cic. Seruilio, dicens. Ego nullo sum usus ea prouincia mea Ciliciensi, cui scis treis diœceses, idest iurisdictiones Asiaticas attributas fuisse, familiarius, quam Androne Laodicensi filio Arthemonis,& habui eum in ea ciuitate, scilicet Laodicea, tum .i. pariter hospitem, tum .i. pariter accommodatū .i. applicatum & idoneum uehementer, ad rōnem & consuetudinem uitæ meæ. Quem quidē ego cœpi facere etiā multo pluris postea quam decessi, quod .i. eo quod expertus sum multis rebus, supple eum hominem gratū & memorem mei. Itaq; ego uidi eum libentissime. Non enim fugit te, qui fecisti benigne plurimis in ista puincia .s. tua, quam multi .s. quos scio quod paucissimi inueniantur grati. Ego scripsi hoc propterea, ut intelligeres me laborare, idest solicitū esse non sine causa,& ut ipse iudicares eum dignum hospitio tuo. Tu igitur feceris mihi gratissimum, si declararis pro declaraueris: ei quanti, idest quam magni, aut multi facias, idest æstimes me, idest si receperis eum in fidem tuam, & adiuueris eū quibuscunq; rebus poteris hōeste & sine molestia tua. hoc erit mihi gratū uehemēter, & rogo te ēt atque etiam ut facias id.

SEBAS. CORR. TPεῖς διοικήσεις} treis iurisdictiones. de quibus ad Atticum Cicero ita scribit: In Asiam profectus sum Non. Ia. forum Id. Feb. institueram agere Laodiceæ Cibyraticum,& Apamense ex Id. Mart. ibidem Synnadēse Pamphylium cum Sessameno. de his etiam Plinius lib. V. cap. XXVIII. & XXIX. meminit.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Non est commendatoria, sed responsoria ad literas Seruilii. petit autem ut certior fiat ab eo de rebus prouinciæ. deinde causam dicit, cur minus sæpe de Rep. scripturus sit, postremo officium suum illi pollicetur.

M. T. C. P. SERVILIO ISAVRICO PROCOS. COLLEGÆ S. 68

GRatæ mihi uehementer tuæ literæ fuerunt, ex quibus cognoui cursus nauigationum tuarum: significabas enim memoriam tuam nostræ necessitudinis: qua mihi nihil poterat esse iucundius. quod reliquum est, multo etiam erit gratius, si ad me de Repu. idest de statu prouinciæ, de institutis tuis familiariter scribes. quæ quanquam ex multis pro tua claritate audiam, tamen libentissime ex tuis literis cognoscam. Ego ad te, de Reipub. summa quid sentiam, non sæpe scribam propter periculum eiusmodi literarum. quid agatur autem, scribam sæpius, sperare tamē uideor, Cæsari Collegæ nostro fore curæ, & esse, ut habeamus aliquam Remp. cuius consiliis magni referebat te interesse. sed si tibi utilius est, idest gloriosius, Asiæ præesse, & istam partem Reipub. male affectam tueri: mihi quoque idē, quod tibi, & laudi tuæ profuturum est, optatius debet esse. ego quæ ad tuam dignitatem pertinere arbitrabor, summo studio, diligentiaq; curabo: in primisq; tuebor omni obseruantia clarissimum uirum patrem tuum: quod & pro uetustate necessitudinis, & pro beneficiis uestris, & pro dignitate ipsius, facere debeo. Vale.

ASCENSIVS. GRatæ &c. Cum proficisceretur Seruilius in Asiam prætor, scripserat ad Cice. nauigationem suā, quod hoc ordine sibi placuisse dicit Cicero. Literæ tuæ fuerunt mihi gratæ uehementer, ex quibus cognoui cursum, idest processum nauigationum tuarum. Significabas .n. .s. hoc faciendo, memoriam tuam, idest te memorem necessitudinis nostræ, qua nihil poterat esse iucundius mihi. Quod reliquum est .i. adhuc restat, erit mihi ēt gratius multo, quia utilius si scribes ad me familiariter de Repub & de statu prouinciæ,& sup. de institutis .i. ordinationibus tuis. Quæ quanquā audiam ex multis pro tua claritate .i. propter claritatē tuam, quæ nihil sinit te in occulto agere, tamen cognoscam libentissime ex literis tuis. Ego non scribā sæpe ad te, quid sentiam de summa .i. maxima salute Reipu. propter periculum eiusmodi literarum. Autem .i. sed, ego scribam sæpius quid agatur. Ego tamē uideor sperare fore .i. futurum esse, & esse .s. modo Cæsari Collegæ nostro .i. qui proconsul fuit in Gallia, cum ego essem in Cilicia, curæ, ut habeamus aliquā Rempub. Si dicas ēt tunc cum Cæsar in Gallia esset, aliqua erat Respub. uerum de tempore quo Cæsar quodāmodo coactus ut se,& suos tueretur, Rēpu. inuaserat, loquitur, quā illi fuerat in animo aliquando restituere, Collegam aūt uocat quia quondā simili magistratu functi erant, aut quia iam tunc in aliquo collegio seu augurali, seu consulari simul erant. Cuius .s. Cæsaris consiliis referebat .i. in re & utilitate erat, magni .i. magnopere te interesse .i. præsentem esse, sed si est tibi utilius .i. gloriosius præesse Asiæ & tueri .i. protegere istam partē Reipub. male affectam .i. animatam aut tractatam, idē quod profuturum .i. utile futurum est tibi & laudi tuæ, debes esse quoq; .i. etiā optabilius mihi. Ego curabo summo studio & diligentia .s. summa, ea quæ arbitrabor pertinere ad dignitatem tuam. Et in primis tuebor omni obseruantia .i. ueneratione & custodia patrem tuum uirum clarissimum, quod debeo facere,& .i. simul pro uetustate necessitudinis .i. necessariæ amicitiæ, quæ est mihi cum eo, & .i. simul pro beneficiis uestris .i. tuis & patris & pro dignitate ipsius .s. patris tui.

SEBAS. CORR. ISaurico) P. Seruilius pater cum Isauros in Cilicia domuisset, Isauricus est appellatus: unde filius nunc Isauricus dicitur. nisi forte & ipse id cognominis sibi acquisiuerit. {Collegæ nostro} in auguratu. nam Dion testatur, Cæsarem etiam augurem fuisse.

BERN. RVT. CAesari Collegæ nostro fore curæ) Vide, ne Collegam dicat, quod ipse & Seruilius augures, Cæsar esset Pontifex maximus. Nam quia perpetua ea dignitas erat, ideo plures Ciceroni Collegas peperit: ut M. Antonium, Cornificiū, Appiū, alios: nam ridicula quidem Clerici expositio. Præferri uero superioribus duabus epistolis has literas, ere esse arbitror.

Gratæ

PHIL. MELA. GRatæ mihi uehementer) Εὐχαριστικὴ. Propositio, ago gratias {Quod reliquum est} Petitio uti idem officium præstet. {Quid agatur} Defert similia officia.

GIBERTI LONGOLII LEMMA

Petit a Seruilio, ut Curtii Mithris controuersiam explicet.

M.T.C.P. SERVILIO COLLEGÆ S. 69

CAius Curtius Mithres est ille quidē, ut scis, libertus Posthumii familiarißimi mei: sed me colit, et obseruat æque, atque illum ipsum patronum suum. apud eum ego sic Ephesi fui, quotiescunque fui, tanquā domi meæ: multaq; acciderunt, in quibus & beneuolentiā eius erga me experirer, & fidē: itaque si quid aut mihi, aut meorū cuipiam in Asia opus est, ad hunc scribere consueui, huius cum opera, & fide, tum domo, & re uti, tanquam mea. hæc adeo pluribus scripsi, ut intelligeres, me nō uulgariter, nec ambitiose, sed ut pro homine intimo, ac mihi per necessario scribere. peto igitur à te, ut in ea controuersia, quam habet de fundo cum quodam Colophonio, & in ceteris rebus, quantum fides tua patietur, quantumq; tuo commodo poteris, tantum ei honoris mei causa commodes. etsi, ut eius modestiam cognoui, grauis tibi nulla in re erit. si & mea commendatione, & sua probitate assecutus erit, uti de se bene existimes: omnia se adeptum arbitrabitur. ut igitur eum recipias in fidem, habeasq; in numero tuorum, te uehementer etiam atque etiam rogo. ego, quæ te uelle, quæq; ad te pertinere arbitrabor, omnia studiose, diligenterq; curabo. Vale.

ASCENSIVS. CAius &c. Curtium Mithrem libertum Posthumii familiarissimi sui Cic. commendat Seruilio, ut in quadam controuersia quam habebat cum Colophonio de fundo quodam, eū adiuuet, dicens. Caius Curtius Mithres est ille quidem, uidetur uacare ille, sed quia apte cohæret particulæ quidem, illi coniuoxit, libertus Posthumii familiarissimi mei, sed colit atq; obseruat me, æq; atq;. i. æqualiter, ut illum ipsum. s. Posthumium patronum suū. Ego fui Ephesi in ea ciuitate Asiæ, quotiescunq; fui. s. Ephesi, apud eū. s. C. Curtium sic, tanquam. s. fuissem domi meæ. Et multa acciderunt in quibus experirer & i simul beneuolentiā erga me & fidem. Itaq; si quid opus est, aut mihi, aut cuipiam meorum in Asia, cōsueui scribere ad hunc, & supple consueui uti tum opera & fide huius. s. C. Curtii, tum domo & re, tāquam mea. Ego scripsi hæc ad te eo: idest propterea, pluribus sup. uerbis, ut intelligeres me non scribere uulgariter, idest more uulgi, aut ut de uulgo, nec ambitiose, idest more ambientis, qui digna & indigna ut impetret quod petit obire solet, sed ut pro homine intimo ac pernecessario mihi. Igitur quia honeste possum & ex officio debeo, ego peto a te, ut cōmodes, idest prosis, & te applices ei, causa honoris mei, quia honorificum est magnifieri a magnis uiris, in ea controuersia, idest lite, quam habet de fundo, idest de possessione fundi, cum quodam Colophonio: idest ciue Colophonis oppidi in Ionia, & in cæteris rebus quantum fides. i. æquitas tua patietur, & quantum poteris tuo cōmodo, scilicet saluo. Etsi, ut cognoui modestiam eius, in nulla, idest cū ulla, non erit grauis: idest molestus & onerosus tibi in ulla re, & si assecutus erit &, idest simul, commendatione mea, &: idest simul probitate sua, uti, idest ut, bene existimes, idest iudices de se, hoc est iudices eum bonum, ipse arbitrabitur se adeptum, idest nactum, omnia, scilicet quæ uult. Igitur ego rogo te uehementer etiam atque etiam, idest iterum atq; iterum, hoc est frequenter & diligenter, ut recipias eum in fidem. i. fidelem protectionem tuam, & habeas in numero tuorū. s. amicorum ac necessariorum. Ego curabo omnia studiose. i. affectantes & diligenter, quæ arbitrabor te uelle, quæq;. i. & quæ arbitrabor pertinere ad te.

VICTORIVS. VT intelligeres me non uulgariter, nec ambitiose) omnia uetera exemplaria, {Vulgare} non, uulgariter. Quod licet nō receperimus, (nec enim alibi hoc aduerbium legimus) tamen hic adnotare rectum putauimus. Nam aliis etiam nominibus pro aduerbiis usos esse antiquos compertum est, ut sublime pro sublimiter, & recens pro recenter. Quare non mirum esset, si hic quoque (uulgare) pro (uulgariter) sumptum esset.

BERN. RVTI. TAntum & honoris mei causa commodes) Tantum ei honoris, & cætera, scribo. qua orationis constructione superius persæpe usus. Leue hoc, sed tamen omnibus exemplaribus peruulgatum.

GIBERTI LONGO. LEMMA.

Appium Menandrum & suo & patroni nomine Seruilio commendat.

M.T.C.P. SERVILIO COLLEGÆ S. 70

QVia non est obscura tua in me beneuolentia, sic fit, ut multi per me tibi uelint commendari. ego autem tribuo nonnunquam in uulgus, sed plerunque necessariis, ut hoc tempore: nam cum T. Ampio Balbo mihi summa familiaritas, necessitudoq; est. eius libertum T. Ampium Menandrum, hominem frugi, & modestum, & patrono & nobis uehementer probatum, tibi commendo maiorem in modum. uehementer mihi gratum feceris, si, quibuscunque rebus sine tua molestia poteris, ei commodaris. Quod ut facias, te uehementer etiam atque etiam rogo. Vale.

ASCENSIVS. QVia &c. Excusans uenustè multitudinem commendatorum a se, commendat adhuc Titi Ampii libertum, dicens. Quia beneuolentia tua, in, idest erga me, non est obscura, sic, idest ex eo fit, ut multi uelint commendari tibi per me. Ego autem tribuo nonnunquam, scilicet beneficium commendationis in uulgus, idest uulgares, sed plerunque, idest ut plurimum, tribuo supple necessariis, ut hoc tempore. Nam summa familiaritas & necessitudo, idest necessaria in amicitia coniunctio, est mihi cum Tito Ampio Balbo. Ego commendo tibi in modum, idest formam maiorem, hoc est non uulgarem sed ingentem, libertum eius Titum Ampium, quia liberti patronorum suorum nomina accipiebant: Menandrum hominē frugi. idest utilem & modestum, & probatum: idest probum reputatum uehementer & patrono & nobis. Tu feceris mihi gratum uehementer, si cōmodaris, idest commodum feceris ei, quibuscunque rebus poteris sine molestia tua. Quod ut facias, rogo te uehementer etiā atq; et.

VICTORIVS. CVm Tito Appio Balbo) Nos {Ampio} scripsimus & hic, & paulo post, sed aliis etiam multis locis, eorundem codicum incontaminatam fidem secuti.

BERN. RVT. PVblio Seruilio Sulpitio) Arbitror uacare Sulpitio, ex uarietate s. exemplarium ascitum, aut quia in quibusdam, Seruio Sulpitio inscripta esset. Septuagesimam uero sextam, quæ nunc est, præcedenti epistolæ anteferri conuenit.

PHIL. MELA. QVia non est) Exordium a causa, seu occupatio commendationis. {Nam cum T. Ap.} Narratio. {Vehemēter mihi} petitio.

GIBERTI LONG. LEMMA.

T. Augustum comitem ex illi ualde commendat.

M. T. CICERO P. SERVILIO COLLEGAE S. D. 71

MVltos tibi commendem necesse est, quando omnibus nota nostra necessitudo est, tuaq; in me beneuolētia. sed tametsi omnium causa, quos cōmendo, uelle debeo: tamen cū omnibus non eadē mihi causa est. T. Augustus & comes meus fuit illo miserrimo tēpore, & omnium itinerum, nauigationum, laborum, periculorum meorum socius. neque hoc tempore discessisset à me, nisi ego ei permisissem. quare sic tibi eum commendo, ut unum de meis domesticis, & maxime necessariis. pergratum mihi feceris, si eum ita tractaris, ut intelligat hanc commendationem sibi magno usui, atque adiumento fuisse. Vale.

ASCENSIVS. MVltos &cæ. Rursus se purgans commendat Titum Augustum, dicens. Necesse est supple ut commendem tibi multos, quaodo: idest quandoquidem necessitudo nostra: idest necessaria cõiunctio in amicitia, & beneuolẽtia tua erga me est nota omnibus. Sed tametsi ego debeo uelle .s. quod peto, causa omnium quos commendo, tamen non eadem causa: scilicet petendi est mihi cum omnibus, quia ulius plus, aliis minus debeo, plurimũ antem se debere et quem oune cõmeodat, innuit subdens Titus Aogusios fuit, &, idest simul, comes meus, idest me comitans taoquam minor, illo tempore miserrimo: scilicet exilii mei, aut fugæ cum aliis Pompeiania, & socius meus: idest æqualiter particeps omnium itinerum, naoigationũ, laborũ, periculorum meorum. Neque discessisset a me hoc tempore, nisi ego permisissem ei. Quare ego commendo tibi eum sic, ut unum de do nesticis meis & necessariis maxime. Tu feceris mihi pergratum, si tractaris pro tractaueris eum ita, ut intelligat hanc commendationem fuisse sibi magno usui atq; adiumento.

PHIL. MELA. Multos tibi} Exordium ab occasione commendationum. {T. Augustus} Narratio. {Quare sic tibi} Petitio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Cerelliæ necessariæ negocia Seruilio rursus commendat.

M. T. CICERO P. SERVILIO COLLEGAE S. D. 72

CErelliæ necessariæ meæ rem, nomina, possessiones Asiaticas commendaui tibi præsens in hortis tuis, q̃ potui diligentissime: tuq; mihi pro tua consuetudine, proq; tuis in me perpetuis, maximisq; officiis omnia te facturum liberalissime recepisti. meminisse te id spero: scio enim solere. sed tamen Cerelliæ procuratores scripserunt, te propter magnitudinem prouinciæ, multitudinemq; negotiorum ẽt atque etiam esse commonefaciendum. peto igitur, ut memineris, te omnia, quæ tua fides pateretur, mihi cumulate recepisse, equidem existimo habere te magnam facultatem (sed hoc tui est consilii, & iudicii) ex eo S.C. quod in hæredes C. Venonii factum est, Cerelliæ commodandi, id S.C. tu interpretabere pro tua sapiẽtia: scio. n. eius ordinis authoritatem semper apud te magni fuisse. quod reliquum est, sic uelim existimes, quibuscunque rebus Cerelliæ benigne feceris, mihi te gratissimum esse facturum. Vale.

ASCENSIVS. CErelliæ &cæ. Commendat & Cerelliam mulierem sibi necessariam, qoæ multa habebat in Asia, ubi Seruilius iam ium erat, negotia. Ordo est. Ego commendaui tibi præsens: idest coram, in hortis tuis, quam, idest quantum potui diligẽtissime, rem. i. litẽ, nomina: idest debita per nomina debitorũ notata, & possessiones Asiaticas: idest quas habet in Asia. Et tu recepisti: idest promisisti liberalissime mihi pro consuetudine tua, & perpetois & maximis officiis tuis in me, hoc est conformiter ad ea te facturum omnia. Ego spero te meminisse: idest memoria tenere id: scilicet recepisse, scio enim supple te solere: scilicet meminisse. Sed tamẽ procuratores Cærelliæ scripserunt te esse commonefaciendum etiam atque etiam: idest frequenter & diligenter propter magnitudinem negotiorum: scilicet tuorum in ea. Peto igitur ut memineris te recepisse: idest promisisse mihi cumulate: idest abunde, omnia quæ fides tua pateretur. Equidem: idest ego certe existimo te habere magnam facultatem. Sed hoc est consilii tui: idest pertinet ad consilium tuum, & iudicii: idest ad iudicium tuum commodandi: idest cõmodi faciendi Cerelliæ. Ex eo senatusconsulto: idest uirtute illius senatusconsulti, qood factum est in: idest contra hæredes Caii Venonii, quia quod in unum latum est, potest in consimiles applicari, unde addit, Tu interpretabere id senatusconsultum pro sapientia tua Scio enim authoritatem eius ordinis: scilicet senatoria fuisse semper apud te magni: idest magnæ æstimationis. Quod reliquum est: idest quantum ad id quod restat scribendum, ego uelim supple ut existimes sic quibuscunque rebus feceris benigne: idest faoorabiliter Cerelliæ, te facturum esse gratissimum: idest rem gratissimam mihi.

VICTORIVS. CErelliæ necessariæ meæ} Hæc est Cerellia illa, cum qua familiaritatem habuit senex Cicero, ut non cessarint aduersarii hunc amorem, lusciuasq; epistolas ad illam scriptas ei exprobrare, maximeq; Q. Fusius Calenus perpetuus Ciceronis hostis, ea oratione quam apud Dionem lib. XLVI. habet, dum Antonium defenderet, criminaq; in illum a Cicerone collata dilueret. In qua, eadem acerbitate petulanter in Ciceronem iouectus est Calenus, qua Cicero ante Antonii pessima consilia, & atrocia scelera Senatui exposuit. Nam quod epistolas Cice. Cerelliæ scripserit, & Quinct. lib. VI. narrat his uerbis, etiam illud quod Cice. Cerelliæ scripserit reddens rationem cur illa C. Cæsa. tempora tam patiẽter toleraret. Hæc aut animo Cato ferenda sunt, aut Cice. stomacho.

SEBAS. CORR. CErelliæ} Hanc Ciceronis amicã maleuoli esse dicebãt: quod ut credam de tanto uiro, non ita facile adducor. Illud quidem certe satis constat, hanc Cerelliam libros Ciceronis describere solitam, cum studio Philosophiæ flagraret.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Gratulatoria est epistola, & commendatoria, & petitoria.

M. T. C. Q. PHILIPPO PROCOS. S. 73

GRatulor tibi, quòd ex prouincia saluum te ad tuos recepisti incolumi fama, et Repub. quòd si Romæ te uidissem, coràm gratias egissem, quòd tibi L. Egnatius familiarissimus meus absens, L. Oppius præsens curæ fuisset. Cum Antipatro Derbete mihi non solum hospitiũ, uerum etiam summa familiaritas intercedit. ei te uehementer succensuisse audiui, & molestè tuli. de re nihil possum iudicare nisi illud mihi certe persuadeo, te talẽ uirum nihil temere fecisse. à te autem pro uetere nostra necessitudine etiam atque etiã peto, ut eius filios, qui in tua potestate sunt, mihi potissimum condones: nisi quid existimas in ea re uiolari existimationem tuam: quod ego si arbitrarer, nunquam te rogarem, mihiq; tua fama multò antiquior esset, quàm illa necessitudo est. sed mihi ita persuadeo (potest fieri, ut fallar) eam rem laudi tibi potius, quàm uituperationi fore. quid fieri possit, & quid mea causa facere possis (nã, quin uelis, non dubito) uelim, si tibi graue non erit, certiorem me facias. Vale.

ASCENSIVS. GRatulor &c. Gratulatur Q. Philippo quod bene administrata prouincia, incolumi fama & rep. ad suos se recepisset. Deinde eidem gratias agẽdas u se dicit quod Lu. Oppium præsentem, & Egnatium absentem commendatos habuit. Tum Antipatri reconciliationem, & filiorum eius liberationem ambit honestissimis uerbis hoc ordine. Ego gratulor tibi, quod recepisti te saluum ex prouincia ad tuos, & hoc fama. s. tua incolumi. i. integra, & repub. incolumi. i. salua quod si uidissem te Romæ, egissem gratias, quod Lu. Egnatius familiarissimus meus fuisset tibi curæ absens. i. cum esset absens, & L. Oppius presens. i. cum esset præsens. Non solum hospitium, uerumetiã summa familiaritas intercedit. i. est uinculum necessitudinis mihi, cum Antipatro Derbete. ego audiui te succensuisse. i. iratum fuisse uehementer, & tuli sup. id moleste. i. doleneer. Ego nihil possum iudicare de re. i. de causis irarum, nisi sup. quod persuadeo mihi illud, te talem uirum. i. cum sis talis. i. tam iustus & prudens uir, nihil fecisse temere. i. sine legitima causa. Autem. i. sed ego peto a te etiam atque etiã pro necessitudine nostra uetere, ut condones. i. domo cinitas & libere abire sinas, potissimũ, mihi. i. precibus aut amori meo, filios eius qui sunt in potestate tua, idest detinẽtur a te captiui, nisi existimas, idest iudicas, existimationem. i. reputationem, seu nomen & famam tuam uiolari quid. i. in aliquo, in ea re. i. per eorum condonationem, & in remissione. Quod si ego arbitrarer. s. facturum, ego nũquam rogarem. s. id, & tua fama esset mihi multo antiquior, idest charior, eo quod antiquissimos amicos charissimos habemus, quam est illa necessitudo. s. cum Antipatro hospite. Sed persuadeo mihi ita (potest fieri ut fallar) eam rem fore tibi potius laudi. i. ad laudem, quam uituperationi. i. ad uituperationem. Velim, si nõ erit tibi graue supple, ut facias me certiorem, quid possit fieri, & q̃d uelis facere causa mea, nam non dubito, quin uelis. s. multa facere.

Q. Phi-

SEBAS. CORR.

Q Philippo Procos.) in Cilicia, & quia prouincia consularis erat, & qa L. Oppius Philomeli, ut in epistola XLIII huius libri scriptum est, negotiabatur, quem quoniam sequenti epistola commendat, in hac de eo gratias agit: & in hac gratulatur Philippum saluum in patriã redisse, illa adhuc in prouincia esse ostendit, sequens huic præponenda uidetur. {Ex republi.} ergo ante bellum ciuile. {Romæ te uidissem coram} Al. Romæ fuissem, te uidissem, coramq;.

PHIL. MELÃ. Gratulor tibi) Deprecatoria. Exordium a gratulatione. {Cum Antipatro} Narratio. {A te autem} Deprecatio.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Commendatio eorundem quos præcedente epistola commendarat.

M. T. C. Q. PHILIPPO PROCOS. S. 74

ETsi non dubito pro tua in me obseruantia, proq; nostra necessitudine, quin commendationem meam memoria teneas: tamen etiam atque etiam eundem tibi L. Oppium familiarem meum præsentem, & L. Egnatii familiarissimi mei absentis negotia commendo. tanta mihi cum eo necessitudo est, familiaritasq;, ut, si mea res esset, non magis laborarem. quapropter gratissimum mihi feceris, si curaris, ut is intelligat me à te tantũ amari, quantum ipse existimo. hoc mihi gratius facere nihil potes. idq; ut facias, te uehementer rogo. Vale.

ASCENSIVS. ETsi &c. Commendat rursus Oppium & Egnatium Philippo, dicens. Etsi nõ dubito pro obseruantia tua in me, & pro necessitudine nostra, quin teneas memoria commendationem meam. s. quam nuper feci, tamen ego cõmendo tibi etiam atque etiam eundem L. Oppium familiarem meum præsentẽ. i. qui apud te est, & negotia L. Egnatii familiarissimi mei absentis, quia Romæ agentis. Tanta necessitudo, & familiaritas est mihi cum eo, ut non laborarem magis, si esset res mea. Quapropter feceris mihi gratissimum si curaris pro curaueris, ut is, scilicet Egnatius intelligat me amari a te tantum, quantũ ipse existimo. Nihil potes facere mihi gratius hoc. i. quam sit hoc, & rogo te uehementer ut facias id.

GIBERTI LONG. LEMMA.

C. Auianum Flaccum iterum commendat.

M. T. C. T. TITIO T. F. LEGATO S. 75

ETsi non dubito, quin apud te mea commendatio prima satis ualeat: tamen obsequor homini familiarissimo C. Auiano Flacco: cuius causa omnia tum cupio, tum mehercule et debeo. de quo & præsens tecum egi diligenter, cum tu mihi humanissime respondisti: & scripsi ad te accurate antea. sed putat interesse sua, me ad te quam sæpissime scribere. quare uelim mihi ignoscas, si illius uoluntati obtemperans, minus uidebor meminisse constantiæ tuæ. à te idem illud peto, ut de loco, quo deportet frumentum, & de tempore, Auiano commodes, quorum utrunque per eundem me obtinuit triennium, dum Pompeius isti negotio præfuit. Summa est in quo mihi gratissimum facere possis, si curaris, ut Auianus, quando se à me amari putat, me à te amari sciat. erit id mihi pergratum. Vale.

ASCENSIVS. ETsi Non do. &c Epistola hæc imitatione digna est ad excusandum importunitatem eiusdem commendationis, quam se facere Cicero fatetur, dicens. Etsi nõ dubito quin prima cũmendatio mea ualeat satis apud te, tamẽ obsequor. i. inseruio & morem gero Caio Auiano Flacco homini familiarissimo, cuius causa ego tum, idest pariter, cupio omnia, tum. i. pariter etiam, mehercule, debeo omnia. s. quæ possim illi commodare. De quo &: idest simul, egi tecum diligenter præsens, idest cum præsens tibi essem, cũ tu respondisti mihi humanissime, & scripsi antea ad te accurate. i. cum cura & diligentia. Sed sup. Auianus putat interesse. i. in re esse ac referre sua, me scribere, quam sæpissime ad te. Quare uelim supple ut ignoscas mihi, si ego obtemperans. i. morem gerens uoluntati illius, minus. i. non, aut nõ satis uidebor meminisse. i. memor esse, constantiæ tuæ, qui quod semel promisisti, non prætermittis. Ego item. i. similiter peto a te illud, ut commodes. i. commodum facias & inseruias Auiano, de loco & de tẽpore, quo deportet, idest trãsportet frumentum, scilicet quod uendere uult. Quorum utrunq;, idest & locum & tempus deportandi frumenti, ipse obtinuit triennium, idest per spatium trium annorum, per eundem me, idest per commendationem meam, dum Pompeius præfuit isti negotio. i. rei frumẽtariæ. Summa, scilicet uotorum, aut principalis petitio mea est supple eius, in quo possis facere mihi gratissimum, si curaris pro curaueris, ut Auianus, quando. i. quandoquidem putat se amari a me, sciat me amari a te. Id erit mihi pergratum.

BERN. RVT. Vt de loco, quod deportet frumentum) Quo, melius.

PHIL. MELÃ. Etsi non dubito) Exordium ex causa repetitæ commendationis. {A te idem} Petitio.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Narrat Decurionibus, quantopere Qu. Hippium amet: quibus etiam C. Valgium, ut in agro empto illi auxilientur, commendat.

M. T. C. QVATVOR VIRIS, ET DECVRIONIBVS S. D. 76

TAntæ mihi cum Qu. Hippio causæ necessitudinis sunt, ut nihil possit esse coniunctius, quàm nos inter nos sumus. quòd nisi ita esset, uterer mea cõsuetudine, ut uobis nulla in re molestus essem: etenim uos mihi optimi testes estis, cũ mihi persuasum esset, nihil esse, quod à uobis impetrare non possem, nunquam me tamen grauem uobis esse uoluisse. uehementer igitur uos etiam, atque etiam rogo, ut honoris mei causa liberalissime C. Valgium Hippianum tractetis, remq; cum eo conficiatis, ut, quam possessionem habet in agro Fregellano, à uobis emptam, eam liberam, & immunem habere possit. id si à uobis impetraro, summo me beneficio uestro affectum arbitrabor. Vale.

ASCENSIVS. TAntæ &c. Quatuor uiris & Decurionibus, qui magistratus a numero dicti sunt, commendat Valgium Hippianum, dicens. Tantæ causæ necessitudinis sunt mihi cum Quinto Hippio, qui, ut coniectura consequi possum, aut pater, aut frater, aut summe alioqui necessarius fuit eius quem commendat, aliter enim frustra illius necessitudinis meminerit, ut nihil possit esse coniunctius quam nos sumus inter nos. Credo tamen legendum non quam nos inter nos sumus, sed quam sumus inter nos, idq; Valla astipulante, quod nisi esset ita, uterer consuetudine mea, ut nulla, idest non ulla non essem molestus uobis in ulla re. Etenim: idest nã certe uos estis mihi optimi testes, quanquam persuasum esset mihi, nihil esse quod non possem impetrare a uobis, tamen me nunquam uoluisse esse grauem: idest molestum uobis. Igitur quia cogor, ego rogo uehementer uos etiam, atque etiam, ut causa honoris mei, quia turpe est precantem non exorare, tractetis liberalissime Caium Valgium, sunt qui Valigenum scribant, Hippianum, ergo de domo Hippiorum, & conficiatis, idest finiatis cum eo rem, idest controuersiam, ut possit habere eam possessionem liberam, & immunem. i. nulli oneri obnoxiam, quã habet in agro Fregellano, idest iuxta Fregellas urbem Campaniæ emptã a uobis. Si ego impetraro pro impetrauero a uobis id, ego arbitrabor me affectum. s. a uobis summo beneficio.

PHIL. MELÃ. Tantæ mihi} Exordium a suo officio, unde causam scribendi colligit. {Vehementer igitur uos} Petitio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Principio officium suum, deinde M. Bollanum commendat, postremo petit operam det, ut Dionysius fugitiuus ad herum reducatur.

M. T. C. P. SVLPITIO IMP. S. 77

ASCENSIVS.

CVm his temporibus non sanè in Senatum uentitarem, tamen, ut tuas literas legi, non existimaui me saluo iure nostræ ueteris amicitiæ, multorumq; inter nos officiorum facere posse, ut honori tuo deessem. itaque affui, supplicationemq; tibi lubēter decreui: nec reliquo tempore ullo, aut rei, aut existimationi, aut dignitati tuæ deero. atque ut hoc tui necessarii sciant, hoc me animo erga te esse, uelim facias eos per literas certiores, ut, siquid tibi opus sit, ne dubitent mihi iure suo denuntiare. M. Bollanum, uirum bonum, & fortem, & omnibus rebus ornatum, meumq; ueterem amicum, tibi magnopere commendo. pergratum mihi feceris, si curaris, ut is intelligat hanc commendationem sibi magno adiumento fuisse. ipsumq; uirum optimum, gratissimumq; cognosces. promitto tibi, te ex eius amicitia magnam uoluptatem esse capturum. Præterea à te peto maiorem in modum pro nostra amicitia, & pro tuo perpetuo in me studio, ut in hac re etiam elabores. Dionysius seruus meus qui meam bibliothecam multorum nummorum tractauit, cum multos libros surripuisset, nec se impune laturum putaret, aufugit. Is est in prouincia tua. eum & M. Bollanus familiaris meus, & multi alii Naronæ uiderunt. sed cum se à me manumissum esse diceret, crediderūt. Hunc tu si mihi restituendum curaris, non possum dicere quàm mihi gratum futurum sit. res ipsa parua, sed animi mei dolor magnus est. ubi sit, & quid fieri possit, Bollanus te docebit. ego si hominem per te recuperaro, summo me à te beneficio affectum arbitrabor. Vale.

ASCENSIVS.

CVm his & cætera. Scribit ne deesset honori ipsius Sulpitii, libenter affuisse in Senatu, & ei supplicationem decreuisse. Deinde commendat ei M. Bollanum ueterem amicum suum, dicens. Cum non sane, idest multum uentitarem, idest frequenter irem aut uenirem in Senatum, tamen, ut: idest postquam legi literas tuas, scilicet petentes supplicationem pro re bene gesta, non existimaui me posse deesse honori tuo, idest rei, in qua agatur de honore tuo, saluo iure ueteris amicitiæ nostræ, & multorum officiorum inter nos .i. mutuo exhibitorum. Itaque ego affui, idest præsens fui, & decreui.s. cum aliis, libenter tibi supplicationem: idest ut dicunt rogationem generalem. Nec deero ullo tempore reliquo, idest deinceps, aut rei, aut existimationi: idest famæ, & reputationi, aut dignitati tuæ, atque ut necessarii tui sciant me esse hoc, idest huiusmodi animo erga te, uelim supple ut facias eos certiores per literas, ut siquid sit opus, ne dubitent, idest uereantur, denūciare .i. indicare mihi suo iure .i. audacter quasi suo iure quid denuncient. Ego commendo tibi magnopere M. Bollanum uirum bonum & fortem, & ornatum omnibus rebus .i. ornamētis debitis, & ueterem amicum meum. Tu feceris mihi pergratum .i. rem ualde gratam, si curaris: idest curaueris, ut is intelligat, hanc commendationem fuisse sibi magno adiumento. Et cognosces ipsum supple esse uirum optimum, & gratissimum. Ego promitto tibi te esse capturum magnam uoluptatē ex amicitia eius, scilicet Bollani. Præterea ego peto a te in modum maiorem .i. non uulgarem, pro amicitia nostra, & pro perpetuo studio .i. fauore tuo in me, ut etiam elabores .i. enitaris efficere quod peto in hac re. Dionysius seruus meus, qui tractauit bibliothecam .i. ut dicunt librariam meā multorum nummorum .i. multis nummis emptam, aut constantem, erat enim (ut. V. lib ad Vatinium dictum est) anagnostes .i. lector. cum furripuisset .i. clam abstulisset multos libros, nec putaret se laturum impune, aufugit. is est in prouincia tua. M. Bollanus familiaris, scilicet meus, & multi alii uiderunt eum Naronæ .i. in ea urbe Dalmatiæ. Sed cum diceret se manumissum a me, crediderunt sup. ei. Si curaris hunc restituendum mihi, non possum dicere quam gratum sit futurum mihi. Res ipsa est parua sed dolor animi mei est magnus. Bollanus docebit te ubi sit, & quid possit fieri .s. pro eo comprehendendo. Ego si recuperauero hominem per te, arbitrabor me affectum summo beneficio.

SEBAS. CORR.

PVblio Sulpitio) P Vatinio, ex his quæ hic, & in episto. IX. & X lib. V. sunt scripta, legēdum esse cognoscitur. Etsi in omnibus fere libris ita legitur. Illud me aliquantulū mouet quod Vatinius scribit ante supplicationes decretas sibi dictum, seruum Ciceronis fugitiuum cum Vardeis esse. hic uero Cicero ut rem nouam significat, atque adeo Dionysiū ipsum Naronæ uisum fuisse, unde Vatinius literas dedit.

BERN. RVT.

P Sulpitio Imperatori) Quid, si P. Vatinio? propter epistolas, quæ sunt ab eo ad Ciceronem lib. V. in quibus & de supplicationibus, & de Dionysio multa.

PHIL. MELA.

CVm his temporibus) Tres epistolæ partes, quasi diuersæ epistolæ. {Itaque adfui} Narratio. {M Bollanum} Cōmendatio. {Dionysius set.} Alia narratio. {Hunc tu.} Petitio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA

Democritum Sicyonium, hominem familiaritate dignum ualde commendat.

M. T. C. ALLIENO PROCOS. S. D. 78

DEmocritus Sicyonius non solum hospes meus est, sed etiā, quod non multis cōtingit, Græcis præsertim ualde familiaris: est enim in eo summa probitas, summa uirtus, summa in hospites liberalitas, & obseruātia, meq; præ cæteris & colit, & obseruat, & diligit, eum tu non modo suorum ciuium, uerum etiam penè Achaiæ principem cognosces. huic ego tantummodo aditum ad tuam cognitionem patefacio, & munio. cognitum, per te ipsum, quæ tua natura est, dignum tua amicitia, atque hospitio indicabis. peto igitur à te, ut his literis lectis, recipias eum in tuam fidem, pollicere omnia te facturum mea causa, de reliquo, si (id quod confido fore) dignum eum tua amicitia, hospitioq; cognoueris, peto, ut eum complectare, diligas, in tuis habeas. erit id mihi maiorem in modum gratum. Vale.

ASCENSIVS.

DEmocritus &c. Allienum Proconsulem Græciæ rogat, ut recipiat in amicitiam suam Democritum Sicyoniū, deinde ut si dignus uideatur, rogat eum conseruet & diligat dicens. Democritus Sicyonius est non solum hospes meus, sed etiam ualde familiaris sup. mihi, quod .s. esse mihi familiarem, contingit non multis præsertim græcis. Enim idest quia summa probitas, summa uirtus, summa liberalitas in hospites & obseruantia sup. summa est in eo, & colit & obseruat & diligit me. Auxesis est, præ cæteris .i. ante alios, hoc est plusquam cæteros hospites suos. Tu cognosces eum principem .i. primarium, nō solum ciuium suorum .s. Sicyoniorum, uerumetiam pene .i. quasi totius Achaiæ, ergo Sicyon in Achaia est. Ego patefacio huic tantūmodo aditum ad cognitionem tuam, & innuo .i. significo, cognitū per te ipsum .i. ubi cognosces eum, quæ .i. secundū quod natura tua est: tu iudicabis dignum tua amicitia atque hospitio. Peto igitur a te ut his literis lectis, recipias eum in fidem tuam, sup. & ut pollicere te facturum omnia .s. licita & honesta, causa mea. De reliquo peto, si cognoueris id quod confido fore .i. futurum, eum dignū tua amicitia & hospitio, ut complectare eum, & sup. diligas, ut habeas in tuis .i. in numero tuorum. Id erit mihi gratum in maiorē modū.

ALlieno proco.) in Sicilia, id quod ex epistola sequenti, & ex Oppii commentario de bello Africo facile discas. Nec moueor sane, quod hic Democritū Achaiæ principem uocet, quoniam is quoq; in Sicilia esse potuit. Itaq; dictum recte fuerit in sequenti epistola, Illius dignitatem præsentis ornet. quanuis aliter in Quæstura, aliud secuti, diximus.

Et innuo cognitū) Distingue, patefacio & innuo: uel ut in aliis, munio. Cognitum, per te ipsum, &c.

GIBERTI LONG. LEMMA.

C. Auianum Flaccum, quem prius Q. Philippo, & aliis commendauerat, nunc Allieno ualde probat.

Marco

MARCO TVLLIO CICE. ALLIENO PROCOS. S. D. 79

ET te scire arbitror, quanti fecerim C. Auianum Flaccum: & ego ex ipso audieram optimo, & gratissimo homine, quàm à te liberaliter esset tractatus. eius filios dignissimos illo patre, meosq; necessarios, quos ego unicè diligo, commendo tibi sic, ut maiore studio nullos cōmendare possim. C. Auianus in Sicilia est. Marcus est nobiscum: ut illius dignitatem praesentis ornes, rem utriusque defendas, te rogo. hoc mihi gratius in ista prouincia facere nihil potes. idq; ut facias, te uehementer etiā atque etiam rogo. Vale.

ET te &c. Auianum Flaccum quem supra Titio commēdauit Cicero. commendat nunc Allieno Proconsuli Graeciae, commendans etiam eiusdem liberos, & fratrē M. Auianum, unde hic liber fere cōmendatitius est tanta uarietate, ut torrentē Ciceronianae facundiae nemo, satis miretur. Ordo est: Et. i. simul, aut pariter, seu pariformiter, ego arbitror te scire quanti fecerim: idest aestimarim semper C. Auianū Flaccum. & ego: idest pariter audieram ex ipso: scilicet Auiano, homine optimo, & gratissimo, quam: idest quantum liberaliter esset tractatus a te. Ego commendo tibi filios eius, dignissimos tali, idest tam optimo patre, & necessarios meos, quos diligo unice, idest singulariter, hoc est maxime, quia quos unicos habemus, maximopere diligimus, commendo inquam sic, ut nullos, idest non ullos, nō possim commendare ullos maiore studio, idest affectu, fauore, & conatu. Ca. Auianus est in Cilicia, Mar. scilicet Auianus frater eius est nobiscum, rogo te ut ornes dignitatem illius, scilicet Caii praesentis, scilicet tibi: unde duxi legendum in Ciliciae non Sicilia, & defendas rem utriusque. tu nihil potes facere mihi gratius hoc, idest quam hoc, in ista, scilicet tua prouincia, & rogo te uehementer etiam atque etiam, idest iterum atque iterum, ut facias id, ASCENSIVS.

MARCI TVLLII CICERONIS EPISTOLARVM FAMILIARIVM,

LIBER DECIMVSQVARTVS.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Deflet suam suorumq; calamitatem Cicero, & quam spem redeundi ab exilio habeat, ostendit. Postremo dissuadet uillae uenditionem Terentiae.

M. T. C. TERENTIAE, ET TVLLIOLAE ET CICERONI SVIS S. P. D. 1

ET literis multorum, & sermone omnium perfertur ad me, incredibilem tuam uirtutem, & fortitudinem esse, teq; nec animi, nec corporis laboribus defatigari. me miserum, te ista uirtute, fide, probitate, humanitate, in tātas aerumnas propter me incidisse: Tulliolamq; nostram, ex quo patre tantas uoluptates capiebat, ex eo tantos percipere luctus? nā quid ego de Cicerone dicam? qui cum primū sapere coepit, acerbissimos dolores, miseriasq; percepit. quae si, ut tu scribis, fato facta putarem, ferrem paulo facilius. sed omnia sunt mea culpa commissa, qui ab iis me amari putabam, qui inuidebant: eos non sequebar, qui petebāt. quòd si nostris consiliis usi essemus, neque apud nos tantum ualuisset sermo aut stultorum amicorum, aut improborum: beatissimi uiueremus. nunc quando sperare nos amici iubent, dabo operam, ne mea ualetudo tuo labori desit. res quanta sit, intelligo, quantoq; fuerit facilius manere domi, quàm redire. sed tamen si omneis Tribunos pleb. habemus, si Lentulum tam studiosum, quàm uidetur, si uero etiam Pompeium, & Caesarem, non est desperandum. De familia, quomodo placuisse amicis scribis, faciemus. De loco, nunc quidem iam abiit pestilentia: sed quandiu fuit, me non attigit. Plācus homo officiosissimus me cupit esse secum, & adhuc retinet. ego uolebam loco magis deserto esse in Epiro, quò neque Hyspo ueniret, nec milites: sed adhuc Plancus me retinet: sperat posse fieri, ut mecum in Italiam decedat. quem ego diem si uidero, & si in uestrum complexum uenero, ac si & uos, & me ipsum recuperaro: satis magnum mihi fructum uidebor percepisse & uestrae pietatis, & meae. Pisonis humanitas, uirtus, amor in omneis nos tantus est, ut nihil supra possit. utinā ea res ei uoluptati sit: gloriae quidem uideo fore. De Q. fratre nihil ego te accusaui. sed uos, cum praesertim tam pauci sitis, uolui esse quàm coniunctissimos. Quibus me uoluisti agere gratias, egi, & me à te certiorem factū esse scripsi. Quod ad me mea Terentia scribis, te uicum uendituram: quid, obsecro te (me miserum) quid futurum est? & si nos premet eadem fortuna, quid puero misero fiet? non queo reliqua scribere (tanta uis lachrymarum est) ne te in eundem fletum adducam. tantū scribo: si erunt in officio amici, pecunia non deerit, si nō erunt, tu efficere tua pecunia non poteris. per fortunas miseras nostras uide, ne puerum perditum perdamus. cui si aliquid erit, ne egeat, mediocri uirtute opus est, & mediocri fortuna, ut caetera consequatur. Fac ualeas, & ad me tabellarios mittas, ut sciam quid agatur, & uos quid agatis. mihi omnino iam breuis expectatio est. Tulliolae, & Ciceroni salutem dic. Valete. Dat. ante diem VI. Cal. Dec. Dyrrhachii. Dyrrhachium ueni, quod & libera ciuitas est, & in me officiosa, & proxima Italiae: sed si offendet me loci celebritas, aliò me conferam, & ad te scribam.

ET literis &c. Huius decimi quarti libri epistolae uno fere suut argumento ad Terentiam uxorem Ciceronis missae, quo tempore erat in exilio. Sed in hac prima dolet & ingemiscit quod sua culpa Terentia in tantas miserias literis suis coniecta sit. Ostendit deinde in quibus spem reditus habeat, ac demum obsecrat ne uillam uēdat. Ordo est. Perfertur ad me ex literis multorum, i. qui ad me scribunt, & ex ASCENSIVS.

sermone omnium.s.qui de te loquuntur,uirtutem,& pro,idest for-titudinem tuam esse incredibilem.i.tam magnam ut nemo credere possit,id autem scribit Cice.ut talis esse uelit:interdum enim dum immerito laudamur,erubescimus nos tales non esse quales prædicamur.Erat autem reuera mulier parũ pudica & rei familiaris dissipatrix,quam repudiatam Salhustius factus Cic.inimicus duxit ut secreta eius rimaretur ea ea.Et fertur ad me te nec laboribus animi ut curis & solicitudinibus,nec laboribus corporis defatigari.i. ad extremum ultra quod nil possis fatigari. Me miserum : minor est excandescentia & minus pathos inducitur quam si dixerit, O me miserum:te.s.præditam uirtute,fide,probitate,humãitate,incidisse in tãtas ærumnas i.calamitates & miserias propter me,& Tulliolã. blandiendi gratia utitur diminutiuo, nostram.s.communem filiam percipere tantos luctus ea eo patre, ex quo patre capiebat tantas uoluptates.Quia Cic. eam usq; ad notam adamasse dicitur, casto tamen(ut boni interpretantur)amore.Nam quid dicam ego,de Cice.s.communi filio,qui cum cœpit primum sapere.i.aliquid intelligere,percepit.s.ex patre,acerbissimos dolores & miserias. Quia ergo minor natu erat quam Tullia,eum postremum in salutatione ponit & nunc commemoras. Quæ : scilicet mala aduersa, si ego putarem(ita ut tu scribis) facta esse fato:idest ea constituto uoluntatis & fati : idest dicti deorum , ego ferrem paolo : idest modico facilius,immo si qua fato fieri scit enius modestissime ferẽda essent sed nouit Cice.se hominem,nec posse tantam suorum calamitatem æquo animo ferre,sed omnia sunt commissa mea culpa.i.errore,non tamen peccato qui)nota relationem fieri ad primitiuum cũ tamẽ poni non possit.s.ego,cum dictum sit mea)putabam me amari ab iis,qui inuidebant,& non sequebar eos,qui petebant,idest expetebant amicitiam & amorem meum. quod si usi fuissemus consiliis nostris:idest si fecissemus,quod iudicabamus faciendum, neq; sermo.i.oratio,aut amicorum stultorum, si nescierunt se perperam consulere,aut improborum,si scierunt, ualuisse tantum.s.quantũ ualuit apud nos,nos uiueremus beatissime.Nunc quando.i.quoniã amici iubent nos sperare.i.habere spem de reditu in gratiam, dabo operam ne ualitudo pro ualetudo. aut ualetudo a ualendo ducto uocabulo,est enim secunda longa,mea desit.i.non respondeat labori tuo.Ego intelligo quanta.i.quantæ difficultatis res sit,& quã eo facilius fuerit manere domi quam redire:scilicet domum. Sed tamen si habemus omnes Tribunos ple. supple studiosos & fauentes, si habemus Lentulum:scilicet cõsulem ad quem primi libri epistolæ,tam studiosum:scilicet nostri,quam:idest quantũ uidetur: scilicet studiosus esse,si uero habemus etiam Pompeium & Cæsarẽ supple studiosos, non est desperandum : scilicet de reditu. Nos faciemus de familia quo modo scribis placuisse amicis.De loco, scilicet quem dicis fugiendum,pestilentia quidem abiit nunc,sed non attigit me quãdiu fuit.Plancus homo officiosissimus cupit me esse secum,& retinet adhuc Ego nolebam esse in Epiro, loco magis deserto.s.a frequentia notorũ,quo neque ipse,scilicet præcipuus hostis noster,alii legunt,Hyspo ueniret,nec milites supple uenirent. Sed Plancus,(ut opinor) teror retinet me adhuc, & sperat posse fieri ut decedat mecum in Italiam Quem diem si ego uidero, & si uenero in cũplexum uestrum,ac si recuperauero uos & meipsum, ego uidebor percepisse satis magnum fructũ pietatis,i. pii amoris, & uestræ.i.tuæ & liberorum in me,& meæ.s.in uos. Humanitas,uir eius,amor,Pisonis s.generi nostri Crassipedis, est tantus in nos oẽs, ut nihil possit esse supra. Utinam ea res sit ei uoluptati, uideo quidem fore gloriæ i.futurum ad gloriam eius. Ego nihil accusaui te, In aliis literis,de Q.fratre.i.quod non adhibuistis eum consiliis uestris,sed uolui uos,præsertim cum essetis tam pauci, esse quam coniunctissimos,idest uiuere maxime unanimes. Ego egi gratias supple iis quibus uoluisti me agere.s.gratias, & scripsi me esse factum certiorem a te.s.de eorum in nos fauore aut meritis, Quod o mea Terentia,scribis ad me, te uendituram uicum.i. uillam totam quam habemus in agro,quid obsecro te, quid futurum est, me i. o me miserum.Etsi eadem fortuna premet nos, quid fiet puero misero.s.Cice. Non queo (nimis) amanter omnia scribit, ita ut etiam mollioris animi notatus sit)reliqua scribere, tanta uis.i tam uehemens copia lachrymarum est,ne adducam te in eundem fletum. Tantum.i.duntaxat scribo supple id,si amici erunt in officio, idest facient quod debebunt,pecunia non deerit.s.nobis ad reditum cõparandum,pro quo simulabat Terentia se uelle uendere uillam, si supple amici non erunt supple in officio,tu non poteris efficere.s. ut sint in officio,tua quam prætendis,pecunia.i. per pecuniã tuã. Vide.i.prospice,supple rogata aut obsecrata per fortunas miseras, ne perdamus puerum perditum.s.destitutum auxilio paterno Cui ,s.puero,si aliquid.s.rei erit,ne egeat, opus est mediocri uirtute & mediocri fortuna,ut consequatur cætera,quæ.s.ad gloriam, & dignitatem pertinent.Fac supple ut ualeas & mittas tabellarios,idest nuncios scripta in tabellis perferentes,ut sciam quid agatur, scilicet Romæ de me,& quid uos agatis. Omnino breuis expectatio.s. literarum tuarum est mihi iam. Dic Tulliolæ.s.filiæ lepidissimæ,& Cic filio salutem.Datum Dyrrhachii.i.in eo oppido Macedoniæ, quod etiam Epidãnum dictum uolunt,ad VI.Calend. Decembr.

Ego ueni.i.applicui me Dyrrhachium,quod &.i. simul est ciuitas libera,& ita non obnoxia Ro.imperio & officiosa in me, & proxima Italiæ,sed si celebritas.i.celebris frequentia loci offendet me.i. non placebit mihi.Ex hoc uidetur Cicero aut fugisse aut proscriptus esse,& non habere locum exilii in quo tutus sit,ego conferam me alio.i.ad alium locum,& scribam ad te.

VICTORIUS. IN hoc libro hoc in primis adnotandum existimo, nullo certo ordine epistolas quas continet,collocatas esse, quod ignorati magnopere improuidum lectorem perturbare posset:& quantũ ego perspexi,tria sunt tempora,quibus ad Terẽtiam epistolas scripsit Cicero:de his loquor,quæ nunc inueniuntur:cum in exilium pulsus est,cum in Prouinciam Ciliciam Procos.missus, cum bellũ ciuile inter Cæsarem Pompeiumq; exortum,ac gestum est:nã post aduersum in Pharsalia prælium,cum in Italiam redisset,non multo post uxori nuntiũ remisit:primas quatuor sine dubitatione scripsit,cum a Clodio e patria eiectus est {Quo neque Hyspo ueniret, nec milites} Nos uulgatorum codicum lectionem nõ mutauimus, quia nihilo meliorem in uetustis inuenimus.est autem nobis obscurum quis hic Hyspo fuerit,quẽ fugiebat. Mediceus, & Petrarchæ codex {Iplo} habent pro {Hyspo} eruditiores hunc locum diligentius uidebunt.

BERN. RUT. TErentiæ & Tulliæ & Ciceroni suis) Vel Terentiæ, ex sensu,inscribi oportuit.Quatuor uero hæ primæ epistolæ ita digerendæ sunt,ex dierum.s. ac rei gestæ ordine, ut quæ quarta nunc est,in primum locum ueniat:quæ secunda,eodem maneat,quæ prima in tertium:quæ tertia in quartum abeat.Id ita esse deprehendet,qui librum tertium Epistolarum ad Atticum diligentius inspiciat.Neque uero sunt omnes ab exule Cicerone scriptæ libri huius literæ,sed quatuor tantum primæ in quo repuerascit Cicero Ego,ut ante sum testatus,ad sententiam Ciceronis(quod ego unum quæro hoc opere)consequendam,maximo arbitror seriem epistolarum per tempora sua seruatam adiumento esse,atque decori:Itaque regrediar,& primam illam,quæ esse debuit constituam.

SEBAS. CORR. VOluptates capiebat)ante exilium.{Ea eo) exule.{Ab iis me amari)Catone,Hortensio,& aliis.{Eos non sequebar) Põpeiũ,Cæsarẽ,& Crassum.Epist.VIII.lib.I.{Si Lẽtulũ) lib.I {De familia)epist.IIII huius lib.{Plancus)Cn.Plãcius in Macedonia,Quæstor,pro quo extat oratio.{Nec milites)quorũ, & suorũ hostium refertam fuisse Græciam,in oratione pro Plancio scribit.{In Italiam decedat)id enim sibi magno honori fore sperabat.{Pisonis)generi. {Ante diem.VI. Calend.) Al. ad. VI. Calend.

BERN. RUTI. PLancus homo officiosissimus me cupis esse secum)Plancus quidem hic Thessalonicæ habitauit,quantum ex literis ad Atticum lib.III.colligas.ut ueteat,ne duæ epistolæ in unã coierint.nam ex Dyrrhachio datas apparet, quo se Thessalonica contulit.Ipse ad Atticum:Ego,inquit,propter uiæ celebritatem et quotidianam expectationem rerum nouarum, non commoui me adhuc Thessalonica.Sed iam extrudimur,non a Planco,nã is quidem retinet,&c.

PHIL. MELA. ET Literis multorum)Exordium,captat beneuolentiã a laude cõstantiæ {Me miserum) πάθος.{Quæ si ita) πάθος, auget ex causa indignitatem,mea culpa sunt contracta.{Nunc quando)Narratio.{Quem ego diem πάθος.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Principio excusat se,cur breuius ad Terentiam scribat: deinde conqueritur de sua,suorumq; desolatione,& quam ægre acceperit proscriptas fuisse res suas, exponit.Postremo etiam dissuadet,ne sumptum in ædificando faciat,sed ualetudinem suam curet.

M. T. C. TERENTIÆ, ET TULLIOLÆ, ET CICERONI SUIS S. P. D.

a

NOli putare me ad quenquã longiores epistolas scribere,nisi siquis ad me plura scripsit,cui puto rescribi oportere:nec enim habeo,quod scribam:nec hoc tempore quicquam difficilius facio.ad te uero, & ad nostram Tulliolam non queo sine plurimis lachrymis scribere:uos enim uideo esse miserrimas,quas ego beatissimas semper esse uolui:idq; præstare debui,& nisi tam timidi fuissemus,præstitissem.Pisonem nostrum merito eius amo plurimum;eum,ut potui,per literas cohortatus sum, gratiasq; egi, ut debui.

debui. In nouis Tribunis plebis intelligo spem te habere. id erit firmum, si Pompeii uoluntas erit sed Crassum tamen metuo. à te quidem omnia fieri fortissime, & amantissime uideo. nec miror: sed mœreo casum eiusmodi, ut tantis tuis miseriis meæ miseriæ subleuentur: nam ad me P. Valerius homo officiosus scripsit, id quod ego maximo cum fletu legi, quemadmodum à Vesta ad tabulam Valeriam ducta esses. hem mea lux, meum desiderium, unde omnes opem petere solebant, te nunc mea Terentia sic uexari, sic iacere in lachrymis, & sordibus, idq; fieri mea culpa, qui cæteros seruaui, ut nos periremus? Quod de domo scribis, hoc est de area: ego uero tum denique mihi uidebor restitutus, si illa nobis erit restituta. uerum hæc non sunt in nostra manu. illud doleo, quæ impensa facienda est, in eius partem te miseram, & despoliatam uenire. quod si conficitur negotium, omnia consequemur. sin eadem nos fortuna premet, etiam ne reliquias tuas misera proiicies? obsecro te mea uita, quod ad sumptum attinet, fine alios, qui possunt si modo uolunt, sustinere: & ualetudinem istam infirmam, si me amas, noli uexare: nam mihi ante oculos, dies noctesq; uersaris: omneis labores te excipere uideo, timeo, ut sustineas: sed uideo in te esse omnia. quare ut id, quod speras, & quod agis, consequamur, seruï ualetudini. Ego, ad quos scribam, nescio, nisi ut ad eos, qui ad me scribunt, aut ad eos, de quibus ad me uos aliquid scribitis. Lõgius, quoniam uobis ita placet, non discedam: sed uelim quam sæpissime literas mittatis, præsertim siquid est firmius, quod speremus. Valete mea desideria, ualete. Datum ad III. Non Octob. Thessalonicæ.

ASCENSIUS. NOlli &c. Excusat se de breuitate literarum, cum ad omnes alios, tum uero ad uxorem suam, ad quam dicit se non posse scribere sine multis lachrymis. Deinde dicit se dolere, quod intelleait eam a quibusdam uexatã esse, cum id fiat culpa sua. Postremo suadet ne sumptũ ædificando faciat, monetq; ut ualetudinem curet. Ordo est: Noli pu a te me scribere ad quequam epistolas longiores. s. quam ad te. aut longiores. i. aliquantulum longas. nisi siquis scripsit ad me plura. i. ualde multa, cui puto oportere rescribi. s. a me. Nec enim habeo, quod scribam. nec facio hoc tempore quicquam difficilius. i. inuisius s. quam scribere. Vero. i. sed, non queo scribere ad te, & ad Tulliolam nostram. s. filiam lepidulam, sine plurimis lachrymis. Ego enim uideo uos esse miserrimas, quas ego uolui semper esse beatissimas, & debui præstare. i. efficere id. s. ut beatissimæ sitis. & præstitissem, nisi fuissemus tam timidi. Ego amo plurimum Pisonem nostrum. s. generum, merito eius. Ego cohortatus sum eum per literas ut potui, & egi gratias, ut debui. Ego intelligo te habere spem. s. reductionis meæ, in nouis Tribu pleb. i. proxime creandis. id s. spei erit firmum, si uoluntas Pompeii. s. aderit. sed tamẽ timeo Crassum, etenim illi tres, Pompeius, Crassus, & Cæsar tunc principes erant in Senatu. Ego uideo omnia fieri quidem. i. certe a te ut de aliis taceam, aut dubitem, fortissime, & amantissime nec miror, sed mœreo. i. doleo causam eiusmodi: ut meæ miseriæ subleuentur i minuantur, tantis miseriis tuis. Nam P. Valerius homo officiosissimus scripsit ad me, id quod legi cum maximo fletu, quemadmodum ducta esses a Vestæ. s. templo aut æde, ad tabulam Valeriam. i. eam, in qua scripta erat lex Valeria de uendendis bonis proscriptorum, ac profugorum, ut ea lecta ad uenditionem bonorum compellaris. Hem: flentis uox. O Terentia mea, lux mea, desiderium meum, unde. i a qua, omnes solebant petere opem. i. auxilium, quia per coniuges sæpe ad uiros aditus patefecit. te uexari sic. i. dignumne est, aut ferendum, aut diis placitum? Est enim figuratum, & elegans Pathos, ut in illo Pacuuiano, quod in Cæsaris commiserationem recitatũ est. Me seruasse: ut essent, qui me perderent. & sup. te iacere sic in lachrymis, & sordibus. & id fieri mea culpa, non quidem peccati, sed negligentiæ, aut meticulositatis, qui seruaui cæteros. s. a cõiuratione Catil. ut nos periremus manifeste. Alludit ad illud quod modo citaui Pacuuianum. Quod scribis de domo. i de area, quia uidetur domus fuisse direpta, sup. soluenda ab hypotheca, aut potius fisco, ego uero. i. certe uidebor mihi deniq; tum. i. tunc restitutus. i totus in pristinum statum reductus, si illa erit restituta nobis. Verũ hæc nõ sunt in manu. i. potestate nostra, quia ut dixi, in manu fisci erãt. Ego doleo illud sup. te miseram & spoliatam. s. bonis omnibus, uenire sup. in impensam, quæ impensa facienda est in parte eius. i. in separatione alterius, quam ut opinor Terentia nomine dotis sibi uendicarat. quod si negotium conficitur. i. si restituimur, nos consequemur omnia. s. ablata. Sin. i. sed si, eadem fortuna premet nos, obsecro te. i. quæso a te o uita mea, quod blande dicitur, sed blandius dicitur græce, iuxta illud Iuue. Quoties lasciuũ interuenit illud: Ζωὴ καὶ ψυχὴ i. uita & anima. s. mea, ne. i. an, tu misera. i. miseranda. Proiicies. i. ultro perdes etiam reliquias tuas. i. quod tibi fortunarũ relictum est. Si esset proiicias, tunc exponerem, obsecro. i. per sacra rogo ne proiicias &c. Quod. i. quantum attinet ad sumptum. s. faciendum, &. i. simul sine. i. permitte alios, ut Pisonẽ & fratrẽ sustinere. s. onus, q possunt si mõ. i. dũmodo uolint, & noli uexare. i. nimiũ torquere ualetudinem tuam infirmam, si amas me. Nam uersaris. i. præsentaris mihi ante oculos, dies & noctes. Ego uideo te excipere. i. ex aliis adsumere omnes labores, timeo ut. i. ne non sustineas. i. possis sustinere, Sed uideo omnia. s. auxilia aut bona nostra esse in te. Quare ut consequamur id quod speras, & id quod agis. i. moliris adsequi, serui. i. inserui ualetudini Ego nescio ad quos scribam, i. scribere debeam, nisi aut ad eos qui scribunt ad me, aut ad eos de quibus uos scribitis aliquid ad me. Ego non discedã longius, quoniam ita placet uobis, sed uelim sup. ut mittatis literas quam sæpissime, præsertim siqd est firmius quod speremus. Valete o desideria mea, ualete. Datum ad III. Nonas Octob. Thessalonicæ. quæ est ciuitas Macedoniæ.

VICTORIUS. IN Nouis Tribu pleb. Intelligo spem te habere) Auxilio huius maxime loci & alterius, qui in sequenti epist. huic par est, emẽdatur locus inquinatissimus in epistola ad Q. Fratrem, qui in cunctis, & impressis, & manu scriptis codicibus eodem pacto deprauatus est. Denotius autem Tribunus plebis est ille quidẽ in me officiosissimus Sestius, & spero. &c Sic enim legendum est. De nouis autem Tribunis plebis est ille quidem in me officiosissimus Sestius. Quamuis coniectura tantum, ac iudicio ductus ita legẽdum esse uiderim, non arbitror, propter claritatem quam res habet, me temerarium iudicatum iri, qui omnino affirmem ita legi debere.

SEBAS. CORR. CRassum tamen me.} Epist. VIII. lib. I. {A Vestæ} Al. a Vesta. {Ad tabulam Valeriam) sic ad Tabulam sextiam dicit in oratione pro P. Quintio. {Si illa} Al. si ulla {Ne sustineas} Al. ut sustineas.

PHIL. MELA. NOli Putare) Exordium, comparatio: quod nulli longiores epistolas scribat: {Nec enim habeo} ἀπολογία πιθανή, {Pisonem nostrum} Narratio. {Hem mea lux} Amplificatio indignitatis.

GIBBRTI LONGOLII LEMMA.

Conqueritur & hac epistola, quod culpa sua & ipse & sui in mœroribus sint. deinde ad uarii capita literarum uxoris respondet. Postremo dicit se cupere certiorem fieri, quid de sua restitutione agatur.

M. T. C. TERENTIAE, ET TVLLIOLAE, ET CICERONI SVIS S. P. D. 3

ACcepi ab Aristocrito treis epistolas, quas ego lachrymis propè deleui: conficior enim mœrore mea Terentia: nec me meæ miseriæ magis excruciant, quàm tuæ, uestræq;. ego aũt hoc miserior sum, quàm tu, quæ es miserrima, q. ipsa calamitas communis est utriusq; nostrum, sed culpa mea propria est. meum fuit officium, uel legatione uitare periculum, uel diligentia, & copiis resistere, uel cadere fortiter. hoc miserius, turpius, indignius nobis nihil fuit. quare cum dolore conficior, tum etiam pudore: pudet enim me uxori meæ optimæ, suauissimis liberis uirtutem, & diligentiam non præstitisse: nam mihi ante oculos dies noctesq; uersatur squalor uester, & mœror, & infirmitas ualetudinis tuæ: spes aũt salutis pertenuis ostenditur. inimici sunt multi, inuidi penè omnes. eiicere nos magnum fuit, excludere facile est. sed tamen quãdiu uos eritis in spe, non deficiam, ne omnia mea culpa cecidisse uideantur. Vt tuto sim, quòd laboras, id mihi nunc facillimum est, quem etiam inimici uolunt uiuere in tantis miseriis. ego tamen faciam, quæ præcipis. Amicis, quibus uoluisti, egi gratias, & eas literas Dexippo dedi: meq; de eorum officio scripsisse à te certiorem esse factum. Pisonem nostrum mirifico esse studio in nos, & officio, & ego perspicio, et omnes prædicant: Dii faxint, ut tali genero mihi præsenti tecum simul, & cum liberis nostris

frui liceat. nunc spes reliqua est in nouis Trib. pleb. & in primis quidem diebus: nam si inueterarit, actum est. ea re ad te statim Aristocritum misi, ut ad me cõtinuò initia rerum, & rationem totius negotii posses scribere: etsi Dexippo quoque ita imperaui, statim ut recurreret: & ad fratrem misi, ut crebro tabellarios mitteret: nã ego eo nomine sum Dyrrhachii hoc tempore, ut quam celerrime, quid agatur, audiam, & sim tutò: ciuitas enim hæc semper à me defensa est: cum inimici nostri uenire dicẽtur, tum in Epirum ibo. Quod scribis, te, si uelim, ad me uenturam: ego uero, cum sciã magnam partem istius oneris abs te sustineri, te istic esse uolo. si perficitis quod agitis, me ad uos uenire oportet. sin autem, sed nihil est opus reliqua scribere. ex primis, aut ad summum secundis literis tuis constituere poterimus. quid nobis faciendum sit. tu modo ad me uelim omnia diligentissime perscribas: etsi magis iam rem, quàm literas debeo expectare. Cura ut ualeas, & ita tibi persuadeas, mihi te charius nihil esse, nec unquam fuisse. uale mea Terentia, quam ego uidere uideor, itaque debilitor lachrymis. Vale. Prid. Calen. Decem. Dyrrhachii.

ASCENSIVS.

ACcepi &c. Iserũ sibi dolori esse scribit quod culpa sua sit causa doloris uxori, & liberis, & quod ignaue discesserit, cum potuerit remanere in patria, si uoluisset se inimicis opponere Dicit se facile uitam iurari, cum etiam hostes ipsum sic uiuere uelint, certior autem fieri uult quid pro se egerint Ordo est: Ego accepi ab Aristocrito. i. quas Aristocritus libertus noster attulit, tres epistolas, quas ego propè. i. fere deleui lachrymis. Enim. i. quia o mea Terentia, ego conficior. i. pereo mœrore. i. tristitia, nec meæ miseriæ excruciant me magis quam tuæ & uestræ. s. omnium, hoc est & tuæ & liberorum. Ego autẽ sum hoc. i. tanto, aut in hoc miserior, quam tu quæ es miserrima quod ipsa calamitas est communis utriusq; nostrum, sed culpa est mea propria. i. mea solius, Officium meum fuit euitare periculum s. exilii aut proscriptionis, legatione. s. causa honoris in aliquam prouinciã impetrata, ut pluribus contingebat, uel resistere. s. periculo, diligentia, & copiis. i. manu armata, uel cadere fortiter, si resistere nequissem Nihil fuit nobis miserius, turpius, indignius, hoc. i. quã hoc quod patimur. s. modo. Quare cũ s. ita sit quod afficior dolore, tum etiam sup. afficior & multo magis pudore. Pudet enim me, non præstitisse. i. exhibuisse uxori optimæ, & liberis suauissimis uirtutem. i. fortitudinem animi, & diligentiam s. in resistendo aduersariis. Nam squalor. i. sordities, & situs uester, & mœror i. mœstitia, & infirmitas ualetudinis tuæ uersatur mihi ant[e] oculos, dies & noctes Autem. i. sed spes salutis ostenditur [illegible] i. ualde tenuis. Multi sunt inimici. s. aperti, & pene o[mnes su]nt inuidi. i. inuidentes gloriæ meæ. Magnũ fuit eiicere [illegible] potuissem resistere: facile est excludere. s. eiectum. Sed [illegible] quandiu uos eritis in se. s. restitutionis meæ, ego non d[eseram] s. in procuranda salute, ne omnia. s. & exilium, & mansio [in] exilio uideantur cecidisse culpa mea. i. per culpa in meam. Id quod laboras modo s. ut sim tuto i in loco toto: est mihi nunc facillimum, utpote, quem etiã inimici uolunt uiuere in tantis miseriis quæ morte finientur: quia ut dicit Flaccus in epistolis, mors ultima linea rerum omnium Ego tamen faciam sup. ea quæ præcipis Ego egi gratias sup illi. amicis quibus uoluisti. Et dedi Dexippo s. domestico nostro, eas literas sup. quas uoluisti, & scripsi me esse factum certiorẽ a te de officio eorum. s. quos mihi significasti. Et. i. simul ego perspicio & omnes prædicant Pisonem nostrum. s. generum, esse mirifico studio & officio in. i. erga nos. Dii faxint. i. faciant ut liceat mihi frui tali genero, præsertim simul tecum & cum liberis nostris. i. prole legitima Nunc spes reliqua est in nouis Trib. pleb & quidem in primis diebus. s. magistratus eorũ. Nam si inueterarit. i. in obliuionẽ res abierit, actum est i: nulla spes est reliqua Ea re. i. propterea ego misi statim ad te Aristocritum, ut posses scribere continuo ad me initia rerum & rationes totius negotii. Et imperaui quoque Dexippo ita ut recurreret statim, & misi ad fratrem s. Quintum, ut mitteret crebro. i. frequenter tabellarios . i. nuntios literarum. Nam ego sum Dyrrhachii. i in eo oppido Macedoniæ hoc tempore, eo nomine. i. ea ratione ut audiam quam celerrime quid agatur. s. de me Romæ, & sim tuto. i. extra periculum, & in loco toto. Ciuitas enim hæc est defensa semper a me, cum. i. quando inimici nostri dicentur uenire: tum. i. tunc ibo in Epirum. Quod scribis te uenturam ad me si uelim, ego uero. i. reuera cum sciam magnã partem istius oneris sustineri abs te, uolo te esse istic, idest ubi nunc es, hoc est Romæ, Si perficitis. s. tu & tui adiutores [q]uod agitis. i. prætenditis, hoc est reditum meum, oportet me uenire ad uos Sin autem. i. sed si, supple non perficitis, uoluit dicere miserrimum esse eam in exilio uiuere aut exulem sequi, aut quid simile quod per aposiopesim decenter reticet, subdens: Sed nihil est opus scribere reliqua Nos poterimus cõstituere. i. decernere ex primis aut ad summum. i. maximum numerum ex secundis literis tuis quid sit faciendum nobis. Velim modo. i. solum modo supple ut tu perscribas ad me omnia diligentissime, & si. i. tametsi, ego debeo iã magis expectare rem, scilicet optatam, quam literas. s. eam significãtes. Cura ut ualeas & persuadeat tibi ita, nihil esse mihi charius te, neq; fuisse unquã. O mea Terentia, Vale quam ego uideor. s. per phantasiam ex desiderio coram uidere. Itaque. i. & ita, debilitor. i. fio debilis lachrymis. i. ob lachrymas. Pridie Calend. Decemb.

SEBAS. CORR.

LEgatione) a Cæsare præsertim oblata. {Resistere) aduersariis, & Clodio in primis. {Inimici nostri) Epistola. I. huius libri. {Calend. Decemb. Dyrrhachii) Al. Calen. Decemb.

BERN. RVT.

Si perficitis, quid agitis) Quod agitis, ut sæpe docuimus, scribendum, itaque alii habent codices.

PHIL. MELã.

ACcepi Ab Aristocrito) Exordium, Collatio: mea calamitas maior, quia coniuncta culpa. {Meum fuit officium) Expositio culpæ. {Pudet enim) πάθος. {Euerere nos) Narratio.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Pathetica est epistola, & affectibus honestis plena: in qua ad varia epistolæ vxoris capita rescribit.

M. T. C. TERENTIÆ, ET TVLLIOLÆ, ET CICERONI SVIS S. P. D. 4

EGo minus sæpe ad uos do literas, quàm possum, propterea quòd cum omnia mihi tempora sunt misera, tum uero, cum aut scribo ad uos, aut uestras lego, conficior lachrymis sic, ut ferre nõ possim, quòd utinã minus uitæ cupidus fuissem: certe nihil, aut non multũ in uita mali uidissemus. quòd si nos ad aliquam alicuius commodi aliquando recuperandi spem fortuna reseruauit: minus est erratum à nobis. sin hæc mala fixa sunt: ego uero te quamprimum mea uita cupio uidere, & in tuo complexu emori, quãdo neque Dii, quos tu castissime coluisti, neque homines, quos ego seruaui semper, nobis gratiã retulerunt. Nos Brundusii apud M. Lenium Flaccum dies. XIII. fuimus, uirum optimum qui periculum fortunarum, & capitis sui pro mea salute neglexit, neque legis improbissimæ pœna deductus est, quo minus hospitii, & amicitiæ ius, officiumq; præstaret. huic utinam aliquando gratiam referre possimus, habebimus quidem semper. Brundusio profecti su*mus ad V. Calend. Maias per Macedoniam Cyzicum petebamus. ò me afflictum: quid? non rogem te, ut uenias? mulierem ægram, et corpore, & animo cõfectã. nõ rogem? sine te igitur sim? opinor, sic agã. si est spes nostri reditus, eã confirmes, & rem adiuues. sin, ut ego, metuo transactum est: quoquomodo potes, ad me fac uenias. unum hoc scito: si te habebo, non mihi uidebor planè periisse. sed quid de Tulliola mea fiet? iam id uos uidete: mihi deest consilium. sed certe quoquomodo se res habebit, illius misellæ & matrimonio, & famæ seruiendum est. Quid Cicero meus, quid aget? iste uero sit in sinu semper, & complexu meo. non queo iam plura scribere: impedit mœror. Tu quid egeris, nescio, utrum aliquid teneas, an, quod metuo, planè sis spoliata. Pisonem, ut scribis, spero fore semper nostrum. De familia liberata, nihil est, quod te moueat. primum tuis ita promissum est, te facturã esse, ut quisque esset meritus. est autem in officio adhuc Orpheus, præterea magnopere nemo. cæterorum seruorum. ea causa est, ut, si res à nobis abesset, liberti nostri essent, si obtinere potuissent, sin ad nos pertinerent, seruirent, præterquam oppidò pauci. sed hæc minora sunt. Tu q[uod] me hortaris, ut animo sim magno, & spem habeam recuperandæ salutis: id uelim sit eiusmodi, ut rectè sperare possimus. nunc miser quando tuas iam literas accipiam? quis ad me perferet? quas*

*al. homi. quibus ego serui ui.

*a. l. Sumus ad II. Calen.

ego

ego expectassem Brundusii, si esset licitum per nautas, qui tempestatem prætermittere noluerunt. Quod reliquum est, sustenta te mea Terentia, ut potes. honestissime uiximus: floruimus, non uitiũ nostrum, sed uirtus nostra nos afflixit. peccatum est nullum, nisi q; non unà animam cum ornamentis amisimus. sed si hoc fuit liberis nostris gratius, nos uiuere: cætera, quanquam ferenda nõ sunt, feramus. atque ego qui te confirmo, ipse me non possum. Clodium Philetærum, quod ualetudine oculorum impediebatur, hominem fidelem, remisi. Salustius officio uincet omneis spes. Cennius est perbeneuolus nobis: quem semper spero tui fore obseruantem. Sicca dixerat, se mecum fore, sed Brundusio discessit. Cura, quoad potes, ut ualeas: & sic existimes, uehementius me tua miseria, quàm mea commoueri. mea Terentia fidissima, atque optima uxor, et mea charissima filiola, & spes reliqua nostra Cicero, ualete. Prid. Cal. Maii Brundusio.

ASCENSIVS.

EGo &c. Scribit ad Teren. licet inserat mentionem liberorum, ostendens quanto dolore conficiatur, cum ad suos scribere cogatur. Deinde expõit ubi sit, & quo iturus, docens an Terentiã ad se uenire uelit, & alia quædam hoc ordine. Ego dominus sæpe literas ad uos quã possum, hoc est darem sæpius si uellem, quod cum. i. pariter omnia tẽpora sunt mihi misera. i. afflicta, tum uero. i. sed tunc maxime & quasi ad uerum cum. i. quando, ego aut scribo ad uos, aut lego uestras. s. literas, conficior. i. consumor lachrymis sic ut nõ possim ferre. i. sustinere. Quod. i. propter quod utinam fuissem minus. i. nõ tã cupidus uitæ, certe nos nihil aut non multum mali uidissemus in uita. s. nostra. Quod si fortuna reseruauit nos ad aliquam spem alicuius commodi recuperandi aliquando. i. tandem, minus. i. nõ tam multũ est erratum a nobis, sin hæc mala sunt fixa. i. firma & diuturna, ego uero cupio uidere te o Terentia mea uita, & emori in complexu tuo, quando. i. quandoquidem, neque dii quos tu coluisti castissime, neque homines quos ego seruaui. i. saluos feci semper, retulerunt nobis gratiam. s. pro benefactis nostris. Id autem de deo impium est cogitare, nedum scribere, sed miseris sæpe caligant oculi. Nos fuimus dies. xiii. Brundusii apud M. Leuium Flaccum uirum optimum, qui neglexit periculum fortunarum & capitis sui pro salute mea, quia comitatũ mihi præstitit, in quo si deprehensus fuisset, & rem & uitam amisisset. Neque deductus est. i. absterritus aut amotus pœna. i. propter pœnam, improbissimæ legis. s. qua interdictum erat Ciceroni aqua & igni, & quicunque eum hospitio recepisset, pœnæ capitali subiectum iri cautum est, quo minus. i. ut non præstaret ius & officium hospitii & amicitiæ. Vtinã nos possimus referre aliquando. i. tandem gratiam. s. parem: quidem. i. certe, aut saltem habebimus. s. in animo semper. s. donec uiuemus. Nos sumus profecti. i. discessimus Brundusio ad quintã Calend. Maii per Macedoniã, & petebamus Cyzicum urbẽ Asiæ in Propõtide ab Aemonius conditam. o me perditum, o me afflictum. quid (deliberãtis est, & nescientis quid facere debeat) sup. faciam, rogem. i. precer ne te nunc mulierem ægram & confectam. i. consumptam, & corpore & animo, ut uenias. s. ad me? q. d. id non decere. Non rogem. i. nunquid debeam nõ rogare? Igitur. i. si non rogem ut uenias, sim. i. oporteat me esse sine te. q. d. id tristissimum fore. Opinor, quasi inuenio consilio, ego agam sic Si spes reditus nostri est, sup. tu confirmes causam & adiuues rem. i. medium quo fiet, aut rem familiarem. Sin ut ego metuo, est transactum. i. penitus actum & desperandum de reditu meo, fac uenias ad me quoquo. i. quocunq; modo poter. Scito hoc unum, si habebo te ego non uidebor mihi perisse plane, idest omnino Sed sup si ueneris, quid fiet de Tulliola mea. s. filia? uidete iam uos qui domi estis, id: quia consilium. i. uirtus deliberatiua non est mihi. Sed certe quoquo. i. quocunque modo res habebit se, seruiendum. i. consulendum est & matrimonio & famæ illius misellæ. s. ne amissa per inopiam, aut desolationẽ fama repudietur. Quid Cicero meus. s. filius faciet, sup. Tu uero sis. s. si hic esses semper in sinu & compleau meo, uoluit addere & ille miser mendicabit, aut quid tristius, quia etiam pudicitiæ illius imminebat periculum. Ego nõ queo iam scribere plura, mœror impedit. nescio quid tu egeris, utrum teneas aliquid. s. rerum, an quod metuo, sis spoliata plane. i. omnino. Ego spero ut scribis Pisonem. s. generũ nostrũ, fore, idest futurum semper nostrum. i. nobis fauentẽ. Nihil est quod moueat. i. mouere & turbare debeat te de familia liberata. i. de manumissione seruorum, profugiens enim Cicero, ne serui in alienam potestatem uenirent, aut spe libertatis obtinendæ in dominũ insurgerent, manumisit eos, sed tamen non omnes, quia qui uxori nomine dotis erant in eius arbitrio reliquit. unde addit. Primũ. q. d. prima est ratio ut nõ mouearis promissum est te facturã esse tuis. s. seruis, ita ut quisq; esset meritus, Ast. i. sed, Orpheus est adhuc in officio, idest debito seruitio, præterea. i. præter eũ nemo cæterorũ seruorũ magnopere, sup. in officio est. Causa est ea. i. talis. i. hoc consilio id feci, ut si res. i. possessio tuta, abesset a nobis. i. essemus priuati omni re nostra, ipsi manumissi essent liberti nostri, si potuissent obtinere. s. confirmationem manumissionis. Sin. i. sed si, ipsi pertinerẽt ad nos. s. iure, licet omnia nostra essent subrepta, ipsi seruirent. i. manerent in seruitute, præter quã oppido. i. ualde pauci, qui forte manumitterentur ut dominũ persequerentur. Sed hæc sunt minora. s. damna. Tu q; hortaris me, ut sim animo magno, & habeam spem salutis recuperandæ, ego uelim sup. id sit eiusmodi, ut possimus sperare recte. i. non frustra. Nunc miser, quia procul abest, quando accipiam literas tuas? qs perferet ad me? Quas. s. literas, ego expectassem Brundusii, si licitũ esset. i. licuisset. i. permissum fuisset per nautas, qui noluerunt præmittere tẽpestatem. i. tẽporis & auræ opportunitatẽ, ergo tẽpestas ẽt bona est. Q p reliquũ est mea Terẽtia sustenta te ut potes. nos uiximus honestissime, floruimus. s. in foro & Senatu. non uitium nostrũ, sed uirtus nostra, quia uiriliter coniuratos afflixímus, afflixit nos. nullum peccatum est. s. nobis, nisi q; nõ amisimus una. i. simul cum ornamentis. s. nostris, animã. i. uitã sup. nostrã. Sed si hoc. s. nos uiuere fuit gratius. i. utilius liberis nostris, feramus cætera, quanquã non sunt ferenda. Atq; ego qui confirmo. i. quod dicunt conforto te, nõ possum. s. confirmare me. Ego remisi tibi Clodium Philetærum unũ e familia, q. i impediebatur ualetudine. i. mala dispositione oculorum, appositorie hominem fidelem. Salu. s. seruus aut libertus noster, non enim de Crispo illo Historico loquitur. uincet omnes spes. s. quas de eo habuimus, officio. s. impertiendo. Cennius alter libertus, est perbeneuolus, quem spero fore semper obseruantem. i. cultorem tui. Sicca aliter familiaris dixerat se fore semper mecum, sed discesserat Brundusio, ita a me qui erã Brundusii, nisi forte Brundusii, ita legendum sit ut discesserat Brundusii sup. a me. Cura, quoad potes ut ualeas, & existimes sic, me commoueri uehementius miseria tua, quam mea, O mea Terentia fidissima atque optima uxor, & filiola mea charissima. s. Tullia, & Cicero spes nostra reliqua, idest sola relicta, Valete, Pridie Calendas Maias, idest ultimo Aprilis. Brundusio. i. ex eo oppido maritimo in Italia.

VICTORIVS.

SAlustius officio uincet omnes spes. Cẽnius, &c.) Nos ex duabus dictionibus unum nomen confecimus. s. Pescennius, magis receptæ lectionis uitio offensi, quam a ueteribus exemplaribus adiuti. Cum enim de officio, quod erga se in tam aduersa fortuna præstabant amici, familiaresq; loqueretur, dicit (ni fallor) se ita animatum uidere Salustium, ut speret illum officio superaturũ esse reliquos amicos. Quid enim hic {Spes} significet? nisi satis ineptam meo iudicio sententiam ex his uerbis elicias, ut dicat nunquam de Sallustio se tantũ spei habuisse, quantũ ille ostendit nunc re ipsa, & assiduis officiis. Magis autem priore sensu delector horum uerborum, ut facta comparatione officiorum cæterorum domesticorum & Sallustii, pronunciet illum reliquos officio uicturũ. Germanus etiam codex in margine ita emendat.

PAVL. MANV.

PRæterea magnopere nemo cæterorũ seruorum, ea causa est, &c, Sic antea in libris impressis. ego distinctione tantũ, locũ restituo, ut ita legatur. Præterea magnopere nemo. Cæterorũ seruorum ea causa est, ut si res &c. quoniam autem non ita apertus uidetur sensus, pluribus uerbis exponemus. Cicero ueritus amissionem seruorum cum tota re, manumisit eos hac conditione, ut si per legem Clodiam bonis omnibus priuandus esset, ii suo beneficio liberti essent, si modo id per Clodium licuisset. sin autem lex seruos non adimeret, & ut ad ueterem dominum pertinerent, concederet, seruirent, ut antea, præter quam pauci, quos benemeritos omnino liberatos uellet. dicit autem, cæterorum seruorum, intelligens suos, nam ex Terentiæ seruis neminem manumiserat, tantum iis, eam facturam esse, ut quisque esset meritus, promiserat.

SEBAS. CORR.

A Nobis sin hæc} Al. a nobis, si hæc. {Quos ego seruaui} Al. quibus ego seruiui. {M. Lenium} Al. M. Eunium: sed M. Lænium legere oportet ex oratione pro Cn. Plãcio, in qua ita legimus: In hortos me M. Lenii Flacci extra Brundusii mœnia contuli, cui cum omnis metus, publicatio bonorum exilium, mors, proponeretur, hæc perpeti, si acciderent, maluit, quam custodiam mei capitis dimittere {Neque legis} ne Cicero intra quingẽta passuum millia hospitio acciperetur. { Ad. V. Calendas } Si ad. XI. Calendas legatur, nihil erit contrarium, quia tamen in omnibus libris sic legitur, sunt qui censeant ex una duas hic epistolas esse faciendas. {De familia} seruorum. } Si res a nobis abesset } bona nostra per Clodium publicata {Si obtinere potuissent} ut essent liberti. {Ad nos pertinerent} re nostra integra, quam sequi solent serui. {Sallustius} Cn. Sallostius. {Spes Cennius} Al Pescẽnius. { Sicca} de quo in epistolis ad Atticum sæpe meminit.

BERN. RVT.

MInus est erratũ a nobis, si hæc mala fixa sunt} ppe ã distincta oratio. ita debuit: Sin hæc mala fixa sunt: Ego uero te q̃ primum mea uita cupio uidere, & in tuo cõpleau emori. ex sensu. {Brundusio profecti sumus ad. V Calend. Maii.} Vide ne mendosa dies, cũ subiiciat, datas hasce literas prid. Cal. Maii. Brundusio, & ad Atticũ lib 3. epistolã septimã datã significet prid. Cal.

Mail,Brundusio,cum proficiscerentus,ut & hic ita legi, ni fallor, oporteat Nam io eadem quidem illa ad Atticum, corrupta initin ascripta dies. Nisi uero probat quis id, quod nobis aliquando placuit: ex una.s.duas efficere epistolas, ut sis superioris hic finis, Brūdusio, ad.V.cal.Maii.tum sequatur alterios hoc initium, Brundusio profecti sumus per Macedoniam &c. Es sane diuersarum epistolarum argumentum commistum esse uidetur {Cætera, q̃q̃ ferenda suot, feramus} q̃q̃ ferenda non sunt, arbitror relictum a Cicerone, ex sensu. Namq; & ad Atticum sæpe quæritur occasionem bellissimam mortis a se esse prætermissam. {Cennius est perbeneuolus nobis} Quid si de eo sentiat, quem supra M. Ennium Flaccum nominauis? ut M. Eonius sesibi debuerit, aut ibi Cennium. Sed hoc magis: nam & uates Eonius indidem.

PHIL. MELà.

Ego minus} Exordium excusatio silentii. {Ego uero te {Nos Brundusii} Narratio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Narrat Terentiæ quomodo cum filio nauigauerit, quodque literas eius acceperit, quidq; ea agere debeat, edocet.

M.T.C. TERENTIÆ ET TVL. SVIS S. 5

SI tu, & Tullia lux nostra, ualetis, ego, & suauissimus Cice. ualemus Prid. Id. Oct. Athenas uenimus, cū sane aduersis uētis usi essemus, tardeq́;, & incommode nauigassemus. de naui exeuntibus nobis Acastus cum literis præstò fuit, uno & uigesimo die, sane strenue. accepi tuas literas: quibus intellexi te uereri. ne superiores mihi redditæ non essent. omnes sunt redditæ: diligentissimeq́; à te perscripta sunt omnia: idq́; mihi gratissimum fuit. neque sum admiratus, hanc epistolam, quam Acastus attulit, breuem fuisse, iā enim me ipsum expectas, siue nos ipsos: qui quidem quamprimū ad uos uenire cupimus, & si, inquā Remp. uenimus, intelligo: cognoui.n. ex multorum amicorum literis, quas attulit Acastus, ad arma rem spectare: ut mihi cum uenero, dissimulare non liceat quid sentiam, sed quando subeunda fortuna est, eo citius dabimus operam, ut ueniam, quo facilius de tota re deliberemus. tu uelim quod cōmodo ualetudinis tuæ fiat, quàm longissime poteris obuiam nobis* prodeas. De hæreditate Prætiana, quæ quidem mihi magno dolori est (ualde enim illum amaui) hoc uelim cures: si auctio ante meum aduentum fiet ut Pomponius, aut, si is minus poterit, Camillus nostrum negotium curet, nos cū uenerimus, reliqua per nos agemus. sin tu iam Roma profecta eris, tamen curabis, ut hoc ita fiat. nos si dii adiuuabunt, circiter Id. Nou. in Italia speramus fore. Vos mea suauissima, & optatissima Terentia, & Tulliola, si nos amatis, curate ut ualeatis. Athenis, ad. XV. Cal. Nou.

*a.l. properes.

ASCENSIVS.

SI tu &c. Scribit se nauigasse Athenas aduersis uētis cū haberet secū Cic. filiū, deinde significat se accepisse literas ab uxore: & postremo orat ut sibi obuiam ueniat, q̃ longissime ualeat, docens quid agere debeat de hæreditate quadā Ordo est: Si tu, & Tullia Lux nostra ualetis. Cōceptio est personarū. ego & Ci. suauissimus.s. filius noster, ualemus: eadē est figura. Nos uenimus.i. applicuimus nos Athenas, pridie Idus Octob. cū usi essemusq; uentis sane.i. multū aduersis, & cū nauigassemus tarde, & in cōmode, nemo tamē sit tā stolidus, ut a Calē Ma. quibus Brundusio soluit, super aquas fuisse putet, quia tunc Cic. secum nō habuit, & postea Dyrrachii moratus est, unde hæc epistola longe post scripta est, neq; tū seruata est ratio tēporū in colligendis epistolis. Acastus.s. libertus noster fuit præsto.i. præsens & paratus cū literis.s. dandis. nobis exeuntibus naui Vno & et primo & uigesimo die.s. post discessum suū Roma. Ego accepi literas tuas sane.i. multū, strenue, quibus intellexi te uereri ne superiores.s. literæ tuæ nō essent redditæ mihi Omnes sup. literæ suos redditæ, & omnia sunt pscripta a te diligentissime, & id fuit mihi gratissimum. Neq; sum admiratus hāc epistolā, quā Acastus tulit, fuisse breuem. Tu.n. expectas iam meipsum, siue nos ipsos, hoc est me & filiū, qui qdē cupimus uenire quāprimū.i. ualde cito ad uos. Etsi.i. quanquā intelligo in quā.i. qualē Remp. nos uenimus, media s. ga: est.n. præsentis tēporis.q.d. in turbulentissimā. Ego.n. cognoui ea literis amicorū, quas Acastus attulit, rē spectare.i. tendere & inclinare ad arma.i. bella ciuilia. Quia iā mortuā intellexit Iuliā Iulii Cæsa. filiā uxorē Pōpeii, & Pōpeiū Cæsa. potentiæ, quæ in Gallia maxima erat resistere uelle, sic sentit Hubertinus. Veruntamen, quia id multo post contigit, nā Cic. post reditū, Ciliciā obtinuerat prouinciam, a qua reuersus hanc cōmotionē reperit: dicamus, ad arma.i. ad resistendū inimicis ui, ut nō liceat mihi cū uenero, dissimulare, quid sentiā. Sed quando.i. quoniā, fortuna.i. dubius euentus, rei est subeunda, nos dabimus eo citius operam, ut ueniamus, quo.i. ut deliberemus facilius de tota re. Velim sup. ut tu properes obuiam nobis, q̃.i. quantū poteris longissime, quod fiat cū cōmodo ualetudinis, idest sospitatis tuæ. Ego uelim cures de hæreditate Prætiana.i. quæ nobis obuenit per testamentū Prætii Iurisconsulti nuper defuncti, quæ quidē est mihi dolori Ego.n. amaui illum.s. Prætium ualde, hoc, si auctio.i. uenditio rerū per auctionē, qua res dantur plurimū offerentibus, fiet ante aduentum meū, ut Pōponius .s. Atticus, aut si is minus.i. non poterit, ut Camillus curet negotiū nostrum, ut pars hæreditatis sit nobis integra Nos cū uenerimus.s. in urbem salui, agemus reliqua per nos. Sin.i. sed si, tu eris iam profecta Roma, tamen curabis.s. per nuncios, aut literas ut hoc fiat ita .i. ut res curetur per Pōponium aut Camillū, si dii adiuuabunt nos speramus fore in Italia circiter Idus Nouēb. Vos.n. mea suauissima & optatissima, Terentia & Tulliola.s. filia, si amatis nos, curate ut ualeatis Vale. Athenis ad. XV. Calend. Nouemb.

Athenas uenimus} ex Cilicia redeūtes. {Acastus} seruus noster. {Ad arma} Cæsare & Pōpeio dissidētibus. {Prodeas} Al. properes.

SEBAS. CORR.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Mistum est epistolium. nam & excusat se, q̄ raro scribat, & de prædii uenditione nil se cognouisse, & petit ut satisfaciat cuidam, & Pollucem seruū ad se mitti cupit.

M.T.C. TERENTIÆ SVÆ S. P. D. 6

NEc sæpe est, cui literas demus: nec rē habemus ullā, quā scribere uelimus, ex tuis literis, quas proxime accepi, cognoui prædiū nullū uenire potuisse. quare uideas uelim quomodo satisfiat ei, cui scis me satisfieri uelle. Quod nostra tibi gratias agit. id ego non miror te mereri, ut ea tibi merito tuo gratias agere possit. Pollucem, si adhuc non est profectus, quamprimum fac extrudas. Cura ut ualeas. Idib Quint.

NEc sæpe &c. ut docuit, quid e Terētia intellexit. monet ad se seruū mittat, dicens. Nec est sup. aliquis sæpe, cui demus.i. dare possimus literas, nec habemus ullā rē quā uelimus scribere Ego cognoui ea literis tuis quas accepi proxime, nullū prædium.s. nostrū potuisse uenire.i. uendi. Quare uelim sup. ut omnes uideatis quomodo satisfiat.i. satisfieri possit ei, cui scitis me uelle satisfieri. Quod nostra.s. filia, agit tibi gratias (Non ergo ad filiam scribit) ego non miror te mereri id: ut ea possit agere tibi gratias merito tuo.i. propter meritum tuū. Fac extrudas.i. ut exire cogas quāprimū Pollucē.s. seruum nostrū si non est adhuc profectus.i. si non exiuit ad nos uenturus. Cura ut ualeas. Scriptū, sup. Idibus Quinti sup. mensis.i. eius qui nūc Iulius dicitur. Ridiculum est huic, & superiori addere, Vale, & Valete, cum præmissum sit, Cura ut ualeas, & Curate ut ualeatis.

ASCENSIVS.

QVod nostra tibi gratias agit} Videndus accuratius locus obscurus. nihil sane a recepta discrepat antiqua lectio, ut mendum difficilius inesse credi possit. Quā tamen intelligat {Nostrā} nō plane perspicio, nisi Tulliā significet, qd puto De rebus aūt domesticis, cū uxore, suisq; loquens nō mirū est rē tantū indicasse, quod ēt supra facit, cū dicit, quō satisfiat ei: nec tamē nomen ponit cui satisfieri cupiebat. Nā q̄ {Videatis} & {Scitis} scripsimus, quod uulgati libri unitatis numero habebant, antiquos codices secuti sumus, qui ēt hanc lectionē confirmant titulo epistolæ. sic enim est in illis huius epistolæ inscriptio, {Suis} S.D. Vt pene peccasse mihi uidear, q̄ ab illis ēt hac parte discesserim. nam dubiis tēporibus scripta epistola uidetur uoluisse, si in alienas manus incidisset, a nullo cuius, & ad quos scripta, esset, quibusq; de rebus ageret, intelligi posse, ideoq; non aperte, ut solet, scribit. Cum tamen ad suos scribat, qui & manum eius agnoscerent, & res quas innueret, optime callerent, non necesse fuit apertius scribi.

VICTORIVS.

Nec

Ex post. eiusdem.

NEc saepe est } Noluisse intelligi a quo scripta epistola esset, si forte in alienas manus uenisset, multis modis cognosci potest: de hoc olim accurate disseruimus, titulumq; ipsius inuentum in optimis libris notum esse uoluimus. Quod nunc etiã obseruatur ab iis, qui ad eos scribunt, quibus periculum, crearene si literas ad eos mitti, & eos rescribere intelligeretur. Tempus quo scripta sit, non affirmarim: arbitror cum in castris Pompeianis esset, uel paulo ante quam ex Italia discederet, ad Pompeium nauigans. Quod agit de pecunia, & praediorum uenditione, tradit Plutarchus iratum fuisse Terentiae Ciceronem, quod belli tempore cõmoda illius neglexisset, neque ei suppeditasset, quae ad consilium, iterq; illud necessaria erant, ut ex Italia discessit in magnis angustiis existens, ac pene sine uiatico.

PAVL. MANV.

POllicem) Antea, Pollucem: nos septimum ab hinc annum emendauimus Pollicem, ex uetustis codicibus, & lib. XIII. ad Atticum: quo in libro circa finem ita scribit. Pollex quidem, ut dixerat, ad Idus Sext. ita mihi Lanuuii pridie Idus praesto fuit, sed plane pollea, non indea.

SEBAS. CORR.

Terentiae suae) Al. suis. {Videas) Al. uideatis. {Scis) Al. scitis. {Pollicem) seruum a pedibus.

BERN. RVT.

NEc saepe est, cui literas demus, nec rem habemus ullam quam scribere uelimus) Arbitror epistolam ea castris Põpeianis in Epiro, uel Thessalia, ac insequentibus quatuor, prius quam ad Pompeium ex Italia transiret, uel ex itinere missis postponendam: ita tamen, ut ea eis quoque quatuor secunda in primum locum transferatur. Sicut, & praeponenda ea cuius initium, Quod nos, et cuius, Si uales bene est: quarũ utraq; fugato in Thessalia fusoq; Pompeio, ac Cicerone in Italiam reuerso scripta est. Consilium uero suum, quod improbat, non tam reuersionis in Italiam est, quam quod Pompeianos, quos adhuc secutus erat, dereliquerit, ut iam ab utrisque metuere cogatur, quod ipsum non semel apud Atticum conqueritur.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Exponit uxori quomodo delectabili sanatus sit, & hortatur ut bono animo sint. Postremo ostendit, ubi commode degere possit.

M. T. C. TERENTIAE SVAE S. P. D. 7

OMneis molestias, & solicitudines, quibus & te miserrimam habui, id quod mihi molestißimum est, Tulliolamq;, quae nobis nostra uita dulcior est, deposui, & eieci. quid causae autẽ fuerit, postridie intellexi, quã à uobis discessi. *χολὴν ἄκρατον *noctu eieci, statim ita sum leuatus, ut mihi Deus aliquis medicinã fecisse uideatur. cui quidẽ tu Deo, quẽadmodũ soles, pie, & caste satisfacias idest Apollini & Aesculapio. Nauim spero nos ualde bonã habere. in eam simulatq; conscendi, haec scripsi. deinde cõscribã ad nostros familiares multas epistolas: quibus te, & Tulliolã nostrã diligentissime cõmendabo. cohortarer uos quo animo fortiore essetis, nisi uos fortiores cognoscerẽ, quàm quenquã uirũ, et tamen eiusmodi spero negotia esse, ut & uos istic cõmodissime sperem esse, & me aliquando cum similibus nostri Remp. defensurũ. Tu primũ ualetudinẽ tuam uelim cures: deinde, tibi si uidebitur, uillis iis utare, quae longissime aberunt à militibus. fundo Arpinati bene poteris uti cum familia urbana, si annona carior fuerit. Cicero bellissimus tibi salutem plurimam dicit. Etiam, atque etiã uale. Datum. VII. Id. Iun.*

*.i. bilem meram.

ASCENSIVS.

OMnes &c. Dicit se hilariorem effectũ pollicens scribere ad amicos pro suorũ cõmendatione, docensq; Terẽtiam in quibus uillis degat. Ordo est: Ego deposui, & eieci oẽs molestias, & solicitudines, quibus .i. in quibus ego habui &.i. simul, te .s. coniugem meam miserrimam. id quod est molestissimũ mihi .i. quae reaest mihi grauissima. Et .i. simul, sup. habui Tulliolã .s. filiã nostram miserrimam, quae est nobis dulcior .i. delectabilior uita nostra. Hubertinus exponit, quibus .i. propter quas habui .i. affeci, & te &c. sed non procedit: non .n. solicitudinibus suis affecit aut afflixit uxorem & filiam, sed inter solicitudines habuit .i. annumerauit eas afflictas, miserrimasq;. Autẽ .i. sed ego intellexi postridie .i. die proxime sequenti postquam discessi a uobis, quid causae fuerit .s. quod molestias eiecerim, q͂a ego eieci statim cholen .i. choleram, acraton .s. puram ac meram noctu, & sup. sum leuatus .s. a grauedine morbi, ita ut deus aliquis uideatur fecisse mihi medicinam .i. me curasse, quia deorum curatio est subitanea. Cui quidem deo, tu satisfacias .i. persoluas uota debita, pie, & caste, quẽadmodum soles, hoc dicit, ut si non fuerit solita incipiat assuescere. Sane erubescendum est nobis, si Ethnici non putauerunt deos suos, qui daemonia sunt, nõ posse placari nisi pie, & caste satisfiat, si putauerimus Deum uerum ab impiis, aut immũdis placari posse Sed dicet forte aliquis, si dii gentium daemonia sunt, quomodo & pietatis, & castitatis amatores erant? Ad quod respõdere licet, nõ propter bonum hominum ab illis uirtutes laudatas, sed ideo, ut ueros dei honores, q͂ sine pietate, & castitate nulli sunt, sibi usurparent, quibus nihil dulcius illis contingere potest. nã in illa peruersa cupiditate aequandi se Deo, in quam ceciderunt, obstinati sunt, ideoq; idololatriã introduxerant, non solum ut homines in errore tenerent, & a coelestibus sedibus arcerẽt, sed ẽt ut Deo latriã praeriperent, aut ideo ut homines in illo errore perstringerent. Sciebant .n. quia amor uirtutum inscriptus est pectoribus nostris, propter synteresin nihil probari posse, quod non sit uirtuti consonum, atq; ita minime diis accommodandum uideri. Vt ergo in idololatria genus humanum semper tenerent, & ut uarias superstitiones, & Ludorum, & ceremoniarum gentilium astruerent, uirtutum quae negari non poterant, se finxerunt amatores. Sed ordinem persequamur, ne forte ignoraret Terentia cui deo satisfaciendum sit, addit, Apollini, & Aesculapio .s. Apollinis filio, qui summi medici putati sunt Ego spero nos habere nauẽ ualde bonã. Diximus prius epistolas non esse repositas quo ordine scriptae sunt Nam haec scripta erat cum Athenas profugeret cũ filio. Et in illa. Si tu & Tullia &c. significauit se redire, ego scripsi haec simulatq; .i. immediate postquam conscendi in eã. Deinde .i. posthac conscribam .i. simul scribã, ad familiares nostros multas epistolas, quibus .s. epistolis, aut quibus .s. familiaribus ego cõmendabo diligentissime te & Tulliolam nostram. Cohortarer uos, quo .i. ut essetis fortiores animo, nisi cognoscerem uos fortiores, quam quenquã uirum. Et tamen spero negotia .s. nostra, esse eiusmodi, ut sperem, & .i. simul, uos esse commodissime istic .s. Romae, & me defensurum aliquando Rempub. cum similibus nostri, utpote communia boni & iustitiae amatoribus. Velim sup. ut tu cures primum ualetudinem tuã. Deinde si uidebitur tibi, utare iis uillis quae aberunt longissime a militibus. Tu poteris bene uti fundo Arpinati .i. nata Arpinum cum familia urbana .s. ea quam Romae habere solemus, si annona fuerit carior .i. nimia cara sup. Romae Cicero bellissimus .i. maxime bonus & lepidus filius noster dicit tibi etiam atque etiam plurimam salutem. Vale Datum tertio Idus Iunii.

VICTORIVS.

XOλὴν ἄκρατον. Alciphron etiam χολὴν ἄκρατον appellat in epistola Callipidis ad Cnemonem, ubi eum hortatur ut tristitiam, acerbitatemq; animi deponat, quod pulchre faciet, si ludos Bacchi celebrans, dei illius muneribus usus meram bilem discusserit. fuit autem Cnemon non minus, quam Timon ille Atheniensis, humani generis osor, ut ambo appellati sint μισάνθρωποι. Aristoteles etiam. III. Meteororũ Irin ἄκρατον appellat: quam tamen cur appellarit ἄκρατον, dubitat interpres ille, qui nunc Alexãder Aphrodisieus fuisse creditur. sunt autẽ haec eius uerba, σημεῖον ... ἄκρατον ... χρῶμα, ἀλλ' ἐπὶ τῶν τριῶν ... Et paulo post ... ἄκρατον ... χρώματα. quae tamen diuersae expositiones in unam redeunt. necesse est .n. ut quae nullis aliis coloribus permista sit, sed suos iãtum & proprios, meros, purosq; habet, clariores eos, apertioresq; habeat, & magis expressos sed hoc quidem notauimus, ut uideant omnes quam proprie & eleganter Graeco sermone utatur Cicero.

Ex post. eiusdem.

OMneis molestias) Manifesto scripta epistola cũ iam nauim cõscendisset, in Pompeiana castra nauigans. Tres pusillae quae sequuntur epistolae nulla certa indicia habent, quibus tẽporibus scriptae sint: arbitramur tamen cũ Brundusii esset Ciceronẽ eas scripsisse. In prima agit de Caesa. literis, de quibus ẽt ad Atticũ scribens illis uerbis (nisi fallimur) egit: Non meo uitio fit hoc quidẽ tẽpore (ante .n. est peccatũ) ut me ista epistola nihil cõsoletur, & in Oratione pro Q. Ligario: Qui ad me ex Aegypto literas misit, ut essem idẽ qui fuissem Quãuis penultima huius libri epistola agat de Caes. literis sibi redditis. & nõ antea Romã allatis. quas sane esse credimus illas, quas in oratione pro Ligario intellexit, ut eae fortasse de quibus Terentia. & Atticus scripserant, diuersae ab illis fuerint, nam multis modis priores has Cicero suspectas habebat, & a Caesare non esse iudicabat: de illis autẽ, quas acceperit, ipse uereri non uidetur, ne fictae sint. In secunda de ualetudine Tulliae, de qua etiam ad Atticum. Tulliae meae morbus, & imbecillitas corporis me exanimat. In tertia iubet Terẽtiam cũ Attico loqui, ab eo enim intellecturam esse quid fieri uelit. Scribebat

autem de omnibus rebus ad Pōponium, ut cognosci potest ex epistolis, quæ sunt in XI. lib. ad Atticum ipsum missis.

PAVL. MANV. IDest Apollini, & Aesculapio) Hoc totum suspicor in margine ab aliquo fuisse scriptum, qui uellet nomen eius Dei ponere, quem Cicero significat: deinde qui librum exscripserunt, Ciceronis uerba falso existimantes, receperunt in contextum quod glossematis uice fuit. nihil tamen immutaui, quando manuscripti libri, ut impressum est, omnes habent.

SEBAS. CORR. PHIL. MELĀ. χολὴν ἄκρατον) bilem meram. (Satisfacias) alii legunt, uelim faciat. (Quo animo) Al. quod animo. (VII. Id.) Al. III. Id.
Omneis molestias) Narratio. (Cohortarer uos) Adhortatio per præcisionem.

GIBERTI LONGOLII LEMMA

Rogat ut ualetudinem curet: & gaudere se dicit, quod de Cæsa. literis certior factus sit.

M. T. C. TERENTIÆ SVÆ S. P. D. 8

I uales, bene est: ego quidem ualeo. Valetudinem tuam uelim cures diligentissime: nam mihi & scriptū, & nuntiatum est, te in febrim subito incidisse. Quòd celeriter me fecisti de Cæs. literis certiorem, fecisti mihi gratum. itē posthac, siquid opus erit, siquid acciderit noui, facies ut sciam. Cura ut ualeas. uale. Datum. IIII. Non Iun.

ASCENSIVS. SI uales. Monet ut salutem curet, & diligenter quæ scire oporteat perscribat, dicens: Si uales bene est, ego quidem ualeo. Velim: supple ut cures diligentissime ualetudinem tuam, nam & scriptum, & nuntiatum, scilicet ore est mihi, te incidisse subito in febrim. Quod fecisti me certiorem celeriter de literis Cæsaris, idest quas Cæsar misit, fecisti mihi gratum. Tu facies item. i. similiter posthac: ut sciam siquid erit opus, siquid acciderit noui. Cura ut ualeas &c.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Ostendit se incertum esse animi.

M. T. C. TERENTIÆ SVÆ S. P. D. 9

AD cæteras meas miserias accessit dolor è Dolabellæ ualetudine, & Tulliæ, omnino de omnibus rebus nec quid consilii capiam, nec quid faciam scio. Tu uelim tuam, & Tulliæ ualetudinem cures. Vale.

ASCENSIVS. AD cæteras &c. Hæc epistola uidetur longe alio tēpore scripta, nam durante exilio Tullia erat nupta Pisoni Crassipedi, Dolabellæ autem nupsit dum esset Imperator in Cilicia paulo ante bellum ciuile. dicit autem se dolere de ualetudine Dolabellæ hoc ordine: Dolor ex ualetudine, idest mala dispositione Dolabellæ, scilicet generi nostri, & Tulliæ, scilicet filiæ nostræ, accessit, idest additus est ad cæteras miserias meas. Omnino nec scio penitus de omnibus rebus quid consilii capiam, nec quid faciam. Velim: sup. ut tu cures ualetudinem tuam, & Tulliæ.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Excusat se cur clarius & longius non scribat.

M. T. C. TERENTIÆ SVÆ S. P. D. 10

QVid fieri placeret, scripsi ad Pomponium serius, quàm oportuit, cum eo si locuta eris, intelliges quid fieri uelim. apertius scribi, quando ad illum scripseram, necesse non fuit. De ea re, & de cæteris rebus quā primum uelim nobis literas mittas. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. VII. Id. Quint.

ASCENSIVS. QVid &c. Dicit se scripsisse, monet ut uxor scribat, & ualetudinem curet, dicens: Scripsi ad Pomponium: scilicet Atticum, serius, idest tardius, quam oportuit, quid placeret, supple mihi fieri, scribere a nobis. Si eris locuta cum eo, intelliges quid uelim fieri. Non fuit necesse scribere apertius, quando, idest quoniam, scripseram ad illum, scilicet optimum amicorum. Ego uelim: supple ut mittas nobis literas quamprimum, de ea re, & de cæteris rebus. Cura diligenter ualetudinem. VIII. Idus. Quintileis. i. Iulias, aut Iulii mensis postea dicti.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Dolere se dicit de Tulliæ fortuna.

M. T. C. TERENTIÆ SVÆ S. P. D. 11

SI uales bene est: ego ualeo. Tullia nostra uenit ad me prid. Id. Iun. cuius summa uirtute, & singulari humanitate, grauiore etiam sum dolore affectus, nostra factum esse negligentia, ut longe alia in fortuna esset, atque eius pietas, ac dignitas postulabat. Nobis erat in animo, Ciceronem ad Cæsarem mittere, & cum eo Cn. Sallustium. si profectus erit, faciam te certiorem. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. XVII. Cal. Quint.

ASCENSIVS. SI uales &c. Dicit Tulliam suam ad se uenisse, eiusq; pietatem commendat dicens. Si uales bene est, ego quidē ualeo. Tullia nostra, scilicet filia uenit ad me, scilicet in uillam nostram pridie Idus Iunii, cuius summa uirtute & singulari humanitate. i. propter cuius uirtutem & singularem humanitatem, ego sum affectus etiam grauiore dolore, non quod bona esset, sed factum esse negligentia nostra, uidetur de sua solius loqui, ut ipsa esset in fortuna longe alia, idest diuersa & miseriore multo, atque. i. quam pietas, ac dignitas eius postulat. In animo erat nobis: idest nos uolebamus mittere Ciceronem, scilicet filium, ad Cæsarem. s. Iulium, & Cn. Sallustium cum eo. s. Cicerone, si, scilicet Cicero, erit profectus: idest quando discesserit, faciam te certiorem Cura diligenter ualetudinem tuā. Decimoquarto Calend. Quintiles: idest Quintilis mensis, qui nunc Iulius dicitur.

VICTORIVS. TVllia nostra uenit) Post uictoriā Cæsaris in Pharsalia, scripta, cum discessisset a Pompeianis, & Brūdusii esset, quod multis coniecturis intelligi potest, & quantum ego suspicor, post illam quæ sequitur, data: ea enim scripta esse uidetur, cum paucos dies in Italia fuisset: gratulata enim erat illi Terētia de reditu in Italiam, & salute ipsius e tot, tantisq; periculis. Cui illa epistola Cicero respondit. Tulliam ad eum, cum Brundusii esset, uenisse, multi authores tradunt, & ipse quoq; ostendit: quod causam inimicitiarum, ac diuortii illi cum uxore fuit: neque enim uiaticum ei dedit, neque comites præbuit, quos ætas illius, ac dignitas patris poscere uidebantur. Omne autem illud tempus Cicero ibi mansit, quod in Alexandria, & Asia Cæsar consumpsit, quod longum fuisse ex historia illarum rerum intelligitur, & a Plutarcho etiam aperte narratur.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Nuntiatoria, & hortatoria est.

M. T. C. TERENTIÆ SVÆ S. P. D 12

QVòd nos in Italiam saluos uenisse gaudes, perpetuò gaudeas uelim. sed perturbati dolore animi, magnisq; iniuriis, metuo ne id consilii ceperimus, quod non facile explicare possimus. quare, quantum potes, adiuua. quid autem possis, mihi in mentem non uenit. in uiam quòd te des hoc tempore, nihil est, & longum est iter, & non tutum: non uideo quid prodesse possis, si ueneris. Vale. Datum prid. Non. Non. Brundusio.

Quod

ASCENSIVS. Quod &c. Dicit se uereri, ne profuerit in Italiam nondum uenisse, cui malu muneet uxorem, ut medeatur si posfit, dehortatur autem ne obuiam sibi prodeat dicens. Quod gaudes nos, ideſt me & filium ueniſſe saluos in Italiam, uelim supple ut gaudeas perpetuo, ideſt ut gaudium istud posſit eſſe perpetuum, ita ut ea aduentu noſtro nihil mali ſubſequatur. Sed metuo ne nos perturbati dolore, & magnis iniuriis cepérimus, ideſt inierimus id conſiliū, ſcilicet redeundi in Italiam, quod non posſimus facile explicare, ideſt difficultatibus eximere. Quare adiuua, ſcilicet nos illud explicare quantum potes. Autem, ideſt ſed, non poſſum conſiderare, quid, ideſt in quo posſis, ſcilicet nos adiuuare. Nihil, ideſt nulla cauſa eſt, quod des te in uiam, ideſt ut uenias ad nos hoc tempore. Et ideſt ſimul, iter eſt longum & non tutum propter inimicos, & non uideo quid poſſis prodeſſe ſi ueneris. Vale. Datum &c.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Conſilium dat uxori.

M. T. C. TERENTIAE SVAE. S. P. D. 13

Quod ſcripſi ad te proximis literis de nuntio remittendo, quæ ſit iſtius uis hoc tempore, & quæ concitatio multitudinis, ignoro. ſi metuendus iratus eſt, quies tamen ab illo fortaſſe naſcetur. totum iudicabis quale ſit, & quod in miſerrimis rebus minimè miſerum putabis, id facies. Vale. VI. Id. Quint.

ASCENSIVS. Quod ſcripſi &c. Scripſerat Cic. ad uxorem de nuntio remittendo, ut ſciret quo animo Cæſar ſiue ex Gallia ſiue ex uictoria Pharſalica redierit in urbem, de qua iterum eam monet dicens. Quod ſcripſi ad te proximis literis, ideſt in proximis literis de nuntio: ſcilicet quem ad te miſi, remittẽdo, ſcilicet ad me, ignoro quæ ſit uis iſtius, ſcilicet Cæ. & quæ, ideſt qualis concitatio: ideſt commotio multitudinis: ſcilicet populi in aduentu eius. Si, ideſt ſed etſi ſupple Cæſar iratus, ſcilicet ob negatum imperium, eſt metuendus, tamen quies, ideſt tranquillus ſtatus urbis, naſcetur fortaſſe ab illo. Tu iudicabis ſup. mihi totum, ſcilicet negotium, quale ſit. Et tu facies id quod putabis miſerum minime, ideſt ſecundum interpretationem Lau. Vallæ, nequaquam, aut in nulla parte, ſed quia nõ eſt uero ſimile in miſerrimis rebus aliquid eſſe nequaquam minimum, aut in nulla parte miſerum, putem hoc loco minime pro minimum poſitum, eo quod melius ſonat minime miſerum. Minime autem ſecundum Vallam negat, minimum comparat, ideſt pro minima parte. Dicamus ergo quod putabis minime aut minimum, ideſt in minima parte miſerum in rebus miſerrimis Vale. &c.

VICTORIVS. Quod ſcripſi ad te) Incertum tempus quo ſcripta ſit, & ſane nonnullis locis obſcurior epiſtula, quanuis ſuſpicer cum Brundiſii eſſet: nam in epiſtula quadã ad Att. de quo hic etiam agit, inquit: Placet mihi igitur, & idem etiã tibi nuntium remitti, non tamen affirmarim idem negotium in hac, & in illa tractari.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Rufus conſulit Terentiæ quid agendum ſit, ſed explicatius quam in ſuperiore.

TVLLIVS TERENTIAE, ET PATER TVLLIOLAE, DVABVS ANIMIS SVIS: ET CICERO MATRI OPTIMAE, SVAVISSIMAE SORORI S. P. D. 14

*Si uos ualetis, uos ualemus. Veſtrum iam conſilium eſt, non ſolum meum, quid ſit uobis faciendum. ſi ille Romam modeſte uenturus eſt, recte in præſentia domi eſſe poteſtis: ſin homo amens diripiendam Vrbem daturus eſt, uereor, ut Dolabella ipſe ſatis nobis prodeſſe poſſit. etiam illud metuo, ne iam intercludamini, ut, cum uelitis, exire non liceat reliquum eſt quod ipſæ optime cõſiderabitis, ueſtri ſimiles fœminæ ſint ne Romæ: ſi enim non ſunt, uidendum eſt, ut honeſte uos eſſe *poſſitis. quomodocunque nunc ſe res habet, modo ut hæc nobis loca tenere liceat, belliſſime uel mecum, uel in noſtris prædiis eſſe poteritis. etiam illud uerendum eſt, ne breui tempore fames in Vrbe ſit. his de rebus uelim cum Pomponio, cum Camillo, cum quibus uobis uidebitur, conſideretis: ad ſummam, animo forti ſitis. Labienus rem meliorem fecit, adiuuat etiam Piſo, q. ab Vrbe diſcedit, & ſceleris condemnat generum ſuum. Vos meæ chariſſimæ animæ quàm ſæpiſſime ad me ſcribite, & uos quid agatis, & quid iſtic agatur. Quintus pater, & filius, & Rufus uobis ſalutem dicunt. Valete. VIII. Calen. Quint. Minturnis.*

*al. poſſitis quoquomodo quidẽ nũc

ASCENSIVS. Si uos &c. Venturo Cæſa. Romam, dicit uxorem poſſe ex amicis diſcere quid facere debeat, oſtendit tamen quid ſentiat ut pote id quod aliæ mulieres eius ſimiles. i. quorum mariti in ſimili ſint conditione Omnes autẽ amatoriæ ſunt epiſtolæ. Ordo eſt. Si uos, ſcilicet tu uxor & filia ualetis, uos. ſ. ego & filius ualemus. Conſilium eſt iam ueſtrum non ſolum meum, hoc eſt uos debetis iudicare potius quam ego, quid faciendum ſit uobis Si ille, ſcilicet Cæſar quem timemus, uenturus ſup. eſt Romam, modeſte. i. pacifice, aut uictoria modeſte & nõ inſolẽter uſurus, uos poteſtis eſſe domi recte. i. conuenienter in præſentia, ſcilicet aduentus eius. Sin homo amens: ideſt ſine bona mente, daturus eſt, ſcilicet militibus ſuis urbem diripiendam, uereor ut Dolabella ipſe, ideſt qui multum poteſt apud Cæſarem, qui eius partes ſemper ſecutus eſt. (Nuſquã exprimitur de quo reditu loquatur. Nam paulo ante aduentum Cæſ. e Gallia, Tullia Dolabellæ nupſerat, ſed quia adhuc parũ pro Cæſare fecerat: uidetur uereri non ſatis poſſe. & ita credam de reditu e Gallia loqui) poſſit prodeſſe uobis ſatis. Etiam metuo illud ne intercludamini: ideſt arceamini ab exitu, ut cum uelitis exire non liceat, ideſt non ſit facultas non permittatur, nam liberis hominibus uidetur ſemper licere exire, non tamen ſemper permitti. Reliquũ eſt: ſcilicet conſilii, quod ipſæ, ideſt uoſmet ſine me, conſiderabitis optime, ne: ideſt utrum fœminæ ſimiles ueſtri: ideſt eiuſdem ſtatus & conditionis uobiſcum, genitiuus eſt a nominatiuo uos, ſint Romæ. Si non ſunt uidendum eſt ut: ideſt quomodo uos poſſitis eſſe honeſte: ſcilicet Romæ: quaſi dicat timendum non fore honeſte. Quandoquidem res habet ſe nunc: ideſt ita eſt nunc ſtatus rerum, modo ut, ideſt dummodo liceat nobis tenere hæc loca: ſcilicet noſtra quæ ego teneo, uos poteritis eſſe belliſſime: ideſt commodiſſime, uel mecum, uel in prædiis noſtris. Etiam illud eſt uerendum ne fames, ſcilicet ob penuriam cibi, ſit breui tempore: ideſt intra breue tempus in urbe. Ego uelim: ſup. ut conſideretis. i. conſulatis de his rebus cum Pomponio, ſcilicet Attico, cum Camillo, aut: ſupple cũ illis, cum quibus uidebitur uobis: ſcilicet conducibile. Ad ſummã, ideſt ut præcipua uota mandem, ſitis animo forti. Labienus uir Senatorius, fecit rem, ideſt ut dicunt querelam & cauſam Pompeii, meliorem, Piſo etiam ſocer Cæſ. adiuuat ſupple rem, quod diſcedit ab urbe, & condemnat generum ſuum, uidelicet Cæſarem, ſceleris: ſcilicet iniqui belli. Vos animæ meæ chariſſimæ, de quibus in præſcriptione dixit duabus animis non animabus ſuis, ut adnotauit Valla, ſcribite ad me quã ſæpiſſime, ideſt ualde ſæpe. Et: ideſt ſimul, quid uos agatis, & quid agatur, ſcilicet ab aliis, iſtic, ideſt Romæ ubi eſtis. Quintus pater & filius, quaſi dicat uterq; & frater meus & filius eius & Rufus dicũt uobis ſalutem, Valete. Minturnis quæ ſunt inter Formias, & Sinueſſam &c.

VICTORIVS. Veſtrum iam conſilium eſt) Importune in hunc locum inculcata hæc epiſtula eſt. Quis enim non uidet illam ſcriptam initio belli ciuilis inter Pompeium & Cæſarem.

SEBAS. CORR. Si ille) Cæſar. {Quomodocunque nunc) Al. quoquomodo quidem nunc. {Hæc nobis loca) Campaniæ. epiſto. XVI. lib. XI. Labienus) T. Labienus, qui relicto Cæſare, cuius legatus erat, ad Pompeium ſe contulit. Epiſto. XI. lib. XVI. {Rem meliorem fecit) eam Cæſarianæ præponens, quo multo etiam plus animi Pompeio attulit. {Piſo) L. Piſo Cæſaris ſocer. {Rufus) Fortaſſe epiſto. XX. lib. V.

GIBERTI LONGOLII LEMMA

Nuntiatoria de rebus ſuis.

TVLLIVS TERENTIAE SVAE S. D. 15

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Nunciatoria de rebus suis.

TVLLIVS TERENTIAE SVAE S. D. 15

S I uales, bene est: ego ualeo. Constitueramus, ut ad te antea scripseram, obuiam Ciceronem Cæsari mittere: sed mutauimus consilium, quia de illius aduentu nihil audiebamus. De cæteris rebus, etsi nihil erat noui, tamen quid uelimus, & quid hoc tempore putemus opus esse, ex Sicca poteris cognoscere, Tulliam adhuc mecum teneo. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. XII. Cal. Quint.

ASCENSIVS. SI uales &c. Dicit de mittendo filio se consiliũ mutasse, & noui nihil habere, sed quæ fieri uelit, e Sicca accipi posse. Ordo est: Si uales bene est, ego quidem ualeo. Constitueramus, ut scripserã ante ad te, mittere obuiam Cæsari, scilicet uenienti, ut plurimi uolunt e Gallia, sed tamen ætati puerili magis congruat si e Pharsalica uictoria intelligatur mittendus, Ciceronem: scilicet filium nostrum. Sed mutauimus consilium, quia nihil audiebamus de aduentu illius, scilicet Cæsaris, qualis, scilicet fuisset. Tu poteris cognoscere de cæteris rebus etsi nihil erat noui, tamen quid uelimus, & quid putemus opus: idest operæpreciũ esse ut fiat hoc tempore, ex Sicca: scilicet amico nostro, aut familiari. Ego teneo Tulliam adhuc mecũ. Cura diligenter ualetudinem tuam: idest cura ut bona sit, & ualeas.

VICTORIVS. COnstitueramus) Hæc post pugnam Pharsalicam scripta est, cum Brundusii esset, quod significatur primis uerbis: dixerat enim antea, Nobis erat in animo Ciceronem ad Cæsarem mittere. Præterea quod inquit, Tulliam adhuc mecum teneo.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Literas ab uxore expectat, & a dolore quem a Volumnia acceperat, eam explicat.

TVLLIVS TERENTIAE SVAE S. D. 16

*E Tsi uales, bene est, ego ualeo. Etsi eiusmodi tempora nostra sunt, ut nihil habeam, quod aut à te literarũ expectẽ, aut ipse ad te scribam, tamen nescio quo*modo & ipse uestras literas expecto, & scribo ad uos, cum habeo, qui ferat. Volumnia debuit in te officiosior esse, quàm fuit: & id ipsum, quod fecit, potuit diligentius facere, & cautius. quanquam alia sunt, quæ magis curemus, magisq; doleamus: quæ me ita conficiunt, ut ii uoluerunt, qui me de mea sententia detruserunt: Cura ut ualeas. prid. Non. Ian.*

*a. Modo et uestras literas ex. & scri. ipse ad

ASCENSIVS. ETsi. Dicit se libenter scribere, & accipere literas, accusatq; Volumniam neglecti officii. Ordo est: Etsi tempora sunt eiusmodi: ut nihil literarum habeam, quod aut expectem a te, aut ipse scribam ad te: tamen nescio quo modo, &: idest simul, ipse .i. ego. expecto literas uestras: idest ex urbe mittendas, & scribo ad uos, cum habeo; sup. aliquem, qui ferat. Volumnia: scilicet matrona illa Romana, debuit esse officiosior in te, q̃ fuit, & potuit facere diligẽtius & cautius id ipsum quod fecit, quàquam sunt alia quæ curemus magis, & doleamus magis scilicet quam factum priuatũ Volumniæ. Quæ scilicet alia negotia, conficiunt me: idest consumunt, ita ut ii uoluerunt, qui detruserunt .i. uiolenter discedere fecerunt me de sententia mea: idest firmo proposito. Cura. ut ualeas. Loquitur de rebus inter se duntaxat notis.

VICTORIVS. ETsi eiusmodi tempora) Non possum facile constituere, quo tempore hæc epistola scripta sit, utrum ne post uictoriam Cæsaris cum Brundusii sederet, an multo tempore antea cũ exularet. Verba illa, ut ii uoluerunt, qui me de mea sententia detruserunt, aperire uidentur tempus, quo scripta sit: nã aliis in locis reprehendit consilium suum, qui iis paruerit qui in uita eum retinere uoluerant, cum ipse sibi manus afferre cogitaret, postquam patria pulsus est, quãuis accõmodari etiam possint tempori, quod Brundusii mansit, ut. s. queratur de illis qui inuitum eum coegerũt partes Põpeianas relinquere. docet enim se supra magnis iniuriis compulsum id consilium cepisse, quod non facile explicari posset. In epist. ad Att. inquit, Quæ me causæ mouerint, quã acerbæ, quã graues, quam nouæ, & quæ sequuntur, ut hoc uerius esse putem.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Excusatoria, cur nihil scribat.

TVLLIVS TERENTIÆ SVÆ S. D. 17

S Iquid haberem, quod ad te scriberem, facerẽ id & pluribus uerbis & sæpius. nunc, quæ sint negotia, uides. ego autem quomodo sim affectus, ex Lepta, & Trebatio poteris cognoscere, tu fac ut tuam, & Tulliæ ualetudinem cures. Vale.

ASCENSIVS. SIquid &c. Dicit se nihil habere quod scribat ad uxorẽ, eamq; posse intelligere ex Lepta & Trebatio, quomodo ipse sit afflictus. Ordo est. Si haberẽ quid .i. aliquid quod scriberem ad te, facerem id: idest scriberem ad te, & .i. simul pluribus uerbis, & .i. simul, sæpius. nunc uides quæ sunt negocia. Autem .i. sed, tu poteris cognoscere ex Lepta & Trebatio .s. amicis nostris, quomodo ego sim afflictus. Tu fac ut cures ualetudinem tuam, & Tulliæ .s. filiæ nostræ. Post quod dictum (ut sæpe admonui) frustra adderetur, Vale.

SI quid haberem) Constat scriptam fuisse, cum Brũdusii esset: nam ad Atticum nunc etiã scribens, inquit. CLXIII. Quãtis curis afficiar, etsi profecto uides, tamen cognosces ex Lepta, & Trebatio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA

Monitoria est Epistola.

TVLLIVS TERENTIÆ, ET PATER SVAVISSIMAE FILIAE, ET CICERO MATRI, ET SORORI S. D. P. 18

C Onsiderandum uobis etiam atque etiam animæ mea diligenter puto, quid faciatis, Romæ ne sitis, an mecum in aliquo tuto loco. id non solum meum consilium est, sed etiã uestrum. mihi ueniunt in mentem hæc, Romæ uos esse tutò posse per Dolabellam, eamq; rem posse nobis adiumento esse, siquis uis, aut si quæ rapinæ fieri cœperint. sed rursus illud me mouet, quòd uideo omneis bonos abesse Roma, & eos mulieres suas secũ habere. hæc autẽ regio in qua ego sum, nostrorũ est tum oppidorum, tum ẽt prædiorum: ut & multum esse mecum, & cum abieritis, commode etiam in nostris prædiis esse possitis. mihi planè non satis constat adhuc, utrum sit melius. uos uidete, quid aliæ faciant isto loco feminæ, & ne, cum uelitis, exire non liceat. id uelim diligenter etiã atque etiam uobiscum, & cum amicis consideretis. Domus ut propugnacula, & præsidium habeat, Philotimo dicetis. Et uelim tabellarios instituatis certos, ut quotidie aliquas à uobis literas accipiam. Maxime autem date operam, ut ualeatis, si nos uultis ualere. VIII. Calend. Febr. Formiis.

Considerandum

ASCENSIVS.

Considerandum &c. Eodem est fere argumento quo illa superior, quæ incipit. Vestrum iam consilium, nisi quod in fine monet Terentiam, ut curet domus facienda propugnacula, siquam uim militum imminere intellexerit. Ordo est: Ego o animæ meæ Terentia, & Tullia, puto considerandum sup esse nobis etiam atque etiam. i. frequenter & diligenter quid faciatis, ne. i. an sitis Romæ aut mecum in aliquo loco tuto. Id consilium est non solum meum. i. non incumbit mihi soli, sed etiam uestrum. i. sed incumbit etiam uobis. Hæc ueniunt mihi in mentem, uos posse esse Romæ tuto. i. sub protectione, tuto legiene tute propter pronomē, per Dolabellam. s. generum nostrū, & eam rem. s. affinitatem Dolabellæ, posse esse nobis adiumento, si qua uis s. militum, aut si quæ rapinæ cœperint fieri. Sed rursus, id est econtrario illud mouet. i. turbat me, quod uideo omnes bonos, idest Respub. amatores abesse Roma, & eos habere mulieres, idest uxores suas secum. Hæc autem regio. s. iuxta Formias in qua ego sum, est nostrorum tum oppidorum. i. quorum patronus sum, tum etiam prædiorum, ut possitis, & idest simul, esse mecum multum, et cum abieritis, esse commode in prædiis nostris. Nun constat, idest non est manifestum adhuc plane mihi, utrum. s. an Romæ manere, an ad me uenire sit melius. Videte uos quid aliæ fœminæ isto loco, idest istius conditionis cuius uos estis, faciant, ut ne, non liceat exire cum uelitis. Ego uelim supple ut consideretis diligenter etiā atque etiam. i. frequenter: uobiscum, idest inter uos & cum amicis, id, scilicet quod dictum est. Vos dicetis. i. mandabitis Philotimo, scilicet liberto nostro, ut domus, scilicet nostra habeat propugnacula, idest defensoria & ut dicunt fortalitia, & præsidium, idest custodiam armatorum Et uelim instituatis, idest ut ordinetis, tabellarios, idest literarum baiulos, certos i. non dubiæ fidei, ut accipiam quotidie a uobis aliquas literas. Date autem maxime i. præcipue operā, ut ualeatis. i. sospites sitis, si uultis nos ualere. Octauo. &c.

VICTORIUS.

Considerandum uobis) Scripta initio belli ciuilis, quare & ipsa huc importune inculcata. Vnū admonere uolo inscriptiones harum epistolarum, quæ & elegantissimæ sunt, & amoris, ac suauitatis plenissimæ, quales in meo libro sunt, tales in Mediceo inueniri: id enim summa diligentia custodiuimus. Idem etiam in epistolis, quæ ad Tyronem scriptæ sunt, obseruauimus: nā illarum quoque inscriptiones, & suauissimæ, & ardentissimæ sunt.

SEBAS. CORR.

Hæc autem regio in qua ego sum) Campania. {Nostrorum} Imperio: quoniam huic regioni sumus præfecti. {Abientis} a me. {Philotimo} liberto. {Calen. Febr. Formiis} Al. Calen. Formiis.

BERN. RVT.

Epistolam eam, quod scripta est initio bellorum ciuilium, puto ita collocandam, ut non modo illis superioribus, sed iis etiam ipsis omnibus, quas proxime in ordinem digessimus, ante ponatur, statimque ei subiiciatur, quæ Athenis scripta est, Cicerone ex Cilicia redeunte. Erit igitur hæc qua de loquor, sexta, septima uero, cuius initium, Si uos ualetis. Quod ad sextam, ipse ad Atticum lib. VII. epist. II. Vidi, inquit, Lentulum Cos. Formiis. X. Cal. Feb. nam ita legēdum eo loco arbitror. Et in eadem infra, Etiā quid censeas de Terentia & Tullia, Romæ eas, an mecū, an aliquo tuto locum Cal. hic quoque subscriptas, Feb. interpretere. Sed & xii. xiii. xiiii. xv. xvi. xviii. &c. monet me, quod hæ omnes ad Atticū literæ Ianuario & Februario scriptæ uidentur, ut in illis ipsis suspicer peccatum, quid enim tam cito a Iunio ad Februarium? Sed quicquid sit, argumentum certe conuenit. Scriptas enim constat, Cæsare ex Gallia mouente ad urbem occupandam. Sed ut omnes una opera, si potest, collocemus, uidemus octauam libri huius facere possimus, cuius initium, Si uales bene est, ego quidē ualeo, Valetudinem, nonam, Omnes molestias, & si de duabus his potissimū ambigo. X. cuius ad cæteras. II. cuius, quod scripsi. XII. Cuius, Quid fieri. xiii. cuius, Nec sæpe est xiiii. cuius. quod nos in Italiam. xv. cuius, In maximis. xvi. Etsi eiusmodi. xvii. Siquid haberē. xviii. Si uales bene est, ualeo. Tullia nostra. xix. Si uales bene est, ualeo. Constitueramus. xx. Si uales bene est, ualeo. Redditæ. xxi. Nos neque. xxii. Nos quotidie xxiii. In Tusculanum. xxiiii. Da operam. Vt in ea quam septimam fecimus, Calen. Feb. pro Quinti. reponas. Ipse ad Att. Quarto No. Feb. mulieres nostræ Formias uenerant.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Nunciatoria est epistola.

TVLLIVS TERENTIAE SVAE S. D. 19

In maximis meis doloribus excruciat me ualetudo Tulliæ nostræ, de qua nihil est, quod ad te plura scribam: tibi enim æque magnæ curæ esse certò scio, Quòd me propius uultis accedere, uideo ita esse faciendum: etiam ante fecissem: sed me multa impedierunt, quæ ne nunc quidē expedita sunt. sed à Pomponio expecto literas, quas ad me quamprimū perferendas cures uelim. Da operam ut ualeas.

ASCENSIVS.

In maximis, Dicit sibi ualetudinem Tulliæ dolori esse, & se propius accessurū. Ordo est: Valetudo. i. mala dispositio Tulliæ nostræ. s. filiæ, ea cruciat me in maximis doloribus s. aliis. De qua, scilicet Tullia: nihil est, quod idest cur, scribam ad te plura. Enim, idest quia, ego scio certo, supple eam esse tibi curæ æque magnæ, ut. s. mihi Quod uultis me accedere propius, ego uideo. i. considero faciendum esse ita, & fecissem iam ante. s. quā monuissetis. sed multa impedierunt me, quæ ne quidem: idest nō etiam nunc, sunt expedita. i. (ut dicunt) euacuata Sed ego expecto literas a Pomponio. s. Attico. Quas uelim supple ut cures perferendas ad me quamprimum, idest ualde cito. Da operam ut ualeas.

VICTORIVS.

In maximis meis doloribus) Scripta ut arbitror, cum Brundusii esset post deuictum Pompeium: id mihi significans uerba illa, Quod me propius uultis accedere. nam ad Att. etiam scribens, eodem tempore, inquit, Quod scribis placere, ut propius accedā. in hac etiam epistola narrat se expectare a Pomponio literas, quid enim de hac re ille sentiret, scire uolebat.

GIBERTI LONGO. LEMMA.

Monitoria, ut balneum paret.

TVLLIVS TERENTIAE SVAE S. D. 20

In Tusculanum nos uenturos putamus aut Nonis, aut postridie. ibi fac ut sint omnia parata: plures enim fortasse nobiscum erunt: et (ut arbitror) diutius ibi commorabimur. labrū si in balneo non est, fac ut sit: item cætera, quæ sunt ad uictum, et ad ualetudinem necessaria. Vale. V. Calend. Octob. de Venusino.

ASCENSIVS.

In Tusculanum &c. Significat quando in uillam suam Tusculanum uenturus sit, ut omnia parentur etiam in balneo, sibique & comitibus suis dicens. Nos putamus nos uenturos supple esse in Tusculanum. i. uillam nostram Tusculanam, aut nonis. s. istius mensis, aut postri die. i. die proxime secuturo. Fac supple ut omnia sint parata ibi. Enim. i. quia plures erunt fortasse nobiscum, & ut arbitror nos commorabimur ibi diutius. Si labrum. i. uas lauandis aptum non est in balneo, fac ut sit. Item fac ut cætera quæ necessaria ad uictum & ualetudinem, sup. sint. Vale. Quinto Calen. Octo. De Venusino, oppido inter Lucaniam & Apuliam.

VICTORIVS.

In Tusculanum nos uenturos} Hæc quoque non seruato ordine hic collocata ē, tempus etiam incertum, quo scripta sit: fortasse cum e prouincia rediit: potuit etiam cum ad urbem appropinquaret, post reditum Cæsaris in Italiam: nam non ante Brundusio discessit, quam illum bello Alexandrino confecto, & Pharnace superato, uictorem Tarentum nauibus appulisse audiuit. De duabus quæ sequuntur, nihil certi tradi potest, suspicor tamen scriptas esse a Cicerone cum Brūdusii maneret. {De uenusio} Mediceus codex, {De uenusino} nos de Venusino scripsimus: unius literæ defectum illum habere arbitrati. Petrarchæ sane liber (De Venusino) habet: nam (de Venusio) nullo pacto probamus. Venusio enim hæc urbs appellatur, non Venusium neutro genere. præterea non adposuisset præpositionem ciuitati, ut supra Dat. p. Non. Nouemb. Brundusio: & aliis infinitis locis, Quod autem in hac ipsa paruula epistola bis deleuimus {Fac} tribuimus id & antiquorum codicū authoritati, & familiaris sermonis consuetudini. sæpe enim huiusmodi uoces elegantius desiderantur: nam & facile intelligi possunt, & breuitatem sermonis adiuuant. quam autem sæpe sic Cicero, & Comici maxime loquantur, quia crebra sunt exēpla, non longior ero in ostendendo.

SEBAS. CORR.

Venturos) Al. futuros. {V. Calen.} Al IIII. {Cal. Al.} Cal. {Venusio} Alii legunt. Venusino.

GIBERTI LONGOLII LEMMA

Hortatur, ut ualetudinem curet.

TVLLIVS TERENTIAE SVAE S. D. 21

SI uales, bene est: ego ualeo. Da operam, ut conualescas: quod opus erit, ut res, tempusq; postulat, prouideas, atque administres, & ad me de omnibus rebus quam sæpissime literas mittas. Vale.

ASCENSIVS. SI uales & cætera monet ut saluti consulat, ut omnibus prospicere possit, & ad se crebras dare literas, dicens. Si & cætera. Da operam ut conualescas, supple, ut prouideas & administres quod opus, idest necessariũ erit, ut res & tempus postulat, & mittas ad me quam sæpissime literas de omnibus rebus.

TVLLIVS TERENTIAE SVAE S. D.

SI uales, bene est: ego ualeo. Nos quotidie tabellarios uestros expectamus: qui si uenerint, fortasse erimus certiores, quid nobis faciendum sit, faciemusq; te statim certiorem. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. Calend. Sept.

ASCENSIVS. SI uales & cætera. Dicit se expectare tabellarios Terentiæ, a quibus quid agendum habeat, noscat, & statim rescribat. Ordo est. Si & cætera. Nos expectamus quotidie tabellarios uestros, qui si uenerint, nos erimus certiores, fortasse quia potuissent nihil scripsisse, quid faciendum sit nobis: & faciemus te statim certiorem, scilicet quid faciendum sis. Valete &c.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Nunciatoria est epistola.

TVLLIVS TERENTIAE SVAE S. D. 22

SI uales bene est: ego ualeo. Redditæ mihi iam tandem sunt à Cæsare literæ satis liberales: & ipse opinione celerius uenturus esse dicitur. cui utrum obuiam procedam, an hic eum expectem, cum constituero, faciam te certiorem. Tabellarios mihi uelim quam primum remittas. Valetudinem tuam cura diligenter. Vale. prid. Id. Sext.

SI uales & cætera. A Cæsare se literas accepisse dicit & eum celerrime aduentare, unde dubitat an obuiam eat, dicens. Literæ satis liberales redditæ sunt mihi tãdem a Cæsare, & ipse dicitur esse uenturus: scilicet ad urbem: celerius opinione: idest quam homines opinentur. Cui cum constituero: idest decreuero, utrum procedam obuiam, an expectem eum hic, faciam te certiorem. Ego uelim mittas mihi tabellarios, scilicet quos ad te mitto, quamprimum, idest ualde cito. Cura &c. ASCENSIVS.

REdditæ mihi iam tandem) Dubitari non potest, quin hæ literæ, & inferiores post reditum ipsius in Italiam scriptæ sint, relictis partibus Pompeianis, cum iam multum tempus Brundusii mansisset. Quod autem se adhuc non statuisse inquit, utrum illi obuiam procedat, an illic eum expectet: quid postea fecerit, narrat Plutarchus in uita ipsius. VICTORIVS.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Nunciatoria & petitoria.

TVLLIVS TERENTIAE. S. D. 23

SI uales, bene est: ego ualeo. Nos neque de Cæsaris aduentu, neque de literis, quas Philotimus habere dicitur, quicquam adhuc certi habemus. si quid erit certi, faciam te statim certiorem. Valetudinem tuam fac ut cures. Vale. IIII. Id Sex.

SI uales & cætera. Dicit se nihil certi habere de Cæsaris aduentu, neque de literis quas Philotimus a Cæsare ad se habere dicebatur. unde uidetur hæc epistola scripta ante proxime præcedentem. Ordo est: Si & cætera. Nos neque habemus adhuc quicquam certi de aduentu Cæsaris: neque de literis, quas Philotimus. Libertus noster dicitur habere. s. a Cæsare. Siquid certi erit: supple mihi, faciam se certiorem, & cætera. ASCENSIVS.

PHilotimus) de quo Atticum sic scribit: Augustus cuidam nuntiabat, Philotimum Rhodum. V. Calen. Iun. uenisse, & habere ad me literas. SEBAS. CORR.

MARCI TVLLII CICERONIS

EPISTOLARVM FAMILIARIVM,

LIBER DECIMVSQVINTVS.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Nuntiatoria & petitoria est epistola. exponit enim quam varii sint rumores, timorque Parthorum aduentus, deinde a Senatu maiorem exercitum petit.

M. TVLLIVS CICERO M. F. PRO. COS. S. P. D. COSS. PRAETT. TRIB. PL. S. P. Q. R. 1

SI uos bene ualetis, bene est: ego quidem ualeo. Etsi non dubie mihi nuntiabatur Parthos transisse Euphratem cũ omnibus ferè suis copiis: tamen, quod arbitrabar à M. Bibulo Procos. certiora de his rebus ad uos scribi posse statuebam mihi non necesse esse publice scribere ea quæ de alterius prouincia nuntiarẽtur: postea uero q̃ certissimis authoribus, legatis, nuntiis, literis sum certior factus, uel q. tanta res erat, uel q. nondum audieramus Bibulum in Syriã uenisse, uel quia administratio huius belli mihi cũ Bibulo pené est cõmunis, quæ ad me delata essent, scribenda ad uos putaui. Regis antiochi Cõmageni legati mihi primi nũtiarũt Parthorum magnas copias Euphratem transire cœpisse. quo nũtio allato, cum essent nonnulli, qui ei Regi minorem fidem habendam putarent, statui expectandum esse siquid certius afferretur. ad XII. Cal. Oct. cum exercitum in Ciliciam ducerem, in finibus Lycaoniæ, et Cappadociæ mihi literæ redditæ sunt à Tarcõdimoto, qui fidelissimus socius trans Taurum, amicissimusq; populi Romani existimatur: Pacorum Orodis Regis Parthorum filiũ cum permagno equitatu Parthico transisse Euphratem, & castra posuisse Tybæ, magnumq; tumultum esse in prouincia Syria excitatum. eodem die ab Iamblicho Phylarcho Arabum, quem homines opinantur bene sentire, amicumq; esse Reipub. nostræ, literæ de iisdem rebus mihi redditæ sunt. his rebus allatis, etsi intelligebam socios infirme animatos esse, & nouarum rerum expectatione suspensos: sperabam tamen eos, ad quos iam accesseram, quiq; nostrã consuetudinem, integritatemq; perspexerant, amiciores populo Romano esse factos: Ciliciam autem firmiorem fore, si æquitatis nostræ particeps facta esset. & ob eam causam, & ut opprimerentur ii, qui ex Cilicum gente in armis essent, & ut hostis is, qui esset in Syria, sciret exercitum populi Romani non modo non cedere his nuntiis allatis, sed etiam propius accedere: exercitum ad Taurũ institui ducere. sed siquid apud uos authoritas mea põderis habet, in iis præsertim rebus, quas uos audistis, ut ego pené cerno: magnopere uos, & hortor, & moneo, ut his prouinciis serius uos quidem, quàm decuit, sed aliquando tamen consulatis. nos quẽadmodũ instructos, & quibus præsidiis munitos ad tanti belli opinionem miseritis, non estis ignari. quod ego negotium non stultitia obcæcatus, sed uerecundia deterritus non recusaui: neque.n. unquam ullum periculũ tantum putaui, quod subterfugere mallẽ, quàm uestræ authoritati obtemperare. hoc autem tẽpore res sese sic habet, ut, nisi exercitum tantum, quantum ad maximum bellum mittere soletis, mature in has prouincias miseritis, summũ periculum sit, ne amittendæ sint omnes hæ prouinciæ, quibus uectigalia populi Romani continentur, quamobrem autem in hoc prouinciali delectu spem habeatis aliquã, causa nulla est: neque multi sunt: & diffugiunt, qui sunt, metu oblato: & quod genus hoc militum sit, iudicauit uir fortissimus M. Bibulus in Asia, qui cum ei permisissetis, delectum habere noluerit. nam sociorum auxilia propter acerbitatem, atque iniurias imperii nostri, aut ita imbecilla sunt, ut non multum nos iuuare possint, aut ita alienata à nobis, ut neque expectandum ab iis, neque committendum iis quicquam esse uideatur. Regis Deiotari & uoluntatem, & copias, quantæcunque sunt, nostras esse duco. Cappadocia est inanis. Reliqui Reges, tyranniq; neque opibus satis firmi, nec uoluntate sunt. mihi in hac paucitate militum, animus certe nõ deerit: spero, ne consilium quidem. quid casurum sit, incertum est. utinam saluti nostræ consulere possimus: dignitati certe consulemus.* Valete.

*a. l. equitatus nostri.

ASCENSIVS.

ETsi non dubie mihi &c. Argumentum dependet cum epistolis in secundo, & tertio libris habitis, ubi de Proconsulatu suo in Cilicia plenius scripsit. In hac autem dicit quibus rebus adductus sit scribere Romam de transitu Parthorum, & quam uarii fuerint de eis rumores, deinde quid egerit perspecto transitu Parthorum, contra quos cum opus sit maiore exercitu, rogat ut ad se mittatur tantus quanto opus sit ad maximum bellum conficiendum, cum nulla sit spes in prouincialibus, nec in sociis, excepto Deiotaro. præscriptio legetur sic, M. T. Cicero Marci Filius Proconsul, Salutem plurimã dicit Consulibus, Prætoribus, Tribu. plebis, Senatui populoq; Romano. quod additur, Si uos, & cætera. addendum non est. Ordo est: Etsi nuntiabatur mihi non dubie. i. certe, Parthos transisse Eupheutem s. fluuium, fere cum omnibus copiis suis, alibi tamen dicit, Arabes fuisse in uestitu Parthico, tamẽ quod. i. quia, ego arbitrabar certiora posse scribi ad uos de his rebus a M. Bibulo Proconsule. s. Syriæ, & ita uiciniore, statuebam non esse necesse mihi scribere publice. i. ad Senatum ea, quæ nuntiarẽtur de prouincia alterius. Postea uero quam sum factus certior certissimis authoribus, legatis, nuntiis, literis, putaui ea quæ delata essent ad me, scribẽda esse ad uos, uel, quod res erat tanta, ut cũ periculo ignoraretur: uel quod nõdum audieramus Bibulum uenisse in Syriam, uel quia administratio huius belli est mihi pene communis cum Bibulo: quia proximam habebat prouinciam. Legati Commageni a loco dicti, regis Antiochi nuntiauerunt mihi primi magnas copias Parthorum cœpisse transire Euphratem. Quo nuntio allato, cum essent nonnulli qui putarent minorem. i. non integram fidem habendam. i. non satis credendum esse ei regi, statui expectandum esse. s. prius quam scriberẽ, siquid certius afferretur. Literæ sunt redditæ mihi e Cappadocia a Tarcondimoto, qui æstimatur fidelissimus socius trans Taurum. i. eorum qui habitant trans Taurum. s. montem, & amicissimus Populi Romani, redditæ, dico, sunt in finibus Lycaoniæ ad decimumtertium Calendas Octobr. cum ducerem exercitum in Ciliciam, Parcodem. s. nuntiantes Parcodẽ, seu Pacorem filiũ Orodo

pro Orodii, Alii tamen Orodis, scribunt, regis Parthorum transisse Euphratem cum permagno .i. ualde magno equitatu Parthico, & posuisse castra Tybæ .i. in eo loco Syriæ, & magnum tumultū esse excitatum in prouincia Syria. Literæ de iisdem rebus .i. de transitu Parthorum sunt redditæ mihi eodē die a Iamblico Phylarcho .i. Tribuno seu præfecto Arabum, quem homines opinantur bene sentire .s. de nobis, & amicum esse reipublicæ nostræ His rebus allatis .i. postquam hæ essent allatæ, & si intelligebam socios .s. Ro. imperii esse animatos infirme .i. debiliter, & suspensos .i. dubios in fide, expectatione .i. propter expectationem rerum nouarum, sperabam tamen ad quos ego accesseram iam, quiq; .i. & qui perspexerant cōsuetudinem nostram .i. commercium nostrum, & integritatem nostram .i. fidei nostræ, factos esse amiciores populo Romano. Autem .i. sed sperabam sup. Ciliciam .s. prouinciam fore firmiorem, si esset facta particeps equitatus nostri. Et institui .i. proposui ob eam causam .s. ut amiciores fierent, & ut ii qui ex gente Ciliciū essent in armis opprimerentur, & ut in hostis .s. Parthus qui esset in Syria, sciret exercitum populi Romani non modo non cedere his nuntiis allatis .i. licet huiusmodi nuntii essent allati, sed etiā accedere propius: institui inquam ducere exercitum .s. Romanum ad Taurum .s. montem qui prouincias illas dirimit. Sed si authoritas mea habet quid .i. aliquid ponderis apud uos præsertim in his rebus quas uos audistis, ut ego pene cerno, & hortor & moneo uos magnopere, ut uos consulatis .i. prospiciatis consilio, his prouinciis Syriæ & Ciliciæ, serius quidem quam decuit, sed aliquando .i. tandem. Vos non estis ignari .i. bene scitis quemadmodum miseritis sup. nos instructos & quibus præsidiis munitos .q. d. infirmissimis, ad opinionem .i. ubi esset opinio tanti belli. Quod negotium .s. tam arduum ego non recusaui, non obcæcatus .i. non propterea quod essem obcæcatus seu occæcatus, sed deterritus uerecundia. Neq; enim putaui unquam ullum periculum tantum quod mallem subterfugere, quam obtemperare authoritati uestræ. Autem .i. sed, res habet sese hoc tempore sic, ut nisi miseritis mature .i. cito. in has prouincias tantum exercitum quantum soletis mittere ad maximum bellum, summum periculum sit, ne omnes hæ prouinciæ quibus uectigalia .i. pecuniæ quas ex rebus uehendis, & portandis recipere solebant, populi Romani continentur, sint amittendæ .i. debeant amitti. Videri solet Cice quibusdam meticulosior, quod uitium prudentioribus frequens est. Quamobrem causa nulla est, ut habeatis spem in hoc delectu prouinciali .i. in militibus quos possimus per delectū in prouinciis conscribere, quia sup. milites neque multi sunt, & qui sunt, diffugiūt metu oblato .i. quia metus est eis a Parthis obiectus, & Marcus Bibulus uir fortissimus indicauit aut iudicauit in Asia, quod .i. quale sit hoc genus militum, qui cū nos permisissetis et habere delectum .i. conscribere milites nouos, noluit sup. habere. Nā auxilia sociorum sunt propter acerbitatem atque iniurias imperii nostri, aut ita imbecilla ut non possint iuuare nos multum aut alienata a nobis, ut neq; quicquam uideatur esse expectandum ab iis, neque committendum iis. Ego duco .i. iudico uoluntatem & copias Deiotari regis, pro quo extat Ciceronis oratio, quantæcunq; sunt, esse nostras .i. nobis fauentes. Cappadocia est inanis .i. exhausta militibus & pecunia. Reliqui reges .s. iusti, & tyranni .i. incubatores regiarum, neq; sunt satis firmi opibus, neque uoluntate. Animus certe non deerit mihi in hac paucitate militum. spero ne quidem, id quod non etiam consilium. Incertum est quid sit casurum .i. casu euenturum. Vtinam possimus consulere .i. consilio prospicere saluti nostræ. nos certe consulemus .i. prospiciemus & satis faciemus dignitati .i. honori nostro, hoc est nihil faciemus contra dignitatem nostram.

VICTORIVS.

LIteræ redditæ sunt a Tarcondimoto) Dion Tarcondomotū hunc regulum appellat: nam apud alios authores aliquantulum hoc nomē librariorum uitio (ut puto) uariatū reperias. De clementia Cæsaris Dion. lib. xliii. loquitur.

Ex post eiusdem.

A Tarcondimoto) Nec a uetustis codicibus discedo (nā in Mediceo, cui multum tribuo, nulla uarietas) nec receptam lectionem muto. res ipsa, liberiq; meus testantur, nec ullo modo reprehendi debeo, si in manuscripto Dione ostendi {Tarcōdomotum} legi, cui enim hæc pusilla in re diligentia mea obesse potest? Idem tamen in melioribus postea codicibus Dionis {Tarcondimotum} scriptum esse obseruaui. {Quiq; nostram consuetudinem) Probo lectionem Corrigiensis, ingeniumq; ac diligentiam ipsius laudo, qui {Mansuetudinem} potius, quam {Consuetudinē} legendum putet.

PAVL. MANV.

A Tarcondimoto) sic habent uetusti codices: a quibus non audeo cur hoc in loco dissentiendum sit: præsertim cum & Dion in fine lib. XLVI. & L. Florus initio belli ciuilis inter Cæsarem, & Pompeium gesti, Tarcondimotum eum appellent: mendose enim in Floro, Tarcondimotus, duabus uocibus impressum est, cum in libro manuscripto una sit. {Consuetudinem) Putat legendum esse Hieronymus Ferrarius, mansuetudinem, quod etiā. 243. quæ copiis (dixit) & opibus tenere uix possumus, ea mansuetudine, & continentia teneamus: & ad Atticum LXXVIII. sociis incredibilis uidetur & nostra mansuetudo, & abstinentia.

SEBAS. CORR.

M Bibulo Procos.) Syriæ. {Commageni) Plin. libr. V. capi. XII. {Legati primi} Epi. III. huius libri. {Tarcondimoto) partis Gallogræciæ, uel Ciliciæ secundum Dionem, Tetrarcha, quem Tarcondarium Castorem Cæsar appellat. {Pacorum) quem postea Ventidius superauit, cuiq; Phraartes frater successit. {Orodis) hunc Plutarchus non semel Hyrodem uocat. {Iāblico) Sampsicerami filio. {Phylarcho) Et dignitatis, & gētis hoc nomen esse potest. Arabes enim quidam Phylarchi (Strabone authore) nominantur.

BERN. RVT.

PAcorem Orodi regis Parthorum filium) Pacorum alii uocant, Ciceroq; ipse ad Atticum libro quinto, rem eandē perscribens. Nobis primam esse libri huius epistolā placet: quā ad Catonem scripsit priorē. in ea enim nihildum Senatui scripsisse indicat: in ea impetum in Cappadociam potius legerim, quam in Cappadocia.

PHIL. MELā.

ETsi Non dubie) Nuntiatoria & petitoria epistola est. Exponit enim, quam uarii sint rumores timoresq; de Parthorum aduentu. Deinde a Senatu maiorem exercitum petit.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Longa oratione, quid a se in prouincia gestum sit, prosequitur: quoque pacto Ariobarzanem insidiis liberarit. Pulcherrima est epistola, & rerum uariarum narrationes complectens.

M. TVLLIVS CICERO M. F. PROCOS. S. P. D. COSS. PRAETT. TRIBB. PL. S. P. Q. R. 2

*SI uos bene ualetis, bene est: ego quidem ualeo. Cū prid. Calend. Sext. in prouinciam uenissem, neque maturius propter itinerum, & nauigationum difficultatem uenire potuissem, maxime conuenire officio meo, Reiq; pub. conducere putaui, parare ea, quæ ad exercitū, quæq; ad rem militarē pertinerent. quæ cum essent à me cura magis, & diligentia, quàm facultate, & copia constituta, nuntiiq;, & literæ de bello à Parthis in prouinciā Syriam illato quotidie ferè afferrentur: iter mihi faciendum per Lycaoniam, & per Isauros, & per Cappadociā arbitratus sum: erat enim magna suspicio, Parthos, si ex Syria egredi, atque irrūpere in *meam prouinciam conarentur, iter eos per Cappadociā, quòd ea maxime pateret, esse facturos. itaque cum exercitu per Cappadociæ partem eam, quæ cum Cilicia continens est, iter feci: castraq; ad Cybistra, quod oppidum est ad montem Taurum, locaui: ut Artuasdes Rex Armenius, quocunque animo esset, sciret, nō procul à suis finibus exercitum populi Romani esse, & Deiotarum, fidelissimum Regem, atque amicissimum Reipublicæ nostræ maxime coniunctum haberem, hominem cuius & consilio, & opibus adiuuari posset Respublica. quo cum in loco castra haberem, equitatumq; in Ciliciam misissem, ut & meus aduentus iis ciuitatibus, quæ in ea parte essent, nuntiatus, firmiores animos hominū faceret, & ego mature, quid ageretur in Syria, scire possem: tempus eius tridui, quod in his castris morabar, in magno officio, & necessario mihi ponēdum putaui. cum enim uestra authoritas intercessisset, ut ego Regem Ariobarzanem *Eiusdem, & Philorhomæum, tuerer eiusq; Regis salutem, & *incolumitatem regni defenderem, Regi, regnoq; præsidio essem, adiunxissetisq;, salutem eius Regis populo, Senatuiq; magnæ curæ esse, quod nullo unquā de Rege decretum esset à nostro ordine: existimaui me iudicium uestrum ad Regem deferre debere, eiq; præsidium meum & fidē, & diligentiam polliceri: ut quando salus ipsius, & incolumitas regni mihi commendata esset à uobis, diceret, si quid uellet. quæ cum essem in consilio meo cum Rege locutus, initio ille orationis suæ uobis maximas, ut, debuit deinde etiam mihi gratias egit, quod ei permagnum, & perhonorificum uidebatur, Senatui populoq;

*a.l. eam.

*al. Εὐσεβῆ, καὶ φιλορωμαῖον.

*a.l. incolumitatē, regnūq;.

Romano

*Romano tantæ curæ esse salutem suam, meq; tantam diligentiam adhibere, ut & meæ fide, & commendationis uestræ authoritas perspici posset. atque ille primo, quod mihi maximæ lætitiæ fuit. ita mecum locutus est, ut nullas insidias, neque uitæ suæ, neque regno diceret se aut intelligere fieri, aut etiam suspicari, cum ei ego gratulatus essem, idq; me gaudere dixissem, cohortatus ut recordaretur casum illum interitus paterni, & uigilanter se tueretur, atque admonitu Senatus consuleret saluti suæ: tum à me discessit in oppidum Cybistra. postero autẽ die cum Ariarathe fratre suo, & cum paternis amicis maioribus natu ad me in castra uenit, perturbatusq;, & flens, cum idem & frater faceret, & amici, meam fidem, uestram commendationem implorare cœpit. cum admirarer, quid accidisset noui: dixit ad se indicia manifestarum insidiarum esse delata: quæ essent ante aduentum meum occultata, q; ii, qui ea patefacere possent, propter metum reticuissent. eo aũt tẽpore spe mei præsidii cõplureis ea, quæ scirent, audacter ad se detulisse: in his amantißimum sui summa pietate præditum, fratrem dicere ea, quæ is me quoque audiente dicebat, se solicitatum esse, ut regnare uellet: id uiuo fratre suo accidere non potuisse: se tamen ante illud tempus eam rem nunquã in medium propter periculi metum protulisse. quæ cum esset locutus, monui Regem, ut omnem diligentiã ad se conseruandum adhiberet: amicosq; in patris*eius fide, atque indicio probatos, hortatus sum Regis sui uitam, docti casu acerbissimo patris eius, omni cura custodiaq; defenderent. cum Rex à me equitatum, cohortesq; de exercitu meo postularet: etsi intelligam uestro S.C. non modo posse me id facere, sed etiam debere: tamen cum Resp. postularet propter quotidianos ex Syria nuntios, ut quam primum exercitum ad Ciliciæ fines adducerem: cumq; mihi Rex patefactis iam insidiis non egere exercitu Popu. Ro. sed posse se suis opibus defendere uideretur: illum cohortatus sum, ut in sua uita conseruanda primum regnare disceret: à quibus perspexisset sibi insidias paratas, in eos uteretur iure regio: pœna afficeret eos, quos necesse esset: reliquos metu liberaret: præsidio exercitus mei ad eorum, qui in culpa essent, timorem potius, quàm ad contentionem uteretur. fore autem, ut omnes quando S.C. nossent, intelligerẽt me Regi, si opus esset, ex authoritate uestra præsidio futurũ. ita confirmato illo, ex eo loco castra moui, & iter in Ciliciã facere institui: cũ hac opinione è Cappadocia discederẽ, ut consilio uestro, casu incredibili, ac penè diuino Regẽ, quem uos honorificentissime appellassetis nullo postulante, quẽq; meæ fidei cõmendassetis, & cuius salutem magnæ uobis curæ esse decreuissetis, meus aduentus præsentibus insidiis liberasset. quod ad uos à me scribi, non alienũ putaui, ut intelligeretis ex iis, quæ penè acciderunt, uos multo ante, ne ea acciderent, prouidisse. eoq; uos studiosius feci certiores, q; in Rege Ariobarzane ea mihi signa uideor uirtutis, ingenii, fidei, beneuolentiæq; erga uos perspexisse, ut nõ sine causa tantam curam, diligentiamq; in eius uos salutem uideamini contulisse.* Vale.

*al. eius atque

ASCENSIVS.

Cum pridie &c. Quidam præpositam habent salutationem uulgarem. Si uos ualetis bene est, ego quidem ualeo. Facit autem certiorem Senatum populumq; Romanum quid egerit cum primum in Asiam uenit Imperator in Ciliciam proficiscens: Deinde quemadmodum præsidiis sui exercitus liberauerit Ariobarzanem regem Cappadociæ ab insidiis quæ illi parabantur, cum salus illius regis fuerit sibi commendata. Postremo eiusdem regis ingenium, fidem & beneuolentiam erga S.P.Q.R. se perspexisse affirmat, quibus dicit illum meruisse ut po. Romano sit charus. Ordo est Cum uenissem pridie: idest die qui præcessit Cal. Sextilis, idest primum diem Augusti, in prouinciam, scilicet Ciliciam, neque potuissem uenire maturius. i. citius, propter difficultatem itinerum per terras, & nauigationum per maria, putaui conuenire maxime officio meo, & conducere: idest utile esse reipu. parare ea quæ pertinerent ad exercitũ, & ad rem militarem. Quæ cum essent & constituta: idest ordinata & instructa a me magis cura & diligentia quam facultate & copia, et nuntii & literæ de bello illato a Parthis in prouinciã Syriã afferẽtur fere quotidie, arbitratus sum iter faciẽdũ sup. esse, mihi per Lycaoniam & per Isauros, & per Cappadociã regiones illas Asiæ. Suspicio enim magna erat Parthos si conarentur egredi ex Syria, atq; irrumpere in prouinciam meam, uidelicet Ciliciam, eos facturos esse iter per Cappadociam, quod ea pateret maxime. Erat enim ut supra dixit inermis. Itaq; feci iter per eã partem Cappadociæ, quæ est continens i. se tenens & affinis cum Cilicia, & locaui castra ad Cybistra, quod oppidum est ad montem Taurum. Cic. fere in appositione magis commone præponit ut Regis Deiotari, montẽ Taurum, prouinciam Syriam & cætera non tamen semper, nam sequitur, ut Artuasdes rex Armenius quocunq; animo esset. i. quencunque animum in nos haberet, sciret exercitum populi Romani esse non longe a finibus suis, & ut, scilicet haberem Deiotarum regem fidelissimum atque amicissimum reip. nostræ coniunctum maxime, appositorie hominem. i. qui est homo cuius & consilio & opibus, resp. s. Romana, possit iuuari maxime. In quo loco cum haberem castra & misissem equitatum in Ciliciã, ut & aduentus meus nunciatus his ciuitatibus quæ essent in ea parte, faceret animos hominũ firmiores, & ego possem scire mature l cito quid ageretur in Syria, putaui tempus eius tridui quod morabar, in his castris, ponendum idest expendendum in officio magno & necessario mihi.

Cum enim authoritas uestra intercessisset. i. confirmasset, ut ego tuerer. i. protegerem Ariobarzanem Eusebem. i. pium cultorem & Philoromæum. i. amicum Romanorum, græca sunt uocabula & græce scribenda Nam εὐσεβὴς dicitur pius & religiosus φίλος amicus & amator ῥωμαῖος rhomæus Romanus Græce enim aspiratur ut Rhome. i. ualentia, & defenderem salutem & incolumitatem, & regnum eius regis, & esse præsidio l. custodiæ & protectioni regi, & regno, & sup. cum adiunxissetis salutem eius regis esse populo Senatuiq; Rom. magnæ curæ, quod ullo. i. non ullo, esset decretũ unquam de ullo rege, ab ordine nostro i. Senatorio, existimaui. i. iudicaui me debere deferre ad regem. i. indicare regi, iudicium uestrum & polliceri ei præsidium meum, & fidem & diligentiam ut quando. i. quoniam salus ipsius & incolumitas regni esset commendata mihi a uobis, diceret siquid uellet. Quæ cum essem locutus in cõcilio meo i in cœtu meorum: cum rege illo. s. rex egit initio orationis. s. respõsionis suæ uobis ut debuit maximas gratias. Deinde egit mihi gratias quod uidebatur ei permagnum & per honorificum. i. ualde magnum & ualde honorificum esse, salutem suam esse Senatui populoq; Roma. tantæ. i. tam magnæ curæ, & me adhibere tantam diligentiam ut & fides. i. fidelitas mea & authoritas uestræ cõmendationis posset perspici. Atque ille locutus est primo mecum, quod fuit mihi maximæ lætitiæ, ita ut diceret se nullas. i. nõ ullas aut nõ intelligere aut etiam suspicari ullas insidias fieri uitæ suæ, neque regno sup. suo. Cum essem gratulatus ei, & dixissem me gaudere id. i. propter id, cohortatus ut recordaretur illum casum. i. fortuitum euentum interitus paterni, qui per insidias cæsus erat, & tueretur. i. protegeret se uigilanter, atque consuleret. i. prospiceret saluti suæ, admonitu. i. ex admonitione Senatus. s. Romani, tum. i. deinde discessit a me in oppidum Cybistra. s. nomine, est autẽ neutri generis & pluralis numeri. Autem, idest sed ipse uenit ad me in castra postridie. l. die proxime secuto, cum Ariarathe fratre suo, & cum amicis paternis maioribus natu. i. senioribus. Et perturbatus ac flens, cum & frater faceret idem. i. etiam fleret, & amici sup. facerent idem, cœpit implorare. i. plorando poscere fidem meam & commendationem uestram. Cum admirarer quid noui accidisset, dixit indicia. i. manifestamenta insidiarum manifestarum, scilicet tunc non prius esse delata. i denontiata sibi quæ essent occulta ante aduentũ meum, quod ii qui possent patefacere, ea retinuissent propter metum. Autem. i. sed complures detulisse ad se. l. sibi indicasse audacter eo tempore, spe præsidii mei. i custodiæ & protectionis meæ, ea quæ scirent & supp. dixit fratrem amantissimum sui. s. regis præditum summa pietate dicere in iis. i. inter eos qui quæ scirent detulerant, ea quæ is dicebat quoq;. i. etiam me audiente, se esse solicitatum ut uellet regnare i regnum inuadere, & sup. id nõ potuisse accidere fratre suo uiuo, se tamen nunquam protulisse eam rem in medium. i. indicasse fratri ante illud tempus, propter metũ periculi, quod imminebat ab iis qui uolebant illum regnare Quæ cum esset locutus, monui regem ut adhiberet omnem diligentiam ad conseruandum se, & hortatus sum amicos probatos. i. fideles inuentos, in fide atque iudicio patris eius sup ut docti, casu acerbissimo i per casum acerbissimum patris eius, defenderent omni cura & custodia uitam regis sui. Cum rex postularet a me equitatum & cohortes de exercitu meo, & si intelligebã me non modo posse, sed etiam debere facere id, Senatusc õsulto uestro. l propter Senatusconsultum uestrum, tamen cum resp. postularet propter quotidianos nuntios ex Syria s. de aduentu Parthorum, ut adducerem quã primum exercitum ad fines Ciliciæ, & cum rex uideretur mihi iam insidiis patefactis non egere exercitu Populi Romani, sed uideretur posse defendere se suis, idest propriis opibus, idest facultatibus, cohortatus sum illum, ut disceret regnare primum in conseruanda uita sua, & uteretur iure regio in eos a quibus perspexisset insidias

paratas sibi,& afficeret pœna eos quos esset necesse.s.affiere, & li beraret reliquos metu. Præsidio,&c.& sup.cohortatus sum regem, ut uteretur præsidio exercitus mei potius ad timorem eorum, qui essent in culpa,quam ad contentionem.i.longam concertationem. Autem.i.sed,dixi sup.fore.i.futurum,ut omnes quando.i. quando quidem nossent Senatusconsultum.s.de præsidio regi ferendo, intelligerēt me futurum esse regi præsidio i.ad præsidium si opus esset,ea authoritate uestra, Illo.s.rege confirmato,ita moui castra ex illo loco,& institui facere iter in Ciliciā, cū discederem e Cappadocia hac opinione.s.derelicta,ut aduētus meus liberaret insidiis præsentibus.i.tunc imminentibus consilio uestro.i. propter consilium uestrū casu incredibili ac pene.i. quasi diuino,non enim sciebat insidiis peti regem.s. Ariobarzanem,quem uos appellassetis honorificentissime,uidelicet nomine amici sociiq; imperii Romani, quemq; & commendassetis fidei meæ,& sup.cuius salutem uos decreuissetis esse uobis magnæ curæ. Quod.i.quam rem ego putaui non alienum sup.esse.i.impertinens scribi.i. si scriberetur a me ad uos,ut intelligeretis ex iis quæ acciderūt.i.euenerūt pene.i quasi, non tamen euenerunt:loquitur autem de cæde regis Cappadocū, uos prouidisse multo ante ne ea acciderēt & ego feci eos.i.propterea uos certiores studiosius.i.diligentius quod ego uideo mihi perspexisse in rege Ariobarzane ea signa uirtutis,ingenii,fidei, & beneuolentiæ erga uos,ut uos uideamini contulisse in salutem eius tantam curam & diligentiam non sine causa.

VICTORIVS. AMicosq; in patris eius fide,atque iudicio probatos &c.) Hoc loco ueteres codices manci sunt ad unum omnes, ut suspicer hunc locum,ut multos alios restitutum esse, sup plerumq; ab aliquo,arbitrio suo potius,& coniectura, quam ueterum,& integrorum codicum auxilio. Nos tamen nulla re uulgatā & receptam lectionem permutauimus,suspectum tamen mirum in modum habemus: nec enim ualde syncerus sermo nobis uidetur? {In patrit eius fide atque iudicio probatos} Quid enim facit ibi præpositio illa{In} nobis sane omnem sensum(si legitima alia uerba sint) perturbare uidetur,{Patris iudicio probatos} optima nobis locutio uidetur {Fide} non ita: uideant quæso hunc locum accuratius doctiores,elegantioresq; uiri: nisi fallor,parum hunc sermonē probabunt, ἄκυρος enim profecto est, & male cohærens. nos tamen nihil aliud quam suspicionem adscrimus. cum fide tantum antiquam multorum codicum scripturam proponemus: quæ fortasse si diligentius animaduersa fuerit,magno erit adiumento ad ueram lectionem inuestigandam, est autem hæc.} Amicosq; in patris eius,atq; iudicio probato hortatus sum} &c. {Pœns afficeret eos, quos necesse esset, cæteros metu liberaret} Quomodo regnare oporteret, præclare intelligebat Cicero,sciebatq; inutile esse,quēadmodum non grauiter animaduertere in eos,qui in uitam principis conspirassent,ita ēt eos,qui non ualde illi culpæ affines essent, in diuturniore metu continere,homines enim propter metū sæpe fortia,& callida consilia in animo uersant: ac desperatione suadente,ea tentant,quæ nisi omnem spem suæ salutis abiecissent, nunquam attingerent. Est igitur consilium Ciceronis, Ariobarzani ipsū & iis,qui in eum leuiter peccassent,salutare: namque tantum necandos censet,quos necesse esset, reliquis autem ignoscendum, ac non solum ignoscendum,sed etiam omnem timorem illis eripiendum. Plato in epistola sua ostendit, Dionysium Syracusarum tyrānum a nullo doctum,ut ualde regnandi peritum, hoc pulchre tenuisse: cum enim & se,& alios læsisset, animaduertissetq; ipsos propter has iniurias male affectos,etiam ueritus,ne metu inducti, audax aliquod facinus aggrederentur,conabatur blandis uerbis, & omni genere comitatis omnem metum ex animis ipsorum pellere, ipsumq; in primis Platonem bene sperare iubebat.

Ex post eiusdem. VT intelligeretis ex iis,quæ pene acciderunt) Mediceus codex{Vt}non habet,quod culpa librarii factum proculdubio arbitrarer nisi in simili sententia,& elocutione hoc idē non multo post commisisset. nam in altera epistola ad Catonem sic locus ille in eo libro scriptus est, Cuius etiā interitum, ut facile intelligerem,mihi quantū tribueres, Milonis causa in Senatu defendenda,approbatis. Ac ne nunc quidē affirmarim mendo hos locos uacare,est enim durus sermo,& auribus meis nouus, hoc tamen propter libri ipsius authoritatem adnotare uolui,si forte elocutio uera & recta(quod non puto)esset, diligentia mea,si nō, doctrina, æquis probisq; uiris ingrata non erit.

SEBAS. CORR. ARtuasdes}Sequenti epistola dicemus {Tridui}quinq; dies scribit & epist.o.IIII. huius libri,& lib.V. ad Atticum. {Eusebem,& Philorhomæum}pium,& amicum Romanis. Græce autē rectius scriberetur.{Regni defenderem} Al. regnumq; defenderem {Nostro ordine} Senatorio. Al.uestro ordine.{ In patris eius.Fuit.eum ego suspicatus sum,legēdum esse, imperiis eius.

Ioā.Riu. Attend. LIbro XV epist.II.ubi hodie fere. Vt ego regem Ariobarzanē εὐσεβῆ καὶ φιλορωμαῖον tuerer. quæ quin uera sit lectio, ambiguum haberi,atque in dubium uocari non debet.

PHIL. MELā. Cum Prid.Calend.Sext.)Narratio est tota de rebus a se in Cilicia gestis.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Catonem certiorem facit, quid de Parthis acceperit. Deinde cur non Scribas, excusat se.

M.T.C.IMP. S. D. M. CATONI. 5

*CVm ad me legati missi ab Antiocho Commageno, uenissent in castra ad Iconium ante * diem III. Non. Sept. iiq; mihi nuntiassent, Regis Parthorum filium, quocum esset nupta Regis Armeniorū soror, ad Euphraten cum maximis Parthorū copiis,multarumq; præterea gentium magna manu uenisse,Euphratemq; iam transire cœpisse,diciq;,Armenium Regē in Cappadociam impetum esse facturum: putaui pro nostra necessitudine,me hoc ad te scribere oportere. publice propter duas causas nihil scripsi, quòd & ipsum Commagenum Legati dicebant ad Senatum statim nuntios,literasq; misisse,& existimabam M. Bibulum Procos. qui circiter Id. Sext. ab Epheso in Syriam nauibus profectus erat,quòd secundos uentos habuisset,iam in prouinciam suam peruenisse,cuius literis omnia certiora perlatū iri ad Senatum putabam. Mihi,ut in huiusmodi re, tantoq; bello, maximæ curæ est,ut quæ copiis, & opibus tenere uix possumus,ea mā suetudine, & continentia nostra, sociorū fidelitate teneamus. Tu uelim,ut consuesti,nos absenteis diligas, & defendas. Vale.*

* a.d. III.Non.

ASCENSIVS. CVm ad me &c. Scribit ad M Catonem quid ex Legatis Antiochi intellexerit de Parthis qui Euphratem transire ferebantur,atque alia multa super eodem negotio, ut cum ordine patebit, qui talis est. Cum Legati missi ab Antiocho Commageno.i.rege Commagenæ, quæ est pars Syriæ,uenissent ad me in castra in Iconium oppidum Lycaoniæ. III. Nonas Septemb. & ii nunciassent mihi filium regis Parthorum,cum quo soror Regis Armeniorum esset nupta, uenisse ad Euphratem.s.fluuium,cum maximis copiis Parthorum,& præterea, idest præter Parthos,cum magna manu multarum gentium,& cœpisse iam transire Euphratem: & nunciassent dici,idest quod diceretur regem Armenium facturum esse impetum in Cappadociā, putaui pro necessitudine nostra, oportere me scribere hoc ad te. Ego nihil scripsi publice, idest ad Senatum quæ publice legerētur. uidetur tamē publice misisse primas huius libri,sed ut opinor, post has,quia non eo ordine,quo datæ,sunt in hoc opere literæ, propter duas causas,quod legati dicebant, &.i. simul ipsum commagenum, scilicet Antiochum regem misisse statim nuncios & literas ad Senatum.s.Romanum,& supple quod existimabam M. Bibulum Proconsulem, idest habentem potestatem Consularem in Syria,qui profectus erat circiter Idus Sextilis, idest Augusti mēsis, ut nunc dicitur, ab Epheso oppido Asiæ in Syriam nauibus, idest per naues, quod, idest quia habuisset uentos secundos, peruenisse iam in prouinciam suam, cuius literis ego putabam omnia perlatum iri, idest perferenda esse, certiora, idest euidentia, ad Senatum. Maximæ curæ est mihi, ut, scilicet debet esse in re huiusmodi, & in tanto bello, ut teneamus ea quæ uix possumus tenere copiis, idest multitudine armatorum & opibus, idest potentiis, mansuetudine, & cōtinentia, idest abstinentia ab alienis nostra, & fidelitate sociorum, Ego uelim supple. ut tu diligas & defendas nos absentes, ut consuesti, pro consueuisti.

SEBAS. CORR. M.C. Imp.)Cum hanc epistolam scripsit Cicero nondum Impe. fuerat appellatus: ut id nomē omitti debeat. {Regis Parthorum filium} Pacorum. {Regis Armeniorum} Artuasdæ, qui Tigranis fuit filius: quem modo Artuasden, modo Artabasden appellari uideo. {Armenium regem} ipsum Artuasdē.

PHIL. MELā. Cum ad me Legati}Narratio de rebus Parthorum, quam sequitur excusatio, cur de iis rebus nihil ad Senatum scripserit.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Longa hac epistola & elegantissima Catonem sollicitat, & rogat ut honorem illius ornet, & apud Senatum amplificet, recensitis prius quæ in Cilicia egerit & confecerit.

M.T.

M. T. C. IMP. S. D. M. CATONI. 4

SVmma tua authoritas fecit, meumq́; perpetuũ de tua singulari uirtute iudicium, ut magni mea interesse putarem, & res eas, quas gesissem, tibi notas esse, & non ignorari à te, qua æquitate, et continentia tue rer socios, prouinciá q́; administra rem: his enim à te cognitis, arbitra bar facilius me tibi, quæ uellem, probaturum. Cum in prouinciam prid. Calendas Sextileis uenis= sem, et propter anni tempus ad exercitum mihi confestim esse eun dum uiderem: biduum Laodiceæ fui, deinde Apameæ quatriduum; triduum Synadis, totidem dies Philomeli. quibus in oppidis cum magni conuentus fuissent: multas ciuitates acerbissimis tributis, & grauissimis usuris, & falso ære alieno liberaui. cumq́; ante ad uẽtum meum seditione quadam exercitus esset dissipatus, quinque cohortes sine Legato, sine Tribuno mil. denique etiam sine Centu rione ullo apud Philomelum consedissent, reliquus exercitus esset in Lycaonia, M. *Annio Legato imperaui, ut eas quinque cobor teis ad reliquum exercitum duceret: coactoq́; in unum locum exer citu, castra in Lycaonia apud Iconium faceret. quod cum ab illo diligenter esset actum, ego in castra ad VII. Calendas Septemb. ueni: cum interea superioribus diebus ex S.C. & euocatorum fir mam manum, & equitatum satis idoneum, & populorum libero= rum, Regumq́; sociorum auxilia uoluntaria comparauissem. in= terim cum exercitu lustrato iter in Ciliciam facere cœpissem: Ca lendas Septemb. Legati à Rege Commageno ad me missi, pertu= multuose, neque tamen non uere, Parthos in Syriam transisse, nun tiauerunt. quo audito, uehementer sum commotus cum de Syria, tũ de mea prouincia, de reliqua denique Asia. itaque exercitum mihi ducendum per Cappadociæ regionem eam, quæ Ciliciam attinge ret, putaui: nam si me in Ciliciam demisissem, Ciliciam quidem ip= sam propter montis Amani naturam facile tenuissem (duo sunt .n. aditus in Ciliciam ex Syria, quorum uterque paruis præsidiis propter angustias intercludi potest: nec est quicquam Cilicia con tra Syriam munitius) sed me Cappadocia mouebat, quæ patet à Syria, Regesq́; habet finitimos, qui etiam si sunt amici nobis, ta= men aperte Parthis inimici esse non audent. Itaque in Cappado= cia extrema non longe à Tauro apud oppidum Cybistra castra feci, ut & Ciliciam tuerer, & Cappadociam tenens, noua finiti= morum consilia impedirem. interea in hoc tanto motu, tantaq́; ex pectatione maximi belli, Rex Deiotarus, cui non sine causa plu= rimum semper, & meo, & tuo, & Senatus iudicio tributum est, uir cum beneuolentia, & fide erga populum Ro. singulari, tum præsenti magnitudine & animi, & consilii Legatos ad me mi= sit, se cũ omnibus suis copiis in mea castra esse uenturũ. cuius ego studio, officioq́; commotus, egi ei per literas gratias, idq́; ut matu raret, hortatus sum. cũ aũt ad Cybista propter rationẽ belli quin que dies essem cõmoratus, Regẽ Ariobarzanẽ, cuius salutem à Se natu te authore cõmendatã habebã, præsentibus insidiis nec opi= nantẽ liberaui: neq; solum ei saluti fui, sed ẽt curaui, ut cum autho ritate regnaret. Metrã, & eũ, quẽ tu diligẽter mihi cõmendatas, Athenæum, importunitate Athenaidis exilio mulctatos, maxima apud Regẽ authoritate gratiaq́; cõstitui. cumq́; magnũ bellum in Cappadocia cõcitaretur, si sacerdos armis se quod facturus putaba tur, defenderet, adolescens & equitatu, & peditatu, & pecunia paratus, * & toto, iis, qui nouari aliquid uolebant: perfeci, ut è re gno ille discederet, Rexq́; sine tumultu, ac sine armis, omni autho ritate aulæ cõmunita, regnum cum dignitate obtineret. interea co gnoui multorũ literis, atque nuntiis, magnas Parthorũ copias & Arabũ ad oppidũ Antiochiã accessisse, magnumq́; eorum equita= tum, qui in Ciliciã trãsisset, ab equitum meorum turmis, & à co= horte prætoria, quæ erat Epiphaneæ præsidii causa, occidione oc cisum. quare cum uiderẽ à Cappadocia Parthorum copias auersus nõ lõge à finibus esse Ciliciæ, q̃ potui maximis itineribus ad Ama num exercitum duxi, quò ut ueni, hostẽ ab Antiochia recessisse, Bi bulum Antiochiæ esse cognoui, Deiotarumq́; cõfestim iã ad me ue nientẽ cum magno, & firmo equitatu, & peditatu, et cũ omnibus suis copiis, certiorẽ feci, nõ uideri esse causam, cur abesset à regno, meq́; ad eum, siquid forte noui accidisset, statim literas, nuntiosq́; missurum esse. cumq́; eo animo uenissem, ut utriq; prouinciæ, si ita tẽpus ferret, subuenirẽ: tũ id, quod iã ante statueram uehementer interesse utriusque prouinciæ, pacare Amanum, & ppetuum ho= stem ex eo mõte tollere, agere perrexi. cumq́; me discedere ab eo monte simulassem, & alias parteis Ciliciæ petere, abessemq́; ab Amano iter unius diei, et castra apud Epiphaneã fecissem: ad IIII. Id. Octob. cum aduesperasceret, expedito exercitu ita noctu iter feci, ut ad IIII. Id. Octob. cum lucesceret, in Amanum ascenderẽ: di stributisq́; cohortibus, & auxiliis, cum aliis Qu. frater Legatus mecum simul, aliis. C. Põtinus legatus, reliquis M. *Anneius, & L. Tulleius legati præessent, plerosq́; nec opinanteis oppressimus, ne ius. qui occisi, captiq́; sunt, interclusi fuga, Eranã aũt, quæ fuit non ui ci instar, sed urbis, q. erat Amani caput, itemq́; *Sepyram, & Ce= minorim, acriter, & diu repugnantibus, Pontino illã partẽ Ama= ni tenente, ex antelucano tẽpore usque ad horã diei decimã, ma= gna multitudine hostium occisa, cepimus: castellaq́; sex capta: cõ= plura incendimus. his rebus ita gestis, castra in radicibus Amani habuimus apud aras Alexandri quatriduum: & in reliquis Ama ni delẽdis agrisq́; uastandis, quæ pars eius montis meæ prouinciæ est, id tempus omne cõsumpsimus. Confectis his rebus, ad oppidum Eleutherocilicum Pindenissum exercitum adduxi. quod cum esset altissimo & munitissimo loco, ab iisq́; incoleretur, qui ne Regi= bus quidẽ unquã paruissent, cum & fugitiuos reciperent, & Par thorum aduentum acerrime expectarent: ad existimationem Impe rii pertinere arbitratus sum, cõprimere eorum audaciã, quo faci= lius ẽt cæterorum animi, qui alieni essent ab imperio nostro, fran= gerentur, uallo, & fossa circundedi: sex castellis, castrisq́; maxi= mis sepsi: aggere, uineis, turribus oppugnaui, ususq́; tormẽtis mul tis, multis sagittariis, magno labore meo, sine ulla molestia, sum= ptu'ue Sociorum, septimo quinquagesimo die rẽ confeci, ut omni= bus partibus urbis disturbatis, aut incensis, cõpulsi in potestatem meã peruenirent. His erant finitimi pari scelere, & audacia Ti= bareni. ab his, Pindenisso capto, obsides accepi, exercitum in hyber na dimisi. Quintum fratrem negotio præposui, ut in uicis aut ca ptis, aut male pacatis exercitus collocaretur. Nunc uelim tibi sic persuadeas, si de his rebus ad Senatum relatum sit, me existimatu rum summam mihi laudem tributã, si tu honorem meum sententia tua comprobaris. idq́;, & si talibus de rebus grauissimos homines & rogare solere, & rogari scio, tamen admonendum potius te à me, quàm rogandum puto: tu es enim is, qui me tuis sententiis sæ= pissime ornasti, qui oratione, qui prædicatione, qui summis laudi= bus in Senatu, in concionibus ad cœlum extulisti, cuius ego semper tanta esse uerborum pondera putaui, ut, uno uerbo tuo cum mea laude coniuncto, omnia consequi me arbitrarer. te denique memi= ni, cum cuidam clarissimo, atque optimo uiro supplicationem non decerneres, dicere te decreturum, si referretur ob eas res, quas Consul in urbe gesisset. tu idem mihi supplicationem decreui= sti togato, non, ut multis, Republ. bene gesta, sed, ut nemini, Republi. conseruata. mitto, quòd inuidiam, quòd pericula, quòd omneis meas tempestates & subieris, & multo etiam magis, si per me licuisset, subire paratissimus fueris, quod denique inimi= cum meum, tuum inimicum putaris: cuius etiã interitum, ut faci=

*al. Manlio.

*alias, ex torta iis, qui no.

*al. Manneius.

*al. Sepbyrã. & Cõmorim.

le intelligerem, mihi quantum tribueres, Milonis causa in Senatu
defendenda approbaris. à me autem hæc sunt profecta, quæ ego
in beneficii loco non pono, sed in ueri testimonii, atque iudicii: nõ
ut præstantissimas tuas uirtutes tacitus admirarer (quis enim in
te id non facit?) sed in omnibus orationibus, sententiis dicendis,
causis agendis, omnibus scriptis, græcis, latinis, omni deniq; uarie
tate literarum mearum te non modo iis, quos uidissemus, sed iis,
de quibus audissemus, omnibus anteferrem. quæres fortasse, quid
sit, q ego hoc nescio quid gratulationis, et honoris à Senatu tanti
æstimem. agam iam tecum familiariter: ut est & studiis, & offici
is nostris mutuis, & summa amicitia dignum, et necessitudine etiã
paterna. Si quisquam fuit unquam remotus & natura, & magis
etiam, ut mihi quidem sentire uideor, ratione, atque doctrina ab
inani laude, & sermonibus uulgi: ego profecto is sum. testis est
Cõsulatus meus. in quo sicut in reliqua uita, fateor ea me studiose
secutum, ex quibus uera gloria nasci posset, ipsam quidem gloriã
per se nunquam putaui expetendam. itaque & prouinciam orna
tam, & spem non dubiam triumphi neglexi, sacerdotium denique,
cum (quemadmodum te existimare arbitror) non difficillime con-
sequi possem, non appetiui. idem post iniuriam acceptam, quam tu
Reip. calamitatem semper appellas, meam non modo non calami
tatem, sed etiã gloriam, studui quam ornatissima Senatus, populiq;
Ro. de me iudicia intercedere. itaque et Augur postea fieri uolui,
quod antea neglexerã: & eum honorem, qui à Senatu tribui rebus
bellicis solet, neglectum à me olim, nunc mihi expetendum puto.
huic meæ uoluntati, in qua inest aliqua uis desiderii ad sanandum
uulnus iniuriæ, ut faueas, adiutorq; sis (quod paulo antè me nega
ram rogaturum:) uehementer te rogo: sed ita, si non ieiunum hoc
nescio quid, quod ego gessi, & contemnendum uidebitur, sed tale,
atque tantum, ut multi nequaquam paribus rebus honores sum-
mos à Senatu consecuti sint. equidem etiam mihi illud animaduer
tisse uideor (scis enim, quam attente te audire soleam) te non tã
res gestas, quàm mores, instituta, atque uitam Imperatorum spe-
ctare solere in habendis, aut non habendis honoribus. quod si in
mea causa considerabis, reperies me exercitu imbecillo, contra me-
tum maximi belli firmissimum præsidium habuisse, æquitatem, &
continentiam. his ego subsidiis ea sum consecutus, quæ nullis le-
gionibus cõsequi potuissem: ut ex alienissimis sociis amicissimos,
ex infidelissimis firmissimos redderem, animosq; nouarum rerum
expectatione suspensos, ad ueteris imperii beneuolentiam tradu-
cerem. sed nimis hæc multa de me, præsertim ad te, à quo uno om-
nium Sociorum querelæ audiuntur, cognosces ex iis, qui meis in-
stitutis se recreatos putant. cumq; omnes uno propè consensu de
me apud te ea, quæ mihi optatissima sunt, prædicabunt: tum duæ
maximæ clientelæ tuæ, & Cyprus insula, & Cappadociæ regnũ,
tecum de me loquentur, puto etiam Regem Deiotarum, qui uni ti
bi est maxime necessarius. quæ si etiam maiora sunt; & in omni-
bus seculis pauciores uiri reperti sunt, qui suas cupiditates, quàm
qui hostium copias uincerent: est profecto tuum, cum ad res belli-
cas hæc, quæ rariora, & difficiliora sunt, genera uirtutis adiun-
xeris, ipsas etiam illas res gestas iustiores esse, & maiores puta-
re. extremum illud est, ut, quasi diffidens rogationi meæ, philoso-
phiam ad te allegem, qua nec mihi charior ulla unquam res in uita
fuit, nec hominum generi maius a Deis munus ullum est datum.
hæc igitur, quæ mihi tecum communis est, societas studiorum, at-
que artium nostrarum, quibus à pueritia dediti, ac deuincti, soli
propemodum nos philosophiã illam ueram, & antiquam, quæ qui-
busdam otii esse, ac desidiæ uidetur, in forum, atque in Rempu. at-
que in ipsam aciem pene deduximus, tecum agit de mea laude, cui
negari à Catone fas esse non puto. quamobrem sic tibi persuadeas
uelim: si mihi tua sententia tributus honos ex meis literis fuerit,
me existimaturum, cum authoritate tua, tum beneuolentia erga
me mihi, quod maxime cupierim, contigisse. Vale.

ASCENSIVS.

Summa tua &c. Scriptæ superioribus epistolis ad consu-
les senatumq;, nunc Catoni exponit: & simul quo con-
silio & qua arte res maximas aduersus Parthos gesserit,
& quæ oppida ceperit, quæ Catonis oratione ornata ue
lit. ad argumentum autem facit epistola secundo libro
incepta, Tu uide &c. Ordo est. Summa authoritas tua & perpetuũ
iudicium meum de tua singulari uirtute fecit, ut putarem interesse
.i. in re & utilitate esse mea magni .i. multum, & .i. simul eat res quas
gessissem esse notas tibi, & non ignorari a te qua æquitate & con-
tinentia .s. appetitus praui, tuerer .i. defenderem socios, & admini-
strarem prouinciam. Enim .i. quia ego arbitrabar, his cognitis .i. ubi
hæc cognoueris, me probaturum facilius tibi sup. ea quæ uellem.
Cum uenissem in prouinciam pridie Calendas sextilis .i. ultima die
mensis, qui nunc Iulius dicitur, & uideretur mihi propter tempus
anni, quia põst medium erat æstatis, esse eundum mihi .i. me debere
ire, confestim .i. cum festinatione & statim ad exercitum, fui Laodi-
ceæ .i. in ea urbe, biduum .i. per duos dies: deinde fui Apameæ in
altera ciuitate seu urbe quatriduum, & fui Synadis (declinatur er-
go Synada Synadorum pluraliter, ut in secundũ & tertium dicta
explanem) triduum: & fui Philomeli totidem dies .i. tres, cum ta-
men prius non tres dies, sed triduum dixerit. Sane, ut sæpe admo-
nui, Ci. de tempore quandiu præsertim continuo libentius semper
in accusatioo loquitur, nec potius græco quam latino more. Qui-
bus in oppidis (ergo superiora omnia sunt oppida) cũ fuissent ma-
gni conuentus .i. magni cœtus hominum, ego liberaui multas ciui
tates acerbissimis tributis & grauissimis usuris, & ære alieno falso
.i. non uere debito. Cumq; .i. & cum exercitus esset dissipatus ante
aduentum meũ quadã seditione, sup. & quinq; cohortes consedis-
sent .i. sedem cepissent apud Philomelũ sine tributo militum, deni-
que etiam sine ullo Centurione .i. quouis, ut nunc dicunt, capita-
neo, & reliquus exercitus esset in Lycaonia, ego imperaui Mar.
Manneio legato s. meo, ut duceret eas quinq; cohortes ad reliquũ
exercitũ, & faceret castra in Lycaonia apud Iconiũ exercitu coa-
cto .i. postq̃ coegerit & congregauerit exercitum in unum locum.
Quod cum factum esset diligeter ab eo, ego ueni in castra ad. VII.
Calen. Septem. cum ego comparauissem .i. acquisiuissem interea die
bus superintibus .i. ante illum diem elapsis e a senatusconsulto .i. iu-
xta decretum senatus & .i. simul manum firmam .i. copias satis ma-
gnas euocatorum .s. militum, qui ad tempus uocantur ad bellum &
equitatum .i. equitum cumulum, satis idoneum .s. ad iustum exerci-
tum, & auxilia uoluntaria .i. non coacta a me populorum libe-
rorum & regũ sociorum .s. Ro. imperii, & sup. cœpissem interim fa-
cere iter in Ciliciã exercitu lustrato .i. inspecto, & ut dicunt ad mõ-
stram educto, legati missi ad me a rege Commageno .s. Antiocho
nomine, Calen. Septẽbris, nunciauerunt, per tumultuose .i. prope-
rantissime ut in summo tumultu fieri solet, neq; tamen non, idest &
tamen uere, Parthos transisse in Syriã. Quo audito, commotus sum
uehementer, tum .i. pariter de Syria, tum, idest pariter de prouincia
mea .s. Cilicia, deniq; de reliqua Asia. Itaq; putaui exercitum ducẽ
dum sup. esse mihi per eam regionem Cappadociæ, quæ attingeret
Ciliciam. Nam si dimisissem me in Ciliciam, ego quidẽ tenuissem,
pro tenerem facile ipsam Ciliciam, propter naturam montis Ama-
ni, qui difficulter a Parthis pertransiretur, si præsidium obsideret.
Duo enim aditus sunt ex Syria in Ciliciam, quorum uterq; potest
intercludi paruis præsidiis, propter angustias. Nec quicq̃ est muni
tius .i. magis munitum & defensum contra Syriam, Cilicia .i. quam
Cilicia. Est. n. ablatiuus casus. Sed Cappadocia mouebat me quæ pa-
tet .i. aperta est a Syria .i. ab ea parte qua spectat ad Syriam, & habet
reges finitimos qui etiam si sunt amici nobis, tamẽ non audent esse
apte inimici Parthis. Itaq; feci castra in Cappadocia extrema .i. ex
trema parte eius, nõ longe a Tauro .s. monte, apud Cybistra oppi-
dum ut ego tuerer .i. protegerẽ Ciliciã, & tenens Cappadociam im
pedirem noua consilia finitimorũ .s. regũ de Parthis recipiendis.
Interea hoc tanto motu & tanta expectatione maximi belli. Deio-
tarus rex cui tributum est semper plurimũ non sine causa, iudicio
meo & tuo & senatus, appositone uir tum beneuolentia & fide er-
ga popu. Roma. singulari, tum præstanti .i. excellenti magnitudine
& animi & consilii, misit ad me legatos .s. quibus nunciaret se uen-
turum esse in castra mea cũ omnibus copiis suis. Cuius ego cõmo-
tus officio & studio, egi gratias per literas & hortatus sum ut matu
raret .i. celerius faceret hoc. Cum aũt essem cõmoratus quinq; dies
ad Cybistra propter rationem belli, liberaui regem Ariobarzanẽ,
cuius salutẽ habebam cõmendatã a Senatu te authore insidiis præ
sentibus .i. instantibus, neq; opinantem, neq; solũ fui ei saluti .i. cau
sa salutis, sed ẽt curaui ut regnaret cũ authoritate .i. maiestate re-
gia, aut authoritate senatus, & cõstitui maxima authoritate & gra
tia apud regem, Metram, & eum Athenæum quem tu commen-
paras mihi diligenter, mulctatos, idest punitos & damnatos im-
portunitate Athenaidis .s. urbis aut mulieris, sed qa eũ Athenæum
dicit, putem Athenæum non esse proprium, sed patrium no-
men, quem nominare non uoluerit, ciuem uidelicet Athenaidis
urbis. Vt cum magnum bellum cõcitaretur in Cappadocia si facer-
dos

dos.s.regionis maximus forte insidiator compertus defenderet se armis quod putabatur facturus, appositone adulescent paratus & equitatu, & peditatu, & pecunia & toto.i.omni re, ut qui uolebãt aliquid nouari.i. nouum regem fieri: perfeci ut ille discederet e regno & rex obtineret regnum cum dignitate sine tumultu, ac sine armis, omni authoritate aulæ.i. regiæ seu curiæ suæ communita.i. firmis præsidiis stabilita. Interea cognoui literis & nuntiis multorum magnas copias Parthorum Arabum.i.eorum qui Arabiam habitant, aut potius & Arabum, accessisse ad oppidum Antiochiã, & magnum equitatum earum, qui trãsissent in Ciliciam occisum sup. esse, occidione.i.suprema cæde ab equitatu in turmis eorum, scilicet Cilicum, & a Cohorte prætoria quæ erat Epiphaneæ.i.in ea urbe Ciliciæ, causa præsidii.i.custodiæ eius. Quare cum uiderem copias Parthorum auersas a Cappadocia, esse non longe a finibus Ciliciæ, duxi exercitum ad Amanum, scilicet montem in confinio Ciliciæ itineribus maximis quam, idest quantum potui. Quo, idest ad quem, ut, idest postquam ueni, cognoui hostem recessisse ab Antiochia, & Bibulum.s proconsulem Syriæ esse Antiochiæ. Ego feci Deiotarum uenientem iam ad me cum equitatu & peditatu magno & firmo, & cum omnibus copiis suis, certiorem.i. docui eum non uideri causam esse cur abesset a regno.s.suo & me missurũ esse statim literas & nuncios ad eum, si forte quid.i.aliquid noui accidisset. Et cum uenissem eo animo, idest proposito, ut subuenirem utrique prouinciæ, si tempus, idest opportunitas ferret, idest daret aut pateretur ita, scilicet fieri, tamen perrexi agere quod constitueram, idest iudicaueram iam ante.s.interesse, idest ad utilitatem esse utriusque prouinciæ, pacare.i.pacatum & tranquillum reddere, Amanum, scilicet montem inter utranq; prouinciam, & tollere ex eo monte hostem perpetuum, & cum simulassem discedere ex eo monte, & petere alias partes Ciliciæ, & abessem ab Amano iter unius diei & fecissem castra apud Epiphaneam, scilicet urbem ad IIII. Idus Octob. cum aduesperasceret, feci iter noctu exercitu ita expedito ut ascenderem Amanum ad IIII. Id Octob. cum lucesceret, & cohortibus, scilicet Ro. & auxiliis distributis.i.assignatis suis ducibus, cum Qu. frater: sup. meus legatus præesset simul cum aliis. Caius Pontinus præesset aliis, & M. Anneius & Lu. Tullius legati præessent reliqs.s.cohortibus & auxiliis, quos nos oppressimus plerosque.i.complures, nec opinantes, qoi sunt occisi & capti, reliqui interclusi, idest exitu prohibiti. Autẽ.i.sed nos cepimus Eranam, quæ non fuit instar.i.ad magnitudinem uici, sed urbis, quod caput.i.præcipuum propugnaculum Amani erat, & item.i.simul Sepytam & Ceminorim oppida sup. hostibus pugnantibus acriter & diu & Pontino tenente illam partem Amani.s.montis, cepimus dico multitudine hostium occisa ex tempore antelucano.i. quod ante lucem usq; ad decimam horam diei.i. post ortum solis. Et castella.i.ut dicunt fortalitia sex sunt capta, & nos incendimus.i.cõbussimus complura. His rebus gestis ita, idest tã uictoriose, nos habuimus quatriduũ castra in radicibus.i.pede Amani.s.montis apud aras Alexandri.s.magni, qui uicto Dario illic Ioui & cæteris diis constructis aris sacrificauit. hoc autem dicendo se tacite Alexandro comparat, & consumpsimus omne id tempus.s. quatridui, in reliquiis Amani delendis, & in agris uastandis. His rebus confectis adduxi exercitum ad Pindenissum oppidum Eleutherun.i. liberũ. Alii legunt Eleuchensilium alii Eleuchencilicum, quod sup. oppidum cum esset loco altissimo & munitissimo, & incoleretur ab his qui ne quidem.i saltem regibus paruissent, cum & simul, reciperent fugitiuos, & expectarent acerrime.i.auidissime aduentum Parthorum, ut cum illis finitimos spoliarent, arbitratus sum pertinere ad existimationem.i.famam & maiestatem imperii comprimere audaciam eorum. Quo.i.etiam ut animi cæterorum qui essent alieni ab imperio nostro, frãgerentur facilius. Ego circundedi sup. dictũ oppidum, uallo.i.munimento, ex uallis, & fossa sepsi sup. ipsum sex castellis.i oppugnaculis, & maximis castris, aggere, uineis, turribus, oppugnaui sup ipsum, usq;.i.assidue, multis tormentis multis sagittariis, & confeci.i.absolui rem septimo & quinquagesimo die, magno labore meo, sine ulla molestia uel sumptu sociorũ, ut omnibus partibus urbis disturbatis aut incensis, hostes sup. compulsi.i. coacti uenirent in potestatem meam. Tibareni erant finitimi his, scelere & audacia pari. Accepi ab his.s.Tibarenis obsides, Pindenisso capto, dimisi exercitum in hyberna. Præposui Quintum fratrem.s.meum negotio ut exercitus collocaretur in uicis, captis, aut male.i.non pacatis. Nunc uelim o Cato ut sup. persuadeat tibi sic, si relatum sit ad senatum, idest si consultatio fiat de his rebus, me existimaturum summam laudem tributam mihi, si tu comprobaris honorem meum, idest mihi decernendum, sententia tua. Etsi, idest quanquam ego scio grauissimos homines solere & rogare & rogari, talibus.i.pro talibus rebus, tamen ego puto te potius monẽdum a me quam rogandum id. Tu enim es is qui ornasti me sæpissime sententiis tuis, qui extulisti me ad cœlum, oratione, prædicatione & summis laudibus, idest laudationibus in senatu & in concionibus ad populum. Cuius pondera uerborum ego putaui semper esse tanta, ut uno uerbo tuo coniuncto cum laude mea, arbitrarer me consequi omnia. Denique memini te, cum non decerneres cuidam uiro clarissimo atque optimo supplicationem, dicere te decreturũ si referretur ob eas res quas is consul gessisset in urbe. sunt qui ad Ciceronem hoc referunt. Tu idem decreuisti mihi supplicationem .s.diis faciendam togato: idest in toga agenti, non ut multis supple decerni solet, republica bene gesta, sed ut nemini sup. alteri repub. conseruata. Mitto.i.omitto dicere quod subieris.i. tanquam onus tuum esse supportaueris, inuidiam meam.i.quam patiebar ob gloriã seruatæ urbis, pericula, omnes tempestates meas.i. impetus hominum, aut diuersitates fortunæ & quod fueris paratissimus subire ẽt multo magis, si licuisset per me, idest si permisissem: denique quod putaris pro putaueris inimicum meum uidelicet Clodium inimicũ tuum, cuius etiam interitum.i.cædem & necem tu approbaris pro approbaueris, defendenda causa, idest dum defenderetur causa Milonis in senatu, ut intelligerem facile, quantum tribueris mihi. Aũt.i.sed, hæc, scilicet quæ deincepe dicam, sunt profecta: idest collata, a me in te: scilicet quæ ego non pono, idest reputo in loco beneficii, sed sup. in loco ueri testimonii atque iudicii, scilicet de te, nõ sup. ita profecta sunt, ut admirarer, idest laudem cum admiratione, tantas præstantissimas uirtutes tuas. Quis enim non facit idẽ? quasi dicat nemo, & ita omnis facit, sed ut anteferrem te in omnibus orationibus, sententiis dicendis, causis agendis, omnibus scriptis Græcis & latinis, denique in omni uarietate.i.diuersitate styli, literarum mearum, non modo iis quos uidissemus, sed sup. etiam iis de quibus audissemus. tu fortasse, quæres qd sit quod.i. propter quod ego æstimem tanti, nescio quid gratulationis & honoris.i. si in me conferatur a senatu. Ego agam iam tecum familiariter.s.ut intelligas mentem meam plane, ut dignum est & studiis & officiis nostris mutuis & summa amicitia, & necessitudine paterna, idest a patre incepta. Si quisquam fuit unquam remotus natura & magis ratione, ut quidem uideor sentire mihi & doctrina, ab inani laude & sermonibus uulgi, ego sum is profecto. Testis est cõsulatus meus, in quo fateor me secutum ea studiose sicut in reliqua uita, ex quibus uera gloria posset nasci, quidem.i.sed certe nunquam putaui ipsam gloriam expetendam per se.i.sine respectu honorum. Itaque ego neglexi prouinciam ornatam, quæ erat mihi decreta ut patuit lib. V. episto. secunda ad Metellum Celerem, & spem non dubiam triumphi.s.ex illa prouincia reportandi. Denique non appetiui sacerdotium.s.augurale cum possem consequi non difficillime, quemadmodum arbitror te existimare. Idem. scilicet ego studui.i uolui aut elaboraui post iniuriã.s.exilii acceptã.s.a me, quam.s.iniuriã meã, tu appellas semper calamitatem Reipu. non modo.i.non solum calamitatem meam non intercedere.i.in medium adduci, sed etiam uolui gloriam meam utpote quam ornatissima iudicia senatus populiq; Romani de me intercedere. Ita quæ uolui postea & augur fieri, & puto eum honorem.i.triumphum qui solet tribui a senatu rebus bellicis, neglectum olim a me expetendum mihi nunc.s.parta uictoria. Rogo et uehementer quod negaram paulo ante me rogaturum sup. esse, ut faueas & adiutor sis, huic uoluntati meæ, in qua est aliqua uis desiderii.i.cupiditatis ad sanandum uulnus.i. offensionem iniuriæ. Sed ita sup. peto si id quod gessi, uidebitur nõ nescio quid ieiunum.i.aridum & modicum facinus, & pro.i. contẽnendum, sed tale atq; tantum, ut multi assecuti sint a senatu, summos honores, rebus nequaquam paribus.i. propter res nequaquam pares Equidem.i.ego certe, uideor animaduertisse etiam illud: scis enim quam attente soleam audire te, te solere spectare in honoribus habendis aut non habendis, non tam res gestas quã uitas atq; mores imperatorum, quod si considerabis in causa mea, uidebis me habuisse æquitatem & continentiam firmissimum præsidiũ.i. pro firmissimo præsidio, exercitu sup existente imbecillo contra metũ maximi belli. Ego consecutus sum.i.obtinui his subsidiis s. æquitate & continentia, quæ nullis legionibus potuissem consequi ut redderem.i.efficerem ea sociis alienissimis, amicissimos, ex infidelissimis, firmissimos s.in fide, & traducerem animos, suspensos.i.in dubio uersantes, expectatione, idest propter expectationem rerum nouarum, ad beneuolẽtiam ueteris imperii, scilicet Romani. Sed hæc supple sunt dicta aut scripta nimis multa de me præsertim ad te, a quo uno querelæ omnium sociorum audiuntur. tu cognosces ex iis qui putant se recreatos.i.refectos ad ueterem amicitiam reductos institutis i.moribus meis. Cumq;.i.& cum.s.ita sit quod omnes prædicabunt apud te prope.i.quasi, uno consensu, de me ea quæ sunt optatissima mihi, tum.i.tunc multo magis, duæ maxime clientelæ tuæ Cyprus insula, & regnum Cappadociæ loquentur.s. honorifice tecum de me. Puto etiam Deiotarum regem sup. locuturũ tecum de me, qui est maxime necessarius tibi uni. Quæ.s.ab illis dicenda, si sunt etiam maiora.s.quam a me dicantur, & si pauciores uiri reperti sunt omnibus seculis, qui uincerent cupiditates suas, q̃ qui.s.uincerent copias hostium. Profecto tuum est.s.officium, cum adiunxeris ad res bellicas, hæc genera uirtutis, scilicet æquitatis & cõtinentiæ, quæ sunt rariora & difficiliora, putare illas ipsas res res gestas esse iustiores & maiores, scilicet quam sint. Illud est extremum, scilicet suffragium, ut quasi diffidens rogationi meæ, allegem, idest mittam ad te philosophiam, qua nec ulla res fuit mihi unquam charior in uita, nec ullũ munus maius datũ

est generi hominum a diis. Hæc igitur societas studiorum quæ est mihi communis tecum, atq; societas artium bonarum quibus nos deuincti ac dediti a pueritia, propemodum, idest quasi soli dedusimus in forum atq; R. empublicam, atque pene in ipsam aciem, idest conflictum bellicum, hoc est ad omnem exercitationem nostram, philosophiam illam ueram & antiquam, quæ uidetur quibusdam esse ocii ac desidiæ. i. pertinere ad ocium ac desidiam: ea sup. agit tecum de laude mea, cui non puto fas esse negari, scilicet quicquã a Catone, quamobrem, uelim persuadeas tibi sic, si honos fuerit tributus mihi tua sententia. i. per tuam sententiam ex literis meis, me existimaturum contigisse mihi quod cuperem maxime, tum authoritate, tum beneuolentia tua erga me.

VICTORIVS.

ET toto iis, qui nouari aliquid uolebant) Hæc erat uulgatorũ omnium, necnon antiquorum, corrupta profecto lectio, alii aliis modis emendarunt, nonnulli {Et pecunia paratus & socius} legunt. Quidam, {Et pecunia paratus, & animo} Nos etiã pro uiribus conati sumus hoc mendum corrigere, & in re tam incerta, & in qua omnes laborarint, sibiq; indulserint, nonnihil nobis permisimus: abundare enim censuimus ex priore monosyllabo, acceptam priorem literam sequentis dictionis, & eandem literam inter duas uocales sitam, ex I, importune T factam. nam paruam illam lineam, quæ elementum id commutat, existimauimus supra tres illas uocales apponi debuisse, sic {Omnino} ut nota esset quæ compendiosam illam dictionem perficeret, ut {Omnino} significaret. nos hac coniectura ducti, ausi sumus ita locum restituere. nam quin sententia egregia sit si ita legas, nullum puto contradicturum, minus etiam a prisci uestigiis declinauimus, ut quiuis existimare potest. {Interclusi reliqui, Fugeranam autem, &c.) Nos hoc loco Mediceum codicem, ut probiorem, integrioremq; secuti sumus: nullum enim meliorem, minusue corruptum inuenimus. Quare cum hic nostrum librum legis, puta te mirę uetustatis exemplar ante oculos habere. Confugio autem hic ad uetustatem, fidemq; antiqui codicis. sunt enim hæc tam minuta castella, ut uix alibi repetias nomina eorum, ut possit aliorum scriptorum testimonio cõfirmari ueteris lectionis integritas. Vox illa {Reliqui} in nullis est antiquis, & profecto abundat, dicit enim se plerosq;, nec opinantes oppressisse, qui occisi, captiq; sunt interclusi fuga. Quos enim fuga subito aduentu intercluserunt, hi occisi, captiq; sunt. Docet autem quomodo capi, occidiq; potuerint. non enim illis fuga patuit in castella, obstructis a militibus uiis. Intercludi fuga, ut intercludi commeatibus, dictum est: Eranam autem uicum, seu urbẽ (ut uult Cicero, ut se magnas res gessisse ostenderet) nullibi memini me legisse.

Ex post. eiusdem.

TVm præsenti magnitudine) Ego ex illis sum, qui cum {Præsentia} in Mediceo scriptum inuenissem, uitiosum locũ putaui, minus tamen quam in impressis inquinatum. Quod {Præstanti} aut {Præsenti magnitudine} animi, recte dici posse nõ nulli negant, seipsos quoque reprehendunt, qui in priore sua editione. {Præsenti magnitudine} scripserunt: nam quod multos accusant qui ex {Præsente, præstantem} faciunt: me laudent necesse est, qui contra ex {Præstanti, præsenti} feci. Si uetus autem scriptura, elocutioq; recta, & integra esse ab eruditis uiris, & nõ dura, & aspera iudicabitur, ego illam ualde amabo, quippe quã in libris iis, quibus multum tribuo, inuenerim. {Et omnino iis, qui nouari aliquid uolebant ({Et toto iis} antea legebatur, non impressis tantum, sed etiam manu scriptis codicibus, unum excipio, qui {Et sociis} habebat. Locum uitium habere suspicati sumus, & {Omnino} non incõmode legi posse iudicauimus: arbitrati locum quondam ita scriptũ fuisse, {Et Omnino} ex qua scriptura postea ab imperitis librariis {Et toto} factum sit. Decepti ne tunc simus, erudit iudicabũt: nos quidẽ, nisi aliud contra nos excogitatur, in sententia permanemus. Nam quod quidam uulgatam lectionem, a se quoque olim damnatam, tuentur, utunturq; ad eam probandam loco Ciceronis ad Atticum: uerum id esse crederem, si hic ut alibi fecit, & quod totum est dixisset. Semper enim inueni ita Ciceronem locutum esse, cum hoc significare uult, ut præter exemplum ab illis adductũ, hoc ad Q. Fratrem aperte ostendit. 290. Totum in eo est (quod mihi erit curæ) tectorium ut concinnum sit, nam {Et toto} hac sententia nimis durũ est, & nisi ualde fallor, probari nullo pacto potest. {Quas is Consul in urbe gessisset} Antiqui mei uulgatam, receptamq; lectionem habent: alius codex (ut quidam tradunt) (quas Consul in urbe gessisset) Verius intiusq; de tota hac re statui posset, si uir, de quo loquitur, & negotium etiam ipsum, de quo agit, intelligeretur. Quis enim scit an intelligat P. Lentulum, qui cum Ciceronis causam Cos. eius se adiunxisset, posteaq; fortasse ob res foris gestas supplicationes sibi decerni postulasset, aduersum habuerit Catonem, qui in ea re disputanda uocem illam emiserit, Se decreturum fuisse, si referretur ob eas res quas idẽ {Cos.} in urbe gessisset? Nam ita etiam Cato præclarum de Cicerone iudicium fecerit: cũ censuerit res illas, quæ pro salute ipsius sine armis gestæ essent, dignas esse supplicatione, ac præponendas iis, quas in imperio cum exercitu idem ille, qui ei quondam saluti fuerat, pro Rep. gessisset. Neque tamen hoc, quod a nobis cogitatum est, uerum esse affirmamus, sed huiusmodi aliquid, quod idoneum sensum habeat, conseruata recepta lectione, intelligi commode posse iudicamus.

PAVL. MANV.

PRæsentia, magnitudine, & animi, & consilii) Est hæc, ut opinor, huius loci uera lectio, quam ex antiquis exemplaribus accepimus: quibus in omnibus, præsentia, legitur, nõ, ut quidam uoluerunt, præstanti, aut præsenti. quamobrem autẽ, præstantem, aut præsentem magnitudinem, Latine dici posse crediderint, non uideo, sed hoc argumento, etsi firmissimum est, niti tamen nolumus. una tantum ratione refellantur, quod a libris manuscriptis dissentiunt, quorum nos authoritatem in dies magis magisq; facimus: permulta enim, quæ in iis primo intuitu uideantur absurda, post, ubi diligentius animaduerteris, commodissime dicta reperientur: ut hoc in loco, qui statim, uerbum illud, præsentia, quid sibi uellet, aut quo spectaret, non perceperunt, uitiosum credentes immutarunt: est enim ita dictum, præsentia, magnitudine, & animi, & consilii. tanquam si dixisset, præsenti animo, magno consilio: ut præsentiam animi, magnitudinem consilii esse uoluerit. quemadmodum etiam alibi, præsentem animum sæpissime dixit: etsi ubiq; fere eandem uocem imperiti deprauarunt, præstantẽ, non præsentem, legentes. præsentiam quoque animi dixit in oratione pro Milone. CXIII. & Cæsar belli Gallici libro V. LIX. {Sacerdos} Quid sacerdos hic significet, Hirtii uerbis ostendimus: sic enim scribit de bello Alexandrino lib. IIII. CCXV. Comana uetustissimum, & sanctissimum in Cappadocia Bellonæ templum, quod tanta religione colitur, ut sacerdos eius Deæ, maiestate, imperio, & potentia secundus a Rege consensu gentis illius habeatur, id homini nobilissimo Nicomedi Bithynio adiudicauit. Appianus autem in fine Mithridatici, Commagenis (inquit) Archelaum sacerdotem præfecit, quæ dignitas habetur regia. Strabo etiam initio libri XII. idem tradit. {Adolescens & equitatu, & peditatu, & pecunia paratus, & toto, iis, qui nouari aliquid uolebant) Sunt quos offendat hæc lectio. ac fuit, cum ego quoque corruptum locum existimarem. nunc de mendo nihil suspicor dixit enim, & toto. i. & ea re, quæ summa est: deinde exposuit, totum illud quid sit: iis, qui nouari aliquid uolebant, a quibus maxime timendum erat, quod adolescentem uel leuibus rationibus ad bellum possent impellere. adolescens (igitur dixit) & equitatu, & peditatu, & pecunia paratus, & quod summũ est, iis, qui nouari aliquid uolebant, sic etiam ad Atticum. LXXX. est totum, quid Calen. Mart. futurum sit pro, est summum, est maximum, in eo sunt omnia. quid Calen Mart. futurum sit. {Tibarani} Forte, Tibareni, de quibus Plutarchus in Lucullo, & Plynius, ubi Timiscyræ regionis gentes persequitur nam Tibaranorum mentionem nondum inueni. {Res, quas Consul in urbe gessisset,} In quo ita legatur, uetustum habet codicem magnæ spei adolescens Iosephus Tramezinus. Consul autem. i. Cicero: commemorantur enim quæ pro Ciceronis dignitate & dixerat, & fecerat Cato. qui sit autẽ is, quem clarissimum, atque optimum uirum appellat, intelligere nondum potui. Cæsarem quidem, ut alii existimant, non arbitror, quem Cicero nunquam optimum uirum uocasset, ad Catonem scribens Cæsaris inimicum, præsertim cum tota fere epistola eius beneuolentiam quasi aucupari uideatur, quo facilius supplicationem obtineret Catone comprobante.

SEBAS. CORR.

BIduum} In his diebus, qui aliter hic atque in epistolis ad Atticũ scribuntur, uidetur esse Ciceronis μνημονικὸν ἁμάρτημα. {Regumq; sociorum} Al, Regumq;, & Sociorum. {Præstãti} Al præsenti. {Sacerdos} Sacerdos (authore Strabo.) in Cappadocia secundus post regem erat in honore, sæpiusq; reges, & sacerdotes ex eadẽ erant gente. {Toto iis} Alii sociis: Alii, omnino iis legunt: Alii, is, & paulo post, E toto regno, ut uerbum illud e loco suo in alienum migrarit. {Vtrique prouinciæ} Syriæ, Ciliciæ. Al. tamen legitur, utrinque prouinciæ. {Tamen id} Al. tum id. {Ante diem Id. Oct.} Al. ad IIII. Id Oct. & ita legi debet. nã qui profectus est. IIII. id eo III. Id peruenit. {M. Anneius, & L. Tulleius} In epistolis ad Att. semper scribitur, M. Annius, L. Tullius. {Interclusi reliqui fugeranam} Alii legunt, Interclusi fuga, Eranam. Hæc autem loca, quæ a Cicerone scribuntur, sunt adeo ignobilia, ut non multum operæ iis perquirendis sit ponendum. {Aras Alexandri} Episto. X libro. II. {Eleutherocilicum} Al. ἐλευθερῶν κιλίκων. hoc est liberorum Cilicum. nam testatur Plinius, in illis locis populos plures liberos fuisse. {Cum eiudam} Cæsari, nisi fallor. Nam cum in Senatu, ut refert Plutarchus, Cæsari supplicatio decerneretur, Cato, censuit Cæsarem potius hostibus dedendum. {R. P. conseruata} coniuratione Catilinæ oppressa. {Nescio quid gratulationis} supplicationis {Et prouinciam} Galliam. Episto. II. libro. V. {Sacerdotium} Auguratum. {Post iniuriam} exilii. {Augur postea fieri uolui} in P. Crassi locum, Pompeio, & Hortensio cooptantibus. {Eum honorem} supplicationem, & triumphum. {Neglectum a me olim} Cum prouinciam deposui, ex qua fortasse triumphare potuissem.

BERN. RVT.

BIduum Laodiceæ fui, deinde Apameæ quatriduum, triduum Synadis, totidem dies Philomeli} Aliter ad Atticũ. Moratus, inquit, triduũ Laodiceæ, triduũ Apameæ, & totidẽ dies Synade, & alia epistola: Laodiceã prid. Calẽ. Sex. uenimus,

ibi

ibi morati biduum perillustres fuimus,honorificisq; uerbis omnes iniurias reuellimus superiores. Deinde Apameæ quinque dies morati,Sinadis triduum,Philomeli quinqoe dies morati, Sinadis triduum,Philo elt quinque dies,& Iconii decem. Itaque ad coosenteneam scripturam loci redigendi indidem. {Castra in radicibus Amani habuimus,apud aras quatriduum} Superiore loco ad Atticum Ibi,inquit,quinque dies morati. {Ad oppidum Eleutherocilicum,est ad Atticum {Cuius etiam interitum,facile intelligetem, mihi quantum tribueres, Milonis causa in Senatu defendenda approbatis} Deest Vt,qoo sit,ut facile intelligerem:ex altis. Sicut & Studui,paulo post,noo studui {M. Mancio legato imperaui} Superiori. XIII. libro pluribus locis M Anociū legimus, utrobi melius,non decerno.idem utrobique legendum,non dissimulo. {Magnumq; eorum equitatum,qui in Ciliciam inuasisset, ab equitatu in eorum turmis,& a cohorte prætoria,qoæ erat Epiphaniæ præsidii causa occidione occisum} Legendum est: Ab equitum meorū turmis ni fallimur,ex sensu.Nam & turmas de equitibus,ut de peditibus cohortes,dicimus,& habent quidā codices,equitatu meorum,incorruptum ex parte.{Sed,ut memini,Repu conseruata} ut memini,scribimus.eam sententiam pluribus locis Cicero perscriptā reliquit.

PHIL. MELĀ. SVmma tua authoritas} Exponit primum hac epistola, res a se in Cilicia gestas,& confectas,inde petit a Catone,ut dignitatem ipsius in Senatu tueatur,& ornet {Summa tua authoritas} Exordium a causis scribendi. {Nunc uelim sic tibi persuad.} Petitio,seu propositio. Peto,ut dignitatem meam tueare,&augeas. {Tu idem mihi} Enumeratio beneficiorum Catonis erga se.

GIBERTI LONGO. LEMMA.

Gratulatur Ciceroni de rebus a se gestis,& tacite dissuadet,ne triumphū ambiat.

M.CATO M. CICERONI IMP. S. P. D. 5

QVod & Respub.me,et nostra amicitia hortatur, libenter facio, ut tuam uirtutem,innocentiam, diligentiam cognitam in maximis rebus,domi togati,armati foris, pari industria administrare gaudeam. itaque quod pro meo iudicio facere potui,ut innocentia,consilioq; tuo defensam prouinciam, seruatum Ariobarzanis cum ipso Rege regnum, sociorum reuocatam ad studium imperii nostri uoluntatem,sententia mea,& decreto laudarem,feci.supplicationem decretam,si tu qua in re nihil fortuito, sed summa tua ratione,& continentia Reipu.prouisum est, Dii immortalibus gratulari nos, quàm tibi referre acceptum mauis, gaudeo,quòd si triumphi prærogatiuam putas supplicationem,et iccirco casum potius,quā te,laudari uis:neque supplicationem sequitur semper triumphus: & triumpho multo clarius est, Senatū iudicare, potius mansuetudine,& innocentia Imperatoris prouinciam,quā ui militum,aut benignitate Deorum retentam,atque cōseruatam esse:quod ego mea sententia censebam.atque hæc ego iccirco ad te contra consuetudinem meam pluribus scripsi,ut, quod maxime uolo,existimes me laborare,ut tibi persuadeam,me & uoluisse de tua maiestate,quod amplissimū sum arbitratus,& quod tu maluisti,factum esse gaudere. Vale:& nos dilige, & instituto itinere seueritatem,diligentiamq; socius,& Reip.præsta.

ASCENSIVS. QVod &c. Dicit se diligenter cōmendasse uirtutē Cice.in Senatu,dehortatur tamen a petitione triūphi dicent. Ego facio libenter id quod & Respu.& amicitia nostra hortatur me,ut gaudeā uirtutē.i.fortitudinē tuā,innocentiā,diligentiā tuā cognitā in maximis rebus, tuā dicit togati domi & armati foris.i in bello,administrare.i.gerere magistratū.cu tue est administrare,pari industria. Itaq; feci quod potui facere iudicio meo.s.ut laudarē sententia mea & decreto, prouinciā.s.Ciliciā,defensam innocentia.s.tua & consilio tuo: Regnū Ariobarzanis.s.Cappadociā.seruatū sup esse ad studiū imperii nostri.Gaudeo si tu mauis.i.magis uis gratulari.i.grato animo attribuere diis immortalibus.Quā.s.nos referre acceptū tibi.i.nos existimare accepisse a te supplicationē decretā.s.pro rebus bene gestis a te,in qua re nihil sup.contigit fortuito.sed prouisum est Reipu. summa ratione.i.prudentia,& continentia tua.quod si putas supplicationē,prærogatiuā.i.quasi præiudicialem causam triōphi, & mauis idcirco casum.i.fortuitū euentum laudari potius quam te, neq; triumphus sequitur semper supplicationem,& multo clarius est triūpho,Senatū iudicare prouinciam retentam atq; conseruatā esse potius mansuetudine,atq; innocētia Imperatoris, quam ui militum,aut benignitate deorum.Quod.i.quā rem ego censebā mea sententia,atq; scripsi idcirco hæc ad te pluribus.s.uerbis contra cōsuetudinem meam,ut quod nolo maxime,existimes me laborare ut persuadeā tibi me & uoluisse de maiestate tua,quod arbitratus sum amplissimum sup.esse,& gaudere factum esse,quod tu maluisti. Vale & dilige nos,& præsta sociis & Reip.securitatem & diligentiā, itinere instituto.i.iuxta morē tuū inceptū,aut ubi inceperis redire.

SEBAS. CORR. Laudarem} laudarim tātum,sed supplicationem non decernerem. Epist. XI. lib. VIII. {Securitatem} Al. seueritatem.

PHIL. MELĀ. Quod & Respubli.} Gratulatur Ciceroni de rebus gestis,& tacite ne triumphum ambiat,dissuadet.

GIBERTI LONGOLII LEMMA

Iucundam sibi Catonis gratulationem fuisse dicit. Petitque rursus, ut apud Senatum sua sententia & uoluntate a Catone adiuuetur.

M. CICERO M. CATONI S. D. 6

LAetus sum laudari me, inquit Hector,opinor apud Næuium, abs te pater laudato uiro: ea est enim profecto iucunda laus, quæ ab iis proficiscitur,qui ipsi in laude uixerunt.ego uero uel gratulatione literarum tuarum, uel testimoniis sententiæ dictæ,nihil est, quod me non assecutum putem. idq; mihi tū amplissimum,tum gratissimū est,te libēter amicitiæ dedisse, quod liquido ueritati dares,& si non modo unus,uerum ēt multi Catones essent in ciuitate nostra, in qua unum extitisse mirabile est: quem ego currum,aut quā lauream cum tua laudatione conferrēt nam ad meum sensum,& ad illud syncerum,ac subtile iudicium,nihil potest esse laudabilius,quàm ea tua oratio,quæ est ad me perscripta à meis necessariis.sed causam meæ uoluntatis,non enim dicam cupiditatis,exposui tibi superioribus literis.quæ etiam si parum iusta tibi causa est,hanc tamen habet rationem, ut non nimis concupiscendus honos,sed tamen, si deferatur à Senatu, minime aspernandus esse uideatur,spero autem illum ordinem pro meis ob Rempub.susceptis laboribus,me non indignum honore,usitato præsertim,existimaturum.quod si ita erit,tantū ex te peto,quod amicissime scribis,ut cum tuo iudicio,quod amplissimum esse arbitraris,mihi tribueris,si id,quod maluero,acciderit,gaudeas:sic.n. fecisse te, & sensisse,& scripsisse uideo:resq; ipsa declarat, tibi illum honorem nostrum supplicationis fuisse iucundum,quod scribendo affuisti hæc enim S.C.non ignoro ab amicissimis eius, cuius de honore agitur, scribi solere. Ego,ut spero, te propediem uidebo,atque utinam Republi.meliore,quàm timeo. Vale.

ASCENSIVS. LAetus sum Gratum dicit sibi q a Ca. laudetur, innuit tamen triūphū sperare dicens Hector,sup.ut opinor inquit apud Næuium in tragœdia,o pater.s.Priame, ego sum lætus.i.gaudeo me laudari abs te uiro laudato. Ea enim laus est profecto iucunda,quæ proficiscitur ab iis qui ipsi uixerunt in laude.Nihil est quod ego non putē me assecutum sup.esse.i.obtinuisse,uel gratulatione literarū tuarū, uel testimoniis sententiæ tuæ. Et est mihi tū amplissimum, tum gratissimū, te dedisse libenter amicitiæ,quod dares liquido.i. manifesto iudicio ueritati,hoc est tantum amicitiæ causa me laudasse,quantū faceres si ita essem laudandus Etsi nō modo unus, uerū multi Catones essent in ciuitate nostra,in qua unū extitisse.i.emersisse,est mirabile,quē currū.s.triumphalē,aut quam laureā conferrē ego cū laudatione tua:q.d.nullum & nullam Nam ad sensum meum & ad illud syncerum ac subtile iudiciū.s.quod creditur in me esse,nihil

est laudabilius quam ea oratio tua quæ est perscripta ad me a necessariis meis. Sed exposui tibi literis superioribus causam uoluntatis meæ, non enim dicam cupiditatis. Quæ causa etiam si uisa sit tibi parum iusta, habet tamen hanc rationem, ut honos uideatur non concupiscendus nimis, sed tamen si deferatur .i. præsentetur a senatu, uideatur non aspernandus esse. Spero autem illum ordinē, scilicet Senatorium pro laboribus meis susceptis ob Rempubli. nō existimaturum me indignū honore præsertim usitato. quod si erit ita, ego peto tantum a te, quod scribis amicissime, ut cum tribueris mihi iudicio tuo id quod arbitraris esse amplissimum hoc est uirtute & prudentia laudari, gaudeas, si id quod maluero .f. si triumphus acciderit. ego enim uideo, idest intelligo te fecisse & scripsisse & uerius dicam, sensisse sic. Et res ipsa declarat, illum honorem supplicationis nostræ fuisse iucundum tibi, quod .i. eo quod affuisti scribendo .i. dum scriberetur. Ego enim non ignoro hæc senatuscō sulta solere scribi ab amicissimis eius de cuius honore agitur. Ego ut spero uidebo te propediem .i. statim, atque utinam Repu. supple existente meliore .i. pacatiore quam timeo, quia bellum ciuile inter Cæsarem & Pompeium andierat excitati.

VICTORIUS. ETsi non modo unus, uerum etiam multi &c.) Nos authoritate ueterum codicum, & ratione ducti, {Non modo omnes} emendauimus. Si (inquit) omnes essent Catones in ciuitate nostra, plus me putarem assecutum esse postquā a te laudatus sum, quam si mihi triumphus decretus fuisset, sed quid dico omnes? si multi essent Catones (minus autem est multi, quam omnes) eiusdē sententiæ essem ut currum, laureamq; præ tua laudatione contemnerem. Cum autem nedum omnes, aut multi sint Catones, sed uix unus fuerit, oportet etiam me reliquorum rationem habere, qui non recte, incorrupteq; res iudicent, nam eorum quoq; existimationem de me magnifacere debeo, cum uelim famam & dignitatem meam Clodianis temporibus perculsam & labefactatam instaurare: apud quos, si uiderint me a Senatu ornatum triumphoq; decoratum, rursus ut solebam, florebo: sin autem eo honore indignus existimabor, nunquam maculam illam delere potero. In longa autem ad ipsum epistola causam ea ponit, quare uelit uel cupiat potius triumphare: ad sanandum uulnus iniuriæ .f. aptissimum triumphum esse sibi iudicans, quam etiam causam ad Att. adfert lib. VI. his uerbis, Amicorum literæ me ad triumphum uocant, rem a nobis (ut ego arbitror) propter hanc παλιγγενεσίαν nostram non negligendam. uidebatur enim sibi post integre administratam prouinciā quasi exoriri, iterumq; nasci: nec enim censebat aliter posse se acceptas iniurias delere ex animis hominum, nisi summis postea honoribus ornatus esset, antiquasq; laudes ob conseruatam patriam sibi merito tributas renouasset. Si autem omnes, aut multi saltē (gratius omnino, meliusq; fuisset si omnes) eo iudicio, quo Cato, essent, nō opus sibi esse Cicero existimasset nouis Senatus, populiq; de sua laude iudiciis. sciret enim in animis eorum nunquam suam laudem imminutam esse, casumq; illum suum ab ipsis Reipu. calamitatem ærumnamq; potius quam suam habitum esse.

SEBAS. CORR. ABs te pater laudato uiro) Al. Abs te pater a laudato uiro. ut etiam in Tuscul. IIII. legitur {Non modo unus} Al. nō modo omnes. {Vnum extitisse} Te. cum uero multi nō sint Catones, sed plerique omnes potius sint imperiti, us etiā aliquid dā dum est, & quasi scenæ seruiendum. {Superioribus literis} quarta huius lib {Amicissime scribis} epistola superiore.

BERN. RVT. IN qua unum extitisse, mirabile est} De ipso potius, ad quē scribit accipio, quam, ut noluit interpres, de Censorio. Pertinet uero ad argumentum huius, superiorisq; epistolæ, scire, Ciceroni supplicationem quidem non decreuisse, honorifice tamen de eo locutum. quod Cælius significat lib. VIII. in epistola, cuius initium, Non diu sed acriter. Sed & Cicero ipse ad Cælium, Atticum quæ.

PHIL. MELA. Lætus sum} Exordium a χαρᾷ. {Quod si ita erit} Petitio, ut sua ipsum sententia iuuet in Senatu.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Ei gratulatur Marcello, quod frater eius Cōsul factus sit, & petit ut operam det, ut illi in prouincia succedatur.

M.T.C. PROCOS. S.D. M. MARCEL. COS. 7

TE & pietatis in tuos & animi in Rempub. & clarissimi atque optimi Consulatus, C Marcello Consule facto fructum cepisse, uehementer gaudeo: non dubito, quid præsentes sentiant. nos quidem longinqui, & à te ipso missi in ultimas genteis, ad cœlum mehercule te tollimus, uerissimis ac iustissimis laudibus. nam cum te à pueritia tua unice dilexerim, tuq; me in omni genere semper amplissimum esse & uolueris, & iudicaris, tamen hoc uel tuo facto, uel populi Romani de te iudicio, multo acrius, uehementiusq; diligo, maximeq; letitia afficior, cum ab omnibus prudentissimis, uirisq; optimis, omnibus dictis, factis, studiis, institutis uel me tui similem esse audio, uel te mei, unum uero si addis ad præclarissimas res Consulatus tui, ut aut mihi succedat quamprimum aliquis, aut nequid accedat temporis ad id, quod tu mihi & S.C. & lege finisti: omnia me per te consecutum putabo. Cura ut ualeas, & me absentem diligas: atque defendas. Quæ mihi de Parthis nuntiata sunt: quia non putabam à me etiam nunc scribenda esse publice, propterea ne pro familiaritate quidem nostra uolui ad te scribere, ne cum ad Consulem scripsissem, publice uiderer scripsisse. Vale.

ASCENSIUS. TE & pieta. Gratulatur M. Marcello ob Consulatū fratris & petit sibi succedi, purgatq; quod non scripserit, hoc ordine. Ego gaudeo uehemēter te cepisse fructum, & idest simul, pietatis in: idest erga tuos, & animi, idest beneuolentiæ in Rempub. & Consulatus .f. tui optimi atq; clarissimi, & hoc Caio Marcello .f. fratre facto Consule. Non dubito quin præsentes, idest qui Romæ sunt, sentiant, scilicet aut factum tuum aut gaudium ex eo. Nos quidem longinqui & missi a te .i. tua sententia, in ultimas gentes .f. imperii Romani, extollimus supple te aut factum istud, ad cœlum mehercule uerissimis ac iustissimis laudibus. Nam cum dilexerim te unice a pueritia tua, & tu & uolueris & iudicaris me esse amplissimum semper in omni genere .f. honorum, tum diligo te multo acrius & uehementius uel hoc facto tuo, uel iudicio populi Romani, de te, & afficior maxima lætitia, cum ego audio ab hominibus prudentissimis, & uiris optimis uel me esse similem tui, uel te mei, omnibus dictis, factis, studiis, institutis, idest moribus. uero pro sed, si addis ad præclarissimas res Consulatus tui, unum .f. ut aut aliquis succedat mihi quamprimū, aut nequid temporis accedat, idest addatur, ad id .f. tempus, quod tu finisti, idest constituisti mihi, & Senatusconsulto: scilicet de nouo decreto, & lege .f. antiqua ut annua sit prouincia, putabo me cō secutum omnia per te. Cura ut ualeas, & diligas me absentem atq; defendas. Ego ne quidem pro familiaritate nostra uolui ad te scribere ea quæ nuntiata sunt mihi de Parthis .f. qui Euphratem transierunt, quia non putabam ea scribenda esse a me etiam nunc .i. adhuc publice, ne cum scripsissem ad Consulem, uiderer scripsisse publice. Erat ergo Marcus adhuc Consul, sed Caius designatus.

SEBAS. CORR. MArco Marcello Cos.} cum Ser. Sulpitio. {C. Marcello} fratre tuo patruele {Cos. facto} cum L. Paulo. {A te ipso} ut a Cos. {Tuo facto} quo C. Marcellum Cos. designandum curasti. {De te iudicio} suffragiis declarato. {Similem} æmulum quoque & imitatorem studiorum, & laborum suorum, in oratione pro ipso, & in Bruto uocat. {Et lege} Epist. septima libri secundi.

PHIL. MELA. TE & pietatis} Gratulatur primum [illegible], quod frater eius Consul factus sit. deinde petit, ut det operam, ut ipsi in prouincia succedatur.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Officiosa est epist. qua C. Marcello de nouo Consulatu gratulatur.

M. T. C. PROCOS. C. MARCELLO COS. DES. S. D. 8

MAxima sum letitia affectus, cum audiui te Consulem factum esse; eumq; honorem tibi Deos fortunare uolo, atque à te pro tua, parentisq; tui dignitate administrari: nam cū te semper dilexi, amauiq;, q; mei amantissimum cognoui in omni uarietate rerum mearum, tū patris tui pluribus beneficiis, uel defensus tristibus temporibus, uel ornatus secundis: necesse est ut & sim totus uester, & esse debeam: cū præsertim matris tuæ grauissimæ, atque optimæ fœminæ maiora erga salutē, dignitatemq;

meam studia, quàm erant à muliere postulāda, perspexerim. quapropter à te peto maiorem in modum, ut me absentem diligas atque defendas. Vale.

ASCENSIVS. Maxima &c. Gratulatur C. Marcello quod Cõsul sit designatus. Ordo est. Affectus sum maxima lætitia cū audiui te factum esse consulem, & uolo, i. opto deos fortunare, i. secundare tibi eum honorem, atque administrari a te pro dignitate tua & parentis tui, nam cum. s. ita sit, quod dilexi & amaui semper te, tum cognoui supple te iam amantissimum mei in omni uarietate rerum mearum, tum. i. insuper uel defensus compluribus beneficiis patris tui, temporibus tristibus. i. aduersis, uel ornatus secundis. i. prosperis. s. temporibus. & sum, & debeo esse totus uester. i. tuus, & patris. Præsertim cum perspexerim studia matris tuæ fœminæ grauissimæ, atque optimæ maiora erga salutem & dignitatem meam, quam erant postulanda a muliere. Quapropter peto a te in modum maiorem, ut diligas & defendas me absentem.

SEBAS. CORR. TE Cos. factum) eum L. Paulo. { A te pro tua } Al. a te pro tua. { Parentisq; tui } Epist. sequenti. { Quod me iam amantissimum } Al. cum mei iam amantissimum. { Matris tuæ } Iuniæ. Epistola sequenti.

PHIL. MELā. Axima sum lætitia) Epistola officiosa est, qua Marcello de nouo consulatu gratulatur. { Nam cum te } Rationes gratulationis.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Gratulatur rursus M. Marcello, q frater Consul factus sit.

M. T. C. PROCOS. M. MARCELLO COLLEGÆ S. D. 6

Marcellum tuum Consulem factum, teq; ea lætitia affectum esse, quam maxime optasti, mirum in modum gaudeo, idq; cum ipsius causa, tum q, te omnibus secundissimis rebus dignissimum iudico: cuius erga me singularem beneuolentiam uel in labore meo, uel in honore perspexi: totam denique domum uestrā uel salutis, uel dignitatis meæ studiosissimam cupidissimamq; cognoui. qua re gratum mihi feceris, si uxori tuæ Iuniæ, grauissimæ, atque optimæ fœminæ meis uerbis eris gratulatus. A te id quod consuesti peto, me absentem diligas, atque defendas. Vale.

ASCENSIVS. Marcellum. Gratulatus est. M. Marcello Consuli & C. Marcello fratri, nunc autem gratulatur ut perspicio utrisq; patri dicens. Ego gaudeo mirum in modū Marcellum tuum. s. filium esse factum Consulem, & te affectum esse ea lætitia quam optasti maxime, idq; sup. facio, tum. i. pariter causa ipsius. s. C. Marcelli, tum q iudico te dignissimum omnibus rebus secundissimis. i. prosperissimis, te dico, cuius perspexi beneuolentiam singularem erga me uel in labore. i. aduersitate, uel in honore meo, denique cognoui totam domum uestrā studiosissimam & cupidissimam uel salutis. s. in labore, uel dignitatis meæ. s. in honore. Quare tu feceris mihi gratum, si gratulatus eris uerbis meis Iuniæ uxori tuæ, fœminæ grauissimæ atq; optimæ. s. de Consulatu filii. Ego peto a te id quod consuesti. i. cõsuetus es, ut diligas atque defendas me absentem. Quia in superiori dixit se matri Consulis debere, quā nunc coniugē dicit, certum est q patri non fratri gratulatur.

SEBAS. CORR. Marcello) Al C. Marcello: idq; recte. { Collegæ } in auguratu: quod ex lib. II. de Diuinatione disces. { Marcellum tuum } C. Marcellum filium tuum. { Cos. factum } cū L. Paulo. { Mirum } Al. mirandum.

PHIL. MELā. Marcellum tuum &c.) Eiusdē argumenti est cum præcedente.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Petit a Consule, vt honori & dignitati Ciceronis faueat in Senatusconsulto, quod petebat Cicero.

M. C. IMP. C. MARCELLO C. F. COS. S. P. D. 10

Quando id accidit, quod mihi maxime fuit optatum, ut omnium Marcellorum, Marcellinorum etiam, (mirificus enim generis, ac nominis uestri fuit erga me semper animus) quando ergo ita accidit, ut omnium uestrum studio tuus Consulatus satisfacere posset, in quem meæ res gestæ, lausq; & honor earum potissimum incideret: peto a te id, quod facillimum factu sit, non aspernante, ut confido, Senatu: ut quamhonorificentissimum S. C. literis meis recitatis faciendum cures. si mihi tecum minus esset, quàm est cum tuis omnibus, allegarem ad te illos, à quibus intelligis me præcipue diligi. Patris tui beneficia in me sunt amplissima: neq; enim saluti meæ, neque honori amicior quisquam dici potest: frater tuus quanti me faciat, semperq; fecerit, esse hominem, qui ignoret, arbitror neminem. domus tua denique tota me semper omnibus summis officiis prosecuta est. neque uero tu in me diligendo cuiquam concessisti tuorum. quare à te peto maiorem in modū, ut me per te quā ornatissimum uelis esse, meamq; & in supplicatione decernenda, & in cæteris rebus existimationem satis tibi esse commendatam putes. Vale.

ASCENSIVS. Quando. Rogat ut sibi prosit in honore decernendo, cū quia Consul sit, possit, & quia necessarius, debeat, dicēs. Quando. i. quoniam id quod fuit optatum mihi maxime, accidit. i. euenit ut Consulatus tuus posset satisfacere studio omnium Marcellorum, & etiam Marcellinorum, animus enim nominis ac generis uestri fuit semper mirificus erga me, quando ergo ita accidit ut Consulatus tuus posset satisfacere studio omnium uestrum, in quem. s. Cõsulatum res meæ gestæ. s. in prouincia sup. inciderent, & laus & honor earum incideret potissimum, peto a te id quod sit facillimum factu. i. ut fiat, Senatu, ut confido, non aspernante, ut literis meis recitatis, idest postquam erunt recitatæ, cures Senatusconsultum. i. decretū de honore meo, faciendum. i. ut fiat, quam honorificentissimum. Si minus. s. necessitudinis & amicitiæ esset mihi tecum, quam est cum omnibus tuis, scilicet consanguineis, allegarem. i. intercessores mitterē ad te oēs a quibus intelligis me diligi præcipue. Beneficia patris tui sunt amplissima in me. Ego arbitror neminem, idest nullum, hominem esse, qui ignoret quanti frater suus, scilicet Marcus, me faciat, scilicet modo. Est enim præsentis subiunctiui, & fecerit semper. Denique tota domus. i. familia tua prosecuta est me semp omnibus summis officiis. Neque uero tu concessisti. i. locum dedisti cuiquā tuorum. s. parentum, in diligendo me. quare peto a te ut uelis me esse per te. i. tuo decreto quam ornatissimum. s. summis honoribus, ut sunt supplicatio & triumphus, & putes existimationem. i. reputationem meam esse satis commendatam tibi, & in supplicatione decernenda, & in cæteris rebus.

SEBAS. RA BERN. RVT. Patris tui) superiore epist. { Frater tuus } patruelis M. Marcellus. Epist. VII. huius lib.

MT. C. C. Marcello Conf. desi.) Designati uerbum arbitror eradendum, quoniam iam esses magistratum ingressus. Literæ enim hæc Ciceronis, ut in Cælianis epistolis uidimus, & ad Appium, in Ianuarium mensem inciderant. idq; etiam de insequentis epistolæ inscriptione multo magis dicimus. Denique sunt codices, qui id uerbum non habeant.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Agit gratias Marcello, quod in dignitate & ornamētis ab illo adiutus sit.

M. T. CICERO IMP. C. MARCELLO COS. S. P. D. 11

Quantæ tibi curæ meus honos fuerit, & quā idem extiteris Cõsul in me ornando, & amplificando, qui fueras semper cum parētibus tuis, & cum tota domo, etsi res ipsa loquebatur, cognoui tamen ex meorum omnium literis. itaque nihil est tantum, quod ego nō tua

causa debeam, facturusq; sim cum studiose, tum libenter: nam magni interest, cui debeas: debere autem nemini malui, quàm tibi, cui me cum studia communia, beneficia paterna, tuaq; iam ante coniunxerant, tum accidit, mea quidem sententia, maximum uinculum, q. ita Rempublica geris, atque gessisti, qua mihi charius nihil est, ut, quantum tibi omnes boni debeant, quo minus tantundem ego unus debeam, non recusem, quamobrem tibi uelim ii sint exitus, quos mereris, & quos fore confido. Ego, si me nauigatio non morabitur, quæ incurrebat in ipsos Etesias, propediem te, ut spero, uidebo. Vale.

ASCENSIVS.

QVantæ &c. Fatetur gratum esse officium Marcelli & se illi deuinctum, ac demum dicit se propediem uenturum, nisi a uentis impedita fuerit nauigatio sua. Ordo est: Etsi i. quanquam. res ipsa loquebatur. i. satis declarabat, tñ cognoui ex literis omnium meorũ, quantæ curæ honos meus fuerit tibi, & q̃. i. quantum. extiteris. i fuerit, aut apparueris idem. i. eiusdem animi in me ornando, & amplificando Consul: idest cum esses Consul. Qui, idest qualis fueras semper cum parentibus tuis. Itaque nihil est tantum. i. tam magnũ, quod ego non debeam causa. i. in re tua, & quod ego non sim facturus studiose, idest diligenter ac libenter. Nam interest. i. refert magni. i. multũ, cui debeas: autem, idest sed, ego nemini malui debere quam tibi. cum, scilicet ita sit, quod studia communia, & beneficia paterna & tua coniunxerant me iam ante. i. prius, tum i. euidentius, quidẽ. i. certe sententia mea i. quantum sentio, maximum uinculũ accessit, idest additum est necessitudini amoris, quod geris atque gessisti Rempub. qua nihil est charius mihi, ita ut non recusem quo minus, idest ut non, ego debeam tibi tantum quantum omnes boni. Quamobrem uelim sup ut hi. i. tales sint tibi exitus. s. Consulatus tui, quos, idest quales mereris, & confido fore, idest futuros Ego, ut spero, uidebo te propediem, si nauigatio nõ morabitur, idest tenebit in mora me, quæ, scilicet nauigatio incurrebat in ipsos Etesias. i. uentos qui a Strabone subsolani, idest Euri dicuntur.

SEBAS. CORR. PHIL. MELá.

Honos fuerit) in decernenda mihi supplicatione. {Parentibus tuis} Epist. IX. huius lib.

Quantæ tibi curæ} Agit gratias Marcello, quod in dignitate ab eo adiutus sit. {Quamobrem} Epilogus a uoto.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Officiosa est epistola, & petitoria, ut ei succedatur.

M. T. C. IMP. L. PAVLO COS. DES. S. D. 12

ETsi mihi nunquã fuit dubium, quin te populus Romanus pro tuis summis in Rempu. meritis, & pro amplissima familiæ dignitate, summo studio, cunctis suffragiis Consulẽ facturus esset: tamen incredibili lætitia sum affectus, cũ id mihi nunciatum est: eumq; honorẽ tibi Deos fortunare uolo, à teq; ex tua, maiorumq; tuorum dignitate administrari. atque utinam præsens illũ diem mihi optatissimum uidere potuissem, proq; tuis amplissimis erga me studiis, atque beneficiis tibi operam meam, studiumq; nauare. quam mihi facultatem quando hic nec opinatus, & improuisus prouinciæ casus eripuit, tamen, ut te Consulem Rempubli, pro tua dignitate gerentem uidere possim, magnopere à te peto, ut operam des, efficias, nequid mihi fiat iniuriæ, ne'ue quid temporis ad meum annuum munus accedat. quod si feceris, magnus ad tua pristina erga me studia cumulus accedet. Vale.

ASCENSIVS.

ETsi &c. Gratulatur Paulo de Consulatu. dicit se uelle interfuisse honoribus illius, rogans nequid temporis sibi prorogetur. Ordo est. Etsi nunquam fuit dubium mihi quin Po. Ro. facturus esset summo studio & cunctis suffragiis te Consulem pro summis meritis tuis in Rẽpub & pro amplissima dignitate familiæ tuæ, tamen ego affectus sum incredibili lætitia, cum id nunciatum est mihi, & uolo. i. opto deos fortunare. i. secundare tibi eum honorem i. honorificum magistratum, & administrari a te ea dignitate tua i. secundum dignitatem tuam & maiorum tuorum Atque utinam ego præsens potuissem uidere illum diem. s. comitiorum, optatissimum, atq; nauare. i. copiose impendere tibi operam meam & studium. s meum pro amplissimis studiis tuis erga me Quam facultatem, quando. i. quoniã, hic casus, idest fortuitus aditus prouinciæ nec opinatas & improuisus eripuit mihi, tamen peto magnopere a te ut des operam, & efficias nequid iniuriæ fiat mihi, nequid. i. aliquid temporis, accedat. i. addatur ad munus. i. onus meum annuum. i. legitime duntaxat per annum gerendum, ut possim uidere te Consulem gerentem Rempu. pro dignitate tua quod si feceris, magnus cumulus, idest magnum incrementum, accedet, idest addetur ad pristina studia tua erga me.

SEBAS. CORR. PHIL. MELá. BERN. RVT.

L. Paulo Cos. des.} cum C. Marcello. {Illum diem} comitiorũ. {Nauare} in petitione Consulatus.

QVando hic nec opinatus nec improuisas prouinciæ casus} Nec prouisus, puto legendum, ipse ad Appium. Cum contra uoluntatem meam & præter opinionem accidisset, ut mihi cum imperio in prouinciam proficisci necesse esset. Idem erit si legas, & improuisus: ut alii habent codices.

Etsi mihi} Petit Cicero, ut sibi succedatur. orditur autem a gratulatione.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Officium suum Paulo approbat: deinde petit ut dignitatem illius promoueat in Senatusconsulto approbando.

M. T. C. IMP. L. PAVLO COS. S. D. 13

MAxime mihi fuit optatum. Romæ esse tecum, multas ob causas, sed præcipue ut & in petẽdo, & in gerendo Consulatu meum tibi debitum studium perspicere posses. ac petitionis quidem tuæ ratio mihi semper fuit explorata: sed tamen nauare operam uolebam. in Consulatu uero cupio equidem te minus habere negotii: sed moleste fero, me Consulem tuum studium adolescentis perspexisse, te meum cum id ætatis sim, perspicere non posse. sed ita fato nescio quo contigisse arbitror, ut tibi ad me ornandum semper detur facultas, mihi ad remunerandum, nihil suppetat præter uoluntatẽ, ornasti Consulatum, ornasti reditum meum. incidit meum tempus rerum gerendarum in ipsum Consularum tuum. itaque cũ & tua summa amplitudo, & dignitas, & meus magnus honos, magnaq; existimatio postulare uideatur, ut à te pluribus uerbis contendã, ac petam, ut quam honorificentissimum S. C. de meis rebus gestis faciendum cures, non audeo uehementer à te cõtendere, ne aut ipse tuæ perpetuæ consuetudinis erga me oblitus esse uidear, aut te oblitum putem. quare ut te uelle arbitror, ita faciam, atque ab eo, quem omnes gentes sciunt de me optime meritum, breuiter petam. si alii Consules essent, ad te potissimum Paule mitterem, ut eos mihi quam amicissimos redderes. nunc cum tua summa potestas, summaq; authoritas, notaq; omnibus nostra necessitudo sit: uehementer te rogo, ut & quam honorificentissime cures decernendum de meis rebus gestis, & quam celerrime. dignas res esse & honore, & gratulatione, cognosces ex iis literis, quas ad te & Collegam, & Senatum publice misi: omniumq; mearum reliquarum rerum, maximeq; existimationis meæ procurationem susceptam uelim habeas, in primisq; tibi curæ sit, quod abs te superioribus quoque literis petiui, ne mihi tempus prorogetur. Cupio te Consulem uidere, omniaq;, quæ spero, cum absens, tum etiam præsens te Consule assequi, Vale.

ASCENSIVS.

MAxime &c. Iterum sibi dolere dicit q̧ non fuerit Romæ, cum Paulus Consulatum peteret, ut ei auxilio fuisse potuisset. Deinde commendat ei honorem suum in Senatusconsulto habendo, & demum rogat ne prouincia sibi prorogetur. Ordo est. O Paule optatum fuit maxime mihi. i. a me, esse tecũ Romæ ob multas causas, sed præcipue, ut posses

ut posses perspicere studium meum debitum tibi in petendo & gerendo Consulatu.i.dum peteres & gereres Consulatum. At ratio .i.ratificatio quidem petitionis tuæ fuit semper explorata mihi, sed tamẽ uolebam.i.optabam nauare operam.i.tibi impendere magnũ auxilium. Verum.i.sed cupio equidem te habere minus negotii.i. difficultatis in Consulatu.s.gerendo, sed fero moleste me Consulẽ .i.cum essem Consul, perspexisse studium tuum.i.diligentem fauorem in me, adolescentis.i.cum esses adhuc adolescens, & te nõ posse perspicere studium meũ.s.in te, cum sim id ætatis.i. ea ætate, hoc est tam senex. Figurate dicitur id ætatis, sicut id genus, pro eius generis. Sed arbitror contigisse nescio quo fato.i.deorum ordinatione, ita, ut facultas detur tibi semper ad ornandum me, & nihil suppetat.i.facultatis sit ad remunerandum præter uoluntatem. Tu ornasti Consulatum meum, ornasti reditum meum, quia meum tempus rerum gerendarum.i.quo res gessi.s.præclaras in Cilicia, incidit in ipsum Consulatum tuum. Itaque cum summa amplitudo & dignitas tua, & magnus honos meus & magna existimatio.i.reputatio de me, uideatur postulare ut contendam ac petam a te pluribus uerbis, ut cures Senatusconsultum.i. decretum senatus super ea re consulti, faciendum.i.ut fiat, quamhonorificentissimum de rebus gestis meis, non audeo contendere.i.exigere uehementer a te, ne aut ipse.i.egomet uideat oblitus esse, aut putem te oblitum esse perpetuæ consuetudinis tuæ erga me. Quare ego faciam ita, ut arbitror te uelle, atq; petam breuiter ab eo, hoc est a te, quem omnes gentes sciunt meritum optime de me. Ideo ergo breuiter, quia quẽ semper munificum in nos perspeximus, non opus est multis uerbis urgere. ingeniose ergo, ut semp petit. Si alii essent Consules, o Paule, ego mitterem.s.nuntios & literas potissimum ad te, ut redderes eos quam amicissimos mihi. nunc cum summa potestas & summa authoritas tua, & necessitudo nostra nota sit omnibus, rogo te uehementer ut cures decernendum quamhonorificentissime de rebus meis gestis, & quã celerrime.i.ualde cito. tu cognosces res esse dignas & honore & gratulatione, ex literis, quas misi publice ad te & Collegam.s.Consulem.s.C. Marcel. & ad Senatum, & uelim sup. ut habeas susceptam.i.suscipias procurationem omnium reliquarum rerum mearum, & maxime.i. præcipue existimationis meæ.i. famæ meæ, ubi meæ uidetur passiue poni, inest tamen uis possidendi quædam, & supple ut curæ sit tibi in primis quod petiui, quoq; .i.etiam literis superioribus abs te, ne tempus prorogetur.i. extendatur mihi.i.administratione prouinciæ meæ. Cupio uidere te Cõsulem, & assequi omnia te Consule tum absens.s. supplicationem, tum præsens.s.triumphum.

SEBAS. CORR. PHIL. MELA.

Ornasti reditũ meum) ab exilio. {Rerum gerendarum} in Cilicia. {Et Collegam.} C. Marcellum.

Sed id fato nescio quo} A præcedentibus beneficiis.

GIBERTI LONGO. LEMMA.

Respondet ad Cassii commendationem, & se illum cupisse uidere ante quam in prouinciam ires, dicit: postremo petit, vt operam des vt ei succedatur.

M. T. C. C. CASSIO PROQVÆS. S. 14

Marcum Fabium q; mihi amicũ tua commendatione das, nullum in eo facio quæstum. multi enim anni sunt, cũ ille in ære meo est, & à me diligitur propter summam suam humanitatem, & obseruãtiam. sed tamen, quòd te ab eo egregie diligi sensi, multò amicior ei sum factus. itaque quanquam profecerũt literæ tuæ: tamen aliquanto plus commendationis apud me habuit animus ipsius erga te mihi perspectus, & cognitus. sed de Fabio faciemus studiose, quæ rogas. Tu multis de causis uellem me conuenire potuisses, primum ut te, quem tandiu plurimi facio, tanto interuallo uiderẽ: deinde ut tibi, quod feci per literas, possem præsens gratulari: tum ut quibus de rebus uellemus, tu tuis, ego meis, inter nos communicaremus: postremo ut amicitia nostra, quæ summis officiis ab utroque culta est, sed longis interuallis temporum interruptam consuetudinem habuit, confirmaretur uehementius. id quando non accidit, utemur bono literarum, & eadem ferè absentes, quæ si coram essemus, consequemur. unus.s. ille fructus, qui in te uidendo est, percipi literis non potest. alter gratulationis est, is quidem exilior, quã si tibi, te ipsum intuens, gratularer: sed tamen & feci ante, & facio nunc, tibiq; cum pro rerum magnitudine, quas gessisti, tum pro opportunitate temporis gratulor, q; te de prouincia decedentem summa laus, & summa gratia prouinciæ prosecuta est. tertium est, ut id, quod de nostris rebus corã communicassemus inter nos, conficiamus idem literis. ego cæterarum rerum causa tibi Romam properandum magnopere censeo: nam & ea, quæ reliqui, tranquilla de te erant, & hac tua recenti uictoria tanta clarum aduentum tuum fore intelligo. sed siquæ sunt onera tuorum, si tanta sunt, ut ea sustinere possis, nihil tibi erit lautius, nihil gloriosius: sin maiora, considera, ne in alienissimum tempus cadat aduentus tuus. huius rei totum cõsilium tuum est: tu enim scis, quid sustinere possis: si potes, laudabile, atque populare est: sin planè non potes, absens hominum sermones facilius sustinebis. De me autem idem tecum his ago literis, quod superioribus egi, ut omneis tuos neruos in eo contendas, nequid mihi ad hanc prouinciam, quam & senatus, & populus annuam esse uoluit, temporis prorogetur, hoc à te ita contendo, ut in eo fortunas meas positas putem. habes Paulum nostrum nostri cupidissimum: est Curio: est Furnius. sic uelim enitare, quasi in eo sint mihi omnia. Extremum illud est de iis, quæ proposueram, confirmatio nostræ amicitiæ: de qua pluribus uerbis nihil opus est. tu puer me appetisti. ego autem semper ornamento te mihi fore duxi. fuisti etiã præsidio tristissimis meis temporibus. accessit post tuum discessum familiaritas mihi cum Bruto tuo maxima. itaque in uestro ingenio, & industria mihi plurimum & suauitatis, & dignitatis constitutum puto. id tu ut tuo studio confirmes, te uehementer rogo, literasq; ad me & continuo mittas, & cum Romam ueneris, quam sæpissime. Vale.*

*a.l. sentis

ASCENSIVS.

Marcum & Scripta est hæc epistola ante bella ciuilia cũ Cicero Ciliciæ præesset. Pollicetur itaque primum se omnia studiosissime facturum pro M. Fabio sibi a Cas. commendato, exponit etiam quid sentiat de reditu suo in urbem. Postremo ab eo petit ut diligentissime curet ne quid temporis sibi prorogetur. Ordo est. Ego nullum quæstum. idest lucrum facio in eo q; das.i.efficis tua commendatione M. Fabium amicum mihi. Multi enim anni sunt, cum.i. post quos ille est in ære meo.i.meus, & diligitur a me propter summã humanitatem & obseruantiam eius.s.in me. Sed tamen factus sum multu amicior ei, quod.i.quia diligeris egregie ab eo. Itaque quãquam literæ tuæ profecerunt, tamen animus ipsius erga te, perspectus & cognitus mihi, habuit plus aliquanto comendationis apud me. Sed nos faciemus studiose ea quæ rogas de Fabio. uellem de multis causis.i. ob multas causas sup. ut tu potuisses conuenire.i. adire me. Primũ ut uiderem tanto interuallo.i.post tantum interuallum te, quẽ facio plurimi iandiu. Deinde ut quod feci per literas, possem.s. facere præsens, hoc est gratulari tibi, tum.i.tertio loco, ut communicaremus inter nos de quibus rebus uellem, tu sup. cõmunicares de tuis, & ego sup. communicarẽ de meis. Postremo ut amicitia nostra quæ culta est ab utroq;.s. nostrum, summis officiis, sed habuit consuetudinem interruptam longis interuallis temporis, confirmaretur uehementius. Quando.i.quoniam id.s. nos conuenisse non accidit, utemur bono.i.utilitate literarum, & consequemur.i. obtinebimus fere eadem absentes, quæ.s.consecuti essemus, si essemus coram.i. præsentes.s.cur fere dixerim, quia ille unus fructus.i.ea una uoluptas quæ est in te uidendo, non potest percipi literis, alter, scilicet fructus est gratulationis, & is quidem exilior.i. minor est, quam si gratularer tibi intuens teipsum. Sed tamen & feci antea, & facio nunc, q; pro.i.gratulor tibi, cum.s.ita sis quod pro magnitudine rerum quas gessisti.s.reiiciendo Parthos Antiochia, tum pro opportunitate temporis quo summa laus & summa gratia prouinciæ prosecuta est te decedentem de prouincia. Tertium est ut idem conficiam, idest transigam literis, id quod communicassemus coram inter nos de rebus nostris. Ego censeo properandum esse tibi Romã causa certarum, melius quam cæterarum rerum. Nam & ea quæ reliqui.s.exiens in Ciliciam, erat tranquilla.i. quieta de te.i. nihil male dicebatur, & intelligo aduentum tuum fore tam clarum, hac uictoria tua recenti. Sed si qua sunt onera tuorum, aut necessariorũ, aut militum, si supple ea tanta.s.duntaxat, ut possis sustinere, idest portare contra impetum populi ea, prope, idest quasi nihil lautius, idest splendidius aut gloriosius erit tibi.s. quam ea sustinere. sin.i.

primis, scilicet literis, quas miseras Luceria ab ea urbe Italiæ, ubi Strabo dicit Mineruæ fanum fuisse & Diomedis monumentum. Enim: idest quia si paruissem illis, retinuissem dignitatem meam sine ulla molestia.

SEBAS. CORR.

Belli necessaria pertinacia} Al. belli ptinacia. {Voluit} Ego, Pompeio uicto, in Italiam rediens: tu, classem in Hellespon to Cæsari tradens. {Eius consilii} discedendi ab armis. {Reprehendit præter eos} Al. reprendit, præter eos. Intelligit autē eos, qui bellum in Africa renouarunt. {Prælio facto} primo, hoc est, Pharsalico. {Esset Africa} ubi tunc bellum a Pompeianis renouabatur. {Quam cognouit Asia} Cæsar enim multis, qui se in Asiā aut in Achaiam contulerant, ueniā dedit. {Ipso legato} Cæsare. {Pharnacem} Mithridatis filium, Ponti regem quem cum Cæsar uicisset, tria illa uerba ad amicos scripsit, Veni, Vidi, Vici. {Illaturum putaret} uicto Cn. Domitio Caluino, cui Cæsar Asiam, finitimasq; prouincias administrandas tradiderat. {Consiliis interesses} Primum Alexandriam profectus, deinde Cæsarem contra Pharnacem secutus. {Miserrimis querelis} propter scelera & seditiones M. Antonii magistri equitum, & L. Trebelli, atque P. Dolabellæ Trib. pleb. {Si author} Cæsar. {Laceria} Al. Nuceria.

BERN. RVT.

Qvando eius consilii princeps ego fuisse uideor} discedendi a ciuilib. bellis: non ut Clericus, cōcitandi. Primus enim Cicero sponte sua, fuso in Pharsalica Pompeio, se a bello mouit, & in Italiam contulit, author Plutarchus in Cicerone. alii enim se in Africam, alii in Achaiam, quidam in Siciliā, cæteri in Hispaniam contulere. Cassius uero Cæsari ex ea pugna Pōpeium in Aegyptum consequenti circa Hellespontum se dedidit cum multis triremibus, atque ita a ciuilibus quieuit bellis. author Appianus. quod etiam ad argumentum Epistolæ pertinet. {Pro sua quisque per te ferre potuisset} Parte. ex sensu habent alii codices.

PHIL. MELA.

Expositio consiliorum Ciceronis, & Cassii in bello ciuili.

GIBERTI LONGOLII LEMMA

Iocatur cum Cassio, quod Epicureus factus sit.

M. T. C. C. C. CASSIO S. P. D. 16

Pvto te iam suppudere, cum haec te tertia iam epistola ante oppressit, quàm tu schedulam, aut literam. sed non urgeo: longiores enim expectabo, uel potius exigam. ego si semper haberem cui darem, uel ternas in hora darē: fit enim nescio quid, ut quasi coram adesse uideare, cum scribo aliquid ad te: neque id *κατ' εἰδώλων φαντασίας, ut dicunt tui amici noui, qui putant etiam *διανοητικὰς φαντασίας spectris Catianis excitari. nam, ne te fugiat, Catius *Insuber Epicureus, qui nuper est mortuus, quæ ille Gargettius, & iam ante Democritus, εἴδωλα, hic spectra nominat. his autem spectris etiam si oculi possent feriri, quod uel in ipsa occurrunt: animus qui possit, ego non uideo: doceas tu me oportebit, cum saluus ueneris, in mea ne potestate sit spectrum tuum, ut simulac mihi collibitum sit de te cogitare, illud occurrat: neque solum de te, qui mihi hæres in medullis: sed si insulam Britanniam cœpero cogitare, eius *εἴδωλον mihi aduolabit ad pectus? sed hæc posterius: tento enim te, quo animo accipias: si enim stomachabere, & moleste feres, plura dicemus, postulabimusq; ex qua *αἱρέσει ui hominibus armatis deiectus sis, in eam restituare. in hoc interdicto non solet addi, in hoc anno quare si iam biennium, aut triennium est, cum uirtuti nuntium remisisti, delinitus illecebris uoluptatis: in integro res nobis erit. quanquam, quicum loquor? cum uno fortissimo uiro: qui postea quam forum attigisti, nihil fecisti nisi plenissimum amplissimæ dignitatis. in ista ipsa * αἱρέσει metuo ne plus neruorum sit, quàm ego putarim, si modo eam tu probas. quid tibi in mētem uenit, inquies? quia nihil habebā aliud, quod scriberem: de Republica enim nihil scribere possum: neque enim, quod sentio, libet scribere. Vale.

*.i. per spēs uel uisa.
*.i. intelligētiæ uisa.
*a.l. insuper.
*.i. imago.
*.i. secta.

ASCENSIVS.

Pvto &c. Arguit Cassiū taciturnitatis, iocatur que Epicureum factum dicens: Ego puto te suppudere. i. aliquātulum pudere, cum hæc tertia epistola. s. mea oppressit te, antequā tu sup. miseris schedulam. i. breuiculum scriptum aut literā: idest unum elementum. Sed non urgeo te, idest nolo nimis properes. Expectabo enim uel potius exigam longiores. s. literas. Si ego haberem semper cui darem, in hora, idest singulis horis, uel, idest etiam ternas sup. literas. Enim, idest quia nescio quid, scilicet imaginari boni, fit, idest cōtingit mihi, ut uideare, idest uidearis quasi adesse coram, idest in præsentia cum scribo aliquid ad te. Neque id sup. contingit κατά. i. secundum, εἴδη, idest ideas aut figuras, ἤ. i. uel phantasias, ut amici tui noui. i. Epicurei dicunt. Qui putant et διανοητικὰς φαντασίας. i. intellectiuas, excitari spectris, idest imaginibus & idolis Catianis, idest a Catio Epicureo excogitatis, ad cuius nomen alludens inquit Hora. Vnde & quo Catius? Nam ne fugiat, idest lateat te, Catius insuper Epicureus qui nuper est mortuus, hic nominat spectra, quæ ille Gargettius Democritus etiam ante sup. nominauit idola. Autē, idest sed si oculi possent feriri, idest percuti his spectris quod ipsa spectra currant, idest diuagentur per cellulas phantasiæ, uelis, idest obtegumentis uaporosis. Hubertinus interpretatur ut uelis sit uerbum, & quod nomen dicens, quod, idest quantum uelis. Ego non uideo. i. non intelligo, qui. i. quo mō animus possit. s. sic discurrere. Oportebit sup. ut tu qui Epicureus es, doceas me cum: idest postquam ueneris saluus, ne, idest an, spectrum tuum, idest imago tua sit in potestate mea, ut simulac libitum sit mihi cogitare de te, illud, scilicet spectrum occurrat, neque solum sup. occurrat de te, qui hæres, idest fixus es mihi in medullis, sed si cœpero cogitare Britanniam insulā εἴδωλον, idest species eius aduolabit mihi ad pectus? Sed hæc posterius sup. discutiemus, tento enim, quo animo accipias. Si enim stomachabere, & pro. i. feres moleste, nos dicemus plura, & postulabimus. s. a te ut ex qua hæresi, idest secta & professione sis deiectus ui sup. hominibus armatis, restituare in eam. s. sectam, hoc est ut qui tempore belli e Stoico Epicureus factus es, rursus Stoicus fias. in hoc interdicto. s. ab aliena secta, nō solet addi particula in hoc anno. s. ut annus detur ad deliberandum. Quare si iam biennium aut triennium est, cum remisisti nuntium uirtuti, idest destruisti Stoicos qui in uirtute summum bonum ponunt, delinitus illecebris uoluptatis, in qua Epicurei idem collocant, res erit nobis in integro, idest pleni iuris nostri, nulla facta præscriptione. quanquam qui cū. i. cum quo loquor? Respondet, cum uiro fortissimo, qui postea q̃ attigisti forum. s. Romanum, nihil fecisti nisi plenissimum amplissimæ dignitatis. Ego metuo ne plus neruorum, idest uirtū sit in ista ipsa hæresi. s. Epicurea, quam ego putaueram, modo si, idest dummodo tu probas, idest approbas eam. Tu inquies, quid uenit tibi o Cicero in mentem. s. ut ista scriberes? Respondet, Quia nihil possum supple aliud scribere. Neque enim libet scribere quod sentio.

VICTORIVS.

Cvm hæc tertia iam epistola ante te oppressit) Nos cū antiquis codicibus {Ante operis sit} scripsimus, eleganti (ni fallimur) sensu: & si nos intelligimus eruditos uiros, ut in aliis quibusdam, receptam lectionem secutos, eodem modo dicendi usos esse, ut qui antiquam scripturam non uidissent. illam enim, ut opinor, magis probassent. Puto te suppudere, inquit, cū hæc tertia iam epistola sit operis, idest opus, uolumenq; pene cōficere possit, quam tu schidam, aut literam. Hæc enim infra posita non respondent numero epistolarum, sed magnitudini suarum iam trium illius se mirari dicit ne schidulam quidem habere, aut literam. Scidulam autē ut in antiquis libris semper inuenimus, scripsimus sine aspiratione, licet a uerbo σχίζω uideatur deductū esse nomen. aliā uero sunt nomina a Græcis deriuata aspiratam literam habentibus, q̃ ipsa tamen nō retinent. Sic autem & in epistolis ad Atticum hoc nomen scriptum inuenimus libro primo, Enitere per amicos, clientes, hospites, libertos denique ac seruos tuos, ut scida ne qua deperеat. Et in Plynianis uetustis codicibus. Alii autem scedam scribunt, ut hic omnes uulgati codices habebant, quod non tā probo. {Κατ' εἰδώλων φαντασίας} Antiqui codices aliter, nec tamen ut putamus, incorrupte, sed longe minore errato, κατ' εἰδῶν φαντασίας. Nos duas literas in medio defecisse arbitrati pro εἰδῶν, εἰδώλων scripsimus. Putabant enim Epicurei, ut infra copiose disputat, non aliter nos de aliquo absente cogitare, nisi simulacrorum, spectrorumue phantasiis impulsi. Quod cum apertius hac epistola disseratur, planumq; omnibus mediocriter doctis sit, a nobis longius non tractabitur. {Catius insuper Epicureus} Sic omnes uetusti, & impressi codices. Quidam nuper {Insuber} emendarunt, quā nec damnamus, nec sequimur adhuc lectionem, nusquam enim patriam eius, regionemue in qua ortus esset inuenimus. Est autem Catius ille, de quo Horatius in Satyris: nam per Gargettium Epicurus intelligitur a loco, ubi natus. Laertius in principio eius uitæ, ἐπίκουρος νεοκλέους καὶ χαιρεστράτης ἀθηναῖος τῶν δήμων γαργήττιος, γένους τοῦ τῶν φιλαϊδῶν. Statius etiam eūdem, senem Gargettium appellat. {Quod uelis ipsa currunt} Quis non uideat hunc locum.

deprauatum esse? & tamen omnes codices sic habent Germanicus tantum pro{Curruut,occurrunt}habet. Nos uocem illam{Velis} in duas diuisimus dictiones, ut a principio fuisse credimus, uitioq; pustea librariorum compactas, ut sit, {Vel iis} saepe autem, cum duæ hærent uocales, in antiquu codice una tantum scribitur, ut alibi adnotauimus. Adfert autem rationem, quare difficilius credas nos de aliquo cogitare occursu simulacrorum, quam eorundē incursu uidere quippiam{uidere antē nos δι᾽ ἀ τῆς τῶν εἰδώλων ἐμπτώσεως censebant Democritus, & Epicurus: quod in epistola ad Atticum etiam ostendit Cicero, in qua disputat de fenestrarum angustiis.} Quod si inquit his spectris oculos feriri posse cōcesserim (uix aūt hoc cōcedit, ut spectra cum sint tam ἀπαθῆ, oculos ferire possint) sed si concesserim inquit, uidebor aliqua ratione facere, quod salrē oculis spectra occurrunt, ut possint τῇ ἐμπτώσει & occursu uisionē cōficere, & excitare. Quo aūt animus & διάνοια feriri possint, nō uideo, non.n. spectra animo, ut oculis occurrunt. quia.n. ratione corpus penetrare possent? frangerentur.n. ἀπαθῆ ὄντα. Libro aūt primo de finibus hanc eādē rē tangit, Imagines quæ εἴδωλα nominant, quorum incursione non solum uideamus, sed etiam cogitemus. Etsi ante uulgati deprauate{Incursionem}legebant. Sunt aūt uerba Ciceronis contra L. Torquatum, qui Epicuri disciplinam se ctabatur disputantis ubi etiam minus uerisimile esse putat nos incursione & ἐμπτώσει simulacrorum cogitare, quam uidere. De occursu autem simulacrorum hac ipsa epistola paulopost ut prorsus hanc uetam esse credam huius loci lectionem, de prauatam autem ab aliquo, qui has Epicuri rationes (quod nunc amissis eius disciplinæ libris, obscuræ sunt) ne gustasset quidem. Qui tamen, ut Ciceronis infinita loca intelligat, atq; Lucretium candidissimū poetam legere possit, non penitus rudis eius disciplinæ esse uult, Epicuri uitam a Laertius prescriptam legat, ubi fere omnes illius sententias, decretaq; ipsius uerbis explicata colligit. Liber autem primus de finibus, & non parua pars secundi ex uerbis pene Epicuri contexti sunt, a Cicerone summa fide, & elegantia conuersis.

Ea post eiusdem.

CVm Hæc tertia iam epistola ante uperit sit} Quod ita olim scripsimus, dedimus id antiquorum codicum authoritati, in quibus ita scriptum offendimus. uetustam lectionē quibus potuimus argumentis confirmauimus quam qui non probat, receptam sequatur. {Quod uel iis ipsa occurrunt} Locum inquinatissimum ita purgari posse censuimus, non insulse (ut opinor) neque inelegantes: alii studiosos in iisdem nolutari sordibus uoluerunt. Magnas labes in antiquis scriptoribus factas esse, quod ab imperitis librariis, quandoq; ea duabus una dictio facta sit, aut contra, ex una duæ, fatebuntur. Quod siquis hic quoque factum esse concedit, nullus labor est reliqua restituere. Infinitis locis in Mediceo codice duarum uocalium, quas appellant, altera absorpta est. ad Pætum: Salis enim satis est, sannorum parum. ad eundem: Tenuculo apparatu significas Balbum fuisse cōtentum, pro {Sanniorum} & {Tenuiculo} possemus infinita alia exempla afferre, & hoc frequentius est, cum eædem literæ sunt, ut in epistola Q. Ciceronis: Res est aut Tribuniciis aut priuatis consiliis munienda, pro Tribunicis. Nam de Germanorum fide bene existimo: uideo enim illos epistolarum antiquos codices habuisse multaq; aduertasse, quæ ficta non esse & commentitia ausim affirmare. De sententia horum uerborum non laboro: puto enim me affatim ostendisse me citatis testimoniis magnorum uirorum, decretisq; illorum explicatis, si ita legatur, omnia opinionibus illius familiæ respondere. Cū hæc te tertia iam epistola ante oppressit} Alii, ante operit sit, durius omnino, & sensu, ut ego existimo, nō admodum probabili. quid enim si, adeo longa est hæc epistola, ut opus uideri possit? Iam quod illas dictiones schedam aut literam, epistolarum numero respondere negant: id ego illis concedo: sed referri dico ad illam uocem, epistola: ut quasi Cassium reprehendat, qui schedam, aut literam nondum dederit, cum epistolas iam tres acceperit. legitur autē, ut nos impressimus, cum in aliis libris manu scriptis, tum in eo, quem habet Vincentius Riccius, qui quidem liber uetustissimus est, ut Græcas dictiones, quæ sunt in uetustis codicibus per quam raro, maiusculis literis scriptas habeat.

PAVL. MANV.

QVod uelis ipsa currunt) Corruptus locus quem sanare nō potuimus, ueterum exemplariū ope deserti. prorsus enim omnia, quæcunque uidi, cum uulgata lectione cōsentiunt: Vincentii Riccii codex hoc in loco & si deprauatus, ab aliis tamen diuersus est: habet enim, quod in his incurrat. Florentini autem in suo libro emendarunt, quod uel iis ipsa occurrunt, quā lectionem & si laudamus, ut ingeniose excogitatam, non tamen sequimur, neque satis ei confidendum credimus, cum a uetustis codicibus, etiam quos ipsi habuerunt, discrepet. uā quod Germanos in suo pro, curruut, occurrunt, impressisse dicunt: id ego eos fecisse tantummodo coniectura ductos facile crediderim: non enim hic solum sed in reliquis etiam Ciceronis scriptis multa eos arbitratu suo uideo mutasse.

SEBAS. CORR.

TE Oppressit} Al. operis sit. {Schedulam} Al. scedam alii legunt, syllabam. {Κατ᾽ εἴδη, ἢ φαντασίας} per species, uel uisa, per species, & imagines, uidetur quasi interpretari Cicero ipse libro secundo de Diuinatione, ubi de his plura disputat, alii tamen legunt κατ᾽ εἴδων φαντασίας. alii, κατ᾽ εἰδώλων φαντασίας. {Tui amici noui} Epicurei. Cassius enim, authore Plutarcho in Cæsare & Bruto, Epicureus erat. {διανοητικὰς φαντασίας.} intelligentiæ uisa. {Catius.} Hic scripsit quatuor libros de rerum natura, & de summo bono, de quo Quintilia. ita scribit: In Epicureis leuis quidem, sed non iniucundus tamen author est Catius. {Insuper} Alii legunt, Insuber. {Gargettius} Epicurus, qui, τὸν δῆμον γαργήττιος a Diogene Laertio, a Suda uero γαργήττιος fuisse dicitur {Democritus} quem secutus est Epicurus {εἴδωλα} imagines. {Quod uelis ipsa currunt} iis facile assentior, qui legūt, Quod uel iis ipsa occurrunt. {In mea ne potestate sit} Al. in mea potestate ut sit. {Εἴδωλον.} imago. {Vt hominibus} Epist. XIII. lib. VII. {In eam} fortasse Academicam, aut Stoicam. {Si iam} Alii legunt, etiam si. {Αἵρεσιν} secta: & Epicuream intelligit. {Libet} nonnulli malunt, Licet.

BERN. RVT.

CAtius Insup Epicureus} Quid si, Catius Insuber? {Quæ ille Gargatius etiam ante Democritus} & iam, duobus uerbis lego qui error Liuii quoque, ac Sallustii, & multorum aliorum uoluminibus irrepsit. {His autem spectris etiam si oculi possent feriri, quod uelis, ipsa currunt} Alibi, Quod uel iis ipsa currunt. ut possis Incurrunt legere, atq; etiam Ipsi, non ipsa. {Ex qua hæresi in hominibus armatis deiectus sis} Nun muto aliorum codicum scripturam ubi est, Vi hominibus armatis ea formula interdicti. Vnde uide quo quia ea Iurisconsultis multa in Trebatianas epistolas desumpsimus, nihil hoc loco implico. Qui ea legerit, etiam quid significet Hoc anno, intelliget. Interdictum certe plus quam ridicule interpretatur Hubertinus iste prohibitionem, ne restituatur. cum significet ius ipsum potius, & (ut ita dixerim) remedium petendi restitutionem in rem suam. Quid interdictum ab actione distet, Iurisconsulti tractant.

PHIL. MELA.

Puto te iam suppudere{ Iocatur in Cassium Epicureum factū, & Epicureorum ineptias deridet.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Exponit, quæ noua in urbe gerantur.

M. CICERO S. D. C. CASSIO. 17

PRæposteros habes tabellarios, & si me quidem non offendunt, sed tamen cum à me discedunt, flagitant literas: cum ad me ueniunt, nullas afferunt. atque ipsum facerent cōmodius, si mihi aliquid spatii ad scribendum darent: sed petasati ueniunt: comites ad portam expectare dicunt. ergo ignosces: alteras habebis has breueis: sed expecta* πάντα περὶ πάντων. etsi quid ego me tibi purgo, cum tui ad me inanes ueniant, ad te cum epistolis reuertantur? Nos hic, (tamen ad te scribam aliquid) D. Syllam patrem mortuū habebamus: alii à latronibus, alii cruditate dicebāt. populus non curabat: combustum enim esse constabat. tu pro sapientia tua feres æquo animo. quanquam* πρόσωπον πόλεως amisimus: Cæsarem putabant moleste laturum, uerentem ne hasta refrixisset. Mindius Marcellus, & Attius pigmentarius ualde gaudebant se aduersarium perdidisse. De Hispania noui nihil: sed expectatio ualde magna: rumores tristiores, sed* ἀδέσποτοι. Pansa noster paludatus ad III. Calen. Ianu. profectus est, ut quiuis intelligere posset id quod tu nup dubitare cœpisti,* τὸ καλὸν δι᾽ αὑτὸ αἱρετὸν esse: nam, quòd multos miseriis leuauit, & quòd se in his malis hominem præbuit, mirabilis eum uirorum bonorum beneuolentia prosecuta est. Tu quòd adhuc Brundusii moratus es, ualde probo, & gaudeo: & mehercule puto te sapienter facturum, si* ἀκενόσπουδος, fueris: nobis quidem, qui te amamus erit gratum, & amabo te, cum dabis posthac aliquid domū literarum, mei memineris. ego nunquam quenquam ad te, cum sciam, sine meis literis ire patiar. Vale.

*.i. omnia de omnibus.

*.i. faciem ciuitatis

*.i. sine authore.

*.i. honestum per se optabile.

*.i. nō inanis homo studii.

ASCENSIVS.

PRæposteros. Accusans rursus Cassium taciturnitatis, scribit quædam subobscure de morte Decii Syllæ, & statu reipublicæ. Ordo est Tu habes tabellarios præposteros: idest nõ suo ordine rem gerentes, & si, idest quanquam non offendunt me, sed tamẽ cum discedunt a me flagitant, idest imperiose petunt literas, & nullas afferunt cum ueniunt ad me. Atque facerent idipsum. i. peterent literas commodius si darent mihi aliquid spatii ad scribendum, sed ueniunt Petasati. i. parati ad iter habẽtes petasa, idest calciamenta ad iter apta, quæ Mercurio addicuntur. dicunt comitet expectare supple se ad portam, scilicet urbis. ergo ignosce has breues. i. quod mitto has tam breues, habebis alteras, sed expecta panta, profertur panda, idest omnia, peri: idest de, panton, profer pandon, idest omnibus: est tamen genitiui casus, quia peri genitiuum uult, de, ablatiuum. Etsi, idest quanquam, quid: idest ad quid ego purgo me tibi: cum tui ueniant ad me inanes: idest sine literis, & reuertantne ad te cum literis? quasi dicat stulte, cum neque scribere, neque purgare me debeam, tamen scribam aliquid ad te. Nos habebamus, scilicet cum hæc scriberemus, hic, scilicet Romæ, Decium Syllam patrem, idest seniorem mortuũ. alii dicebant supple extinctũ latronibus, alii cruditate, idest indigestione cibi, populus non curabat: scilicet qua morte perierat. constabat enim, quod populus contentus erat, combustum esse post mortem, scilicet. Tu feres hoc æquo animo pro sapientia tua, hoc est nõ minus gaudebis: nam gauisurum nõ dubitat. quanquã amisimus πρόσωπον πόλεως: idest personam urbis: hoc est unde alii exemplum sumerent. uidetur autem per Sarcasmũ dictum. Vnde addit: Putabant. s. plerique, Cæsarem. s. Iulium laturum esse moleste. Verentem ne hasta. i. auctio bonorum proscriptorum, quorum tabellam Lucius Sylla gentilis huius primus fixit, refrixisset, idest in desuetudinem uenisset mortuo tali patrono. Mindius Marcellus & Attius Pigmentarius gaudebant ualde se perdidisse aduersarium. s. quæstui suo: nã dum hasta proscriptionis feruet, neque Marcello, neque Pigmentario quæstus est. quo circa dubitem an Marcellus sit legẽdum, ut sint nomina cerdonum. Nihil noui supple allatum est de Hispania, sed expecto ualde magna. Rumores supple diuersi sunt, tristiores, sed ἀδέσποτοι, idest sine domino, & certo authore. Pansa noster, idest amicus profectus est paludatus. s. Imperiali ueste instructus ad tertium Calendas Ianuarias, ut quiuis posset intelligere id quod tu factus Epicureus cœpisti, idest incœpisti dudum dubitare. τὸ articulus est, καλὸν honestum, δι᾽ ἑαυτὸ, idest seipso, αἱρετὸν, idest eligibile esse. Nam quod, scilicet Pansa leuauit. i. deonerauit multos. s. ciues miseriis, & quod præbuit se hominem, idest humanum in his malis. s. quæ uictoriam Cæsaris secuta sunt, beneuolentia mirabilis bonorum uirorum est prosecuta eum. s. proficiscentem. Ego ualde probo, idest laudo & gaudeo, quod tu moratus es adhuc Brundusii, & puto, me hercule, te facturum sapiẽter si fueris ἀχρεῖος, idest inutilis, πῖλος, idest pileus seu galea, idest si ad bellum non accesseris: quidem, idest certe supple id erit gratum nobis, qui amamus te, & amabo te, blandienter dictum, cum dabis posthac alii, idest alicui, quid literarum. memineris mei, ut scilicet ad me quoque des. Ego nunquam patiar quenquam ire ad te sine literis meis, cũ sciã, scilicet ad te ire.

VICTORIVS.

ALteras habebis, has breues) Nos putamus punctis male distinctas esse has dictiones: ut longe diuersum seorsum præseferant a uero nisi fallimur: non enim Alteras habebis, intelligimus, qd alias lõgiores, plenioresq; nunc polliceatur, ideoq; æquiore animo uelit ferre illum harum breuitatem. nam id paulo post large promittit uerbis illis. Sed expecta πάντα περὶ πάντων. sed ignosci sibi uult, quod hæ non solum breues sint, sed alias ẽt ante breues acceperit, ut hæ sint iam secundæ literæ ad eum scriptæ breues. Quo magis postea liberalius spondet, se copiose omnia perscripturũ: uidebatur enim sibi nonnihil culpæ admisisse, qui iterum iam breues misisset: ut si Alteras has habebis breues, dixisset, nullus scrupulus fuerit, interposita autem uoa illa {Habebis} locũ obscuriorem facit, sed est elegantissimus modus dicendi a Cicerone crebro usurpatus, ut lib. X. ad Att. tres dictiones in medium inculcauerit. Alteram ubi eodem die hanc epistolam dictaui. Libro autem. XIII. ordine permutato, Has alteras hodie literas, dixit: ut etiam lib. IIII. Nam ut ueni Romam, iterum nunc sum certior factus esse cui darem literas: itaq; has alteras dedi, prioribus tibi declaraui, &c. Vt nihil scrupuli restet quid hic per has alteras, secundas significet. {Tamen ad te scribam aliquid, Nos hic D. Syllam patrem, &c.} Omnino elegantius in antiquis codicibus, quemadmodum nos scripsimus, legitur hic locus, ut uerba illa {Tamen ad te scribam aliquid} sint post duas illas dictiones, {Nos hic} Cum enim supra dixisset non opus sibi esse excusatione cum Cassio, nec debere se illi purgare, cũ inanes ab eo ueniant tabellarii, ad eumq; cum epistolis reuertantur, quasi hoc loco finem epistolæ facere uoluisset: imprudenter tamen addit, {Nos} hic principium narrationis. ideoq; statim cognito errore infert, tamen ad te scribam aliquid se castigans quod propositum mutauerit. q. d. Non tamen potui, ut decreueram, me cõtinere quin aliquid ad te scriberem. Nos profecto hanc lectionem argutiorem politioremq; putauimus, inuentãq; in priscis exemplaribus nullo pacto prætermittere debuimus. Speramus etiam eruditos ingeniososq; multo hanc magis uulgata probaturos esse.

Ex posteriore eiusdem.

SI ἀχρεῖος πῖλος fueris} Nos deletis his ineptissimis uerbis cũ antiquis codicibus ἀκενόσπουδος scripsimus, una tantum parum peruersa litera. In illis clara hæc erat scriptura, ut mirer unde Græcas illas uoces eruerint, quæ in uulgatis, nihil prorsus quod hic quadraret significantes, legebantur. Cice. ad Atti. primo non. libri epistola, nimiam suam diligentiam in rebus inanibus, & nullius momenti inuestigãdis taxans. Sed hæc fortasse κενόσπουδα dixit, ut non debeat maius studium in illis inquirendis poni. κενόσπουδος autem Suidæ est qui in rebus inanibus leuibusq; studium ponit: ut quid hic ἀκενόσπουδος significet, dubium non sit, elegãs prorsus uerbum, & quod solum declaret sententiam, quæ nisi pluribus uerbis Latine exprimi non posset.

SEBAS. CORR.

ΠΆντα περὶ πάντων} omnia de omnibus. {Tamen ad te scribã aliquid. {Nos hic D. Syllam patrem mortuum habebamus} Al. Nos hic (tamen ad te scribam aliquid) P. Syllam patrẽ mortuum habebamus. Epist. X. lib. IX. {Combustum} quamuis Syllani, quorum unus fuerat P. Sylla, olim M. Marium comburi prohibuerint. {Enim esse constabat} Al. tamen esse constabat. {Πρόσωπον πόλεως} faciem ciuitatis. Al. {Πρόσωπον καλὸν, καὶ αὐτὸ αἱρετὸν} faciem pulchram & ipsam optabilem. Alii legunt, πρόσωπον καλοῦ faciem pulchri, siue honesti. {Rumores tristiores} de Scapula, & Pompeii filiis. {Ἀδέσποτοι} incerti. {Ante diem Calẽ.} Al. ad. III. Calen. {Dubitare cœpisti} factus Epicureus. {Τὸ καλὸν, δι᾽ ἑαυτὸ αἱρετὸν} honestũ per se optabile. {Ἀχρεῖος πηλὸς} inutile cœnum. Al. {Ἀχρεῖος πῖλος} inutilis galea. Al. {Ἀκενόσπουδος} minime curiosus: idq; magis placet.

Præposteros) narrationes de rebus urbanis.

PHIL. M. LI.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Excusatoria, & nunciatoria de reipublicæ statu, & suo animo.

M. CICERO C. CASSIO S. P. D. 18

*LOngior epistola fuisset, nisi eo ipso tempore petita esset à me, cum iam iretur ad te: longior etiam, si *φλύαρον aliquem habuisset. nam *σπουδάζειν sine periculo uix possumus. ridere igitur, inquies, possumus: nõ mehercule facillime: uerumtamen aliam aberrationem à molestiis nullis habemus. ubi igitur, inquies, philosophia? tua quidem in culina, mea molesta est: pudet enim seruire. Itaque facio, me alias res agere, ne conuicium Platonis audiam. De Hispania nihil adhuc certi. nihil omnino noui. Te abesse mea causa, moleste fero: tua, gaudeo. sed flagitat tabellarius. ualebis igitur, meq;, ut à puero fecisti, amabis.*

* i. garrulum. * i. serio agere.

ASCENSIVS.

LOngior. purgat, quod longiorẽ non scripserit epistolã, dicitque temp. in flebili esse statu: unde gratulatur Cassio quod abest ab urbe. Ordo est. Epistola sup. hæc fuisset lõgior, nisi esset petita a me eo tẽpore cum iretur iã ad te. Longior aũt sup. fuisset, si habuisset aliquem φλύαρον i. hilarem & alacrem sup. scriptorẽ aut tabellarium. Nam uix possumus σπουδάζειν spudazin, idest serio & studiose loqui sine periculo. Igitur (tu inquies) nos possumus ridere. Mehercule non sup. possumus facillime. i. etiam sine periculo. Veruntamen nullam aliam aberratione. i. diuagationem a molestiis habemus. Igitur tu Inquies, ubi sup. est philosophia? Et quidem ant ea quidem est in culina. i. coquina molesta. i. rebellis cocis. pudet. n. sup. eam seruitutes. itaq; facio. i. fingo me agere alias res. s. quã domesticas aut urbanas, ne audiã conuitiũ. i. obiurgationẽ cõtumeliosam Platonis in eos philosophos qui a ueri inuestigatione ad rerum administrationẽ auertuntur. Ego adhuc nihil omnino certi noui de Hispania. Ego fero moleste te abesse. s. ab urbe, causa mea, qui mallẽ talẽ mecum esse, gaudeo tua. s. causa, quia nõ uides, quas nos, miserias. Sed tabellarius flagitat sup. literas. Igitur tu ualebis, & amabis me ut fecisti a puero. Recte ergo ualebis.

VICTORIVS.

SI φλύαρον aliquẽ habuisset} Antiqua exemplaria φλύαρον recte. φλύαρος. n. φλήναφος καὶ λῆρος ut docet Suidas, qd pulchre respõdet sequẽti Græcæ dictiõi. Lõgior, inqt, epist. fuisset, si nugas fabulasq; habuisset aliquas, quas iocose scribendo, pleniorẽ epist. fecissent: de rebus. n. seriis uix sine periculo agere possu-

mus, quod temporum iniquitate accidebat. opponitur aũt σπουδάζειν iocis, risui, nugis, ut exprimit Aristophanes σκώπτειν πολλὰ καὶ σπουδάζειν τῷ σπουδάζειν ὑμιλλῶντας, ut nihil de loci huius integritate dubitari possit. Quod autem paulo post in eadem epistola legitur: {Et quidem in culina mea molesta est} uerba alicuius poetæ uidentur, nullibi tamen ea me legere memini: nos autem nihil mutauimus: inuenimus enim hoc loco antiquos codices cum uulgatis conuenire, quare tantum librorum consensum condemnare temerarium uisum esset. Scimus alios aliis modis emendasse: cum aũt docuerint quo consilio, authoritateq; hoc fecerint, nos sententiæ illorum subscribemus. uerum dum nihil certius afferunt, non peccare nobis uidemur (ut in malis) qui antiquorum codicum fidem sequamur.

Ex post eiusdem

QVidem in culina} quid de his uerbis sentiremus antea locuti sumus. operam dederunt alii, ut ex hoc tam deprauato loco commodus aliquis sensus eliceretur, in quo mihi laborandum esse non putaui, in tanta enim caligine, ac tenebris, me lucem aliquam dispicere posse non speraui. Illorum lectionem, ut acute ea cogitatam, non reprehendo: ut ueram germanamq; laudare, nullo modo possum: nam uerba ĉt illa, quæ adiunguntur, {pudet enim seruire} non ualde mihi uidentur sententiæ, quam excogitarunt, conuenire.

PAVL. MANV.

TVa quidem in culina, mea molesta est) Notissimum est ex Epicureorum familia Cassium fuisse. itaque per iocum Cicero dicit eius philosophiam in culina uersari. quod sequitur. mea molesta est, legit amicissimus meus, mea in palestra est. ut sit sensus. tua tibi philosophia uoluptatem suppeditat, mea mihi curas, & labores. culina enim uoluptatis est, & otii: palæstra molestiæ, & contentionis in codice Vincentii Riccii pro molesta est, legitur modesta est.

SEBAS. CORR.

Φιλόσοφον} lætum. Al. φλύαρον, fabulam, iocum, nugas. {Σπουδάζειν} serio agere. {Periculo} ne Cæsarianos offendamus. {Inquilina} quasi a ciuitate donata: hoc est. Latinis literis scripta. Al. in culina {Facio} Alii legunt, scito. {Cõuicium Platonis} iostos esse, qui in ueri uestigatione uersentur, quia ea quæ pleriq; ea petunt, contemnant: cum potius peccent. nam studio discendi impediti, quos tueri debent, deserunt. ego uero ne ita peccem, fingo me alias res agere, quamuis hoc tempore parũ proficiã.

BERN. RVT.

VBi igitur, inquies, philosophia tua? Et quidẽ in culina mea molesta est} Quid si, Et quidẽ inquilina mea: molesta est? Vt, quod tuam dicit Cassius, Cicero inquilinam suppleat: quasi quæ ei pensionem ueluti in domo pendat. inde respondeat Cassio, Molesta est: me. s. assiduis querimoniis excruciat. Exprobratq; mihi seruitutem uel meam Cæsari, uel suam mihi, quasi ego non nisi ad famulatum quendam ea utar, in rebus. s. meis perditis. nam Clericus quidẽ non satisfacit. {Itaque facio me alias res agere} Quid si, Itaque scito me, &c. nã duriusculus alioqui sermo, &c.

GIBERTI LONGO. LEMMA.

Respondet ad duas priores epistolas.

C. CASSIVS S. D. M. CICERONI. 19

*SI uales, bene est: ego quidem ualeo. Non mehercule in hac mea peregrinatione quicquam libentius facio, quàm scribo ad te. uideor enim cum præsente loqui, & iocari. nec tamen hoc usu uenit propter spectra Catiana: pro quo tibi proxima epistola tot rusticos Stoicos regeram, ut Catium Athenis natum esse dicas. Pansam nostrum secunda uoluntate hominum paludatum ex urbe exisse, cum ipsius causa gaudeo, cum mehercule etiam omnium nostrum. spero enim homines intellecturos, quanto sit omnibus odio crudelitas, & quãto amori probitas, & clementia, atque ea, quæ maxime mali petant, & concupiscant, ad bonos peruenire: difficile est enim hominibus persuadere * τὸ καλὸν δι' αὑτὸ αἱρετὸν esse. * ἡδονὴν uerò, & ἀταραξίαν uirtute iustitia, * τῷ καλῷ parari. & uerum, & probabile est: ipse enim Epicurus, à quo omnes Catii, & * Amafinii mali uerborum interpretes proficiscũtur, dicit * οὐκ ἔστιν ἡδέως ἄνευ τοῦ καλῶς καὶ δικαίως ζῆν. Itaque & Pansa, qui * ἡδονὴν sequitur. uirtutem retinet: & ii, qui à nobis * φιλήδονοι uocantur, sunt * φιλόκαλοι καὶ φιλοδίκαιοι, omneisq; uirtutes, & colunt, & retinent. Itaq; Sylla, cuius iudiciũ probare debemus, cũ dissentire philosophos uideret, non quæsiuit, quid bonũ esset, & omnia bona coemit. cuius ego mortem forti mehercule animo tuli. nec tamen Cæsar diutius nos cũ desiderare patietur: nam habet * damnatos, quos pro illo nobis restituat: nec ipse sectorem desiderabit, cũ filiũ uiderit. Nunc ut ad Rẽpu. redeã, quid in Hispaniis geratur, rescribe. pereã, nin solicitus sum, ac malo ueterẽ, & clementẽ dominũ habere, quã nouum, & crudelẽ experiri. scis, Cneus quã sit fatuus, scis quomodo crudelitatẽ uirtutẽ putet: scis, quã se semper à nobis derisum putet. uereor, ne nos rustice gladio uelit * ἀντιμυκτηρίσαι. quid fiat, si me diligis, rescribe. hui quã uelim scire, utrum ista solicito animo, an soluto legas: sciam enim eodem tempore, quid me facere oporteat. Ne longior sim, uale, & me (ut facis) ama. Si Cæsar uicit, celeriter me expecta.*

*.i. honestum per se optabile.
*.i. uoluptatẽ, & indolẽtiã
*.i. honesto.
*al. Amafinii.
*.i. nõ potest iucunde, nisi honeste et iuste, uiui.
*.i. cupidi uoluptatis.
*.i. cupidi honesti & cupidi iusti.
*alias dominum nostros.
*.i. uicissim subsannare.

ASCENSIVS.

SI uales, bene est, ego quidem &c. Respondet ad illam, quæ incipit: Puto iã te & ad illã: Præposteros habes tabellarios, & ad reliquas a Cicerone scriptas. Ordo est: Si uales bene est: ego ualeo. Mehercule ego non facio quicquam libentius in hac peregrinatione mea. i. aberratione ab urbe, quã scribo ad te. Videor. n. loqui, & iocari cum præsente. s. quando scribo, nec tamen hoc usu uenit. i. contingit mihi propter spectra. i. idola, & simulachra Catiana. i. quæ Catius finait de absentibus offerri. pro quo. i. pro qua re. ego regeram. i. uicissim in te adducã epistola proxima. i. quã proxime scribam, non tamen extat, & forte scripta nunq̃ fuit. tot Stoicos rusticos. i. ineruditos. ut dicas. s. respectu Stoicorum, quos regeram, Catium. s. Epicureum esse natum Athenis. Ego gaudeo Pansam nostrũ exurrexisse. i. emersisse, postquã diu oppressus fuit, paludatum. i. insigni Imperatorio ornatum. secunda. i. plausibili uoluntate hominum, gaudeo inquã, cum causa ipsius, tũ mehercule ẽt causa omnium nostrum. Spero. n. homines intellecturos quanto odio crudelitas sit omnibus, & quãto amori probitas, & clementia. Atq; repete, intellecturos, ea quæ mali petãt maxime: hoc est dignitas, & honores, peruenire ad bonos. difficile est. n. persuadere hominibus. τὸ, articulus est, καλὸν. i. honestum esse. δι' αὑτὸ. i. per se. αἱρετὸν. i. eligibile, uero. i. sed, & uerum, & probabile est ἡδονὴν hedonen. i. uoluptatẽ. Et. i. ẽt. ἀταραξίαν. i. propter dignitatem. parari. i. acqui uirtute. iustitia. τῷ καλῷ. i. honesto ipso. Ipse. n. Epicureus, a quo omnes Catii, & Amafinii. s. Epicurei, mali interpretes uerborum, quia alter accipiunt uoluptatẽ, q̃ Epicurus, proficiscũtur. i. oriuntur. dicit οὐκ, idest non, ἔστι. i. est ἡδέως. i. suauiter. ἄνευ, idest sine τοῦ καλῶς. i. honeste, καὶ. i. & δικαίως idest iuste, ζῆν. i. uiuere. Itaq; , &. i. etiam, Pansa qui sequitur hedonen. i. uoluptatem Retinet uirtutem, & ii qui uocantur a nobis. s. Stoicis, φιλήδονοι, idest amatores uoluptatis sunt φιλόκαλοι, idest amatores honesti, καὶ, idest & φιλοδίκαιοι, idest amatores iustitiæ & colunt & retinent omnes uirtutes. Itaque Sylla, scilicet Decius cuius iudicium debemus probare, idest laudare, est autem ironia, cum uideret philosophos dissentire. s. in definitione summi boni, non quæsiuit quid esset bonum, scilicet summum aut uerũ, & coemit, idest simul emit, omnia bona, idest omnium proscriptorum diuitias. Cuius mortem ego tuli mehercule animo forti, nec tamẽ Cæsar patietur nos desiderare eum diutius. Nam habet damnatos, idest malos homines, quos restituat nobis, idest sufficiat in locum demortui. nec ipse, scilicet Cæsar desiderabit sectorem, idest diu carebit sectore, idest ueditore sub hasta, per auctionem, cum uiderit filium, scilicet Syllæ patris uestigia sequi paratum. Nunc, scilicet post iocos, ut redeam ad Remp. rescribe quid geratur in Hispaniis, scilicet a Pompeianis contra Cæsarianos Pereã nisi sum solicitus, ac malo habere ueterem, & clementem dominum, scilicet Cæsarẽ, quam experiri crudelem. Scis Gneus, scilicet Pompeius. quam, idest quantum sit fatuus, idest insipiens. scis quomodo, idest qualiter putet crudelitatem esse uirtutem. Scis quam, idest quantum, putet semper se derisum a nobis. uereor ne uelit ἀντιμυκτηρίσαι, idest cõtra, aut uicissim subsannatu & deridere nos rustice, idest rustico more, gladio: quia rustici dum se rideri sentiunt, gladio ulciscuntur iniuriam, unde dici solet: Non esse peiorem ludum, quam rusticorum: Si tu diligis me, rescribe quid fiat Romæ. Hui admirantis interiectio, quam, idest o quantum uelim scire utrum legas istas. s. literas loco scriptas, animo solicito, au soluto, scilicet curis. Sciet enim eo tempore, scilicet quo sciam quo animo sis, quid oporteat me facere, ne sim longior, scilicet in scribendo. Vale & ama me ut facis. Si Cæsar uicit, scilicet in Hispania, es pecta me celeriter, quia illum quam Cneum Pompeii filium tolerare maluisset, postea tamen sententiam mutauit.

Ἡδονὴ

VICTORIVS.

HΔονὴν vero & ἀναξίαν) Sic omnes habebant vulgati codices, prorsus mendose. Germani videntur exemplar habuisse, quod minus inceruptum hunc locum conseruarit. credimus enim illos, ut testati sunt, ea uetusto codice collegisse, quas in marginibus collocarunt, lectionum uarietates. ἀταξίαν enim legunt. Quod si in medio syllabam unam reponas, errore librariorum (ut puto) omissam, rectissime hic locus restitutus erit, nec mirum uideri debet in Latinis libris antiquitus exaratis Græcas uoces aliquantum peruersas esse, & inquinatas: cum enim sermonem illum ignorarent, uix poterant ab erroribus cauere: uidemus enim illos quasi descripsisse pinxisseq; Græcos characteres non negligenter, si consideres eos eorum quæ scribebant sententiam non percepisse. Quod si quandoq; aliqua desunt, aut abundant, uenia digni sunt: ego potius miror quomodo potuerint tam integras Græcas uoces effingere eius linguæ rudes. sed de hoc nimis. ἀταραξίαν inquam facies, quam genuinam esse hic uocem puto, & antiquis uestigiis propinquam, & sententiæ ipsi optime quadrantem. Nam diuiserat Epicurus uoluptates. ut quædam illarum in motu, quædam in statu essent, sed hæc uerbis ipsius Epicuri, quæ apud Laertium sunt, melius declarabuntur sic enim Laertius dicit: διαφέρεται δὲ πρὸς τοὺς Κυρηναϊκοὺς περὶ τῆς ἡδονῆς... ἡ μὲν γὰρ ἀταραξία καὶ ἀπονία καταστηματικαί εἰσιν ἡδοναί, ἡ δὲ χαρὰ καὶ ἡ εὐφροσύνη κατὰ κίνησιν ἐνεργείᾳ βλέπονται. quam etiam diuisionem percurrit Cic. lib. I. de finibus his uerbis. Non enim hanc solam sequimur, quæ suauitate aliqua naturam ipsam mouet, & cum iucunditate quadam percipitur sensibus, sed maximam illam uoluptatem habemus, quæ percipitur omni dolore detracto, &c. Sæpe autem est ἀταραξία in scriptis Epicuri: nam hoc præcipue nomine tranquillum illum statum hominis declarat quo uacuus omni perturbatione degit ut qui ante nos ἀναλγησίαν emendarant, cum locum corruptum esse in uulgatis animaduertissent, nihil laborantes circa antiqua uestigia, sententiamque tantum secuti, non penitus aberrarint, nostra tamen lectio uerior, ut quæ ex antiquis exemplaribus eruta sit: & nomen illud habeat quo præcipue uteretur ipse Epicurus, nam qui λείαν κίνησιν emendarunt, multo audacius, & improbius fecerunt, lenis enim motus, interpretatio est uoluptatis, ut idem sit ἡδονὴ & λεία κίνησις. uoluit autem Cassius utramq; uoluptatem declarare: per ἡδονὴν enim hic uoluptatem in motu intelligit. necesse igitur est uocem, quæ sequitur, uoluptatem eam, quæ detractis perturbationibus percipitur, significare. Qui autem εὐεξίαν reposuerunt, conati sunt ex corruptis illis characteribus, qui uulgo legebantur, uicinam, & similem uocem elicere: sed omnis se rudes rationis Epicuri ostenderunt, & nedum Epicuri rationem expresserint, uix idoneam sententiam affinxerunt. cum enim εὐεξία sit bona corporis habitudo: quomodo ullus unquam proferret eam uirtute, iustitia, dignitate parari, cui uoluptas, securitasq; ex his uirtutibus in animis hominum gignatur? {Catii & Amafinii} Vetusti codices {Amafinii} & si noster alter operarum uitio habet. f. {Amafanii} C. enim Amafinius Epicuri disciplinam sectatus edidit libros, qui eam rationem explicarent. nam de Catio ex Horatio præcipue notum est, & si hi uidentur fuisse ex illis quos legimus Epicureos φορτικὰ (ut ait Laertius) soliti essent appellare, degenerabant enim nonnihil ab Epicuri decretis, & ut inquit Cassius, mali erant Epicuri uerborum interpretes. Amafinii multis aliis locis Cicero mentionem fecit. & si fere semper hoc nomen corruptum aliquantulum est. In procemio lib. IIII. Tuscu. quæstionum bis Amafanium appellas. ubi tamen manuscripti codices Amafinium habent, Cum interim illis silentibus C. Amafinius extitit, dicens. Et paulo post, iterum. Nos cum tot antiqui, & probati codices concurrant, {Amafinium} legi debere existimamus. sed cum hoc loco {Amafinii} ante cunctis in libris scriptum esset, aliis uero multis locis in Cicerone Amafinius: quis unquam putasset eundem intelligi debere? Non parum igitur hæc menda quæ alioqui minuta uidentur, sæpe tenebras offundunt, ut omnia animaduertere non inutile, nec ineptum negotium esse uideatur.

Ex post. eiusdem.

HΔονὴν uero & ἀταραξίαν} Ita accurate de hoc loco disseruimus, ut aliquid nunc addere superuacaneum existimemus. Mediceus ueræ lectionis uestigia, & ipse retinet: habet enim } Ataraxian{ ut si secundæ literæ apicem addas, ἀταραξίαν facias, quod in aliis etiam manuscriptis inuenitur, Animaduertimus autem librarium, qui eum codicem descripsit, I pro T crebro sumpsisse, ut paulo supra, {ἱκανῶς}& ad Fabium{γέλωτα καθῆκεν} In cunctis autem media, syllaba defecit. Præclara etiam uox Epicuri a Clemente in. VI. commentario de uera philosophia adducitur: qua docuit ille non paruum iustitiæ fructum esse, quod ea reddit animum omni perturbatione uacuum: in ea autem explicanda ille hoc nomine usus est, δικαιοσύνης καρπὸς μέγιστος ἀταραξία. Sed altera etiam eiusdem a Plutarcho in commentario aduersus Colotem Epicureum: qua dignitatem hominis securitatis mirum in modum celebrauerat. Plutarchi ipsius uerba sunt ἀλλὰ τοὺς νόμους εἰς ταῦτα συγχεῖσθαι ὅπως... ἀταραξίας τὸν φόβον ἀπὸ μελλόντων ...λέγοντες. Hanc, & superiorem illam, de incursione simulachrorum, castigationem, quæ non paruam doctrinam continent, & ab eo qui Epicuri sententiarum rudis sit, intelligi non possunt, exposui nuper Francisco Medici optimo, ac nobilissimo iuueni, ut quid de hac omni re sentiret, intelligerem: non quo Epicureus ille sit: est enim omni liberali doctrina eruditissimus. Sed cum omnes Peripateticorum sententias cognitas habere uoluerit: non spreuit etiam huius familiæ decreta, in primisq; Romanum poetam qui inuenta Epicuri politissime expressit, amauit. eamq; operam in eo posuit, quæ & illi necessaria erat, & omnibus ipsius studiosis grata esse debebit. Ita autem loquor, quia spero illum cum per grauiora studia, quibus deditus est, ei licuerit, non passurum tot, tamq; utiles suos labores frustra ab aliis desiderari. Vt autem omnes intelligant, me non sine causa de illius doctrina & sedulitate tam egregie sentire, locum e multis ab ipso felicissime restitutis, qui nunc mihi succurrit, exponam. In. II. lib. Lucretius, ubi docet corpora indiuidua, cum multitudine infinita sint, figuris esse finita: narratq; quod incommodum sequeretur, si formæ illorum sine fine essent: quod Democritus, & Leucippus uoluerant, inquit (ut Francisci opera cognoscimus.)

Aurea pauonum ridenti imbuta lepore
Secla, nouo rerum superata colore, iacerent.

Qui uersus, quam deformati antea in omnibus libris essent, & quam planam, elegantemq; nunc sententiam habeant, omnibus notum esse potest. Præsidio autem ille antiquorum codicum, adhibito etiam iudicio, quo plurimum ualet, omnes illinc maculas deleuit. Hanc libenter ipsius hic castigationem adiunxi, quia non paruo ornamento huic meo libello fore putauit. Consultus igitur ille a me super duobus his locis iudicium meum probauit, & hanc dixit se ueram esse illorum lectionem arbitrari. {Nam habet damnatos, quos pro illo nobis restituat) ita in manuscriptis legitur, quam lectionem Paulus quoque posteriore sua editione sequitur, & illius sensum declarat, cum in priore {Domi notos} legisset, culpa impressorum, ut arbitror, cum {Domi natos} scribi uellet. Quod si prisca exemplaria {Domi natos} haberent, non insulsus fortasse sensus ex illa scriptura duci posset, ut appellasset dominatos paratos, qui in manu eius semper essent, quorum magna copia nunquam illum deficeret {Restituat} autem supponat significaret, & in eius locum substituat) hic enim est significatus illius elegantissimæ uocis, crebro a Cicerone usurpatæ nec tamen hanc receptæ lectioni præponendam censemus Potiusq; e genere illarum castigationum esse censemus, qua subtiliter magis, quam uere ea cogitantur.

PAVL. MANV.

HΔονὴν uero, & ἀναλγησίαν} Robertus Stephanus Parisiensis, quo ego, secundum patrem meum, in emendandis, atq; edendis ueterum scriptis neminem fuisse, aut esse arbitror diligentiorem, hanc uocem, ἀναλγησίαν, ubi legebatur, ἀναξίαν, in suo libro impresserat. quæ una sensum cum haberet meliorem, quam uulgata illa prior: ipse item in meo libro septimum abhinc annum eam impressi, existimans Robertum siquid immutasset, id fecisse codicum antiquorum authoritate, testimonioq; adductum. alii postea non inepte emendarunt. ἀταραξίαν & si uetusti codices repugnent. unus tamen Vincentii Ricci liber habet, ἀταξίαν. {Habet damnatos quos pro illo nobis restituat} Lege Pompeia damnatos Cæsar restituerat. eos nunc latenter significat, cum tamen de iis loqui uideatur, qui ad sectiones faciendas Syllæ mortuo essent surrogandi.

SEBAS. CORR.

RVsticos Stoicos} ii enim & oratione, & moribus duriores sunt habiti. {Τὸ καλὸν δι' αὑτὸ αἱρετόν} Honestum per se optabile. {Ἡδονήν} Voluptatem. {Ἀναλγησίαν} indolentiam. Al. {Ἀταραξίαν} tranquillitatem. Al. διαξίαν, propter dignitatem Alii legunt, εὐεξίαν, bonam ualetudinem. Alii, λείαν κίνησιν, facilem commotionem {Τοῦ καλοῦ} honesto. {Amafinii.} propter C. Amafinium, siue Amafanium, ut etiam in Quæstura diximus. {Mali uerborum interpretes} qui non recte Epicuri uerba sint interpretati. {Οὐκ ἔστιν ἡδέως, ἄνευ τοῦ καλῶς καὶ δικαίως ζῆν} non licet iucunde, nisi honeste, & iuste, uiuere. {Qui ἡδονὴν sequitur} qui uoluptatem sequitur, quia & ipse Epicureus est. {A nobis} Epicureis. Al. a nobis. {φιλήδονοι} studiosi uoluptatis {φιλόκαλοι, καὶ φιλοδίκαιοι} studiosi honesti, & studiosi iusti {Itaq; Sylla} Episto. XVII. huius libri. {Quid bonum esset} locus ex ambiguo. {Domi natos} Al. damnatos. {Malo ueterem} Cæsarem. {Quam nouum Cn. Pompeium filium. {Ἀντιμυκτηρίζειν} uicissim irridere. {Si Cæsar uicit} Pompeii filios in Hispania.

BERN. RVT.

TOt Rusticos Stoicos regeram } Quid si, regeram, reiiciam, confutabo, refellam? tametsi Clericus aliter. {Scies enim eodem tempore} Scirem, uereor ne reponendum sit, ex sensu.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Petit ut Trebonius sæpe ad se scribat,

M. T. CICERO C. TREBONIO S. D. . 20
M. T. C. Epist. Famil. mm ii

Ratorē meum (sic enim inscripsi) Sabino tuo commendaui. Natio me hominis impulit, ut ei recte putarem: nisi forte candidatorum licentia hic quoque usus, hoc subito cognomen arripuit. & si modestus eius uultus, sermoq; constans habere quiddā à Curibus uidebatur. sed de Sabino satis. Tu mi Treboni quando ad amorem meum aliquantulum discedens addidisti, quo tolerabilius feramus igniculum desiderii tui, crebris nos literis appellato, atque, ita, si idem fiet à nobis. quanquam duæ causæ sunt, cur tu frequentior in isto officio esse debeas, quàm nos, primum, quod olim solebant, qui Romæ erant, ad prouinciales amicos de Republica scribere. nunc tu nobis scribas oportet. res enim publica istic est: deinde, quòd nos aliis officiis tibi absenti satisfacere possimus, tu nobis, nisi literis, non uideo qua re alia satisfacere possis. sed cætera scribes ad nos postea. nunc hæc primo cupio cognoscere, iter tuum cuiusmodi sit: ubi Brutum nostrum uideris, quandiu simul fueris, deinde, cum processeris longius, de bellicis rebus, de toto negotio: ut existimare possimus, quo statu simus. ego tantum me scire putabo, quantum ex tuis literis habebo cognitum. Cura ut ualeas, meq; ames amore illo tuo singulari. Vale.

ASCENSIVS.

Ratorem &c. Dicit se dedisse oratorem suum, idest librum de oratore deferendum ad Treboninm. Deinde rogat, ut ad se crebro scribat, & de eius itinere se doceat, atque alia quædam, quæ com ordine patebunt. Ordo autem est: Ego commendaui, idest fidei commisi, Sabino tuo, familiari aut liberto Oratorem meum, idest librum de oratore Ego enim inscripsi, idest i. ēcnpani, caue dicas intitulaui, eum sic. Natio, idest naturalis inclinatio ex patria præsumpta, hominis, scilicet Sabini, ubi uiri fideles & mulieres castæ fere habentur, impulit, idest indonie me ut putarem, scilicet me commisisse recte, nisi quoque, idest etiam hic, usus licentia candidatorum, idest qua abutebantur candidati, idest magistratuum petitores qui ut se commendatiores facerent, interdum alterius gentis se mentiebantur; subripuit subito hoc cognomen, scilicet Sabinorum. & si, idest quanquam uultus eius modestus, & sermo constans, idest non uacillans uidebatur habere quiddam, idest certam naturam a Curibus urbe Sabinorū patria Numæ regis. Sed satis supple dictum aut scriptum sit de Sabino. Tuo mi Treboni, quando idest quoniā, tu discedens, scilicet ab urbe olim, aliquantum addidisti incrementi ad amorem meum, scilicet in te, quo, idest ut, feramus tolerabilius, idest patientius igniculum, idest ardorem desiderii tui, idest quod habemus de te, appellato, idest alloquitor aut conuenito supple me crebris literis. Itaq; supple appellato, si idem scilicet appellare literis fiet a nobis, quanquam duæ causæ sunt cur tu debeas esse frequentior in isto officio, scilicet appellandi literis, hoc est scribendi, quam nos. Primum: quod olim ii: supple qui erant Romæ, solebāt scribere ad amicos prouinciales: idest qui agebant in prouincia aliqua, de Republica, nunc oportet te scribere nobis Enim, idest quia Respub. est istic. s. ubi tu es. Deinde quod nos possumus satisfacere tibi absenti aliis officiis. Tu nisi supple satisfeceris nobis literis, hic, idest in hac regione, non uideo, idest non intelligo qua alia re possis satisfacere scilicet nobis. Sed tu scribes postea ad nos cætera, ego cupio nunc cognoscere primo hæc, cuiusmodi iter tuum sit ad nos, ubi uideris Brutum nostrum, s. amicum, quandiu fueris simul, scilicet cum eo. Deinde sup. scribes, cum processeris longius de rebus bellicis supple & de toto negocio ut possimus existimare, idest iudicare, quo in statu simus Ego putabo me scire tantum quantum habebo cognitum ex literis tuis. Cura ut ualeas & ames me amore illo tuo singulari s. quo soles amare tuos.

PAVL. MANV.

Ad amorem meum aliquantulum discedens addidisti) Antea, legebatur, aliquantum olim, nos cū in libris manuscriptis & aliquantulum olim, & aliquantum olim, legeremus, aliquantulum, emendare non dubitauimus. neque enim, ut opinor, habet locum hic potest uox illa, olim cum ex ipsa epistola, Trebonium non multo ante Roma profectum esse, colligatur. atque ēt sensus erit commodior, si aliquantulum, quam si aliquantum olim, legas, ut ostendatur, Ciceronis amorem erga Trebonium, summū, & maximum iam fuisse, cui quam minimum addi potuerit.

SEBAS. CORR.

C. Trebonio} in Hispania Procos. {Oratorem meū} ad M. Brutū quo Galliā Cisalpinam obtinente, ille scriptus est liber. {Natio} a Sabinis. qui tetrici, seueri, duriq; & continentes etiam a scriptoribus appellantur. {Cognomen arripuit} De hoc more nescio quid in Quæstura relatū est {Olim discedens.} ex Italia in Hispaniam. {Istic est} ubi sit Cæsar. {Sit ad nos ubi} Al. sit. {Vbi Brutū} M. Brutum, Galliam Cisalpinam regentem. Siquis tamen hæc omnia ad profectionem, de qua in epistola. XXVIII. lib. X. & epist. XVI. lib. XII. dictum est, referat, nō uideo cur magnopere sit repugnandū.

BERN. RVT.

Iter tuum, &c.) In aliis Tuū abest: quod uel probo, uel ad nos expono. ut & ante, Olim. Ex aliquantulum enim factū est perperam. Aliquantū olim. tametsi alii utrunq; habent. Ego uero peruelim, & Cassianas has literas, & Trebonianas, cæteris ad eosdem adiungi. cum ne si quidem temporū ordinē assequuti sint, qui disiunxere. quæ n. ante scriptæ erant, in posteriorem librum collatæ sunt. Sed spero breui a nobis opus hoc longe aliter, quam sit hactenus, dispositum, foras iri datum, idq; non inuita (ut aiunt) Minerua, sed diis hominibusq;, atq; ipsis Ciceronianis manibus approbaturis ut qui hæc habuerit, non sit magnopere eorum temporum historiam desideraturus.

PHIL. MELA.

Tu mi Treboni) Propositio, seu petitio; sæpe ad me scribito. {Primum quod} Rationes duæ.

GIBERTI LONGO. LEMMA.

Responsoria est epistola, bona tamen ex parte officiosa.

M. T. C. TREBONIO S. P. D. 21

Et epistolam tuam legi libenter, & librum libentissime. sed tamē in ea uoluptate hunc accepi dolorē, quod cum incendisses cupiditatem meam consuetudinis augendæ nostræ (nā ad amorem quidē nihil poterat accedere) tum discedis à nobis, meq; tanto desiderio afficis, ut unā mihi consolationem relinquas, fore ut utriusque nostrum absentis desiderium crebris, & longis epistolis leniatur. quod ego nō modo de me tibi spondere possum, sed de te ēt mihi: nullā. n. apud me reliquisti dubitationem, quantum me amares, nā, ut illa omittā, quæ ciuitate teste fecisti, cum mecum inimicitias cōmunicasti, cum me concionibus tuis defendisti, cū Quæstor in mea, atque in publica causa cōsulū parteis suscepisti, cū Tribu. pl. Quæstor nō paruisti, cui tuus præsertim Collega pareret, ut hæc recentia, quæ meminero semp, obliuiscar, quæ tua solicitudo de me in armis, quæ lætitia in reditu, quæ cura, qui dolor, cum ad te curæ, & dolores mei pferrentur, Brundusiū denique te ad me uenturū fuisse, nisi subito in Hispaniā missus esses: ut hæc igitur omittā, quæ mihi tanti æstimanda sunt quāti uitā æstimo & salutē meā: liber iste, quē mihi misisti, quantā habet declarationē amoris tui? primū, q. tibi facetum uidetur, quicquid ego dixi, quod aliis fortasse non item: deinde, quod illa siue* faceta sunt, siue sic fiunt narrante te uetustissima: quinetiā ante, quā ad me ueniatur, risus omnis penè cōsumitur, quod si in his scribendis nihil aliud, ni si quod necesse fuit, de uno me tādiu cogitauisses: ferreus essem, si te nō amarē. cum uero ea quæ scriptura psecutus es, sine summo amore cogitare nō potueris: nō possum existimare, plus quenquā à se ipso, quā me à te amari. cui quidē ego amori, utinā cæteris rebus possem amore certe respondebo: quo tamen ipso tibi confido futurum satis. Nunc ad epistolam uenio: cui copiose, & suauiter scriptæ, nihil est, quod multa respondeā: primū. n. ego illas Caluo literas misi, nō plusquā has, quas nunc legis, existimans exituras: aliter. n. scribimus, quod eos solos, quibus mittimus: aliter, quod multos lecturos putamus. deinde ingenium eius melioribus extuli laudibus, quā tu id uere potuisse fieri putas. primum, quod ita iudicabam, acute mouebatur: genus quoddam sequebatur, in quo iudicio lapsus, quo ualebat, tamen assequebatur, quod probaret. multæ erant, & reconditæ literæ: uis non erat. ad eam igitur adhortabar. in excitando autem, & in acuendo, plurimum ualet si laudes eum, quem cohortere. habes de Caluo iudicium, & consilium

*.a.l. face. s. *s. secus si fiunt.

*filium meum: consilium, quòd hortandi causa laudaui: iudicium, quod de ingenio eius ualde existimaui bene. Reliquum est, tuam profectionem amore prosequar, reditum spe expectem, absentem memoria *colam, omne desiderium literis mittendis, accipiendisq; leniam. tu uelim tua in me studia, & officia multum tecum recordere. quæ cum tibi liceat, mihi nefas sit obliuisci, non modo uirum bonum me existimabis, uerum etiam te à me amari plurimum iudicabis. Vale.*

*a.l. colā commune.

ASCENSIVS.

ET epistolam &c. Scripserat Trebon. librū in quo uehementer laudat dictar Cice. quem Cice. dicit se libenter legisse, cognouisseq; ex illo magnum eius erga se amorem. Deinde respondet Trebonio de literis missis ad Caluum, exponens quare eum laudauerit. Ordo autem est. Ego legi & epistolam tuam libenter, & librum. s. tuum libentissime. sed tamen ego accepi in ea uoluptate hunc dolorem, quod cū incendisses cupiditatem meam, consuetudinis, idest ut dicunt conuersationis nostræ augendæ. Nam ad amorem quidem nihil poterat accedere. i. addi, tum. i. tunc discedis, a nobis, & afficit me tanto desiderio, ut relinquas mihi unam supple duntaxat consolationem, fore, idest quod spero futurum, ut desiderium utriusque nostrum, utriusq; absentis, leniatur. i. mitigetur & minuatur epistolis crebris & longis. quod ego possum non modo. i. non solum spondere tibi de me, sed etiam mihi de te. Tu enim nullam dubitationem reliquisti apud me, quantum. i. ut dubitem quantum tu amares me. Nam ut omittam. i. prætereram illa quæ fecisti teste ciuitate, idest communitate ciuium Romanorum, cum. i. quando, communicasti mecum inimicitias, idest declarasti te inimicum inimici mei, cū defendisti me concionibus tuis, idest orationibus ad populum. cum Quæstor suscepisti in causa mea atq; publica, partes, idest officiū Consulum, cum tu Quæstor & ita inferioris dignitatis, non paruisti, idest obediuisti Tribuno plebis, præsertim cui Collega tuus. i. qui tecum Quæstor erat, pareret. Et supple ut obliuiscar hæc præsentia, quæ sup. tamen meminero, & recordabor semper. quæ, idest qualis supple fuit, solicitudo tua de me in armis. i. cum armatis me defendere uelles, quæ supple fuit lætitia tua in reditu. s. meo: quæ cura. s. ne nimis cito redierim, qui. i. qualis dolor, cum curæ, & dolores mei perferrentur ad te, denique. i. demum ut omittam supple te uenturum fuisse ad me Brundusium, nisi missus esses subito in Hispaniam, ut igitur omittam hæc, quæ sunt æstimanda, idest reputanda & appretianda mihi, idest a me tanti quanti æstimo uitā & salutem meam, iste liber quem misisti mihi, quantam declarationem amoris tui habet? quasi dicat maximam. Primum quod quicquid ego dixi, uidetur tibi facetum, idest uenustum & urbanum, quod fortasse supple uidetur aliis non item, idest non similiter. Deinde quod illa. s. dicta mea siue sunt faceta, siue fiunt sic, idest faceta narrante te & uenustissima. Quin etiam antequam ueniatur ad me. s. ut gratuletur mihi ob facetiam, pene omnis risus consumitur, quia te narrante inceptus est. Quod si nihil aliud cogitauisses, nisi quod fuit necesse in his scribendis supple cogitare, de me uno tandiu, ego essem ferreus, idest durissimis præcordiis, si non amarem te. Cum uero non potueris cogitare ea, quæ persequutus es scriptura, idest scribendo, sine summo amore, nō possum existimare, quenquam amari plus a seipso, quam me a te. Cui quidem amori ego utinam possim supple respondere cæteris rebus. respondebo. i. satisfaciam, certe, idest haud dubie, amore, idest redamando te, quo ipso, idest amore meo ego confido tamen, idest nihilominus futurum. i. facturum iri satis tibi. Nunc uenio ad epistolam, idest ut respondeam ad epistolam, postquam locutus sum de libro, cui, scilicet epistolæ, scriptæ, scilicet a te copiose & suauiter, nihil est, idest nulla est urgens causa quod. i. propter quam, ego respondeam multa. Enim. i. quia primum, idest ut id primo respondeam, ego misi illas literas Caluo, existimam sup. non exituras. i. diuulgandas plus, quam has quas nunc legis. Nos enim scribimus aliter supple id quod putamus eos solos quibus mittimus, supple, ipsum lecturos, scilicet esse, aliter supple id quod putamus multos lecturos. Deinde ego extuli idest exaltaui ingenium eius, scilicet Calui, & melioribus laudibus, quam tu putas id potuisse fieri uere. Primum quod iudicabam ita, ipse mouebatur acute, & sequebatur quoddam genus, in quo iudicio lapsus, idest errans, scilicet in eo quo uolebat, assequebatur. i. obtinebat tamen quod probaret. Literæ erant multæ & recōditæ. i. secretioris scientiæ: uis scilicet mouendi, nō erat. Igitur ego adhortabar enim ad eum. Autem, idest sed, ipse ualet plurimum in excitando & acuendo, si laudes. i. si ipse laudes eum quem cohortere, idest quem ipse cohorteris. Tu habes de Caluo, scilicet poeta iudicium & consilium meum. Consilium quod laudaui eum causa hortandi, iudicium quod existimaui ualde bene de ingenio eius. Reliquum est sup. ut prosequar profectionem tuam amore, & ut expectem reditum tuum spe, & colam te absentem memoria, & leniam omne desiderium literis, mittendis & accipiendis. Velim supple recordere tecum multum officia & studia tua in me, quæ, scilicet studia & officia cum liceat tibi obliuisci, & nefas sit mihi obliuisci, tu non modo existimabis me uirum bonum, uerum etiam iudicabis te amari plurimum a me.

SEBAS. CORR.

EPistolam tuam} XVI. lib. XII. Videri potest & liber, ex uersiculis, qui in ea dicuntur. si modo credimus hanc epistolam & superiorem a Cicerone ad Trebonium in Asiam, & non in Hespaniam missas fuisse. {Cui tuus} Al. cū tuus. {Recentia} fortasse de Cæsaris morte. {In armis} in bello ciuili. {In reditu} post uictum Pompeium. {Brundusium} quo ego Dyrrhachio ueneram. {Missus esses} Procos. a Cæsare. {Siue non fiunt, sic} Al. siue sic fiunt. Vide, an legi debeat, siue secus, fiunt. {Futurum satis} Al. factum satis. {Caluo} Epist. XXV. lib. VII. {Quod ita iudicabā} Quidam sic legunt. ita iudicabam, quod.

PHIL. MELā

ET epistolam tuam} Exponit dolorem suum, quem ex Trebonii discessu ceperit. {Nam ut illa omittam} Testimonia amoris Trebonii erga Ciceronem.

MARCI TVLLII CICERONIS

EPISTOLARVM FAMILIARIVM,

LIBER DECIMVS SEXTVS.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Ex his epistola, animus Ciceronis erga doctos libertos & viros cognoscitur, consulit autem & monet hac epistola Tironem valetudinarium, vt valetudinem suam diligenter curet.

TVLLIVS, ET CIC. F. ET Q. Q. TIRONI HVMANISS. ET OPT. S. P. D. 1

VIde, quanta in te sit suauitas: duas horas Thyrei fuimus: Xenomenes hospes tam te diligit, quam si uixerit tecum. is omnia pollicitus est, quæ tibi essent opus: facturū puto. mihi placebat, si firmior esses, ut te Leucadem deportares, ut ibi te planè cōfirmares. uidebis, quid Curio, quid Lysoni, quid medico placeat. uolebam ad te Marionē remittere. quem cum meliuscule tibi esset, ad me mitteres: sed cogitaui unas literas Marionē afferre posse, me autem crebras expectare. poteris igitur, & facies, si me diligis, ut quotidie sit Acastus in portu. multi erunt, quibus recte literas dare possis, qui ad me libenter perferant. equidem Patras euntem neminem prætermittam. ego omnem spem tui diligenter curandi in Curio habeo. nihil potest illo fieri humanius, nihil nostri amantius. ei te totum trade. malo te paulò pòst ualentem, quam statim imbecillum uidere. cura igitur nihil aliud, nisi ut tu ualeas: cætera ego curabo: Etiam atque etiā uale. Leucade proficiscens. VII. Id Nouemb.

ASCENSIVS.

VIde &c. Tironem libertum suum propter doctrinam, fidemque eius singularem Cic. ita dileait ut filiū, Quo cte/caeū ea Cilicia rediens reliquisset eum in Achaia pro/pter ualetudinem, ad eum nunc scribit quid faciat, & quomodo saluti suæ consulat, dicens. Vide. i. animaduerte o Tiro, quanta suauitas sit in te. Nos fuimus Thyrei, qui locus in Græcia est, duas horas. i. duntaxat per spatium duarum horarum, & supple Xenomenes hospes diligit te tam, idest tantopere, aut tātum, quam, idest quātum diligeret si uixerit, idest uitam egerit tecum. Is. s. hospes pollicitus est omnia, quæ essent opus tibi, puto facturum. s. quæ pollicitus est. Placebat mihi si esses firmior, ut deportares te Leucadem ad promontorium illud Epiri, ut confirmares. i. firmum faceres te ibi plane, idest omnino, Videbis quid placeat Curio, quid Lysoni, quid Medico, idest iis omnibus quibus salutem tuam commendaui. Ego uolebam remittere ad te Marionem (nomen est serui) quem mitteres ad me, cum esset tibi meliuscule, idest aliquāto melius, sed cogitaui Marionem posse afferre. s. ad se unas literas, me autem expectare crebras, idest frequentes, supp. literas a te. Vult dicere, si misisset Marionem, ut literas afferret, dummodo unas haberet statim rediret, nec Tiro alias scriberet donec iterum reuersus fuerit, nunc autem uult ut quotidie noui nuncii per Acastum indagentur, sobdens. Igitur tu poteris sup. facere, & facies si diligis me, ut Acastus alter seruus sit quotidie in portu, scilicet unde Romam nauigatur, quia sup. multi erunt. s. in portu, quibus possis dare literas recte. i. tuto qui perferant libenter ad me. equidem, idest ego quidem, neminem prætermittam. s. quin illi literas dem, euntem Patras. i. in eam urbem Achaiæ ubi tu es. Ego habeo omnē spem tui curandi in Curio, nihil potest fieri humanius illo. s. Curio. Sunt autem diuersa nomina Curius & curio, hic est a nominatiuo Curius, cuius prima est breuis: Iuuen. Qui Curios simulant. Curio autem a Curia aut cura, prima longa. Lucanus Venali Curio lingua &c. nihil potest fieri amantius nostri. i. quod nos magis amet, scilicet quam Curius. Trade ei. i. fidei & custodiæ eius te totum. Malo uidere te ualentem, Paulo. i. modico sup. serius aut post, quā uidere statim imbecillum. i. infirmum. Cura igitur nihil aliud nisi ut tu ualeas i. sanus sis. Ego curabo cætera. uale etiam atque etiam. Dedi sup has proficiscens. i. dū proficiscerer, Leucade. i. ab eo promōtorio Epiri, nisi forte loquatur de Leucade insula Cephaleniæ. VII. Idus Nouemb.

SEBAS. CORR.

M. T. C. & Cicero F. & Q. Frat.) ea Cilicia redeuntes. {Tironi} Patris ægro relicto. {Curio} Episto. XXIX. lib. VII. {Lysoni} Episto. XIX. lib. XIII. {Medico.} Asclaponi. epist. XX. lib. XIII. Vt autem hæ sint digerendæ epistolæ, ea. IX. huius lib. fere cognoscitur. nos in margine numeris signauimus.

BERN. RVT. PHIL. MELI.

Malo te paulo ualentem, quam statim imbecillum uidere) Ex sensu tego, paulo post ualentem.

HVius libri epistolæ pleræque omnes ad Tironem Ciceronis libertum scriptæ sunt, ex quibus animus Ciceronis erga doctos satis cognoscitur. Monet autem hac epistola Tironē, ut ualetudinē suam diligenter curet. & huius argumenti sunt pleræque huius libri epistolæ. {Vide quāta in te} A narratione orditur.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Hortatur Tironem, ut valetudinem curet, & quamprimum ad se veniat.

TVLLIVS, ET C. S. D. TIRONI SVO. 2

SEptimum iam diem Corcyræ tenebamur, Quintus autem pater, & filius Butrothi. soliciti eramus de tua ualetudine mirum in modū: nec mirabamur nil à te literarum: iis. n. uētis istinc nauigatur, qui si essent, nos Corcyræ non sederemus. cura igitur te, & confirma, & cum commode, & per ualetudinem & per anni tempus nauigare poteris, ad nos amantissimos tui ueni. nemo nos amat, qui te non diligat. charus omnibus, expectatusq; uenies. Cura ut ualeas etiam atque etiam. Tiro noster uale. XV. *Cal. Nouemb. Corcyræ.

*al. Calē. Dec.

ASCENSIVS.

SEptimum &c. Scribit se & fratrem solicitos de ualetudine Tironis. Ordo est. Nos tenebamur Corcyræ. i. in eo oppido Corcyræ insulæ quæ est in Epiro. Autem. i. sed Quin. s. Cicero frater & filius etiam M. Cicero: supple tenebantur a uentis Butrothi. i. in ea urbe Epiri in Thesprotis, iam. s. cum hæc scriberem, diem septimum. Nos. s. omnes soliciti eramus. i. anxii, mirum in modum de ualetudine tua. Et mirabamur nihil literarū, sup. missum esse a te, nauigatur enim iis, idest huiusmodi uentis, istuc. i. ad uos, aut ad te, non istinc. i. a te, qui, scilicet uenti istinc flantes si essent, nos non sederemus. i. ociosi nauigationem expectaremus Corcyræ Cura igitur & confirma te, & cū poteris nauigare commode & per ualetudinem, & per tempus anni. i. ubi desinerit hyems, ueni ad uos amātissimos tui. Nemo amat nos, qui non diligit te. Tu uenies charus & expectatus omnibus. Cura ut ualeas etiam atque etiam o Tiro noster. Vale. XV. Calen. Nouemb. Corcyræ.

SEBAS. CORR.

M. T. Cicero (Al. M. T. & Cicero F. Tenebamur) ego, filius, & reliqui familiares Q. autem frater, siue (utroq; enim modo legitur) pater, & eius filius, Butbroti tenebantur. {Literarum his} Al. literarum dati his. {Qui si nō essent.} Al. qui si essent. {XV. Calen. Nouemb.} XV. Cal Decemb. legendum, nemo non uidebit, qui epist. IX. huius lib. leget, in qua a Tirone ad. IIII Non. Nouemb. discessisse ostendit.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Eiusdem est argumenti cum Superiore.

TVLLIVS, ET CIC. MEVS, ET FRATER, ET FR. F. TIRONI SVO S. D. 3

PAulò facilius putaui posse me ferre desideriū tui, sed plane nō fero. & quanquam magni ad honorem nostrum interest, quamprimum ad urbem me uenire: tamē peccasse mihi uideor, qui à te discesserim. sed qa tua uoluntas ea uidebatur esse, ut prorsus, nisi cōfirmato corpore nolles nauigare: approbaui tuum consilium; neque nunc muto, si tu in eadem es sententia. si postea, quàm cibum cepisti, uideris tibi, me posse consequi: tuum cōsilium est. Marionem ad te eo misi, ut aut tecum ad me quamprimum ueniret: aut, si tu morarere, statim ad me rediret. tu autem hoc tibi persuade, si commodo ualetudinis tuæ fieri posit, nihil me malle, quàm te esse mecum: sin intelliges opus esse te Patris conualescendi causa paulum commorari, nihil me malle, quàm te ualere. si statim nauigas, nos Leucade consequere. sin te confirmare uis, & comites, & tempestates, & nauem idoneam, ut habeas, diligenter uidebis. unum illud mi Tiro uidato, si me amas, ne te Marionis aduentus, & hæ literæ moueant. quod ualetudini tuæ maxime conducet, si feceris, maxime obtemperaris uoluntati meæ. hæc pro tuo ingenio considera. nos ita te desideramus, ut amemus. amor, ut ualētem uideamus hortatur: desiderium, ut quamprimum. illud igitur potius cura ergo potissimum, ut ualeas, de tuis innumerabilibus in me officiis, erit hoc gratissimum. III. Non. Nouemb. Vale.

ASCENSIVS.

PAulo facilius &c. Ostendit se dolere quod dereliquerit Tironem, sed id fecerat, quia ita uoluit Tiro, qui noluit nauigare donec esset conualescens, unde hortatur ut Patris maneat dicens. Ego putaui me posse ferre. i. pati, paulo facilius. i. leuius & modestius desiderium tui. i. absentiam tuam, sed non fero plane. i. omnino. Et quanquam magni interest. i. facit & utile est ad honorem nostrum me uenire quamprimum. i. ualde cito, ad urbem, idest Romam, tamen uideor mihi peccasse, qui, idest quod discesserim a te. s. ægrotante. Sed quia uoluntas tua uidebatur esse ea. i. talis, ut nolles nauigare, nisi corpore, scilicet tuo, cūfirmato, idest corroborato, prorsus. i. omnino & in oēm partem. uersus, approbaui cōsilium tuum, scilicet ut illic maneres, ego discederem. Neque muto nunc s. approbationem & sententiā meam, si tu es in eadem sententia. Sin autem. i. sed si postquam cepisti cibum, uideris posse consequi me, consilium est tuum. i. in deliberatione & prudentia tua, ut id facias quod expedire censeas. Ego misi Marionem. s. seruum, ad te, eo. i. propterea ut supple ipse aut ueniret ad me tecum quamprimum, idest ualde cito quo ad inceptionem, non enim penitus unum sunt, ualde cito facere & quāprimum, nam ualde citu proprie significat properanter & quasi ci-

tatu

tato cursu, quamprimum, primo quoque tempore, etiam si lente ut ægroto conuenit, aut ut rediret statim ad me, si tu morarete. Tu aũt persuade tibi hoc, si possit fieri suppla cum commodo ualetudinis tuæ, me nihil malle, idest magis uelle, quam te esse mecum. Sin aũt .i. sed si intelliges opus esse causa conualescendi .i. ut conualescas, te commorari paulum Patris, persuade tibi, me nihil malle quam te ualere. Si nauigas statim, consequere .i. offendes nos: scilicet adhuc Leucade .i. in eo promontorio. Sin uis confirmare .i. firmiorem facere te uidebis diligenter ut habeas & comites idoneos, & tempestates idoneas .i. dispositionem aeris idoneam, & nauem idoneam. O mi Tiro, uideto, idest considerato illud unum si amas me, ne aduentus Marionis & literæ moueant te .s. ad properandum, quia si feceris quod conducit maxime ualetudini tuæ, tu obtẽperaris pro obtemperaueris maxime uoluntati meæ. Considera hæc pro ingenio tuo .i. iuxta mensuram ingenii tui. Nos desideramus te, ita ut amemus. Amor hortatur ut uideamus ualentem, desiderium, ut uideamus quamprimum. Igitur illud .s. quod amor hortatur potius sup. est faciendum. Ergo cura potissimum ut ualeas, duo proposuit, & hoc tertium est, unde potissimum dixit, ut primum sit uidere ualẽtem, secundum, uidere quamprimum, tertium ualẽtem esse, etiamsi non statim uiderit, hoc scilicet officium tuum, erit mihi gratissimum, de innumerabilibus officiis tuis in me. III. Idus Nouemb.

SEBAS. CORR.

CIbum cepisti) ex Medicorum præceptis, qui de cibo ægris dando multa scribunt, & inter se etiam dissentiunt, ut scribit Celsus lib. III. cap. IIII.

BERN. RVT. PHIL. MELA.

Desiderium, ut quamprimum (Quoquo modo, ut de ualetudine nihil curet. contra quam Clericus.

Paulo facilius, &c.) Amorem suum & desiderium Tironis exponit hac epistola.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Officiosa est epistola.

TVLLIVS TIRONI SVO S. 4

NOn queo ad te, nec lubet scribere quo animo sim affectus. tantũ scribo, & tibi, & mihi maximæ uoluptati fore, si te firmum quãprimum uidero. tertio die abs te ad Alyziam accesseramus. is locus est citra Leucadem stadia. CXX. Leucade aut te ipsum, aut tuas literas à Marione putabam me accepturum. quantum me diligis, tantum fac ut ualeas, uel quantum te à me scis diligi. Non. Nou. Alyzia.

ASCENSIVS.

NOn queo &c. Rursus amorem suum in Tironem ostendit, monendo ut saluti suæ quæ sibi charissima est consulat, ut quamprimum uenire possit, dicens. Ego non queo nec libet scribere ad te quo, idest quali animo sim affectus tantum, idest duntaxat scribo, fore i. futurũ maximæ uoluptati & tibi & mihi, si uidero quamprimum, idest statim te firmum .i. ualentem & fortem. Nos accesseramus tertio die abs te idest postquam discesseramus a te, ad Alyziam. Is locus est citra Leucadem .s. promontorium Epiri, stadia CXX. Ego putabam me accepturum Leucade .i. cum essem Leucade, aut teipsum, aut literas tuas a Marione .i. quas Marioni dederis. Quantum diligis me, tantum fac ut ualeas, uel quantum scis te diligi a me. Non. Nouẽb. Alyzia, idest ex eo loco.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Hortatur, ut curet ualetudinem, ut in reliquis praeponendam omnibus.

TVLLIVS, ET CICERO TIRONI SVO S. D. ET Q. PATER, ET FILIVS. 5

NOs apud Alyziam, ex quo loco tibi literas ante dederamus, unum diem cõmorati sumus, q. Quintus nos consecutus non erat. is dies fuit Non. Nouemb. inde ante lucem proficiscentes, ante diem VIII. Id. Nou. has literas dedimus. Tu si nos omneis amas, & præcipue me magistrum tuum, confirma te. ego ualde suspenso animo expecto, primum te scilicet, deinde Marionem cum tuis literis. omnes cupimus, ego in primis, quamprimum te uidere, sed mi Tiro, ualẽtem. quare nihil properaris. satis quotidie uidero, si ualebis, utilitatibus tuis possum carere, te ualere, tua causa primum uolo, tum mea mi Tiro. Vale.

ASCENSIVS.

NOs &c. Iterum amanter scribit nauigationem suam, & monet ut Tiro aut scribat, aut quamprimum incolumis redeat. Ordo est. Nos commorati sumus unum diẽ apud Alyziam, sunt qui Aluciam scribant, ex quo loco nos dederamus tibi literas antea, quod, idest quia Quint. Fra. scilicet meus non erat consecuturus, idest obtenturus sequendo nos. Is dies erat Non. Nouemb. Nos proficiscentes inde ante lucem dedimus has literas. VIII Idus Nouẽb. ante diem, idest prius quam dilucesceret, non posset dici ante diem. VIII. Idus, quia is dies qui ante est, Nonæ sunt. Tu si amas uos omnes, & præcipue me magistrum tuum .s. in literis, non dicit patronum, ne seruitutis meminerit confirma te. Ego expecto animo ualde suspenso .i. anxio & incerto primum .s. te deinde Marionem .s. seruum cum literis tuis. Nos omnes cupimus, & ego in primis, uidere te quamprimum. sed o Tiro cupimus uidere ualentẽ. Quare nihil properaris, idest properaueris. ego uidero te satis quotidie: idest quoque die, aut satis cito, si ualebis. Ego possum carere utilitatibus tuis: idest quas mihi faceres. ego uolo te ualere. o mi Tiro primum causa tua, idest propter bonum tuum. tum .i. deinde mea .i. propter utilitatem meam.

GIBERTI LONGO. LEMMA.

Solicitus est pro Tirone.

TVLLIVS TIRONI SVO S. P. D. ET CIC. ET Q. PATER ET Q. F. 6

VAriè sum affectus tuis literis. ualde priore pagina perturbatus, paulum altera recreatus. quare nunc quidem nõ dubito, quin, quoad planè ualeas, te neque nauigationi, neque uiæ committas. satis te maturè uidero, si planè confirmatum uidero. De medico & tu bene existimari scribis, & ego sic audio. sed planè curationes eius non probo: ius enim dandum tibi non fuit, cum* κακοστόμαχος esses. sed tamen & ad illum scripsi accurate, & ad Lysonem. ad Curium uero suauissimum hominem, & summi officii, summæq; humanitatis, multa scripsi, in his, etiam ut, si tibi uideretur, te ad se trãsferret: Lyso enim noster uereor ne negligentior sit, primum, quia omnes Græci, deinde, quod cum à me literas accepisset, mihi nullas remisit sed eum tu laudas. tu igitur, quid faciendũ sit, iudicabis. illud mi Tiro te rogo, sumptui ne parcas ulla in re, qua ad ualetudinẽ opus sit. scripsi ad Curium; quod dixisses: daret medico ipsi puto aliquid dandum esse, quod sit studiosior. innumerabilia tua sunt in me officia, domestica, forẽsia, urbana, prouincialia, in re priuata, in publica, in studiis, in literis, nostris, omnia uiceris, si, ut spero, te ualidũ uidero. ego puto te bellissime, si recte erit, cũ Quæstore Mescinio decursurum. non inhumanus est, teq;, ut mihi uisus est, diligit, & cum ualetudini tuæ diligentissime consulueris, tum mi Tiro consulito nauigationi. nulla in re iam festinare uolo. nihil laboro, nisi ut saluus sis. sic habeto mi Tiro, neminem esse, qui me amet, quin idem te amet, & cum tua, & mea maxime interest te ualere, tum multis est curæ. adhuc, dum mihi nullo loco deesse uis, nunquam te confirmare potuisti. nunc nihil impedit. omnia depone: corpori serui, quantam diligentiam in ualetudinem tuam contuleris, tanti me fieri à te iudicabo. Vale mi Tiro, uale, uale, & salue. Lepta tibi salutem dicit, & omnes, Vale. VII. Id. Nouemb. Leucade.

*.i. stomachosus.

ASCENSIVS.

VAriE &c. Tota hæc epistola suauitatis & amoris Ciceronis in Tironem libertum suum plena est. Ostendit autem quid cum medico pro salute sua faciat. Ordo est. Ego sũ affectus, idest dispositus uarie, idest diuersimode literis tuis, perturbatus ualde priore pagina, recreatus paululum, idest modicum altera. Quare ego non dubito, quidem, idest saltem nunc, quin quo, idest ut, aut quoad nauicas plane. idest omnino, neque committas te nauigationi neque uix. Ego enim uidero te satis mature, idest cito, si uidero plane confirmatum. Tu & : idest simul. scribis bene existimari i. iudicari de medico, & ego audio sic. Sed ego plane non probo curationes eius. Ius enim, idest succus frigidus, nõ fuit dandum tibi cum esse κακοστόμαχος, idest mali stomachi & difficilis digestionis, sed tamen ego scripsi accurate & ad illum & ad Lysonem: scilicet amicum. Vero: pro sed, ego scripsi multa ad Curium hominem suauissimum & summi officii: idest debiti obsequii & summæ humanitatis i. mansuetudinis & beneuolentiæ Et supple scripsi in his: idest inter hæc multa, si uidetur tibi: scilicet utile, ipse transferret se ad se: idest in domũ suã. Vereor enim ne Lyso noster sit negligentior scilicet in te curando & fouendo. Primum quia omnes Græci supple sunt in officiosi, & multa pollicentes, & parum facientes, deinde quod cum accepisset literas a me, nullas remisit mihi. Sed tu laudas eum. Tu igitur iudicabis, quid sit faciendum. o mi Tiro ego rogo te illud, ne parcas sumptui in ulla re qua opus sit ad ualetudinem, scilicet tuã. Scripsi ad Curium supple ut daret medico sup. id mercedis quod dixisses, scilicet illi dandum Ego puto aliquid dandum ipsi. s. medico, quo .i. ut aut propter quod sit studiosior. Officia tua in me sunt innumerabilia, domestica, forẽsia, urbana, prouincialia. i. impensa domi, in foro, in urbe, in prouincia, in re priuata, in Rep. in studiis, in literis nostris. Tu uiceris, idest superaueris omnia. s. officia, si uidero, ut spero. s. me uisurum te ualidum. Ego puto te decursurum. i. celeri nauigatione uenturum, bellissime, idest commodissime cum quæstore Mescinio, si erit recte, idest prospere tibi supple, non est inhumanus & diligit se, ut uisus est mihi. Et o mi Tiro cum consulueris, idest opem tuleris & prospexeris diligentissime ualetudini suæ, tu .i tunc multo magis consulito nauigationi. Ego nulla .i. non ulla, non nolo te festinare iam in ulla re, nihil laboro. i. laboriose præter do, nisi ut sis saluus. O mi Tiro habeto, idest firmiter teneto sic, neminem esse qui amet me, quin idem amet te. Tu, cum. s. sit ita, quod te ualere interest maxime tua & mea, tum est multi curæ. dum adhuc nullo loco uis deesse mihi, nunquam potuisti te confirmare. i. firmum efficere. Nihil impedit nunc te, depone omnia, serui. i. indulge corpori, ego iudicabo me fieri tanti a te: quantam diligentiã contuleris in ualetudinem tuam. Vale. &c. inculcatio affectum exprimens. Lepta qui fuerat in Cilicia cum Cicerone præfectus Fabrorum &c.

VICTORIVS.

IVS enim tibi dandum non fuerat, cum κακοστόμαχος } Celsus quoque lib. XI. cap. XXIIII. inter ea que aliena stomacho sunt, iurulenta ponit. merito igitur culpauit Asclaponem Medicũ Cicero. si enim firmo stomacho iuruleota non conueniunt, quanto magis infirmum affectumque Tironis, ius quod ei dederat, lædere poterat κακοστόμαχος appellauit, qui stomacho laboraret. Idem Medicinæ cãdidissimus author, cum inquit: At imbecillis stomacho, quo in numero magna pars urbanorum, omnesque pene cupidi literarum sunt, κακοστόμαχοι intelliḡt. {Quod dixisses daret medico. ipsi puto aliquid dandum esse} Hæc uerba (nisi fallor) perperã distincta sunt & ut arbitror, ita interpungi debent. {Quod dixisses, daret, medico ipsi puto aliquid dandum esse} ut certiorem faciat Cicero Tironem, se ad Curiũ scripsisse, ut ei daret, numeraretque pecuniam, quam dixisset, ac poposcisset, ut illa ipse in sumptum uel posset. Admonet tamen Tironem, ut ante omnia medico ipsi partẽ aliquam illius pecuniæ soluat, quo studiosior, ac diligẽtior ille sit. neque enim uerisimile est, iubere Ciceronem mercedem aliquam Curio dari, qui ciuis Romanus erat, & locuples homo, & Ciceronis in primis familiaris, quemadmodum ex epistolis ipsius intelligi potest, quæ sunt in libro ad Mariũ, necnon ea epistola Curii ad Ciceronem: quicquid enim ille pro salute, & commodis Tironis faciebat, officii gratia faciebat, & iure amicitiæ, qua cum patrono ipsius arctè coniunctus erat. Hanc etiam suspicionem confirmant uerba illa, quæ sunt in tertia ab hac epistola, Curio misi, ut medico honos haberetur, & tibi daret quod opus esset: me cum iussisset curaturum. Ostendunt enim uoluisse Ciceronem in potestate Tironis nũmos esse. quanuis ei mandet, quod prætermitti non potuit, ut medico statim mercedem dissoluat.

SEBAS. CORR.

DAndum tibi non fuit } Ius enim, ut docent medici, stomachum languidum reddit, præsertim si frequẽtius sumatur. {Κακοστόμαχος} malo stomacho, stomachosus. { Mescinio} Epistola. XX. libro. V. { Lepta} Episto. VII. libro. III.

BERN. RVT.

TV, quum tua & mea maxime interest, te ualere, tum multis est curæ adhuc) Quidã si, Tum multis & curæ. adhuc, dum mihi, &c.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Hortatoria est epistola.

TVLLIVS, ET CICERO. ET Q. Q. TIRONI S. P. D. 7

TErtiam ad te hanc epistolam scripsi eadem die, magis instituti mei tenẽdi causa, quia nactus eram, cui darẽ, quàm quòd haberem quid scriberẽ. Igitur illa: quantum me diligis, tantum adhibe in te diligentiæ. ad tua innumerabilia in me officia adde hoc, quod mihi erit gratissimũ omnium. cum ualetudinis rationem, ut spero, habueris, habeto etiam nauigationis. in Italiam euntibus omnibus ad me literas dabis, ut ego euntem Patras neminem prætermitto. cura, cura te mi Tiro. quando non contigit, ut simul nauigares, nihil est, quod festines, nec quicquam cures, nisi ut ualeas. Etiam atque etiam uale. VII. Idus Nouemb. Actio. uesperi.

ASCENSIVS.

TErtiam &c. eodem fere argumento quo in superioribus epistolis hortatur Ci. Tironem ad ualetudinem curandam, & ad consulendum nauigationi, dicens. Ego scripsi iam ad te tertiam epistolam eodem die, magis causa tenendi instituti, idest moris ac propositi mei: quia nactus eram cui darem, quam quod haberem quid scriberem. Igitur quantum diligis me, tantum diligentiæ adhibe, idest confer in te. Adde ad innumerabilia officia tua in me, hoc. s. ut in te adhibeas tantum diligentiæ, quod erit mihi gratissimum omnium. Cum habueris rationem. i curam & respectum ualetudini. s. tuæ; habeto ẽt supple rationem nauigationis. s. ut recte fiat. Tu dabis omnibus eũtibus in Italiam, literas ad me, ut ego neminem prætermitto euntẽ Patras, idest in eam urbem ubi tu es. s. quin ei literas dem. Cura te o mi Tiro, quando. i. quoniam non contigit. i. non est datum ut nauigares simul. i. una mecum, nihil est, quod. i. nulla est causa cur festines, nec cures quicquam nisi ut ualeas. Etiam atque etiam. Vale. Actio. i. ab ea urbe Epiri, aut ad illud promontoriũ ante quod Augustus & Agrippa uicerunt Antonium & Cleopatram. VII. Idus Nouembris, uesperi. i. tempore uespertino.

VICTORIVS.

CVrate mi Tiro) Nos auxilio uetustorum codicum bis {Curate mi Tiro} nos auxilio uetustorum codicum bis {Cura} scripsimus, nota figura, & quæ ostendat maiore quodam affectu pronunciata esse hæc uerba. Quod uerisimile est cum tantũ de salute Tironis solicitus esset. Aristoph. in Ranis non semel sic locutus est, πρᾶγμα πρᾶγμα. Item ἄγρα ἄγρα. Sed tam frequẽs est apud poetas & oratores hæc figura, ut omnes sciant nim, quam habet, eiusque elegantia patiantur, sæpe tamen (quod incommode accidit) uitio librariorum deleta est: qui cum in exemplari eandem uocem repetitam uiderent, mendum esse putantes, semel tantum scribebant.

SEBAS. CORR.

Tertiam } prima fuit. I. huius lib. secunda fuit. VI. huius lib. {Eadem} Al. eodem.

BERN. RVT.

TErtiam ad te hanc epistolam scripsi eodem die) Hoc ostendit, superiori epistola adscribẽdam diem non VI. sed. VII. Idus Nouembris. Ex his prima est quæ hanc præcedit: altera, quæ uoluminis insipienter prima collocata est. tertia hæc, quare & præcedentes omnes hac serie rediges, ut prima initiumque libri sit, Cicero meus, & frater, & fratris filius. secunda, Non queo. tertia, Nos apud. quarta, Varie sum affectus: quinta, Vide quanta in te. sexta, Tertiam ad te. septima, Septimum iam diem. octaua, Magnæ nobis. nam & in ea, quam fecerunt primam, est, Volebam ad te Marionem remittere, quem in ea, quam nos maluimus primam cõstituere, antea misisse scribit: Marionem, inquit, ad te eo misi. is cũ ad Ciceronem cum literis Tironis reuertisset, cogitabat Cicero de eo ad Tironem remittendo, uenisse cum literis ad Ciceronem apparet ea, quam nos quartam statuimus, quæ incipit, Varie sum affectus, sed dies quoque ipsi plerisque ex his integre appositi, eum ordinem suadent. Ac tametsi (quod nequaquam tamen arbitror) a Tirone, qui epistolas in uolumen redegit, in hoc esset erratum: nõ abre tamen esse ducerem, temporum ordinem sequi, illiusque incuriæ subuenire. nam alioqui consequentia hæc literarum magnum ad sensus perceptionem momentum habet. Vel in ea ipsa, quam diximus poni primam debuisse, Postquam cibum cepisti: non est, cum iam stomachum receperis, ut uoluit interpres, id quod tractum tẽ-

poris

poris requirit, non sesquidem, cum ad quartum nonas Nouemb. discesserit a Tirone Cicero, ad tertium uero has dederit: sed ubi cibū sumpseris. {Q uando nob contingit} Contigit, alii rectius.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Periocha, a solicitudine ualetudinis Tironis.

Q. CICERO TIRONI S. D. 8

Magnæ nobis est solicitudini ualetudo tua. nā tametsi qui ueniunt, *ἀκίνδυνα μὲν, χρονιώτερα δὲ nunciant, tamen in magna consolatione ingens inest solicitudo, si diutius à nobis abfuturus es is, cuius usum, & suauitatem desiderando sentimus. attamen quanquam uidere te tota cogitatione cupio: tamen te penitus rogo, ne te tam longæ nauigationi, & uiæ per hyemem, nisi bene firmum, committas, ne'ue nauiges nisi explorate. uix in ipsis tectis, et oppidis frigus infirma ualetudine uitatur, nedum in mari, & uia sit facile abesse ab iniuria temporis. *ψῦχος δὲ λεπτῷ χρωτὶ πολεμιώτατον, inquit Euripides. cui tu quantum credas nescio. ego certe singulos eius uersus, singula testimonia puto. effice, si me diligis, ut ualeas, & ut ad nos firmus, ac ualens quamprimum uenias. Ama nos, & uale. Qu. F. tibi salutem plurimam dicit.

*.i. tuta quidē, sed diuturna.

*.i. frigus autem tenui cuti inimicissimum.

ASCENSIVS. Magnæ nobis &c. Ostendit quantæ sollicitudini sibi sit ualetudo Tironis, Cuius absentis desiderio se uehemēter moueri dicit. Ordo est. Valetudo tua est nobis magnæ solicitudini, Nam tametsi qui ueniunt. s. Patris, nūtiant. μὲν s.i. quidem ἀκίνδυνα.i. periculo carentia, δὲ .i. autem, χρονιώτερα.i. longiora temporis, seu diuturniora, sup. esse nunc nauigandi negocia. Tamen ingens solicitudo est in magna consolatione quod sine periculo sint, si is est diutius abfuturus a nobis (loquitur de Tirone) cuius usum.i. utilitatem & suauitatem sentimus, scilicet per imaginationem desiderando. Attamen quanquam cupio tota cogitatione uidere te, tamen rogo penitus ne cōmittas te per totam hyemem longæ nauigationi & uiæ, nisi bene firmum, neue: idest uel ne nauiges nisi explorato. s. mari. Frigus uix uitatur in ipsis tectis & oppidis in ualetudine supple ente in firma, nedum, idest ne dicam quod sit facile, abesse ab iniuria temporis in mari & uia. Vbi notandum nedum poni cum una negatione, negatiue, ψῦχος psychos.i. frigus, δὲ, idest autem λεπτῷ, idest maculento χρωτὶ, idest corpori, supple ἐστὶ, idest, est, πολεμιώτατον inimicissimum, aut maxime hostile, inquit Euripides, cui, scilicet Euripidi, nescio quantum tu credas Ego certe puto singulos uersus eius singula testimonia, idest ex animi iudicio prolatos, ut dum iurati testimonia damus, quæ uera iudicamus dicimus. Effice si diligis me ut ualeas, & ut uenias ad nos quāprimum, idest statim, aut primo quoque tempore firmus & ualens. Ama nos, & Vale. Quintus frater. s. meus dicit tibi plurimam salutem.

VICTORIVS. Magnæ nobis est solicitudini, &c.} Nos secuti antiquorum codicum fidem, qui in hoc omnes conueniebant, hanc epistolam Q. Ciceroni restituimus. nam etsi quasdam coniecturas, quæ id confirmarent adferre possemus, satis esse putauimus librorum uetustatem, testimonium, ut suum cuicusque reddatur. Quod autem in cunctis impressis ante legebatur. {Q. Frater tibi Sal. dic.} nos cum iisdem codicibus scripsimus {Q. F. tibi Salu. dicit} F. autem, filium significare non fratrem, nemo est qui nesciat.

SEBAS. CORR. T Cicero} Al. Q. Cicero: ita q; legendum est. {ἀκίνδυνα μὲν χρονιώτερα δὲ.} tuta quidem, sed diuturniora. {ψῦχος δὲ λεπτῷ χρωτὶ πολεμιώτατον} frigus autem tenui cuti infestissimum. {Q. frater.} Q u. F. hoc est, Q uintus filius, describendum fuit.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Itineris descriptio, reliqua hortatoria sunt ad ualetudinem.

TVLLIVS, ET CICERO TIRONI SVO. S. P. D. 9

Nos à te, ut scis, discessimus ad. IIII. Non. Nouemb. Leucadem uenimus ad. VIII. Id. Nou. ad. VII. Actium. ibi propter tempestatē ad VI. Id. morati sumus. inde. V. Id. Corcyram bellissime nauigauimus. Corcyræ fuimus usque ad. XVI. Cal. Decemb. tempestatibus retenti ad. XV. Cal. à portu Corcyræorum ad Cassiopen stadia. CXX. processimus. ibi retenti uentis sumus usque ad. IX. Calen. interea qui cupide profecti sunt, multi naufragia fecerunt. nos eo die cœnati soluimus. inde austro lenissimo, cœlo sereno, nocte illa, & die postero in Italiam ad Hydruntem ludibundi peruenimus, eodemq; uento postridie (id erat ad. VII. Calen. Dec.) hora quarta Brundusium uenimus: eodemq; tempore simul nobiscum in oppidum introiit Terentia, quæ te facit plurimi. Ad. V. Calen. Dec. seruus Cn. Plancii Brundusii tandem aliquando mihi à te expectatissimas literas reddidit, datas Idib. Nou. quæ me molestia ualde leuarunt: utinam omnino liberassent. sed tamen Asclapo medicus planè confirmat propediem te ualentem fore. nunc quidem ego te hortor, ut omnem diligentiam adhibeas ad conualescendum tuam prudentiam, temperantiam, amorem erga me noui. scio te omnia facturum, ut nobiscum quamprimum sis. sed tamen ita uelim, ut nequid properes, symphoniam Lysonis uelim uitasses, ne in quartam hebdomadam incideres: sed quando pudori tuo maluisti obsequi, quàm ualetudini, reliqua cura. Curio misi, ut medico honos haberetur, & tibi daret, quod opus esset: me, cui iussisset, curaturum. equum, & mulum Brundusii tibi reliqui. Romæ uereor ne ex Calen. Ianua. magni tumultus sint. nos agemus omnia modice. Reliquum est, ut te hoc rogem, & à te petam, ne temere nauiges. solent nautæ festinare quæstus sui causa, cautus sis mi Tiro. mare magnum, & difficile tibi restat. si poteris, cum Mescinio (caute is solet nauigare) si minus, cum honesto aliquo homine, cuius authoritate nauicularius moueatur. in hoc omnem diligentiam si adhibueris, teq; nobis incolumem præstiteris, omnia à te habebo. Etiam atque etiā noster Tiro uale. Medico, Curio, Lysoni de te scripsi diligentissime. Vale, salue.

ASCENSIVS. Nos &c. Exponit omnem rationem suæ nauigationis & uiæ Brundusium usque, deinde hortatur ad ualetudinem curandam, & ut cautus sit in nauigando cum Mescinio si potest. Ordo est. Nos discessimus a te ut scis, ad. IIII. Nonas. Nouembris. nos uenimus Leucadem, idest ad eam partem Epiri ad. VIII. Idus Nouembris, & uenimus Actium, idest ad illud oppidum seu promontorium Epiri ad. VII. scilicet Idus Nouem. nos morati sumus ibi. Inde nauigauimus bellissime Corcyram ad. V. Idus Fuimus Corcyræ usque ad. XVI. Calen. Decemb. retenti tempestatibus: idest uentis aduersis & processimus ad. XII. Calen. Decemb. in portum Corcyræorum ad Cassiopen: locus est iuxta portum, stadia centum uiginti. Nos retenti uentis fuimus ibi usque ad. XI. Calen. s. Decemb. Interea multi qui profecti sunt. i. discesserunt cupide. i. nimis cito propter cupiditatem, fecerunt naufragia nos cœnati eo die. s. IX. Calen. soluimus. s. retinacula nauium, idest discessimus nauigio, inde peruenimus ludibundi, idest assidue ludentes, austro. s. uento, lenissimo cœlo supple ente sereno: illa nocte, & die postero in Italiam ad Hydruntē oppidum in finibus Italiæ, quod Strab. appellat ubiculam, retinet tamen priscum nomen, & post paucos adhuc annos a Turcis receptum est, & uenimus eodē uento. s. austro. postridie, id erat. VIII Calen. Decemb. hora. IIII. Brundusium: oppidum illud cum portu Italiæ, & Terentia. s. uxor, introiit eodem tempore nobiscum in oppidum, quæ. s. Terētia, facit, idest æstimat te, plurimi, Seruus Cn. Planci reddidit mihi tandē aliquando, ad V Calen. Decēb. omnino repetit tandem aliquando, ad. V. Cal. &c. ut desiderii sui uim explicet Brundusii literas a te. s. acceptas, expectatissimas. s. mihi datas, scilicet a te, Idibus Nouem. quæ. s. literæ leuarunt pro leuauerunt, idest deonerauerunt me ualde molestia, scilicet animi: utinam liberassent me omnino. Sed tamen Asclapo medicus, confirmat: idest assent plane te fore propediem ualentem. i. fortem, & sanum. Quidem, idest certe aut præcipue nunc adhortor te ut adhibeas omnem diligentiam ad conualescendum. Ego noui prudentiam tuā, temperantiam, & sup. amorem. s. tuum erga me. Scio te facturum

omnia, scilicet quæ facta oportet, ut sis quam primum, idest ualde cito, nobiscu [illegible] sup. or uitasses symphoniam, idest conceorū & cætera [illegible]amenta Lysonis, idest ad quæ Lyso te inuitauit & induxit, ne incideres in quartam hebdomadam. i. quartum septenarium. s. dierum a febri numeratum, hoc est ut opinor in eam febris speciem quam quartanam uocant, de qua in sequenti epistola. Sed quando maluisti obsequi pudori tuo, non audendo refragari petitioni Lysonis, quam ualetudini, s. bonæ, hoc est sospitati. cura reliqua, idest quæ reliqua sunt, ne, scilicet in grauiorem morbum recidas. Ego misi. t. per epistolam significaui Curio, ut honos haberetur Medico, & daret tibi quod opus esset. s. habere, & supple misi, idest significaui me curaturum supple reddere cui iussisset, scilicet reddere. Ego reliqui tibi, idest ad usum tuum Brundusii, equum & mulum, scilicet ut eis in reditu utaris. Ego uereor ne magni tumultus. s. ciuiles fiant Romæ ea Calen. Ianu. i. ea Senatusconsultis quæ tunc fient Nos agemus omnia modice, ne scilicet alteri partium inuisi simus. Reliquum est ut rogem te hoc, & petam a te ne nauiges temere, idest inconsulte Nautæ solent festinare, idest ante quam bona sit tempestas soluere, causa quæstus: idest lucri sui. O mi Tiro sis cautus. Mare magnum & difficile restat tibi: scilicet adhuc nauigandum Si poteris supple nauigare cum Mescinio. s. Quæstore, supple nauiga cum eo, quia is solet nauigare caute. Si minus i. si non poteris, sup. nauigare cum eo, nauiga cum aliquo homine honesto, cuius aut bonitate nauicularius, idest gubernator nauis moueatur. Si tu adhibueris omnem diligentiam in hoc, & feceris te incolumem nobis, ego habebo a te omnia, scilicet quæ peto. O noster Tiro, uale etiam atque etiam. Ego scripsi diligētissime de te, Medico, Curio, & Lysoni. Vale & salue.

VICTORIVS. AD Cassodem} Vetusta exemplaria Casfiodem } Nos erratū unius literæ in illis esse existimamus, & {Casfiopem} restituimus: de quo portu Strab lib I Plinius etiam libro quarto. cap XII. Insulæ ante ex aduerso Thesprotiæ a Buthroto. XII. ∞ pass. eadem ab Acroceraunus. L. ∞ cum urbe eiusdem nominis. Corcyra liberæ ciuitatis & oppido Casfiope temploq; Casfi Iouis pass. LXXXXVII. in longitudine patens. Sed & A. Gellius initio libri XXI. Nauigabamus a Casfiope Brundusium.

PAVL. MANV. CAsfiopen} Antea Cassoden nos ex Plynio & Strabone Casfiopen restituimus. etsi hunc quoque locum alii sibi uendicarunt tribus annis postquam nos impressimus.

SEBAS. CORR. A Portu Corcyræorum ad} Al in portum Corcyræorum, & ad. {Casfiopen} ita quoque uocant. {Symphoniam} concētum omnes interpretantur: sed alii ad conuiuium, alii ad uenam ferunt: quasi uenam Lyso Tyroni tetigisset: Nos tantum dicimus in duobus ueteribus libris aliter legi: in altero quidē, Symphoniam, ut forte scribi possit συμπονεῖν. in altero autem, Scis quo siam, ut omnino ad quendam potius laborem, quam ad uoluptatē accomodandum uideatur. {Vitasse} Al. mutasses. {In quartā hebdomadam} Medici eos dies, quos κρισίμους uocant, in hebdomadas contrahunt: quarum hic quartam dici potius arbitror, quam quod quidam putarunt, unam ex illis duodecim hebdomadibus, quibus in libris Hetruscis fatalem hominis ætatem describi Varro commemorat. qua in re Cælius Calcagninus Ferrariæ decus, atque adeo Italiæ a me non dissentiebat. {Curaturum} Romæ tantum pecuniæ, quantum mihi expensum tulisset. {Magni tumultus} Cæsaris causa. {Præstiteris} Al. feceris.

BERN. RVT. EQuum, & mulum Brundusii tibi reliqui} Reliqui, malim scribere, neque enim iungitur cum superioribus, ut uoluit Clericus. Est autem misi Curio, significatum, scilicet, aut dictum, ut uulgo loquimur. ipse ad Atticum: Tu mihi de Catinii naufragio quasi dubia re misisti.

PHIL. MELI. Nos a te} Descriptio itineris. {Nunc quidem ego te hortor} Monet ut ualetudinem curet, & in nauigando cautus sit.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Eiusdem argumenti, nisi quod in fine narrat quid in urbe fiat, quæq; pericula ubi immineant.

TVLLIVS, ET CICERO, TERENTIA, TVLLIA, Q. Q. TIRONI S. P. D. 10

ETsi opportunitatē operæ tuæ omnibus locis desidero, tamen non tam mea, quàm tua causa doleo te non ualere. sed quando in quartanam cōuersa uis est morbi: sic enim scribit Curius: spero te diligentia adhibita etiam firmiorem fore. modo fac id, quod humanitatis tuæ est, nequid aliud cures hoc tempore, nisi ut quam commodissime conualescas. non ignoro, quantum ex desiderio labores, sed erunt omnia facilia, si ualebis. festinare te nolo, ne nauseæ molestiā suscipias æger, & periculose hyeme nauiges. Ego ad urbem accessi prid. Non. Ianu. obuiam mihi sic est proditum, ut nihil fieri potuerit honoratius. sed incidi in ipsam flammam ciuilis discordiæ, uel potius, belli: cui cum cuperem mederi: & (ut arbitror) possem, cupiditates certorum hominum (nam ex utraque parte sunt, qui pugnare cupiant) impedimento mihi fuerunt. omnino & ipse Cæsar amicus noster minaces ad Senatum, & acerbas literas miserat: et erat adhuc impudens, qui exercitum, & prouinciam inuito Senatu teneret: & Curio meus illum incitabat. Antonius, quidem noster, & Qu. Cassius nulla ui expulsi, ad Cæsarem cum Curione profecti erant. posteaquam Senatus Consulibus, Prætoribus, Tribunis plebis, & nobis, qui Proconsules sumus, negotium dederat, ut curaremus, nequid Respub. detrimenti caperet: nunquam maiore in periculo ciuitas fuit: nunquam improbi ciues habuerunt paratiorem ducem. omnino ex hac quoque parte diligentissime comparatur. id fit authoritate, & studio Pompeii nostri, qui Cæsarem sero cepit timere. nobis inter has turbas Senatus tamen frequens flagitauit triumphum: sed Lentulus Cos. quo maius suum beneficium faceret, simul atque expedisset quæ essent necessaria de Repub. dixit se relaturum. nos agimus nihil cupide: eoq; est nostra pluris authoritas. Italiæ regiones descriptæ sunt, quam quisque partem tueretur. nos Capuam sumpsimus. hæc te scire uolui. Tu etiam atque etiam cura, ut ualeas, literasq; ad me mittas, quotiescunque habebis cui des. Etiam atque etiam uale. Datum prid. Id. Ianua.

ASCENSIVS. ETsi opportuni. &c. Primum dicit se magis laborare de ualetudine Tironis, eius causa quam sua, deinde iterū hortatur ad curandam ualetudinem quæ in febrē quartanam conuersa erat. Postea dicit se offendisse bella ciuilia Romæ, triumphumq; suum dilatum causa Lentuli Consulis. Ordo est. Etsi, idest quanquam ego desidero in omnibus locis opportunitatem. i. commoditatem tempestiuam operæ. i. operationis diligentis tuæ, tamen doleo non tam. i. tātopere causa mea, quam, idest quantopere causa tua. Sed quando, idest quoniam uis. i. uiolentia morbi cōuersa est in quartanam. s. febrem (sic enim Curius scribit) spero diligentia adhibita, idest postquam diligentia erit adhibita te fore. i. futurum etiam firmiorem, modo, idest solum modo fac, quod est humanitatis tuæ, idest quod pertinet ad humanitatem tuam, qua te & me prosequeris, uidetur enim sibi nō parcens in se inhumanus, ut Menedemus ille Terētianus seipsum crucians, hoc est ne cures hoc tempore aliud, nisi ut conualescas quam commodissime. Non ignoro quantum labores, idest labore & molestia afficiaris ex desiderio: idest quia quantum desideres mihi inseruire, sed omnia erunt facilia. s. toleratu si ualebis, idest sanus & firmus eris. Nolo te festinare. i. ut festines, ne æger suscipias molestiam nauseæ. s. ea aqua marina, & nauiges periculose hyeme. i. tempore hyemali Ego accessi ad urbem, scilicet Romam pridie Nonas Ianuarias. Proditum est obuiam mihi sic, ut nihil potuerit fieri honoratius. Sed incidi in ipsam flammam, idest apertissimum incendium discordiæ ciuilis, uel potius belli. Cui cuperem mederi, idest remedium afferre, & ut arbitror possem, scilicet mederi, cupiditates certorum hominum (nam sunt ex utraque parte qui cupiant pugnare) fuerunt mihi impedimento. Et ipse Cæsar amicus noster miserat minaces literas ad Senatum, & erat adhuc impudens, idest sine uerecundia & pudore qui teneret exercitum & prouinciam Senatu inuito. Et Curio meus. s. amicus, incitabat illum. s. Cæsarem. Antonius quidem noster & Cassius profecti erant. s. cum hæc scriberem, ad Cæsarem cum Curione, nulla ui expulsi, quasi dicat propria sponte Postea Senatus dederat Consulib. Prætoribus, Tribunis plebis, & nobis qui sumus Proconsules, negotium, ut curemus ne Respub. caperet quid, idest aliquid detrimenti, ciuitas nunquam fuit in maiore periculo. Ciues improbi, idest improbandi, quia contra Rempub. sentientes, nunquam habuerunt omnino ducem paratiorem s. quam nunc sit Cæsar. Comparatur. s. exercitus. i. acquiritur quoque, idest etiam, ea parte, scilicet nostra, & Repu. Id fit authoritate & studio Pompeii nostri, qui cœpit timere Cæsarem sero. i. nimis tarde. Senatus sup. quamuis inter has turbas, scilicet cogeretur, tamen frequens, flagitauit, idest exegit nobis triumphum. Sed Lentulus consul quod, idest ut faceret beneficiū maius,

idest

idest auctius quia difficilius ad quæsitum, dixit se relaturum: idest consulturum, de triumpho nostro, simulatque: idest statim postquã expedisset ea, quæ essent necessaria de Repub. Nos nihil agimus cupide, & eo: idest tanto aut propterea authoritate est, idest æstimatur pluris. Regiones Italiæ sunt descriptæ quam partem quisque tueretur: idest defenderet. Nos sumpsimus Capuam: scilicet tuendam. Ego uolui te scire hæc. Tu cura etiam atque etiam ut ualeas, & mittas literas ad me quotiescunque habebis cui des. Vale etiam atque ét: idest iterum atque iterum. Datum pridie Idus. i. die qui præcessit Id. Ian.

VICTORIVS. Posteaquã Senatus Coss. Præt. Trib. pl. & nobis, qui Procos. sumus) Præsidio huius loci emẽdatur alter in Oratione pro Deiotaro rege qui cum eandem sententiam haberet, negligentia librariorum corruptus fuerat, uel potius uitio ueteris illius scripturæ aliquantulum perturbatus: cum audisset Senatus consentientis authoritate arma sumpta Coss. Prætt. Tribb. nobis Imperatoribus Remp. defendendam datam. ita enim legendum est, non (Nouis) ut nunc in omnibus impressis mẽdose legitur. Notum autem iam omnibus est, ueteres librarios nullo pene discrimine illis literis usos fuisse.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Pericula dissensionum ciuilium narrat, & ut ualetudinem curet, petit.

TVLLIVS S. D. TIRONI SVO. 11

*Qvo in discrimine uersetur salus mea, & bonorum omnium, atque uniuersæ Reipub, ex eo scire potes, quòd domos nostras, & patriã ipsam uel diripiendam, uel inflammandam reliquimus. in eum locum res deducta est, ut nisi quis Deus, uel casus aliquis subuenerit, salui esse nequeamus. equidem ut ueni ad urbem, non destiti omnia & sentire, & dicere, & facere, quæ ad concordiam pertinerent: sed mirus inuaserat furor non solum improbos, sed etiam hos, qui boni habentur, ut pugnare cuperent, me clamante nihil esse bello ciuili miserius. itaq; cum Cæsar amentia quadam raperetur, & oblitus nominis, atque honorum suorum, Ariminum, Pisaurũ, Anconam, Aretium occupasset, urbẽ reliquimus: quàm sapienter, aut quàm fortiter, nihil attinet disputare. quo quidem in casu simus, uides. feruntur omnino conditiones ab illo, ut Pompeius eat in Hispaniam: delectus, qui sunt habiti, & præsidia nostra dimittantur: se ulteriorem Galliam Domitio, citeriorem Considio Noniano (his enim obtigerunt) traditurum: ad Consulatus petitionem se uenturum: neque iam uelle absentis rationem haberi sui: se præsentem trinundinum petiturũ. accepimus conditiones, sed ita, ut remoueat præsidia ex iis locis, quæ occupauit, ut sine metu de iis ipsis conditionibus Romæ Senatus haberi possit. ille si fecerit, spes est * pacis, non honestæ (leges enim imponuntur) sed quiduis est melius, quàm sic esse, ut sumus. sin autem ille suis conditionibus stare noluerit, bellum paratum est, eiusmodi tamen, quod ille sustinere non possit, præsertim cum à suis conditionibus ipse fugerit, tantummodo ut eum intercludamus, ne ad Vrbem possit accedere: quod sperabamus fieri posse: delectus enim magnos habebamus, putabamusq; illum metuere, si ad Vrbem ire cœpisset, ne Gallias amitteret, quas ambas habet inimicissimas, præter Transpadanos. ex Hispaniaq; sex legiones, et magna auxilia, Afranio, et Petreio ducibus, habet à tergo. uidetur, si insaniet, posse opprimi, modo ut Vrbe salua. maximam autẽ plagam accepit, quòd is qui summã authoritatem in illius exercitu habebat, T. Labienus, socius sceleris esse noluit, reliquit illum, & nobiscum est: multiq; idem facturi esse dicuntur. Ego adhuc oræ maritimæ præsum à Formiis. nullum maius negotium suscipere uolui, quo plus apud illum meæ literæ, cohortationesq; ad pacem ualerẽt. sin autem erit bellum, uideo me castris, & certis legionibus præfuturũ. habeo etiam illam molestiam, quòd Dolabella noster apud Cæsarẽ est. hæc tibi nota esse uolui: quæ caue te perturbent & impediãt ualetudinem tuam. Ego A. Varrioni, quẽ tum amantissimum mei cognoui, tum etiam ualde tui studiosum, diligentissime te commendaui, ut & ualetudinis tuæ rationem haberet, & nauigationis, et totum te susciperet, ac tueretur: quem omnia facturum confido: recepit enim, & mecum locutus est suauissime. Tu quando eo tẽpore mecum esse non potuisti, quo ego maxime operam, & fidelitatem desideraui tuam, caue festines, aut committas, ut aut æger, aut hyeme nauiges. nunquam ego sero te uenisse putabo, si saluus ueneris. adhuc neminem uideram, qui te postea uidisset, quàm M. Volusius, à quo tuas literas accepi: quod non mirabar: neque enim meas puto ad te literas tanta hyeme perferri. sed da operam, ut ualeas: &, si ualebis, cum recte nauigari poterit, tum nauiges. Cicero meus in Formiano erat, Terentia, & Tullia Romæ. Cura ut ualeas. IIII. Calend. Febr. Capua.*

*a.l. pacis. nõ .n. honestæ leg.

ASCENSIVS. Qvo &c. Exponit bellorum ciuilis seminaria dicens. Tu potes scire in quo discrimine salus mea & omnium bonorum, atque uniuersa respu. uersetur, ex eo quod reliquimus domos nostras & patriam ipsam uel diripiendã uel inflammandam, aduentante enim Cæsare omnes fugerunt. Res est deducta in eum locum, ut nisi quis: idest aliquis deus uel casus aliquis subuenerit, nequeamus esse salui. Equidem, id est ego quidem, ut ueni ad urbem, scilicet ex prouincia, non destiti & sentire, & dicere, & facere omnia quæ pertinerent ad concordiã scilicet Cæsaris & Pompeii. Sed mirus furor inuaserat, scilicet præcordia, aut lege, inuaserat, non solum improbis, sed etiam iis qui habentur boni, ut cuperent pugnare, me clamante, nihil esse miserius bello ciuili. Itaque cum Cæsar caperetur quadam amentia, & oblitus nominis atque bonorum, suorum, occupasset Ariminum, Pisaurum, Anconam, Aretium, nos reliquimus urbem, scilicet Romam: quam, idest quantum sapienter aut quam fortiter nihil attinet disputare: idest discutere. Quo quidem & cætera. Ordo est. Quidem, idest certe. Est tamen expletiua coniunctio plus ad ornatum quam ad sententiam faciens, tu uides, idest intelligis, in quo casu nos simus. Conditiones, scilicet pacis, feruntur omnino ab illo, scilicet Cæsare, ut Pompeius eat, scilicet cum imperio, in Hispaniã. & supple delectus, idest militum nouorum scriptiones, qui sunt habiti, idest quæ iam sunt factæ, & præsidia nostra, idest quæ imposuimus urbibus contra Cæsarem, dimittantur: & supple offert, se traditurũ Domitio Galliam ulteriorem, idest remotiorem ab Italia, & supple Considio Noniano Galliam citeriorem, idest uiciniorem, & quæ citra Alpes est. Enim, idest quia supple dictæ prouinciæ obtigerunt, scilicet forte his. s. duobus Domitio & Considio, & supple se uenturum ad petitionem Consulatus. Neque, idest & non, & supple dixit se non uelle rationem, idest pium respectum sui, idest de se aut in se haberi se iam absente, & supple dixit aut obtulit se præsentem petiturum trinundinum, idest spatium trium dierum pro nundinis .i. dicendis & .i. nuntiandis nouis seu legibus seu festis populo ex agro in urbem conuocato. Nos accepimus conditiones s. oblatas a Cæsare, sed ita ut remoueat præsidia .i. armatos milites ad custodiã locorum fortium impositos, ex his locis quæ occupauit, ut Senatus possit haberi Romæ, de iis ipsis conditionibus. Si ille, scilicet Cæsar fecerit id, idest amouerit præsidia, spes est pacis. Non enim leges .i. conditiones pacis honestæ, idest Senatui honorificæ imponuntur, scilicet a Cæsare, quasi iam tunc domino, sed quiduis est melius, idest quælibet conditio est melior, quam esse sicut sumus. Sin autem, idest sed si, ille. s. Cæsar noluerit instare, idest inniti cõditionibus suis. s. non aliter admittendo pacem, bellum est paratũ, tamen eiusmodi, idest tale aut tam magnum contra Cæsarem, quod .i. quale aut quantum supple Cæsar non possit sustinere, præsertim cum ipse fugerit, idest meticulose discesserit a conditionibus suis, tantummodo, idest eo solo dato, ut intercludamus eum, idest ei facultatem præripiamus, ne possit accedere ad urbem: quod sperabamus posse fieri: habebamus enim delectus magnos, & putabamus illum metuere si cœpisset ire ad urbem. s. Romã, ne amitteret Gallias, scilicet ulteriorem, & citeriorem, quas ambas habet munitissimas. s præsidiis suis, præter Trãspadanos. s. eos Gallos qui trans padum incolunt. Et sex legiones. s. Romanorum, & magna auxilia .s. sociorum, uidentur haberi a tergo. s. Cæsaris. i. ut insistent illi a tergo ex Hispania, Afranio, & Petreio ducibus, quos tamen Cæsar ad deditionem compulit, si supple Cæsar insaniet, idest temere omnia audebit, supple uidetur posse opprimi, modo, idest dũmodo id fiat urbe, scilicet salua. Autem, idest sed Cæsar supple accepit maximã

plagam, idest maximum incommodum, quod is uidelicet Titus Labienus qui habebat summam authoritaté in exercitu illius, noluit esse socius sceleris eius, scilicet in patriá incepti, sed supple reliquit illum & est nobiscum, & multi, scilicet alii boni uiri, dicuntur facturi esse idem, idest relicturi illum Ego præsum. i. protectioni sum adhuc oræ maritimæ. i. regioni ad mare iacenti, a Formiis, nullú, id est non ullum, non uolui suscipere ullum negotium maius, quo. i. ut literæ & cohortationes meæ ad pacem, ualerent plus apud illum. s. Cæsa Sin autem, idest sed si bellum erit, ego uideo me præfuturum castris & certis, idest quibusdam legionibus. Ego habeo etiá illam molestiam, idest cruciatú animi, quod Dolabella noster, quia gener Cicero. est apud Cæsa. Ego nolui hæc esse nota tibi. quæ cave ne perturbent te, & impediant ualetudinem tuam. Ego commédaui te diligentissime Aulo Varroni. s. Patris agenti quem cognoui eum. s. ita sit quod amantissimum mei, tum etiam ualde studiosum tui, idest tibi optime uolétem, ut haberet rationem, & .i. simul ualetudinis tuæ, & nauigationis, & susciperet, idest in custodiam suam assumeret ac tueretur te totum, quem ego confido facturum omnia. Enim i. quia, ipse recepit, idest promisit & locutus est mecú suauissime. Tu quando, idest quoniam non potuisti esse mecum eo tempore quo ego desideraui maxime operam i. diligentiam laborem & fidelitatem tuam, caue sup. ne festinoes, aut committas, ut nauiges, aut æger, aut hyeme. Ego nunquam putabo te uenisse sero, idest nimis tarde si ueneris saluus. Ego neminem uideram adhuc, scilicet cum hæc scriberem qui uidisset te posteaquá M. Volusius sup. uidit te, a quo accepi literas tuas. quod non mirabar. Neque enim puto meas literas perferri, idest ad finem usque ferri ad te, tá ea hyeme, idest tempestate procellosa durante. Sed da operam ut ualeas, & si ualebis, idest sanus eris, nauiges tum, idest tunc, cum. i. quando poterit nauigari tecte, idest sine periculo. Cice. meus. s. filius erat. s. cum has scriberem, in Formiano. s. uilla nostra Formiana. Terentia. s. uxor, & Tullia. s. filia supple erant Romæ. Cura ut ualeas. Datum sup e Capua. IIII. Calend. Febr.

VICTORIUS. SEd mirus inuaserat furor non solum improbos) Nos hic uulgatam, receptamque lectionem non mutauimus, prisca tamen exemplaria ab ea dissentiunt: quorum lectionem a recentioribus Grammaticis repudiatam fuisse, ob idque hinc deletam existimo. Non sum autem illam ego contra hos restituere ausus: nec tamen committere uolui, ut huius locutionis exemplum e Latina lingua extinguatur, si forte doctioribus probaretur. Quare rectum me facere putaui, si hic eam adnotassem Scias igitur optime lectior {Improbis} tertio multitudinis casu in illis legi. Quia non facile credas librariorum negligentia accidisse: quod sequitur, eadem ratione in illis legitur {Sed etiam his} non {Hos} accusandi casu, ut in reliquis libris. Vix autem uerisimile est imperitos librarios temere in ambobus locis lapsos. Nos tam nouam, & nostris auribus inauditam structuram uerborum recipere, & probare ausi non sumus. nec tamen culpam mereri nobis uidemur, quod hanc ré, quá tulacunque est, admonere non piguit. Quicquid de hoc statuent elegantiores, & eruditiores uiri, nos libenter sequemur.

Ex post eiusdem SEd Mirus inuaserat furor, non solum improbos) Admonuimus olim Mediceum codicem, & alium ité bonum {Improbis} habere, tertio multitudinis casu: & paulo post eadem ratione {His} nec tamen tanti mihi fuit authoritas illorum, ut ita scriberem, quamuis non sine causa id factú esse existimarim: animaduertimus postea optimos authores ita locutos esse. quare ueterem omnino lectionem recipiendam censemus. extatur testimonium Accii Meleagro, a Nonio Marcello in Vastities. Quæ uastitudo hæc, aut unde inuasit mihi? Item Terentii Varronis e IIII. lib. de uita popu. Roma. 1413. Tantn porro inuasit cupiditas honorum plerisque, ut uel coelum ruere, dummodo magistratus adipiscantur, exoptent. Aliis etiam in locis apud eundem, nisi memoria me decepit, ueteres scriptores ita locuti esse reperiútur, & (ut arbitror) exempla passim occurrerent, nisi omnia contra certas quasdá ipsorum regulas facerent, a recentioribus grammaticis temere delata essent.

BERN. RVT. IMprobos, sed etiam hos} Al. improbis, sed etiam his. Inuado. n. & incedo, uerba tertio quoque casui ueteres iungebant. {Honorum} Al. bonorum. {In Hispaniam} prouinciam suam. Profecsicatur, inquit Cæsar, Pompeius in suas prouincias ipsi exercitus dimittantur, discedant in Italia omnes ab armis, metus e ciuitate collatur, libera comitia, atque omnis Respub. S. P. Q. R. permittatur. {Domitio} L. Domitio Aenobarbo. {Ad Consulatus} secundi. {Trinoditium} Al. trinum nundinum. Mos enim fuit candidatis, in comitium nundinis uenire, & in colle consistere, unde coram possent ab uniuersis uideri, ut trinundino in suffragiis gratiosiores essent. {Vt remoueat præsidia} Hæc conditio Cæsari uisa est iniqua, ob idque repudiata. {Leges enim imponuntur} quod uni Fanonin non placebat. {Stare noluerit} Al. instare noluerit. {Transpadanos} præsertim Nouocomenses, quos Cæsar non multo ante colonos deduxerat. {T Labienus} Epist. XIIII. lib. XIIII. {Oræ maritimæ} Episto. superiore. {Reliquit illum} Cæsarem. {A. Varroni} Is est, quem scribit Cæsar lib. III. de Bello ciuili, ad colloquiũ pro Pompeianis uéturũ fuisse, nisi a Labieno res impedita fuisset.

BERN. RVT. ID Ille si fecerit, spes est pacis, non enim honestæ leges imponuntur} manu scripti quidam codices recte: Spes est pacis, non honestæ. leges enim imponuntur.

PHIL. MELA. QVo in discrimine; ... quo de dissensione ciuili, & de periculis ex illa ... {Tu quoniam eo tempore} Petitio ... curet.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Hortatoria, & nunciatoria.

TVLLIVS TIRONI S. 11

*EGo uero cupio te ad me uenire, sed uiam timeo. grauissime ægrotasti: inedia, & purgationibus, & ui ipsius morbi consumptus es. graues solent offensiones esse ex grauibus morbis, si qua culpa commissa est, iam ad id biduum, quod fueris in uia, dum in Cumanum uenis, accedent cótinuo ad reditum dies quinque. ego in Formiano ad. III. Calend. esse uolo ibi te ut firmum offensam, mi Tiro effice. literulæ meæ, siue nostræ tui desiderio oblanguerunt. hac tamen epistola, quam Acastus attulit, oculos paulum sustulerant. Pompeius erat apud me, cum hæc scribebam. hilare, & libenter ei cupienti audire nostra, dixi, sine te omnia mea muta esse. tu musis nostris para ut operas reddas. nostra ad diem dictam fient. docui enim te, fides * ἔτυμον quod haberet. fac plané ut ualeas. nos ad summum.* Vale. XIIII. Calend.

ASCENSIUS. EGo &c. Scripserat Tiro se uenturum, modo Cic. id cuperet, ad quod respondet: Ego uero. i. ueraciter, cupio te uenire ad me. sed timeo uiam: idest onera uiæ tu ægrotasti grauissime. consumptus: idest exhaustus es inedia: idest abstinentia a cibo, & purgationibus, & ui ipsius morbi. offensiones ex grauibus morbis: idest post graues morbos, solent esse graues. Siqua: idest aliqua culpa commissa est: scilicet post morbum. dies quinque accedent iam continuo ad reditum, idest priusquam redieris, ad id biduum quod fueris in uia. dum, idest donec. ueneris, idest potueris uenire, in Cumanũ, idest in uillam Cumanam. Ego uolo esse in Formiano, supple usque ad. III. Calend. scilicet sequentis mensis effice o mi Tiro, ut offendam, idest inueniam te ibi firmum. i. ualentem. Literulæ meæ, siue nostræ. i. communia studia, oblanguerunt desiderio tui. tamen sustulerunt: idest erexerunt paululum oculos hac epistola, quá Acastus attulit. Pompeius erat apud me cum scribebam hæc, ego dixi ei cupienti hilare, & libenter audire nostra. s. scripta, omnia mea esse muta sine te: para ut reddas musis nostris operas. i. solitas lucubrationes. Nostra dicta. i. promissa, fient ad diem, scilicet statutum, docui enim te qd ἔτυμον i. interpretamentum ueræ significationis haberet fides. de qua in primo offic dicitur, quod fiat dictum. non ergo legendum ἔτυμον. Fac ut ualeas plane, idest plene. Nos, supple ualemus ad summum, idest optimam ualetudinem.

VICTORIUS. NOstra ad diem dictam fient) Modus loquendi sumptus a Græcis, illi enim εἰς ῥητὴν ἡμέραν. Vtuntur eo sæpe Romanarum rerum Græci scriptores. Plutarchus, Dion, Appianus. Terentius, Ad præstitutam diem, inquit, quemadmodum etiá sæpe Cicero, qui ad præfinitam quoque diem. Plutar. in Cæsare, ἂν εἰς ἡμέραν ῥητὴν μὴ καταθῶνται τὰ ὅπλα: Appianus in Libycis, de Scipione, qui primus Africanus est appellatus, ... εἰς ἡμέραν ῥητήν. Dion libro. XLVII. de Dolabella post Trebonii cædem, ... ῥητὴν ἡμέραν ἐς ἐκλογὴν τῆς φιλίας ... Et militibus certam diem præfiniebant, intra quam illis fraudi non esset, si a Dolabella discessissent. {Quo quidem comitatu ... satis scis} Locus obscurus, & fortasse deprauatus, nullam in priscis exemplaribus uarietatem inueni nam quod paulo ante dixit doctrinam fidelem, non incommode dici posse, & esse translationem quæ ferri possit. ipse ea usus est cum de Oratore inquit, & habeas qui docere fideliter possis.

SEBAS. CORR.

Pompeius) Nisi Pomponius legatur, hæc epistola ante, quã in Ciliciam Cicero proficisceretur, scripta fuerit necesse est. nam a Cice. reditu ea Cilicia ad Pompeii discessum ex Italia, nec Tiro in Italia fuit, nec Pompeius animo ita tranquillo, ut Ciceronis scripta audire cuperet: uel certe alius Pompeius significabitur. {Nostra ad diem dictam fient} Al. ad diem dicta fiant: ut quasi ex his ostẽdat, quod ἔτυμον fides habeat, quæ dicta sit, quod fiant dicta. {Ἔτυμον.} ἐτυμολογίαν hoc est, notationem, sic enim Cicero mauult, quam ueriloquium transferre. Nos ad summũ uale IX. Calen. Ianu.) Al. Nos adsumus. Vale. XIIII. Cal.

BERN. RVT.

Docui Enim te, fides etymon quod haberet} Quidam Etipon. Non probo. Fidem a fio dictã sentire innuit: quod & Officiorum libro primo testatum reliquit. interpres quoq; fallitur. Ego uero ne hic quidem temporis ordinem arbitror in digerendis epistolis seruatũ, hancq;, & quæ sequitur, suppositis duabus postponendas. Nam quod hic dies ascripta est XIIII. Calen. Ianu. deprauatus codex, quod iam superioribus duabus epistolis se pridie Nonas Ianu. Romam uenisse ait, cum etiam tum patris, aut certe in nauigatione esset Tiro, quem hac epistola iam attigisse Italiam demõstrat. Potest igitur æstimari, legendũne sit XIIII Calend Iunii. ut duodecima sit, quæ incipit: Omnia a te. quæ habet diem quartum Idus Aprilis. tertiadecima, Andricus postridie, quæ tertium. decimaquarta, Aegypta ad me uenit. decimaquinta hæc, de qua agimus, nisi uero insequentis anni Ianuarium intelligas. Nam alioqui & ad Atticum literis, quas circa Idus Aprilis dederat, nondum uenisse in Italiam Tironem significat, & quas postridie Idus, ac primum de reuerso Tirone loquitur primis literis libro. XII. circa scilicet subsequuti anni Septẽbrem. Quare, si pro Pompeiõ Pomponius legeris in eadem hac, cuius initium, Ego uero, recte mea sententia locum restitueris, propter, scilicet mortuũ ante Pompeium Magnum. Itaque eas deinceps epistolas propositis numeris accipiemus: ut tamen in eadem (de qua agimus) pro Mutasse, muta esse (quod in aliis exemplaribus legitur) reponas.

GIBERTI LONGO. LEMMA.

Nunciatoria, & hortatoria.

TVLLIVS TIRONI. S. 13

Aegypta ad me uenit prid. Id. Apr. is etsi mihi nunciauit te planè febri carere, & belle habere: tamen, quòd negauit te potuisse ad me scribere, curam mihi attulit, & eo magis quòd Hermia, quem eodem die uenire oportuerat, non uenerat: incredibili sum solicitudine de tua ualetudine: qua si me liberaris, ego te omni cura liberabo. plura scriberem, si iam putarem libenter te legere posse. ingenium tuum, quod ego maximi facio, confer ad te mihi tibiq; conseruandum. cura te etiam atque etiam diligenter, Vale. Scripta iam epistola: Hermia uenit. accepi tuam epistolam uacillantibus literulis: nec mirum, tam graui morbo. Ego ad te Aegyptam misi, quòd nec inhumanus est, & te uisus est mihi diligere, ut is tecum esset: & cum eo cocum, quo uterere. Iterũ uale.

ASCENSIVS.

Aegypta &c. Dicit se intellexisse Tironem conualuisse, sed quia nihil scripsit, deteriua suspicari. Ordo est: Aegypta, proprium est serui: uenit ad me pridie: idest die præcedente Idus April. Is & si nunciauit mihi te carere, idest liberum esse plane, idest omnino, febri, & habere belle, idest meliuscule: tamen attulit mihi curam: idest solicitudinem, quod negauit te potuisse scribere ad me, & eo: idest tanto magis, scilicet attulit curam, quod Hermia non uenerat, quem oportuerat uenire eodem die Ego sum incredibili solicitudine de ualetudine tua, qua si liberaris, pro liberaueris me, ego liberabo te omni cura. Ego scriberem plura, si putarem te posse legere libẽter. Confer. i. applica ingenium tuũ, quod ego facio. i. æstimo maximi ad te conseruandum mihi, & tibi. Cura te ẽt, atq; etiam diligenter.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Nunciatoria, & hortatoria.

TVLLIVS TIRONI. S. 14

*Andricus postridie ad me uenit, quã expectaram, itaque habui noctẽ plenam timoribus, ac miseriis. tuis literis nihilo sum factus certior, quo modo te haberes: sed tamen sum recreatus. ego omni delectatione, literisq; omnibus careo: quas ante, quã te uidero, attingere nõ possum. Medico mercedis quantum poscet, promitti iubeto. Id * scripsi ad Mummium. Audio te animo angi, & medicum dicere ex eo te laborare. si me diligis, excita ex somno tuas literas, humanitatẽq;, propter quam mihi es charissimus. nunc opus est te animo ualere, ut corpore possis. id cum tua, tum mea causa facias, à te peto. Acastũ retine, quò commodius tibi ministretur. conserua te mihi. dies promissorum adest: quem etiam repræsentabo, si adueneris. Etiam, atque etiam uale. III. Id. hora. III.*

*al. scrip si Vmmiũ

ASCENSIVS.

Andricus &c. Amatorie scribit solicitudinem suam de Tirone, dicens. Andricus, nomen est serui forte ex Andro, ut Aegypta ex Aegypto uenit, ad me postridie. i. die posteriore quam expectaram, idest expectaueram. Itaque habui noctem plenam timoribus, ac miseriis. Tum, idest insuper nihilo, idest in nullo factus sum certior literis: scilicet quas attulit quomodo haberes te: sed tamen sum recreatus Ego careo omni delectatione, & literis omnibus quas nõ possum attingere antequam uidero te iubeto, scilicet tantum mercedis promitti, scilicet ab amicis nostris medico quãtum poscit. Ego scripsi ad Mummium id, idest ut id faciat. Audio te angi, idest torqueri animo, & medicum dicere te laborare: idest quod labores ex eo, scilicet quod angeris animo. Si diligis me, excita literas tuas. i. præcepta philosophica de tolerandis aduersis ex somno, idest sopore obliuionis, & humanitatem, scilicet tuam, propter quã tu es charissimus mihi. Opus est nunc te ualere animo, ut possis, scilicet ualere corpore. Peto a te facias id: idest ut ualeas animo. cum. s. ita quod tua causa tum: idest multo magis. mea, scilicet causa. Retine Acastum, scilicet seruum. quo, idest ut. ministretur idest ministeriũ fiat tibi commodius, idest magis commode. Conserua te mihi. dies promissorum. s. de pecunia profundo emendo danda, adest, quam repræsentabo. i. eã hibebo, aut sint duæ particulæ, quem præsentabo etiam re, idest effectu ipso si adueneris. Vale etiam atque etiam. Tertio Idus Apr.

Ex posteriore eiusdem.

Itaq; habui noctem plenam timoribus ac miseriis) Sic omnes uulgati libri tam magno consensu, ut noster etiam communem culpam sustineat. ut uerum enim fateamur parum in hoc ipso uidimus Quod tamen tunc peccati cum aliis admisimus, nunc omnino reiecimus, authoresq; unicuiq; sumus, ut noster etiã liber castigetur, cum antiquisq; concordare cogatur, qui rectam lectionem retinent: sic enim legunt. Itaque habui noctem plenam timoris: ac miserius tuis literis nihilo sum factus certior &c. Vt meo iudicio sic prorsus legi, & intelligi debeat, duo accidisse quæ maxime Ciceronem cruciarint, unum Andricum postridie uenisse, quã expectarat, ut solicitus de ualetudine Tironis, multaq; quæ nollet cogitans, noctem quæ intercessit inter diem illum quo expectabat, & illum quo uenit, plenam timoris habuerit. Alterum quod (miserius) appellat, in literis Tironis, quas Andricus attulit, nõ scriptũ fuisse quomodo se haberet, se tamen recreatum dicit. Cognouit. n. & aduentu Andrici, & ipsius literis illum uiuere: quare maiorem illum metum depulit, quem mora Andrici attulerat de morte ipsius magnum tamen et dolorem adportauit post solicitudinem, quã ea nocte habuerat non esse accurate a Tirone certiorem factum quomodo se haberet. Quod ipse miseriam quandam suam, & infelicitatem putat. Nolumus hic amplius communem lectionem damnare, ne nostrum iudicium una condemnemus, qui primo tam contaminatam, & fœdam scripturam non animaduertimus. uera tamẽ & incorrupta collatio, quam beneficio priscorum codicum nunc promulgamus, satis ualet ad illam conuincendam. In hac ipsa epistola iidem codices Vmmium habent, ubi uulgati Mummiũ. quod nomen nostri librarii corruperunt, quare corrigatur. Ne autẽ hoc nomen quia rarum est, amplius ut nouum repudietur, adscribemus epitaphium quod Pisis in antiquo lapide uidimus, quo ualde simile huic & quasi ab eo deriuatum nomen legitur.

D. M.
VMMIDIAE CALE
FELICIO PATER
CALE MATER
MYRTILVS TATA
ET EROS CONIVX
FECER.
VIX.A.XVI. M.VIII. DIEB.VIII.

SEBAS. CORR. ANdricus) Al.Menandrus,ut in sequenti episto.{Promissu rum) manumissionis.sic enim ex Episto. XVI. huius libri iudicamus.{Id. Apr.}Al.id h.III.hoc est,Id.hora tertia ut ego interpretor. Al.Id.Iu.

BERN. RVT. DIes Promissorum adest quem etiam repræsentabo,si ueneris)Non percipit loci sensum interpres? Adest, significat in propinquo est: Repræsentabo,præsentem faciam.id.u. dicit:Cum primum ueneris,promissa præstabo,etiam si dies dicta nondum plane aduenerit.uim hanc sæpe uerbum id Iurisconsultis habet repræsentare peconiam:idest in diem præsentem numerare,quæ in longiorem deberetur & Ciceroni aute:Quod est dies allatura,id consilio antefetre debemus,neque expectare temporis medicinam,quam repræsentare ratione possimus.

TVLLIVS TIRONI S. 15

OMnia à te data mihi putabo,si te ualentē uidero. Summa cura expectabam aduentum Menandri,quem ad te miseram. Cura, si me diligis,ut ualeas:et cum te bene confirmaris, ad nos uenias. Vale.IIII. Id.Apr.

ASCENSIVS. OMnia. Idem fere facit dicens.Ego putabo omnia data mihi a te si uidero te ualentem.Ego expectabam summa cura aduentum Menandri quem miseram ad te Cota(si diligis me)ut ualeas,& uenias ad nos cum : idest postquam,confirmaris:idest cōfirmaueris te.Vale, &c.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Laudat Ciceronem,quod Tironē,hominē doctū & probū,manumiserit.

QVINTVS MARCO FRATRI S. 16

DE Tirone,mi Marce,ita te,meumq; Ciceronem, & meam Tulliolam, tuumq; filium uideam, ut mihi gratissimum fecisti,cum eum indignum illa fortuna,nobis amicum, quā seruum esse maluisti. mihi crede, tuis, & illius literis perlectis, exilui gaudio,& tibi & ago gratias.& gratulor:si enim mihi Statii fidelitas est tantæ uoluptati,quanti esse in isto hæc eadem bona debent, additis literis,sermonibus,humanitate,quæ sunt his ipsis commodis potiora?amo te omnibus equidem maximis de causis, uerumetiam propter hanc,uel quòd mihi sic(ut debuisti)nuntiasti. te totū in literis uidi.Sabini pueris & promisi omnia,& faciā. Vale.

ASCENSIVS. DE Tirone &c Gratulatur Qu.frater Cic.q Tironē manumiserit dicens:O mi Marce.s.frater.ita.i.sic,et est precantis utraque particula,uideam.i.Dii dent,ut uideam s.incolumes.Te,& Ciceronē meū.s.nepotem ex te fratre.& Tulliolam meam.s.neptem ea eodem,& pro i.filium tuū.nisi forte dicamus uriq; Ciceronē a Tulliola liberos fuisse,sed quia te permisit mallem de Marci liberis intelligere.ut fecisti mihi gratissimum de Tirone.i.de manumissione eius cum maluisti eum indignum illa fortuna.i.condisione seruili esse amicum nobis,q̄ seruum.Crede mihi.ego exilui.i.extra me quasi salui gaudio.i præ gaudio literis tuis,& illius.s.Tironis perlectis,& ago gratias tibi,& gratulor.s.etiā tibi.Si enim fidelitas Statii.s.liberti mei, est mihi tantæ uoluptati,quantæ,sup.uoluptati hæc eadem bona .s fidelitas.debens esse in isto.s. suo liberto Tirone, additis literis, sermonibus,humanitate,quæ sunt potiora.i. eligibiliora his ipsis commodis,quæ.s.assequimur ea bonis seruis.Ego amo te equidem pro quidē de omnibus maximis causis.i.propter maximas causas ubi omnes cum superlatiuo,uerumetiam propter hanc.uel.i. quod nunciasti mihi,ut debuisti.Ego uidi.i.cognoui te totum in literis. Ego & promisi,& faciam pueris.i.seruis Sabini omnia.

SEBAS. CORR. FOrtuna,nobis) Al.fortuna,hac nobis.{Statii}liberti mei, in epistolis tamen ad ipsum.Q.fratrem semper scribitur, Stathius.{In isto}Tirone.

PHIL. MELĀ. De Tirone)Gratias agit & laudat Ciceronem de Tirone, homine docto ac bono manumisso.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Reprehendit Tironem, quod uerbo Fideliter improprie vsus sit.

TVLLIVS TIRONI S. 17

VIdeo,quid agas.tuas quoque epistolas uis referam in uolumina. sed heus tu, qui κανὼν *esse meorum scriptorum soles,unde illud tā ἄκυρον,Valetudini fideliter inseruiendo?unde in istum locum fideliter uenit?cui uerbo domicilium est propriū in officio,migrationes in alienum multæ:nā & doctrina, & domus,& ars,& ager etiā fidelis dici potest.ut sit,quomodo Theophrasto placet,uerecunda translatio,sed hæc coram. Demetrius uenit ad me:quo quidem* comitatu* ἀφωμίλησα,satis scis.tu eum uidelicet non potuisti uidere:cras aderit.uidebis igitur:nam ego hinc perendie mane cogitō.Valetudo tua me ualde solicitat: sed inserui,& fac omnia.tum te mecum esse,tum mihi cumulatissime satisfacere putato.Cuspio quòd operam dedisti,mihi gratum est: ualde enim eius causa uolo. Vale.*

*.i.regula.

*al. ἀφωμίλησα, *.i.dimisi unà fui.

ASCENSIVS. VIdeo &c.Iocatur cum Tirone de improprietate uocaboli,fideliter,dicens: Ego uideo i. intelligo quid agas .i.prætendas.tu uis:supple ut referam.i.colligam in uolumina, idest libellos. quoq; , idestetiam epistolas tuas. sed heus tu,qui soles esse κανὼν,idest regula scriptorum meorum, unde illud tam ἄκυρον,idestimproprium, ualetudini fideliter inseruiendo, sic enim scripserat Tiro.Vnde fideliter , idest illud aduerbium fideliter inseruiendo, uenit in istum locum,cui uerbo.i.parti orationis.domicilium proprium.i. proprius usus est in officio.s.ut quis dicatur fideliter officio functus, non inseruisse ualetudini multæ migrationes.i.translationes:sup.in alienum.Nā & doctrina,& domus,& ars,& ager potest etiam dici fidelis, ut sit quomodo placet Theophrasto,trāslatio.s.a proprio ad improprium uerecunda.Sed:sup.disputabimus hæc coram.i quando coram erimus.Demetrius uenit ad me.quo quidem comitatu.i. quo comite, ἀφωμίλησα.i.usus sum.tu scis satis,& tu non potuisti (ut scripseras)uidere eum,ipse aderit cras.igitur uidebis:sup.eum.Nam ego cogito.s proficisci hinc perendie.s.peracto crastino die mane.Valetudo tua solicitat me ualde:sed inserui:supple ei,& fac omnia.s.illi conducibilia,& putato te tum esse mecum,tum satisfacere mihi cumulatissime Gratum est mihi:quod dedisti operam Cuspio,ego enim s.te ei operam dedisse ualde causa eius uolo.

SEBAS. CORR. REferam } Alii legunt,referri.{Κανὼν}regula.{Ἄκυρον}non proprium.{Demetrios}libertus.{Ἀφωμίλησα}usus sum. {Cuspio}Episto.VI.lib.XIII.

BERN. RVT. CVi uerbo domicilium est proprium in officio, migrationes in alienum multæ}Non magis assequitur Ciceronis sententiam interpres.quam ii quos refellis. Hoc dicis C. Fidele.i. improprium,proprie dicas autem cuiuspiam officiū. Significat hoc loco officium.i.quod quis efficere debeas,unde sunt Ciceronis de officiis libri.Officium igitur est proprium domicilium uerbi huius Fideliter.Migrat tamen ipsum Fideliter,Fidelisq;, sæpe in alienū domicilium,ager enim domicilium est fertilitatis.agrum enim proprie fertilem dicimus:& tamen huc migrat interdum fidelis, cū scilicet dicimus agrum fidelē.atq; itidē de cæteris. Atqui nimis impudenti translatione dictum est a te,fideliter inseruire ualetudini.

PHIL. MELĀ. Video quid agas} Reprehendit quiddam in epistola Tironis. {Valetudo tua}Hortatio.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Hortatoria est epistola.

TVLLIVS TIRONI S. 18

*Quid igitur? non sic oportet? equidem censeo sic, addendum etiam, suo sed, si placet, inuidia uitetur. quam quidem ego sæpe contempsi. Tibi *διαφόρησιν gaudeo profuisse: si uero etiam Tusculanum, Dii boni, quanto mihi illud erit amabilius. sed, si me amas, quod quidem aut facis, aut perbelle simulas, quod tamen in modum procedit, sed, ut est, indulge ualetudini tuæ: cui quidem tu adhuc, dum mihi deseruis, seruisti non satis. ea quid postulet, nõ ignoras, πέψιν, *ἀλυπίαν, περίπατον σύμμετρον, τέρψιν, εὐλυσίαν κοιλίας. fac bellus reuertare: nõ modo te, sed etiam Tusculanum nostrum plus amem, Parthedrum excita, ut hortum ipse conducat: sic holitorem ipsum *commouebis. Heluo nequissimus HSCIↃ dabat nullo aprico horto, nullo emissario, nulla maceria, nulla casa. iste nos tanta impensa derideat? calface hominẽ ut ego M. Othonẽ: itaque abutor coronis. De Crabra quid agatur, etsi nunc quidem etiam nimium est aquæ, tamen uelim scire. Horologium mittam, & libros, si erit sudum. sed tu nullos ne tecum libellos? an pangis aliquid Sophocleum? fac opus appareat. A. Ligurius Cæsaris familiaris mortuus est, bonus homo, & nobis amicus: Te quando expectemus, fac ut sciam. Cura te diligenter. Vale.*

*i. gestationem.

*al. ἀκοπίαν.

*i. concoctionem, hilaritatẽ, ambulationẽ modicã, oblectationẽ, facilitatem alui.

*al. cõmouebis Helico.

ASCENSIVS.

Quid igitur. Ridet opinionem Tironis de quadam forma loquendi. adhortans rursus eum ad curam ualetudinis, ac dicens: Quid igitur: suppleas? Non oportet .s. scribere, aut loqui sic. s. ut locutus sum? Equidem. i. ego quidem. censeo: sup. loquendum esse, addendum: sup. esse etiam suo. i. illud pronomen. quod Tiro, negarat. sed si placet inuidia. i. offensa aliorum uitetur quã. s. inuidiam. ego quidem contempsi. i. uilipendi sæpe. gaudeo διαφόρησιν. i. declamationem profuisse tibi. i. sospitati tuæ: Si uero etiam Tusculanum, sup. nostrum profuerit tibi, Dii boni quãti illud. s. te ea Tusculano nostro cõualescere erit mihi amabilius. Sed si amas me, quod quidem, aut facis, aut simulas perbelle. quod, scilicet simulare, procedit in modum. i. ualde prospere, sed ut. i. qualitercunq; est. indulge. i. usque ad indulgentiam da operam ualetudini tuæ, cui tu quidem adhuc. i. hactenus, dum deseruis mihi, non seruuisti satis. tu non, ignoras quæ ea s. ualetudo postulet, postulat enim πέψιν. i. digestionẽ, ἀλυπίαν, idest carentiam tristitiæ, περίπατον. i. deambulationem, σύμμετρον, idest moderatam, & commensuratam. τέρψιν, idest delectationem εὐλυσίαν i. bonam euacuationem κοιλίας, idest uẽtris, aut alui. Fac: supple ut reuertare bellus. i. bellule te habens, quia plus amem non modo te, sed etiam Tusculanum nostrum, in quo. s. conualueris. Excita parhedrum. i. assessorem, & proximum, ut ipse conducat hortum. in commouebis sic holitorem, qui non uult iusto pretio conducere. Pharedrus ille heluo. i. gulosus, aut potius Elico idest inuersor rerum. nequissimus. i. perditissimus. dabat ducenta sestertia, & nullo horto aprico. i. soli exposito: sup. habito. nullo. i. non emissario. s. alicuius rei, aut dicamus patronos interdum cum possessionibus locare boues aratorios, & emissarios equos. i. ad generationem aptos, licet reclamant commentarii. nulla maceria. i. clausura firma nulla casa. i. tugurio. Ne is derideat nos tanta impẽsa. s. in uillam collata. calface. i. commoue usque ad calorem hominem: ut ego: sup. calfacio Mothonem uirum illum. Itaq; abutor coronis quæ uirtuti, non cauillationi debentur Etsi nunc quidem nimium aquæ. s. pluuialis est, tamen uelim scire quid agatur de Crabra. s. lixa. Ego mittam horologium & libros si erit sudum. i. serenũ tempus. Sed tu nullosne sup. apportasti libellos tecum, an pangis aliquid Sophocleum. i. alti cothurni, fac sup. ut opus appareat. A. Ligurius familiaris Cæsaris mortuus est, homo bonus, & amicus nobis. Fac ut sciã quando expectemus te. Cura diligenter te: sup. & Vale.

Ex post eiusdem.

Tibi (διαφόρησιν gaudeo profuisse) Hæc est uetus & syncera lectio {Tibi διαφόρησιν} &c. Quid sit διαφόρησις, docet Galenus lib. XIIII. Therapeutices, ca. de Iecoris Inflammatione, his uerbis πυκνοῦ γὰρ ὄντος μὲν ἀπὸ τῆς φλεγμονῆς ἐν διαθέσει τῶν ποιητέων ἐστὶ μία, καλοῦσι δ᾽ αὐτὴν διαφόρησιν ἰατρικῶν λόγῳ θεραπεύσιν τὴν οὐ τῇ φλεγμαινούσῃ μορίῳ χυμῶν. Latini digestionem aut euaporationem dixerunt. huiuscemodi res non meum est hic longius declarare: sunt enim medicorum uocabula, & ad eorũ artem pertinet ea accuratius explicare. satis mihi fuit priscam lectionem notam facere, & quam ea huic loco conueniat, ostendere. (Ἀλυπίαν) Nos emendauimus ἀκοπίαν. adiuti ab antiquis exẽplaribus: quid enim ἀλυπία potest ad bonam ualetudinem? quæ uacuitas est doloris. nam quod sanitatem adiuuat lætitia animi delectatioq;, paulo post addit, τέρψιν dicendo. ἀκοπία autem, idest uitatio immodicarum defatigationum, necessaria est ei qui sanitatẽ tueri uult, κόποι enim, idest nimiæ defatigationes, febrim gignũt: ut recte ἀκοπίαν posuerit inter ea quæ bonam ualetudinem conseruãt. Simpl. in Cõmentariis in Physica Aristolelis: τῷ γὰρ ἰσχύειν χαίρει γυμναζομένῳ πλείω καὶ διὰ κόπον πυρέξαντι ἀπροαίρετον μετὰ τὸ πυρέξαι οὐκ ἀπὸ τύχης μέντοι, εἴπερ γὰρ ἐπὶ τοῦ πλείστου τῶν ἀσυμμέτρων γυμνασίων κόπος ἐπιγίνεται ἐπὶ δὲ τούτῳ πυρετός. sed tam frequens est hoc uerbum apud medicos & alios etiam bonos authores, ut nihil notius sit. Remedia etiam quædam medici quæ defatigationes has ea nimiis laboribus ortas leuent, ἄκοπα appellant.

VICTORIVS.

Helico nequissimus) Sic omnes quos uidi manuscripti, Mediceus in primis, impressi .n. {Helluo} Ex uetere scriptura libẽter legerem {Salaco} nequissimus: qua Græca uoce usus est in epistolis ad Gallum, Cognosti meam causam, & istius Salaconis iniquitatem, & in epistolis ad Atti. Declaratio huius uocis qua naturam ipsius Græci interpretantur, mire quadrat huic sententiæ Ciceronis: ait enim Salaconas dici, θρυπτομένους, qui delicate uiuunt καὶ μὴ δεῖ δαπανῶντας. & qui sumptum faciunt, ubi minime oportet. Cicero .n. inquit, HS. CIↃ dabat nullo aprico loco, nullo emissario, nulla maceria, nulla casa: grandem igitur pecuniam pendebat, ubi non decebat, & in rebus quæ nihil haberent commoditatis, aut oblectationis. Arist. lib. II. Rhet. ubi de morib. diuitum disserit, & in quibus fere peccent, ostendit, inquit: τρυφεροὶ δὲ καὶ σαλάκωνες quo etiam in loco aperit, cur illi his uitiis obnoxii sint. Mire igitur exprimit Græca uox huiuscemodi ingeniũ quale in eo quem acerbe accusat, Cic describit. S, aũt ultima erat litera antecedentis dictionis quæ cum geminata esse deberet (cõsequens .n. nos ab eadẽ litera incipiebat) negligentia librarii relicta est. maculæ plurimæ huiuscemodi sunt. Par huic, est & eodẽ pacto conformata, quæ fœdauit locum Taciti in primo libro, ea autem tãti incommodi fuit, ut persuaserit docto, & diligenti uiro locũ illũ stellula, ut desperatum notari. sic autẽ legendus totus est: Atq; idẽ cũ Valerius Messalinus signũ aureõ in æde Martis ultoris, Cæcinna Seuerus aram ultioni statuendam censuissent, prohibuit: ob externas eas uictorias sacrari dictitans, domestica mala tristitia operienda. Potuit ẽt hæc in Cicerone peruersio nasci, quod superioribus temporibus mala quædã cõsuetudo erat libros corrigendi: nõ pauci .n. fuerunt, neq; hi omnino imperiti, nec parũ in hoc munere iactati homines, qui cuncta quæ statim nõ intelligebant, tollerent: a quibus multæ, quæ nunc in bonis authoribus maculæ sunt, fluxerunt. Ostẽdimus alias non pauca in Lucretio quodam ab eo, qui corrigere uoluit, deprauata fuisse. idem ẽt de Catullo dicimus. cũ .n. ille uetustate ea maiore parte dilapsus esset, nõ pauca præterea uulnera ab his sinistris correctoribus accepit. De una ipsius plaga nunc mentionem faciã, quæ ab eo imposita est, qui rariorem uocẽ ignorabat, & malo consilio usus eã deleuit, ac cõmunẽ peruulgatamq; reposuit: illũ aũt nomine ẽt appellare possem, quod tamen non faciam, parcamq; dignitati hominis. Versiculi Catulli sunt in Carmine de Ati.

> Ait hæc minax Cybele: religatq; iuga manu.
> Ferus se ipse ad hortatus rapidum incitat animum.

Non solũ aũt manuscripti codices, sed nõnulli ẽt formis excusi primis illis annis, quibus hæc ratio scribẽdi libros inuẽta est, habent. Ferus sese adhortatus lis, rapidum incitat animũ, quæ uera, ac germana lectio est {Lis} aũt Græcis leo, quod qui ignorant, parum in lectione Græcorum poetarum uersati sunt qui ea uoce frequenter utuntur. Theocritus certe in Idillio, quem appellauit Hylam, ter ipsa usus est. Libenter autem usurpare poetas peregrina uerba, & ea etiam ratione solere fabulas suas ornare. Hanc quondam, cum Romæ essem, castigationem ea posui Francisco Mario Molsæ maximi ingenii, ac eruditionis uiro, ut eius iudicio potissimum uterer in eo poeta expurgando, quem ille plurimum amat, ac politissimis suis uersibus diuinitus exprimit. De crabra quid agatur) In oratione contra Rullum: Ego Tusculanis pro aqua crabra uectigal pendam, quia a municipio fundum accepi: Si a Sylla mihi datus esset Rulli lege non penderem. Quãuis in impressis mendose {Crebra} Frontinus quoq; sæpe huius aquæ mentionem facit.

Ex post eiusdem

Helluo nequissimus sestertia ducenta dabat & cæt.) Vetusti libri sic habent {Helico nequissimus HS ∞ dabat} Nostet tamen hic pro nota qua ueteres mille significabant. M.

habet, cum nondum typi illi, qui a nobis renouati sunt, fabricati essent: aliis autem locis semper ubi M. habebant uulgati codices, in cunctis priscis exemplaribus a nobis inuentam notam reposuimus: neq; solum in his uidimus epistolarum antiquis libris hoc semper seruatum esse, sed etiam in Liuianis quibusdam uetustissimis exemplaribus quæ in Diui Marci bibliotheca seruátur: quod idem & M. Varronis in eadem bibliotheca miræ antiquitatis codex retinet, & Columellæ non negligenter scriptus a Nicolao Nicolo liber, quem olim Politianus uiderat & laudat. Sed quid opus est hæc tam accurate uel ambitiose potius testimonia colligere? nullos unquam uidi antiquiores codices, qui non semper loco mil lenarii numeri hanc notam retinerent. Non debuimus igitur licet omissam, & obsoletam rem contemnere: cum nostrum totum studium fuerit ad priscam & genuinam scripturam hos libros reducere. nec enim castigare, aut emendare receptos Ciceronis codices uoluimus: sed ope priscorum exemplariorum importunas, & ineptas quorundam audaciorum castigationes eiicere, & delere: secuti consilium Timonis Phliasii, qui Diogene Laertio authore, ab Arato interrogatus quomodo syncerum, & integrũ Homeri poema sibi parare posset, respondisse fertur, si antiqua eius exemplaria sibi proposuisset, non quæ ab aliquo castigata iam essent. Censuit ille optimi iudicii uir, quo magis tractati essent, & castigati ab antiquis authores, eo magis contaminatos, inquinatosq; esse: nam tum enim uigebat hæc pestis, quæ nostris tẽporibus adeo peruagata est, ut omnes meliores libros fœdis maculis deturpatos habeamus. Eandem igitur notam renouauimus, ut quantum a nobis fieri potuit, uetustatem illam, & integritatem, quam summo nostro labore deprehendimus, exprimeremus. Quomodo autẽ hæc nota conflata fuit, quia scimus eruditos quosdam uiros in hoc multum laborasse, nec tamen rem, ut erat, inuenire potuisse, ex Prisciano docebimus, qui in libello de ponderibus & mensuris id aperit, his uerbis, Mille secundum Atticos per χ literam, sed ut sit differentia, ad X circumscriptis lateribus (X) quod infra etiam tangis. Quam simile autẽ haberent Latini suum X (qua litera decem significant) χ Græcæ literæ, declaratur maxime, quia id quod Græci χιάζειν ab hac litera formato uerbo appellant, id ipsi a sua itidem litera Decussare dicunt. Licet igitur hac ætate omnes mille numerum prima eius nominis litera describant, cum tamen antiquos potius hac nota usos & antiqua omnia exemplaria, & non contemnendus Grammaticus doceant. non debuimus eorum libros aliter, quam ipsis uisum fit describere nam qui in suis libris morem usumq; nostri temporis potius sequerentur, nunquam a nobis reprehenderentur. quemadmodum nos culpa digni non sumus, si antiquos authores antiqua consuetudine, & quæ usque ad hæc fere tẽpora durauit, scribimus. nam in multis etiam non ita antiquis iisdem notis hi numeri designati sunt. modestiores enim librarii tunc erant, & non omnia, quæ aliquem scrupulum habebant, reiiciebant, quod posteriores nimis audacter fecerunt. Quod autem olim hanc notam non perciperent, intemperanter temereq; aliquis pro ipsa, docta scripsit: quod erratum in omnes codices ionasit.

SEBAS. CORR. Non si oportet?} Inscribere tam familiariter meas literas ad te? {Equidem censeo sic} inscribi oportere } Addendum ẽt, suo} ut inscribam, Tironi suo. {Inuidia} quæ tibi ex ea re fortasse apud reliquos familiares nasci uidetur. {διαφθορὰν} digestionem: alii migrationem interpretantur: scilicet ex urbe in Tusculanum. Alii legunt, διαφώνησιν, declamationem, quæ etiam stomacho pdest. πέψιν, ἀλυπίαν, περίπατον σύμμετρον, τρῖψιν, εὐλυσίαν κοιλίας. concoctionem, hilaritatem, ambulationem modicam, oblectationem, facilitatem alui. Secundo loco quidã legunt non ἀλυπίαν, sed ἀπονίαν, quietem quandam a magnis laboribus. {Vt hortum} eo tempore hortos quosdam Cicero emere cupiebat ut in epistolis ad Atticum sæpe scribis. {Heluo} Al. Helico. Al. Ellico. {Mothonem} His temporibus hortos ab Othone empturus erat Cicero, ut, nisi uelimus hunc significari, & M. Othonem legamus, nesciam prorsus, quid sit hominis {De Crabra} de qua in oratione ultima contra Rullum sic scribit: Ego Tusculanis pro aqua Crabra uectigal pendam: sed plura Frontinus.

BERN. RVT. Quid igitur? non sic oportet? equidem censeo, sic addendũ, etiam suo) Perperam clausulæ sensus ab interprete percepitur, sic enim accipiendum. Cum Cicero familiari & communi inscriptione in literis ad Tironem uteretur, nec se patronum, nec illum libertum adscribens, uerecunde questum cum eo Tironem, ut cui uideretur iniuria fieri a patrono: Nõ modo (inquit igitur Cicero) ita inscribendum est, sed addendum etiam, suo: ut sit, Tironi suo. Martialis de chartis epistolaribus: Seu leuiter noto, seu charo missa sodali.

Omnes ista solet charta uocare suos.

{Nullo emissario} Vide ne emissarium intelligat riuum canalemq;, qui ex puteo aut aliunde emissa aqua in hortum influat. Columella de horto: Locum autem, inquit, prius eligi conueniet si permittis agri situs, iuxta uillam præcipue pinguem, quiq; adueniente riuo, uel si nõ sit fluens aqua, fonte puteali possit irrigari. (Itaq; abutor coronis) Quamuis obscurum sibi ipse fateatur interpres, tu tamẽ uide num hoc dicat: uel se ipsum gestare coronas, uel aliis præbere, eatq; ex suo horto esse fingere: ut gratiam horto pẽsionemq; hoc mendacio compararet, ut poma, Ouidius in arte amandi. Sunt quibus uideatur legendum, abutor coronide crebra. (A ligurius Cæsaris familiaris mortuus est) Proprium est nomen, non gentile, ut putauit interpres. illum opinor, quem significat libro. II. ad Atticum, & familiarem Cæsaris, & suum amicũ: Hic Ligurius, inquit, fuerat: se enim scire, summo illum in odio fuisse Cæsari. Illum tamẽ non modo fuisse, sed & tantam pecuniam illi dedisse honoris mei causa. ut uel ibi A ligurius: uel A. Ligurius utrobiq; uel hic quoq; Ligurius, scribendum fuerit.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Mandatoria est.

TVLLIVS TIRONI S. 19

E Xpecto tuas literas de multis rebus, te ipsum multo magis. Demetrium redde nostrũ, & aliud siquid potes boni. De aufidiano nomine nihil et hortor: scio tibi curæ esse: sed confice. et, si ob eam rem moraris, accipio causam: si te id non tenet, aduola. Literas tuas ualde expecto. Vale

ASCENSIVS. EXpecto &c. Hæc epistola est ualde facilis, ideo non indiget explanatione. Nomine. i. debito Aufidiano.

HVBERTI. Expecto) Hortatur Cice. Tironem, ut ad se scribat, sed multo magis ipse ueniat, nisi forte detinetur causa Aufidii. {Redde.} restitue fac ad nos reuertatur. {Nomine} debito (Vt sæpius diximus) quantum enim conjicimus debebat hic Aufidius Cic. {Confice} perfice ut exigas quod debet {Ob eam rem} ut cõficias cum Aufidio. {Moraris} differs tuum ad nos aduentum. {Causam} Excusationem tuæ moræ. {Id} hæc res, ut cõficias cum Aufidio. {Aduola} celeriter ueni.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Hæc partim hortatoria est, partim mandatoria.

TVLLIVS TIRONI S. 20

S Olicitat, ita uiuam, me tua mi Tiro ualetudo: sed confido, si diligẽtiam, quam instituisti, adhibueris, cito te firmum fore. libros compone cum Metrodoro lubebit, quando eius arbitratu uiuendum est. Cum holitore, ut uidetur. Tu potes Calend. spectare gladiatores, postridie redire: & ita censeo. uerum, ut uidebitur. Cura te, si me amas, diligenter. Vale.*

*al. indicem uidelicet.

ASCENSIVS. SOlicitat &c Hæc epistola est similis superiori, plana & facilis Holitore. i. conductore hortorũ. Gladiatores. i. ludos gladiatorios &c.

HVBERTI. Solicitat } Affirmat Cice. se ualde angi ualetudine Tironis. Deinde ei multa mandata breuiter dat. {Ita uiuam,} idest ita mihi uiuere contingat: ita deus det mihi uitam, iusiurantis est {Instituisti,} cœpisti {Compone} Collige, simul pone, non autem intelligendum est compone. fac ex ingenio tuo. {Videlicet} certe. {Cum} quando. {Metrodoro} puto esse nomen medici, ut dicat. Collige, & para libros tuos cum placuerit medico, ut ueniat. {Quando} quoniam. {Arbitratu} eius. i. iudicio eius, & uoluntate, quia ægroti medicorum arbitratu uiuere debent. {Cum holitore} qui est conducturus hortum: subaudi fac. de quo holitore supra uisum est in epistola, quæ incipit: Quid igitur. {Spectare} in urbe. {Gladiatores} ludos gladiatorios. {Vt uidebitur}, scilicet facito.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Varia Tironi scribit Cicero filius.

CICERO F. TIRONI SVO DVLCISS. S. D. 21

CVm uehementer tabellarios expectarem quotidie, aliquando uenerunt post diem XL. & VI. quàm à nobis discesserant, quorum mihi fuit aduentus optatissimus: nam cũ maximam cepissem lætitiam ex humanissimi, & charissimi patris epistola: tum uero iucundissimæ tuæ literæ cumulum mihi gaudii attulerunt. itaque me iam non pœnitebat, inter capedinem scribẽdi fecisse. sed potius lætabar: fructum enim magnum humanitatis tuæ capiebam ex silentio mearum literarum. uehementer igitur gaudeo te meam sine dubitatione accepisse excusationem. Gratos tibi, optatosq; esse, qui de me rumores afferuntur, non dubito mi dulcissime Tiro: præstaboq;, & enitar, ut in dies magis, magisq; hæc nascens de me duplicetur opinio. quare quod polliceris te buccinatorem fore existimationis meæ, firmo id, constantiq; animo facias licet. tantum enim mihi dolorem, cruciatumq; attulerunt errata ætatis meæ, ut non solum animus à factis, sed aures quoque à commemoratione abhorreant. cuius te solicitudinis, & doloris participem fuisse, notum, exploratumq; est mihi: nec id mirum: nã cum omnia mea causa uelles mihi successa: cum etiam tua, socium enim te meorum commodorum semper esse uolui. quando igitur tum ex me doluisti, nunc ut duplicetur tuum ex me gaudium, præstabo. Cratippo me scito non ut discipulum, sed ut filium esse coniunctissimum: nam cum audio illum libenter, tum etiam eius propriam suauitatem uehementer amplector. sum totos dies cum eo, noctisq; sæpenumero partem: exoro enim, at mecum quam sæpissime cœnet. hac introducta consuetudine, sæpe inscientibus nobis, & cœnantibus obrepit, sublataq; seueritate philosophiæ, humanissime nobiscum iocatur. quare da operam, ut hunc talem, tam iucundum, tam excellentem uirum uideas quamprimum. nam quid ego de Bruto dicam? quem nullo tempore à me patior discedere: cuius cum frugi, seueraq; est uita, tum etiam iucundissima coniunctio: non est enim seiunctus* iocus a philologia, & quotidiana* συζητήσει. huic ego locum in proximo conduxi, & ut possum, ex meis angustiis illius sustento tenuitatem. præterea declamitare græce apud Cassium institui: latine autem apud Brutum exerceri uolo. utor familiaribus, & quotidianis conuictoribus, quos secum Mitylenis Cratippus adduxit, hominibus & doctis & illis probatissimis. multum etiam mecum est Epicrates princeps Atheniensium, & Leonides, & horũ cæteri similes* τὰ μὲν οὖν καθ' ἡμᾶς, τάδε. De Gorgia autem quod mihi scribis, erat quidem ille in quotidiana declamatione utilis, sed omnia postposui, dummodo præceptis patris parerem* διαῤῥήδην enim scripserat, ut eum dimitterem statim. tergiuersari nolui, ne mea nimia* σπουδὴ suspicionem ei aliquam importaret deinde illud etiam mihi succurrebat, graue esse, me de iudicio patris iudicare. tuum tamen studium, & consilium gratum, acceptumq; est mihi. Excusationem angustiarum tui temporis accipio. scio enim quàm soleas esse occupatus. Emisse te prædium, uehementer gaudeo: feliciterq; tibi rem istam euenire cupio. hoc loco me tibi gratulari, noli mirari: eodem enim ferè loco tu quoque, emisse te, fecisti me certiorem. habes, ubi deponendæ tibi sint urbanitates. rusticus Romanus* factus est. cum ego mihi nunc ante oculos tuum iucundissimum conspectum propono, uideor uidere ementem te rusticas res, cum uilico loquentem, in lacinia seruantem ex mensa secunda semina. sed quod ad rem pertinet, me tum tibi defuisse, æque, ac tu, doleo. sed noli dubitare mi Tiro, quin te subleuaturus sim, si modo fortuna me: præsertim cum sciam communem nobis emptum esse istum fundum. De mandatis quod tibi curæ fuit, est mihi gratum. sed peto à te ut quam celerrime mihi librarius mittatur, maxime quidem Græcus: multum enim mihi eripitur operæ in exscribendis hypõnematis. Tu uelim in primis cures, ut ualeas, ut unà* συμφιλολογεῖν possimus. Antherum tibi commendo. Vale.

*.i. philosophia de literis dissertatio
*.i. mutua tractatio studiorũ.
*.i. mutua questione: ac disputatiõe
*.i. quæ ad nos quidẽ spectant, hæc sunt.
*.i. aperte.
*.i. contẽtio.
*al. factus es. quomodo ego.
*.i. unà disputare de literis.

ASCENSIVS.

CVm & cætera Cicero filius a patre Athenis missus, ut sub Cratippo philosopharetur, qui mores paulum emendasse dicebatur: nam ebrietati deditus antea fuerat: unde scripserat ad eum Tiro se gratulari famæ de eo sparsæ, & hortari ut pergat, quibus respondens dicit se eius consilio pariturum & alia quæ ad studia pertineant declarat, dicens: Cum expectarem uehementer quotidie tabellarios, idest tabellorum, seu literarum gerulos, ipsi uenerunt aliquando, idest tandem post diem quadragesimum & sextum, q̃ discesserant a nobis quia miserat eos. aut lege a uobis. quorum aduentus fuit mihi optatissimus. nam cum cepissem, idest accepissem. maximam lætitiam ex epistola humanissimi, & charissimi patris supple mei M. Tulli, tum uero, idest tum multo magis, quasi ad cetum, literæ tuæ iucundissimæ attulerunt mihi cumulum gaudii. Itaque non pœnitebat iam me fecisse intercapedinem, idest intermissionem scribendi, sed lætabar potius Ego enim capiebam magnum fructum, idest magnam utilitatem ex silentio, idest intermissione literarum mearum. Igitur ut nunc respondeam, ego gaudeo uehementer te accepisse, idest approbasse meam excusationem sine dubitatione o mi Tiro dulcissime, ego non dubito rumores qui afferuntur de me idest de moribus meis emendatis, esse tibi gratos, & optatos præstaboq;, idest efficiam, & nitar, ut hæc opinio nascens de me duplicetur in dies magis, magisq;. Quare quod polliceris te fore, idest futurum buccinatorem, idest præconem ingentem, & diuulgatorem, existimationis, idest famæ & reputationis meæ. licet, idest licitum est, & tutum, ut facias id animo firmo, & constanti Enim, idest quia errata ætatis meæ, scilicet transactæ (quia uinosus semper fuit, & uecors) attulerunt mihi tantum, idest tam magnum dolorem & cruciatum ut non solum animus abhorreat, idest alienus sit, & abominaretur a factis, sed aures quoque, idest etiam, abhorreant a commemoratione, idest recitatione, scilicet ætatis ante actæ. Cuius solicitudinis, & doloris notum, & exploratum est mihi te fuisse participem. Nec id mirum supple est. Nam cum, scilicet ita esset, quod uelles causa mea, idest propter bonum meum omnia successa, idest prospere euenisse mihi, cum etiã, supple uolebas causa tua, idest propter utilitatem tuam. Volui enim semper te esse socium cõmodorum meorum. Igitur q̃, idest quia. tu doluisti tum, idest tunc. cum perditus essem ex me, idest propter me. ego præstabo, idest efficiam ut gaudium tuum duplicetur ex me. Scito me esse coniunctissimum Cratippo, scilicet philosopho, de quo in principio officiorum meminit Cicero, non ut discipulum, sed ut filium. Nam cũ scilicet ita sit, quod est audio libenter illum, tum etiam amplector uehementer eius suauitatem. Ego sum totos dies cum eo, & sæpenumero partem noctis. Exoro enim idest impetro precibus ut cœnet quam sæpissime mecum. Hac consuetudine introducta idest postquam, ista consuetudo est introducta. ipse obrepit idest clanculum interuenit nobis inscientibus, & cœnantibus, & iocatur idest confabulatur nobiscum humanissime, seueritate philosophiæ sublata. Quare da operam, ut uideas quamprimum. idest statim, hunc talem uirum: scilicet Cratippum, tam iucundum: scilicet in re familiari, & tam excellentem in philosophia. Nam quid ego dicam de Bruto: scilicet Marco Stoicæ sectæ studioso, quem nullo tempore patior discedere a me. Cuius cum: scilicet ita sit: quod uita est frugi idest parca, & utilitati seruiens, & seuera: idest rigida in sequendo uero, & iusto. tum coniunctio est etiam iucundissima. Enim: idest quia. locus: scilicet noster. non est seiunctus: idest separatus a philologia: idest amore studii, uel sermonis. et συζητήσει idest coinquisitione quotidiana: scilicet ueri. quasi dicat non est scurrilis, aut dissolutus iocus nobis. Ego conduxi huic scilicet Bruto locũ: scilicet habitationis, in proximo, & sustento tenuitatem idest paupertatem illius scilicet Bruti, ex angustiis scilicet modicis rebus meis, ut possum Præterea ego institui, idest incepi, aut proposui declamitare: id est frequenter declamare: hoc est in

thebmate fictio,& causa non uera,me in oratoris exercere,apud Cassium etiam ciuem Roma.uolo autem exercere latine: idest in lingua latina apud Brutum.Ego utor conuictoribus: idest sodalibus, & commensalibus quotidianis,& familiaribus,sup.iis,quos Cratippus adduxit secum Mitylenis, idest cum rediret ex ea urbe in Lesbo nobili: ppositione hominibus, & doctis, & probatissimis: idest maxime approbatis,& commendatis illi: scilicet Cratippo. Epicrates princeps Atheniensium est etiam multum mecum, & Leonides,& cæteri similes horum.i.uiri apprime nobiles ,& spectatis moribus. τὰ,idest hæc μὲν,idest quidem: κατ᾽,idest secundū. ἡμᾶς,idest nos:idest de nobis supple dicta sint.De Gorgia autem, quod scribis mihi,erat quidem ille utilis in quotidiana declamatione,scilicet facienda,quia egregius est rhetor. sed postposui: supple eum dummodo parerem præceptis patris,enim: idest quia. pater scripserat διαρρήδην: idest .palam. seu sperte,ut dimitterem eum statim. nolui tergiuersari: idest dissimulanter agere, & ad tempus illudere causam: hoc est mandatum patris. ne σπουδὴ: idest studium importaret ei: scilicet patri aliquam suspicionem: & diligentia mea nimia:scilicet in Gorgiam,aut eius professionem scilicet leuitatis.Deinde illud etiam succurrebat:idest in mentem ueniebat,mihi graue esse me iudicare de iudicio patris.tamen studium,& iudicium tuum est mihi gratum,& acceptum. uidetur cōsuluisse ut Gorgiam audiret. Accipio: idest probo excusationem angustiarum tui temporis:scilicet ad scribendum.Scio enim quam idest quantum.soleas esse occupatus. Gaudeo uehementer te emisse prædium:idest possessionem in agro.& cupio istam rem: idest hanc emptionem euenire tibi feliciter. Noli mirari me gratulari tibi,hoc loco:idest in hac re,tu enim fecisti me certiorem: idest significasti emisse te,idest quod emeris , teipsum eodem fere loco, quasi dicat uitam tibi nouam,aut longiorem emisti emendo prædium illud.Tu enim habes ubi urbanitates:scilicet tuæ sint deponendæ:idest ad tempus exuendæ,ut indulgentius uiuas. Tu Romanus factus es rusticus.Cum ego præpono nunc mihi ante oculos conspectum tuum iucundissimum, uideor uidere te ementem res rusticas,& loquentem cum uillico:idest custode uillæ.seruantem in lacinia,idest ueste laxa,& linea more rusticano.semina: idest reliquias ex secunda mensa,quæ pomorum erat : unde semina forte ad sationem seruabant.sed quod pertinet ad rem : ego doleo æque:idest æqualiter,ac tu,me defuisse tum : scilicet cum emeres tibi: supple o mi Tiro noli dubitare,quin sim subleuaturus te:scilicet ab onere æris alieni,si modo fortuna me,supple subleuarit, aut conseruarit:præsertim cum sciam istum fundum esse emptum communem nobis:idest ut tecum illic diuersarer.Quod fuit tibi curæ de mandatis,scilicet obeundis,est gratum mihi.Sed peto ut librarius,idest scriptor librorum,mittatur mihi quam celerrime: quidem:idest certe,maxime Græcus,multum enim operæ.idest laboris philosophiæ impendendæ, eripitur mihi in hypomnematis, idest commentariis,seu dictatis exscribendis. Tu uelim cures in primis ut ualeas,ut possimus συμφιλολογεῖν,idest commētari, una idest pariter.ego commendo tibi Antherum,scilicet (ut opinor) tabellarium.

VICTORIVS. CVm uillico loquentem) quod in priscis aliis monimentis adnotaui,in Mediceo hic obseruatum est,{Vilico} scribi cō suetudinem fuisse per unum l,tantum,quod quanuis omnino non magni momenti sit,tamen quia admirabile est,cum a uilla deducatur,præterire nolui, Libri M.Varronis de Re rustica pleni sunt huius nominis,nusquam autem non sic scriptum in peranti quo illo,qui est in diui Marci bibliotheca, inueni. In Pandectis Florentinis quoties hoc nomen est,toties ita scriptum, est.Romæ etiam ueteri in lapide ita scriptum est {Docimo uilico} Rei paruæ doctissimum,& optimum uirum testem dabimus , Ludouicum Fabrum Fanensem,qui cum hoc adnotaui præsens aderat : utebar enim iudicio illius summe officiosi hominis,in huiuscemodi rebus quarum ille peritissimus est,perscrutandis.Sed aiunt etiam Capuæ in sacello Diui Benedicti hanc inscriptionem inueniri.

EVTYCHVS VILICVS A. PLVMBO EVAGOGVS. A. ILAM.
FECERVNT SIBI ET SVIS.

SEBAS. CORR. CRatippo) Epist. XVI lib.XII.{Cœnantibus} Al.iocantibus{De Bruto} De.M Bruto,qui interfecto Cæs.se Athenas contulit,& paulo post secum in Macedoniam ipsum Cice Ciceronis F.duxit.epistola.XIIII lib.XII.{συζητήσει}mutua quæstione,disputatione.{Cassium}C Cassium, qui & ipse illo uenerat.{Τὰ μὲν οὖν καθ᾽ ἡμᾶς,τάδε } quæ quidem igitur ad nos, hæc {De Gorgia} Leontino , cuius libros hic Cice.filius legebat: uel Gorgia rhetore aliquo,qui tunc uiueret.{Διαρρήδην}aperte. {Mea nimia} Al mei animi.{σπουδὴ}diligentia,studium{Hoc loco}Epistolæ {Cum ego mihi,&c.} Al. quo modo ego mihi nunc ante oculos tuum iucundissimum conspectum propono ? uideor enim uidere,&c.{In lacinia}in uestis sinu.{Ex secunda mensa , ex pomis.{Semina} quæ postea in tuo fundo feras. { Fortunæ me: præsertim} Al, fortuna me iuuerit, præsertim.{ Hypomnematis} ὑπόμνημα,commentarium,& recordatio quædam dicitur.{συμφιλολογεῖν}simul disserere.

BERN. RVT. NOn est enim seiunctus locus a philologia) locus, probo. {Hoc loco me tibi gratulari , noli mirari, eodem enim fere loco tu quoque emisse te fecisti me certiorem habes,& cætera.}hoc loco,est,hac parte epistolæ meæ : cum gratulationibus tribuere primas fere epistolarum partes soleamus. quicquid interpres ougetur.Cicero ipse ad Curionem initio epistolæ: Sera gratulatio reprehendi non solet ad Cælium : Primum tibi,ut debeo, gratulor.Cælius ad Ciceronem;Gratulor tibi affinitate uiri medius fidius optimi.Cicero ad Appium.Gratulor tibi primum.sic enim ordo rerum postulat,deinde ad me conuertar.Et ad Balbum;Gratulor tibi mi Balbe,uereq; gratulor.

PHIL. MELE. Cum uehementer) Varia in hac epistola narrat, & exponit Tironi Cice.filius.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Præter ualetudinis curationem, mandat quædam Tironi.

TVLLIVS TIRONI SVO S: 22

SPero ex tuis literis tibi melius esse, cupio quidem certe.cui quidem rei, omni ratione cura ut inseruias:& caue suspiceris contra uoluntatem meam te facere,quòd non sis mecum. mecum es,si te curas.quare malo, te ualetudini tuæ seruire, quàm meis oculis,& auribus: etsi enim & audio te,& uideo libenter, tamen hoc multo erit,si ualebis,iucundius.Ego hic cesso, quia ipse nihil scribo,lego autem libentissime.tu istic,siquid librarii mea manu non intelligent,monstrabis.una omnino interpositio difficilior est, quam ne ipse quidem facile legere soleo,de quadrimo Catone. De triclinio cura,ut facis.Tertia aderit,modo ne Publius rogatus sit. Demetrius iste nunquam omnino Phalereus fuit : sed nunc planè Bilienus est.Itaque tēdo uicarium.tu eum obseruabis. Etsi, Verumtamen. De illis:nosti cætera.sed tamen si quem cum eo sermonem habueris,scribes ad me,ut mihi nascatur epistolæ argumentum,& ,ut tuas quàm longissimas literas legam. Cura mi Tiro, ut ualeas.hoc mihi gratius facere nihil potes. Vale.

ASCENSIVS. SPero & cætera. Hortatus rursus ut ualetudinem curet, dicens:Spero,idest spē capio ex literis tuis,melius esse ubi.certe:idest haud dubie cupio.cui rei, scilicet ut melius tibi sit,cura,uerbum est:ut inseruias & caue : supple ut,aut ne suspiceris te facere contra uoluntatem meam,quod non sis mecum : tu es mecum si curas te , idest sanitatem tuam.Quare malo te seruire ualetudini tuæ,quam oculis & auribus meis Enim:idest quia & si & audio,& uideo te libenter: tamen si ualebis,hoc erit mihi multo iucundius Ego cesso,idest uacuus sum labore,quia ipse nihil scribo,lego autem libentissime. Si librarii,idest librorum transcriptores quid:idest aliquid, sup. scriptum mea manu non intelligent:idest nescient legere.tu monstrabis istic:scilicet ubi es,una omnino interpositio,scilicet clausulæ, aut paciis prius omissæ est difficilior omnino, scilicet quam ut legatur ab eis,quam ne quidem:ipse: idest non etiam egomet soleo legere facile:interpositio est,de quadrimo Catone.Cura de Triclinio,scilicet parando ut facis.Tertia propriom est,sed nescias uiri, an mulieris aderit,modo Publius eius inimicus non sit rogatus, scilicet ad conuiuium. Iste Demetrius,scilicet cuius meministi, fuit Demetrius:idest Demetrii similis.sed est nūc plane,idest omnino.Bilienus,idest Bilieni similis:hoc est ineptus. Itaque do: idest constituo te uicarium.tu obseruabis eum:scilicet nequid auferat. Etsi,uerumtamen de illis,Aposiopesis,idest reticentia est alicuius clausulæ,quam dicere incepit, perducere tamen noluit, addens pro causa. Nosti cætera: idest quæ restant.sed tamen si habueris quem,idest aliquem sermonem cum eo,scilicet Bilieno , scribes ad me,ut argumentum:idest farrago,& materia epistolæ,scilicet scribendæ

bendæ ad te,nascatur mihi,& ut legam literas tuas quam longissimas,idest ualde longas.O mi Tiro cura ut ualeas. Tu nihil potes facere mihi gratius hoc,idest q̃ hoc.s.ut ualeas.

VICTORIVS.

De quadrimo Catone)Sic omnes & antiqui & impressi codices habent. Aliquos tamen scimus {De qua primo Catone}emendasse:parua omnino licentia,unius,scilicet tantum literæ conuersione,ut cum superiore sermone coniunctum sit hoc membrum:de qua omnino interpositione primo Catone diximus,seu aliquid tale intelligentes.sed quia nunquam scimus illũ sic appellasse librum de Senectute,sed semper Catonem maiorem: ideo receptam lectionem commouere ausi non sumus. Quia tamẽ res non omnino contemnenda uisa est, noluimus præterire, quin lectorem admoneremus,præsertim cum sit locus obscurissimus, & nostro etiam iudicio non uacuus mendo.

SEBAS. CORR.

De quadrimo Catone)Hæc est illa interpositio : & Catonẽ Vticensem significat,cuius laudationem ipse Cic. scripsit, quam Cæsar sæpissime legendo se dicebat copiosiorem factum,quamuis Anticatones conscripsisset. Al. tamen hic legitur, de qua primo Catone. Nonnulli uero etiam uiri docti ita legunt, de qua primo caueto.{Tertia}fœmina,uel potius pẽsio.{Publius} non Clodius,ut quidam putant,sed alius quispiam,cui Cic. se nũmos debere in epistolis ad Atticum sæpe testatur. {Phalereus} similis Demetrio Phalereo.{Bilienus} Al.Bellienus,ut episto.XV. lib.VIII.

BERN. RVT.

De quatrimo Catone}Quin hæc illa fuerit difficilis interpositio, nihil repugno : Catonem certe arbitror intelligi opus Ciceronis,quod in laudem Catonis Vticensis conscripsit de quo initio & toto.XII.lib.Epistolarum ad Atticũ,Plutarchus in Cicerone & Cæsare. Contra eum Anticatones scripsit Cæsar.{Demetrius iste nunquam omnino Phalereus fuit,sed nunc plane Bilienus est}Quid dicit? nam,nũquam doctus urbanusue, aut Atticus fuit,nunc autem plane rusticus & illiberalis:ut sit Bilienus a bile,simulq; ad Demetrium illum respiciat,de quo Cælius libro.VIII.Bilienus uerna Demetrii,ibi cum præsidio erat, Domitium quendam nobilem illic Cæsa. hospitem, a contraria factione nummis acceptis,comprehendit,& strangulauit.

GIBERTI LONGO. LEMMA.

Missa est epistola,

TVLLIVS TIRONI SVO S. 23

Tu uero confice professionem , si potes,etsi hæc pecunia ex eo genere est ut professione non egeat. ueruntamen Balbus ad me scripsit tanta se epiphora oppressum , ut loqui non posſit, Antonius de lege quid egerit. liceat modo rusticari. Ad Bithynicum scripsi. De Seruilio tu uideris,qui senectutem nõ contemnis.Etsi Atticus noster,qui quodam me commoueri πανικοῖς intellexit,idem semper putat,nec uidet quibus* præsidiis philosophiæ septus sim. & hercle,quòd timidus ipse est,* θορυβοποιεῖ.Ego tamen Antonii inueteratam sine ulla offensione amicitiam retinere sanè uolo,scribamque ad eum,sed non ante , quàm te uidero.nec tamen te auoco à syngrapha.γόνυ κνήμης.*Cras expecto Leptam:etenim ad cuius rutam pulegio mihi tui sermonis utendum est. Vale.*

*.i. panicis terroribus.
*al.l.præsidijs septus.
*.i. tumultuas.
*al.l. syngraphus exp.

ASCENSIVS.

Tu uero &c.Quod supra scripsit Cicero, De Aufidiano nomine nihil te hortor,nomen,pro debito accipi solet. Hortatue nunc ut professionem:idest liberam cõfessionem conficiat:quasi dicat:ut corã testibus id eum profiteri faciat:deinde significat Antonium,cuius amicitiã retinere uelit,quædam contra se decreuisse,ut cũ ordine aperietur, qui talis est,Tu uero:idest(quod dicunt,)pro uero,& certo,& nõ opinanter tantum,confice: idest perfice,& effice:ut habeas(si potes)professionem:idest manifestam confessionem debiti.Etsi:idest tametsi,hæc pecunia:idest hoc debitum, est ex eo genere:idest forma,aut ratione,ut non egeat professione, Veruntamẽ Balbus scripsit ad me se oppressum tanta epiphora:idest morbo oculorum , ut non possit loqui:idest explicare quid Antonius egerit de lege: scilicet ferenda, aut antiquanda,incertum est quæ sit lex,& quid de ea constituere pararit Antonius:quia de ea scripserat Tiro, rescribens ergo ut de re nota breuior est,quam ut possit intelligi ab iis, quibus res alioqui non constet.Neque id uitium est scribentis.Non enim scripsit hanc epistolam,ut ab omnibus,sed ut ab uno Tirone legeretur.Tiro autem ut patroni sui amorem in se patefaceret , id genus omnes ad se datas collegit,atque emisit.liceat:idest permittatur.modo:idest solummodo rusticari:quasi dicat : non curẽ quid Antonius egerit de lege.Ego scripsi ad Bithynicum.de Seruilio.tu uideris,idest concedo,aut moneo,ut uideas.Est enim, coniunctiui modi futuri temporis, media breui pronunciandum. tu inquam, qui non contemnis,immo ueneraris senectutẽm.Etsi:idest tametsi, Atticus,scilicet Pomponius,qui intellexit quondam me commoueri panichis,seu panicis, idest rumoribus repentinis. putat semper idem:idest me semper eodem modo commouendum , nec uidet,idest non considerat quibus præsidiis:idest:munimentis philosophiæ,ego septus:idest undique munitus sim.& Hercule quod idest quia,ipse timidus est,θορυβοποιεῖ : idest tumultum facit , seu tumultuatur.Ego tamen uolo sane,idest omnino retinere sine ulla offensione amicitiam Antonii inueteratam,idest uetustate corroboratam.Et scribam ad eum : sed non antequam uidero te. nec tamen auoco,idest auerto te a syngrapha:idest manuscripto: supple accipiendo ab eo.Ego expecto cras Leptam.etenim: idest sed tamen eum.ad cuius rutam:idest amaritudinem sermonis , utendũ est mihi pulegio.i.dulcore sermoni tui.

SEBAS.CORR.

Veruntamen}S.confice.{ Ephiphora } oculorum morbo. {Loqui non possit} Iocatur Cicero.nam qui ab oculis laborat,non impeditur,quo minus loqui possit. Balbus uero Cornelius uir erat tectus,& ut Cæsarianus Antonium amabat, obidq; quid Antonius egisset de lege,quam post Cæsaris mortem fecerat,loqui nolebat.{Rusticari}quando in urbe cum dignitate per Antonium esse non licet {Bithynicum.}Episto.XVI.lib.VI. {Non contemnis}ut ego iam contemno. {πανικοῖς } repentinis terroribus,uel rumoribus,sed plerunque falsis.ut illud ad Atticum: De vẽtidio πανικὸν puto: de Sexto,pro certo habebatur, ad arma. (θορυβοποιεῖ)tumultum facit. {Amicitiam} Epist.V.lib.II.(γόνυ κνήμης ἔγγιον) Genu sura propius . { Pulegio} Al.puleio . Et sane Celsus docet,rutam & puleium herbas etiam somno aptas esse.

BERN. RVT.

Tu uero confice professionem,si potes & si hæc pecunia ex eo genere est,ut professione non egeat, ueruntamen Balbus ab me scripsit,tanta se epiphora oppressum , ut loqui non possit) Hic subsisto ,neque sequor Clerici distinctionem.Potes, &(mea quidem sententia)etiam debes.ita quoque supta,ut professione non egeat,ueruntamen Balbus ad me scripsit,&c.ut sit : Veruntamen confice professionem.Vereor autem,ne non satis exploratum habuerit Clericus,quid ista professio esset . Cicero certe ad Atticum de eodem etiam(ni fallor)negotio.Semel ne putas mihi dixisse Balbum,& Faberium professionem relatam? quis etiam eorum iussu miserim,qui profiteretur at enim oportere dicebant Professus est Philotimus libertus.Nosti credo librarium,sed scribis,& quidem confectum.{Antonius de lege quid egerit } Potes legem probandorum Cæsaris actorum accipere.de qua Cicero , Plutarchus, Appianus.Potes & illam,de qua idem ad Atticum:Scis,quã diligam Siculos , & quam illam clientelam honestam iudicem. Multa illis Cæsar,neque me inuito.etsi latinitas erat non ferenda. Veruntamen ecce Antonius accepta grandi pecunia , fixit legem a Dictatore comitiis latam,qua Siculi ciues Ro.Cuius rei uiuo illo mentio nulla.{Ego tamen Antonii inueteratam sine ulla offensione amicitiam retinere sane uolo}M . Antonium accipe,in quem sunt Philipicæ,triumuirum:non Caium,Ciceronis in Consulatu collegam.ut Clericus,est enim scripta epist.Cæs.occiso , cum iam simultas inter Ciceronem & M Antonium serperet . De panicis Politianus in Miscellaneis,copiose.

Ang.Politianus. Miscell.cap.XXVII.

In Ciceronis epistola ad Tironem,quæ posita in extremo Familiarium uolumine,sic scriptum est . Etsi Atticus noster , qui quondam me commoueri πανικοῖς intellexit,idem semper putat,nec uidet quibus præsidiis philosophiæ septus sim . Hercle q̃d timidus ipse est,θορυβοποιεῖ.Panica uocantur(ut arbitror.)a Græcis repentini quidam terrores.& consternationes.quales ueluti lymphatici metus,usq; adeo irreuocabiles, ut non ratione modo , sed mente etiam careant Quo item uerbo Cicero idem utitur in epistola ad Atticum lib.V.Scis enim,inquit quædam πανικὰ dici. Facit item Higinius de panico terrore mentionem,quo loco de Capricorno,his uerbis.Hic enim dicitur,cum Iupiter Titanas oppugnaret,primus obiecisse hostibus terrorem,qui panicos dicitur , ut ait Eratosthenes,quam fabulam & Germanicus innuit,in Arato commentario.Euripides in Medea sic ait.

Καὶ τίς [illegible] ἀπὸ [illegible]

ἢ [illegible] Ἀπόλλωνι.

Panos autem uocat iras Euripides, sicuti est apud antiquissimum ipsius interpretem, τὰ πανικὰ δείματα, panicos terrores, ὅτι τὰ [illegible] Quoniam, inquit, repentinorum terrorum, & consternationũ causam, deo Pani tribuunt. Et apud Synesium in libro de Prouidẽtia, sic inuenio ferme, καὶ πανικοὶ θόρυβοι [illegible] τὸ στράτευμα κατελάμβανον. Et panici tumultus interdiu exercitum occupabant. Quo loco ampliter etiam, cuiusmodi essent hi deniq; terrores, explicatur, &c. Plura uide apud ipsum Politianum loco indicato.

GIBERTI LONG. LEMMA.

Mandatoria est epistola.

TVLLIVS TIRONI S. 24

ET si mane Harpalum miseram, tamen, cum haberem, cui recte darem literas, etsi noui nihil erat, iisdem de rebus uolui ad te sæpius scribere: non quin confiderem diligentiæ tuæ: sed rei me magnitudo mouebat. Mihi prora, et puppis, ut Græcorum prouerbium est, fuit à me tui dimittendi, ut rationes nostras explicares. Officio, & Aurelio utique satisfiat, à Flamma, si non potes omnem, partem aliquam uelim extorqueas: in primisq; ut expedita sit pensio Cal. Ianua. de attributione conficies. de repræsentatione uidebis. de domesticis rebus hactenus. de publicis omnia mihi certa, quid Octauius, quid Antonius: quæ hominum opinio: quid futurum putes. ego uix teneor, quin accurram. sed st. Literas tuas expecto. & scito Balbum tum fuisse Aquini, cum tibi est dictum, & postridie Hirtium. puto utrunque ad aquas. Sed quid egerint. Dolabellæ procuratores, fac ut admoueantur. appellabis etiam Papiam. Vale.

ASCENSIVS.

ETsi mane &c. Primum dicit se necessitate quadam dimisisse Tironem, ut negotia sua expliearet. deinde docet quid ab eo fieri uelit. Postremo dicit Balbum fuisse Aquini, & etiam Hirtium. Ordo est: Etsi. i. quanquam, ego miseram mane Harpalum. s. seruum nostrum ad te. tamen cum haberem: scilicet tabellarium, cui darem recte. i. tuto, literas, scilicet ad te. & si nihil erat noui, uolui scribere sæpius ad te de iisdem rebus. Non quin. i. qui non confiderẽ diligentiæ tuæ: sed magnitudo rei mouebat me Prora, & puppis, idest principium, & finis nauis: hoc est tota ratio nauandæ operæ (ut utar prouerbio Græcorum) fuit mihi, tui dimittendi a me, ut explicares, idest ab omni intricatione absolueres rationes nostras, scilicet debitorum nostrorum. Vtique: idest omnino, aut saltem satisfiat Offilio, & Aurelio. Si non potes: supple extorquere, idest ui eripere a flamma, idest a perditione, & consumptione manifesta, est translatio ab incendio domus, omnem partem, idest supellectilis domesticæ: hoc est rei conseruandæ. uelim supple ut extorqueat: idest serues: supple saltem aliquã scilicet partem, Et: supple uelim in primis, idest præcipue, eo quod, quæ præcipue uolumus prima occurrant, ut pensio, scilicet domus nostræ i. pecunia, quam quotannis pẽdimus pro ea. sit expedita i. absoluta, & euacuata, Cal. Ianua. Vt conficias. i. absoluas totum negotium de attributione. i. de eo quod attribuendum scis. Videbis, idest deliberabis, & considerabis, de repræsentatione, scilicet a uobis, aut nobis facta, quid utilitatis habeat. Hactenus: supple scripsi de rebus domesticis. De publicis: supple rebus fac ut sint omnia certa mihi, quid spectat Octauius, quid Antonius quæ sup. sit opinio hominum, quid putes futurum. Ego teneor uix. i. difficulter, quin accurram, scilicet ad urbem: erat enim cum hæc scriberet Cice. absens, & Tiro in urbe. Sed expecto literas tuas, per quas omnia sciam, & scito Balbum fuisse Aquini, idest in eo oppido Appuliæ. cum, idest quando, dictum est tibi. & Hirtium: supple fuisse Aquini postridie, idest die sequenti. ego puto utrunque, supple nunc esse ad aquas Semas, ubi balnea sunt non longe ab Aquino. Fac: supple ipsi admoneantur, quid procuratores Dolabellæ egerint. Tu appellabis etiam. s. ad consilii consortium, Appiam.

VICTORIVS.

VTrique ad aquas Semas) Sic omnes habebant uulgati codices. Nos his neglectis, ut in ueteribus libris inuenimus, scripsimus, Ad aquas autem intelligit Baianas, quemadmodũ in epistolis ad Atticum lib. XIIII. Haud amo uel hos designatos, qui etiam declamare me coegerunt, ut ne apud aquas quidem acquiescere liceret. Id est, Baiis: nam quod in cunctis in fine epistolæ {Appiam} legebatur, nos iisdem antiquis codicibus authoribus {Papiam} scripsimus. {De publicis omnia mihi certa} Antiqui codices cum recepta lectione consentiunt: cogitandum tamen an legi debeat {Incerta} rogat enim Tironem, ut scribat, quæ statim exponit, ut qui nihil certi de illis rebus haberet.

Ea post eiusdem.

EGo uix teneor, quin accurram: sed st) Hæc est Medicei codicis lectio non sine aliqua macula, ut existimare facile possemus. non displicet Pauli coniectura: nam peruersio parua est, si ita legi debet, & idoneum sensum habet. Iubet enim Tironem tacere, quod ante dixerat, se uix teneri, quin accurrat. Eodem modo locutus est in epistolis ad Attic. nec tamen notam ibi posuit, aut sibilo hoc significauit, sed uerbo expressit quid eum facere uellet libro secundo. non libet fugere: aueo pugnare: magna sunt hominũ studia. sed nihil affirmo. tu hoc silebis. {puto utrunq; ad aquas, sed quod egerint} in nostrum impressum codicem, Medicei lectionem transtulimus: quæ tamen culpa impressorum aliquantulum perturbata est: seiungere enim debebant hæc uerba ab inferioribus ut distincta essent, quemadmodum res ipsæ distinctæ sunt. Quod si hoc seruassent, nihil (ut arbitror) desideraretur: intelligi sane debet uerbum, quo illa regerentur, non tamen poni. uel, {nondum scio} uel, {ad me scribe} aut aliquid, quod sententiam illam expleat, ut in epistola ante hanc in illo loco, Antonius de lege qd egerit. At aquas autem cum dicebant: quanuis nihil adderent, aquas tamen calidas, Baiasq; intelligebant.

PAVL. MANV.

ACcurram sed s.) In uetustioribus libris scriptum est, sed si. ego arbitror legendum, sed st, quam silentii notam, qui non agnouere scripserunt, si. deinde alius cum uideret, si locum hic habere non posse, fecit, s. idest scilicet. sic etiã in de oratore lib. II. pro, st, scriptum erat, si, quod mendum, VII. abhinc annum sustulimus. in Plauto etiam ubi legendum est, st, modo si, modo ast. modo at, uulgo legitur. Terentius quoque in Phormione hac nota usus est, quem locum errat Velius Longus Grammaticus. {Semas quid egerint} Alii, sed quod egerint, Dolabellæ procuratores fac ut admoneantur. ego illa uerba, Dolabellæ procuratores fac ut admoneantur, a se ipsa cegi puto, nec aliunde pendere: uerbum enim, admoneantur, ad pecuniam refertur, quam Dolabella Ciceroni debebat: itaque intulit, appellabis etiam Papiam: quod item creditorum uerbum est. forte igitur legendum sciemus, quid egerint, ut omnino a sequentibus discludantur.

SEBAS. CORR.

PRora, & puppis} summa consilii. {Flamma} Flamma Flaminio debitore. {Mihi certa} scribas. {Octauius} qui nuper Romam uenerat, ut Cæsaris hæreditatem cerneret. {Ad aquas Semas, quid egerint} Al. ad aquas, sed quod elegerint. aquas autẽ Baianas intelligit, si ita legas. {Admoneantur} ut nobis: quod Dolabella satisdato debet, dissoluant. {Appiam} Appiam Clodiam, quæ & ipsa debet, certe cum Cicerone nescio quid negotii habebat. Alii tamen legunt, Papiam.

BERN. RVT.

A Flamma, si non potes omnem, partem aliquam uelim extorqueas} Hominem notat, non incendium, ut Clericus, de eo ad Atticum: Flammam Flaminium audio Romæ esse. ad eum scripsi, me tibi mandasse per literas, ut de Montani negotio cum eo loquerere. Et uelim cures epistolam, quam ad eum misi, reddendã, & ipse (quod commodo tuo fiat) cum eo colloquere. Puto, siquid in homine pudoris est, præstaturum eum, ne sero quodammodo dependatur. Et paulopost: De Montano, quoniam Flãma uenit, uidebis. Puto rem meliore loco esse debere. {De attributione cõficies} De eadem ad Atticum: Dolabella uir optimus, & si cum scribebam secunda mensa apposita, uenisse eum ad Baias audiebam, tamen ad me ex Formiano scripsit. quas literas cum e balneo exissem, accepi, sese de attributione omnia summa fecisse. Vectenum accusat, &c & infra: Ait enim attributionem in Idus, se aũt urgeri acriter. Tu ex meis literis, quomodo respondeas, meditabere. Et alio loco: Maxime autem me angit ratio reliquorum meorũ, quæ quanquam explicata sunt, tamen quod & Dolabellæ nomen in his est, & attributione mihi nomina ignota, conturbor, nec me ulla res magis angit, ex omnibus. itaque non mihi uideor errasse, quod ad Balbum scripsi apertius, ut si quid tale accidisset, ut non concurrerent nomina, subueniret, meq; tibi etiam mandasse memor, fui, ut siquid eiusmodi accidisset, cum eo communicares.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Hortatur ut sæpe scribat, nec excusationes utatur.

Cicero

CICERO F. TIRONI SVO S. 25

ETsi iusta, & idonea usus es excusatione intermissionis literarum tuarum: tamen, id ne sæpius facias, rogo: nam etsi de Reipub. rumoribus, & nuntiis certior fio, & de sua in me uoluntate semper ad me perscribit pater: tamen de quauis minima re scripta à te ad me epistola semper fuit gratissima. quare cum in primis tuas desiderem literas, noli committere, ut excusatione potius expleas officium scribendi, quàm assiduitate literum. Vale.

ASCENSIVS. ETsi iusta &c. Excusauerat se Tiro apud Cice. filiũ, qui Athenis erat, se propter angustiam temporum, & magnitudinem negotiorum intermisisset ad eum scribere, quare Cic. primum dicit eius excusationem iustam, & idoneam, sed rogat ut malit satisfacere officio suo scribendo, quam se excusando. Ordo est: Et si: idest quanquam usus es iusta, & idonea excusatione intermissionis: idest quod ad tempus omiseris dationem literarũ tuarum, rogo ne facias id sæpius. Nam etsi: idest quãquam fio certior de Rep. rumoribus: idest incerto authore, sermonibus, & nuntiis, & pater: scilicet Marcus Tullius, perscribit semper ad me de uoluntate: idest beneuolentia sua in me, tamen epistola scripta a te ad me, de quauis re minima: idest quamuis res esset minima, fuit mihi semper gratissima. Quare cum desiderē in primis literas tuas, noli committere i. efficere, ut expleas. i. perficias, & absoluas potius officium scribendi excusatione, q̃ assiduitate literarum.

GIBERTI LONGO. LEMMA.

Tironem negligentiæ in scribendo accusat.

Q. CICERO TIRONI SVO S. D. 26

VErberaui te cogitationis tacito duntaxat conuicio, q fasciculus alter ad me iam sine tuis literis perlatus est. non potes effugere huius culpæ pœnam te patrono. Marcus st adhibendus: isq; diu, & multis lucubrationibus commentata oratione, uide ut probare posit, te nō peccasse. plane te rogo, sicut olim matrem nostram facere memini, quæ lagenas etiam inaneis obsignabat, ne dicerentur inanes aliquæ fuisse, quæ furtim essent exsiccatæ: sic tu etiam si quod scribas non habebis, scribito tamen, ne furtum cessationis quæsiuisse uidearis: ualde enim mihi semper et uera, & dulcia tuis epistolis nuntiantur. Ama nos, & uale.

*al. scripsi ad Vmmium.

ASCENSIVS. VErberaui &c. Accusat Tironē negligentiæ: q inter multas epistolas a Tirone nullam acceperat: quam culpam iocose dicit uix a patre posse orando purgari. Ordo est: Verberaui: idest affeci te duntaxat tacito: idest mentali. conuicio: idest exprobratiōe cogitationis: scilicet meæ, q alter fasciculus: scilicet literarum ab aliis missarum: perlatus est iam sine literis tuis. Tu non potes effugere pœnam huius culpæ: scilicet negligentiæ, te patrono: idest defensore, & purgatore. Marcus. s. pater meus, est adhibendus, scilicet ad defensionē tantæ culpæ. & is, scilicet Marcus pater, etiam in summo periculo reis auxiliari solitus: supple adhibendus est oratione commentata, idest habens orationem commentatam, & præmeditatam multis lucubrationibus. uide, idest considera ut, idest quomodo, supple Marcus pater possit probare te non peccasse. Ego rogo te plane, sicut memini, matrem nostrã facere olim, quæ obsignabat lagenas. i. uascula uinaria, etiam inanes, idest in quibus nihil erat uini, ne aliquæ. s. lagenæ dicerentur fuisse inanes, quæ essent exsiccatæ. i. exhaustæ. furtim, idest furtiue. sic tu etiam si non habebis quod scribas, tamē, idest nihilominus scribito, ne uidearis quæsiuisse furtum, idest fictiam, & quasi furtiuam excusationem cessationis. s. a missione literarum. Enim. i. quia, & uera, & dulcia nunciantur mihi semper epistolis tuis. Ama nos, & Vale.

GIBERTI LONGOLII LEMMA.

Narrat quid de Consulibus sentiat.

Q. CIC. TIRONI SVO S. P. D. 27

MIrificam mibi uerberationem cessationis epistola dedisti: nã quæ percius frater perscripserat uerecundia uidelicet, & properatione, ea tu sine assentatione, ut erant, ad me scripsisti, & maxime de Consulibus dess. quos ego penitus noui libidinum, & languoris effœminatissimum animi plenos. qui nisi à gubernaculis recesserint, maximum ab uniuerso naufragio periculũ est. incredibile est, quæ ego illos scio appositis Gallorum in æstiuis fecisse, quos ille latro, nisi aliquid firmius fuerit, societate uitiorum deliniet. res est aut tribunitiis, aut priuatis consiliis muniendа: nam isti duo uix sunt digni, quibus alteri Cæsenam, alteri Cossutianarum tabernarum fundamenta credas. Te, ut dixi, fero oculis. ego uos ad III. Cal. uidebo, tuosq; oculos, etiam si te ueniens in medio foro uidero, dissuauiabor. Me ama. Vale.

ASCENSIVS. MIrificam mihi &c. Dicit se mirifice concussum ex literis Tironis, quibus qui Consules creati essent, significabat. loquens secundum Cõmentarios de Hirtio, & Pansa. de quorum fide, & uirtute tunc dubitabas, cũ tamen uterque fortissime pro Repub. casurus sit, cæsus ab Antonio Mutinæ, cum D Brutum obsideret. Hanc ergo epistolam inseruisse uidetur Tiro, ut significet quã fidem sibi habuerit frater patroni sui. Ordo est: Tu dedisti mihi mirificam uerberationem. i. incussionem uerecundiæ, cessationis. i. propter cessationem meam, epistola. s. tua Nam tu scripsisti ad me ea quæ frater. s. Marcus Tullius Cicero perscripserat ad me parcius. i. nimis sobrie, uidelicet uerecundia, & properatione. i. propter uerecundiam, & properationē suam, tu scripsisti inquam ea sine assentatione ut erant, & maxime de Consulibus designatis. i. declaratis in proximum annum. uidelicet Hirtio, & Pansa, quos ego noui penitus plenos libidinum, & languoris. i. corruptionis animi effœminatissimi, qui. s. Consules, nisi recesserint a gubernaculis. s. Reipu maximũ periculum est ab uniuerso naufragio. s. totius Reipu. Incredibile est quæ ego scio illos fecisse in æstiuis castris Gallorum oppositis. s. nostris, quos ille latro. s. Marcus Antonius. detinet. i. blande attrahit societate uitiorum. nisi aliquid firmius fuerit, scilicet eis obsistens. Res est munienda. s. a periclitatione consiliis tribunitiis, aut priuatis: idest alicuius uiri authoritate prædici, licet sit priuatus: idest extra omnē magistratum positus. Nam isti duo. s. Consules designati, uix sunt digni quibus credas i. sub fide committas. alteri Cæsenam i. oppidum illud desertum in Gallia togata, alteri fundamenta Tabernarum Cossutianarum i domiciliorum uilissimi cuiusque Cerdonis. Ego fero oculis. i. imaginor uidere te ut dixi. Ego uidebo uos ad quartum Calendas. s. huius mensis. & dissuauiabor. i. affectanter osculabor oculos tuos, etiam si ego ueniens scilicet tibi obuiam, uidero te in medio foro. Ama me, &c.

VICTORIVS. MIrificam mihi) Hæc Q. Ciceronis epistola acerba, & aspera est. sic autem illum solitum scribere Marcus ostendit, cum ei præciperet, quomodo se in Asia Procos gerere deberet, in primisq; hortaretur, ut se in scribendo maledictis abstineret. Inuehitur in Consules designatos, eosq; magna uerborum cõtumelia perstringit. Arbitror autem intelligere eum Hirtium, ac Pansam, multis hoc coniecturis ductus credo, se autem conscium esse dicit multis illorum sceleribus, ac libidinibus, quibus ita dediti erant, ut in maximis periculis uix sibi a luxuria temperare possent: ipse enim una cum illis in Gallia Imper. Cæsare militauerat. {Quos ille latro} Antonium intelligit, contra quem illi bellum gesturi erant existimat enim Quintus Antonium nisi copiis suis, uiribusq; cõfisos fuerit, alia uia illos aggressurũ esse, & omnia facturũ, ut illos sibi placet, & in sententiã suã traducat, putat enĩ id facile consecuturũ similitudine uitæ, & societate uitiorũ. {Quibus alteri Cæsenam, alteri Cossutianarũ tabernarum} Omnibus iniquus

erat Quintus,& nemini parcebat,dummodo iræ suæ,ac furori obtemperaret. De ambobus illis Coss. dess. pessime sentiebat: uerum tamen quantum suspicari possumus, alterum illorum ignaviorem, inertioremq; altero existimabat,nam quem aliquid consilii habere putabat,uix dignum esse dicebat cui Cæsena committeretur. Alterum,qui nullius consilii esset,sed penitus infirmi ingenii, ac intemperantissimæ naturæ,uix recte posse iudicabat curare fundamenta Cossutianarum tabernarum. Alii hunc locum proculdubio corruptum esse dixerunt,quibus non accedo: inuenio uulgatam hanc lectionẽ nulla mendi suspicione in optimis,& antiquissimis libris. Quæ mens eum impulerit,ut poneret Cæsenam ignobili,& obscuro oppido,non facile enuntiarim,neque æquum esse puto de huiuscemodi rebus quid sentias respondere cogi. Furore animi,& magna asperitate uerborum illum in epistolis semp usum prodente M.Fratre,liquido possumus affirmare.

PAVL. MANV. Quibus alteri Cæsenam (Locus proculdubio corruptus: neque enim adeo tum ignobilis,aut obscura fuit Cæsena, ut tanquam abiecta res nominari debuerit. uetus codex Vincentii Riccii sic habet,Quibus gesa,uel quibus Sutianarum tabernarum fundamenta credas.deliberent eruditi,quomodo sit legendum. Liuius quidem libro XI.de Censennia meminit oppido non admodum celebri: ut fortasse non inepte pro, Cæsenam, Censenniam,hic legi possit.

SEBAS. CORR. De Coss.dess.Hirtio,& Pansa. {Quos ego penitus noui} quippe qui Cæsaris Legatus in Gallia fui, & illos optime nosse potui.{Latro.}M.Antonius.

PHIL. MELA. Mirificam mihi) Narrat quid de Consulibus designatis sentiat.

FINIS.

SERIES CHARTARVM.

A a b c d e f g h i k l m n o p q r f t u x y z aa bb cc dd ee ff gg hh ii kk ll mm nn.

Terniones omnes,præter A duernionem.

VENETIIS apud Ioan.Gryphium.
M D L.

2,6